Digitized by Google

Hist. 646

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

Digitized by Google

Ex Bibliotheca G. Sm.
1757.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

D. PAULI FREHERI
Med. Norib.
THEATRUM VIRORUM ERUDITIONE CLARORUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

D. PAULI FREHERI
Med. Norib.

THEATRUM VIRORUM ERUDITIONE CLARORUM.

In quo

VITÆ & SCRIPTA

THEOLOGORUM, JURECONSULTORUM, MEDICORUM & PHILOSOPHORUM,

Tam in GERMANIA Superiore & Inferiore, *quàm in aliis* EUROPÆ *Regionibus*, GRÆCIA *nempè*, HISPANIA, ITALIA, GALLIA, ANGLIA, POLONIA, HUNGARIA, BOHEMIA, DANIA & SUECIA

A SECULIS ALIQUOT, AD HÆC USQUE TEMPORA, FLORENTIUM,

SECUNDUM ANNORUM EMORTALIUM SERIEM,

TANQUAM VARIIS IN SCENIS REPRÆSENTANTUR.

Opus omnibus Eruditis Lectu jucundiſſimum in quatuor partes diviſum, quarum

I. *THEOLOGOS* varios
II. *MAGNATES, JURISCONSULTOS & POLITICOS.*
III. *MEDICOS, CHYMICOS, BOTANICOS, ANATOMICOS &c.*
IV. *PHILOSOPHOS, PHILOLOGOS, HISTORICOS, MATHEMATICOS, POETAS &c.*

complectitur.

Cum Indice locupletiſſimo.

NORIBERGÆ.
Impenſis Johannis Hofmanni,
& Typis
Hæredum Andreæ Knorzii.
M. DC. LXXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google



Der Durchlauchtigſte Fürſt und Herr. Herr *Rudolph Augustus* Hertzog zu Braunſchweig und Lüneburg

Johann Hoffman Ex

Digitized by Google



Der Dürchlaüchtigſte Fürſt ünd Herr,
Herr Anthon Vlrich Hertzog zü
Braünſchweig ünd Lünebürg

Johann Hoffman. Ex: Philipp. Kilian ſculps

Digitized by Google




Digitized by Google

SERENISSIMIS
DUCIBUS AC DOMINIS,
DOMINO
RUDOLPHO AUGUSTO,
&
DOMINO
ANTONIO ULRICO,
PRINCIPIBUS AC DUCIBUS
BRUNSVICENSIBUS AC
LUNÆBURGENSIBUS &c.

DOMINIS MEIS CLEMENTISSIMIS.

Digitized by Google



SERENISSIMI DUCES

DOMINI CLEMENTISSIMI

ARduum opus aggredior, dum munus hoc chartaceum ad pedum veſtrorum plantas humillimè deponere audeo, hæreoque dubius, an ſerenâ fronte illud excipi mereatur; externè enim conſideratum, levidenſe eſt, ex obſoletis abjectiſſimisque per piſtillum in mola papyraceâ contuſis pannis conſtans, & ob id illuſtriſſimis oculis veſtris minimè dignum. Si verò Contenta ejus accuratius inſpiciantur, (uti omnia à Veſtris Serenitatibus, in obtutum venientia, limatiſſimè penſitari ſolent) ſpem haud contemnendam concipio, me voti mei compotem fieri poſſe, ut ſub fortiſſimo Clementiæ Veſtræ clypeo ab omnium omnia Theoninis dentibus rodentium malevolorum aggreſſionibus tutum, ſartum, tectúmque eſſe queat. Virorum à multis abhinc Seculis ad noſtra usque tempora eruditione ſingulari conſpicuorum, tàm Theologorum, quàm Juriſconſultorum, Medicorum & Philoſophorum vitæ & Scripta cedro digna Veſtræ, Sereniſſimi Duces, protectioni jure meritò hìc conſecrantur, Orbem enim eruditum veluti alteri Atlantes feliciſſimè ſuſtinetis, fovetis, extollitis. Ad veſtros perpetuâ memoriâ dignos Majores quovis

tempore

Digitized by Google

tempore Literati Literatorumque patroni confugere ſoliti, uti & ad Veſtras Serenitates tanquam ad Sacram anchoram hodieque confugiunt omnes Muſis & Apollini indefeſſo ſtudio litantes. Quos inter cum ego equidem non ſim, nec numerari queam, ſtudia tamen Eruditorum lucubrationesque in Republicâ literariâ magni æſtimatorum virorum (uti & præſens opus jure meritò indigitandum eſt) pro viribus promovere, inque incomparabilem utilitatem ſtudioſæ juventutis & poſteritatis typis evulgare omnem operam in hunc usque diem impendi, & ob id etiam veſtrâ, Sereniſſimi Duces, in ſummo gradu conſiſtente Clementiâ fretus, hoc, quicquid etiam eſt, Illuſtriſſimis veſtris nominibus do, dico, dedico. Accipite quæſo illud tanquam obſequiis veſtris devotiſſimi animi Symbolum, & permittite, ut exiguam lucis ſcintillam à favoris veſtri lucidiſſimo ſydere conſequatur. Finio cum hoc calidiſſimo voto, ut Principatuum veſtrorum gubernaculis diu ſalvi (Deo incolumitatem dante) aſſideatis, æternumque floreatis.

Sic ſoveat

SERENITAT. VESTR.

Subjectiſſimus

Johannes Hofmannus.

Digitized by Google


BENEVOLO LECTORI χαίρειν καὶ εὐπράττειν.

ECce tibi hunc à viris ſummâ Eruditione Conſpicuis diu multumque deſideratum Tractatum, Theologos, Juriſconſultos, Medicos, Philoſophos & Philologos doctrinâ ſingulari illuſtres tanquam in Theatro repræſentantem. Sunt equidem, fateor, de viris eruditione præditis in omnibus facultatibus varia Opera tàm à Veteribus, quàm Recentioribus Autoribus luci publicæ commiſſa, verùm non tàm abſolutè & tàm magno unicoque in Volumine, ſed tantùm vel ſingulares nationes, vel numero non adeò multos eruditos, vel unicum Seculum, concernentia, vel alio modo mutila & manca. Scripſêre enim Guilielmus Ronvillius, promptuarium Iconum inſigniorum, Paulus Jovius, Jacobus Auguſtus Thuanus, & Jacobus Philippus Thomaſinus Elogia Virorum doctorum, Hieronymus Ghilinus Theatrum Virorum Literatorum, Johannes Trithemius Catalogum Virorum Doctorum, Johannes Andreas Quenſtedt dialogum de Patriis Virorum Doctorum, Caſparus Cunradi Proſopographiam Melicam, Johannes Imperialis Muſeum hiſtoricum, Melchior Adamus Vitas Theologorum, Juriſconſultorum, Medicorum & Philoſophorum ſui Seculi, Johannes Jacobus Boiſſardus vitas 50. Virorum doctrinâ Illuſtrium, Aubertus Miræus Tractatum de Scriptoribus Seculi XVI. M. Wolffgangus Krügerus Catalogum Mille Virorum Illuſtrium, Adrianus Spizelius Templum honoris reſeratum, Johannes Gerhardus Patrologiam, Anonymus Libellum de vitis Cardinalium, Theodorus Gallæus Elogia 12. Cardinalium Doctrinâ Illuſtrium, Nicolaus Serarius de Rebus Moguntinenſibus, Jacobus Maſenius Annales Trevirenſes, Caſpar Bruſchius de Epiſcopis, Petrus Ribadeneira Catalogum Scriptorum Societatis Jeſu, Franciſcus Godwinus Commentarium de Præſulibus Angliæ, Johannes Fichardus Vitas Juriſconſultorum, Martinus Zeillerus Catalogum Hiſtoricorum, Johannes Petrus Lotichius Bibliothecam Poëticam, Franciſcus Sweertius Athenas Belgicas, Antonius Riccobonus deſcriptionem Gymnaſii Patavini, Simon Starovolſcius elogia centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum, Anonymi Heroologiam Angliæ, Bibliothecam Hiſpaniæ variorum Autorum, & Vitas Profeſſorum Leydenſium; Donatus Calvus Scenam literariam Scriptor. Bergamot. Scævola Sammarthanus Elogia Gallorum doctrinâ Illuſtrium, Gothofredus Svevus Academiam Wittebergenſem, Adrianus Beyerus Nomenclatorem Profeſſorum Jenenſium, Eraſmus Vindingius Academiam Haffnienſem, Johannes Biſmarcus Vitas Theologorum Wittebergenſium, Andreas Sennertus Inſcriptiones Wittebergenſes, Erhardus Cellius vitas Profeſſorum Tubingenſium, Melchior Sebizius Catalogum Profeſſorum Argentinenſium, Antonius de Wood Hiſtoriam Univerſitatis Oxonienſis, &c.

Hi inquam, omnes & ſinguli ſcripſêre notatu æternitateque digniſſima. Hîc verò Nobiliſſimus atque Excellentiſſimus Dominus Doctor Paulus, Pauli filius, Freherus, Medicus quondam Noribergenſis feliciſſimus, νῦν ἐν ἁγίοις, quæcunque in hiſce omnibus ac Singulis operibus ſparſim ſunt contenta, intra duodecim Annorum ſpatium, & quod excedit, incomparabili labore & ſudore, mediante Opere iſto, exhibuit. Cùm autem antequam illud prelo ſubjiceretur, dictus Dominus Doctor vitam cum morte commutârit, Carolus Joachimus, Pauli Freheri ex fratre Nepos, Medicus Practicus Norib. in hoc opere jure hæreditatis ad ipſum devoluto, ordinem accuratiſſimum, auctionemque haud contemnendam indefeſſo ſtudio hinc inde à viris Doctis per literas acquiſitam, mediantibus quatuor diſtinctis partibus (in quarum primâ Theologi, ſecundâ Juriſconſulti, tertiâ Medici, & quartâ Philoſophi continentur & exhibentur) præciſè obſervavit, cumque aliis Eruditis de variis contulit. Irrepſêre, fateor, Sphalmata haud levia hinc indè, ex. gr. vox: *Cæſaris* pro *Cæſareis*; *Concilium Conſtantienſe* pro *Tridentino* & vice verſa; *Annus diesq; natalis* B. Lutheri planè omiſſus, & multa alia, quæ Humanitas Tua, Benevole Lector, ceu ſpero, in meliorem partem interpretabitur. Valeas inter hæc pancraticè, opusque hoc in ſuccum & ſanguinem convertere ne dedigneris. Iterum Valeas.

PARTIS

Digitized by Google



Digitized by Google


N.1.
21.
INNOCENTIVS VIII
PONTIFEX MAXIMVS
NICOLAVS V PONTI
FEX MAXIMVS.
PIVS II.
PONTIFEX MAXIMVS
LEO X.
PONTIFEX MAXIMVS
HADRIANVS VI
PONTIFEX MAXIMVS
PAVLVS III.
PONTIFEX MAXIMVS
MARCELLVS II
PONTIFEX MAXIMVS.
PAVLVS IV.
PONTIFEX MAXIMVS
GREGORIVS XIII
PONTIFEX MAXIMVS.
VRBANVS VII
PONTIFEX MAXIMVS
GREGORIVS XIV
PONTIFEX MAXIMVS
INNOCENTIVS IX
PONTIFEX MAXIMVS.
CLEMENS VIII
PONTIFEX MAXIMVS.
URBANVS VIII
PONTIFEX MAXIMVS.
HUGO DE S. CARO vel
CARENSIS. CARDINALIS
S. BONAVENTVRA
CARDINALIS.

PARTIS PRIMÆ,
QUÆ
THEOLOGOS
continet,
SECTIO PRIMA
PAPARUM
eruditione ſingulari celebrium.

Obiit A.C. 1254.

INNOCENTIUS IV.
Pontifex Maximus,
Vocatus anteà SINNIBALDUS FLISCUS.

SInnibaldus, antea vocatus *Januenſis*, ex nobili *Fliſcorum* familiâ fuit. Audivit Bononiæ *Azonem* jam ſenem, *Accurſium*, & *Jacobum Balduinum*. Eruditione & Juriſprudentiâ omnibus ætate ſuâ præſtitit, quapropter & inter Cardinales cooptatus, & demùm Pontifex Maximus ipſo Natali S. Johannis Baptiſtæ, Anno 1241. creatus, *Innocentii IV.* nomen accepit.

Juris Conſultus.

Cardinalis & Papa.

Ordinavit primus hic, ut dignitas Cardinalium Papali proxima, in Eccleſiâ Romanâ haberetur. Primus hic itidem Anno 1243. Cardinalibus rubeum Galerum dignitatis ornamentum addidit, ceu ſignum, Cardinales pro ſalute & incolumitate Eccleſiæ ſanguinem vel ad necem usque profundere paratos eſſe.

Tradunt, eum, poſt *Synodum Lugduni* habitam, (in qua *Fridericum II.* Imperio abdicavit,) cum ibidem longiùs moraretur, Commentarios ſuos in Decretales conſcripſiſſe: qui in tantâ apud poſteros authoritate dignationeque fuerunt, ut plerique Patrem veritatis *Innocentium* appellaverint. In eo tamen à quibusdam reprehenſus eſt, quod, dum brevis eſſe laboravit, obſcurus fuerit.

In Synodo Lugdunenſi ſcribit Commentarios in Decretales.

Memorabile autem & hoc eſt, quod quanquam Pontifex jam Commentarios illos ediderit, non tamen majorem illos authoritatem aliorum Scriptis habere ipſe voluerit, ingenueque ſæpè fuerit profeſſus, *non hoc cogitâſſe ſe, cum commentaretur, ut Gloſſæ ſuæ jus facerent*; quaſi diceret: Veritatem nullius præjudicio gravari, ſed libera tam Scriptorum quàm Lectorum judicia eſſe debere.

Tandem duodecimo Pontificatus ſui Anno, Chriſti verò 1254. Beatæ Luciæ Virginis luce, *Neapolin* à Proceribus Regni Siciliæ evocatus, ibidem mortuus eſt, ſepultusque ad S. Laurentium.

Teſte *Joh. Balæo*, die mortem præcedente, vocem hanc in cubiculo ſuo audivit: *Veni miſer ad Judicium Dei!*

Succeſſit autem Innocentio *Alexander IV. Camp.*

Scripſit & edidit præter *Comment. in Decretales.* *Ejus Scripta.*

De Juriſdictione Imperii & authoritate Pontificis Romani Librum.
De Poteſtate Imperii & Eccleſiæ.
Annotationes ad Jus Pontificium.
Apologeticum contra Petrum Vineam.
De Poteſtate Eccleſiaſtica Apologeticum.
Interpretationes in Vetus Teſtamentum.
Vitam S. Guilielmi Epiſcopi 79. Briocenſis.
Regulam Clariſſarum lib. I. comprehenſam.
Exceptionum librum.
Authenticas, quas addidit ad Gregorii IX. Decretales.
Epiſtolarum ad diverſos lib. I.
* *Ex Vitis Juriſconſultorum recentium Johannis Fichardi, & aliis.*

NICOLAUS V.
Pontifex Maximus,
Vocatus anteà THOMAS SARACENENSIS.

Obiit A.C. 1455.

HUmili loco natus Sarezenæ, ditionis Lucenſis oppido, in *Concilio Baſileenſi* aulæ Magiſter fuit apud *Cardinalem S. Crucis* Anno 1447. Menſ. Mart. Pontificatum ſibi delatum invitus ſuſcepit.

Papa invitus creatus.

Teſtibus *Æneâ Sylvio*, *Platinâ*, & *Volaterrano*,

A terrano,

terrano, primus ſuo ſeculo literarum ſtudia, literatus ipſe, ab interitu vindicavit, ita ut Græcæ & Latinæ literæ, quæ amplius 600. annis in tenebris jacuerant, tum demum ſplendorem aliquem adeptæ ſint.

Literarum reſtaurator.

Miſit ipſe literatos per omnem Europam, quorum induſtria libri conquirerentur, qui majorum negligentiâ & Barbarorum rapinis jam perierant: nam & *Poggius* tunc *Quintilianum* invenit, & *Aſculanus Marcum Cœliam*.

Huic Pontifici acceptiſſimi fuerunt in transferendis authoribus Græcis *Georgius Trapezuntius*, *Laurentius Valla*, *Horatius Romanus*, *Demetrius Græcus*, *Nicolaus Perottus*, & *Johannes Tortellinus Aretinus*. A viris inſuper doctis tot ei fuerunt inſcripta Volumina, quot neque ſuorum Anteceſſorum, nec Imperatorum cuiquam. In Bibliothecâ præterea Vaticanâ librorum circiter 3000. Volumina condidit.

Anno 1450. in Jubilæo Romæ ſub ipſo celebrato, 200. circiter homines in Ponte S. Angeli calcatione & preſſurâ obierunt, aut in Tyberim detruſi exſpirârunt, cum pro indulgentiis à templo ad caſtrum S. Angeli accurrerent.

Reliquit theſaurum duodecies centum millium aureorum, comparatum in bellum Turcicum, ut ſcribit *Joach. Curæus Med. in Annalibus Sileſiæ.*

Romæ tandem obiit 9. Cal. Aprilis, Anno Chriſti 1455.

* *Ex variis Authoribus.*

PIUS II.

Pontifex Maximus,

Vocatus antea ÆNEAS SYLVIUS.

Obiit A.C. 1464.

NAtione Tuſcus, *Sylvii Piccolominei* & *Victoriæ* filius, Corsmiani, quod oppidum eſt in agro Senenſi, natus eſt 19. Oct. An. 1405.

Fuit primùm à Secretis *Dominici Capranici* Card. S. Crucis, poſtea *Nicolaum Albergotum* Card. Bononienſem ſecutus, apud eum per quoddam tempus manſit. Inde Canonicus Eccleſiæ Tridentinæ factus, *Baſileam* ad *Concilium* ſe contulit, ubi magno ſemper in honore eſt habitus: fuit enim in eâ Synodo primò Clericus ceremoniarum, poſt literarum Apoſtolicarum abbreviator.

Secretarius.

Canonicus Tridentinus.

Legatus inſuper à Papâ *Felice V.* ad Imperatorem *Fridericum III.* miſſus, ab eo inter intimos familiares admiſſus, Secretarius ejusdem factus, ab eoque Poëta, Laureâ receptâ, creatus eſt. Oratoris poſtea munere fungens, ad Papam *Eugenium IV.* hoc eo tempore Romæ mortuo, Conclavi, quo *Nicolaus V.* Pontifex creatus eſt, præfuit: & cum ab *Eugenio* Subdiaconus Apoſtolicus fuiſſet ſalutatus, à Nicolao ſucceſſore primò Epiſcopus Tergeſtinus, mox Senenſis factus eſt.

Secretarius Imperatoris Friderici III.

Epiſcopus Senenſis.

A *Calixto* verò S. P. in alterâ ſuâ Cardinalium ordinatione, cum aliis quinque Diaconis Cardinalis primò S. Euſtachii, mox S. Sabinæ Presbyter ordinatus eſt Anno 1452. Mortuo autem *Calixto III.* in Conclavi apud S. Petrum, decimo ſeptimo vacantis ſedis die, ſeptendecim Cardinalium ſuffragiis Pontifex Maximus renunciatus eſt Anno 1458. & *Pii II.* nomen accepit.

Cardinalis.

Pontifex Maximus.

Statim autem Concilii Baſileenſis Decretum, quo vectigalia annalia ex beneficiis exigi prohibitum, maximè improbavit, miſſoque ad *Ludovicum XI.* Galliæ Regem Legato, quamvis curia cum Theologis reclamaret, impetravit, ut Sanctio Pragmatica, quâ pater ipſius *Carolus VII.* eadem tributa vetuit, aboleretur.

Vectigalia annalia ex beneficiis eccleſiaſticis repetit.

Anno 1460. Academiam Baſileenſem inſtituit, cujus primus Rector *Georgius ab Andelau*, Eccleſiæ Baſil. Præpoſitus factus eſt.

Academiam Baſileenſem inſtituit.

Dietbericum, Archi-Epiſcopum Moguntinum, dejecit & excommunicavit, quod exactiones decimarum in Germaniâ improbaſſet, & Legatis Pontificiis permittere noluiſſet, ut arbitratu ſuo Clerum convocarent. Subſtituit autem ei *Adolphum* Comitem Naſſoviæ, unde grave bellum exortum, quo *Fridericus I.* Palatinus, cognomento Victorioſus, nô modò *Dietbericum* reſtituit, ſed inſuper adverſæ factionis exercitum fudit, captis tribus Principibus, Badenſi, Metenſi, & Würtenbergenſi Anno 1562. quibus Fridericus primâ cœnâ nihil panis apponi voluit, quod, contra belli leges, & ſegetes & molas omnes incendio deleviſſent.

Dietericum Archi-Epiſcopum Moguntin. dejicere conatur.

Anconæ tandem in Piceno, quo ſe bellum Turcis illaturus contulerat, non ſine ſuſpicione veneni mortuus eſt 15. Auguſti, A.C. 1464. ætatis 59. & ſepultus Romæ jacet in Eccleſiâ S. Petri juxta Altare D. Andreæ.

Moritur.

Succeſſit ei *Paulus II.*

Author cœterùm dicitur hic *Pius II.* diſtichi notiſſimi:

Non audet ſtygius Pluto tentare, quod audet
Effrenis monachus, plenaque fraudis anus.

Scripta, & ab eo edita, ſunt ſequentia:

Ejus Scripta.

Lib. de Educatione puerorum, quem in gratiam Ladislai Regis Bohemiæ & Hungariæ, diſcipuli quondam ſui, ſcripſit.

Hiſtoria gentis Bohemicæ, à principio usque ad Georgium Podiebracium, Ladislai ſucceſſorem.

De Veritate Chriſtianæ Religionis.

Hiſtoria Aſiæ minoris & Europæ, Veterum ſimul ac Recentiorum res memoratu dignas complectens, maximè quæ ſub Friderico III. apud Europæos, Chriſtiani cum Turcis, & aliis hoſtibus fidei, tum etiam inter ſe, vario bellorum eventu, commiſerunt.

Comment. in quatuor Libros Antonii Panormitani, de Dictis & Factis memorabilibus Alfonſi Regis Arragonum.

Epitome Decadum Blondi, quâ omnis ab Imperio Romanorum Hiſtoria, quæ cœpit ferè Anno Chriſti 407. per centum & amplius annos compendioſè comprehenditur. Extat autem Patavii hoc Manuſcriptum in Bibliotheca Eccleſiæ Cathedralis.

Quæſtionum lib. I.

Dialo-

Digitized by Google

Dialogus contra Bohemos & Thaboritas, de communione corporis Chriſti.

Faſciculus rerum expetendarum & fugiendarum.

De miſeriis Curialium lib. I.

De Studio Venandi Lib.

Practica artis amandi Equitis Franci & Mulieris Italicæ.

Orationes XXIV.

Epigrammata varia.

Epiſtolarum ad diverſos Lib.

De arte Grammaticâ Libellus, ad Ladiſlaum Regem Bohemię, adhuc adoleſcentem.

Rerum ſui temporis in Italiâ geſtar. Lib. XII. quod opus, nondum abſolutum, cum vitâ finivit, vetuitque publicari, niſi emendaretur.

De Hæreſi Huſſitarum.

De Concilio Baſileenſi & ejusdem erratis.

Germania, quâ continentur gravamina Germanicæ nationis.

Ad Nicolaum Cuſanum Lib. I.

De Concilio Baſileenſi Lib. I.

De rebus à ſe geſtis.

* *Ex Elogiis Pontificum Romanorum Onuphrii Panvinii, & aliis.*

Caſp. Cunradus Med. D. in Proſopographiâ Melicâ hoc ei ſcripſit diſtichon:

Papa Pius, *qui Scriba prius, nunc Sacra miniſtro:*
Ingenii eſt teſtis terra Bobema mei.

* * *

Celebratur autem Liber ejus præ reliquis *de Moribus & Origine Prutenorum.*

Bullam etiam *Retractationis* nomine edidit, quâ Appellationes à Papâ ad Concilium vetat, vanasq; has execrabiles, peſtiferas, & irritas pronunciat.

In aliâ *Bullâ* Univerſitati Colonienſi inſcriptâ, Auguſtini exemplo, ſua quædam retractat, quæ Juvenis ac pænè Laicus ſcripſerat; pœnitere ſe autem dicit, quod Dialogum, & alios Libros ſcripſerit pro authoritate Concilii: Papam præterea eſſe Monarcham Eccleſiæ, de cujus peccatis nemo, excepto ſolo Deo, cognoſcere poſſit.

Vide Hiſtoriam Pontificum Jacobi Revii.

Legatus ejus *Marinus*, literas Indulgentiarum venales in Sueciâ circumferens, magnam pecuniæ vim corraſit, quam obrem in *Pium* ſic luſit quidam:

Vendidit ære polum, terras in morte reliquit:
Styx ſupereſt Papæ, quam colat, una Pio.

* *Ex Dialogo de Patriis Viror. doctor. Joh. Andr. Quenſtedt.*

* * *

Æneas Sylvius Senenſis, ex parentibus mediocris fortunæ natus, commendatione literarum, quæ tunc in Italia renaſcebantur, venit in notitiam Potentum, & primùm fuit Scriba Concilii Baſileenſis. Deinde à *Caſparo Schliccio*, Cancellario *Friderici* Cæſaris, qui amabat ſtudia doctrinæ, impetravit locum in aulâ. Ibi cum innotuiſſet Cæſari, & probaretur ipſius induſtria, commendatus eſt illi *Epiſcopatus Tergeſtinus*, tandem etiam *Senenſis*, & cum migrâſſet in curiam Pontificis, adſcriptus cœtui Cardinalium, præcipua negotia ſub *Calixto* gubernabat, illique mortuo ſucceſſit: Ita ut ætate illâ luſiſſe videretur natura, quæ & ad præcipua Regna evexit homines tenuiores, & faſtigium Monarchiæ Pontificiæ attribuit homini inopi, & pænè ignobili.

* *Ex Annalibus Sileſiæ Joach. Curei Med. D.*

* * *

Ejus quasdam ſententias recitat *Platina*: Litigiatores ſcilicet dicebat eſſe aves; forum aream; judicem rete; patronos aucupes. Vinum, quod mentem excitet, non quod obruat, ſumendum. Dignitatibus homines dandos, non dignitates hominibus. Qui multos regit, à multis regatur oportet. Ut in mare flumina omnia, ſic vitia in magnas aulas fluere. In rebus divinis non quâ ratione probetur, ſed à quo dicatur, animadvertendum. Plebejis argenti, nobilibus auri, principibus gemmarum loco literas eſſe debere. *Quædam ejus ſententiæ.*

Hic *Æneas Sylvius* cum quædam ſuppreſſiſſet ac damnâſſet Pontifex, quæ privatus ſcripſerat, hoc ſcommate à quodam notatus eſt: Quod *Æneas* probavit, *Pius* damnavit.

* *Ex Indice Chronologico Abrah. Bucholceri.*

LEO X.

Pontifex Maximus,

Vocatus anteà JOHANNES MEDICES.

Obiit A.C. 1521.

Filius *Laurentii Medices* Florentiæ Principis, 8. April. 1492. demortui, natus eſt 9. Decemb. A. C. 1475. Liberaliter educatus, bonisque à primâ ætate literis inſtitutus, Præceptorem habuit, præter alios, *Angelum Politianum*, quem familia *Medicea*, ſicut alios viros eruditos, fovit. *Angeli Politiani diſcipulus.*

Fuit itaque *Leo*, ut naturâ, ita diſciplinâ ac conſuetudine manſuetus, vir placidus & liberalis, qui doctos amavit, ipſe nimirum eleganter doctus, & invitatis ad ſe viris doctis è Græciâ profugis, literarum inſtaurationem in Italiâ plurimùm adjuvit. *Literatorum Patronus.*

Anno 1488. ætatis 13. in Cardinalium ordinem à S. P. *Innocentio VIII.* allectus, & 11. April. An. 1513. in locum demortui *Julii II.* Pontifex Rom. coronatus eſt, eâdem die, quâ anno prægreſſo Legatus *Julii* ad Ravennam à Gallis captus erat. *Cardinalis.* *Papa creatus.*

An. 1516. *Laurentii Puccii* Cardinalis impulſu, ut pecuniam undiq; conquireret, Diplomata per omnia Chriſtiani Orbis Regna miſit, quibus delictorum expiationem pollicitus eſt, conſtituto pretio, quod quisque pro peccati gravitate dependeret, in eamq; rem per Provincias Quæſtores & æraria ordinavit, quibus additi Præcones, qui tanti beneficii magnitudinem populo commendarent. *Modus acquirendi pecuniam.*

1. Julii An. 1517. Cardinales 31. unâ vice creavit, & inter hos *Franciſcum Urſinum*, virum militarem.

Digitized by Google

Martinum Lutherum excommunicavit.

15. Junii An. 1520. *Martinum Lutherum, Johannis Tetzelii*, Indulgentiarum Papalium præconis, adverſarium, poſtquam Romam An. 1518. citatus non comparuiſſet, Bullâ editâ excommunicavit, quod & rurſus 28. Martii A. 1521. factum.

Ducem Urbinatem, quandam ob cauſam, Ducatu privavit, & in ejus locum nepotem ſuum ex fratre *Laurentium*, *Catharinæ Mediceæ* Francor. Reginæ Parentem, ſubſtituit; Inque *Ducem Ferrarienſem* idem, ſed fruſtra, tentavit.

Cum aliquando *Huldricus Huttenus*, Nobilis Germanus, Ferrariam tranſiens, ſupra portam Urbis hos Characteres conſpiceret MCCCCLX. eos comitibus ſuis ita expoſuit: *Multi Cœci Cardinales Creârunt Cœcum Leonem X.*

Ejus judicium de immortalitate animæ.

Scribunt quidam de hoc Pontifice, quod aliquando ad menſam accerſiverit duos inſignes Philoſophos, ut eorum Diſputationes de animarum poſt mortem ſtatu audiret: Cumque alter ipſorum pro immortalitate, alter contra eandem acerrimè pugnaſſet, & tandem Pontifici controverſia dirimenda fuiſſet propoſita, reſpondiſſe fertur ei, qui immortalitatem animæ tutatus eſt: Vera tu quidem affirmas; ſed alterius Oratio vultum facit hilariorem: Addens, placere ſibi veterem Cornelii Galli verſiculum:

Et redit in nihilum, quod fuit ante nihil.

Inter aulæ ſuæ familiares habuit *Camillum Quernum*, Poëtam facetum, Archipoëtam vulgò vocatum, qui aliquando coram Pontifice, podagrâ decumbente, ſtans, ab eo verſum ex tempore, pro more ſuo, recitare juſſus, dicere cœpit:

Jocus Poeticus.

Archipoëta facit verſus pro millibus unus.

Vel:

Archipoëta facit verſus pro mille poëtis.

Reſpondente Papa:

Et pro mille aliis Archipoëta bibit.

Cum inde riſus eſſet exortus, replicuit *Quernus* ad famulum adſtantem:

Porrige, quod faciat mihi carmina docta, falernum:

Cui Papa iterum reſpondit:

Hoc etiam enervat debilitatque pedes.

Cum ad Sutorem quendam Florentinum per jocum diceret: Vos Mechanici miſeri eſtis, quorum nomen apud nos ignotum eſt. Reſpondit ille: Sancte Pater, nomen veſtrûm, licet Principes ſitis, æquè nobis ignotum eſt, ego enim, jam ſenex, nullius Papæ nomen novi, præter tuum; quod ſi conterraneus meus non eſſes, meâque utereris operâ, & hoc etiam ignorarem.

Cum aliquando ipſi Alchimiſta quidam Libellum dono dediſſet, in quo modus, ex ſtanno Anglico argentum, & ex cupro aurum conficiendi, deſcriptus erat, huic præmii loco marſupium vacuum donavit, & juſſit illud auro & argento pro libitu implere.

Liberalitas ejus.

Paulus Jovius de eo libros IV. ſcripſit, & inter alia retulit, quod ſummè delectatus fuerit in donandâ pecuniâ ruſticis pauperibus, viris, fœminis, pueris, & puellis. Hi enim cum fortè ipſi peregrinanti ovum obtuliſſent, bove remunerati ſunt; Horumque debita *Leo* ſolvit, & filias pauperes dote honoravit.

Scripſit idem *Jovius*, quod poſt obitum ejus *Alfonſus* Dux Ferrariæ, cui *Leo* ſemper adverſus fuerat, Monetam cuderit, in cujus uno latere Agnus, & juxta eum Leo ore hiante ſtetit, cum hac inſcriptione: *Agnus ex ore Leonis ereptus.*

Toxici tandem, (ut creditur,) violentiâ conſumptus, à *Barnabâ Malaſpinâ* Cubiculario propinati, obiit 1. Dec. A.C. 1521. ætatis 46. Alii præ lætitiâ mortuum eſſe ſcripſerunt, cum nuntium de recuperato & à Gallorum jugo liberato Mediolano percepiſſet.

Baptiſta Mantuanus hoc ad illum ſcripſiſſe fertur diſtichon:

Sancte Pater, ſuccurre, Leo, Reſpublica Chriſti
Labitur, ægrotatq́; fides jam proxima morti.

In *Leonem* præterea ita luſit *Jacobus Sannazarius*:

Sacra, ſub extremâ, ſi fortè requiritis, horâ,
Cur Leo *non poterat ſumere? vendiderat.*

* *Ex Promptuarii Iconum inſigniorum à Guilielmo Rovillio editi parte II. & aliis.*

HADRIANUS VI.

Pontifex Maximus,

Vocatus anteà HADRIANUS FLORENTIUS.

Obiit A.C. 1523.

Filius textoris.

PArentis nomine, gentis Batavæ more, cognominatus *Adrianus Floriſius*, ſive *Florentius*, Ultrajecti natus eſt An. C. 1459. ubi Pater ejus, ut quidam ſcripſêre, textrinam exercuit pannorum.

Cancellarius Academiæ Lovanienſis.

Cum Theologorum apud Lovanienſes Collegii alumnus fuiſſet, & Sacris ſe conſecrâſſet, eos in virtute & doctrinâ progreſſus fecit, ut tractu temporis Baſilicæ D. Petri Decanus & Academiæ Cancellarius omnium ſuffragiis renunciaretur.

Præceptor Imperatoris Caroli V.

Anno 1506. cùm *Philippus* Hiſpaniarum Princeps mortuus eſſet, relicto filio ſexenni *Carolo*, huic avus Imp. *Maximilianus* Præceptorem daturus, hunc *Adrianum* præ aliis elegit. Cum autem *Carolus* non tantum temporis & operæ literis perdiſcendis, quantum equorum & armorum ſtudiis impendiſſet, vix tantum didicit, ut Latinè loquentes intelligeret: Imperator poſtea factus *Carolus*, cum Genuæ Oratorem quendam audiviſſet, nec plenè ſatis percepiſſet, ingenuè faſſus eſt, dare ſe nunc puerilis incuriæ pœnas, & *Hadrianum* Præceptorem vatem ſibi pœnitentiæ hujus fuiſſe.

In Hiſpaniam poſtmodùm ad *Ferdinandum* Catholicum Regem amplo Legationis munere *Hadrianus*, miſſus, virtutis ergò Dertuſanus

Digitized by Google

Epiſcopus Dertuſanus & Cardinalis. tuſinus in Catalauniâ Epiſcopus, exindè à S. P. *Leone X.* An. 1517. Cardinalis cum aliis 30. creatus eſt, & tandem toti Hiſpaniæ cum imperio à grato diſcipulo præfectus.

9. Jan. An. 1522. Poſt mortem *Leonis X.* Cæſare *Carolo V.* urgente, abſens (raro & inuſitato exemplo) Pontifex Maximus 39. Patrum Purpuratorum ſuffragiis creatus eſt. *Pontifex Maximus.* Tunc Lovanienſes honoris ergò Trophæum erexerunt, ſequenti additâ inſcriptione aureâ: *Trajectum plantavit: Lovanium rigavit: Cæſar incrementum dedit.* Adſcripſit autem quidam: *Hic Deus nihil fecit.*

Ob vitam frugalem parùm placuit Romanis. In conferendis Sacerdotiis perquàm parcus fuit, quod nullis ea, niſi idoneis & doctis, danda judicaret.

Sæpius conqueſtus eſſe fertur, miſeram eſſe Pontificum conditionem, ut quibus rectè faciendi facultas deſit, etiam cum maximè velint, & in id diligentiam impendant.

Symbolum ejus. Symboli loco uſurpavit Virgam Aaronis florentem, & amygdali flores proferentem, cum hac inſcriptione: *Inſperata floruit.* Quo pacto ad familiæ ſuæ cognomen alludere, ſeque, præter ſuam aliorumque ſpem, ad tantum repentè faſtigium fuiſſe evectum, docere voluit, teſte *D. Joachimo Camerario Embl.* 52. *Centur. I.*

Collegii Pontificii fundator Lovanii. Ædes ſuas Lovanii in celebre Theologorum Collegium, Pontificium inde dictum, convertit, quod tamen prius ex bonis ante Pontificatum acquiſitis dotaverat.

Poëtæ cuidam impudenti, verſibus plurimis ſubindè *Hadrianum* moleſtanti, ſequens diſtichon repoſuit:

Deſine, pro numeris nummos ſperare Poëta,
Carmina ſi dederis, carmina reddidero.

Ad hæc Poëta extemplò:

Ni tibi pro numeris nummos fortuna dediſſet,
Non eſſet capiti tanta corona tuo.

Ex Hiſpaniâ Romam petentem Adrianum *Salomonius*, J. C. & Eques Romanus, cum magnificâ gratitudine exciperet, oſculoque pedes (more ſolito) peteret, inter alia in hæc *Hadrianus* prorupit verba: *Princeps, qui ſupra Principalem gloriam, ſubditorumque ſalutem, alia petit, non Princeps, ſed Tyrannus, exiſtit: Pauco ego cibo & potu ventriculum ſaturare, veſtibusque tenuioribus corpus tegere didici, reliqua omnia, quanta quanta etiam ſint, in uſum totius Chriſtiani gregis erunt transferenda.* *Temperantia Hadriani.*

Altero mox Pontificatûs anno, poſt Chriſtum natum 1523. ætatis 64. rebus humanis exemptus eſt non ſine veneni clam oblati *Ex veneni ſuſpicione obiit.* ſuſpicione. Jacuit primùm in Vaticano duos inter *Pios, II. & III.* poſt ad S. Mariam de Animâ, Auguſto Mauſoleo, à *Guilielmo Enkefortio* Brabanto, quem unicum creavit Cardinalem, conditus eſt hoc Elogio:

ADRIANUS VI. PONT. MAX.
TRAJECTO INSIGNI INFER. GERMANIÆ URBE ORIUNDUS, DUM HUMANAR. RERUM MAXIME AVERSARETUR SPLENDOREM, ULTRO A PROCERIBUS OB INCOMPARABILEM SACRAR. DISCIPLINARUM SCIENTIAM, AC PROPE DIVINAM CASTISSIMI ANIMI MODERATIONEM, CAROLO V. CÆSARI AUGUSTO PRÆCEPTOR, ECCLESIÆ DERTUSENSI ANTISTES, S. SENATUS PATRIB. COLLEGA, HISPANIAR. REGNO PRÆSES, REIPUBL. DENIQUE CHRISTIANÆ DIVINITUS PONTIFEX ABSENS ADSCITUS. VIXIT ANNOS LXIV. DECESSIT XVIII. CAL. OCTOB. ANNO A PARTU VIRGINIS cIↃIↃ XXIII.
PONTIFICATÛS SUI ANNO II.

Aliud ipſe ſibi confecit modo ſequenti:

ADRIANUS VI. HIC SITUS EST, QUI NIHIL SIBI INFELICIUS IN VITA, QUAM QUOD IMPERARET, DUXIT.

Tranquillus Moloſſus hoc ei ſcripſit Epitaphium:

Quod bonus & recti cuſtos, quod Pacis amator
Correctorque Aulæ luxuriantis eras:
Scilicet hâc unâ ex causâ, vir ſancte, periſti,
Vixiſſes annos Neſtoris improbior.

Scripſit, cum Lovanii Profeſſor Theologiæ adyta reſeraret: *Ejus Scripta.*

Quæſtiones & Expoſitiones Sententiarum.

Quæſtiones XII. quodlibeticas varii argumenti.

Lib. de Sermone Latino, & modis Latinè loquendi.

Libros IV. de verâ Philoſophiâ ex IV. Eccleſiæ Doctoribus conſcriptos.

Venationem ad Aſcanium Card. verſibus Phalecis ſcriptam.

Cardinalis & Epiſcopus Dertuſenſis in Hiſpaniâ ſcripſit:

Computum hominis agonizantis.

De Sacculo pertuſo, ſive de Superbiâ Sermonem.

Pontifex Max. ſcripſit, miſitque

Epiſtolam ad Germaniæ Principes, quâ eos ad concordiam ſervandam hortatur.

Ad Fridericum Sax. Ducem, & Senatum Urbis Bambergenſis.

Ad Deſiderium Eraſmum Roterodamum, quâ illum Romam vocat, hortaturque, ut aſſurgat in adjutorium cauſæ Dei, ſtilumque in Lutherum ſtringat.

Inſtructionem ad Franc. Cheregatum, Epiſcopum Interamnenſem, quem A. 1522. Legatum Norimbergam miſit ad Ord. Imp. Conventum.

* *Ex Athenis Belgicis Franc. Swertii: Et ex Promptuario Iconum inſigniorum à Guil. Rovillio edito, variisque aliis.*

PAULUS III.

Pontifex Maximus,

Vocatus anteà ALEXANDER FARNESIUS. Obiit A. C. 1549.

PEtri *Ludovici Farneſii* filius, natus 28. Febr. 1468. in locum *Clementis VII.* 7. Kal. Oct. A. C. 1533. defuncti 3. Id. Nov. electus, *Onuphrius V.* primùm, mox *Paulus*

Digitized by Google

Paulus III. dici voluit. Is ſobrietate, vultus gravitate, raro eruditionis ſplendore, ac poſtremò corpuſculi affectatâ imbecillitate profundam ambitionem diu celaverat, quam adeptâ dignitate manifeſtam omnibus reddidit.

An. 1534. *Alexan rum Farneſium* ex filio *Petro Ludovico* nepotem 15. annorum, & *Guidonem Sforziam*, ex filiâ *Conſtantiâ Farneſiâ, Bozonis Sforziæ* uxore nepotem, Cardinales creavit.

Anno 1538. Imperatorem *Carolum V.* & *Franciſcum* Galliæ Regem, bello feſſos, apud Niceam convenit, & in concordiam eos redegit.

Legatos inſuper miſit in Germaniam, quibus mandata dedit, de integro S. Cœnæ uſu permittendo, cum quibusdam cibis lege Papali vetitis permittendis omnibus, qui ab hæreſi Lutherana ad Eccleſiam Romanam redire vellent.

Anno 1540. *Ordinem Jeſuitarum* confirmavit.

Carolus V. pedes Pauli oſculo petit.

An. 1541. Cum *Carolus V.* Romam veniſſet, ipſi obviam ivit, ibiq; Imperator, equo deſcendens, genubus flexis pedes Pontificis oſculatus eſt. Hanc ob rem vero adeò elatus eſt Pontifex, ut in rei memoriam in illo loco columnam marmoream erigi curârit cum ſequenti inſcriptione:

Monumentum hujus rei.

E Lybiâ advenit Romanas victor ad arces
Cæſar, & in niveis aureus ivit equis.
Ille triumphavit, ſed tu plus, Paule, *triumphas,*
Victor namque tuis oſcula dat pedibus.

Anno 1543. Filium ſuum *Petrum Aloyſium Farneſium* Parmæ & Placentiæ Ducem creavit.

Concilium Tridentinum indicit.

5. Nov. An. 1545. *Concilium* univerſale *Tridenti* habendum indixit, quod M. Dec. ejusdem anni, urgente Imperatore *Carolo V.* inchoatum eſt, & continuatum ad A. 1547. quo *Bononiam* fuit translatum, ſed & ibi intermiſſum, donec A. 1551. *Tridenti* reſtauratum, & finitum demum fuerit A. 1563.

Odium contra Proteſtantes.

Anno 1546. Imperatori *Carolo V.* ad belli contra Lutheranos ſuſcipiendi fomentationem 500. equites & 12000. pedites ſubſidio miſit, cum aliquot centenis millibus Ducatorum, ac durante belli illius tempore cunctis militibus ſtipendia dedit: Evulgato quoque Diplomate Chriſtianos omnes hortatus eſt, ut puras ad Deum fundant preces, pro felici belli contra hæreticos ſuſcepti ſucceſſu.

Cum autem tandem *Octavium* nepotem, Parmæ & Placentiæ Ducem, cum Imp. *Carolo V.* omiſsâ Patris *Petri Aloyſii* cœdis ultione, in gratiam rediiſſe per literas cognoviſſet, dolore atque irâ ſimul & indignatione ſubitò oppreſſus, in deliquium incidit, ac parum abfuit, quin pronus in terram caderet; â circumſtantibus enim miniſtris ſuſtentatus lectoque impoſitus, ubi vocis uſu amiſſo 4. horar. ſpatio pro mortuo eſt habitus. Demùm collectis ſpiritibus, febre violentâ correptus, intra triduum deceſſit,

Ex indignatione mortuus.

4. Idus Novemb. Anno Chriſti 1549. ætatis 82. ſedis 15.

Moriens, ſuorum ingratitudinem ſæpius cuſavit, ſe felicem dictita s, ſi nunquam nuiſſet.

Raræ eruditionis Papa.

Vir præterea *Paulus III.* fuit ſummæ prudentiæ, & raræ eruditionis, ſed qui, plus juſto, privatis affectibus indulgens, exiſtimationis ſuæ ac Reip. Chriſtianæ periculum parvi fecit, dum ſuorum ambitioni ac libidini ſatisfaceret.

Aſtrologiæ divinatrici valdè addictus, Lucam *Gauricum Geophauenſem*, magni nominis Aſtrologum, ſemper, dum vixit, familiariter habuit, privato colloquio & menſâ dignavit, ac tandem Epiſcopatu Civitatenſi donavit.

Pridiè quàm obiit, vectigalia, quæ ſalinis, & aliis rebus, non ſine populi gemitu, impoſuerat, abolevit, tardiore beneficio, quàm ut ex eo gratiam ſperare poſſet.

Cum aliquando Cardinalium quidam ab ipſo beneficium efflagitaret, quod Papa ſalvâ ipſi conſcientiâ non poſſet concedere, Cardinalis offenſus exprobravit ipſi, quod operâ potiſſimum ſuâ, in eâ dignitate ſederet. Huic vero reſpondit *Paulus*: *Si tu me Papam feciſti, Papam etiam impoſterùm me eſſe permittas.*

Ante Urbem quodam tempore deambulans, cum Senem quendam ruſticano veſtitu, corpore formoſo, barbâ prolixâ canâ ad cingulum porrectâ vidiſſet, ad ſeſe accerſitum quæſivit, cujus eſſet ætatis, & quâ ratione viveret? Tum ſenex reſpondit: Annos jam vixi 90. de fructibus prædii mei, in quo quotidiè laborans vitam traduxi tranquillam cum uxore, liberis, nepotibus & pronepotibus, nunquam autem victum & amictum cõſuetum mutavi, nec horam ordinariam cibum ſumendi transgreſſus, à cibis delicatis abſtinui. Reſponſum id adeò Pontifici placuit, ut ipſi penſionem annuam 100. ducatorum ad vitæ reſiduæ ſuſtentationem commodiorem aſſignarit. Sed ſenex gratiis pro tanto beneficio humiliter actis addidit, ſe certò ſcire, donarium hoc ſibi mortem acceleraturum: innuens, non minus moleſtum eſſe divitias poſſidere, quàm acquirere.

Vitia ejus.

Mortuo tandem, ut dictum, multa, etiam libris editis, criminosè vitio data ſunt, quod bona ſcilicet pauperum dilapidaſſet, in nepotes omnem Eccleſiæ ſubſtantiam abſumpſiſſet, Mutinam & Regium, quæ ad Imperium pertinent, Ferrariæ Duci vendidiſſet, Parmam & Placentiam alienâſſet, calumniosè Cæſarem & Regem Galliæ incuſaſſet, quod hic cum Proteſtantibus, ille cum Anglo amicitiam coluiſſet, cum ipſe cum Turcâ, *Alexandri VI.* exemplo, occultum commercium habuiſſet; quod denique in rebus ſuis ſemper Aſtrologos, & in his *Lucam Gauricum*, conſuluiſſet. Exprobrata inſuper ei fuere adhuc in vivis, filii *P. Aloyſii* flagitia & obſcœnitates, de quibus cum nonnunquam audiviſſet, hoc ſolùm conſuevit dicere

cere

cere, Filium non commonſtrante Patre hæc didiciſſe.

Succeſſit ei *Julius III.*

Scripſit

Verſus quosdam.

Ciceronis Epiſtolas ad Atticum magno eruderavit ſtudio, &, interpoſito hinc inde judicio, declarationibus illuſtravit.

Epiſtolas ad diverſos.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken, & aliis.*

MARCELLUS II.

Pontifex Maximus,

Vocatus anteà MARCELLUS CERVINUS.

Obiit A.C. 1555.

POſt *Julii III.* S. Pontificis mortem, 18. die electus fuit. Is Fano in agro *Piceno Montepulciano* natus, *Ranutii Farneſii* vero Cardinalis, *Alexandri* fratris, cujus Præceptor erat, favore præcipuè ſublevatus, ſub eorum avo *Paulo III.* S. P. ob eruditionem ſummam & cum gravitate conjunctam morum probitatem ad magnos Curiæ Romanæ honores evectus, poſtremò ipſius *Alexandri* commendatione in Cardinalium Collegium cooptatus fuerat A. 1535.

Cardinalis eruditus.

Pater *Richardus*, Aſtrologiæ judiciariæ ſcientiâ clarus, cum filio Marcello ex ſtellarum conjunctione ſummam in Eccleſiâ dignitatem prædixiſſet; Marcellus verò à *Caſſandrâ Benciâ* matre ad nuptias invitaretur, pertinaciter id recuſavit, Nolle ſe, inquiens, clariorem longè fortunam, quàm ſibi aſtra cœlibi portenderent, matrimonii vinculis commutare.

A patre Aſtrologo Papa prædictus.

Statìm ubi M. Aprili A. 1555. electus eſſet, ut grati animi ſpecimen exhiberet, ſe daturum operam dixit, ut Farneſii intelligerent, familiæ ſuæ beneficio *Paulum III.* in ſe revixiſſe.

Sed cum valetudine parùm proſperâ uteretur, adhæc Comitiorum incommodis valdè debilitatus eſſet, duodecimo poſt die febre decubuit, quâ imminutâ, imminui ſenſim vires cœpêre; tandem verò apoplexiâ correptus 5. Kal. Maji A. C. 1555. ætatis 55. & 22. Pontificatûs die ex hâc vitâ migravit, & juxtà S. P. *Nicolai V.* monumentum conditus eſt, vir rarâ eruditione, prudentiâ, & ſanctitate vitæ cum antiquis comparandus, & ſub quo certa ſpes emendandæ Eccleſiæ affulſerat, niſi ipſum, quod multò ante, ſe vereri, non diſſimulaverat, Pontificii faſtigii altitudo, quæ alios plerosque merſit, fortè fuiſſet depravatura. Nam cum anagnoſte de more ſacros libros aut Patrum veterum Scripta, dum cibum caperet, recitante, poſt longum ſilentium in memoriam revocaſſet *Adriani VI.* verba, quibus miſeram Pontificum Romanorum conditionem deplorabat, menſâ manu percuſsâ ſubjecit, *Non videri ſibi, quomodo, qui faſtigium hoc tenerent, ſaluti ſuæ conſulere poſſent.*

Papa 22. dierum.

Eâdem, quâ electus eſt, die, Japonenſis quidam Romam venit, qui, per urbem obambulans, ad quendam ex amicis dixit: Procul dubio Papalis electio feliciter ſucceſſit, & vir probus dignitatem eam adeptus eſt. Cuidam autem, unde conjiceret hæc? ſciſcitanti, reſpondit: Quia pauperes lætantur. Papa verò electus, nomen, ut mos aliàs, mutare recuſavit, ſequentibus prolatis: Nec nomen, nec mores meos mutabo; ſed *Marcellus* fui, *Marcellus* ero.

Succeſſit ei *Paulus IV.*

Scripſit

Epiſtolas varias.

Conſtitutionem Eccleſiaſticam de prorogatione ſubſidii trecentorum millium ſcutorum.

* *Ex Thuano potiſſimùm enucleato Gerardi à Stöcken.*

PAULUS IV.

Pontifex Maximus,

Vocatus anteà JOH. PETRUS CARAFFA.

Obiit A.C. 1559.

MOrtuo Romæ S.P. *Marcello II.* poſt longas & acres Comitiales contentiones, *Joh. Petrus Caraffa* in Pontificem electus eſt. Pater fuit ei *Johannes Antonius Caraffa*, Montorii in Marrucinis Comes, *Diomedis* Mataloniæ Comitis filius, illuſtri inter Neapolitanos familiâ ortus. *Johannes Petrus* verò ab ineunte ætate totum ſe ſtudiis dedit, trium linguarum cognitione & Theologiæ ſcientiâ apprimè inſtructus.

Theologus trium linguarum peritus.

Cum itaque Romæ in contubernio *Olivarii Caraffæ* Cardinalis, agnati ſui, aliquanto tempore fuiſſet, à S. P. *Julio II.* Theatæ in Marrucinis Epiſcopus creatus fuit, unde Patres Theatini vocati, qui eodem prorſus vitæ inſtituto vitam agunt, quo ii, qui Jeſuitæ poſtea, novo, atque, ut plerisque viſum eſt, ſuperbo nomine appellati ſunt.

Epiſcopus creatus.

Cum autem poſt plerasque cum laude ſepoſitas Legationes Neapolim, in Angliam & Hiſpaniam, Brunduſino Epiſcopatu ab Imp. *Carolo V.* donatus eſſet, non ſolùm eum reſpuit, ſed etiam jure adeptum dimiſit, & in montem Pricium conceſſit, ibique à rerum humanarum curâ vitam alienam per aliquot annos egit, inſtituto Sacerdotum ſodalitio, qui paupertatem, caſtitatem & obedientiam, more cœterorum, profeſſi, votis ante aram Vaticanam, approbante *Clemente VII.* nuncupatis, ſe illi ſocios adjunxerant. Ii autem fuêre initiò *Cajetanus*, *Tienæ Comes Vicentinus*, *Bonifacius Cellenſis Alexandrinus*, & *Paulus Conſiliarius Romanus*.

Epiſcopatum Brunduſinum reſpuit.

Peculiare ſodalitium inſtituit.

Demùm à *Paulo III.* Concilii Oecumenici celebrationem perſequente, evocatus, A. C. 1536. in Cardinalium Collegium cooptatus eſt, variâ hominum famâ ob id jactatus, cum quidam ſanctiſſimum virum, à tranquillioris vitæ portu ad publicæ adminiſtrationis fluctus ſe revocari paſſum, ſummis laudibus extollerent, alii id factum ut levitatis

Cardinalis.

Digitized by Google

levitatis & ambitionis plenum improbarent. In eo munere cum morum gravitate, doctrinæ præſtantiâ, eloquentiâ, & in dicendâ ſententiâ libertate, magnam autoritatem aſſecutus eſſet, autor Pontifici fuit, ut Inquiſitionis tribunal, ad pullulantes eo tempore pravas de religione opiniones reprimendas, opportunum, ut rebatur, ac neceſſarium remedium inſtitueretur.

Autor Inquiſitionis Romanæ.

Tandem Pontifex 44. Cardinalium ſuffragiis renunciatus, in memoriam optimè de ſe meriti Pontificis *Paulus IV.* dici voluit, die 23. Julii A. C. 1555.

Papa factus.

Rogatus ſtatim poſt adeptam dignitatem, quânam ratione & ipſe & *Joh. Alfonſi* fratris filii victuri eſſent? Magnificè, inquit, & ut ſummum Principem decet. Itaque magnâ & ſumptuosâ admodùm pompâ Coronam à *Johanne Bellajo* Epiſcopo Oſtienſi ſumpſit: Et ita ſeveritas illa, ex quâ emendationem in Eccleſiaſticâ diſciplinâ quidam ſperabant, citò in ſuperbiam verſa eſt.

Splendidè coronatus.

Sequenti ſtatim anno publico edicto lectionem Adagiorum *Eraſmi* prohibuit.

An. 1556. Regnum Neapolitanum ad Petri ſpectare Patrimonium pronuntians, bellum contra *Philippum II.* Hiſpaniæ Regem ſuſcepit, & Regem Gallorum *Henricum II.* in auxilia ſua pellexit; Cum verò 1557. Hiſpani victoriam ad S. Quintinum reportâſſent de Gallis, pacem cum iis fecit.

An. 1558. Confirmare recuſavit *Ferdinandum* Imperatorem, quod pacem eccleſiis Auguſtanæ Confeſſionis conceſſiſſet.

Poſt ſenio effœtus, ægritudine ex Henrici II. Galliæ Regis morte contractâ, Regni illius vicem ſe dolere dictitans, aquâ intercute laborans, Kal. Sept. A. 1559. Cardinales in cubiculum ſuum convocatos integris ſenſibus & ſanâ mente compellavit, ſe viam univerſæ carnis ingredi, ac diutius vixiſſe, quàm ſperare potuiſſet, petere itaque ab iis, ut ſi negligentior in cogendo Senatu fuiſſet, quàm ratio officii poſtulare videretur, id ætati & adverſæ valetudini condonarent. Deinde hortatus eſt, ut in optimo Succeſſore deligendo vota conjungerent. Poſtremò ut ſanctiſſimum, (ſic illud vocabat,) Inquiſitionis officium, quo uno S. Sedis autoritatem niti affirmabat, commendatum haberent.

Ultima ejus verba.

Dimiſſis Patribus, cum *Bartholomæus Cueva*, Cardinalis Hiſpanus, qui remanſerat, caſum ſe Reip. Chriſtianæ, ſi tali Paſtore tam triſti tempore orbaretur, dolere diceret, Pontifex Hiſpanicâ linguâ reſpondit, ſe ita vitæ curſum inſtituiſſe, ut quoties ex hâc mortali vitâ abeundum eſſet, Deum vocantem æquo ac propenſo animo ſequeretur: Tum hanc ſe fiduciam ſolari, quod Regem Hiſpaniæ *Philippum II.* ſtrenuum Catholicæ fidei defenſorem relinqueret, quo Vindice Rempublicam Chriſtianam, quantumvis afflictam, recreari, & in priſtinum ſtatum reſtitui poſſe minimè dubitaret. Tandem deceſſit 5. Kal. Sep. A. C. 1559. ætatis 83. Pontificatûs 4.

Obitus ejus.

Eo jam animam agente, apertæ ſunt ſtatim, vetere inſtituto, omnes urbis cuſtodiæ, & à furente populo incenſus eſt Carcer novæ Inquiſitionis, iis, qui eo attinebantur, emiſſis, vixque plebs cohiberi potuit, quin incendium in Dominicanorum ædem ad Minervam intentaret, odio Inquiſitionis, cui exercendæ illi à S. Pontifice præpoſiti fuerant.

Carcer Inquiſitionis incenſus.

Nec tamen hoc modo ſatiatum odium: Nam ſtatim quorundam impulſu in Capitolium impetu ab amente plebe facto, caput cum dexterâ manu ejus ſtatuæ, quæ in Palatio è marmore Pario, nobilis artificis manu, à S.P.Q.R. magno ſumtu poſita ei fuerat, præciſum, ac toto triduo per Urbis vias ſummo ludibrio provolutum, tandem autem, ubi publica rabies elangvuit, bonorum quorundam miſericordiâ, ne diutius ſpectaculo tam fœdo hominum oculi aſſueſcerent, in Tyberim projectum eſt.

Statua ejus è Capitolio deturbata.

In Tyberim projecta.

Deinde cautum Popul. Rom. edicto, ſed incerto autore promulgato, ut *Caraffæ* familiæ inſignia ex Urbe tollerentur, adjunctâ in eos, qui non obtemperâſſent, perduellionis pœna. Nusquam tum temporis major in ſummâ licentiâ parendi alacritas, nullumque ferè eo die Caraffarum inſigne in Urbe reliquum fuit.

Interim demortui cadaver à collegis B. Petri ſuccollantibus in Baſilicam Vaticanam tenui pompâ illatum, præterque morem, militari manu, metu populi, ibidem aliquandiu ſervatum, ac lateritio tandem tumulo ad tempus conditum fuit. Demùm autem ſeptimo poſt mortem ejus anno *Pius V.* ut benè de ſe merito Pontifici gratiam referret, magnificum è marmore Monumentum ad Minervam, *Pyrrhi Lignorii* Neapolitani operâ, in Majorum ſuorum Sacello exſtruendum curavit.

Sepultura ejus.

Succeſſit ei *Pius IV.*

Scripſit

Scripta.

De Obſervatione quadrageſimali.
De Emendanda Eccleſia ad Paulum II.
De Symbolo.
Orationes aliquot, præſertim unam in *Sadoleti* funere habitam.
Regulam Clericorum Regularium, ſeu Theatinorum.
Epiſtolas ad Varios.
Indicem librorum prohibitorum.

Cardinalis adhuc de Eccleſiæ Romanæ corruptelis graviter conqueſtus eſt, libro, quem P. M. *Paulo III.* inſcripſit.

* *Ex Thuano enucleato Gerhardi à Stöcken, & aliis.*

GREGORIUS XIII.

Pontifex Maximus,

Voc. anteà HUGO BONCOMPAGNUS.

Obiit A.C. 1585.

PIo V. defuncto, altero die, cum Cardinales conclave poſt novendiales preces ingreſſi eſſent, omnium conſenſu Pontifex renuntiatus eſt *Hugo Boncompagnus*

pagnus Bononienſis, Mercatoris filius, 7. Januar. An. 1502 natus, Juris utriusque doctrinâ clariſſimus, utpote qui in Jurium Profeſſorem primò, Protonotarium dein Apoſtolicum Romæ, poſt Epiſcopum Veſtæ, Legatum ulterius Hiſpanicum & Cardinalem, tandem in Pont. Max. electus eſt Ann. 1572. nomine *Gregorii XIII.*

Jurium Doctor.

An. 1573. Romæ Collegium Jeſuitarum novum magnis locupletavit reditibus, è quibus continuò centum ſuſtentarentur ſtudioſi, ſperans, hâc ratione lapſum jam in Germaniâ Papatum ab univerſo liberare ſe poſſe interitu.

Calendarium introducit Gregorianum.

Menſe Junio, Anni 1582. Auguſtam Vindelicorum ad Comitia prima ab Imperatore *Rudolpho II.* ibi celebrata, Calendarium novum à ſe, ope tamen *Aloyſii Lilii*, celeberrimorumq; ex toto Chriſtiano orbe Mathematicorum, correctum transmiſit; juſſitque à quarto ad decimum quartum Octobr. dies præteriri decem, ita, ut quartus menſis dies haberetur pro decimo quarto, Æquinoctiorumque ac Solſtitiorum dies ſic ad metas reducerentur antiquas, quas in Concilio Nicææ habito S. Patres olim determinârunt. An. 1584 Calendarium hoc Imperatoris *Rudolphi II.* juſſu ſuſceperunt Sileſia, Luſatia, Bohemia & Moravia, cum reliquis tantùm Imperii Statibus Pontifici addictis.

Tres Regum Japoniæ Legati eum acceſſerunt.

Sub Hujus vitæ ferè finem, *Japoniorum Regis, Franciſci Regis Bungi, Prolufii Regis Arimenſis*, & *Bartholomæi Omuriæ Principis Legati*, à Patribus illis, qui aliquot Inſulanorum ad fidem Chriſti converterant, excitati, Romam venêre, cum 3. annos & menſem in itinere conſumpſiſſent. Cumque magnâ pompâ ad Pontificem, Cardinalium Principumque coronâ cinctum, 10. Cal. April. deducerentur, poſt ſolennem adorationem & pedum oſculationem, literæ in Italicum ſermonem verſæ Regum, à quibus miſſæ erant, recitatæ ſunt, cum magnificis titulis Pontifici delatis. Nam inſcriptio literarum *Regis Bungi* hæc erat: Adorando & cœli Regis locum in terris obtinẽti Sanctiſſimo P.P. Subſcriptio verò: Sanctiſſimis pedibus Beatitudinis Veſtræ ſubſtratus F. R. B. *Prolufii* literæ ſic inſcriptæ erant: Reddatur epiſtola magno illi & Sancto Domino, quem adoro, Dei vices gerenti; & ſubſcriptæ: S. V. ſubſternitur calceis D. P. *Omuranorum* deniq; Principis ita inſcriptæ erant: Sublatis manibus adorans offero hæc Sanctiſſimo D. P.P. magni Dei vices gerenti; ac ſubſcriptæ: Ego Dux *Bartholomæus* ſanctis ejus pedibus humi ſubſtratus. Iis recitatis, & habitâ pro Japoniis à *Caſp. Conſalvo* Soc. Jeſu Sacerdote Oratione, cui ab *Ant. Bucapadulio*, juſſu Pontificis, reſponſum, cum ſummâ honoris & lætitiæ ſignificatione dimiſſi ſunt.

Subitò mortuus eſt.

Huic tamen lætitiæ non diu ſuperfuit; nam 4. Idûs April. ſubitâ infirmitate correptus, à prandio defecit, & tantùm extremâ unctione procuratus, animam Deo reddidit A. C. 1585. ætatis 83. cum ſedi præfuiſſet 13. annos. In Baſilicâ S. Petri, in Sacello à ſe exſtructo, magnificè ſepultus.

Mortuum laudavit *Stephanus Tuccius*, Jeſuit. Soc. ſodalis, habitâ ad S. Collegium Oratione in Vaticano 15. Kal. Maj. quâ præcipuam ejus curam fuiſſe dixit, ut exſtructis Scholis pietatis tot propugnacula ſectariis opponeret: ſic enim *Prutenis* & *Suecis Brandenburgenſem*, *Lithuanis Vilnenſem*, *Pragenſem Bohemis*, *Marcomannis Olomucenſem*, *Viennenſem Auſtriacis*, *Styriacis Græcenſem*, *Dacis Claudiopolitanam*, *Dillinganam Noricis*, *Fuldenſem Saxonibus*, *Muſſipontanam Scotis* & *Hibernis*, *Remenſem Anglis*, *Mediolanenſem Helvetiis* deſtinâſſe.

Scholas 12. in Europâ erexit.

Cum autem ei vivo ſtatua marmorea in Capitolio poſita fuiſſet, poſt mortem ejus idipſum ei opus dedicatum eſt, additâ, pro Elogio, hâc inſcriptione:

Elogium.

OB FARINÆ VECTIGAL SUBLATUM, URBEM TEMPLIS AC MAGNIFICENTISSIMIS OPERIBUS EXORNATAM, HS. OCTINGENTIES SINGULARI BENEFICENTIA IN EGENOS DISTRIBUTA, SEMINARIUM EXTERARUM NATIONUM IN URBE, AC TOTO PENE TERRARUM ORBE, RELIGIONIS PROPAGANDÆ CAUSA INSTITUTUM, OB PATERNAM IN OMNES GENTES CHARITATEM, QUA EX ULTIMIS NOVI ORBIS INSULIS JAPONIORUM REGUM LEGATOS, TRIENNALI NAVIGATIONE AD OBEDIENTIAM S. R. EXHIBENDAM PRIMUM VENIENTES PRO PONTIFICIA DIGNITATE ACCEPIT.

Ejus virtutes.

Mitis fuit cœterùm ingenio, & moderatâ prudentiâ præditus. *Jacobum Boncompagnum*, filium naturalem, invidioſis opibus auctum, ad maximos ſtatim evexit honores. In civili etiam diſciplinâ, ſive innatâ animi manſuetudine, ſive vitio ætatis erat remiſſior, ita, ut exules inde fiduciâ ſumtâ, non jam in Pontificiæ ditionis & Regni Neapolitani limite, quod frequenter accidit, ſed in medio Latio, ac plerunque mediâ luce, urbem ingreſſi, impunè rapinis, ſtupris ac cædibus graſſarentur.

Defectus animi.

Inſigne etiam & obnoxii animi exemplum fuit, cum *Pontius Pontianus, Ant. Pontii* illuſtris in Santonibus familiæ Principis filius & hæres, formâ & virtute præſtans juvenis, à domeſtico quodam Cardinalis *Altempſii*, quem Papa impensè diligebat, nefariâ proditione interfectus eſſet: Nam comprehenſo ſicario, multorum annorum perſecutione nihil obtineri potuit, donec Pontifex, Oratore Gallico inſtante, & publicâ expoſtulatione Nobilitatis Romanæ victus, tandem ab *Altempſio* impetravit, ut de vili homine ſupplicium ſumi æquo animo pateretur.

Gregorio autem defuncto, ſuffectus eſt *Sixtus V.*

Scripſit

Ejus Scripta.

Epiſtolas varias ad Magnates.
Conſtitutiones varias Eccleſiaſticas.

Corpus Juris Canonici edi curavit.
Calendarium perpetuum.
* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken, & aliis.*

URBANUS VII.

Pontifex Maximus,

Obiit A.C. 1590.

Vocatus anteà JOHANNES BAPTISTA CASTANÆUS.

MOrtuo *Sixto V.* & peractis novendialibus precibus, itum in conclave eſt more ſolito,& cum per continuos 6. dies crebra de *M. Antonio Columnâ* mentio fuiſſet, ſubortis repentè difficultatibus, votorum ſummâ concordiâ cuncti in *Johannem Baptiſtam Caſtanæum*, Cardinalem S. Marcelli, conſenſerunt, & dilatâ nihilominus in diem ſequentem electione, eum Pontificem renuntiârunt 17. Kal. Octob.

Nobilis Romanus. Nobili autem is familiâ ortus, Romæ natus eſt, *Coſmo* patre Genuenſi, matre *Ricciâ* Romanâ. *Juris utriusque peritus.* Adoleſcens adhuc, juri Civili ac Pontificio ſedulam operam navaverat, & tractandis negotiis cum parem ſe oſtendiſſet, ad *Concilium Tridentinum* à *Pio IV.* miſſus, *Legatus ad Concilium Tridentinum.* dein in *Hiſpaniam* Orator legatus (ubi per ſeptennium in aulâ Hiſpanicâ vixit) ac poſtea *Venetias*, quo tempore *Henricus III.* è Poloniâ rediens patriam repetebat.

Extra ordinem quoque Legatus poſteà miſſus eſt *Coloniam Ubiorum*, ut negotio de Pace, quod à Leodienſi Epiſcopo inter *Philippum II.* & *Ordines Belgii* tractabatur, intereſſet, & Pontificiam autoritatem interponeret.

Cardinalis. Indè reverſus, in Cardinalium Collegium à S. P. *Gregorio XIII.* cooptatus eſt, quo defuncto, cum *Sixto V.* viam à S. Crucis Hieroſolymitanæ Baſilicâ ad S. Mariam in viâ Flaminiâ recto tramite perducere deſtinanti aſſiſteret, *Omina Pontificatûs.* futuri Pontificatûs omen accepit. Siquidem Pontifex, cum de opere conſummando deliberaret, ſive deſperaret, ad Cardinalem eum, S. Marcelli dictum, converſus: *Hanc tu viam*, inquit, *aliquando perficies.* Et cum paulò ante mortem cœnanti, pira allata eſſent, uno ac altero ſectis, & putrefactis intus repertis, faſtidienti ſimilis dixiſſe fertur: *Non jam piris, ſed caſtaneis opus eſſe*, ſeipſum per pira, quippè *Piretium* antea vocatum,& pira in inſignibus ob id geſtantem, innuens, per caſtaneas autem *Caſtanæum* Succeſſorem deſignans.

Prima Papæ vox prudens. Novus autem hic Pontifex *Urbanus VII.* dici voluit, primaque ejus vox plena moderatæ prudentiæ fuit: nam cum amiculo byſſino, quod ex ſubtiliſſimo, ac proindè leviſſimo, lino textum erat, indueretur, *Mirari ſe*, dixit, *quod res tam levis virum tantoperè gravaret*, onus impoſitum ſentire ſe ſignificans.

Elogium ejus. Primo Pontificatûs die pecuniam amicis largitus eſt, Cameræ & ſibi quoque privatim à quibusdam debitum remiſit, liberalis animi ſpecimine edito; Suos etiam, ne auctâ fortunâ ſuâ ad majores dignitates aſpirarent, aut ſe propterea magis efferrent, monuit; addiditque inſuper, Succeſſoribus ſe exemplum relicturum, quatenus privatis affectibus eſſet indulgendum. Domeſticis porrò uſum ſericarum veſtium prohibuit; deſcriptis deniq; pauperû per Parœcias nominibus, eleemoſynas largè diſtribuit; annonæ præcipuam curam habiturum ſe, nulliſque ſumtibus ad eam rem parſurum dixit, Chriſti mandatum Petro, vicario ſuo, ad communis gregis paſcendas animas datum, quaſi de Populi Romani ſublevandâ anguſtiâ etiam intelligeretur, deflectens.

Modeſti poſtremò & grati animi indicium dedit, cum fabricas omnes à *Sixto V.* inchoatas perfici, & inſignia ac nomen ejus ſingulis inſcribi mandaſſet. Poſtridiè ægrotare cœpit, & ominoſum *Marcelli*, quod Cardinalis habuit, nomen in Pontificatum intuliſſe plerisque viſus eſt, quippè cum Deus tantùm eum Eccleſiæ oſtenderit, neque diutius Magiſtratu ſupremo defungi permiſerit. Inſignia itaque nec Inaugurationis ſumpſit, neque Cardinalem creavit, *Papa 13. dierum.* aut ulli alii dignitatem conceſſit; decimo tertio autem, poſtquam electus eſt, die, placidè ad Deum migravit, veneno, ut quidam ſcribunt, 17. Sept. ſublatus. Antequam moreretur, eâdem, quâ vixerat, moderatione *Ultima ejus verba.* hæc præfatus eſt, Deum, qui cuncta admirabili gubernat ſapientiâ, vidiſſe, ſe ſummo hoc faſtigio non eſſe dignum, & cum humanæ imbecillitatis, quæ cunctos peccati vinculis conſtrictos tenet, vitio facilè poſſet in pejora prolabi, iſta vincula ſolvere,& animam, quam dederat, à ſe propterea temporiùs repetere voluiſſe.

Mortuum laudavit luculentâ Oratione *Pompejus Hugonius.*
Succeſſit ei *Gregorius XIV.*
* *Ex Thuano Enucleato Gerardi à Stöcken.*

GREGORIUS XIV.

Pontifex Maximus,

Vocatus anteà NICOLAUS SFONDRATUS.

Obiit A.C. 1591.

URbano *VII.* paucorum dierum Pontifice, defuncto, poſt longas altercationes, facto concurſu, ad *Nicolaum Sfondratum*, Card. Cremonenſem, ſummo mane acceſſum, cunctique ad ejus pedes provoluti Pontificem renuntiarunt Nonis Dec. Anno 1590.

Huic pater fuit *Franciſcus*, Senator Mediolanenſis, eruditionis & prudentiæ ſpectatæ vir, *Filius Senatoris Mediolanenſis.* cujus operâ magnis in negotiis *Carolus V.* Cæſar olim uſus eſt, & poſteà *Paulus III.* à quo, cum uxorem patriâ Veſontinam paulò antè amiſiſſet, in Collegium Cardialium cooptatus, & à *Julio III.* Epiſcopatum Cremonenſem poſteà conſecutus eſt.

Hujus filius *Nicolaus* ſeptimeſtris, eoque *Jur. ſtud. Patavii.* naturâ infirmior, cum Juri civili operam Patavii dediſſet, poſteà aulæ Romanæ induſtriam

ſtriam ſuam addixit, & poſt patris mortem à *Pio IV.* qui Mediolanenſes impensè amabat, Epiſcopatu Cremonenſi donatus eſt.

Epiſcopus Cremonenſis.

Indè Tridentum miſſus ad Concilium, gravis ſententiæ inter Italos defenſor fuit, Divini Juris decretum eſſe, ut aſſidui ad gregem ſuum Paſtores eſſent, in quo illum, qui ad honores graſſabatur, imprudenter lapſum aulici exiſtimabant. Nihilominus cum in vitâ æquabilem ſemper tenorem ſervâſſet, meruit, ut à *Gregorio XIII.* in celebri 19. Cardinalium ordinatione Anno 1585. inter Purpuratos Patres accenſeretur.

Legatus ad Concilium Tridentinum.

Cardinalis.

Pontifex liberalis.

Pontifex creatus, ſtatim profuſâ largitate erga Cardinales uſus, ſingulis mille aureos numerari juſſit, ad ſarciendos diuturnioris Conclavis, ut ajebat, ſumtus: In bellum præterea Gallicanum quinquies centena aureorum millia de Publico, & de ſuo peculio 40. millia erogavit. Multa inſuper locis piis donavit, & contrariâ, quàm deceſſor ſuus, ratione domeſticos, Nobilium more, magnificè veſtivit, pecuniâ in eam rem liberaliter diſtributâ.

Pontifex ridiculus.

Cum familiari ſibi morbo tentari, ſequenti poſt electionem die, cœpiſſet, nihilominus mox Coronam more ſolenni ſumpſit, importuno riſu usquequaque renitens, & abſurdis geſticulationibus lætas acclamantium, & pro annonâ comprecantium voces excipiens, quod naturali imbecillitati & pravæ diducendi rictus conſuetudini potiùs, quàm inſolenti lætitiæ tributum, dicteriis in eum contemptus plenis poſteà occaſionem præbuit.

Demùm quinto ab inauguratione die, qui B. Luciæ ſacer eſt, in Lateranum per arcus triumphales in viis diſpoſitos conceſſit, ut plenam ſupremæ dignitatis poſſeſſionem acciperet, gratantium vocibus ubique exceptus, ſed inepto riſu obviis applaudens. Officia, quæ vocant, à *Sixto V.* Senatui Urbis & aliis avarè ademta, liberaliter reſtituens, magnam gratiam promeritus eſt.

M. Mart. Ann. 1591. Bullâ editâ ſub pœnâ anathematis prohibuit, ne quiſquam inpoſterùm thoro illegitimo natus Ordinem Monaſticum ſuſciperet.

Nepotem ex fratre Paulum Sfondratum Card. creavit.

Paulum Sfondratum, *Pauli* fratris jam defuncti filium abſentem Cardinalem dixit, nihilque ante ejus adventum in publicâ adminiſtratione fieri præcepit. Mox ad civem ſuum ſalutandum, Mediolanenſes legationem honorificam decreverunt, cui obeundæ deſtinati *Cuſani Marchio*, *Carolus Borromæus*, *Alexander Serbellonus*, & *Coriolanus Vicecomes*.

Interim *Gregorius* aliquoties febre continuâ vexatus, accedente difficultate urinæ ex calculi malo inveterato lethaliter decubuit, ut de eo jam actum putaretur. Itaque *Henricus Cajetanus* Cardinalis, tanquam magnus Camerarius, ſtatim evocatus eſt, ut annulum Piſcatoris pro more frangeret. Poſteà tamen paululùm convaluit, ſed mox recidivâ extinctus eſt 15. Octob. ſtyli novi, An. Chriſti 1591. ætatis 57. Pontificatus ſui menſe 10. die 10. cum prius vocatis Cardinalibus gratias egiſſet pro ſummâ dignitate in ſe collatâ, excuſatâ in Magiſtratûs adminiſtratione negligentiâ atque infirmitati ſuæ imputatâ. Tum Bullam de non alienandis bonis Eccleſiæ juxta *Pii V.* diploma promulgavit.

Obiit menſe 10. Pontif.

Calculus 2. unciar. in veſicâ mort. repertus.

Aperto poſt mortem corpore, in veſicâ repertus calculus duarum unciarum quadratus. Eâdem nocte corpus in S. Petri Baſilicam deportatum, & ſine pompâ in Gregoriano Sacello ſepultum fuit.

Brevi, quo ſedit, tempore, quinquies decies centena millia aureorum, à *Sixto V.* congeſta, abſumpſit, majorem partem in belli Gallici ſumptus, quod quàm injuſtè & imprudenter ſuſceptum, tàm infelicem ac dignum conſilio exitum habuit.

Pontificatus ejus fame & febribus notabilis fuit.

Sed & in ſublevandâ annonæ anguſtiâ ſe liberalem præbuit, 100000. coronatorum liberaliter depenſis. Tanta autem fuit tunc caritas non ſolùm in Urbe, ſed & in aliis civitatibus, ut frumenti menſura, quam vulgò Rubram vocant, 30. aureis, ac pluris, venderetur, adeò, ut multi fame perierint, qui mortui adhuc herbas in ore habere conſpiciebantur.

Ad hanc verò publicam cladem alia acceſſit, febrium, licet non contagioſarum, malignitas, cum fluxionibus continuis ac ventris flatibus, quorum acrimoniâ plerique in delirium incidebant, conjuncta. Origo mali à capite erat, nec ultra decimum diem eo correpti durabant. Cauſam rejciebant Medici in continuos imbres, & inſolitas ſuperioris anni inundationes, quas immodici æſtûs exceperant, quibus accedebat pravus corporum habitus, ex peſſimi alimẽti ſucco, tempore famis, contractus. Corripiebantur eo maximè viri ab anno æt. 30. ad 50. pauciſſimas verò mulieres tunc extinctas obſervatum.

Morbi hujusmodi præcipuè graſſati ſunt in Umbriâ, Flaminiâ, Hetruriâ, & Æmiliâ. In quibusdam Umbriæ Caſtellis ad unum omnes extincti, in aliis totæ familiæ conſumtæ ſunt. Pro certo affirmatum, in ſolâ Urbe à Sextili An. 1590. ad Sextilem ſequentis, 60000. plus minus hominum eâ peſte periiſſe.

Monachos Cardinales Galero rubro donavit.

Inſtante *Mich. Bonello Card. Alexandrino Dominicano*, Monachos Cardinales Galero rubro donavit, cum antea uſu receptum eſſet, ut galeros geſtarent colore in ſuo cujusque Collegio uſitato. Itaque 7. Id. Maji An. 1591. inter ſacra in æde S. S. Apoſtolorum ipſi *Alexandrino*, *Conſtantino Sarnano Franciſcano*, *Hieron. Bernerio Corrigienſi itidem Dominicano*, & *Greg. Petrochino Montelparo*, profeſſione *Eremitæ Auguſtiniano* rubrum pileum impoſuit.

Mortuum laudavit *Vincentius Blaſius Garſias Valentinus*.

Sedes poſt ejus mortem vacavit 11. dies, intra quos electus eſt *Innocentius IX.* Pont. 2. menſium.

Digitized by Google

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken, & aliis variis Hiſtoricis.*

Edidit

Decreta Provincialia, variis temporibus in Diœceſanis Synodis promulgata Italico idiomate.

INNOCENTIUS IX.

Pontifex Maximus,

Obiit A.C. 1591. Vocatus anteà JOH. ANTONIUS FACHINETTUS.

GRegorio XIV. mortuo, & novendialibus precibus exactis, altero, poſtquam in conclave itum eſt, die, *Joh. Antonius Fachinettus*, Cardinalis quatuor Sanctorum,
Jur. U. Doctor. Bononiæ natus, qui ut Jur. U.D. & ibidem olim publicè docuerat, magno omnium conſenſu Pontifex renunciatus, 19. Octob. An. 1591. *Innocentius IX.* dici voluit.

Omina futuri Papatûs. Pro omine futuri Magiſtratûs adipiſcendi acceptum eſt, quod cùm *Gregorio*, deceſſori ſuo, ad obedientiam præſtandam in genua procideret, infula de capite Pontificis in caput ejus deciderat, & cum cubicula in Conclavi Cardinalibus pro more diſtribuerentur, ſuum evenerat in eo loco, ubi, dum Conſiſtoria habentur, Sella Pontificia ſolet collocari.

Dum amictu Pontificio indueretur, ante omnia Bullam de non alienandis Eccleſiæ bonis confirmavit, eamque ſibi præcipuam curam fore profeſſus eſt, ut in Urbe eſſet annonæ copia, & tenuioris plebis egeſtati ſubveniretur.

Coronam autem 4. Non. Nov. ſumpſit non in S. Petri Scalis, ſicut prius fieri conſueverat, ſed loco commodiore, ex quo liber in Scalas eſſet proſpectus, ſumtusque fieri conſuetos mille minuit aureis.

Poſtridiè Conſiſtorium celebravit, &, poſt
Ejus præclara conſilia. gratias pro dignitate in ſe collatâ actas, multa ex uſu Reipublicæ, quæ facere apud animum ſuum conſtituerat, propoſuit, ut arcanum aliquod ærarium ſeponeretur, ad uſus S. Sedis neceſſarios, & populi ſublevandas calamitates.

Si quid comparandum aut emendum eſſet, id niſi præſenti pecuniâ fieri vetuit, dicens, ſe, quamdiu privatus Præſul Cardinalis fuiſſet, ſemper à contrahendis debitis abhorruiſſe, eundemque etiam morem velle Pontificem effectum ſervare.

Inſitâ ingenii & in negotiis tractandis tarditate, nihil ferè toto Magiſtratu egit, ſeriis deliberationibus in anni ſequentis initia rejectis.

Hiſpanis, non Gallis, favens. Hiſpanis, ut anteceſſor, favens, ſtatim ac electus eſſet, *Ducem Farnenſem* in Galliam reverti, & Regem *Henricum IV.* tanquam Hæreticum excommunicatum, bello petere juſſit.

Duos Cardinales creavit. Duos hic Pontifex 15. Cal. Januar. Cardinales creavit, *Antonium Fachinettum*, ſuum ex ſorore pronepotem, & *Philippum Segam*, Epiſcopum Placentinum in Gall. Legatum. Deſtinaverat etiam animo 50000. aureorum ſingulis menſibus in bellum Gallicum contra *Henricum IV.* Regem exſolvere, quousque Rex Catholicus in Regno crearetur, quæ ab eo tempore procederent, ex quo Parmenſis hoſtilem exercitum ad hanc expeditionem in Galliam duxiſſet.

Decreverat & ad commoditatem navigationis portum Anconitanum purgare, & juxta Mauſoleum in Transpontinæ veteris regione alveum excavare, aquis, ne Tiberis per Urbem regurgitaret, receptandis idoneum. Verùm hæc præclara conſilia mors ſubita interrupit, ſuperveniente febre, quæ virum corpore gracilem & jejuniis effœtum intra octiduum confecit.

Obiit 4. Kal. Januarii An. C. 1591. ætatis *Subitò mortuus eſt.*
72. cum ſediſſet menſes duos, quo tempore S. Salvatoris in Lauro ædes ornatiſſima incendio fortuito conſumta eſt.

Fuit in victu ſobrius, & tantùm ſemel in *Ejus Elogium.*
die cibum ſumpſit ſub veſperam; gravis inſuper in moribus ac ſermonibus, indque colloquio comis, & adeuntibus affabilis. Cum *Juriſperitus & Politicus.*
Juri operam adhuc in adoleſcentiâ dediſſet, totum ſe negotiis tractandis poſtea applicuit, ob idque lectione eorum, qui Politica ſcripſerunt, præcipuè oblectabatur. Multa etiam ſcribebat, & lucubrationes quasdam Publico aliquando dare conſtituerat.

In Cardinalis Farneſii familiâ primos fortunæ ad majora olim tendentis fecit progreſsûs, ejusque commendatione Neocaſtrenſis Epiſcopus in Calabriâ à *Pio IV.* creatus eſt. *Epiſcopus Neocaſtrenſis.* Apud Venetos inſuper ipſe Orator fœderi inter Pontificem, *Philippum II.* Regem Hiſpaniæ, & *Senatum Venetum* contra *Turcos* ſanciendo egregiam operam navavit. *Orator Venetus.* Demùm à *Gregorio XIII.* in Collegium Cardinalium cooptatus, tandem meruit, ut *Cardinalis.*
ſummus Pontifex crearetur.

Poſt ejus mortem Interregnum per menſem fuit unum; ac tandem *Clemens VIII.* electus eſt.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken, & aliis.*

CLEMENS VIII.

Pontifex Maximus,

Vocatus anteà HIPPOLYTUS ALDOBRANDINUS. Obiit A.C. 1605.

FLorentiâ oriundus nobili familiâ Fano, quæ civitas eſt in littore Adriatico inter Piſaurum & Senogalliam, natus parentibus *Sylveſtro*, qui Conſiſtorialis Advocati munere cum laude olim functus fuerat, & *Leſâ Delâ*.

Primum literarum tyrocinium, fovente *Jur. ſtud. Romæ, Ferrariæ & Bononiæ.*
ejus ſtudia *Alexandro Farneſio*, *Romæ* fecit, deinde *Ferrariæ*, poſtea *Bononiæ* Juri civili operam dedit, doctore *Gabriele Paleoto*, & à patruo *Johanne* Cardinali Romam evocatus, per omnes illius aulæ dignitates quaſi *Per omnes Aulæ Rom. dignitates promotus.*
per gradus promotus, poſtremò meruit, ut An. 1585. à S.P. *Sixto V.* in Cardinalium *Cardinalis.*
Collegium cooptaretur.

Mox

Digitized by Google

Legatus in Polon. Mox in *Poloniam* Legatus eſt miſſus, ubi res, ob Regni ſucceſſionem, periculoſè turbabantur, cum alii *Maximilianum Auſtriacum*, alii, & potior pars, *Sigismundum Sueciæ* Principem in Regem ſibi ſumpſiſſent, adeò, ut jam res ad belli aleam, & *Maximilianus*, confecto infeliciter prœlio, in *Sigismundi* manus veniſſet.

Papa conſecratus. Renuntiatus eſt Summus Pontifex 3. Kal. Febr. cum annum ageret 56, & 4. Non. Febr. An. C. 1592. ab *Alfonſo Geſvaldo*, Epiſcopo Oſtienſi, conſecratus, octavo poſt die coronatus, Inſignia à *Franciſco Sfortiâ*, Diaconorum Cardinalium Principe, ſuſcepit, & *Clemens VIII.* dici voluit.

An. 1598. Ducatum Ferrarienſem, *Alfonſo* Duce ultimo 16. Oct. anni prægreſſi ſine liberis defuncto, adeptus eſt.

Tyberis inundatio. 23. Oct. ejusdem anni ſub hoc Pontifice Romæ tanta Tyberis fuit inundatio, ut plures Urbis ædes ad medietatem usque eluerit, fundamentis illarum omnimodè convulſis, præterque pecorum multitudinem 1500. homines miſerè perierint: Damnum verò Urbi hac ratione illatum, multis aureorum myriadibus æſtimatum ſit.

Jubilæum undecimum. An. 1600. 1. Jan. Romæ Jubilæo undecimo ineunte, podagrâ quamvis *Clemens* graviter & pertinaciter laboráſſet, ipſe tamen, pro more, portam templi D. Petro ſacri aureo reſeravit malleolo.

Deceſſit tandem 5. Non. Martii A.C. 1605. cum 13. annos, menſ. unum, & dies 5. ſediſſet. Suffectus eſt ei *Leo XI.*

Scripta. Edidit

Conſtitutiones & Sanctiones varias ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantes.

Ceremoniale Epiſcoporum, & Breviarium Romanum.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati, & aliis.*

URBANUS VIII.

Pontifex Maximus, Vocatus anteà MAFFÆUS BARBERINUS.

Obiit A.C. 1644.

FLorentiæ, è nobili familiâ *Barberinorum* ultra 500. annos florente, patrem habens Mercatorem pauperem, natus eſt 5. April. A.C. 1568.

Jeſuitar. diſcipulus. Adoleſcens in ſcholâ patrum Societatis Jeſu, ſub *Horatio Turſellino*, & *Franciſco Bencio*, Magiſtris, plurimum profecit. Inde ad Philoſophiæ, Poëſeos, & Legum ſtudia pari felicitate contendens, in Aulam Pontificiam adſcitus, primùm utriusq; Signaturæ Referendarius, deinde Abbreviator, ut vocant, tùm Cameræ Apoſtolicæ Clericus ita ſe *Clementi VIII.* probavit, ut Nuntius Apoſtolicus in Galliam miſſus, ejus etiam nomine Regis filium *Ludovicum XIII.* de ſacro Baptiſmatis fonte ſuſceperit. *Clericus Cameræ Apoſtolicæ. Nuntius Apoſtolicus in Galliam.*

Cardinalis. Re in Galliâ benè geſtâ, à *Paulo V.* Summo Pontifice in Cardinalium ordinem cooptatus, & Epiſcopus Spoleti creatus eſt.

Pontifex Maximus. Sexto demùm Aug. A.C. 1623. ætatis 55. congregatis Romæ in conclavi 54. Cardinalibus, per 50. eorum vota Pontifex Maximus electus eſt; ubi hoc notatu dignum occurrit, quod paucis ante electionem diebus magna vis apum in Collegio Vaticano versùs Tuſciam convolaverit, & examen ſupra feneſtram futuri Pontificis cellam contingentem parieti adhæſerit.

Vigeſimo primo Dec. Añi ſequentis 1624. Jubilæi fecit initium, quod Uladiſlai Principis Poloniæ præſentia illuſtrius reddidit.

Gallis favens. Hiſpanis exoſus. An. 1637. cum Coronæ Galliæ nimium faviſſet, & in caſtellum Gandolfum aëris mutandi gratiâ conceſſiſſet, eo abſente, Cardinales Hiſpani clam convenientes de Papâ abrogando, inque Caſtello S. Angeli cuſtodiendo deliberárunt. Id cum *Urbanus* reſciviſſet, mox Romam reverſus, Collegium Cardinalium convocavit, & in pleno conſeſſu aſſurgens exclamavit: Ubinam novus eſt Papa, quem adorare deſidero? Hâc voce conſternati Cardinales Hiſpani, re infectâ diſceſſerunt.

Tempore Papatûs ſui viginti, & quod excurrit, Annorum, Cardinales creavit 56.

Frater ejus Anton Capucinus. Fratrem habuit *Antonium Barberinum*, qui pietatis ſtudio Capucinorum Ordinem ingreſſus, patrimonium ſuum huic fratri *Maffæo* tradidit, quo ille Clericatum Cameræ ſibi coëmit.

Dyſenteriâ tandem correptus, vitam clauſit Romæ 20. Julii A.C. 1644. ætatis 77. Papatûs 22.

Scripta. Scripſit & edidit

Poëmata varia, & imprimis Sacra, quæ juvenis in Linguâ Latinâ & Toſcanâ ſcripſerat, ad *Pindari* Poëtæ imitationem.

In Chriſti Domini, Beatæ Virginis, & aliorum Sanctorum dies feſtos Hymnos & Odas.

In aliquot Pſalmos & Cantica Novi & Veteris Teſtamenti Paraphraſin.

In Viros Illuſtres Epigrammata.

Oden Exhortatoriam ad Virtutem.

Decreta Eccleſiaſtica varia.

Conſtitutiones Eccleſiaſticas & literas Apoſtolicas.

* *Ex Theatro Italico virorum literatorum Hieronymi Ghilini, & ex aliis diverſis authoribus.*

Digitized by Google

PARTIS PRIMÆ,
QUÆ
THEOLOGOS
continet,
SECTIO SECUNDA
CARDINALIUM
ET
ARCHI-EPISCOPORUM
Germanorum & Exterorum Eruditione ſingulari celebrium.

Clar. A.C. 1240.

HUGO DE S. CARO, vel CARENSIS,
Cardinalis.

BArchionettæ, ſive in oppido S. Cari, ut alii exiſtimant, in Diœceſi Ebrodunenſi Delphinatûs Galliæ natus, primus ex ordine Prædicatorum ad Cardinalatum aſſumtus eſt, teſte *Sixto Senenſi lib. 4. Bibl.* & *Author primus* fuit *concinnandarum Biblicarum Concordantiarum*, ut ipſe prænotavit, laborioſiſſimi & immenſi tædii ac temporis, ſed ſacrorum Voluminum ſtudioſis magnoperè neceſſarii operis, quod deinde magno Eccleſiæ commodo auctum eſt & evulgatum. Hic denique primus eſt *Poſtillator Bibliorum*, copioſiùs ſcribens ſuper omnes *Libros Sententiarum*, è cujus Tractatibus & Poſtillis plerique poſtea hauſerunt.

Autor Concordantiarum Biblicarum.

Primus Poſtillator.

Claruit A. C. 1240.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

Obiit A.C. 1274.

S. BONAVENTURA,
Cardinalis.

NAtus eſt An. C. 1221. Balneoregii, oppido in finibus Hetruriæ. An. 1242 Ordinem *S. Franciſci* ingreſſus, ſeptimo anno pòſt prælegit Sententias Pariſiis. An. 1256 electus in Generalem Ordinis Minorum, hunc per annos octodecim continuos rexit. Factus poſtmodùm Epiſcopus Albanenſis & Cardinalis, unus fuit ex præcipuis Theologis Scholaſticis, qui, Theologiam & Philoſophiam commiſcendo, ex duobus bonis unum fecerunt peſſimum. A ſuis plerunque *Doctor Seraphicus* eſt ſalutatus.

Generalis Ordinis Minorum. Epiſcopus Albanenſis & Cardinalis.

Doctor Seraphicus.

Ob vitæ ſanctitatem & morum integritatem præceptor ejus *Alexander Alenſis* ſæpè de ipſo dicere conſuevit: *Videri ſibi Adamum in Bonaventurâ non peccâſſe*, uti refert *Sixtus Senenſis Libr. IV. Bibl.*

Ab eo habitum ſuum accepêre *Franciſcani*, ſive *Minoritæ*, nam antea Paſtorali ſchemate utebantur. Author quoque fuiſſe exiſtimatur Pſalterii S. Mariæ, aliarumque Precationum, in quibus B. Virgini Mariæ honores Divini tribuuntur, eique opus Redemtionis humanæ adſcribitur. Teſte *Joſepho Hallo* Epiſcopo Anglo *in Tractatu Germanico*, Die alte Religion.

Obiit in Concilio Lugdunenſi A.C. 1274. ætatis 53. Canonizatus eſt poſteà à Papâ *Sixto IV.* A.C. 1482.

Scripſit *varia*, quæ *in octo Tomos diſtributa* extant.

* *Ex Dialogo de Patriis virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt, Indice Chronologico Abrahami Bucholceri, & aliis.*

MARTINUS POLONUS,
Archiepiſcopus Gneſnenſis.

Obiit A.C. 1279.

ORdinis Prædicatorum, de nobili familiâ *Streporum*, apud *Nicol. III.* Pontificem Romanum Pœnitentiarius, vir doctrinâ inſignis, quiq; non familiæ ſuæ modò, ſed totius Poloniæ ferè ſub id temporis lumen clariſſimum fuit, quòd primus tum ex Polonis, adeoque ſolus ſcriptis inter extraneos inclaruerit, unde & *Polonus* à gente cognominatus eſt.

Primus in Polonia Scriptor clarus.

Cum Summo Pontifici *Nicolao III.* & ſuis in patriâ Principibus magnoperè gratus eſſet, in Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, poſt *Philippum* de domo Vienia vitarum An. C. 1278. ſublimatus fuit. Confirmatus itaque & inauguratus Romæ, dum

Archiepiſcopus Gneſnenſis.

Bolaslao

Digitized by Google

Moritur Bononiæ.

Poleslao Caliſſien. & *Primislao Bosnanien.* Ducibus evocantibus in patriam pergeret, apudBononiam infirmitate correptus,diem extremam clauſit, & in Cœnobio *D. Caſtoris* Fratrum Prædicatorum ſepultus quieſcit A. 1279.

Styli ſui monumenta reliquit:

Summam Juris Canonici, quæ *Martiniana* vocatur.

Chronicon Summorum Pontificum & Imperatorum ſummâ Latini Sermonis venuſtate ac puritate comprehenſum.

* *Ex Elogiis & Vitis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii.*

* * *

Archiepiſcopus quoque Conſentinus & Pœnitentiarius fuit *Innocentii IV.* Pontificis, quem *Bellarminus lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, natione Polonum fuiſſe ſcribit, virum ſimplicem, & fabellas pro hiſtoriis obtruſiſſe. Sed bilem in naſum ciebat, quod quædam de *Johanne*, Papâ fœminâ, enarrâſſet, (cujus Thaidis etiam ante ipſum mentionem fecerunt *Marianus Scotus*, qui mortuus eſt A. 1080. & *Sigebertus*,qui vixit circa annum 1101) quæ minus ad palatum Pontificum Baſiatori.

* *Ex Dialogo de Patriis virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

PETRUS RAICHSPALT,

Dictus aliàs Achzſpalt & Aichſpalt/ *Archiepiſcopus Moguntinus.*

Obiit A.C. 1320.

Parentes tenuioris conditionis.

TReviri ad Moſellam Urbe, quæ 1300. annis anteRomam condita traditur,ex parentibus vix modicas fortunas habentibus natus eſt.

Puer ob indolem egregiam literarum ſtudiis addictus, cum parentes ſumtibus amplius ferendis non ſufficerent, ludum literarium mutare coactus eſt.

Adoleſcens cantando & informando victum quærens.

Ad exteros igitur digreſſus adoleſcens literarum cupidus, victum oſtiatim canendo quæſivit, donec eos in diſciplinis puerilibus feciſſet progreſſus, ut civium liberos iisdem informare ad majora noſſet ac poſſet.

Medicus & Philoſophus.

In Philoſophorum deinde ſpatia, & Medicorum hortos progreſſus, tanto cum ſucceſſu Muſis litavit, ut Medendi artis ſummis titulis fuerit ornatus. Tum praxin aggreſſus, morbis feliciter curatis, magnum ſibi nomen acquiſivit.

Archiater Comitis Lucelburgenſis.

In patriam reverſum *Henricus Comes Lucelburgenſis* Archiatrum ſibi adſcivit, inque familiaritatem etiam & Conſilia interiora admiſit.

An. 1304. cum *Gerardus Comes ab Epſtain*, Moguntinus Antiſtes, mortuus eſſet, miſit hunc Comes ad Pontificem *Clementem V.* Pictavii tunc commorantem, ut fratri ſuo *Balduino* dignitatem Archiepiſcopalem impetraret. Sed fruſtra; Pontifex enim præter alia ætatem adoleſcentis octodecim annorum Archiepiſcopatui adminiſtrando minus idoneam cauſatus, petitionem Legato abnuit.

Pontificis Maximi vitam dubiam ſervat.

Cum interea Pontifex in morbum graviſſimum incideret, adeò, ut Medici de vitâ ejus pænè deſperârint, quorundam ſuaſu & Germanus hic, ut ſua conſilia conferat, accerſitus eſt, qui remediis ſalutaribus ita eſt uſus, ut tertio pòſt die Pontifex morbo ſe liberatum gauderet. Pro quo beneficio, de conſenſu Cardinalium, Medicum hunc, quamvis ſeriò deprecantem & recuſantem, *Archiepiſcopum Moguntinum* creavit.

Archiepiſcopus Moguntinus.

Dixit enim Pontifex, ut *Bruſchius* refert, quia tam felix eſſet corporum curator, maximè convenire, ut & inſignis conſtituatur animarum paſtor, curator & Medicus; præſertim cum eſſet Vir pius & devotus, fide plenus, induſtriâ ſolers, moribus inſignis, diviniſque in ſcripturis admodùm exercitatus. Datis igitur ad Clerum literis, cum pallio Moguntiam eum remiſit Pontifex, ubi à Clero & omni Populo, mandatis Apoſtolicis obediente, maximâ cum reverentiâ ſuſceptus eſt.

Moritur.

Geſſit autem ipſe hanc dignitatem Eccleſiaſticam non ſine laude in annum usque decimum quintum, Chriſti verò 1320. quo obiit die 5. Junii Bonifacio ſacro: eſtque in Metropolitano Moguntino ſepultus, ſtaturâ & Epitaphio tali additis:

Epitaphium.

Anno milleno, trecentenoq; viceno,
Petrum Petra tegit iſtum, quæ tartara fregit,
De Treviri natus, Præſul fuit hic trabeatus,
Redditibus, donis & clenodiis ſibi pronis
Eccleſiam ditat, res auget, crimina vitat.
Hic pius & largus, in conſiliis fuit Argus.
Sceptra dat Henrico *regni, poſthæc* Ludovico
Fert pius, extremò Johanni *regna Bohemo.*
Hic qui nos menſes, annos deca tetra repenſes,
Quos vigil hic rexit, quem Chriſtus ad æthera vexit.

Hoc autem Epitaphio res ſub ipſo geſtæ utcunque recenſentur: Scil. An. 1308. cum *Balduino*, Electore Trevirenſi, effecit, ut *Henricus Lucelburgenſis*, cujus ante Medicus fuerat, ad Imperii Romani faſtigium eveheretur. Præterea An. 1310. hujus filium *Johannem*, cui *Wenceslai* Bohemiæ Reg. relicta filia nupſerat, Bohemiæ Regem, ex veteri Archiepiſcoporum Moguntinorum jure, Pragæ coronavit.

A. 1313. *Henrico* in Italia hoſtiâ intoxicatâ ſublato, in *Ludovicum Bavarum* vota ſua contulit, reliquis *Fridericum* Auſtr. Ducem eligentibus.

* *Ex Melch. Adamo de Vitis Medicorum Germanorum.*

BALDUINUS,

Archiepiſcopus Trevirenſis.

Obiit A.C. 1354.

Comes Lucelburgicus.

EX *Lucelburgicis* Comitibus, Patre *Henrico Blondelio*, & *Beatrice* matre in lucem editus eſt circa Annum Chriſti 1275. in Juventute per omne humanioris ſtudii, philo-

loſo-

Princeps literatus.

loſophicæque diſciplinæ genus probè excultus, tunc Pariſiis in jure Canonum pernoſcendo verſabatur, tres & viginti jam annos natus, præſtantiſſimæ indolis & doctrinæ juvenis, conſultiſſimis Cleri ſuffragiis in Archiepiſcopum Trevirenſem poſtulatus eſt.

Clemens itaque P. M. ducto ad ſe Pictavium *Balduino*, conſpectâque generoſâ ipſius indole, doctrinam, virtutemque & ſapientiam haud vulgarem ſpirante, in ætate hac mediocri diſpenſavit, Presbyterum creari juſſit, ſuâque ipſe manu conſecravit Archiepiſcopum, Anno 138. adhibitumque domeſticis conſultationibus, ad graviora Eccleſiaſticæ diſciplinæ negotia animum docuit advertere.

Archiepiſcopus Trevirenſis.

Bello paceque clariſſimus.

Trevirim deindè pergens, Jus legendi magiſtratus, quod turbis magis, ſeditionibuſque concitandis, quàm conſervandæ paci fuerat idoneum, ab Urbe, ægrè quidem primùm aſſentiente, repetit, variaque Diœcœſi ſuæ adjicit, hoſteſque varios armis ad obſequium redigit; inexpectato tamen caſu An. 1328. cum juxta Starkenbergi arcem, exiguo ſtipatus comitatu, à flumine Moſella delatus, ad extenſas ſub aquis catenas navis improvisò hæreret, à *Laureta*, vidua *Comitis Spanheimenſis*, acri cuſtodia includitur, unde, niſi lytro 30000 florenorum, & promiſſione facta, nullius in ſolo Birckenfeldenſi caſtri exſtruendi, abire non potuit.

A muliere captus.

An. C. 1330. Carthuſianos Patres, ob vitæ ſanctitatem, Treviris recepit; Dein ad firmandam Cleri diſciplinam, indictâ provinciali Synodo, decretis ſaluberrimis, veſtium in Clero religioſiſque hominibus luxum ſeverè cohibuit, cumque ipſi Domi diuturna ab armis quies non fuerit, *Rudolphum Palatinum* An. 1340. in clientelam recepit, *Walramum Spanhemium Crucinacenſem*, ac *Johannem Sylveſtrem Dunæ* Comites, rebellionis compertos, bello ſubegit.

Pontem celeberrimum Confluentinum exſtruit.

Hinc ad pontem ingentem & pretioſum Moſellæ ex adverſo Urbis Confluentiæ imponendum operas conduxit, ac brevi ex quadrato, perque arcus curvato lapide impoſuit, juſſitque peregrinos omnes, Sacerdotibus demptis, obolum in tranſitu pendere, ſervando reficiendoque à poſteris opere; his inſcriptis verſibus:

Trevericis clarus Princeps Balduinus *ab oris,*
Hoc ſtabili fluidas ponte gravavit aquas.

Moritur.

Poſtremò *Balduinus*, curarum publicarum feſſus, An. 1354. ad quietem ſe jam compoſiturus, XII. Cal. Februar. ex hujus vitæ ſtatione ad meliorem deceſſit, exquiſitiſſimâ funeris pompâ à *Carolo* Rege, Treviris in D. Nicolai, ſummæ ædis, choro, marmoreo ſub tumulo, eoque elatiore, collocatus*.

Princeps eruditus, & eruditorum Patronus.

Princeps hic trium Imperatorum præcipuus elector, Nobilitatem magnis per diœceſin beneficiorum prœmiis excoluit: Doctorum in quavis facultate, uti omnes complexus diſciplinas ſtudioſè adoleſcens fuerat, conſortio uſuque delectatus, ampliſſimis ſibi eoſdem prœmiis devinciebat. Veteris hiſtoriæ, diplomatumque ac juris diœceſani monimenta, excuſſis ubique ſcriniis, in tria digeſſit exemplaria, quorum unum ſummæ ædis Archivo, alterum Cameræ, tertium Curiæ aulicæ tradi voluit.

* *Ex Epitome Annalium Trevirenſium Jacobi Maſenii.*

ÆGIDIUS ALBORNOTIUS,
Cardinalis.

Obiit A.C. 1367.

Archiepiſcopus Toletanus.

Cardinalis S. Clement.

Sedem Pontificiam Avenione Romam retulit.

Collegium Hiſp. Boloniæ fundavit.

CArrillus, domo *Conchenſis*, Archiepiſcopus Toletanus, à S. P. *Clemente VI.* a. d. xv. Kal. Januar. Ann. cIↃ CCCL. Cardinalis tit. S. *Clementis* creatus. Devictis Italiæ tyrannis, Avenione Romam Sedem Pontificiam retulit, fixitque.

Bononiæ inſuper Collegium Hiſpan. Nationi A. cIↃ CCCLXIIII. ſuâ pecuniâ conſtituit. Agri Piceni denique Præfectus Leges condidit, quæ & hinc Ægidianæ dictæ ſunt.

Obiit A.C. cIↃ CCCLXVII. & *Urbani V.* Pontificis maximi juſſu, funeris totius Italiæ elato, Toletique condito juſta perſoluta ſunt.

De hujus Cardinalis vitâ & rebus domi foriſq; præclarè geſtis *Joh. Geneſius Sepulveda*, Cordubenſis Philoſophus & Theologus, Libros III. diſertè ſcripſit.

* *Ex Elogiis XII. Cardinal. doctor. à Theod. Galleo editis.*

BARTHOLOMÆUS VLIARIUS,
Cardinalis.

Obiit A.C. 1396.

PAtavinus, honeſtis parentibus ortus, Philoſophiæ ſtudiis jam addictus, cum Religioſorum vitæ, S. Theologiæ, & Divinæ Scripturæ ſtudio mirificè caperetur, ſpretis illecebris terrenarum rerum, ac cœleſtem vitam amplexus, Minorum Conventualium ad inſtituta contendere cœpit. Sacris ibi Theologiæ & Divinæ Scripturæ myſteriis initiatus, utramque Facultatem publicis in Cathedris profeſſus eſt, poſtque Magiſter creatus, eximium ingenii ſui ſpecimen tum in Diſputationibus, tum in Concionibus dedit.

Frater Minorum Conventualium. Theologiæ Profeſſor.

Ea re Patres Ordinis ſingularem ejus in omni diſciplinarum genere præſtantiam admirati, certatim illum ad primos dignitatum apices extulêre. At ille nihilominus variis peragratis regionibus, multiſque ac magnis itineribus ſuſceptis, Verbum Dei & Sacra Eccleſiæ dogmata ubique locorum ac gentium defendere, inſimulque longè ac latè propagare ſedulò nitebatur.

Concionator in Italia.

Tandem Florentiam profectus, aliquot ibi annorum ſpatio, quà docendo quà concionando, ſuis adeò virtutibus & moribus Floren-

Digitized by Google


ÆGID ALBORNOTIUS Cardinalis.
BARTHOLOM VLIARIUS Cardinalis.
FRANCISC9 ZABARELLA Cardinalis
BARTHOL OM ZABARELLA Cardinalis.
LUDOVICUS MEDIAROTA Cardinalis.
NICOLAUS PEROTTUS Archiep. Sipontinus.
BESSARIO Cardinalis.
VRIEL A GEMMINGEN Archiep. Mogunt.
FRANCISCUS XIMENIUS Cardinalis.
MARCUS MUSURUS Cardinalis
POMPEJUS COLUMNA Cardinalis.
THOMAS WOLSÆUS Cardinalis.
THOMAS DE VIO Card. Cajetanus.
MATTÆUS LANGIUS Cardinalis.
HIERON. ALEANDER Cardinalis.
CASPAR CONTARENUS Cardinalis.

Digitized by Google

Florentinorum animos in ſui benevolentiam attraxit, ut, defuncto Urbis ejus Epiſcopo, unanimi conſenſu Succeſſor ei datus fuerit, Summo Pontifici *Bonifacio* gratiſſimus, à quo primum Epiſcopus Florentinus confirmatus eſt, mox & meritis ejuſdem poſcentibus, ad apicem Cardinalatûs evectus, *S. Pudentianæ* Titulo Paſtoris 15. Kal. Januarii A. C. 1389.

Epiſcopus Florentinus. *Cardinalis.*

Hoc honore auctus, in Siciliam Apoſtolicâ Legatione cum amplâ poteſtate miſſus, eo in munere *Cajetæ* 16 Kal. Maji An. C. 1396. apud Minoritas mortuus eſt, ibique ſepultus hoc Epitaphio:

Legatus Apoſtolicus. *Epitaphium.*

Hic Jacet
Reverendiss. In Christo Pater
Dominus
Bartholomæus De Vliaris De Padua
Dei Gratia T. T. S. Pudentianæ
Presbyter Cardinalis Paduanus
Regni Siciliæ apostolicæ Sedis
Legatus
Qui Obiit Die XVI Aprilis Anno
M CCCXCVI.
Indict. IV.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Obiit A. C. 1417.

FRANCISCUS ZABARELLA,
Cardinalis.

Cardinalis hic Pontificio ac Cæſareo jure, nec non dicendi facultate, adeò fuit inſignis, ut meritò inter ævi ſui Oratores, Juriſperitos & Eccleſiæ Antiſtites principalem obtinuerit locum. Hic dictis & ſcriptis fidem Catholicam, adverſus *Johannis Huſſi* dogmata, acerrimè propugnavit.

Adverſarius Johannis Huſſi.

Florentiam vocatus, jus Canonicum explanavit, ibique, ob vitæ ſanctimoniam ac doctrinæ præſtantiam, ab illius Reipublicæ Proceribus, ad Archiepiſcopatûs dignitatem vocatus eſt, quam progreſſu temporis adeptus provinciam ſibi commiſſam ſanctè rexit.

Interim verò in patrio *Gymnaſio Patavino* primam ſedem ſacrorum Canonum explicandorum obtinuit, quo in munere obeundo, variâ lectione animos ſtudentium demulcebat.

Juris Canonici Profeſſor Patavinus.

Eo verò tempore *Carrarienſium* familiâ extinctâ, Concives omnes miro conſenſu illi deferendi patriæ Civitatis claves, unaque faciendæ deditionis ejus Sereniſſimæ *Reipublicæ Venetæ* Provinciam commiſère.

Mox in Cathedrali *Patavinâ* Eccleſiâ Archipresbyteratûs honore inſignitus, pauperum incommodis mirâ ſubveniebat liberalitate.

Archipresbyter Patavinus.

Defuncto verò tum Epiſcopo Patavino, dum Canonici cunctis votis illum unum conſpiciunt, voluntati Reipublicæ morem gerens, oblatam electionem defugit. Quâ animi integritate commota Reſpublica, opulentam Abbatiam S. *Mariæ de Prataleâ*, Monachorum incuriâ ab eorum cœnobio aliò devolutam, illi conſignandam curavit, quam tamen, elapſo modici temporis curriculo, iiſdem Monachis liberaliter donavit.

Abbas S. Mariæ de Prataleâ.

Tandem Romam vocatus à S. P. *Johanne XXII.* & Archiepiſcopus *Florentinus* olim electus confirmatur, & poſteà in Sacrum Patrum purpuratorum Senatum adſciſcitur.

Archiepiſcopus Florentinus. *Cardinalis.*

Mittitur inde ad Imperatorem *Sigiſmundum* Legatus, acturus apud ipſum de *Conſtantienſi* Concilio, ut pernitioſa illius ſeculi ſchiſmata tollerentur, ubi & res in longum diu protractas prudenter concluſit, & Concilio convocato Pontificis vices geſſit; Unde omnium conſenſu Summus Pontifex re ipsâ deſignatus fuiſſet, ni Deus ipſum in Cœlum evexiſſet: *Conſtantiæ* enim magno omnium mœrore extinctus eſt Idib. Nov. A. C. 1417. Sancta Synodus pias ejus inferias celebravit, cohoneſtanteque *Sigiſmundo* Imp. funeris pompam, *Poggius Florentinus* funebri Oratione eum exornavit. Ejus oſſa in Cathedrali *Patavinâ*, in delubro ab ipſomet *D. Mariæ* dicato, hâc memoriâ decorantur.

Legatus ad Concilium Tridentinum. *S. Pontifex deſignatus.* *Obiit Conſtantiæ.*

Epitaphium.

Francisco Zabarellæ.
Florentiæ Archiepiscopo, Viro Optimo, Urbi Atque Orbi Gratissimo, Divini Humanique Juris Interpreti Præstantissimo, In Cardinalium Collegium Ob Summam Sapientiam Cooptato, Ac Eorundem Animis Pontifici Prope Maximo, Johanne XXII Ejus Suasu Abdicato Ante Martinum V. Ob Singularem Probitatem In Constantiensi Concilio Destinato.
Johannes, Jacobi Viri Clarissimi Filius Id Monumenti Ponendum Curavit.
Vixit Annos LXXVIII. Obiit Constantiæ M CCCCXVII.

Scripſit

Scripta.

Commentariorum in Decretales & Clementinos Tom. VI.

Commentarios in Naturalem & Moralem Philoſophiam.

Comment. in vetus & novum Teſtamentum.

Conſiliorum Tom. I.

De Horis Canonicis.

De ſchiſmate ejus temporis A. 1406.

De Felicitate Lib. III.

In Decretum.

Varias Legum Repetitiones.

Opuſcula de Artibus Liberalibus.

De Naturâ rerum diverſarum.

Acta in Conciliis Piſano & Conſtantienſi.

Volumen Orationum & Epiſtolarum variarum.

Orationes duas funebres in Obitum Franciſci de Carrariâ, & Arcuani Buzacharini.

Orationem, quâ habitâ, Sereniſſimæ *Reipublicæ Venetæ* cum 16 aliis Civibus Urbis *Patavinæ* Claves detulit, Sceptrum, Vexillum, & Sigillum hoc Carmine inſignitum:

Digitized by Google

* *Muſo. Mons, Atheſis, Mare certos dant mihi fines.*

* *Ex Elogiis Virorum doctrinâ illuſtrium Jacobi Philippi Tomaſini.*

Obiit A.C. 1425.

PETRUS DE ALIACO, *Cardinalis.*

Epiſcopus Cameracenſis. Cancellarius Pariſienſis, & Doctor Sorbonicus.

EX Oppido *Compeigne* in Galliâ ortus, Cardinalis fuit Tit. *Chryſogoni*, Epiſcopus *Aniclenſis* & *Cameracenſis* Legatus à Latere per Gallias, Cancellarius *Academiæ Pariſienſis*, Doctor Sorbonicus & Cardinalis. *Johannem Gerſonem* auditorem aliquando habuit. Diu apud Belgas in honore vixit, & ex hac vitâ migravit Avenione An. C. 1425. Corpus Cameracum relatum jacet in Cathedrali, cum hoc Epitaphio:

Epitaphium.

HÎC JACET REVERENDUS PATER
DOMINUS PETRUS DE ALIACO,
THEOLOGIÆ DOCTOR,
QUONDAM EPISCOPUS CAMERACENSIS.
ORATE PRO EO.

Mors rapuit Petrum, *petram ſubiit putre corpus:*
Sed petram Chriſtum *ſpiritus ipſe petit.*
Quisquis ades, precibus fer opem, ſemperque memento,
Quod præter mores omnia morte cadunt.
Nam quid amor Regum, quid opes, quid gloria durent,
Aſpicis: hæc aderant tunc mihi, nunc abeunt.

Scripta.

Scripſit

Quæſtiones in Sphæram Johannis de Sacro buſto.
In Libros Meteororum Ariſtotelis.
Sacramentale.
De Emendatione Eccleſiæ.
De poteſtate Eccleſiaſticâ.
In Salutationem Angelicam.
Commentarium in 7. Pſalmos Pœnitentiales.
De laude S. Scripturæ.
In Principium Marci.
De Stabilitate Eccleſiæ.
Speculi Conſiderationis Lib. III.
Compendii Contemplationis Lib. III.
De Spirituali Scalâ.
In Pſalterium Davidicum.
Meditationes in Pſalmos 42. & 70.
De Legibus & Sectis.
De Concilio generali.
De Interdicto.
De Permutatione beneficiorum.
In Cantica Canticorum.
In Canticum Zachariæ & Simeonis.
In Orationem Dominicam, & ſuper eâdem anagogicè Lib. II.
De Electione Papæ.
De Exercitio ſpirituali.
De XII. honoribus S. Joſephi.
De Animâ & accidentibus ejus.
Concordiam Theologiæ cum Aſtronomiâ & Hiſtoriâ.
De Sacramentis Eccleſiæ.
Sermones varios & Epiſtolas.
De vitâ S. Petri Cœleſtini Lib. II. edente *Surio Carthuſiano.*
Reſponſionem contra Fr. Matthæi.
Concluſiones pro Flagellantium Sectâ.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

NICOLAUS SICULUS, *Archiepiſcopus Panormitanus.*

Obiit A.C. 1443.

Archiepiſcopus Panormitanus.

NIcolaus Siculus Abbas primùm *Monacenſis* indè Archiepiſcopus *Panormitanus* fuit. Unde fit, ut diverſis cognominibus communiter allegetur. Magnæ eloquentiæ & doctrinæ Jureconſultus fuit, quæ utraque, ſi unquam aliàs, certè in *Concilio Baſileenſi* in eo ſummè enituerunt.

Juris Canonici Profeſſor Senenſis.

Profeſſus eſt An. 1425. & multis ſequentibus, Jus Canonicum in *Scholâ Senenſi*, & mortuus eſt non multò poſt, quàm ex *Concilio Baſileenſi* in Italiam rediiſſet, circa An. C. 1443.

Scripta.

Edidit

Commentarios in Decretales utiliſſimos.
Conſilia multa, Repetitiones, & Diſputationes.

* *Ex Vitis Jureconſultorum recentiorum Johannis Fichardi.*

NICOLAUS TUDESCUS, *Cardinalis.*

Obiit A.C. 1445.

Monachus S. Benedicti.

Juris Profeſſor Senis & Parmæ.

CAtanæ, Civitate Siciliæ maritimâ natus, in patriâ juvenis Congregationi Monachorum *S. Benedicti*, in Cœnobio *S. Agathæ* nomen dedit: Cumque deinde Legum ſtudiis, ſub Præceptore *Franciſco Zabarellâ Florentino*, incubuiſſet, ad publicum Profeſſoris munus promotus, publicè in *Academiâ Senenſi & Parmenſi* Jura docuit.

Abbas Maniacenſis.

Auditor Rotæ Romanæ.

Archiepiſcopus Panormitanus.

Cardinalis.

Abbas poſtea factus, in Cœnobio *Maniacenſi* Religionis ſuæ, munus id ſuum ſummâ cum vigilantiâ & prudentiâ adminiſtravit, & à Summo Pontifice *Eugenio IV.* Romam accerſitus, Auditor primùm Rotæ Romanæ, deinde Archiepiſcopus Panormitanus, & tandem Cardinalis creatus eſt.

Cum *Ludovico* tandem *Pontano* ex Concilio *Baſileenſi Panormum* reverſus, ibi vivere deſiit An. C. 1445. Sepultus autem jacet in *Templo Panormi* primario, cum inſcripto hoc Epigrammate:

Morte tua Canon, Leges & Jura Quiritum
Occubuêre, jacent hoc tumulata loco.
Tu Nicolaus eras Tudiſco ſanguine natus,
Panhormi Antiſtes & Catanenſis eras,
Eugenio, & Baſila diſcordi pace ruebat
Noſtra fides, ſteterat te Duce Concilium.
Nominis & tituli cumulos & laudis adeptus,
Unde tuum texit rubra thiara caput.

Scripta.

Libros compoſuit & edidit

Commentaria in libros Decretalium, & Compendium lecturæ in Decretalibus.
Conſilia, Tractatus, Quæſtiones, & Practica.

Quæſtio-

Queſtionem in Parmenſi Gymnaſio diſputatam.

Interpretationem in Clementinas.

Diſputationes.

De Poteſtate Pontificis, Imperatoris, & Concilii Librum.

Librum ſingularem, quo Concilium Baſileenſe defendit.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C. 1445.

BARTHOLOMÆUS ZABARELLA,

Cardinalis deſignatus.

Juris Pontificii Profeſſor Patavinus. Archiepiſcopus.

EX *Andreâ*, *Franciſci* Cardinalis fratre, ortus, Orator celeberrimus, Juris Pontificii in Gymnaſio Patavino fuit explicator: Referendarius Apoſtolicus: Archiepiſcopus primùm Spalatinus, deindè Florentinus, Pontificis Maximi *Eugenii IV.* ad Hiſpaniæ & Galliæ Regem Legatus, in quâ Legatione obiit deſignatus Cardinalis die 12. Auguſti An. C. 1445. Ætatis ſuæ An. 46.

Deſignatus Cardinalis.

* *Ex Gymnaſii Patavini deſcriptione ab Antonio Riccobono editâ.*

Obiit A.C. 1464.

NICOLAUS CUSANUS,

Cardinalis.

Theologus eximius.

NAtus in *villa Cuſa* ad fluviū Moſellam, in Diœceſi *Trevirenſi*, â quâ cognomen obtinuit: Theologus eximius, Canonicus Regularis, & Sacrorum Canonum Doctor, Philoſophus etiam, Orator, & Mathematicus, trium linguarum, Hebrææ, Græcæ, & Latinæ, peritus fuit, nec non Declamator Sermonum facundus.

Decanus inſuper ad *S. Florianum* Conſtantiæ, Archidiaconus Templi Cathedralis Leodii, Protonotarius Apoſtolicus, & tandem à Papâ *Nicolao V.* Cardinalis tit. S. Petri ad vincula creatus, ab eodemque Epiſcopatum *Brixienſem* in Comitatu Tirolenſi obtinuit.

Cardinalis. *Epiſcopus Brixienſis.*

In Germaniam porrò Nuntius Apoſtolicus ablegatus, Moguntiæ, præſente Imp. *Friderico III.* Concilium *Baſileenſe* abrogare, & Pontificis *Eugenii IV.* autoritatem ſuſtinere tentavit, aliaque multa pro Reformatione Eccleſiæ & Religionis monaſticæ utilia fecit.

Hoſpitale Cuſæ & Seminarium Daventriæ ab eo fundatum.

Propè *Cuſam*, Patriam ſuam, Xenodochium in S. Nicolai honorem exſtruxit, & amplis reditibus dotavit. Ibidem etiam Bibliothecam Latini Græcique Sermonis, in omni diſciplinarum genere lautam exquiſitamve, veterum præcipuè Scriptorum, inſtituit.

Nec minori *Daventrienſem* Scholam, quâ eruditus quondam fuerat, munificentiâ ornavit; cum ſeminarium optimarum artium, honeſtis proventibus inſtructum, Moſellanæ iſtic juventuti excitârit.

Verba quædā de hoc *Nicolao Cuſano*, *Johannis Andreæ* Cardinalis Alerienſis, in funebri Oratione recitata, ſunt ſequentia: Fuit, ait, *Nicolaus* tantâ bonitate, cum viveret, ut vir eo melior nunquam ſit natus: Vitiorum omnium hoſtis acerrimus ac publicus inimicus: faſtûs & ambitionis totus adverſarius: integritate animi immutabilis, honeſtorum laborum, in declivi etiam ſenectâ, patientiſſimus: benefaciendi & gratificandi, gratiæque referendæ promptitudine admirabilis, ut natus omnibus maximè, ſibi ipſi minimè videretur.

Ejus Elogium.

Sanè tantâ omnium doctrinarum ubertate fuit, ut quicquid ex tempore dicendum incidiſſet, tali id ſemper copiâ ille diſſereret, ut ei ſoli facultati ſtuduiſſe videretur; Vir ipſe ſupra opinionem eloquens & Latinus: Hiſtorias omnes, non priſcas modò, ſed & mediæ ætatis, tum veteres tum recentiores, memoriâ retinebat. In diſciplinis Mathematicis eo tempore doctior fuit nemo. Jus Civile & Pontificium rectè purèque didicerat. Et, ut immortali æternâque memoriâ erat, tanquam tunc primùm ex illorum ſtudiorum officinâ prodiiſſet, memoriter Sanctiones & Patrum Decreta, & Doctorum inſuper ſententias recitabat; Philoſophiæ Ariſtotelicæ acerrimus Diſputator fuit, Theologiæ verò Chriſtianæ ſummus Interpres & Magiſter.

Templum denique S. *Petri* ad vincula hic Cardinalis etiam reſtauravit, Tudertique obiit A. C. 1464.

Corpus ejus Romam ad S. *Petrum*, cujus Titulum Cardinalis geſſerat, delatum, cor ad Hoſpitalem domum *Cuſanam*, quam natali ſibi loco condiderat, ubi quod extat marmoreo ex lapide monumentum, juxta illius effigiem, cancrum (piſcatoriæ ipſius familiæ ſignum, quo ex ſingulari demiſſione uſus fuerat) exhibet, Cardinalitio tamen Galero inſignem, cum ſequenti elogio:

Epitaphium.

DILEXIT DEUM, TIMUIT, ET VENERATUS EST, AC ILLI SOLI SERVIVIT, PROMISSIO RETRIBUTIONIS NON FEFELLIT EUM.
VIXIT ANNOS LXIII.
DEO ET HOMINIBUS CHARUS.
BENEFACTORI SUO MUNIFICENTISSIMO PETRUS DE ERKENS DECANUS FAVENS CURAVIT
MCCCCLXXXVIII.
EPITAPHIUM IN LAMINIS ÆNEIS PER LIMBOS EXPRESSUM.
NICOLAO DE CUSA
TITULI S. PETRI AD VINCULA PRESBYTERO CARDINALI, ET EPISCOPO BRIXIENSI,
QUI OBIIT TUDERTI, (FUNDATOR HUJUS HOSPITALIS,)
MCCCCLXIIII. DIE XI. AUGUSTI,
ET OB DEVOTIONEM ROMÆ ANTE CATENAS S. PETRI SEPELIRI VOLUIT, CORDE SUO HUC RELATO.

Operum tria Volumina ſcripſit.

Scripta.

In Primo continentur ſequentes Tractatus:

Digitized by Google

De doctâ Ignorantiâ, ad Julianum Cæſarinum Cardinalem, ejuſque Apologia.
De Conjecturis.
De Filiatione Dei.
De Geneſi.
Idiotæ de Sapientiâ Lib. IV.
De Viſione Dei.
De ludo globi myſticè Lib. II.
De Fortunâ.
Directorium ſpeculantis.
De dato Patris luminum.
De quærendo Deum.
De Veneratione Sapientiæ.
De apice Theoriæ.
De Deo abſcondito.
In II. Volumine ſunt
Exercitationum Libri X.
De Annunciatione.
De Æqualitate.
De Concordiâ Catholicâ ad Concilium Baſileenſe.
Epiſtolarum Lib.
De Pace fidei.
De Cribratione Alcorani. Lib. III.
De noviſſimo die.
In III. Volumine comprehenduntur Libri ſequentes.
De Geometricis transmutationibus.
De Arithmeticis complementis.
De Mathematicis complementis ad Nicolaum V.
De quadraturâ Circuli, ad quam Mathematicarum turba noctuat.
De Finibus & chordis.
De unâ recti curviq; menſurâ.
Complementum Theologicum.
De Mathematicâ perfectione.
Reparatio Calendarii.
Correctio Tabularum Alphonſi.
* *Ex Theatro Ital. Virorum literatorum Hieronymi Ghilini., Catalogo Virorum doctorum Johannis Tritbemii, & ex Epitome Annalium Trevirenſium Jacobi Maſenii.*

* * *

Poſſevinus in Apparatu S. Virum eum vocat, ut ſcientiis pænè omnibus excultum, ita peritiâ Canonum eximium, ac reliquis vitæ donis ornatum. *Sixtus Senenſis* verò *Lib. 4. Bibl.* tàm in verbis, quàm in ſententiis obſcuritatem ipſi tribuit, referente *Johanne Andrea Quenſtedtio, in Dialogo de Patriis Virorum doctorum.*

Obiit A.C 1465.

LUDOVICUS MEDIAROTA, *Cardinalis.*

PAtavii natus A. C. 1402. ex humilibus primordiis ortus, doctiſſimus ſimul & fortiſſimus vir ad ſummos fortunæ apices fuit evectus. Sub Pontifice *Eugenio IV.* copiis ſummâ cum authoritate præpoſitus, *Florentinis* ferens ſuppetias, *Nicolaum* Ducem Picinum Hetruriam devaſtantem, poſt pugnam 5. horarum victoriâ potitus, ad *Franciſcum Sfortiam* Mediolani Ducem, cujus partes tutabatur, debellatum remiſit.

Mil. Dux ſtrenuus.

Turcas ipſe ſub Pontifice *Calixto III.* circa Belgradum invadens prœlio diſperſit. Rhodiis inſuper cum præſto eſſet, numeroſam Turcarum claſſem paucis navibus, fulminis in modum, protrivit.

Ob tot virtutis experimenta inter Cardinales cooptatus, & Eccleſiæ Romanæ Cancellarius factus eſt. Ad Aquilegiæ Patriarchatum promotus, Patritius tandem Venetus à Senatu dictus vivere deſiit 3. Id. Mart. An. C. 1465. ætat. 63. Romæ in Templo S. Damaſi tumulatus.

Cardinalis & Cancellarius Eccleſiæ Rom.

* *Ex Elogiis Virorum illuſtrium Jacobi Philippi Tomaſini.*

Condidit *Epiſtolas* mirâ eruditione refertas, inſcriptas *Franciſco Barbaro*, Compatri ſuo, quæ in Bibliothecâ *Laurentii Pignorii* Antiquarii Patavini extant.

Scripſit Epiſtolas.

Viſuntur adhuc ejus *Stemmata* Patavii, in Fronte Eccleſiæ S. Luciæ, & in domibus Xenodochii S. Franciſci.

In ejus tumulo hoc legitur Epitaphium:

Ejus Epitaphium.

LUDOVICO MEDIAROTÆ.
PATAVINO, PATRIARCHÆ AQUILEIENSI, ALBANO, ET D. LAURENTII IN DAMASO CARDINALI, ET CANCELLARIO. QUOD ANIMI MAGNITUDINE ET SINGULARI PRÆDITUS PRUDENTIA, CUM REM ROMANAM MULTITUDINE HOSTIUM LABORANTEM, LEGATUS AB EUGENIO IIII. IN SPLENDOREM PRISTINUM, ARMIS ET VICTORIIS, VENDICASSET, NICOLAUM PICINUM APUD ANGLARIAM PROFLIGASSET, AGRUM PICÆNUM A FRANCISCI SFORTIÆ DOMINATU, IN DITIONEM ROMANÆ ECCLESIÆ RECUPERASSET, TURCAS SUB CALISTO IN NAVALIBUS PROELIIS CONTUDISSET, DOMESTICIS QUOQUE VIRTUTIBUS, CONSILIO, GRAVITATE, CONTINENTIA, PLURIMIS DENIQUE IN OMNES BONOS LIBERALITATIS AC BENEFICENTIÆ MONUMENTIS BELLICAS LAUDES ORNATIORES REDDIDISSET:

HENRICUS HUNIS, ARCHIEPISCOPUS TARENTINUS, PONTIFICIS SACRIQUE SENATUS A SECRETIS, ÆRARII APOSTOLICI PRÆFECTUS, TANTÆ VIRTUTIS IN LUCEM REVOCANDÆ CAUSA, ET UT VETEREM SUAM IN EUM OBSERVANTIAM HOC RECENTI PIETATIS OFFICIO TESTARETUR, HOC ILLI MONUMENTUM XL AB EJUS MORTE ANNO SUA PECUNIA FACIENDUM CURAVIT ANNO SAL. CIↃIↃV. XII. CALEND. APRILIS. VIXIT ANNOS LXIII. MENSES IV. DIES VIII.

JOHANNES DE TURRECREMATA, *Cardinalis.*

Obiit A.C. 1468.

NAtione Hiſpanus, Caſtellâ oriundus, in juventute *Vallidoleti* veſtitum Dominicanum induit, & Pariſiis Legum Canoni-

Canonicarum Theologiæque ſtudiis operam dedit, atque in eâdem Univerſitate Magiſtri titulo inſignitus, aliquandiu ſummâ cum laude Sacra docuit.

Prior in Hiſpaniâ. In Hiſpaniâ Prioratum S. Pauli Vallidoleti, & S. Petri Martyris Toleti ſucceſſivè adminiſtravit. *Magiſter Generalis Dominicanorum & Sacri Palatii.* Poſtmodùm *Eugenius IV.* eum Romam accerſitum, Magiſtrum Generalem ſuæ Religionis, & porrò Magiſtrum Sacri Palatii conſtituit, qui & cum aliis eum Prælatis Baſileam ad *Concilium* ablegavit, in quo, cum de hoc *Eugenio IV.* deponendo tractaretur, eum egregiè defendit. *Cardinalis.* Hic verò Papa, ſupremo Cardinalis honore, titulo S. Sixti remuneravit eum, unà cum Epiſcopatu Albanenſi, & poſteà Sabinenſi.

Romæ autem, Succeſſu temporis, hic Cardinalis ædificia aliquot reſtauravit, Sodalitatemque Beatæ Virginis, propter puellas pauperes matrimonio quotannis elocandas, inſtituit; ibique tandem, cum per triennium Cardinalis pileum geſtâſſet, vitâ defunctus eſt 26 Sept. An. C. 1468. ætat. 80. Cujus Sepulchro in Sacello Annunciationis Minervæ hoc Epitaphium legitur inſcriptum:

Ejus Epitaphium.

HIC QUIESCIT JOANNES DE TURRECREMATA, EPISCOPUS SABINENSIS S. R. E. CARD. S. SIXTI. QUI OBIIT XXVI. SEPTEMB. ANNO MCCCCLXVIII. R. I. P.

Scripta.

Opera ſcripſit

In Pſalterium Davidis, in Evangelia Dominicalia, & in Evangelia de Sanctis.

Sermones de Tempore, & de Sanctis.

De Salute Animæ.

De Corpore Chriſti contra Boëmos.

De Aquâ Benedictâ, vel Luſtrali.

Meditationes de vita Chriſti.

De Conceptione Beatæ Virginis Lib. III.

Commentaria in Regulam D. Benedicti, & in Decretum Gratiani Juris Pontificii.

Summam de Eccleſia & ejus autoritate.

De Concilio Florentiæ ſub Eugenio IV. habito.

De Unitate Græcorum.

Contra Ismaëlitas.

De auctoritate Romanæ Eccleſiæ.

De Conſecratione.

De Pœnitentia.

De Conciliis.

* *Ex Theatro Italico Virorum eruditorum Hieronymi Ghilini.*

Claruit A.C. 1470.

NICOLAUS PEROTTUS,

Archiepiſcopus Sipontinus.

Philologus. SEntini, Umbriæ oppido, cui hodiè *Saxoferrato* nomen eſt, in lucem editus, Vir fuit Latinis Græcisque literis admodùm eruditus, magnique laboris, ſummæque induſtriæ homo, ut de eo judicat *Leander*, & monumenta ejus teſtantur. *Philelphus* eum, in *Epiſtola ad Albertum Zancarum*, diſertiſſimum Virum appellat, nec ſine causâ, cum ob eruditionem & virtutem ſingularem ſucceſſu temporis Archiepiſcopus Sipontinus creatus fuerit. *Archiepiſcopus Sipontinus.*

Peruſiæ tandem *Umbriæque* Rector ac Moderator liberrimus, benè de Republ. literariâ meritus, exceſſit è vitâ admodùm ſenex apud Sentinum, in villâ *Fugitivâ*, vel *Fugicurâ*, à ſe appellatâ. Claruit autem An. C. 1470.

Ejus Scripta.

Edidit

Polybium, graviſſimum hiſtoricum Latinitate donatum.

Commentariorum Linguæ Latinæ Volumen, Cornucopiæ nomine, poſteà à *Pyrrho* nepote editum.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Pauli Jovii.*

Obiit A.C. 1472.

BESSARIO,

Cardinalis.

TRapezunti in Græciâ natus A.C. 1395. Diſcipulus *Georgii Gemiſti*, vel *Plethonis* Conſtantinopoli. Vir fuit ſpectatæ probitatis & excellentis eruditionis, cujus domus Romæ, inſtar Academiæ, Studioſis omnibus patuit, & apud quem Græci multi, arma Turcica fugientes, portum Salutis invenerunt, habitantem ſub Quirinali ad S. Apoſtolos.

An. C. 1439. à Summo Pontifice *Eugenio IV.* primus ex Græcis, unà cum *Iſidoro*, creatus eſt Cardinalis Nicenus, & Patriarcha Conſtantinopolitanus in Concilo Florentiæ habito. *Cardinalis Nicenus.*

Familiares ei fuerunt *Trapezuntius, Gaza, Argyropylus, Gemiſtus, Plethon, Blondus, Philelphus, Aretinus, Poggius, Valla, Perottus, Campanus, Platina, Sipontinus, Domitius.*

Jovius refert, Pontifice *Paulo II.* A.C. 1471 mortuo, tres ſummæ auctoritatis Cardinales eum in cellâ conclavis abditum acceſſiſſe, cum eo decreto, ut Pontificem ſalutarent; cum verò à Janitore, *Nicolao Perotto*, non admitterentur, quod *lucubranti parcendum* diceret, Cardinales ſtomachatos, & ſeſe indignanter avertentes, dixiſſe: *Ergò nec prenſanti, nec roganti quidem, ſumma dignitas erit inculcanda, ut, cum è cœlo ſuffragia expectet, ſuperbis & ſtolidis janitoribus pareamus*: ſtatimque ſuffragia *Sixto IV.* dediſſe. Quo facto, ferunt, *Beſſarionem* dixiſſe: *Hæc tua*, Nicolae, *intempeſtiva ſedulitas, & tiaram mihi, & tibi galerum eripuit.*

Legatus in Gall. Optimè de Republ. literariâ meritus, cum Legatus ex Galliâ rediiſſet, tandem morbo correptus, Ravennæ mortuus eſt 18. Nov. A.C. 1472. ætatis 77. *Obiit Ravennæ.* Sepultus Romæ in Templo Sanctorum Apoſtolorum, & Oratione funebri laudatus à *Bartholomæo Platinâ.*

Bibliothecæ ſuæ, Libris Græcis & Latinis refertæ, quos ex Græciâ attulerat, præfecit *M. Antonium Sabellicum*, Româ magno ſtipendio accerſitum, quam tandem Reipublicæ Venetæ Teſtamento legavit, quæque Venetiis ad S. Marcum aſſervatur.

Digitized by Google

Tumulus.

Tumulo ejus marmoreo hæc verba ſunt inſcripta, cum ſequenti Epitaphio:

BESSARIO, EPISCOPUS TUSCULANUS, S.R.E. CARD. PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS NOBILI GRÆCIA ORTUS ORIUNDUSQUE SIBI VIVENS POSUIT ANNO SALUTIS MCCCCLXVI.

Epitaphium.

EPITAPHIUM:

Τῦτ' ἐςὶ Βησσαρίων ζῶν ἄνυσε σώματι σῆμα.
Πνεῦμα δὲ φευξεῖται πρὸς Θεὸν ἀθάνατον.
Beſſarion feci hunc tumulum, qui conderet oſſa:
Venerat unde olim ſpiritus, aſtra petet.

Ejus Scripta.

Edidit

Commentarium de Fidei Chriſtianæ Articulis quibusdam contra Marcum Epheſium.

De Euchariſtia.

Platonis Philoſophi defenſionem adverſus Georgium Trapezuntium, qui *Ariſtotelem* longè *Platoni* antepoſuit.

Orationes de bello Turcis inferendo.

Laudes Trapezunti Patriæ ſuæ, & Iſthmi.

Conſolationes ad Imperatorem Græcorum.

E Græcis Latinè fecit

Ariſtotelis & Theophraſti μετὰ τὰ φυσικά.

Xenophontis de Dictis & Factis Socratis Lib. IV.

* *Ex vitis Virorum doctorum Pauli Jovii,* qui hoc ejus Iconi ſubſcripſit diſtichon:

Græcia me genuit; fovet Italis ora; galero
Roma colit; vitâ ſum Numa, & arte Plato.

Caſp. Cunradus in Millenario III. Proſopographiæ Melicæ hoc in ejus honorem diſtichon ſcripſit:

Linguarum ſtudium Sophiæq; viriliter urſi:
Laus Patriæ mea laus, & tua, Dive Plato!

JOHANNES DUGLOSSUS,

Obiit A.C. 1480.

Archiepiſcopus Leopolienſis.

Aliàs *Longinus* dictus, & *Dugloſſus*, nobilis fuit ex domo *Wieniava*, *Johannis Dugloſſi*, Præfecti Corcinenſis, filius, Vir eruditione, facundiâ, & dexteritate in rebus gerendis ſingulari præditus.

Canonicus Cracovienſis. Archiepiſcopus Leopolienſis.

Sub Imperatore *Friderico IV.* Canonicus fuit Cracovienſis, & poſtmodùm Archiepiſcopus Leopolienſis. Nomine *Caſimiri III.* Regis Poloniæ, varias obiit Legationes, ac Liberorum quoque ejus fuit Præceptor.

Author Contubernii Juriſperitorum Crac.

Primus in Academiâ Cracovienſi ad rei literariæ incrementum author Contubernii Juriſperitorum & fundator extitit, idemque fatiſcentium Eccleſiarum inſtaurator, & Xenodochiorum, pauperumque omnium communis veluti pater.

Vitâ deceſſit A.C. 1480.

Scripta.

Scripſit

Commentarium rerum Polonicarum, quod Chronicon usque ad ultimum annum vitæ ſuæ perduxit.

Vitam S. Stanislai tribus tractatibus comprehenſam. Hujus operis ſtylum *Surius* mutavit, & in compendium redegit.

Eccleſiæ Cracovienſis Acta, & Beneficiorum in Diœceſi illa Eccleſiaſticorum Synopſin.

* *Ex Elogiis & vitis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii,* & ex *Catalogo Hiſtoricorum Martini Zeileri.*

JOHANNES II.

Obiit A.C. 1503.

Archiepiſcopus Trevirenſis.

Adoleſcens duorum & viginti annorum, ex *Bernardo* Badenſi Marchione, & *Margareta*, *Caroli* Lotharingiæ Ducis filiâ natus, eximiâ indole, & literarum ſtudiis clariſſimus, Pontificia diſpenſatione, & Cæſaris gratia An. 1456. in Archiepiſcopum Trevirenſem electus, & An. 1464. jam per ætatem capax, à tribus Epiſcopis, *Trevirenſi* Suffraganeo, *Metenſi*que ac *Wormatienſi* in caſtro Sarisburgenſi conſecratus eſt, qui variis jam ubique diſſipatis diſſidiis, porrò à Burgundo adverſus Gallum fruſtra ſollicitatus, inermi, quàm armatæ Palladi ulterius vacare maluit.

Marchio Badenſis.

Archiepiſcopus Trevirenſis.

Quare Clero Populoque in Conſilium opemque vocato, inchoatum à *Jacobo* anteceſſore Academiæ negotium ſuſcepit, atque ut rata haberentur, à *Sixto*, *Nicolai* Pontificis diplomata, facilè impetravit. Tum verò acceptis à Senatu Trevirenſi duobus aureorum millibus, illorum fidei poteſtatique Academiam, (ut ex quâ potiſſimum relaturi fructum eſſent,) cum diplomatis Pontificum commiſit; qui convocatis in hanc rem artium ſcientiarumque Doctoribus, ex his Juris Divini humanique decem, viginti reliquarum facultatum Magiſtros delegêre, qui 16. menſis Martii An. 1472. cum Prælatis Urbisque Clero in ſumma æde, ad Sacrorum Solemnia, Spiritusque S. implorationem congregati, felix docendi auſpicium fecêre.

Academiam Trevirenſem inſtituit, Urbi illam cedit.

Cancellarius hujus Academiæ perpetuus ipſe Princeps creatus eſt; Patroni item Conſervatoresque perennes, ſummæ ædis Præpoſitus, tum *Philippus* à Sirk, Abbas S. Matthiæ, & Carthuſianus Prior, id temporis *Johannes Donnerius*, & *Johannes de Geiſmaria.* Primus Academiæ delectus Rector eſt *Nicolaus Raemsdonkius.*

Cancellarius & Conſervatores illius.

Primus Rector.

Omnes in hac Academiâ diſciplinarum facultates quod tradantur, Literæ Senatus publicæ An. 1472. 16 Martii vulgatæ, ſequentibus teſtantur verbis: *Univerſitatem, divinâ adſpirante gratiâ, ſolemniter eſſe inchoatam, cum proviſione lectionum conſuetarum, ac licitarum facultatum, Sacræ videlicet Theologiæ, Utriusque Juris, Medicinarum ac artium, cum magnificis ſtipendiis Doctorum legentium.*

Omnes Diſciplinæ in hac Academiâ traduntur.

Johannes verò Academiæ huic promovendæ ſummam ſemper dedit operam, atque ex indulgentia *Nicolai* Pontificis, confirmante *Sixto*, aliquot Academicis Sacerdotia tribuit.

Academiæ promotio.

Deinde ad Religionem tota Diœceſi ſanctius formandam verſus, Synodo indictâ id agere conatus eſt An. 1495.

Supre-

Mors Johannis.

Supremum autem tandem hic Archiepiſcopus obiit diem An. 1503, 9. Februarii Die, in *Arce Ehrenbreitſteinianâ*, jam pænè ſeptuagenarius, octavo & quadrageſimo Epiſcopatus ſui Anno.

Sepulchrum.

Exequiæ Principi huic Pacifico, religioſo, Eruditorumque Patrono *Treviris* inſtitutæ ſunt ſolennes, ſepultura humilis in occidua templi parte, ſub cælato, non tamen inſcripto, cenotaphio.

* *Ex Epitome Annalium Trevirenſium Jacobi Maſenii.*

JOHANNES ANTONIUS DE S. GEORGIO,

Cardinalis.

Obiit A.C. 1509.

Juris Canonici Profeſſor Patavii.

MEdiolani natus eſt ex nobili familiâ de *Sancto Georgio*, quæ ex *Urbe Placentiâ* traxit originem. Jurium ſtudiis addictus, Leges Canonicas in *Gymnaſio Patavino* publicè, cum magno Studioſorum concurſu, docuit.

Epiſcopus Alexandrinus.

Cum deindè in Patriâ Templi *S. Ambroſii* Majoris fuiſſet Præpoſitus, Papa *Sixtus V.* Epiſcopatum *Alexandrinum* ei contulit. Ibi magnis ſumptibus domum Canonicis inhabitandam, Templo Cathedrali contiguam, exſtruxit. Ab eodem Papâ Auditor Rotæ, & deinceps ab *Alexandro VI.* Cardinalis *Alexandrinus* cognomine factus eſt.

Auditor Rotæ. Cardinalis Alexandrinus.

Epiſcopus Parmenſis & Sabinenſis.

Epiſcopus *Parmenſis* poſteà declaratus, Sedem ibi Epiſcopalem multò ſplendidiorem reddidit, & tandem Epiſcopatum *Sabinenſem*, relicto *Parmenſi*, nactus eſt.

Intereà Pontificis *Julii II.* nomine recuperatione Urbium *Peruſiæ* & *Bononiæ* detenti, Legationem ad has Urbes ſummâ cum dexteritate obivit.

Moritur Romæ.

Romæ tandem ad vitam meliorem tranſiit 26 Martii An. C. 1509. Sepultus in Templo *S. Celſi*, Ponti Caſtelli Angelici vicino, ejusque funus Oratione, in laudes defuncti, honoratum eſt. Sepulchro hoc Epitaphium eſt inſcriptum.

Ejus Epitaphium.

D. O. M.

HIC SEPULTUM EST CORPUS DOMINI JOANNIS ANTONII DE SANCTO GEORGIO, MEDIOLANENSIS, EPISCOPI SABINENSIS, S.R.E. CARDINALIS ALEXANDRINI NUNCUPATI.

SOCIETAS SALVATORIS AD SANCTA SANCTORUM, HÆRES EX TESTAMENTO, B.M. POSUIT.

MDXI. VII. CAL. DEC.

Scripta.

Scripſit & edidit

Lecturas ad Decretum, & ſuper Decretales.

Commentaria ad titulum ſecundum Decretalium, de Appellationibus.

Commentaria ad quartum Decretalium, & in uſus Feudorum.

Orationem in Dominicâ Paſſionis coram Summo Pontifice habitam.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

JACOBUS II.

Archiepiſcopus Trevirenſis.

Obiit A.C. 1511.

Comes Badenſis. Archiepiſcopus Trevirenſis.

EX Nobiliſſima Comitum Badenſium proſapia ortus *Jacobus II.* in Archiepiſcopum *Trevirenſem* electus eſt, multis proceribus ipſi ſe fruſtra opponentibus, An. C. 1503.

Litem ſæpius cum Urbe *Trevirenſi* recrudeſcentem pace ſopivit An. 1506. Dumq; rebus aliis componendis ſedulam navaret operam, improviſo morbo, ac non multo poſt morte, in flore ætatis, 27 Aprilis die An. 1511. extinctus eſt, cujus funus *Richardus à Greiffenclau, Chriſtophorus Rinecus, Georgius à Petra, & Johannes à Modersbach*, Eccleſiæ Metropolitanæ Canonici, Confluentiam ad *S. Florinum* humandum traduxêre.

Moritur.

Hujus Succeſſor, *Richardus à Greiffenclau*, omnium ſuffragiis delectus, eidem Monumentum cum verſibus, *Jacobo Badenſi*, Archiepiſcopo dicatis, & hac inſcriptione, ſtatuit.

Monumentum.

RICHARDUS ARCHIEPISCOPUS INTEGRITATIS AC VIRTUTUM DEFUNCTI MEMOR: MONUMENTUM HOC POSTERITATI POSUIT.

Princeps eruditus.

Certè Princeps fuit hic *Jacobus*, ut in omni eruditionis excellens genere, ita variarum uſu linguarum promptus, auditusque, apud Cæſarem Principesque Imperii, quatuor aliquando diverſarum gentium Legatis, ſuâ quibusque linguâ reſpondere.

* *Ex Epitome Annalium Trevirenſium Jacobi Maſenii.*

URIEL à GEMMINGEN,

Archiepiſcopus Moguntinus.

Obiit A.C. 1514.

TAntos in honeſtiſſimis ſtudiis habebat progreſſus *Uriel à Gemmingen*, Suevorum ſtirpe nobili ſatus, ut Legum Doctor creatus ſit, ac Majoris Eccleſiæ *Moguntinenſis* Decanus.

Doctor Juris.

Archiepiſcopus Moguntinus.

In *Jacobi* locum electus eſt Archiepiſcopus *Moguntinus* An. 1508. 6. Cal. Octobr. ſed An. 1509. Dominicâ Lætare inauguratus, ſingulari vitæ gravitate animique conſtantiâ præclarus Princeps, præfuit ann. 4. menſ. 4. d. 14.

Intereſt Conventui Trevir.

Frequentiſſimo Principum Conventui, quem *Treviros* acciverat Imperator, quando inconſutilis Domini tunica de Altari ſummo, jam ab Anno 1196 in eodem recondita, prolata fuerat, interfuit.

Feſtum D. Virginis ad Nives annuè in Eccleſia celebrandum inſtituit.

Moritur.

Mortuus eſt An. 1514. die 9. Febr. ætatis ann. 45. ac in majoris Eccleſiæ *Moguntinæ* ambitu ſepultus jacet, ubi in ipſius monumento publica inſcriptio ſequens habetur:

Monumentum.

URIELI DE GEMMINGEN, ARCHIEPISCOPO MOGUNTINO, PRINCIPI ELECTORI, VIRO SINGULARI VITÆ GRAVITATE, ANIMIQUE CONSTANTIA PRÆCLARO,

QUI

Digitized by Google

QUI POSTEAQUAM SEDIT ANNIS IV. MENS. IV. ÆTATIS SUÆ ANNO XLV. A CHRISTO NATO MDXIV. V. ID. FEBR. VITAM CUM PONTIFICATU DEPOSUIT.

* *Ex Nicol. Serarii de rebus Mogunt. tract.*

Obiit A.C. 1515.

DIDACUS DEZA,

Archiepiſcopus Hiſpalenſis.

PRimùm in Cœnobio *S. Hildephonſi in Tauris* Dominicanorum fuit Ordini adſcriptus. Æquales ſuos tàm in Philoſophiâ quàm Theologiâ longè ſuperavit, ita ut & hanc Salmanticæ de ſuperiore loco fuerit profeſſus.

Theologiæ Profeſſor Salmanticæ.

Inde evocatum Catholicus Rex *Ferdinandus*, & Regina *Iſabella*, Præceptorem *Johannis* Principis, Regnorum hæredis, ſtudiis præfecerunt.

Præceptor Principis Hiſpaniarum.

Mox ad *Zamorenſem* Epiſcopatum traductus, hinc ad *Salmanticenſem*, dein ad *Palentinum*: rurſum ad *Hiſpalenſem* in Bœticâ Archiepiſcopatum evectus: ubi Collegium *B. Thomæ* Sodalibus ſuis exſtruendum curavit.

Archiepiſcopus Hiſpalenſis.

Fuit & eidem Catholico Regi à Confeſſionibus, atque à Sacris primarius.

Regi Hiſpaniarum à Confeſſionibus.

Cum verò Quæſitoris munere liberari *Thomas Turrecremata*, ob decrepitam ſenectutem, poſtulâſſet, ejus in locum ſuffectus Didacus eſt.

Hiſpali Epiſcopatum cum geſſiſſet, Regis munificentiâ deſignatus *Toletanus* Archiepiſcopus, qui & Hiſpaniæ primas obtinet, eò dum proficiſcitur, in itinere extinguitur An. C. 1515.

Deſignatus Archiepiſcopus Toletanus.

Hæc inter negotia, quæ tractavit, publica, ſtudiis adeò deditum quis credat?

Scripta. Scripſit enim plurima:

Doctrinæ S. Thomæ defenſionem contra Lyranum, Paulum Burgenſem, & Matthiam Saxonem, Hiſpali An. 1491.

In 4. Evangeliſtas Monoteſſaron inſcriptum.

Homilias in Anni totius Feſtos ac Dominicos dies.

In 4. Magiſtri Sententiarum Libros, Tomos totidem.

In Orationem Dominicam Lib. I.

* *Ex Bibliotheca Hiſpaniæ variorum Auctorum.*

Obiit A.C. 1516.

FRANCISCUS XIMENIUS,

Cardinalis.

HOneſto loco natus, *Tor de lagunda*, haud procul à *Salamancâ*, animo excelſo, pius tamen, eruditus & eruditorum fautor fuit egregius. Multa Monaſteria utriusque ſexûs, & publica Valetudinaria condidit; inſignem quoque Academiam *Complutenſem* impenſâ ſuâ inſtituit A. 1517.

Fundator Academiæ Complutenſis.

Sacerdotia, quæ in *Toletanâ* ditione opima ſunt, doctis & idoneis dabat, & non rogatus facilius quàm rogatus, imò rogatus vix cuiquam dabat.

Sacra *Biblia* quatuor Linguis, Chaldæâ, Hebræâ, Græcâ & Latinâ, ſummâ accuratione, propriis ſumptibus 60000. Ducatorum, excudenda curavit.

Author Bibliorum Complutenſium quadrilinguiû.

Ad menſam ferè cum viris doctis, Theologis præſertim, de re Theologicâ commentabatur: In quibus Princeps fuit *Hadrianus*, qui & ipſe Hiſpaniæ Regna unà adminiſtrabat, & ex *Dertuſano* Epiſcopo abſens à Cardinalium Collegio creatus eſt Pontifex Maximus.

Accedit ad multa præclara ejus opera, quod, trajecto freto Gaditano, *Oranum*, urbem Africæ opulentam, multisque domorum millibus inſignem, *Saracenis*, Duce *Petro Navarro*, eripuerit: quam poſtea *Ferdinando* Regi Catholico, receptis duntaxat belli ſumptibus, ceſſit, à Regibus abindè præſidio Hiſpanico munitam.

Oranum, Africæ urbem expugnatam, Regi Catholico donavit.

Inſtitutum Franciſcanorum, quod nondum Præſul ſuſceperat, in maximis etiam negotiis diligenter obſervavit.

Ordinem Franciſcanorum ſuſcepit.

Hæc *Gerardus Moringius* in *Hadriani IV.* Pontificis Maximi, vitâ ſcripſit. Extant etiam *Libri VIII.* de ejus rebus geſtis, copioſè ab *Alvaro Gometio Toletano*, literarum Græcarum *Toleti* Doctore, Latinè conſcripti.

Tumulus ejus *Complutí* viſitur, cum hoc Epitaphio:

Epitaphiû.

FRANCISCUS XIMENIUS.

CISNERIUS ORD. MINOR. TOLET. ARCHIEPISC. S. R. E. CARD. S. BALBINÆ A JULIO II. PONT. MAX. CREATUS A. D. XVI. KAL. JUN. ANNO CIↃ IↃ VII. HISPAN. PRIMAS, ET PRO CAROLO V. CÆS. GUBERNATOR, AUCTORQUE ACADEMIÆ ET BIBLIOR. COMPLUTENS. OBIT VI IDUS NOVEMB. CIↃ IↃ XVI. ÆTATIS FERME LXXX.

Cardinalis S. Balbinæ.

Gubernator Hiſpaniarum.

(*) *Ex Elogiis 12. Cardinal. doctor. à Theod. Galæo editis.*

* * *

Tumulo ejus *Complutí* hi verſus inſcripti leguntur in Collegii à ſe conſtructi ſacrâ æde, à *Johanne Vergarâ*, Canonico Toletano, facti:

Condideram Muſis Franciſcus grande Lycæum,
Condor in exiguo nunc ego ſarcophago.
Prætextam junxi ſacco, galeamque galero,
Frater, Dux, Præſul, Cardineusque Pater.
Quin virtute meâ junctum eſt diadema cucullo,
Quum mihi regnanti paruit Hiſpania.

(*) *Ex Bibliothecâ Hiſpanicâ.*

Chronicon Minimorum refert, eum quotannis, primo anni die, peculiarem per ſortem ſibi elegiſſe Sanctum, ad quem totius anni curſu preces ſuas dirigeret, & ita 40. annorum ſpatio totidem habuiſſe Patronos, quot devote coluerit.

MAR-

Obiit A.C. 1517.

MARCUS MUSURUS,

Cardinalis.

Profeſſor Linguæ Græcæ Patavii.

GEnere *Cretenſis*, exactæ diligentiæ Grammaticus, & raræ felicitatis Poëta, in Gymnaſio *Patavino* aliquandiu Græcos authores interpretatus, ſecundâ perſpicacis ingenii famâ ad integram doctrinæ maturitatem pervenit, Græcis Latina, Latina Græcis aptè componens, (unde perquàm multi in præclaros utriusque Linguæ viros evaſère,) ſed ſævâ conjuratione externarum gentium, afflictis bello *Venetis*, inde exturbatus, ita tranquillum otium quæſivit, ut Græco Carmine Divini *Platonis* laudes elegantisſimè decantaret. Extat id Poëma, & in limine operum *Platonis* legitur commendatione publica cum antiquis elegantiâ comparandum.

Archiepiſcopus Epidaurenſis.

Leone autem X. ingeniis illuſtribus præclara prœmia proponente, *Romam* venit; nec multò pòſt *Manilio Rallâ*, eruditi judicii viro Græco, morte ſublato, Archiepiſcopus *Epidaurenſis* effectus eſt.

Cardinalis paulò ante mortem.

Eam verò ſecundæ fortunæ celeritatem, quaſi ab occultis fatis majora prœmia monſtrarentur, immoderato animo tulit, ſic ut, inſanâ percitus ambitione, præproperus ad Purpuram aſpiraret, cum ſæpè quereretur, Græci generis neminem, quaſi probro gentis, lectum fuiſſe, quando Princeps, in donandâ Purpurâ maximè liberalis, uno comitiali die, ſupra 30. nationum omnium delecta capita galero purpureo perornâſſet.

Ab hâc intempeſtivâ ſiti contabuit corpus ejus adeò celeriter, ut obrepente morbo intercute, vix deguſtatâ Cardinalatûs dignitate, Romæ exſpirârit An. C. 1517. In Templo Pacis tumulatus eſt. *Amiterninus* autem *Antonius* ſepulchro hoc diſtichon inſcripſit:

Sepulchrum.

> *Muſure manſure parùm, properata tuliſti*
> *Prœmia; namque citò tradita, rapta citò!*

Scripta.

Scripſit

Epigrammata Venetiis An. 1500. edita.
Carmen eruditum in Divini Platonis laudem.
Præfationem in Ethymologicum magnum.

* *Ex Elogiis Viror. doct. Pauli Jovii.*

Obiit A.C. 1520.

CLAUDIUS SEYSELIUS,

Archiepiſcopus Taurinenſis.

Juris Profeſſor Taurinenſis. Legatus Ducis Sabaudiæ.

NAtione *Sabaudus*, Juriſconſultus excellens, in Academiâ *Taurinenſi* Juris Civilis Profeſſor fuit, & multas Legationes, Ducis *Sabaudiæ* nomine, ad Regem Galliæ *Ludovicum XII.* varioſque alios PrincipesChriſtianos, ſummâ cum laude obivit.

Archiepiſcopus Taurinenſis.

Factus deindè Epiſcopus *Maſſilienſis*, & tandem Archiepiſcopus *Taurinenſis*, obiit ult. Maji A. C. 1520. Collegium Canonicorum Templi Cathedralis, quod *Taurini* extruxit, Statuam ei in Sacrario Templi erexit, cum hac ſubſcriptione:

Inſcriptio Statuæ.

CLAUDIO SEYSELIO,
LUDOVICI XII. FRANCORUM REGIS A REQUEST. MAGISTRO, PRO EODEM AD OMNES FERE CHRISTIAN. PRINCIPES ORATORI ELOQUENTISS. MASSILIÆ PRÆSULI, TAURINORUM ARCHIEPISCOPO JUR. CONSULTISS. ATQUE HUJUS SACELLI FUNDATORI COLLEGIUM CANONICORUM PIENTISS. PATRI
P.
OBIIT PRID. CAL. JUNII MDXX.

Scripſit & edidit: *Scripta.*

Comment. in tria prima Lucæ Capita.
De triplici ſtatu Viatoris ad Leonem X.
Speculum feudale.
Additiones ad Bartolum.
Contra Hæreticos Valdenſes Lugdunenſes.
Tractatum de divina Providentia.

Idiomate Gallico ſcripſit

Tract. de Republica Gallica.
De Officio Regis Lib. II.
Hiſtoriam Ludovici XII. Regis Galliarum.
Diſcurſum de Victoria, quam Rex Galliæ Ludovicus XII. in Lombardia contra Venetos obtinuit.

Ex Linguâ Latinâ in Gallicam tranſtulit

Hiſtoriam Thucydidis de Bello Athenienſi.
Appiani Alexandrini de bello Romano.
Trogi Pompeji, abbreviatam à Juſtino.
Diodori Siculi de Factis Succeſſorum Alexandri Magni.
Xenophontis de Factis Regis Cyri.
Hiſtoriam Eccleſiaſticam Euſebii Cæſarienſis.
Opera Senecæ.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

POMPEJUS COLUMNA,

Obiit A.C. 1529.

Cardinalis.

Cardinalis Baſilicæ 12 Apoſtolorum.

DOmo *Romanus* ex illuſtri familiâ, Epiſcopus *Reatinus*, S.Rom.Eccleſiæ Presbyter Cardinalis Baſilicæ S. XII. Apoſtolor. à S.P. *Leone X.* An. 1517. creatus, Vir doctus & militaris cum Cæſarianis, Duce *Borbonio*, Romanæ cladis ſpectator adfuit An. 1527.

Sacerdos & Militaris Dux.

Ambiguam ſui nominis famam laudemq; reliquiſſe videri poteſt, cum miro ingenio diverſiſſimi muneris partes impleret: atque in Sacrâ Purpurâ mitratus, & militari ſago galeatus Sacerdotis ante aras, & in caſtris ſtrenui Ducis officia exequeretur: Nam ad utrumque munus cum peramplum excelſi corporis habitum, tum gravis pariter & perjucundi oris geſtum, & facundiam illuſtrem, quò oporteret, decenter transferebat. Vir etiam ingentis animi & induſtriæ, non *Pompeji* tantùm nomine, ſed *Magni* item cognomine dignus exiſtimari poterat.

Romæ captæ Spectator.

Exequiis intermortuæ Patriæ, & capti Pontificis *Clementis VII.* Tragœdiæ Spectator interfuit. Verùm ſecus ac optabat, ma-

D muro

Digitized by Google

Præfectus Regni Neapolitani.
Ex ficuum eſu obiit.

turo fato cedens, *Clementem* bienio anteivit, cum apud *Neapolim* regno adminiſtrando Præfectus à Cæſare *Carolo V.* poſt comeſtas ficus biferas, quas nive refrigerârat, in complexu *Auguſtini Niphi Sueſſani*, clariſſimi Medici, integris ſenſibus exſpirâſſet, Anno ætatis 53. cum *Carolus*, comparatis ingentibus copiis, *Solymanno* Turcarum Imperatori in *Pannoniam* redeunti, ad *Viennam* occurriſſet An. C. 1529.

Quibus artibus *Caroli V.* Cæſaris gratiam ſingularem promeruerit, & quibus de cauſis ab amicitiâ Pontif. *Clementis VII.* diſceſſerit, diffusè deſcriptum eſt à *Paulo Jovio, Epiſcopo Nucerino, in Libro ſingulari de Pompeji hujus vitâ*, & *Lib. VI. Elogior. militar.*

* *Ex Theodori Gallæi Elogiis 12 Cardinalium Doctrinâ illuſtrium.*

Obiit A.C. 1530.

THOMAS VOLSÆUS,

Cardinalis.

Grammaticam docuit.
Sacerdos & Capellanus.

IPswici, in *Suffolciâ*, *Angliæ* Provinciâ, Patre plebejo natus An. C. 1470. Adoleſcens *Oxoniæ* literis expolitus in Collegio *Magdalenſi*, Scholæ Grammaticæ Collegio adjacentis Magiſter factus eſt. Poſteà à Marchione *Dorſettiæ*, cujus filios *Oxoniæ* docuerat, ornatus fuit Sacerdotio.

Marchione demortuo, Capellanus fuit *Johanni Naphanto*, Equiti aurato, quo Patrono effectum, ut Regis *Henrici VII.* Sacellanus evaderet.

Legatus ad Imperatorem Carolum V.
Decanus Lincolnienſis.
Eleemoſynarius Regius.

Cùm autem Vir eſſet excellentis ingenii, eruditus, blandus & affabilis, in Regis ſui gratiam ita ſeſe inſeruit, ut ſtatim eum in re magni momenti ad Imperatorem *Carolum V.* in *Belgium* ablegârit: quò ille tam feſtinanter contendit, ut intra quatriduum poſt miſſionem ſuam, vento cœloque faventibus, Regis negotio ex animi ſententiâ confecto, ad Aulam redierit. Unde Rex Decanum *Lincolnienſem*, &, morti vicinus, ſibi ab Eleemoſynis eum eſſe voluit.

Conſiliarius Regius.

An. 1509. Rege demortuo tam celeriter ſibi filii, Regis *Henrici VIII.* gratiam conciliavit, ut ab eo inter Conſiliarios intimos cooptatus, omnia pænè Regni negotia ſibi à Rege commiſſa adminiſtrârit, dum is interim voluptatibus ſuis obſequeretur. Perſuaſerat enim Regi, ſe intra unicum horæ nocturnæ quadrantem res in Senatu geſtas tam plenè relaturum, ac ſi ipſe Rex per totum diem tam prolixis Conſultationibus interfuiſſet.

Epiſcopus Tornacenſis & Lincolnienſis.
Archiepiſcopus Eboracenſis.

Hinc Rex eum, Ambitione turgentem, Epiſcopum *Tornacenſem* in *Gallia*, mox *Lincolnienſem* in *Anglia*, & exigui temporis intervallo pòſt Archiepiſcopum *Eboracenſem* declaravit.

Legatus à Latere S. Pontif.
Cardinalis.

Deindè à Papâ *Leone X.* obtinuit, ut ei Legatus à Latere fieret, nec ita multo pòſt ad ipſum Cardinalatum A. C. 1515. aſcenderet.

Magnus Angliæ Cancellarius.
Epiſcopus Bathonienſis.

Poſtea ita egit cum Rege ſuo, ut ab eo Magnus *Angliæ* Cancellarius conſtitutus, nec dum contentus Epiſcopatum etiam *Bathonienſis* Eccleſiæ aſſecutus fuerit: quam dignitatem mox depoſuit, ut *Dunelmenſis* Epiſcopus fieret, & cum hoc etiam Epiſcopatu ſe abdicâſſet, *Wintonienſem* ſuſcepit.

Epiſcopus Dunelmenſis & Wintonienſis.
Ædificia exſtruit ſplendida.

Intereà duo Collegia magnifica *Ipswici* & *Oxoniæ* inchoavit, & *Windeſoræ* tumulum ſplendidiſſimum, quæ ſi ad faſtigiū perducta fuiſſent, inter 7 mundi miracula numerari potuiſſent; nec mirum, cum reditus ejus annui omnium Epiſcopatuum & Decanatuum Anglicorum fructus excedere crederentur.

Palatium Whitehall condidit.

Ædificavit etiam & perfecit Domum Regiam *Hamptonienſem*, & Palatium Regium Weſtmonaſterii, *Whitehall* dictum.

Thomæ Mori egregia reſponſio.

Cum aliquando in Concilio Regni Procerum rem toti Regno damnoſam propoſuiſſet, quam omnes vel metu vel ignorantiâ approbârant, ſolus verò *Thomas Morus* rationibus gravibus impugnârat, eum ita affatus eſt: *Pudeat Te, conditione & ortu minimum, ex ſtultâ præſumptione plus ſapere velle tot tantisq; Viris nobilibus & ratione pollentibus.* Sed *Morus* reſpondit: *Ergò meritò Vobis omnibus Deo gratiæ ſunt agendæ, quod Rex Veſter inter Regni ſui Conſiliarios unicum modò ſtultum habeat.*

Imperator Carolus V. filium vocavit.

Carolus V. Imperator adeò coluit eum, ut in literis, quas ad eum crebras manu ſuâ ſcripſerat, filii nomen & cognati in ſuperſcriptionibus apponeret: utque vanitatem hominis magis inflammaret, ſpem ei dedit, fore, ut poſt mortem *Leonis X.* Cardinalium votis in Pontificem Romanum eligeretur. Verùm cum *Leoni Hadrianus* ſuffectus eſſet, deluſum ſe egrè ferens, odium in Cæſarem vertit, & *Henrico VIII. Angliæ* Regi ſuadere contendit, ut *Catharinâ, Caroli V.* materterâ repudiatâ, *Margaretham*, *Franciſci Galliæ* Regis ſororem, in uxorem duceret; Regem enim *Angliæ*, & Regnum, ſolus ferè ad placitum ſuum gubernavit.

Regis favore excidit.
Ad egeſtatem redactus.

Sed cum ad altiſſimum dignitatis gradum perveniſſet, ut altius attolli non potuiſſet, An. 1527. ſcala nutare cœpit. Cum enim in divortii Regis cum *Catharinâ* negotio tepidiorem ſe, Regis judicio, præbuiſſet, gratiâ hujus excidit, qui eum Cancellariatu exuit, & cum omnes ejus opes in poteſtatem Regis veniſſent, denique cum illo res eò rediit, ut ſine re & ſpe coactus oberrare, ne lectum quidem, in quo dormiret, niſi mutuatitium habuerit.

Præ mœrore obiit.

Deindè in Provinciam *Eboracenſem* amandatum, nec diu ibi commoratum, *Thomas Hovardus*, Comes *Nortumbriæ*, tanquàm læſæ Majeſtatis Regiæ reum, comprehendit, & *Londinum* deportandum curavit. At *Leiceſtriæ* in itinere morbum ex animi mœrore contraxit, & morte ingruente, reſipiſcentis inſtar, dixiſſe fertur: *Si Deum tam diligenter coluiſſem ac Regem colui, non me nunc in canâ ſenectute dereliquiſſet.* Ita exſpiravit in Abbatiâ *Leiceſtrienſi*, ubi etiam ſepultus eſt, 29 Nov. An. C. 1530. ætatis 60.

Non conſtat, an Romano-Catholicus obierit, quoniam ſe promptum Regi ſuo adjutorem in ſupprimendis Monaſteriis præbuit,

buit, ita, ut *Onuphrius Panvinius*, Epiſcopus *Veronenſis*, eum fæcem & ſcandalum generis humani nominaverit, qui a Summo Pontifice ideò tandem excommunicatus fuerit.

* *Ex Herologiâ Anglicâ.*

Scomma in eum.

Scomma ſequens in *Volſeum* nonnemo poſuit:

Dicere Grammatices ratio permittit: Ego & Rex,
Ethica te jubet Ars dicere: Rex & Ego.
Hæc eſt nimirum vivendi ars, illa loquendi,
Principis hæc Aulæ ſerviat, illa Scholæ.

Obiit A.C. 1531.

JOHANNES LASCIUS,

Archiepiſcopus Gneſnenſis.

VIr generis nobilitate, linguarum peritiâ, & rerum tractandarum uſu toti pene *Europæ* notus, præter ſplendorem familiæ ſuæ, quam Comites à *Lasko*, togâ pariter ac ſago illuſtres, ornârunt, (inter quos fuerat *Hieronymus* & *Albertus*, ex Ordine ſibi in Palatinatu *Stradienſi* ſuccedentes,) non poſtremam quoque gloriam genti ſuæ attulit. Nam à puero in aulis Principum enutritus, graviſſimas pro Patriâ Legationes obivit, & in Concilio *Lateranenſi* magnâ cum autoritate Regis ſui perſonam geſſit, & primus Eccleſiæ ſuæ *Legati nati* titulum ex eo tempore peperit, quamvis & ante illum ſemper Archiepiſcopi *Gneſnenſes*, Primates Regni & Principes Religionis in *Poloniâ* haberentur.

Legatus Regis Polon. in Concilio Lateranenſi.

Cancellar. Polon. Archiepiſcopus Gneſnenſis.

Præpoſitus primùm *Poſnanienſis*, Regni deinde Polonici Cancellarius, Eccleſiæ tandem *Gneſnenſis* Archiepiſcopus, hanc annis 21 ſummâ curâ & diligentiâ rexit.

Antiquar. Primus Statuta Polonica ſcripſit.

Intereà nummos veteres, ſigna, tabulas, libroſque calamo exaratos magnâ induſtriâ collegit. Primus etiam, juſſu Regis *Alexandri*, Statuta & Leges *Poloniæ* conſcripſit.

É vitâ tandem deceſſit, inaugurato Rege *Sigismundo Auguſto* 19 Maji An. C. 1531. Sepultus in Cœmeterio Eccleſiæ ſuæ titularis, cum tali Inſcriptione:

Epitaphium.

JOHANNES DE LASKO, EX CANCELLARIO REGNI ARCHIEPISC. GNESNENS. LEGATIONIS NATÆ AUCTOR, TERRAM FIGULI EX URBE, ET AB HIEROSOLYMIS INDUCIT, QUA COEMETERIUM HOC CONSPERGIT, ET URNAM GLEBÆ SUÆ HOC LOCI PONIT. MORITUR TANDEM AN. DOM. MDXXXI.

Ejus Scripta.

In lucem dedit

Conſtitutiones Regni Pol. omnes, Privilegia, libertates, & immunitates ex archivo & ſcriniis depromtas, in unum volumen congeſtas.

Librum Juris Feudalis, & Juris Magdeburgenſis, quo communiter in Poloniâ Oppidani utuntur.

Summæ Juris antiqui Raymundi Parthenopæi Libr. V.

* *Ex Elogiis centum illuſtrium Pol. Scriptor. Simonis Starovolſcii.*

GUILIELMUS ENCKEVORTIUS,

Cardinalis.

Obiit A.C. 1534.

Epiſcopus Dertuſenſis & Trajectenſis.

BRabantus, *Sylvæducenſis*, ex Canonico *Antverpienſi* Eccleſiæ *Dertuſenſis* Antiſtes, deindè etiam Eccleſiæ *Trajectenſis* Epiſcopus 59. per *Clementem VII.* Pontificem Maximum, declaratus eſt. Anno verò Chriſti 1523 Papa *Adrianus VI.* hunc unicum Cardinalem Presbyterum S. S. Johannis & Pauli creavit.

Cardinalis.

Romæ tandem A.C. 1534 de ſtatione hujus vitæ deceſſit, jacetque in æde S. Mariæ de Animâ cum hoc Epitaphio:

Ejus Epitaphium.

WILHELMO ENCKEVORTIO, BRABANTINO, S.R.E. PRESBYTERO CARD. QUI PLURIMIS ROMANÆ REIPUBL. MAGISTRATIBUS, ET GERMANIÆ PROCURATIONE INTEGERRIME FUNCTUS, AB ADRIANO VI. PONT. MAX. CUJUS ITEM RES ADMINISTRAVERAT, LIBELLIS DANDIS, ET ECCLESIÆ DERTUSENSI PRÆFECTUS, ET IN CARDINAL. COLLEGIUM CLARO BENEVOLENTIÆ INDICIO, TRANSLATIS IN EUM PRISTINÆ SUÆ DIGNITATIS INSIGNIBUS, SOLUS COOPTATUS: DEINDE ETIAM A CLEMENTE VII. ECCLESIA TRAJECTENSI HONESTATUS EST. CAROLO VERO IMPERAT. LIBENTISS. QUEM AB ILLO CORONAM IMPERII ACCIPIENTEM INUNXIT, QUIQUE BENEFICIORUM MEMOR HADRIANI CADAVER E PETRI BASILICA IN HANC ÆDEM, CUJUS CONSTRUENDÆ ET ORNANDÆ ADJUTOR FUIT, SEPULCHRO POSITO TRANSFERRI CURAVIT. IN EGENOS ET IN OMNES HOMINES BENEFICENTISS. JOHANNES DOMINICUS TRANENSIS, ANTONIUS SANSEVERINUS CARDINALES, ET PETRUS VORSTIUS EPISCOPUS AQUENSIS, ANDREAS CASTILLO SCRIPTOR APOSTOL. EX TESTAMENTO POSS. VIXIT ANNOS LXX. MORTEM OBIIT M DXXXIV.

Scripſit

Ejus Scriptum.

Orationem ad Theologiæ Facultatem Lovanienſem.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

THOMAS DE VIO,

Cardinalis Cajetanus.

Obiit A.C. 1534.

Monachus Dominicanus Archiepiſcopus Panormitanus & Cardinalis.

CAjetæ, Civitate maritimâ Regni *Neapolitani*, natus, Philoſophus fuit eximius, Ordinis Dominicani Religioſus & Generalis, Epiſcopus *Cajetanus*, Archiepiſcopus *Panormitanus*, tandemque Cardinalis, & Legatus in Germaniam, quo tempore *Martinus Lutherus Wittenbergæ* Pontificiam fidem impugnavit.

Legatus Wittenbergam.

Hâc Legatione finitâ, Pontifex *Adrianus VI.* in *Hungariam* eum miſit, cum ſalario militibus contra *Turcas* dando. Exindè revocatus *Romam* à *Clemente VII. Adriani* Succeſſore,

Digitized by Google

ceſſore, expilationi hujus Urbis à Duce *Borbonio* factæ interfuit, & unà cum aliis Cardinalibus captus à militibus, manus eorum evadere non potuit, niſi numeratis 5000 Coronatis.

Roma captus.

Romæ tandem pridiè ante Papam *Clementem VII.* vitam finiit 10 Aug. An. C. 1534. ætat. 65. Sepultus fuit ante portam Templi Minervæ, ſicut Teſtamento mandaverat, cum hâc Inſcriptione:

Ejus Epitaphium.

HAC INTERIORI FOSSULA, QUAM LECTOR INSPICIS, FELICIS MEMORIÆ THOMÆ DE VIO, ORDINIS PRÆDICATORUM, CARDINALIS CAJETANI CONSERVANTUR OSSA. QUI, DUM VIXIT, ITA MORIBUS, ATQUE OMNI DOCTRINA HUMANO GENERI PROFUIT, UT PRO TANTO BENEFICIO DEO GRATIAS AGERE, AC PRO EJUS ANIMA MERITO PRECES FUNDERE TENEAMUR. HIC QUORUNDAM ALIORUM INANEM DECLINANS FASTUM HUMILI HOC SE CONDI JUSSIT TUMULO.

VIXIT ANNOS LXV. DIES XXIX.
OBIIT ANNO CHRISTI MDXXXIV.
THOMAS DE VIO, CAJETANUS CARDINALIS S. SIXTI S. ORDINIS PRÆDICATORUM.

Scripta.

Edidit
In Univerſalia Porphyrii.
In Libros Ariſtotelis Logic. & de Animâ.
In Pentateuchum.
In tria priora Capita Eſaiæ.
In Libros Hiſtoriales, & Sapientiales Bibliorum.
In Pſalmos.
In quatuor Evangeliſtas & Acta Apoſtolorum.
In Epiſtolas D. Pauli.
In Summam S. Thomæ Commentaria.
Summulam de Peccatis.
De Poteſtate Papæ & Concilii.
De Cambiis.
De Maleficiis.
De Votis.
De Uſurâ.
De Eleemoſyna.
De Circumſtantiâ diei feſti.
De Conceptu Entis.
De Infinitate Dei.
De Celatione Confeſſoris.
De Potentiâ neutrâ.
De Nominum Analogiâ.
De Subjecto naturali Philoſophiæ.
De Uſu ſpiritualium rerum in peccato mortali.
De Pontificatûs Inſtitutione Divinâ.
De Synodorum Differentiâ.
De Simonia.
De Caſtitate.
De Matrimonio.
Quæſtiones de Cælo & Mundo, & de Senſu agente.
De Unione Verbi Dei.
De Immortalitate Animorum.
Quomodo Spiritus patiantur ab Igne.
De Spaſmo Virginis.
Adversùs Lutherum de Fide & Operibus.
De Communione.
De Confeſſione.
De Satisfactione.
De Invocatione Sanctorum.
De Monte Pietatis.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

AUGUSTINUS SPINULA, *Cardinalis.*

Obiit A.C. 1537.

SAonæ, vetuſto & celebri ditionis *Genuenſis* oppido, natus, Sacrum Purpuræ honorem, ne quid ad cumulandam gentis gloriam deeſſet, in familiam ſuam primus intulit.

Primus ex Familiâ ſuâ Cardinalis.

Cum in Senatum Cardinalium à *Clemente VII.* Pontifice Maximo adoptatus, & *Peruſino* Epiſcopatu auctus eſſet, ampliſſimum Romanæ Quæſturæ Magiſtratum, quem S. R. E. Camerarium vulgò vocant, annos aliquot obivit: Cujus quidem munus hoc proprium ac perpetuum, annonam frumentique copiam æternâ in Urbe curare. Quo in genere ita ſe geſſit, Romano ut Populo, ob annonæ vilitatem, aliaque cum publica tum privata beneficia, gratiſſimus extiterit.

Camerarius Eccleſiæ Romanæ.

Beneficus erga pauperes.

Neminem illo ævo Sacri Ordinis, *Roma* ſenſit magis munificum, atque in egenos, clientes, contubernales & amicos benignus magis fuit ac profuſus, cum alioqui à luxu ipſe domeſtico ac faſtu externo quammaximè abhorreret.

Obiit Vir Optimus, magno Civium Romanorum luctu, A. C. 1537. Ex Urbe *Saonam* transvectus, & in Majorum monumenta illatus.

* *Ex Elogiis Gentis Spinulæ, ab Auberto Miræo editis.*

ANDREAS CRICIUS, *Archiepiſcopus Gneſnenſis.*

Obiit A.C. 1537.

NAtus eſt in *Poloniâ* majori, *Lenciciensi* Palatinatui adſcriptâ, ubi humanioribus, deindè *Cracoviæ* Philoſophicis ſtudiis operam dedit, & *Alexandrum de Myſcezyn*, qui poſtea Canonicâ dignitate & Suffraganei munere ornatus vixit, aſſiduè audivit.

Provectior *Lutetiam Pariſiorum*, luſtrandæ *Galliæ* gratiâ, conceſſit. Inde in *Italiam* transgreſſus, *Bononiam* ſe, ad diſcendam Jurisprudentiam, contulit, in eâque tantos brevi tempore progreſſus fecit, ut adhuc adoleſcens publicè de utroque Jure reſponderit, eoſque honores conſecutus fuerit, qui confecto ſtudiorum curriculo decerni ſolent.

Jur. Doctor Bononiæ.

Mox in Patriam reverſus, non Principi ſolùm, ſed omnibus etiam, ob ingentes animi dotes, gratioſus fuit, quæ eum gradatim per honores in ſupremo ad extremum dignitatis faſtigio, poſt obitum *Martini Drevitii*, Archiepiſcopi *Gneſnenſis*, collocârunt.

Archiepiſcopus Gneſnenſis.

Hic

Hic prima illi cura fuit, Bibliothecam inſtruere, Veterum ſcrinia excutere, & manuſcripta exemplaria conquirere. Quâ in re, præter alios Viros eruditos, Coadjutorem habuit præcipuè *Clementem Janicium*, Poëtam Clariſſimum, quem, ad *Premislienſem* primò, deindè *Plocenſem* evectus Epiſcopatum, magno ſumptu penes ſe aluit. Quamvis enim in dicendo facundiſſimus haberetur, magis tamen eum, (ut & *Johannem Dantiſcum*, Epiſcopum *Varmienſem*, Collegam ſuum,) ligatum ſcriptionis genus oblectabat, quo *Elegias*, *Epigrammata*, & *Librum Epiſtolarum*, ad imitationem *Ovidii*, ad amicos conſcripſit.

Poëta.

Conſiliarius Regius.

Ipſe inter togatos Regis Conſiliarios, tranquillis & turbidis rebus ſemper è Principibus unus fuit, quem Deus magna Eccleſiæ *Polonicæ* commoda agitantem, altero Archiepiſcopatûs anno, *Cracoviæ* rebus humanis exemit A.C. 1537. ætat. 54.

Succeſſit ei in Archiepiſcopi dignitate *Johannes Lataſcius.*

* *Ex Elogiis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii.*

Obiit A.C. 1539.

JACOBUS SIMONETTA,
Cardinalis.

MEdiolani ortus ex nobili ſtirpe, Patrem habuit *Johannem Simonettam*, qui Latinè ſcripſit *Facta Heroica Ducis Franciſci I. Sfortiæ*, quo opere, ſtylo & ordine, *Julii Cæſaris Comment. de bello Gallico* egregiè imitatus eſt. Mater ei fuit *Catharina Barbavara*, matrona nobilis *Mediolanenſis*.

Advocatus Conſiſtorialis Romæ, & Aſſeſſor Judicii Rotæ.

Jurium Doctor & Juriſconſultus eximius à Papa *Julio II.* Advocatus Conſiſtorialis, & Judicii Rotæ Romanæ Aſſeſſor factus, & à *Leone X. Florentiam* ablegatus, ut diſſidia inter Cives exorta componeret, præclarè ſe geſſit.

Epiſcopus Piſaurenſis. Cardinalis.

Clemens VII. Epiſcopatum *Piſaurenſem* in *Umbria* ei contulit, & *Paulus III.* ad Cardinalatû eum promovit, ac Epiſcopum *Peruſinum* conſtituit. Ejuſdem operâ variis in negotiis gravibus uſus eſt, præſertim cum Regem Angl. *Henricum VIII.* propter uxoris divortium excommunicavit.

Romæ tandem vitâ defunctus A.C. 1539. in Templo S. Trinitatis Montium ſepultus eſt.

Scripta.

Edidit

Tractat. Reſervationum Beneficiorum.
Epiſtolas.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C. 1540.

MATTHÆUS LANGIUS,
Archiepiſcopus Salisburgenſis & Cardinalis.

EX vetuſtâ de *Wellenburg* Auguſtanorum familiâ natus, Imperatoris *Friderici IV.* Secretarius Cameræ, & Præpoſitus *Auguſtæ*, deindè Epiſcopus *Gurckenſis*, Cardinalis, Archiepiſcopus *Salisburgenſis*, & Conſiliarius intimus Imperatoris *Maximiliani I.* poſteà etiam Imperatori *Carolo V.* ejuſque Fratri *Ferdinando*, Imperiique Romani Statibus chariſſimus extitit.

Cardinalis.

Conſiliarius Cæſareus.

Epiſcopus Gurckenſis.

An. 1510. Electus paulò antè Epiſcopus *Gurckenſis* ab Imperatore *Maximiliano I. Torunium* in Galliam, ad Concilium ibi contra Pontificem *Julium II.* à Rege *Ludovico XII.* inſtitutum, ablegatus, inter Cæſarem & Gallum fœdus novum pepigit.

Legatus Cæſareus.

A. 1511. Cæſar, ad Papæ ſollicitationem, in *Italiam* eum ablegavit, ut Pacem ſinceram inter Papam & Gallum ſanciret. *Bononiam* itaque venienti Papa ſanctè promiſit, ſeſe Cardinalis Pileum cum Patriarchatu *Aquilejenſi*, aliisq; dignitatibus, quæ 100000 Coronatos annuatim ei tribuerent, donaturum, dummodò Cæſarem ad concordiam cum *Venetis* colendam induceret. Ille verò nullis promiſſis induci potuit, ut vel latum unguem ab Inſtructione Cæſareâ ſibi datâ diſcederet; & ita re infectâ reverſus eſt.

A. 1513. *Romam* profectus eſt, ut *Leoni X.* in Summum Pontificem electo, Cæſaris *Maximiliani* nomine de novis honoribus gratularetur. Tunc Papa Pileum Cardinalitium ei miſit obviam, quem tamen, antequam *Romam* veniret, capiti imponere noluit.

Archiepiſcopus Salisburgenſis.

An. 1519. Imperatoris *Maximiliani* auxilio, Archiepiſcopus *Salisburgenſis* ſalutatus eſt. Cum verò brevi pòſt Cæſar obiiſſet, *Caroli* Regis Hiſpaniarum nomine Legatum ſe præbuit ad Electores Romani Imperii *Francofurti* ad Mœnum congregatos, & *Carolo* Regi Imperium Romanum deſideratum feliciter obtinuit.

An. 1520. Coronationi Cæſaris *Caroli*, *Aquisgrani*, interfuit, ejuſque nomine Statibus Imperii Romani gratias egit.

An. 1540. tandem morte beatâ finem vitæ fecit *Salisburgi*.

* *Ex variis Authoribus.*

Obiit A.C. 1542.

HIERONYMUS ALEANDER,
Cardinalis.

MOrtæ in *Carniâ* natus An. Chr. 1479. Vir fuit doctiſſimus, memorię feliciſſimæ, pluriumque linguarum peritiâ clariſſimus, quem, varia volumina perlegentem, nihil vel rerum vel verborum ſubterfugit, quin ſingula memoriter, vel à multis annis longo ſepulta ſilentio, recitaret. Latinas & Græcas literas pro vernaculis habuit, Hebraicas etiam, Judæis admirantibus, ſolertiſſimè didicit.

Philologus eximius.

His ingenii dotibus inſignis, cum, *Lutetiæ Pariſiorum* Linguam Græcam publicè profitendo, honorem præfecturæ Gymnaſii conſecutus eſſet, *Romam* deindè venit, ubi-

Profeſſor Linguæ Græcæ Pariſ.

Digitized by Google

Pontifex *Leo X.* graviſſimus ingeniorum æſtimator, extulit eum, miſitque Legatum in Germaniam cum *Marino Caracciolo*, ut Lutheranæ doctrinæ initia tollerentur.

Legatus Papæ in Germaniam.

An. 1520. *Coloniam Agrippinam* ambo venientes, *Fridericum III.* Electorem Saxoniæ Pontificis nomine ſollicitârunt, ut *Lutherum* revocare cogat, vel cuſtodiæ mandet. Sed cum Elector non ex voto reſponderet, illi, ex formulâ Decreti ſibi agendum dicentes, *Lutheri* lucubrationes exuſſerunt.

Lutheri Reformationem impugnat.

Tunc etiam *Eraſmo Roterodamo* pinguem Epiſcopatum promiſerunt, ſi calamum in *Lutherum* ſtringeret, qui reſpondit: *Major eſt Lutherus, quam ut in illum ſcribere poſſim, imò tantum, ut ex Lutheri unicâ pagellâ perlectâ plus erudiar, quàm ex Thomâ toto.*

Ad *Georgium Spalatinum*, Concionatorem aulicum Electoris Saxoniæ, aliquando dixit: *Etiamſi vos Germani, qui minimum omnium dependitis æris Pontifici Romano, Jugum ſervitutis Romanæ excuſſeritis, tamen curabimus, ut mutuis cædibus abſumti, cruore veſtro pereatis.*

Romam reverſum Papa *Clemens VII.* Epiſcopum *Brunduſinum* fecit; *Paulus* autem *III.* veræ virtutis eruditus exornator An. 1537. in Senatum Cardinalium legit.

Epiſcopus Brunduſinus. *Cardinalis.*

Lætatus eſt eâ purpurâ per annos quinque, pervaſurus haud dubiè ad exactam ætatem, niſi, nimiâ tuendæ valetudinis ſollicitudine, intempeſtivis medicamentis, ſibi ipſi infelix medicus, viſcera corrupiſſet. Poſtquam Bibliothecam ſuam *Reipublicæ Venetæ* teſtamento donâſſet, *Romæ* tabe extinctus obiit 19. Dec. natali ſuo, An. Chr. 1542. ætat. 62.

Moritur tabe.

Tumulatus in æde Transtyberinâ D. Chryſogono dedicatâ.

(*) *Ex Elogiis Virorum doctorum Pauli Jovii, & ex Hiſtoriâ Johannis Sleidani de ſtatu Religionis ſub Cæſare Carolo V.*

Obiit A.C. 1543.

CASPAR CONTARENUS, *Cardinalis.*

Patricii ordinis *Venetus*, ab inſigni memoriâ illuſtrique doctrinâ mirabilis, ad Rempublicam ita acceſſit, ut gravitate judicii, conſummatæ prudentiæ Senatoribus æquaretur: & deinde maximarum Legationum munia capeſſeret, non ætatis quidem, ſed unâ virtutis prærogativâ commendatus.

Senator Venetus. *Et Legatus.*

Juvenis, tanquam perfectus Peripateticus, *Ariſtotelem* à calumniâ defendit, quanquam modeſtiæ cauſâ ſuppreſſo nomine, adverſus *Pomponatium* Præceptorem, cum ille impio conatu, animas noſtras interire cum corpore, ex Ariſtotelis ſententiâ, perſuadere libro edito contendiſſet.

Cardinalis.

An. 1537. *Paulus III.* Pontifex Maximus nihil tale expectantem in Senatum legit, purpurâque ornatum titulo S. Praxedis in Germaniam Legatum miſit An. 1541. ut Religionis diſſidium *Ratisbonæ* in Comitiis Imperii conciliaret. Sed cum caſſo labore rediiſſet *Romam*, Legatus *Bononiæ* creatus eſt, vel Summi Pontificis Locum tenens, in quo munere paucos poſt menſes rapidâ febre correptus obiit An. Chr. 1543. nondum ſexagenarius.

Legatus ad Comitia Ratisbonæ. *Legatus Bononiæ.*

Vitam ejus diſertè deſcripſit *Johannes Caſa, Epiſcopus Beneventanus.*

Sepuchrum ejus lateritii operis in æde D. Proculi conſpicitur, cum hoc Carmine *M. Antonii Flaminii:*

Contarene, tuo docuiſti magne, libello,
Extinctis animas vivere corporibus.
Ergò jure tui vivunt monumenta libelli,
Et vivent ſeclis innumerabilibus.

Libros edidit: *Scripta.*

De Elementis eorumque mixtione.
De Animarum immortalitate.
De Republicâ Venetorum.
De optimi Antiſtitis Officio.
De 7. Eccleſiæ Sacramentis.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Pauli Jovii.*

PETRUS BEMBUS, *Cardinalis.*

Obiit A.C. 1547.

In *Venetorum* Urbe, Maris *Hadriatici* reginâ, natus eſt, 1. Jun. A.C. 1470. Patre *Bernhardo Bembo*, Legum Doctore, Prætore *Ravennæ* & Patritio *Veneto.*

Florentiæ educatus, nationis ejus idioma meditullitùs imbibit, ut ferè nativum aboleviſſet. Ibidem Græcam & Latinam Linguam imbibit, ad Ciceronianam eloquentiam ſe totum comparans, quam usque eò feliciter fuit æmulatus Orator, Poëta & Hiſtoricus ſuo tempore primarius, ut cum antiquis illis conferri meritò potuerit.

Florentiæ educatus. *Orator & Hiſtoricus.*

Eminuit in eo, præter alias animi dotes præclaras, Eruditio ſingularis, facundia admiranda, & integritas vitæ ſumma: ob quas virtutes à Summo Pontifice *Paulo III.* dignus judicatus eſt, cui Cardinalitiam dignitatem An. 1539. conferret, cum & anteà unà cum *Jacobo Sadoleto* Secretarii munere apud eundem Papam functus fuiſſet. Sed Cardinalis dignitatem ipſi aliquantiſper ideò protractam fuiſſe quidam ſcripſerunt, quod nobilem concubinam *Româ* perductam laxiore ſensûs intemperamento coluerit, ſusceptis ex eâ tribus fœminis, & vel ad frigidum Senium arctâ ipſius conſuetudine propagatâ.

Cardinalis. *Secretarius Summi Pontificis Pauli III.*

Ex Poëtis Germanis, qui ipſi innotuerant, *Georgio Sabino*, ſibi prius à Principibus *Brandenburgenſibus* commendato, ob elegantem Carminis facultatem, multum detulit, eique Author fuit, ut in eo ſtudio conſtanter perſeveraret. Ad hunc ex *Italiâ* ſæpè perſcripſit, ejusque amore Academiæ *Regiomontanæ*, quæ in *Boruſſia* eſt, Privilegia à Summo Pontifice obtinuit, quæ An. 1544. 17. Auguſti introducta eſt, primo Rectore *Georgio Sabino.*

Georgii Sabini Fautor. *Author Academiæ Regiomontanæ.*

Morte ſubitâ extinctus, non ſine toxici clàm dati ſuſpicione, vitâ exceſſit *Romæ* 18 Jan. Anni C. 1547. ætatis 77. Sepultus in Templo Minervæ. Defunctum Oratione funebri


Obiit Romæ.

Digitized by Google


PETRUS BEMBUS
Cardinalis



IACOBUS SADOLET,
Cardinalis.


SEBASTIAN, ARCHIEP.
Moguntinus.


THOMAS VILLA NOVA,
Archiep. Valent.


THOMAS CRAMMERUS
Archiep. Cantuariensis.


REGINALDUS POLUS
Cardinalis.


DANIEL, ARCHIEP.
Moguntinus


CAROLUS, CARD.
à Lotharing.


MATTHÆUS PARKER,
Archiep. Cantuar.


CHRISTOPHOR. MALRUCCIUS
Cardinalis.


STANISLAUS HOSIUS
Cardinalis.


EDMUNDUS GRINDALL,
Archiep. Cantuar.


RENATUS BIRAGUS
Cardinalis


CAROLUS BORROMÆUS
Cardinalis.


GEORGI, DE ARMENIACO
Cardinalis.


GUILIELMUS SIRLET,
Cardinalis.

Digitized by Google



Digitized by Google

funebri laudavit Venetiis *Speronus Speronius*, & *Hieronymus Quirinus*, *Iſmerii* filius, qui omni officio vivum coluit, ſtatuâ ex marmore artificioſè factâ, inque *S. Antonii* æde collocatâ, ipſi parentavit.

Scripta.

Scripſit & edidit

Hiſtoriæ Venetæ Lib. XII.
De Guidone Ubaldo Feltrio, & Eliſabetha Gonzaga Urbini Ducibus Librum.
De Imitatione Sermonis M. Tullii contra Johannem Franciſcum Picum.
Epiſtolarum Familiarium Lib. VI.
Libellum Carminum.
Libellum, quem Aſolanorum vocavit.
Benacum, Poëma venuſtum Heroicum.
Dialogum de Ætna, & Culicem Virgilii.

* *Ex Bibliothecâ Poëticâ Joh. Petri Lotichii, & ex aliis Authoribus.*

Caſpar Cunradus, Med. D. Proſopographmelicæ Millenario I. hoc ei ſcripſit diſtichon:

Sum Seneca ingenio, Maro Carmine, Tullius ore,
Quod tribus his uni dat mihi Roma decus.

* * *

Contemptor Epiſtolarum S. Pauli.

Petrus Bembus, Cardinalis, Patritius *Venetus*, Hiſtoriæ Patriæ Scriptor, & *Ciceronianæ* Eloquentiæ fuit imitator, ſed quem impium ac Sacrorum literarum contemptorem fuiſſe conſtat; Epiſtolas ſiquidem omnes *S. Pauli Apoſtoli* condemnavit palàm, easque deflexo in contumeliam vocabulo *Epiſtolaccias* appellare auſus eſt, *cum amico cuidam autor eſſet, ne illas attingeret, vel ſi cœpiſſet legere, de manibus abjiceret, ſi elegantiam ſcribendi & eloquentiam adamaret*, ut refert *Thomas Lanſius Oratione contra Italiam.*

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

* * *

Julianus Mediceus extorris *Urbini* degens, cum *Johanne* Cardinali poſteà *Leonis X.* nomine Pontificatum emerito, ſummis benevolentiæ officiis *Bembum* complexus, ſubindè ipſi ad *Leonis* aulam ſtravit aditum, injuncto Secretorum, ut vocant, Brevium perſcribendorum munere ætatis ſuæ anno 43, unà cum *Jacobo Sadoleto Mutinenſi.*

Brevium Scriptor. Summo Pontifici Leoni X. charus.

Eâ in aulâ virtutis ſuæ ſpecimen toti orbi præbuit, ac ex munifico Pontificis genio ſatis amplos aucupatus redituum titulos, purpurei etiam pilei decus fortè captâſſet, niſi gravi ac diuturno morbo præpeditus *Romano* ſolo cedere, ideòque *Patavium* petere coactus fuiſſet. Ibi domus ejus perpetuis Virorum eruditorum conventibus frequens, novum quaſi reſerare Peripati oſtium, ſive alterius æmulum Mecænatis diverſorium ſpectabatur.

Patavii Virorum doctorum Patronus.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Johannis Imperialis Phil. & Med. Vicent.*

* * *

Anno ætatis 22. Famâ *Conſtantini Laſcaris* Græci motus, in *Siciliam* tranſivit, & plurimum hujus Viri converſatione profecit. Poſteà veniens in aulam *Alfonſi* Ducis *Ferrariæ*, ab eo humaniter habitus, adiit etiam *Guidonem Ubaldum Feltrium*, *Urbini* Ducem, cujus aula literatis quotidiè patuit. Ab hoc commendatus Summo Pontifici *Julio II.* mox ab eo Romam vocatus, & Urbis *Bononiæ* Gubernator factus eſt.

Vixit in aulâ Ducis Urbini.

Urbis Bononiæ Gubernator.

In Sepulchro ejus hoc legitur Epitaphium:

Epitaphium.

D. O. M.

PETRO BEMBO, PATRITIO VENETO, OB EJUS SINGULARES VIRTUTES A PAULO III. PONTIFICE MAXIMO, IN SACRUM COLLEGIUM COOPTATO TORQUATUS BEMBUS POS. OBIIT XXVII. CAL. FEBR. MDXLVII. ÆTAT. LXXVI.

Hîc Bembus jacet Aonidum laus maxima, Phœbi
Cum Sole & Lunâ vix periturus honos.
Hîc & fama jacet ſpes & ſuprema galeri,
Quam non ulla queat reſtituiſſe dies.
Hîc jacet exemplar vitæ omni labe carentis,
Summa jacet ſummâ hîc cum pietate fides.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

JACOBUS SADOLETUS, *Cardinalis.*

Obiit A.C. 1547.

NAtus 15. Mart. An. Chr. 1478, Patriâ *Mutinenſis*, patrem habuit *Johannem Sadoletum*, Juris utriusque Doctorem, qui, cum ab *Hercule I.* Duce *Ferrariæ*, ad Legum Profeſſionem in eâ Urbe vocatus fuiſſet, filium hunc ſecum eò ſtudiis initiandum deduxit, qui felicis adoleſcens ingenii, brevi tempore Philoſophiam Moralem didicit, & Poëſin excoluit. Vir deinde magnæ eloquentiæ ſtudiorum gloriam cum agendorum dexteritate junctam obtinuit.

Filius Juriſconſulti.

Ferrariæ ſtudiis operam dat.

Romam poſt profectus, in aulâ Cardinalis *Oliverii Caraffæ* multis annis vixit, & ſtudiis ſuis operam dedit. Poſt hujus obitum ad *Fridericum Fregoſum*, Archiepiſcopum *Salernitanum*, poſteà Cardinalem, ſe recepit.

Intereà Pontifex *Leo X.* vocatum eum ad ſe, munere Secretarii Apoſtolici honoravit, in quo adeò ſe præſtitit fidelem, ut Pontifex eum cum *Petro Bembo* ex omni Doctorum numero delegerit, quorum in conſcribendis Epiſtolis operâ & ingenio uteretur.

Secretarius Papæ Leonis X.

Ab eodem Pontifice promotus ad Epiſcopatum *Carpentoracti* in Galliâ, ſummâ cum prudentiâ gubernavit Eccleſiam, & veram ideam Religionis Chriſtianæ ſe præbuit.

Epiſcopus Carpentoracti.

An. 1536. A Papâ *Paulo III. Clementis VII.* ſucceſſore, Romam accerſitus, in Cardinalium numerum adſcriptus eſt. Paulò pòſt Legatus in *Galliam* miſſus, ut bellum inter Imperatorem *Carolum V.* & *Franciſcum I. Galliæ* Regem exortum ſopiret, egregiè muneri ſibi demandato ſatisfecit, & licet concordia tunc non fuerit ſtabilita, miro tamen modo exulceratus inſanabili propè odio Regis

Cardinalis.

Regis animus perblandâ hujus Viri medicatione convaluit.

Moritur Romæ. Obiit tandem *Romæ*, febre extinctus, M. Octobr. An. Chr. 1547. ætat. 70. Vitam ejus accuratè deſcripſit *Antonius Florebellus* Epiſcopus.

Defunctum *Johannes Petrus Caraffa*, *Sabinorum* Epiſcopus, quo die primus poſt ejus obitum Senatus habitus eſt, coràm Pontifice, & mox *Jacobus Gallus*, J. C. & Civis Romanus, in æde *S. Laurentii* luculentâ Oratione laudârunt. Sepultus eſt ſine omni funeris pompâ, ſicut teſtamento decreverat, in æde *S. Petro* in Exquiliis ſacrâ, cum hoc Epitaphio:

Ejus Epitaphium.

D. O. M.

JACOBO SADOLETO EPISCOPO CARPENTORACTIS S. R. E. PRESB. CARDIN. VIRO MORUM GRAVITATE, PRUDENTIA, ET VITÆ INTEGRITATE PRÆSTANTISS. DOCTRINA ET ELOQUENTIA CUM IIS, QUOS MIRATA EST ANTIQUITAS, COMPARANDO. PAULUS SADOLETUS, EPISCOPUS CARPENTORACTIS, ET CAMILLUS SADOLETUS FRATRUM FILII MOESTISSIMI MULTIS CUM LACRYMIS PATRUO B. M. PRO TEMPORE POSUERUNT. VIXIT ANN. LXX.

Edidit

Scripta.

De Pueris rectè & liberaliter inſtituendis.

De Laudibus Philoſophiæ.

De Regno Hungariæ ab hoſtibus Turcis oppreſſo & capto.

Orationem adhortatoriam de bello Turcis inferendo, ad Ludovicum Gall. Regem.

Commentariorum in Epiſtolam ad Romanos Lib. III.

Interpretationem Pſalmorum: Miſerere mei Deus, & Deus ultionum, &c.

Homilias duas, alteram de Hungariâ à Turcis captâ, alteram de morte Friderici Fregoſii, Cardinalis.

Epiſtolam ad Johannem Sturmium, de emendatione Eccleſiæ.

Epiſtolam ad Senatum Populumque Genevenſem A. 1539. ſcriptam, quâ in obedientiam Rom. Pontificis eos reducere conatur. Ad hanc *Joh. Calvinus*, tunc *Argentinæ* degens, reſpondit.

Epiſtolarum Libros XVI.

Ad Paulum Sadoletum Epiſtolar. Lib. I.

Poëmata, Curtium, & Laocoontem.

Carmen de Otio & Tranquillitate.

Philoſophicas Conſolationes & Meditationes in Adverſis.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Johannis Imperialis Phil. & Med. Vicent. & ex Theatro Italico Virorum doctorum Hieronymi Ghilini.*

* * *

Joh. Jacobo Boiſſardo in Vitis 50 Virorum Doctrinâ illuſtrium ſcribente, *Romæ* obiit, non ſine dati veneni ſuſpicione. Quatuor enim hi Cardinales Viri docti & boni *Petrus Bembus*, *Jacobus Sadoletus*, *Caſpar. Contarenus*, & *Campegius* properatâ morte feruntur occubuiſſe, fortè, quod cum diſſentientibus à Romanâ Religione familiaritem aliquam habuiſſe credantur.

GREGORIUS CORTESIUS, *Cardinalis.*

Obiit A. C. 1548.

A Summo Pontifice *Paulo III.* in Collegium Cardinalium cooptatus, olim in *S. Benedicti Caſſinenſi* cœnobio profeſſus, & poſteà ipſius Cœnobii Præſul, quâ ex eâdem officinâ eodem tempore prodierunt *Iſidorus Clarius*, & *Johannes Baptiſta Folengus*. *Abbas Caſſinenſis.*

Is antiquâ & nobili familiâ *Mutinæ* natus, ſed moribus ac erudito ingenio longè nobilior fuit, cujus tamen paucula ad nos monumenta pervenerunt, ab *Herſiliâ Corteſiâ*, fratris filiâ, diu poſtea publicata. *Scripta ejus Herſilia Corteſia publicavit.*

Obiit *Romæ* XI. Kal. Octob. An. Chr. 1548. inque Baſilicâ XII. Apoſtolorum honorificè ſepultus eſt. *Thuanus lib. V.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

PHILIPPUS CAMERARIUS, *Cardinalis.*

Obiit A. C. 1550.

CArdinalis *Bononienſis* dictus, vir gravis & literatus, ac proximâ cognatione *Catharinæ Mediceæ*, *Gallorum* Reginæ, conjunctus, *Romæ* obiit 9. Kal Martias An. Chr. 1550. *Agnatus Catharinæ Mediceæ.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

GEORGIUS MARTINUSIUS, *Cardinalis.*

Obiit A. C. 1551.

NAtione *Dalmata*, nobili familiâ, ſed in tenui re educatus, viliſſima, puer, apud *Johannis Zapoliæ*, *Hungariæ* Regis, matrem miniſteria exercuerat, calefaciendis hypocauſtis deſtinatus. Quapropter elati ingenii juvenis, ſeu tædio præſentis, ſeu deſperatione melioris fortunæ, relictâ *Johannis* familiâ, vitam monaſticam in *Pauli*, primi Eremitæ, Cœnobio juxta *Budam* profeſſus eſt, cellariæque præfectus, & promus condus effectus, ad neceſſaria victum non æqualiter, ſed prout alios aliis plus diligebat, inter fratres diſtribuebat, jam tum gratiam aucupans. *Famulus.* *Monachus.*

Ibi itaque primùm literas didicit, eâ ſpe, ut inter Sacerdotes cooptari poſſet; atque ſic in Regis *Johannis* familiam rediit, & *Ferdinando Auſtrio*, in Regem *Hungariæ* aſſumto, exulantem apud *Sigismundum*, *Poloniæ* Regem, ſocerum ſecutus, gravibus in negotiis fidelem & operam navavit, variasque ac periculoſas Legationes, veſtitu diſſimulante perſonam, & ſecuritatem præſtante, intrepidè obivit. *Legationes obiit.*

Quibus officiis adeò ſibi *Johannis* animum devin-

Digitized by Google

Conſiliario Regis Hungariæ, & Quæſtor Regni. devinxit, ut ab eo, mox in Regnum reſtituto, in ſecretius conſilium allectus, & Quæſturâ Regni, quæ dignitas primaria eſt, ornatus ſit: *Varadienſi* prius Epiſcopatu donatus, ac poſtremò tutor, cum *Iſabellâ* Reginâ Uxore, *Stephano* filio per Teſtamentum relictus.

Sed cum homo ambitioſus, ſpretis reliquis Proceribus, in publicâ adminiſtratione ingenio ſuo uteretur, in ſuſpicionem Reginæ venit Regni affectati. Itaque crebræ inter eos diſcordiæ utrique pernicioſæ, atque imprimis Chriſtiano nomini.

Indè clam cum *Ferdinando* agere cœpit. Sed cum ab eo literas accepiſſet, quibus id honori *Georgii* & meritis datum ſignificabatur, ut in Cardinalium Collegium à *Julio III.* cooptaretur, *Georgius* honorem illum, quaſi infra ſe, contemnere viſus eſt, ne videlicet eo nomine obſtrictior *Ferdinando* crederetur; quod ipſi exitium maturavit, inimicis eum, captâ inde occaſione, calumniis apud Regem traducentibus, quaſi cum *Turcis* ſecreta conſilia agitaret, & ope *Ferdinandi* Reginâ ejectâ, de ipſo demùm, ope *Turcarum*, *Daciâ* penitùs expellendo cogitaret. *Cardinalis.* *Calumniis traductus.*

Itaque *Ferdinandus* mox ſecreta mandata ad *Joh. Baptiſtam Caſtaldum* Belli Ducem dat, ne *Daciæ* Provinciâ egrederetur, & omni ratione tentaret, ut *Georgium*, quem clandeſtina in ſuam perniciem conſilia cum *Turcis* habere certò ſciret, aut in poteſtatem redigeret, aut, ſi aliter non poſſet, è medio tolli curaret.

Quidam *Caſtaldum*, vafrum hominem, quod *Georgii* gloriæ invideret, & theſauris illius, qui vero majores eſſe ferebantur, inhiaret, auctorem *Ferdinando* fuiſſe ſcribunt, ut hominem interfici juberet, atque id ſibi negotii ultrò ſumſiſſe. Cum itaque *Caſtaldus* cum *Georgio*, quaſi animi gratiâ, ad *Bintium* Caſtellum, loco amœno ab ipſo *Georgio* ædificatum, veniſſet, jamque tempus patrandæ cædis inſtaret, & ſecundis literis ipſe Rex urgeret, ut res maturaretur, *Caſtaldus Sfortiam Pallavicinum* per literas monet, ut, quàm celerrimè poſſet, ad ſe, cum Hiſpanico peditatu, veniat. Ii, cum venêre, *Georgii* juſſu per hoſpitia diſtributi. Mox *Caſtaldus Pallavicinum* ſevocat, & re cum eo communicatâ, ut ipſe facinori interſit hortatur, cui patrando proximam noctem deſtinat. *Inſidiis petitus à Johanne Baptiſta Caſtaldo.* *Conjurati in necem Georgii.*

Poſtquam ille operam pollicitus eſt, adduntur ei Comites *Andreas Lopezius*, *Monimus* & *Campegius*, homines manu prompti, quibus compoſitâ ad terrorem oratione oſtenditur, de rebus Regis ſimùl ac ſuâ omnium vitâ actum eſſe, niſi quamprimùm *Georgius* è medio tollatur; ſtatuiſſe quippè illum, indictis ad *Vaſraelium* Comitiis, *Ferdinando* Imperium abrogare, & ope *Turcarum* eum *Daciâ* expellere: hoc conſilio auxiliares copias per vaſta hoſpitia locis apertis ſparſiſſe, ut condicto tempore, quaſi ſigno dato, ſinguli facilius capi & opprimi poſſint. Ubi eos præſenti animo videt, *Lopezio* negotium dat, ut ſummo mane delectos 24 armatos ſecum adducat, qui veſtibus Turcicis induti, ut cuſtodes fallant, intromittantur.

Cum manè ad operas ſolitas carri ſolito citius emitterentur, *Lopezius* ſuos, nullo prohibente, introducit, & *Petrus Avila*, ut juſſus erat, cum militibus *Hiſpanis* affuit. Hâc verò arte conjurati in cubiculum *Georgii* irruperunt.

M. Antonius Ferrarius, *Caſtaldo* ab Epiſtolis, homo proſtitutæ audaciæ, jam ab aliquo tempore tantam cum *Georgio* familiaritatem cõtraxerat, ut quâvis horâ ad ipſum admitteretur. Is nondum illuceſcente die, qui fuit 14 Kal. Jan. cum oſtium cubiculi pulſâſſet, literas quaſi *Georgii* manu ſubſcribendas præferens, & *Pallavicinum Viennam* ad Regem profecturum ſecum adeſſe ſignificâſſet, continuò introducitur, *Sfortia* ad fores, invito cubiculario, ingreſſus ſubſtitit. Jam ſurrexerat *Georgius*, & veſte è ſebellinis pellibus tectus, relegendis pro more rerum agendarum commentariis intentus, ad menſam ſedebat, cum *Ferrarius*, familiariter accedens, literas *Georgio* porrigeret, dumque calamum ille ſumit, ut nomen apponeret, *Ferrarius* raptum pugionem in pectus demiſit, ad ſtrepitumque accurrens *Pallavicinus* ſtricto enſe caput *Georgii* medium diviſit, cum ille intereà Dei nomen crebrò inclamaret, &, eos fratres appellando, fidem repoſceret. Mox cœteri conjurati ſupervenientes, repetitis ictibus adhuc ſpirantem confoderunt. *Pugione confoſſus à M. Ant. Ferrario.*

Hunc exitum vitæ *Georgius* habuit 70 circiter annos natus A.C. 1551. qui ex humili fortunâ in ſummum honoris faſtigium, & Regibus parem potentiam evaſerat, vir pace belloque clarus, & profundâ prudentiâ cum paucis comparandus, quam dum temporibus accommodat, & patriæ ferè ſemper bono *Turcarum* voluntati morigeratur, multorum invidiam, ac poſtremò exitiale odium in ſe concitavit; quibus tandem effectum eſt, ut *Ferdinando* ipſi ſuſpectus eſſe cœperit, & de ingentibus ipſius theſauris, conſtanti famâ ſparsâ, *Caſtaldum*, & omnes, qui illîc aderant, ſpe lucri contra ſe armaverit.

Præter eas mortis tam indignæ cauſas, etiam alii addunt, *Ferdinandum Georgio* 80000 aureorum penſionem pactum eſſe, proptereaque illius miniſtros Regi gratum ſe facturos exiſtimâſſe, ſi, *Georgio* de medio ſublato, fidem de promiſsâ penſione liberarent. *Cædis indigna cauſa.*

Fuit & eo colore factum excuſatum, quod clandeſtina cum *Turcis* in Chriſtianorum perniciem conſilia agitaret *Georgius*, idque *Ferdinando* perſuaſum fuit, cum reverâ propter illius theſauros cædes facta fuerit, qui tamen admodùm modici pro tantâ fortunâ reperti ſunt, omni eâ pecuniâ, quam ſepoſitam credebant, in publica opera & alendos exercitûs conſumtâ ab homine liberali, & qui nullâ privatâ charitate à curâ Reipub. avertebatur.

Percuſſores Georgii pœnas dederunt. Percuſſores Georgii ad unum omnes pœnas dediſſe pleriquе ſcripſerunt, ac *Sfortiam* quidem diuturnâ, ac morte pejore, apud *Turcas* captivitate, *Moninum* in *Subalpinâ* Regione ad Germani fanum cervice abſciſsâ, *Ferrarium* denique, qui *Alexandriæ*, quæ ipſi patria erat, Cardinalis *Tridentini* juſſu, ſexennio poſt ſecuri percuſſus eſt: Poſtremò equitem *Campegium*, qui poſteà inter venandum in *Ferdinandi* ipſius conſpectu, apridente in *Bohemiâ* diſcerptus eſt, honeſtiore, nec tamen minus infortunâ morte.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

AMBROSIUS CATHARINUS, *Archiepiſcopus Conſæ.*

Obiit A.C. 1552.

SEnis, in ditione *Florentinâ*, natus, aliàs *Politus* vocatus, adoleſcens veſtitum Dominicanum *Florentiæ* in Templo *S. Marci* induit, & Philoſophiæ, cumprimis verò Theologiæ ſtudiis operam dedit. *Romam* deindè ad *Julium III.* Pontificem Maximum, anteà in ætate juvenili diſcipulum ſuum profectus, ab eo ſtatim Epiſcopus Urbis *Minorum*, in Regno *Neapolitano*, & poſteà Urbis *Conſæ* Archiepiſcopus factus eſt. *Monachus Dominicanus & Theologus. Archiepiſcopus Conſæ.*

In Stylo ſuo verè politus, ſed aliquantùm Satyricus, contra *Dominicum Sotum, Hieron. Savanarolam, & Thomam de Vio*, Cardinalem *Cajetanum*, tria Ordinis *Dominicani* lumina, ſcripſit.

Apoplexiâ tandem extinctus eſt *Neapoli* A. C. 1552. ætat. 70. cum *Romam* proficiſci vellet, vocatus à Papâ *Julio III.* ad Cardinalatum eum promovere cupido.

Ejus Epitaphium. *Fauſtus Sabæus*, Poëta, in laudem ejus hoc ſcripſit Epitaphium:

Sacrati hoc cineres tumulo: pia & oſſa quietem
Aſſiduos fluctûs poſt maris hujus habent.
Cujus erant, cernes in Cœlo nomen & aſtrum,
Si virtus rupto carcere in aſtra volat.

Scripta. Typis emiſit

Comment. in V. priora capita Geneſeos.
Tractat. de accipiendis pueris Judæorum venientibus ad Baptiſmum.
Aſſertiones XIV. pro aſſertione gratiæ, ad Concilium Trident.
Tractat. de Conceptione B. Virginis, & pro ejus Feſtivitate à cunctis fidelibus celebrandâ.
Explicationem ſummariam opinionum de divina Prædeſtinatione & Reprobatione.
De Cultu & Adoratione Imaginum.
De Veritate incruenti Sacrificii.
De Communione ſub utraque ſpecie.
Quæſtiones Theologicas varias.
De Divinis & Canonicis Scripturis, utrum expediat, Divinam Scripturam in Linguam verti vulgarem?
Quo Jure & quâ Pœnâ Hæretici plecti debeant?
Adversùs Martinum Lutherum Libros V.
Claves duas ad aperiendum intelligendumq; Scripturas.
De Providentiâ & Præſcientiâ Dei.
De Prædeſtinatione Dei Libros III.
De eximiâ Prædeſtinatione Chriſti Libros II.
De Angelorum bonorum gloriâ, & malorum lapſu.
De Lapſu hominis, & Peccato originali.
De Veneratione Sanctorum.
De conſummatâ Gloriâ ſolius Chriſti, & beatæ Virginis Libros III.
De univerſali omnium Morte & Reſurrectione.
De Veritate Purgatorii.
De Præmio bonorum, & Supplicio æterno.
De Statu puerorum absque Sacramento decedentium.
Commentaria in Epiſtolas Pauli.
De Conſideratione & Judicio præſentium temporum à ſuperſeminatis Zizaniis in agro Dominico.
Opuſculum de Cœlibatu adverſùs Eraſmum.
Quæſtiones duas de Verbis, quibus Chriſtus Sanctiſſ. Euchariſtiæ Sacramentum confecit.

Libri in *Italicâ* Linguâ ab eo ſcripti ſunt ſequentes:

Della Reprobatione della dottrina di Fra Bernardino Ochino, & d' alcune concluſioni Luterane.
Diſcorſi contra la dottrina & le Profezie di Frà Girolamo Savanarola.
La vita di S. Catarina.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

* * *

Hunc *Sixtus Senenſis Lib. VI. Biblior. S.* Concivem ſuum, & primum in Divinis Scripturis Præceptorem vocat. Cum eſſet is Juris Cæſarei Profeſſor *Senis*, tunc *Lancelotus Politus* nuncupatus eſt. Studiis his poſteà abdicatis, Sodalibus *S. Dominici* ſe adjunxit, & *Minorenſis* primùm Epiſcopus, deindè *Compſæ* in Regno *Neapolitano* Archiepiſcopus fuit. Antagoniſta *Lutheri* ſcripſit plurima, *Romæ, Pariſiis, Lugduni, Bononiæ*, & alibi edita. Obiit A. C. 1552. *Jur. Profeſſor Sen. Monachus Dominicanus. Archiepiſcopus.*

* *Ex Auberto Miræo de Scriptoribus Seculi XVI.*

MARCELLUS CRESCENTIUS, *Cardinalis.*

Obiit A.C. 1552.

JUlii III. ad Concilium Tridentinum Orator, morbum ibi ex eâ occaſione cœpiſſe conſtanter dicitur, quod cum 7 Kal. April. An. 1552 ſcribendis ad Pontificem literis occupatus in multam noctem laborem continuaſſet, cum indè ſurgeret, viſus eſt canem videre, qui immani rictu, igneis oculis, & demiſſis in terram auriculis, quaſi rabie percuſſus ad ſe contenderet, tandemque ſub menſam dilapſus ſit. *Legatus Pont. in Concilio Tridentino. Canis ſpectro territus.*

Vocatis famulis & allato lumine, cum nuſquam compareret canis, ille, ſpectro attonitus, in triſtem cogitationem, atque ex cogitatione in morbum incidit, quo ſtatim cor- *In morbum incidit.*

correptus, de vitâ deſperare cœpit, licet familiares & Medici benè ſperare juberent.

Obiit Veronæ. Indè *Veronam* poſtremò delatus, cum animam ageret, ſubindè ſuis acclamare audiebatur, ut canem caverent, &, ne lectum, in quo decumbebat, inſcenderet, arcerent.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1553.

BERNARDINUS MAFFÆUS, *Cardinalis.*

Bergami lucem terrenam aſpexit 27. Jan. An. Chr. 1514. Patre *Hieronymo Maffeo*, Matre *Antoniâ Matteâ*, *Romanâ*. Literarum humaniorum & liberalium Legum ſtudiis *Patavii* deditus, familiarem amicitiam coluit cum *Pierio Valeriano*, Hieroglyphicorum ſcriptore celebri, quorum *lib. 14.* huic *Maffeo* dedicavit. *Amicus Pierii Valeriani.*

Secretarius S. P. Pauli III. Secretarius primùm Cardinalis *Alexandri Farneſii*, deindè Summi Pontificis *Pauli III.* & unà Canonicus ad *S. Petrum*, porrò Epiſcopus *Maſſæ & Populoniæ*, tandem apicem Cardinalitium, cum titulo *S. Cyriaci*, creante eum cum 70. aliis S. P. *Paulo III.* conſcendit. *Epiſcop. Maſſæ. Cardinalis.*

Archiepiſcopus Chietenſis. An. 1549. electus Archiepiſcopus *Chietenſis*, Studiis nihilominus ſubindè deditus, in vegetâ ætate, non ſine dolore Academiæ Virtuoſorum, vitâ exceſſit 16 Julii An. Chr. 1553. æt. 39.

Ejus Epitaphium. Sepultus jacet *Romæ* ad *S. Minervam* cum hoc Epitaphio.

D. O. M.

Bernardino Hieronymi filio Mapheo, S. R. E. Presb. Cardinali Titulo S. Cyriaci In Thermis. Vixit Ann. XXXIX. Mens. V. Dies XX. Obiit. XVII. Kalend. Augusti M. D. LIII.

Scripta. Inter alia Scripta reliquit:

In Ciceronis Epiſtolas Comment.
Orationes diverſas.
De antiquorum Torevmatum Inſcriptionibus.
Hiſtoriam.

* *Ex Scenâ literariâ Scriptor. Bergamot. Donati Calvi Italicè editâ.*

Obiit A.C. 1555.

SEBASTIANUS, *Archiepiſcopus Moguntinus.*

E Nobili *Heuſenſtammiorum* vel *Heuſenſteiniorum* familiâ duxit originem, & à primis annis bonarum literarum, bonorumque morum honeſtatem ita ſectatus fuit, ut in illis Cæſarei Juris Doctoratu ornatus fuerit, in his verò ſummam apud omnes famam temperantiæ ac pietatis conſecutus ſit. Ideoque à Metropolitani primùm Collegii Dominis ad Scholaſtici dignitatem vocatus, deinde verò ſtatim atque in humanis eſſe deſiit *Albertus Cardinalis*, ad Archiepiſcopalem thronum ſublatus fuit anno 1545. 20. Octobr. *Juris Doctor.* *Archiepiſcopus Moguntinus.*

Confeſtim verò curas, cogitationesque huc ſuas omnes convertit, ut tot ac tam variis erroribus oppugnatæ, tot ac tam funeſtis diſſenſionibus laceratæ, tot ac tam gravibus malis laboranti Reipublicæ Chriſtianæ opem, ſi quam ullo modo poſſet, afferre conaretur: & inprimis Eccleſiæ, cujus Paſtor conſtituebatur, *Moguntinæ*. Hanc verò quia ære alieno videbat nonnihil gravatam, allevare ſtatuit, aliqua nimirum ſupellectilis alicujus Eccleſiaſticæ inſtrumentique non neceſſarii venditione, licet, quibus hoc diſpliceret, non deeſſent. *Eccleſiam Moguntinam ære alieno gravatam liberat.*

In fluctibus verò belli *Schmalcaldici*, negotiorumque Religionis, tum per legatos in Comitiis Cæſareis, tum in aliis Conventibus Eccleſiaſticis, domi foriſque, præſensque in Comitiis Auguſtanis induſtriâ, ſapientiâ, & zelo, ſtrenuum ſe & indefeſſum præbuit Principem, multamq; adhibuit curâ, ut, dum Oecumenica ſynodus de iis, quæ in controverſiam à Proteſtantibus vocata eſſent, ſciſceret, providerent ſuis in diœceſibus Epiſcopi, ne quid Catholica detrimenti caperet Religio. *Comitiis Auguſtanis intereſt.*

Ex Comitiis An. 1551. finitis igitur *Moguntiam* reverſus *Sebaſtianus*, eodem anno Diœceſanam habuit Synodum Provincialem, quæ variis formis exſtat edita, cui & pro inſigni curâ inſignem de omnibus pænè fidei capitibus Catecheſin addidit. *Synodum habet Diœceſanam.*

Interfuit præterea, illo ipſo tempore, cum *Johanne Iſenburgico*, Archiepiſcopo *Trevirenſi*, *Tridentinæ Synodo*, ubi de Euchariſtiæ præſertim ſacramento diligenter ab ipſo actum eſt, manſitque *Sebaſtianus*, militibus *Mauricii* licet diœceſin ſuam devaſtantibus ad 11. d. Martii An. 1552. crebris ſupervenientibus aliis poſt alios de hac re nuntiis, ubi comparatis magnâ celeritate equis, primâ luce diſcedens *Moguntiam* repetiit; aſt variè à militibus variis divexatus, indè rurſus diſceſſit, transque *Rhenum* in *Briſgoviam* ſe contulit, tandemque poſt multa & difficilia Itinera *Moguntiam* rediit, funeſtos illos incendiorum cineres, à pravis militum interea cohortibus relictos, mœſtus aſpiciens. *Intereſt Concilio Tridentino.* *A militibus variis vexatur.*

Ad Conventum dein *Auguſtæ Vindelicorum* An. 1555. Comitialem non eſt profectus, quo tamen vocabatur, cum à ſupremo omnium Imperatore ad æterna fuerit vocatus Comitia; Nam ad Idus Martias cum cœleſti vitâ terrenæ hujus commutationem fecit, in ſummo Urbis *Moguntinæ* templo tumbatus, ubi viſitur ejus Mauſoleum, in quo iſta ſupra ejus caput: *Ejus Monumentum & Epitaphium.*

Vigilate, quia neſcitis Diem neque Horam.

Infra pedes:

Memento mori.

Et infrà:

D. Sebaſtiano ab Heuſenſtam Moguntino Archiepiſcopo S. Rom. Imper. per Germaniam Archicancellario, Principi Electo-

ri,

RI, &c. VIRO INGENIO, RERUMQUE USU CLARISSIMO, UTRIUSQUE I. DOCTORI, AC IN ADMINISTRANDA REPUBL. DOMI FORISQUE INDEFESSO; QUI INTER FLUCTUANTES GERMANIÆ PROCELLAS DUM FATIGATUS ONERI SUCCUBUISSET, SPIRITUMQUE DEO REDDIDISSET, SUCCESSOR PIO OFFICIO MONUMENTUM POSUIT. SEDIT ANNIS IX. M. IV. D. XXVIII. MORITUR IN ELTVIL. XVII. MARTII. AN. M.D.LV.

* *Ex Nicolai Serarii de rebus Mog. Tractatu.*

Obiit A.C. 1555.

THOMAS DE VILLANOVA,

Archiepiſcopus Valentinus.

Vocatus aliàs Garzias.

AN. C. 1488. natus ex parentibus nobilibus *Alfonſo Thomâ Garziâ*, & *Luciâ Martineziâ*, in Oppido *Hiſpanico*, diœceſeos *Toletanæ*, *Villanovâ*, cognomen à patriâ, pro more Religioſorum, retinuit

Cum à tenerâ ætate literarum ſtudiis animum excoluiſſet, & vitæ ſanctæ ſigna manifeſta edidiſſet abſtinentiâ, eleemoſynis, aliiſque ſanctis actionibus, adoleſcens Religioni Eremitanorum *S. Auguſtini* ſe aſſociavit, & Concionator Verbi Divini factus docendo, commovendo, & delectando Auditoribus ſuis abundè ſatisfecit. Ideò ad Archiepiſcopi *Valentini* in *Hiſpaniâ* evectus honorem, nihilominus in inſtitutis Religionis ſuæ, oratione, meditatione, & S. Scripturæ lectione tempus impendens perſeveravit.

Monachus S. Auguſtini. Concionator. Archiepiſcopus Valentinus.

Collegia duo fundavit.

Collegia duo cum reditibus neceſſariis fundavit, unum pro Fratribus ſuæ Congregationis *Alcalæ*, in *Caſtiliâ*, alterum *Valentiæ* pro Religioſis ſecularibus.

Valentiæ tandem, vitam terreſtrem deſerens, Cœleſtem ingreſſus eſt 8 Sept. Ann. Chr. 1555. ætatis 67. Sepultus in Monaſterii ſui Templo cum hoc Epitaphio:

Ejus Epitaphium.

CONDITUR HOC TUMULO DO. F. THOMAS DE VILLANOVA, ARCHIEPISCOP. VALENTINUS, DIVI VERBI PRÆDICATOR EXIMIUS, QUI CHRISTI PAUPERES BENIGNA QUIDEM MANU NON SOLUM VIVENS FOVIT, SED AD EXTREMUM USQUE SPIRITUM AMPLISSIMIS ELEEMOSYNIS EST PROSECUTUS.* OBIIT DIE NATIVITATIS VIRGINIS MARIÆ AN. MDLV.

Edidit

Ejus Scriptum.

Conciones Sacras, doctrinâ exemplari plenas, Concionatoribus omnibus perutiles.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

* * *

Erga pauperes & indigentes multum erat miſericors, quos, ut potuiſſet, pro Dei amore aliquantulum eſurientes reficere, jejunus ſæpius remanens ſibi competentia cibaria impertivit egenis: ubicunque enim offendiſſet pauperem, non ſine dilatione, quantum potuit, illius inopiæ tàm in amictu quàm in victu ſubveniebat.

In omnibus erat pacificus, mitis, quietus, gravis inceſſu, dulcis eloquio, & jucundâ morum majeſtate ornatus. Adeò verò ſe coràm Deo humiliare didicerat, ut etiam exteriori converſatione nitor quidam Gratiæ Spiritualis relucens, internam cordis humilitatem palàm cunctis oſtenderet.

In habitu ſuo nil differebat ab aliis Ordinis ſui Fratribus, & in ejus funere plus quàm octo mille & quingenti lachrymantes pauperes intervenêre.

Vitam ejus Sanctimoniæ plenam, memoriæ, ſed Hiſpanico Sermone, mandavit Sodalis ejus *Michael Salon*, Doctor *Valentiæ* Theologus, quam qui legit, næ ille rerum cœleſtium inflammati Paſtoris boni exemplar mirabitur.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum Auctorum.*

THOMAS CRAMMERUS,

Obiit A.C. 1556.

Archiepiſcopus Cantuarienſis.

IN *Angliæ* Provinciâ *Notinghamienſi* natus eſt 2 Julii An. 1489. Patre cognomine, matre *Agnete Hatſeldâ*, ex illuſtri proſapiâ ortis. *Parentes.*

Anno ætatis decimo quarto *Cantabrigiam* à matre miſſus, bonam adoleſcentiæ partem in tricis Philoſophicis, Barbarie plenis, tranſegit, donec Evangelii lux exorta eſt; tunc annum agens trigeſimum, animum ad controverſias Religionis cognoſcendas direxit, & triennium lectioni S. Scripturæ impendit. *Studia ejus.*

An. 1524. Doctor Theologiæ renuntiatus eſt. Poſteà exortâ controverſiâ de nuptiis Regis *Henrici VIII.* cum *Catharinâ*, *Ferdinandi* Hiſpani filiâ, quæ prius Fratris Regis *Arturi* fuerat uxor, quas *Loglandus*, Epiſcopus *Lincolnienſis*, improbârat cum multis Eccleſiæ Proceribus, Rex eâ de causâ *Crammerum* cum 6 aliis in *Galliam* ablegavit, ut ſuper eo negotio cum Theologis *Lutetiæ* conferrent. Indè ſolus ad Cæſarem tum in expeditione *Viennenſi* contra *Turcam* occupatum proficiſci juſſus, cum Cæſar cauſæ cognitionem ad Papam Rom. rejeciſſet, domum revocatus eſt, nec multò poſt *Romam* Legatus eâ de re miſſus, nihilo ſegnius rem egit.

Doctor Theologiæ. Controverſia de nuptiis Henrici VIII.

Legatus ad Imperatorem & Pontificem Maximum.

Intereà cum fatis conceſſiſſet *Guilielmus Waramus*, Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, ei ſuffectus eſt An. 1532. *Archiepiſcopus Cantuarienſis.*

Poſteà Judex in matrimonio Regis cum *Stephano Gardinero*, Epiſcopo *Wintonienſi*, conſtitutus, illegitimum id ambo pronuntiarunt, & nexum diſſolverunt, Reginâ ad Papam fruſtrà provocante.

Tunc aliâ, de Pontificis Jure, & Primatu Romanæ Eccleſiæ, exortâ dubitatione, exploſâque Pontificis Romani in *Angliâ* autoritate, occaſionem arripuit, Eccleſiam ab erroribus & ſuperſtitionibus repurgandi: quippè apud Regem partim ſuâ, partim aliorum appellatione impetravit, ut delectis *Nova Eccleſiæ Anglicanæ Reformatio.*

Stokisleo

Stokisleo Epiſcopo *Londinenſi*, *Gardinero Wintonienſi; Sampſono Cheſtrenſi, Repſio Norwicenſi, Goodrio Elienſi, Latimero Wigornienſi, Schaxtono Sarisbur: Barlo S. Davidis*, inſtitutionis novæ Eccleſiaſticæ, à dogmatibus Papiſticis puræ Liber, quem *Epiſcopalem* vocabant, conſcriberetur; hoc omne tum fieri cœptum, demùm mortuo Rege *Henrico* An. 1547. ſub filii *Edoardi* auſpiciis integrè fuit effectum.

Hæreticus accuſatur. Diſputatio de fidei Articulis publica Oxonii.

An. 1553. cum mortuo *Edoardo* ſoror ejus *Maria* regnare cœpiſſet, ejus juſſu cuſtodiæ mandatus, & cum hæreſeos accuſaretur, *Oxoniam* abductus eſt. Ibi 16 April. A. 1554 diſputatione ſolenni inſtitutâ, cui *Weſtonus* præfuit, contra Pontificios pugnare coactus eſt, ipſique *Crammero*, eâdem in cauſâ & periculo, duo Epiſcopi, *Nicolaus Ridlejus Londinenſis*, & *Hugo Latimerus Wigornienſis*, additi fuerunt. Exitus autem diſputationis hic fuit, ut, tanquam convictus, in carcerem reductus, biennium ibi miſerè transigere cogeretur. In eo multis modis tàm blandis, quàm tyrannicis, ad defectionem ſollicitatus, licet maſculè reſtitiſſet, tandem tamen ſpe, vel metu, victus, palinodiæ ſibi propoſitæ, ac poſteà typis evulgatæ, ſubſcripſit.

In carcerem conjicitur.

Palinodiam canit.

Odium Reginæ.

Nihilominus autem à Reginâ odio veteri flagrante, ſub prætextu tamen, 1. quod Majeſtatis reus, Regis ſolviſſet conjunctionem præter P. M. authoritatem. 2. Quod hæreticus eſſet & fuiſſet. 3. Graves Reginæ atque Senatui eſſe cauſas, quas in vulgus efferri tum temporis neutiquam conveniret, morti adjudicatus eſt.

Lapſum & Palinodiam cum lachrymis revocat.

Vigeſimo primo Martii An. 1556. è carcere in Templum *S. Mariæ* deductus, ut publicè revocaret, poſtquam ei *Colus*, Reginæ juſſu, concionem funebrem per duas horas habuiſſet, & deindè ad conſtantiam, atque, ut fidei ſuæ Catholicæ Confeſſionem publicè diceret, monuiſſet, ille lapſum ſuum DEO cum lachrymis deprecatus, Subſcriptionem à ſe factam revocavit, & tanquam irritam damnavit, Papam tanquam Antichriſtum deteſtatus, in fide Evangelicâ moriturum ſe teſtatus eſt.

Dexteram ipſe comburit.

Tum ad locum ſupplicii, (ubi prius *Hugo Latimerus* & *Nicolaus Ridlejus* exuſti erant propter fidei Confeſſionem,) ductus, fraterculisque ſtipatus, ipſum exagitantibus, pulſantibus, minitantibus, quibus nihil reſpondit, tandem veſtibus, ad interulam uſque, depoſitis cum catenâ ferreâ palo adſtrictus, cum ignis accenderetur, dexteram, perjurii miniſtram, flammis admovit, & ita immotam tenuit, ut eam prius combuſtam, quàm corpus flammis tactum, Spectatores cernerent.

Corpus autem ipſum tanta excepit conſtantia flammas, ut eodem ſemper loco conſiſtens nihil pænè magis, quàm palus, cui erat alligatum, moveretur, oculis ſubindè in Cœlum erectis, pronunciatiſque ſæpius *S. Stephani* verbis: *Domine JESU! ſuſcipe Spiritum meum!*

Martyrium ſubit.

Hoc modo, cum ſæpius indignam dexteram, dum vox ſuppetebat, appellâſſet, flammarum tandem vi ſuffocatus, placidè exſpiravit An. ætatis 68.

Corpore in Cineres redacto Cor illæſum manſit, teſte *Joh. Foxo.*

Ejus Scripta.

Præter officii ſui curam commentatus eſt varia: Nam *Bibliorum* translationes *Anglicas*, pluribus in locis emendavit, præfationemque addidit. Conſcripſit inſuper

Catechiſmum Doctrinæ Chriſtianæ.
Ordinationes Eccleſiæ Reformatæ.
De Miniſtris ordinandis Lib. I.
De Euchariſtiâ cum Luthero Lib. I.
Defenſionis Catholicæ Doctrinæ Lib. V.
Jura Eccleſiaſtica tempore Eduardi.
Contra Gardineri concionem.
Doctrinam Cœnæ Dominicæ.
Contra Transſubſtantiationis Errorem Lib. I.
Quomodo Chriſtus adſit in S. Cœna Lib. I.
De Eſu Cœnæ Dominicæ Lib. I.
De Oblatione Chriſti Lib. I.
Homiliarum Chriſtianarum Lib. I.
Ad Richardi Smithæi calumnias Lib. I.
Confutationes veritatum non ſcriptarum.
Locorum Communium ex Doctorib. Lib. XII.
De non ducenda fratria Lib. II.
Contra Primatum Papæ Lib. II.
Adverſus Papæ Purgatorium Lib. II.
De Juſtificatione Lib. II.
Precum Piarum Lib. I.
Epiſtolarum ad Viros Eruditos Lib. I.

Ex Carcere ſcripſit *Librum contra Sacrificium Miſſæ.*

Contra Adorationem Panis Lib. I.
Ad Mariam Reginam Lib. I.

* *Ex Melchioris Adami vitis Theologorum exterorum.*

MICHAEL SYLVIUS,

Cardinalis.

Obiit A. C. 1556.

Poëta.

Portugalenſis fuit, Vir inſigniter doctus, ut & carmen pangeret non infeliciter: quale illud, quod in Capitolio, hodieq; in commendationem Faſtorum viſitur, juxta marmora Magiſtratuum ac triumphorum Romanorum, beneficio *Alexandri Farneſii* Card. eruta, & in aſpectum prolata.

Legatus Regis Luſitaniæ.

Epiſcopus Viſenſis.

Cardinalis.

Legationem geſſit *Emanuelis* Regis *Luſitaniæ* nomine, apud S. P. *Leonem X. Hadrianum VI.* & *Clementem VII.* A *Johanne III.* Regis *Emanuelis* filio, *Viſenſis* Epiſcopus poſtulatus. Quart. Non. Decemb. An. 1541. Cardinalis renuntiatus *Baſilicæ* Apoſtolorum, paulò poſt *Marchiæ* Legatus creatus eſt. Verùm raptus ante diem fato, magnum ſui reliquit deſiderium. Mortuus *Romæ* Nonis Junii A. C. 1556.

Carmen ejus Faſtis appoſitum in Capitolio Rom. hoc legitur:

Marmora præclaros teſtantia fronte triumphos,
Atque Magiſtratûs inclyta Roma tuos,
In medio manſere foro dum Roma manebas,
Poſtq; Deos orbi jura ſecunda dabas.

Aſt ubi te indignis fregit fortuna ruinis,
Obruerat titulos alta ruina tuos:
Tamq; diu in tenebris tantis latuiſſe videntur,
His veluti fato debita temporibus:
Quæ modò Alexander patriâ te dignus, avoq;
Paulo inventa tibi marmora reſtituit.
Tu Capitolinum meliori in ſede reponis,
Et legeris magni munere Farneſii.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum Auctorum.*

JOHANNES MARTINUS SILICEUS, *Cardinalis.*

Obiit A.C. 1557.

Præceptor Philippi I. Regis Hiſpan.

HUic à *Carolo V.* Cæſare, *Philippi* filii erudiendi cura eſt demandata. Habitus autem eſt ævi ſui Philoſophus præſtantiſſimus, & *Lutetiæ* Artes tractans liberales, Arithmeticam evulgavit. Pòſt *Salmanticæ S. Bartholomæi* Collega, Moralem eſt Philoſophiam publicè profeſſus.

Ethicæ Prof. Salmant.

Theologus.

Theologiæ quoque ſenex operam dare non erubuit, adſcito *Antonio Honcala* Magiſtro, qui & ipſe ſuos in *Geneſin* Commentarios ejus auſpiciis *Compluti* evulgavit: ſcripſitque *Siliceus*, ſed populari Sermone, de *nomine JESU*, & *de Oratione Dominicâ*, cavitque decreto, ne quis è ſtirpe gentis Hebrææ opimis Eccleſiæ *Toletanæ* Sacerdotiis potiretur. Quamobrem & invidiam, ſed conſtanti animo, ſuſtinuit, *Judæorumq;* apologiam *Lutetiæ* editam calumniamq; eluſit.

Symbolum ejus.

Symbolum adhibuit, Silici ignem vomenti: *Igniarium mihi omnia.* Deus enim flamma conſumens eſt, indè venuſtè in ejus laudes *Franc. Franchinus* Poëta *Coſentinus* luſit:

Quàm benè templa ſuper Silice hoc fundata nitebunt,
Quamque diu invitis durabunt viribus ævi:
Quilibet è Silice hoc flammas excudet & ignem
Eliciet, mole grata hyemis quo frigora pellat:
E Silice hoc etiam gelidarum flumina aquarum
Proſilient, orbem largo quæ fonte rigabunt.

Cardinalis.

Cardinalis creatus à S.P. *Paulo III.* tit. S.S. *Nerei* & *Achillei*, 1 Jan. A.C. 1545. Obiit verò octogenarius An.C. 1557. Menſ. Majo & in monaſterio Virginum à ſe ædificato, (quibus Urbis nobilium parentum puellis maritandis bona omnia ex teſtamento reliquerat,) Inciſum juxtà Sacrarium hoc Elogium inter alia Eccleſiæ ejuſdem Archiepiſcoporum monumenta legitur:

Archiepiſcopus Toletanus.

Ejus Epitaphium.

JOANNES SILICEUS, CARDINALIS,
PHILIPPI II. MAGISTER,
PATER PAUPERUM,
ET IN TOLETANA ECCLESIA
SANCTARUM LEGUM RESTAURATOR.
OBIIT XXII MAJI CIƆ IƆ LVII.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ diverſorum Auctorum.*

REGINALDUS POLUS, *Cardinalis.*

Obiit A.C. 1558.

FIlius *Richardi Poli*, Equitis aurati, qui fuit *Angliæ* Regis *Henrici VII.* conſobrinus, eodem, quo Imperator *Carolus V.* tempore natus, A.C. 1500. ex *Margarethâ*, Comitiſsâ *Sarisburienſi*, *Georgii* Ducis *Clarentiæ* filiâ, Regis *Edoardi IV.* nepte.

In primâ ætate literis humanioribus operam dedit in Monaſterio *Certoſæ* extra *Londinum*, deindè in Academiam *Pariſienſem* veniens, Theologiæ, Latinis, Græcis & Hebræis literis incubuit, & *Lamentationes Prophetæ Jeremiæ* ex Hebraicâ in Latinam Linguam traduxit.

Adoleſcens totum Septennium *Patavii* in *Italiâ* ſtudiis inſumſit, *Chriſtophoro Longolio* familiaris, Regi *Henrico VIII.* charus, qui ei annuum 500 aureorum honorarium dedit, ejusque matrem *Margaretham* honorificè in aulâ Regiâ detinuit.

In *Angliam* reverſus, cum Regi *Henrico VIII.* operam ſuam in Reformatione Regni denegâſſet, Regis ſibi adverſi metuens inſidias, iterùm veluti profugus *Patavium* in *Italiam*, & mox *Romam* diſceſſit, ubi *Petri Bembi*, Secretarii Pontificis, *Caſp. Contareni*, & *Jacobi Sadoleti* commendatione à *Paulo III.* Cardinalis creatus eſt An. 1537.

Regi Henrico VIII. exoſus.

Cardinalis.

Demortuo Rege *Henrico VIII.* Legatus à Latere in *Angliam* deſignatus, Regni Primates cum toto populo ad priſtinum *Romanæ* ſedis obſequium revocavit An. 1548.

Anno ſequenti iterum *Romam* rediit M. Dec. A. 1549. Cum verò *Romæ* Cardinales ad Papam eligendum Conclave ingreſſi, quodam die ſuffragia more ſolito darent, & noctu *Polus* à *Ludovico Priulo*, Patritio *Veneto*, familiari ſuo, è ſomno excitatus & admonitus eſſet, adeſſe Cardinales ipſum procul dubio adoraturos, amicè reſpondit: *Alienum eſſe noctis tempus à re tam arduâ, quam in lucem differri debere exiſtimet.*

Papatum ſpernit.

Hâc verò interpoſitâ noctis morâ, diſtractæ Cardinalium voluntates, ad *Julium III.* mox adorandum coiverunt. Id cum percepiſſet, nihil mutatus, *onus eſſe Papatum viribus ſuis majus* dixit, nihil verò ſibi prius & antiquius eſſe, quàm vitam ſuam in contemplatione quietâ lætam traducere poſſe.

Eam ob cauſam ſeceſſit in Monaſterium *Veronenſe* An. 1553. ſed priusquàm ibi confirmatus reſideret, nuntiatum eſt ex *Angliâ*, Regem *Edoardum VI.* obiiſſe, & ad *Mariam* Diadema devolutum, quam cum optimè ſibi favere noſſet, *Julii III.* hortatu regreſſus in *Angliam*, in eâ A. 1554 perſecutionem in Evangelicos graviſſimam ſuſcitavit.

Fit Monachus.

An. 1555. *Thomæ Crammero* Martyrium paſſo in Archiepiſcopatu *Cantuarienſi* ſucceſſit, & *Angliæ Reſtauratoris* nomen adeptus eſt. Paulò pòſt *Paulus IV.* ad Pontificatum evectus, eum Legati Apoſtolici munere abdicavit.

Archiepiſcopus Cantuarienſis.

Londini tandem quartanæ duplicis diuturnitate ſurreptus exſpiravit A.C. 1558. ætatis

Moritur unà cum

Regina Maria. ætatis 58. die 17 Nov. quâ 16 horis antè *Maria Regina* obiit.

Teſtamento *Aloyſium Priulum*, Patritium *Venetum*, inſtituit hæredem, quem, ob morum conformitatem, ante annos 26 in familiaritatem ſuam cooptaverat. Hic etſi hanc hæreditatem recuſâſſet, nihilominùs in colligendis Poli rebus diſperſis, & in ordinem collocandis, 26 menſes inſumſit, egregio amicitiæ non fucatæ exemplo.

Libri ab eo ſcripti ſunt

Ejus Scripta.

Exhortatio ad Carolum V. Imperatorem, & Franciſcum, Galliæ Regem, pro Pace.
Epiſtolar. ad Sadoletum & alios Lib. I.
De Juſtificatione Libri II. Anglicè.
De Baptiſmo Conſtantini Magni.
Conſilium de reformandâ Eccleſiâ.
Pro Eccleſiæ unitate defenſionis Libr. IV. In quibus Regem *Henricum VIII.* graviter reprehendit.
De Summo Pontifice in modum Dialogi.
De Concilio Tridentino, & de Reformatione Angliæ Lib. II.

* *Ex Herologiâ Anglicâ; Muſæo Hiſtorico Joh. Imperialis Phil. & Med. Vicent. & Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

CAROLUS MARILLACUS, *Archiepiſcopus Viennenſis.*

Obiit A.C. 1560.

IN *Arvernis* modico, ſed honeſto, loco natus, quippè cujus majores *Borbonüs Arvernorum* Regulis diu ſervierunt. Vir judicio acer, & aulæ atque aſſentationum haud accommodatus ingenio, jamque à longo tempore emendationis in Eccleſiâ ſanciendæ deſiderio flagrans, ob idque olim, cum in Curiâ *Pariſienſi* Patronum ageret, ſuſpectus: cumque, ut periculo præverteret, *Johannem Foreſtum* ad *Solimannum*, Turcarum Imper. à Rege Gall. *Franciſco I.* Oratorem miſſum ſecutus eſſet, mortuo *Foreſto* Legationem cum laude obivit, & mox *Anglicâ*, ac alterâ apud *Carolum V.* Cæſarem Legatione, aliisq; pari induſtriæ laude defunctus eſt.

Advocatus Pariſ. — Legatus Reg. Gall. ad Imp. Turc. — ad Imp. Carolum V.

Poſtremò inter privati, quem vocant, Conſeſſus Conſiliarios cooptatus, & Archiepiſcopus in *Galliâ Viennenſis* factus, cum de occultis *Guiſianorum* adversùs *Henricum Navarr.* & *Condæum* conſiliis monita exitum non habere videret, in profundum mœrorem, & ex mœrore in lethalem morbum incidit, ex quo pauló pòſt deceſſit A.C. 1560. ætatis 56. in *B. Petri* Cœnobio, juxtà *Melodunum*.

Conſilii privati aſſeſſor. — Archiepiſcopus Viennenſis.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

JOHANNES BELLAJUS, *Cardinalis.*

Obiit A.C. 1560.

A puero literis feliciter inſtitutus, itâ, ut & ſcitè Latinè ſcribere, & verſus elegantes pangere poſſet, indè non tàm fortunæ beneficio, quàm merito ſuo à Rege *Franciſco* maximis negotiis tractandis ſtatim adhibitus, plurimas Legationes ſummâ cum prudentiæ ac præcipuæ fidei laude obivit. Sed maximè in Concilii *Tridentini* conſeſſu, ſuperatâ Patrum expectatione admirabilis, ſibi apud omnes inſignem acquiſivit exiſtimationem.

Poëta. — Legatus Regis Galliæ in Concilio Tridentino.

Nec ei magnitudo animi defuit, ut qui aſperrimis temporibus, adventante Cæſaris exercitu, *Pariſiorum* Urbem, cujus Epiſcopatum gerebat, intrepidè tuendam ſuſceperit, ejusque muros ingenti vallo, firmisque propugnaculis incredibili diligentiâ muniverit.

Epiſcopus Pariſiorum.

Sublato dehinc è vivis Rege *Franciſco*, cui & pace & bello ab intimis conſiliis fuerat, cum invidorum artibus diſpari apud Succeſſorem *Henricum* loco eſſet, *Romam* ſe recepit, ubi in Cardinalium Collegium cooptatus, & Eccleſiæ emendationi ſemper ex animo ſtudioſus, affectâ jam ætate vitâ functus eſt A. C. 1560.

Cardinalis.

Edidit

Carminum Lib. III. in quibus non ingenii ſolùm & doctrinæ, ſed generoſi etiam animi ſigna non obſcura elucent.

Ejus Scripta.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtr. Scævolæ Sammarthani, & ex Elogiis Thuaneis Vir. doct. C. B.*

FRANCISCUS JUSTUS TURNONIUS, *Cardinalis.*

Obiit A.C. 1562.

VIr prudentiâ, profundâ rerum agendarum peritiâ, & ſingulari erga patriam pietate cum paucis comparandus, à Rege *Franciſco I.* Summæ negotiorum fuit præpoſitus, deindè poſt ejus mortem invidiâ ex aulâ pulſus.

Aulicus Reg. Gall. Franciſci I.

In causâ Religionis eò viſus Proteſtantibus iniquior, quod in eâ quiddam immutari aut innovari poſſe citra publicæ tranquillitatis perniciem negaret: alioquin à factionibus, quæ miſerè hoc Regnum poſteà lacerarunt, alienus, Regibus adeòque meritò charus, ut qui in publicâ Regni adminiſtratione, in quâ 30 amplius annos ſummâ cum laude verſatus eſt, ad unum Regis obſequium & publicam utilitatem ſemper collimaverit.

Adhæc literarum & literatorum Fautor eximius extitit, quas ut magis promoveret, *Ignatii Loiolæ* ſequaces, quos in juventute ad pietatem & ſtudia inſtituenda, majorem curam & ſolertiam adhibere intellexerat, inſueto favore proſecutus eſt, Auctorque fuit, ut eorum Ordo, tanquam Reipublicæ literariæ utilis, in *Galliâ* certis conditionibus reciperetur, inſtauratâ in *Vivarienſi* pago *Turnonii*, undè familiæ gentile cognomen, Scholâ famoſâ, amplis reditibus ab eo dotatâ, cujus curam illius Ordinis Patribus attribuit.

Literatorum Fautor. — Scholam Jeſuiticam erexit.

Modicis literis tinctus, tamen Viros literis præſtantes domeſticos ſecum in aulâ, in *Italiâ*, & peregrinationibus comites ſemper habuit,

Literis non tinctus.

Digitized by Google

habuit, & tantâ curâ fovit, ut *Arnoldus Ferrerius*, qui in ejus familiâ diu ex eo numero fuerat, ſoleret dicere: Nunquam ſe domi tam placidè & aſſiduè ſtuduiſſe, quàm dum *Turnonium* ſequeretur. Hoc enim illi in comitatu aulico ſolenne fuiſſe, ut ſimul atque ex equo deſcendiſſet, conclave, Philologis ſuis deſtinatum, ante omnia adiret, & inſpiceret, an capſæ librorum, quæ peculiaribus mulis portabantur, advectæ eſſent; quibus advectis, & menſis cum ſedilibus appoſitis, ad ſtudium illos hortari, ipſum verò ad Regem, cui in ſummâ rerum Imperii ſerviebat, pergere ſolitum fuiſſe: ad prandium verò, cum menſa ejus cunctis extraneis magnificè pateret, Cœnam enim ad paucos & familiares cótractam fuiſſe, Philologos ſuos adhibebat, & de literis differentes libenter audiebat. Et hoc extremis etiam Regis *Francisci I.* temporibus, quibus *Petrum Daneſium*, ipſum *Ferrerium*, *Johannem Vincentium Laureum*, *Dionyſium Lambinum*, *Marcum Antonium Muretum* ſimùl inter domeſticos habebat. *Arnoldi Ferrerii Elogium.*

Lutetiæ tandem in ſuis ædibus mortalitatem exuit A. C. 1562. ætatis ferè 80.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

HIERONYMUS SERIPANDUS, *Cardinalis.*

Obiit A. C. 1563.

EX parentibus nobilibus *Neapoli* natus, patrem habuit *Johannem Ferdinandum*, *Capuæ* Prætorem, matrem *Iſabellam Galeottam*, mundú ingreſſus eſt 6 Maji A. C. 1493.

Eâdem, quâ natus, die, An. 1507. Mundi tædio Religioſus *S. Johannis de Carbonarâ*, Ordinem *Eremitanorum S. Auguſtini* ſuſcepit, & in cognitione Linguarum, *Hebrææ*, *Chaldææ*, *Græcæ*, & *Latinæ* mirabiles fecit progreſſus. Ideò Generalis hujus Religionis *Romam* eum accivit, ut in ſtudiis quoque Philoſophicis ac Theologicis ſe exerceret, ibidem cum omnium Patrum applauſu Doctor Theologiæ renuntiatus, eodem tempore Secretarii & Cancellarii munus in Ordine ſuo exercuit. *Monachus S. Auguſtini. Philologus. Theol. Doctor.*

Bononiæ Theologiam publicè legit, & unà frequenter concionatus, nominis ſui famam adeò celebrem acquiſivit, ut Papa *Paulus III.* Vicarium & Priorem Generalem Ordinis ſui, & Imp. *Carolus V.* Archiepiſcopum *Salernitanum*, recuſantem licet, nominârit. *Et Profeſſor. Prior Generalis Auguſtinianorum.*

Pius IV. tandem ad Cardinalatum eum promovit, & Legatum ad *Concilium Tridentinum* miſit, in quo prudentiâ ſuâ & eloquentiâ Patres præſentes inter ſe diſſidentes ad concordiam reduxit. Ibidem ad meliorem vitam abiit 17 Martii An. C. 1563. ætatis 70. *Cardinalis. Mor. in Concilio Tridentino.*

Corpus ejus in Templo *S. Marci* depoſitum in patriam poſteà reportatum, ſplendidè in Cœnobii ſui Templo ſepultum fuit, inſcripto lapidi ſepulchrali hoc Epitaphio:

HIERONYMO SERIPANDO, CARD. CONCILII TRIDENT. LEGATO CHRISTOPHORUS PATAVINUS, SODALITII EREMIT. MAGISTER POSUIT. VIXIT ANN. LXX. M. V. *Ejus Epitaphium.*

Si quis honos tumuli quantum Sol lampade luſtrat
Terrarum, cœliq́, tuum eſt, Seripande, ſepulchrum.

Edidit

Comment. in omnes Epiſtolas D. Pauli, & in 7 Epiſtolas Catholicas. *Scripta.*

De Hominis Juſtificatione Lib. III.

Reſponſiones ad nonnullas quæſtiones ex textu Epiſtolæ Catholicæ.

Orationem, quam in *Caroli V.* Imp. funere recitavit *Neapoli.*

Expoſitionem Symboli Apoſtolorum Italicè.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

JACOBUS à PUTEO, *Cardinalis.*

Obiit A. C. 1563.

*NIciæ, Urbe maritimâ, in Provinciâ *Gallicâ*, ex nobili familiâ *Alexandrinâ* natus, & Legum ſtudiis excultus, *Romam* veniens, mox Cardinalis *Petri Accoltii* Auditor factus, poſteà inter alios Rotæ Auditores locum obtinuit, in quo officio 15 annos exegit, factus deindè Decanus Tribunalis. ** Vel Niciæ. Auditor Rotæ Romanæ. Decanus Tribunalis.*

Julius III. Pontifex Maximus, Archiepiſcopum *Barrienſem*, in *Apuliâ*, tandemque Cardinalem creavit. Præfectus etiam anteà fuit Signaturæ Juſtitiæ, & poſteà Signaturæ Gratiæ, Protector Ordinis Equeſtris *S. Johannis Melitenſis*, Ordinis Fratrum *Carmelitanorum*, tandemque Generalis Inquiſitor, & Legatus in *Concilio Tridentino.* *Archiepiſcopus Barrienſis. Cardinalis. Legatus in Concilio Tridentino.*

Romæ tandem ad meliorem vitam abiit 26 April An. C. 1563. ætat. 68. Sepultus fuit in Templo *S. Mariæ* ſupra *Minervam*, cum hoc Epitaphio:

DEO OPT. MAX. *Ejus Epitaphium.*
JACOBO PUTEO NICIENSI S. R. E. PRESBYT. CARD. PRÆCIPUO AC INTEGERRIMO VIRO, QUI SUMMAM J. U. SCIENTIAM ITA CUM SUMMA PROBITATE CONJUNXIT, UT UNUS REIPUBL. CONSTITUENDÆ DISCIPLINÆQUE VETERIS REVOCANDÆ PRÆCIPUUS AUTHOR VOTIS BONORUM EXPETERETUR. VIXIT ANNOS LXVIII. MENS. II. DIES XIII. OBIIT VI. CAL. MAJI MDLXIII.
ANTONIUS PUTEUS, ARCHIEPISCOPUS BARENSIS NEPOS POSUIT.

Opera edidit

Deciſiones ex cauſis tam per ipſum, quàm per alios D. N. Auditores Rotæ in eodem Sacro Palatio relatis. *Scripta.*

De Mutatione Monetarum.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

JOHAN-

Digitized by Google

Obiit A.C. 1567.

JOHANNES VI.

Archiepiſcopus Trevirenſis.

Archiepiſcopus Trevirenſis. Princeps ſapiens.

JOhannes à Petra vocatus, A. 1556. electus eſt Archiepiſcopus *Trevirenſis*, Princeps eruditus & ſapiens, de quo nonnemo talia fecit verba: *Beatum fore, & illuſtrem Imperii Statum, ſi plures tantâ Sapientiâ in eo lucerent, ac cœteri Principes pedem in iſtius veſtigiis ponerent.*

Patres Soc. Jeſu Trevirim primus vocat.

Patres hic Societatis Jeſu, ad jacentis Academiæ decus excitandum, accerſendos duxit; qui etiam à Generali Præpoſito, *Jacobo Laynio*, poſtulati, & ab *Everhardo Mercuriano* adducti fuêre, inter quos *Hermannus Thyreus, Noveſius*, ſingulari vir doctrinâ zeloque, & *Antonius Vinckius*, Belga, Rector futurus, eminuit.

Princeps ad lites etiam minimarum rerum expediendas ſe accingens.

Mirum inſuper quàm impensè hic Princeps ſe dederit litibus, cauſisque controverſiarum in judicio expendendis, abſolvendisque: Nemo hinc ſupplicum, nullaque etiam cauſarum, de leviſſimis rebus ſuſceptarum, rejecta eſt. His, cum ad valetudinis jacturam usque incumberet, à Domeſticis licet avocatus, inſtitit, dictitans: *Glorioſius valetudinem in laboribus, quàm otio & voluptate, frangi. Et, nihil leve judicandum, quod vulgo grave ſit: quò quæq; leviora, tantò diſcuti facilius: quò graviora, tantò majori præſidio indigere, hinc nec illa rejicienda eſſe, nec hæc prætermittenda.*

Doctorum Patronus.

Doctorum inſuper ſacrorumque hominum continuâ delectatus conſuetudine,

Moritur.

Princeps eruditus lentâ tabe 4 Id. Febr. An. 1567. conſumtus obiit.

Judicium Cæſaris de Johanne.

Mortis inſperatæ nuntio perculſus Cæſar, ad Optimates literis XI. Martii datis teſtatus eſt: *Principem & morum integritate, & ingenii doctrinæq; præſtantiâ, & inſigni lenitate præditum, non Trevericæ modò ditioni, ſed ſibi, Imperio, Reipublicæ Chriſtianæ, periculoſis iſtis temporibus maturiùs, quàm optâſſet, ereptum.*

Monumentum.

Monumentum Succeſſor *Jacobus* in ſaxo hâc additâ inſcriptione erexit:

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. JOHANNI ELECTO ET CONFIRMATO IN ARCHIEPISCOPUM TREV. S. R. IMP. ELECTORI ETC. QUI CUM ANN. DECEM, MENS. X. ARCHIEPISCOPATUI PRUDENTER PRÆFUISSET, CONFLUENTIÆ IN PACE QUIEVIT. DIE X FEBR. ANNO MDLXVII. SUCCESSOR HONORIS CAUSA POSUIT.

Aliud.

Elegans aliud *Johannis à Petra* Epitapium alius, & quidem ſequens appoſuit:

Hîc ego, Germanas, cujus ſpatiata per Urbes
Fama iit, exiguâ ſum tumulatus humo.
Terra tegit, quod terra dedit, ſed Spiritus altas
Jam Cœli partes liberioris habet.
Quid mortem, caſusq; meos, defletis amici?
Non dabitur multis ſic potuiſſe mori.
Petra dedit nomen, quid petrâ fortius? æquè
Sic animus fortis, ſic quoq; pectus erat.
Hæc ſatis: aſt de me tibi cœtera fortè loquetur
Poſteritas, lethi nos vetat alta quies.

* *Ex Jacobi Maſenii Epitom. Annal. Trevir.*

Obiit A.C. 1568.

OCTAVIANUS PRÆCONIUS,

Archiepiſcopus Panormitanus.

MUndum ingreſſus *Meſſinæ*, Civitate *Siciliæ* maritimâ, cum in adoleſcentiâ veſtitum Religioſum Minorum Conventualium *S. Franciſci* induiſſet, Philoſophiæ & Theologiæ ſtudiis deditus, magnâ cum facundiâ Verbum Dei in Concionibus docuit. Summis ideò Pontificibus gratus, diverſos ab iis Epiſcopatus, *Monopoli* in *Apuliâ*, *Arriani* in Regno *Neapolitano*, *Cephali* in *Siciliâ* obtinuit, & porrò à S. Pont. *Pio IV.* ad Archiepiſcopatum *Panormitanum* promotus eſt.

Monachus S. Franciſci. Concionator.

Archiepiſcopus Panormitanus.

Concilio *Tridentino* Ipſe præſens interfuit, febrique tandem correptus, & ſenſim conſumtus, ad meliorem vitam tranſiit 18 Julii A. C. 1568. *Panormi* ſepultus jacet in Templo Cathedrali cum hoc Epitaphio:

Ejus Epitaphium.

FRATER OCTAVIANUS PRÆCONIUS ORD. MINORUM CONVENT. SICULUS A CASTRO REGALI, ARCHIEPISCOPUS PANORMITANUS, PIETATE INSIGNIS, ERUDITIONE CLARUS, POST MULTOS CURÆ PASTORALIS ET ECCLESIAR. MONOPOLITAN. ARIANEN. CAPHALUDEN. ET PANORMITAN. EXHIBITOS LABORES QUIETURUS TANDEM OBIIT DIE 18. JULII SUÆ DIGNIT. AN. VI. A CHRISTO NATO M. D. LXVIII. OCTAVIANUS PRÆCONIUS PRIOR PRIORATUS S. ANDREÆ, CIVITATIS PLATIÆ DEFLORESCENTIS PATRIÆ JACTURA MOESTUS, FLORESCENTIS NOMINIS GLORIA LÆTUS TANTUM VIRUM TANTILLO MARMORIS ET HONESTAVIT ET TUMULAVIT.

Edidit:

Scripta.

Summam de Sacramentis.

Expoſitionem lucidam in Orationem illam, quæ ab Eccleſiâ in Miſsâ Defunctorum pio quodam ritu canitur: *Domine Jeſu Chriſte, &c.*

Della Paſſione di Chriſto.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C. 1568.

FRANCISCUS ABUNDIUS CASTILIONÆUS,

Cardinalis.

MEdiolani ex illuſtri familiâ traxit originem, quæ cum *Cœleſtino IV.* Summo Pontif. Cardinales agnovit *Octavianum*, *Gotfridum*, *Brandam* & *Johannem Caſtilionæos.*

Natus eſt 1. Febr. A. C. 1523. Patre *Hieronymo Caſtilionæo*, Senatûs *Mediolanenſis* Præſide. Literis in primâ ætate Græcis & Latinis excultus, *Ticini* Legum ſtudiis operam dedit, & in Philoſophiâ ſimùl ac Theologiâ evaſit doctiſſimus.

Juriſconſultus, Philoſophus & Theologus.

F Cum

Abbas S. Abundii. Epiſcopus Bobienſis. Cum ipſi poſteà *Philippus* patruus paternus Abbatiam *S. Abundii* renuntiâſſet, inCivitate *Comenſi* ad Epiſcopatum *Bobienſem* in Statu *Mediolanenſi* promotus eſt â S. Pontif. *Pio IV.*

Miſſus exinde Legatus ad *Concilium Tridentinum*, adeò votis Summi Pontif. ſatisfecit, ut ab eo remunerationis locoCardinalis creatus fuerit. *Cardinalis.*

Tempus â negotiis ſeriis reſiduum omne ſtudiis Divinis & Humanis impendit, converſatione Virorum eruditorum ſummoperè delectatus, imprimis *Thomæ Porcaccii* celebris Hiſtorici, & *Hannibalis Cruceji*, Patritii *Mediolanenſis* & Poëtæ eximii.

Collegium Caſtilionæum Papiæ reſtituit. Collegium *Caſtilionæum*, *Ticini*, â Cardinale *Brandâ Caſtilionæo* fundatum, ſtudioſorum in eo mores diſſolutos emendando, & ædificium vetuſtate ruinoſum ædificando, reſtituit in integrum, â quartâ patrimonii ſui portione. Academiæ *Affidatorum Ticini* membrum, nomen in eâ *Philareti* geſſit. *Academicus Affidator.*

Romæ tandem vitâ defunctus 14. Nov. A. C. 1568. æt. 45. ſplendidâ cum pompâ ſepultus fuit in Templo *S. Mariæ de Populo*, hocque Epitaphium Sepulchro marmoreo, cum ejus effigie, inſculptum:

Ejus Epitaphium.

D. O. M.

EXPECTO, DONEC VENIAT IMMUTATIO MEA.

FRANCISCO ABUNDIO CASTILIONÆO MEDIOL. HIERONYMI SENAT. MEDIOLANI PRÆSIDIS FILIO, S.R.E. PRESBYTERO CARDINALI, COELESTINI IV. PONT. MAX. OCTAVIANI, GOTIFREDI, BRANDÆ, ET JOHANNIS CARDD. GENTILI. PIO IV. PONT. MAX. VALDE CHARO, ATQUE AB EODEM OB FIDEM ET PIETATEM, QUAM EPISCOPUS BOBIENSIS IN TRIDENT. CONCILIO PRÆSTITIT, IN AMPLISS. COLLEGIUM COOPTATO. VIXIT ANN. XLV. OBIIT M. D. LXVIII. XVIII. CAL. DEC. JOSEPH. CASTILION. J. C. PATRUELI, ET JOH. JACOBO ARCHIEPISCOPO BANIENSI PATRUO COMMUNE M. P.

Scripta. Scripſit linguâ Patriâ:

Pii Componimenti in lode di Maria Vergine Santiſſima.

Componimenti amoroſi, quæ*Hieron. Ruſcellus* in lucem emiſit.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

ODETUS COLINIUS, *Obiit A.C. 1571.*

Cardinalis.

Caſparis Colinii, in *Galliâ* ſummi maris præfecti, frater, Cardinalis *Caſtellionæus*, cum ſuperiore bello in aulâ *Eliſabethæ*, *Anglorum* Reginæ, Proteſtantium cauſæ procurationem ſuſcepiſſet, & in magnâ autoritate apud eam eſſet, ob familiæ amplitudinem & integritatis opinionem, rebus in *Angliâ* compoſitis, â *Caſpare* fratre revocatus, petito â Reginâ commeatu, *Amptonam* venerat, ubi ſubito morbo correptus, non ſine ſuſpicione veneni, magno ſui relicto deſiderio, deceſſit 16. Kal. Martii A. C. 1571. haud major quinquagenario. *Cantuariæ* ſepultus eſt. *Proteſtantium in Angliâ patronus.* *Ex veneno propinato obiit.*

Vir fuit magnitudine animi, candore, æquitate, & rarâ hoc ævo fide, adhæc acri in rebus æſtimandis judicio cum paucis comparandus.

Venenum illi â cubiculario in pomo propinatum poſtea conſtitit, cum captus ille quaſi explorator *Rupellam* miſſus, ibique tormentis ſubjectus rem confeſſus eſt. *Thuan. lib.* 50.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi â Stöcken.*

HIPPOLYTUS ATESTINUS, *Obiit A.C. 1572.*

Cardinalis.

Alfonſi I. Ferrariæ Ducis, & *Lucretiæ Borgiæ*, filius, magnis negotiis â primâ adoleſcentiâ apud *Gallos* innutritus, & propter arctam *Herculis* fratris cum *Franciſco I. Galliæ* Rege affinitatem, etiam ad intima ejus conſilia admiſſus, ac opimis Sacerdotiis donatus, ejusdem commendatione â S. P. *Paulo III.* in Cardinalium Collegium cooptatus fuit. *Conſiliar. Reg. Gall.* *Cardinalis.*

Poſtea ſub Rege *Gallorum Henrico II. Senas*, quæ ad Regis patrocinium confugerant, ſummâ prudentiæ & æquitatis opinione moderatus, ac denique magni momenti Legatione ſub *Carolo IX.* defunctus, patrocinium rerum *Gallicarum Romæ* ſuſcepit, vir elato ingenio, quod ingentia ædificia in *Galliâ* ab eo fabricata, & Horti regali ſumptu ab eo in *Monte Quirinali* & *Tibure* exſtructi ad poſteritatem teſtantur. *Senarum Gubernator.*

Tandem effœto laboribus potius, quàm annis, corpore, vitâ exceſſit 3. Non. Decemb. A. C. 1572. ætatis 60. Corpus in *S. Catharinæ* depoſitum, poſtea *Tibur* translatum eſt & in *Franciſcanorum* templo conditum.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi â Stöcken.*

CAROLUS LOTHARINGUS, *Obiit A.C. 1574.*

Cardinalis.

Natus in *Galliâ*, patre *Guiſio*, *Renati*, *Lotharingiæ* Ducis, filio, maternam originem ad ipſos *Galliæ* Reges multiplici cognationis vinculo referebat. A pueritiâ, neglectis potentiorum ſtudiis, ad firmiora ſe contulit literarum præſidia, quare dignus â *Paulo III.* Pontifice Maximo judicatus eſt, qui 23. annorum adoleſcens in Purpuratorum Ordinem allegeretur: nec eo minus in ſuſceptâ ſemel ſtudiorum curâ perpetuoque literarum amore permanſit. *Cardinalis a. æt. 23.*

Quod ſi per occupationes licuiſſet, quibus aſſiduè diſtrictum totius Orbis Chriſtiani negotia tenuêre, haberemus profectò non pauca tam rari & excellentis ingenii mo- *Eruditus.*

monumenta, cum veteribus etiam optimis comparanda.

Diſertus Frater Franciſci bellicâ virtute clari.

Commendabat has animi fortunæque dotes & illuſtrabat ſtaturæ dignitas & forma, ſummo conveniens Principi, quique omnes ejus actiones admirabili ſuavitate condiebat ſermo elegans, & uberrima ſemper dicendi copia: cum interim *Franciſcus* frater bellicâ virtute inclytus parem in diverſo genere laudem quotidiè promereretur, ut aulici ejus ætatis Poëtæ, quos *Carolus* amicè fovebat, generoſis illis fratribus adulantes, alterum *Martis*, alterum *Mercurii* nomine ſubindè celebrarent.

Concionatus eſt.

Hæc autem eloquentiæ vis in eo maximè tum elucebat, cum aut in conventibus Chriſtianis de inſtaurando Numinis cultu ex veterum Patrum diſciplinâ graviter diſputaret, aut è ſacro ſuggeſtu, quem inſolito purpuræ fulgore decorabat, verenda Legis Divinæ oracula populo admiranti depromeret.

Conſiliarius Regius.

His artibus eam conſequebatur apud omnes Ordines & apud Reges ipſos gratiam & auctoritatem, ut, quæcunque res occurrebant gravioris in Republicâ momenti, ex ejus potiſſimùm ſententiâ judicioque tranſigerentur.

Obiit febri acutâ.

Floruit in his ſtudiis ad usque tempus illud, cum *Henricus III. Carolo* fratre ſublato, *Gallicum* Imperium adeptus eſt: Cui ex *Poloniâ* redeunti, cum ipſe *Româ* quoque revertens *Lugduni* occurriſſet, *Avenionemque* paulò mox in ejus comitatu profectus eſſet, in ſævam incidit febrim, ex quâ 17. poſtquam ægrotare cœperat die 29. Dec. A. C. 1574. nondum planè quinquagenarius exſpiravit.

Jac. Aug. Thuanus eum in ſummo Catholicorum & *Hugonotorum* odio obiiſſe ſcribit, non ſine ſuſpicione veneni facis per noctem prælatæ peſtifero odore cerebro corrupto. Corpus ejus *Rhemos* delatum, & in ſepulchro, quod ipſe ſibi vivens paraverat, addito brevi elogio, conditum eſt.

* *Ex Elogiis Gallor. doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

* * *

Epiſcopus Rhemenſis.

Carolus Lotharenus Cardinalis, Eccleſiæ Catholicæ hoſtibus fortiter ſe oppoſuit, cujus rei doctiſſimæ Orationes, quas habuit, teſtimonium nobis proferunt. Concionabatur ſæpè cum magnâ auditorum frequentiâ in ſuo *Rhemorum* Epiſcopatu, ubi celebre Gymnaſium conſtituit.

Galliæ Reges optimo ejus conſilio ſemper uſi ſunt, ſine quo nihil ferè agebatur. *Henricus II.* qui eum magnis ornavit muneribus, *Franciſcus II. & Carolus IX. Galliæ* Reges, eum ſemper dilexerunt: Rex *Henricus III.* illum magni fecit, cujus Majeſtatem in ſuo è *Polonis* reditu *Lugduno Avenionem* ſecutus eſt, ubi febre continuâ obiit.

* *Ex Promptuar. Iconum inſignior. Parte II. Guil. Rovillii.*

* * *

Ejus Symbolum.

Symbolum habuit pyramidem hederâ veſtitam, in cujus capite Luna eſt poſita, quæ Regis *Gall. Henrici II.* fuit Symbolum; deſignare volens, tamdiu ſe in virore perſtiturum, quousque herus Rex *Henricus* floreret, ſeque ſuſtentaret.

* *Ex Joach Camerarii Emblemat. 63. Centur. 2.*

* * *

Carolus Lotharingus Cardinalis, Vir multis & raris, animi ſimul & corporis, dotibus præditus, ſed levitate inſitâ, & omnem modum ſupergreſsâ ambitione non ſolùm *Galliæ*, ſed ſuis fatalis fuit. Adhæc ſummè totâ vitâ inæqualis, & in proſperis inſolens, & in adverſis infractus, quod illi ſæpiùs improbatum eſt â *Franciſco* fratre, Heroicæ virtutis viro, & qui Galliæ ac ſuis initiò magno ornamento fuit, & porrò majore eſſe potuiſſet, ſi in meliora tempora incidiſſet.

Natus eâ die, quâ Rex Franciſcus I. captus eſt.

Obſervatum eſt â curioſis, *Carolum* eo ipſo die B. Matthiæ ſacro, quo *Franciſcus I. Gall.* Rex infelici ad *Ticinum* commiſſo prœlio captus eſt, natum, quaſi inclinantis Gallici nominis fortunæ idem, quod *Caroli Lotharingi* vitæ rebus Gallicis exitioſæ initium eſſet.

In ſtudiis ſacris adolevit. *Facundus.*

Poſtea literis operam dedit, in quibus non mediocriter profecit, & ſacris addictus in ſtudiis adolevit: tum ad negotia animum graviter appulit, in quibus tractandis rarâ ſupra annos ſolertiâ, in explicandis naturali facundiâ excellebat, ad eam accedente oris majeſtate, & compoſito geſtu, qui & orationi dignitatem, & loquenti ſummam gratiam conciliabat.

Inconſtans. *Ad Confeſſionem Auguſtanam propenſus.* *Proteſtantium hoſtis.*

Verùm ingenium rerum novarum appetens, in perpetuâ inconſtantiâ fluctuabat, & cum initio ad Auguſtanam Confeſſionem propendere videretur, quam & in *Colloquio Poſſiaceno* propoſuerat, & de quâ promovendâ *Chriſtophoro Duci Würtenbergico* ſpem fecerat, appetente *Tridentinæ Synodi* celebratione, & ardente civili in *Galliâ* bello ſtatim mutavit, & poſt fratris mortem, Synodo peractâ, Proteſtantium partibus ſemper infeſtus, ſacri Ordinis veluti patrocinium ſuſcepit.

Obiit ex ſuſpicione veneni.

Tandem cum Regis *Henrici III.* exemplo *Lutetiæ* flagellantium ſupplicationibus in Natalis profeſto celebrari ſolitis ſe immiſcuiſſet, ex frigore veſpertino in febrem violentam incidit, & capitis dolore intenſo cum pervigiliis vexatus, biduo ante Chriſti Natalem fatis conceſſit A. C. 1574. non tamen ſine ſuſpicione veneni, ex facis per noctem prolatæ peſtifero odore cerebro corrupto.

Autor vitæ *Claudii Cluniacenſis* ex marſupio infecto, quod illi *Maturinus Garnerius Sambartolomeus*, plagiis ac veneficiis homo infamis, porrexit, virus, cum aperiretur, exhalâſſe, & introſpicientis cerebrum iciſſe ſcribit. *Thuan. lib. 59.*

* *Ex Thuano truncato Gerardi à Stücken Holſati.*

Obiit A.C. 1574.

MATTHÆUS PARCKERUS.

Archiepiſcopus Cantuarienſis.

NAtus eſt in Civitate *Norvicenſi* A. C. 1502.

In Academiâ *Cantabrigienſi* literis expolitus, primùm Lector Biblicus fuit in Collegio Corporis Chriſti ſive Benedicti, deinde Socius ejuſdem Collegii factus eſt. Poſteà à Sacris cum eſſet Reginæ *Annæ Boleniæ*, Doctoris gradum ſuſcepit. *Doctor Theologiæ.*

Concionator Regius. Fuit etiam Regum *Henrici VIII.* & *Edoardi VI.* Sacellanus, Decanus *Lincolnienſis*, & Archiepiſcopus *Cantuarienſis* inauguratus à Reginâ *Eliſabethâ*, 17. Dec. A. 1559. *Archiepiſcopus Cantuarienſis.* cum ante ſub Regno *Mariæ*, propter uxorem ductam, omnibus prædictis honoribus exutus vitam agere coäctus fuiſſet.

Civitati Patriæ Polubrum & Gutturnium argenteum bis deauratum 173. uncias ponderans largitus eſt, & 50. ſolidos dedit per annum Civitatis pauperibus erogandos.

Rochdaliæ Scholam Grammatices inſtituit. Collegio *Cantabrigienſi* Corporis Chriſti 30. Stipendia Scholaſtica præberi fecit, interiorem Bibliothecam ædificavit, & eidem multos libros ob pretium & antiquitatem raros conceſſit.

Obiit tandem A. C. 1574. æt. 72.

Ejus Scripta. Scripſit, ediḍque curavit

Librum de antiquitate Eccleſiæ Cantuarienſis, & LXX. ejus Archiepiſcopis.

Hiſtoriam Angliæ Matthæi Paris.

Flores Hiſtoriarum Matthæi Florilegi.

Hiſtoriam Giraldi Cambrenſis, Thomæ Walſinghamii &c.

Concionem, cum Martinus Bucerus ſepeliretur.

* *Ex Heroologiâ Anglicâ.*

Obiit A.C. 1575.

MARCUS ANTONIUS BOBA.

Cardinalis.

CAſalenſis, ob fidelem *Philiberto Emanueli, Sabaudiæ* Duci, navatam operam in causâ *Montisferrati* Principatûs, (quâ tamen *Caroli V.* Cæſaris judicio cecidit) ejuſdem *Philiberti* commendatione in Collegium Cardinalium cooptatus eſt. *Cardinalis.*

Poëta & Orator. Poëticâ felicitate & eleganter loquendi ac ſcribendi facultate inter alias animi dotes clarus, *Romæ* ad Deum migravit 15. Kal. April. A. C. 1575. *Thuanus lib. 61.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1576.

BARTHOLOMÆUS CARRANZA,

Archiepiſcopus Toletanus.

NAtus in *Mirandâ*, *Navarræi* Regni Civitate, poſtquam Ordinem religioſum *Dominicanorum* ſuſcepiſſet, *Vallidoleti* Cœnobii ſui Regens ſtudiorum fuit. *Monachus Dominicanus.* Deinde *Concilio Tridentino* A. 1546. inchoato interfuit. Cum poſteà Regem *Hiſp. Philippum II.* in *Angliam* comitatus eſſet ad Nuptias cum Reginâ *Mariâ*, hæc eum ſibi delegit Confeſſorem, & Archiepiſcopum *Toletanum*, invitum licèt, creavit. *Archiepiſcopus Toletanus.*

Cum verò reus errorum aliquot hæreticorum haberetur, per 17. annos carcere detentus fuit partim in *Hiſpaniâ*, partim *Romæ* in *Caſtello S. Angeli.* *Ob hæreſeos ſuſpicionem captivus.*

Tandem Summus Pontifex *Gregorius XIII.* judicii ſententiam dixit, ut, erroribus, de quibus ſuſpectus erat, cum juramento abnegatis, per quinquennium *Orvieti* in Monaſterio Patrum *Dominicanorum* vitam traduceret. Sed ex carcere Cœnobium *Minervæ* ingreſſus, & mox morbo gravi oppreſſus 17. die poſt vitam clauſit 2. Maji A. C. 1576. æt. 72. *Liberatus obiit.* Sepulchro ejus in Templo *Minervæ* hoc Epitaphium, juſſu Summi Pontificis, fuit impoſitum.

Ejus Epitaphium.

BARTHOLOMÆO CARRANZÆ, NAVARRO,
DOMINICANO, ARCHIEPISCOPO TOLETANO,
HISPANIARUM PRIMATI, VIRO GENERE,
VITA, DOCTRINA,
CONCIONE, ATQUE ELEEMOSYNIS CLARO,
MAGNIS MUNERIBUS A CAROLO V. ET PHILIPPO REGE CATHOLICO SIBI
COMMISSIS EGREGIE FUNCTO,
ANIMO IN PROSPERIS MODESTO, IN
ADVERSIS ÆQUO.
OBIIT ANNO CIↃ IↃ LXXVI. DIE SECUNDO
MAJI, ATHANASIO ET ANTONINO SACRO,
ÆTATIS SUÆ LXXII.

Scripta. Scripta edidit:

Controverſiam de neceſſariâ Reſidentiâ Paſtorum explicatam Tridenti.

Summam omnium Conciliorum & Pontificum à Petro usque ad Paulum III.

Catechiſmum Hiſpanicum, qui in Indice Romano prohibitus fuit.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini, & ex Bibliothecâ Hiſpaniæ.*

Obiit A.C. 1578.

CHRISTOPHORUS MADRUCIUS,

Cardinalis.

EPiſcopus *Portuenſis*, ſummis negotiis ſub *Carolo V.* Cæſare, & *Philippo* ejus filio, in *Germaniâ* & *Italiâ* præpoſitus, liberalitate, comitate, literarum ac literatorum amore, ingenii denique candore cum paucis comparandus. *Caroli V. Conſiliarius.* Quibus laudibus fidem facilè aſtruet, qui ſciverit, eum, quamvis *Philippi* clientem, cum *Aloyſio Ateſtino* Cardinale, (quo non generoſior nominis *Gallici* defenſor in *Italiâ* retrò ſæculis fuit) ob morum ſimilitudinem & ſtudiorum conſenſionem, amicitiam arctiſſimam coluiſſe, neutrius ob id Principibus ſuis ſuſpectâ fide, & ab ipſo *Ateſtino* benevolentiâ pari redamatum fuiſſe. *Cardinalis Aloyſii Ateſtini amicus.*

Ad hunc cum *Tiburtino* ſeceſſu ſe oblectantem aëris mutandi causâ provectus eſſet,

eſſet, morbo ingraveſcente, quaſi inter amici dilectiſſimi amplexus A. C. 1578. ætatis 66. animam Deo reddidit. Inde *Romam* translatus, & in *S. Onuphrii* ſacello honorificè ſepultus eſt. *Thuan. lib.* 65.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

Obiit A.C. 1578.

ALEXANDER PICCOLOMINEUS,

Patrarum Archiepiſcopus.

SEnenſis natione cum eſſet, ingenium ejus mirè efferbuit in cogendo ſub *Hetruſcis* vexillis agmine ſcientiarum omnium, quo intentato aliàs facinore immortalem ſibi pararet in Italicâ celebritate triumphum. Perpauci verò ejus veſtigia ſecuti, Tuſcum ſermonem in doctrinarum traditione probârunt, cœteris abundè omnibus Romanum decus acriter venuſtatemque tuentibus.

Philoſophiam Italicè docuit. Fuit in eo tamen felix, quod ſingula Rhetoricæ, Logicæ, Phyſicæ, Mathematicæ dogmata tantâ docuit perſpicuitate, ut iter tyronibus ad ipſorum intelligentiam planiſſimum ſtraverit.

Cœterùm hæc ingenii lumina ſplendidiora multò reddebat inculpato morum candore, quorum in actibus ſe gerebat verè ut ſacerrimæ alumnus fidei, licet eos ſcriptis traderet, ut Ethicæ ſectator doctrinæ: referebat nimirum exemplo Præceptorem æternum, ſicuti calamo profitebatur humanum, *Ariſtotelem* inquam, cujus inceſſanter conceptûs explanandos ſuſceperat.

Virtutes ejus. Pietas, religio, modeſtia, charitas in egenos eximia, ſobrietas, divitiarum contemptus in ejus uſque adeò florebant animo, ut Italiæ totius obfirmaret in ſe converſos obtutûs. Dignitatibus idcircò plurimis deſtinatus, *Patrarum* Archiepiſcopatum emeruit, inde *Senarum* Coadjutor electus eſt. *Archiepiſcopus Patrarum. Senarum Coadjutor.* Phyſica utrobique ſtudia ſedulus coluit, junxitque perpetuò Divinorum indagini.

Conſpicuam inter cœtera præaltæ mentis fidem illud præbuit opuſculum, quod juſſu *Franciſci Medices*, Magni Ducis *Hetruriæ*, de novâ *Calendarii* reſtitutione à *Gregorio XIII.* Pontifice tentatâ evulgavit. Probârunt acutiſſimi quique illuſtrem *Alexandri* in illâ ambiguitate ſententiam: ceſsêre vel Germani Scriptores longè perſpicacis viri theorematibus; unde factum, ut, qui tantam cœlorum ſcientiam callere diceretur, *Carolus Borromeus*, Cardinalis ſanctimoniâ & pietate ſpectabilis, ad ipſum conſultò *Senas* inviſendum ac ſalutandum accederet.

Poëta Comicus. Nec tamen, his dicatus gravioribus muniis, abſtinuit interdum à luſibus Poëtarum, *Comicas* concinnando *fabulas*, quarum inſigniores duæ, *Amoris conſtantis*, & *Alexandri* titulo feruntur impreſſæ, in quibus ſic excelluit, ut ideò *Comicorum Italicorum Princeps, Trajani Boccalini* judicio, cenſeatur.

Tandem emenſo laudatæ vitæ curriculo, ad Cœlitum migravit ſedem, defunctus vitâ A. C. 1578. ætatis 70.

Ejus Epitaphium. Monumentum ejus in Eccleſiâ Cathedrali *Senarum* tale legitur:

ALEXANDRO PICCOLOMINEO PATRARUM ARCHIEPISCOPO, SENARUM COADJUTORI, CUI COMITAS CUM GRAVITATE ET MORUM SANCTITATE CONJUNCTA, ET AMOREM ET VENERATIONEM OMNIUM CONCILIAVERAT. INCREDIBILIS AUTEM IN OMNI LAUDANDARUM ARTIUM GENERE DOCTRINÆ COPIA, ET IN EIS TRADENDIS PERSPICUITAS, NUNQUAM MORITURIS AB EO CONSIGNATA MONUMENTIS, SUMMAM TOTO TERRARUM ORBE NOMINIS CELEBRITATEM COMPARARAT,

JOHANNES BAPTISTA HUJUS TEMPLI ÆDITUUS, ET DEIPHOEBUS ARCHIPRESBYTER FRATRESQUE ALII POSUERUNT.

VIXIT ANNOS LXX. OBIIT ANNO MDLXXVIII. QUARTO ID. MART.

Libri ab ipſo ſunt ſcripti: *Scripta.*

La Filoſofia morale.
La Teorica de pianetti.
L'Inſtitutione del Principe Chriſtiano.
Della grandezza dell' Aqua, & della terra.
Bella creanza delle donne.
Delle ſtelle fiſſe.
La Sfera.
Teſoro dell' huomo in tre parti diviſo.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Johannis Imperialis Phil. & Med. Vicent.*

Obiit A.C. 1579.

STANISLAUS HOSIUS,

Cardinalis.

PAtriâ *Cracovienſis Polonus*, plebejis parentibus natus A. C. 1503. Fundamentis ſtudiorum domi firmiter jactis, laureâque primâ in artibus obtentâ, in tantum in aliis ſcientiis profecerat, ut meritis ſuis â Rege in Senatum primò *Polonicum*, & deinde Patrum Purpuratorum tit. *S. Laurentii* Cardinalis S. R. E. â S. P. *Pio IV.* adſcitus fuiſſet. *Senator Polon. Cardinalis.*

Hoc in ordine uſque adeò ab inſigni ingenio, tenaci memoriâ, corporis dotibus etiam mirabilis extitit, ut judicii gravitate conſummatæ prudentiæ Senatoribus æquaretur.

Bibliothecam ſuam Academiæ Cracov. teſtamento legavit, cum annuo cenſu, ex quo illa quotannis accreſceret.

Obiit Nonis Auguſti A. 1579. conditus in Eccleſiâ ſuâ titulari, ſepulchro lateritii operis, cui brevis hic totius vitæ ejus decurſus adſcriptus eſt:

D. O. M.

Epiſcop. Varmienſis STANISLAO HOSIO POLONO S. R. E. PRESB. CARDIN. VARMIENSI EPISCOPO MAJORI POENIT. VITÆ SANCTIT. ERUDIT. ET ELOQ. GLORIA CELEBERR.

F 3 CA-

Digitized by Google

CATHOLICÆ FIDEI PROPUGNATORI ACERR. QUI CUM ANTIQUÆ PROBITATIS ET EPISC. VIGILANTIÆ PRÆSTANTIAM IN HUMILITATE, CHARITATE, CASTITATE BENEFICENTIA EXPRESSISSET, HÆRET. SECTAS SCRIPTIS ET CONSILIIS SAPIENTISS. FERVENTER OPPUGNASSET, MULTOS AB ERRORE REVOCASSET, GRAVISSIMEQUE LEGATIONIBUS PRO PACE ECCLESIÆ CUM APUD CAROLUM V. ET FERDINANDUM CÆS. TUM PRÆCIPUE IN S. CONCILII TRIDENTINI PII IV. PONTIFICIS NOMINE FELICISSIME PERFUNCTUS, CHRISTIANÆ REIP. PLURIMUM PROFUISSET: OMNIUM VIRTUTUM LAUDIBUS ET EXEMPLIS AD IMITANDUM ABUNDANS OBDORMIVIT IN DOMINO M D LXXIX. ÆTATIS SUÆ LXXVI.

Præſes Concilii Tridentini.

STANISLAUS PATRUO, ET STANISLAUS RESCIUS PATRONO BENEFICENTISS. EXECUT. TESTAM. POSS.

Vitam ejus proſâ idem *Stanislaus Reſcius*, & *Thomas Treterus* brevibus poëmatibus comprehenſam, ac tabulis æreis per icones expreſſam conſcripſerunt.

Scripta.

Scripta edidit:

Examen, & excuſſionem Confœderationis hæreticorum.
Confutationem Prolegomenion Brentii.
Libellum de expreſſo Dei verbo.
De Sacerdotum conjugio.
Dialogum de Communione utriusque ſpeciei.
De Miſſâ vulgari linguâ celebrandâ.
Recantationes ſeptem.
Judicium & cenſuram de adorandâ Trinitate.
Epiſtolas Catholicas inſignes de Religione.
De loco & autoritate Rom. Pontificis in Eccleſiâ & in Conciliis.
De actis cum Elbingenſibus & aliis hæreticis.
De actis in Legatione Germanicâ.
Confeſſionem Catholicæ Fidei: quæ in varias linguas traducta 34 vicibus typis emiſſa fuit. Hanc in linguam *Gall.* convertit *Johannes de Laverdin.*
Latini Sermonis Obſervationes, & Sermones Sacros.
Conciones in Evangelia Dominicalia: quas manu ſuâ Latinè, Germanicè & Polonicè ſcripſit.

* *Ex Elogiis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii, & ex Theatro Italico Virorum Literatorum Hieronymi Ghilini.*

FRANCISCUS ALCIATUS, *Cardinalis.*

Obiit A.C. 1580.

MEdiolani ex nobili & antiquâ familiâ natus 1. Febr. A.C. 1522. conſanguineus & hæres fuit non modò facultatum, ſed etiam eruditionis *Andreæ Alciati* J.C. famoſi.

Cum adoleſcens in Linguæ Græcæ & Latinæ cognitione plurimùm profeciſſet, Legum deinde ſtudiis addictus, Gradum Doctoris aſſecutus, & in Collegium Patriæ Jurisconſultorum receptus, poſt obitum *Andreæ, Ticini*, Juris Profeſſionem publicam in primâ Cathedrâ manè & veſperi obtinuit, & inter auditores alios quamplurimos *Carolum Borromæum* Cardinalem habuit.

Jur. Doctor & Profeſſor Ticini.

Romam deinde accitum Papa *Pius IV.* utriusque Signaturæ Referendarium, Datarium, & aliquot Epiſcopatuum ſucceſſivè Præſidem conſtituit. Tandem diſcipuli grati, Cardinalis *Borromæi*, rogatu, Cardinalis creatus eſt, & debitum naturæ ſolvit *Romæ* 19. April. A.C. 1580. æt. 58. Sepulturam nactus in Templo Mariæ Angelorum, cum effigie, & hoc Epitaphio:

Referendar. utriusque Signat. Epiſcopus. Cardinalis.

Ejus Epitaphium.

DEO OPT. MAX.
ET MEMORIÆ FRANCISCI ALCIATI MEDIOLAN. TIT. S. MARIÆ IN PORTICU S. R. E. PRESB. CARD. VIRTUTE, HUMANITATE, OFFICIO, J. U. SCIENTIA AC COETERIS OMNIBUS DISCIPLINIS FLORENTISSIMI, CARTHUSIENSIS FAMILIÆ PROTECTORIS. VIXIT ANN. LVIII. MENS. II. DIES XVIII. OBIIT ANN. SALUT. M D LXXX. XIII. CAL. MAJI.

Scripta.

Ab eo typis edita ſunt:

Conſilium ſuper materiâ peculiari.
Conſigli in materia di duello.
Orazioni.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

JOHANNES MORONUS, *Cardinalis.*

Obiit A.C. 1580.

MEdiolanenſis, Epiſcopus *Oſtienſis*, & Cardinalium Collegii Princeps, *Hieronymi* filius, ſuperiorum temporum monumentis clari, qui fœderis contra *Carolum V.* ineundi *Franciſco Sfortiæ Mediol.* Duci & *Clementi VII.* S.P. autor ac pararius fuerat.

Clarus fuit magnis totâ vitâ negotiis pari moderationis & integritatis laude geſtis, imprimis compoſito *Genuenſium* motu. Ante biennium etiam ad res *Belgii* componendas â *Gregorio XIII.* Legatus deſtinatus, eoque, ſi per Regem *Philippum II.* licuiſſet, profecturus.

Genuenſ. motus compoſuit.

Ob Religionem aliquando ſuſpectus, & â *Paulo IV.* ad tempus Senatu motus, poſtea â *Pio IV.* populari ſuo, qui ferè omnia acta Deceſſoris ſui aut antiquavit, aut eluſit, priſtinæ dignitati & favori reſtitutus, ſub quo & *Concilio Tridentino* tot annis antè inchoato præfuit, & finem impoſuit.

Senatu Cardinalium motus & reſtitutus.

Romæ fatis conceſſit Kal. Decemb. A.C. 1580. ætatis 72. *Thuan. lib.* 71.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

JACOBUS ab ELTZ. *Archiepiſcopus Trevirenſis.*

Obiit A.C. 1581.

PRiſca nobilitate & illuſtriore virtute ſpectatiſſimus eligitur Archiepiſcopus *Trevirenſis Jacobus ab Eltz* vocatus A. 1567.

Archiepiſcopus Trevirenſis.

A. 1567. qui utilem ſuæ diœceſi expertus Patrum Societatis Jeſu operam, ex ruinoſis ædibus, in frequentiorem latioremque urbis locum, eos traduxit. Cumque Academiæ à civibus vis eſſet facta, qui, propinquorum Gymnaſio ædificiorum effractis importunè clauſtris, trivialem excitare ludum inſtituerunt, *Jacobus*, violentiâ hac ad ſe delatâ, priſtinam Academiæ libertatem reſtituit.

Academiæ libertatem reſtituit.

Principi huic A. 1580. *Trevirorum* urbs plenè ſubjecta fuit, lege datâ ab Imperatore *Rudolpho* ſeq. *Civitas Treverica plena jure poſſeſſoris, cum mero & mixto Imperio, & utili directoq; Dominio, & quacunq; jurisdicundi poteſtate, ut ſemper hactenus, & in præſens, ita penes Antiſtitem Trev. impoſterum maneto. Idem Dominus Princepsq; civitatis eſto, & magiſtratum in eâ, ut in omni memoriâ, ſupremum obtineto.*

In totum Principi ſubjecta Treviris.

Princeps hic, ut ipſe eruditus, ſic & ad religionis ſtudiorumque promovendorum curam ſe usque accinxit, & quamvis podagræ afflictus doloribus, adeſſe tamen frequenter Eccleſiæ, & in Academia bonarum artium ſtudia, ſuâ præſentiâ viſus eſt opportunè promovere. Ita ex Cancellarii Univerſitatis, quod Elector ſuſtinet, munere, Adoleſcentibus, Philoſophiæ ſpatia emenſis, Licentiæ, ut vocant, Magiſteriique honores impertiri ſuo Judicio fecit, & decimo ante Calendas Februarias die, quod tempus, illa ætate, ornandis ſuis prœmiis Philoſophiæ alumnis dictum erat, ipſe & exercitationi Gymnaſticæ, & epulo Academico, privati more, intereſſe dignatus eſt.

Princeps eruditus. Studioſorum ſummus fautor, & præmiorum diſtributor.

Porrò ad fovenda Theologiæ Cleroque digna ſtudia, atq; exercitamenta Seminarii Eccleſiaſtici, ex Synodi Tridentinæ præſcripto, inſtituendi conſilium ſuſceperat, ſed fractis jam ævo morboque viribus, vitam ægritudini ſuccumbentem, pridie Non. Jun. clauſit A. 1581. Viſceribus in æde SS. Trinitatis, ante exornatam à ſe aram, depoſitis, corpore in Metropolitanâ æde in ſiniſtrâ chori parte, ante aram quoque Sanctiſſimæ Triadis, cum hac Epigraphe collocato:

Moritur.

Sepulchrum.

ANNO DOMINI M D LXXXI. DIE 4. JUN. OBIIT REVERENDISSIMUS IN CHRISTO PATER AC DOMINUS D. JACOBUS AB ELTZ. S. TREVIRENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS ET PRINCEPS ELECTOR, ET ADMINISTRATOR PRUMIENSIS, CUJUS ANIMA REQUIESCAT IN PACE. AMEN.

Monumentum.

Adjecit denique Succeſſor in tabulâ operis ſtatuarii, aræ veteri impoſitâ, hoc elogium:

REVERENDISSIMO ARCHIEPISCOPO TREV. ET ILLUSTRISSIMO PRINCIPI ELECTORI JACOBO AB ELTZ, DEO ET HOMINIBUS DILECTO, UT QUI GLORIÆ DIVINÆ, RELIGIONIS CATHOLICÆ ET REFORMATIONIS ZELUM HABUERIT, NON DOMINANS; SED FORMA GREGIS FACTUS, CUJUS VIRTUTES, NON ANGUSTA HÆC TABELLA, SED FAMA PUBLICA, ET COELUM HABET. POSUIT TANTI PRINCIPIS AMANTISSIMUS SUCCESSOR JOHANNES A SCHONENBURG. VIXIT ANNIS LXXI. REXIT ANNIS XIV. OB. A. M D LXXXI. 4. JUN.

Elogium.

* *Ex Epitom. Annal. Trev. Jacob. Maſenii.*

DANIEL,

Archiepiſcopus Moguntinus.

Obiit A.C. 1582.

HAnc in lucem editus eſt *Daniel* A. C. 1523. die 22. Martii. Patrem habuit *Fridericum*, è nobili *Brendeliorum* ſtirpe. Matrem verò *Margaretham*, è paris nobilitatis domo *Redeſelianâ*. Sed illi agnomen ab *Homburg*, huic von Bellersheim. Patri A. 1563. defuncto, matrique non longè pòſt, candido è marmore, monumentum erexit filius, cum ſequenti inſcriptione:

Parentes.

Patris & Matris.

Nobilibus prognata atavis Margretha recumbit,
Quæ fuit æterno vivere digna die.
Cui patriam partu Bellersheim *clara dediſti,*
Et Reideſelium, nobile ſtemma, genus.
Brendeliâ de ſtirpe ſatus Fridericus ab Homburg
Conjugii & prolis fecit amore ſuam.
Illa tamen felix natis, & Præſule felix,
Orba viro, factis inclyta, morte jacet.
SI tIbI neC VItæ, neC fatI teMpora ConſtanT,
CoLLIge perLongIs arte notata notIs.
Luces adde decem, Juni ſeptemq; Calendis,
Utq; animus vivat, ſæpè precare, Deo.

Epitaphium.

A. 1563.

Fratres *Danieli* fuere tres, è quibus præcerpſit unum immatura mors: duo reliqui, *Philippus* & *Everhardus Brendelii*, magnâ cum authoritate *Moguntinam* gubernârunt Urbem, ambo *Vice-Domini* ordine; Sorores etiam habuit quatuor.

Fratres & Sorores.

Literarum autem ſtudiis à parentibus traditus eſt *Daniel*; atque in Cathedrali *Spirenſi* & Metropolitanâ Eccleſiâ Canonicatu donatus. * Cùm verò ætate floreret, magnum ſtatim magnæ prudentiæ, morumque ſuavitatis & maturitatis apud omnes lumen oſtendit; adeò, ut pænè, quàm ferret in aliis ætas, citiùs ad inſignem Scholaſtici Dignitatem à *Spirenſibus* Collegis eveheretur.

**Canonicus. Doctoratus inſuper U. Jur. titulo inſignitus eſt.*

Ad varias iisdem annis Legationes arduas & graves adhibitus eſt, quarum ultima in annum Domini 1555. incidit, tunc enim ad *Comitia Auguſtana* miſſus; cumque derepentè, præter omnium expectationem, mortuus eſſet *Sebaſtianus*, *Moguntinus* Archiepiſcopus, revocatus indè *Daniel* eſt, inque ejus locum Archiepiſcopus *Moguntinus* conſtitutus. Statimque *Comitiorum*, è quibus nuper advenerat, intentam ſuſcepit curam, non ut ad ea rediret, ſed ut per Legatos ſtudioſè ageret.

Legationes obit varias.

Archiepiſcopus Moguntinus.

Secuta ſunt A. 1557. partim *Ratisbonæ*, partim *Spiræ Comitia*, quibus & per Legatos ſubſcripſit *Daniel*.

A. 1561. Patres Societatis Jeſu *Moguntiam* vocavit, jactaque ſunt ibidem prima Societatis Jeſu Collegii fundamenta.

Duos inſuper, quorum ſucceſſit alter alteri, *Romanorum* Reges & Imperatores elegit & un-

Duos elegit & unxit Imperatores.

Digitized by Google

& unxit Archiepiſcopus *Daniel*: Unum quidem elegit *Maximilianum II.* Imperatoris *Ferdinandi* filium A. 1562. die 24. Nov. in *Francofurtenſi* S. Bartholomæi templo: eundemque ibidem die menſis ejusdem ultimo inunxit: Alterum verò *Rudolphum II. Maximiliani II.* filium A. 1575. in *Comitiis Auguſtanis*. Interfuit præterea aliis Comitiis Auguſtanis A. 1567. & Spirenſibus A. 1570.

Mores & ſapiens ejus monitum.

Totus autem ad modeſtiam, pietatem, & morum maturitatem Archiepiſcopo dignam erat compoſitus, veſtitus ſacerdotalis non inſolens, neque faſtuoſus. In precario ſuo libello, ſuâ ipſius manu conſpiciebantur ſcripta:

Vita brevis.
Forma decipiens.
Pecuniæ fluxæ.
Imperium inviſum.
Bellum pernicioſum.
Victoria anceps.
Concordia fallax.
Senectus miſera.
Mors, felicitas.
Sapientiæ fama perennis.

Ex quibus gnomis quotidiè Vanitatem vanitatum contemptui habebat, ad æternam verò beatitudinem viam ſibi ſine intermiſſione ſternebat.

Moritur.

A. 1582. die 22. Martii, quo, ut ſupra dictum, lucem hanc primò aſpexerat, Patrum ſuorum viam ingreſſus eſt *Aſchaffenburgi*, ubi ſomno quaſi placidiſſimo conſopitus, & in Metropolitani templi Sacello funeratus eſt.

In proximâ verò extra id Sacellum columnâ poſitum ei à Succeſſore magnificum monumentum hoc:

Epitaphium.

DANIEL D. GRATIA ARCHIEPISCOPUS MOGUNTINENSIS, S.R.I. PER GERMANIAM ARCHICANCELLARIUS PRINCEPS ELECTOR, ET E NOBILI FAMILIA BRENDEL AB HOMPERG A. MDLV. ÆTATIS SUÆ XXXIII. ELECTUS, ECCLESIAM ANNIS XXVII. OPTIME PACIFICEQUE REXIT, HAUD PAUCIS EMOLUMENTIS AUXIT, ATQUE AMPLIAVIT, JUSTITIAM COLUIT, RELIGIONEM PROMOVIT, CHARUS OMNIBUS EXSTITIT. DUOS IMPERATORES MAXIMILIANUM II. ET RUDOLPHUM II. CORONAVIT. INCULPATE VIXIT, SACRAMENTIS CATHOLICE PERCEPTIS PIE PLACIDEQUE QUIEVIT, DESIDERIUM SUI LUCTUMQUE CUNCTIS RELIQUIT. OBIIT ASCHAFFENBURGI A. MDLXXXII. XXII. MARTII. C. A. R. I. P. SUCCESSOR PRÆDECESSORI BENE MERITO POSUIT.

* *Ex Nicolai Serarii de reb. Moguntinis tractatu.*

* * *

Daniel Brendelius, Nobilis ab *Homburg*, Juris utriusque Doctor, ex Canonico in Archiepiſcopum electus 18. April. A. C. 1555. in locum *Sebaſtiani Heuſenſtenii Jur. D.* incomparabili morum & vitæ dexteritate, ac modeſtiâ præditus Princeps, Eccleſiam *Moguntinam* annis ferè 26. optimè pacificeque rexit, eamque haud paucis emolumentis auxit atque ampliavit. Juſtitiam coluit, Religionem promovit, inculpatè vixit.

S. Martini arcem reædificat.

Duos Imperatores *Maximilianum II.* & *Rudolphum II.* elegit & unxit: *S. Martini* arcem *Moguntinam*, *Brandenburgicis* flammis An. 1552. combuſtam ac devaſtatam, unà cum ſplendido Templo, ac Cancellariâ attiguâ, de novo ex fundamentis exſtruxit: alia item in ſuo territorio ædificia ac arces iisdem flammis abſumptas reſtauravit.

Duos Comitatus ditioni ſuæ adjicit.

Comitatus duos, *Ryneccanum* & *Königſteinianum*, ſuæ ditioni adjecit, omniaque boni Præſulis ac vigilantis Paſtoris munia ſummâ prudentiâ ac ſtudio obivit; unde & omnibus charus extitit.

Tandem An. 1582. d. 22. Martii *Aſchaffenburgi* piè ac placidè in Domino obdormivit, ætatis annorum 58. *Moguntiæ* in D. Virginis Sacello Eccleſiæ majoris ſepultus.

* *Ita ſubſcriptum legitur Iconi ipſius æri inciſæ.*

EDMUNDUS GRINDALLUS,

Archiepiſcopus Cantuarienſis.

Obiit A. C. 1583.

IN *Cumberlandiâ* natus eſt Anno 1519. *Nicolao Ridlejo*, Epiſcopo *Londinenſi*, à Sacris fuit, qui illum *Edoardo VI.* Regi commendavit. Sed Rege brevi pòſt defuncto Anno 1553. in *Germaniam* exulavit.

Epiſcopus Londinenſis. Archiepiſcopus Cantuarienſis.

Anno 1558. Extinctâ Reginâ *Mariâ*, in *Angliam* reverſus Anno 1560. à Reginâ *Eliſabetha* conſecratus eſt Epiſcopus *Londinenſis*; deinceps verò factus eſt Anno 1570. Archiepiſcopus *Eboracenſis*, tandemque *Cantuarienſis* Anno 1575.

Anno 1581. Oculorum uſum amiſit, & obiit *Croidonæ* An. Chr. 1583. ætatis 64.

* *Ex Heroologiâ Anglicâ.*

RENATUS BIRAGUS,

Cardinalis.

Obiit A. C. 1583.

Senator Mediolanenſis.

MEdiolanenſis, ex nobili familiâ natus adoleſcens adhuc in Senatorum Collegium cooptatus eſt, qui honor *Mediolani* eſt ampliſſimus.

Senator Curiæ Pariſienſis. Præfectus Lugdunenſis. Quæſtor in caſtris. Cuſtos Sigillorum Regni. Magnus Cancellar. Gall.

Poſteà verò Legatus in *Galliam* ad Regem *Franciſcum I.* de maximis rebus miſſus, ab eo in Senatorum numerum *Pariſienſis Curiæ* eſt allectus. Deinde *Lugdunenſi* Præfecturæ præpoſitus, eoque munere adminiſtrato, in caſtris pecuniæ tractandæ quæſtor ſummo cum imperio præfectus eſt. Paulò poſt publicorum Sigillorum Regni cuſtodia ei demandata, & in locum demortui magni Cancellarii ſuffectus eſt.

Cardinalis.

Tot muneribus civilibus integerrimè adminiſtratis, ad Eccleſiaſticos quoque, eosque præcipuos Magiſtratus adſcitus eſt, nam in Comitiis Pontificiis à S. P. *Gregorio XIII.* viduus, unà cum 8. aliis, Cardinalis creatus eſt 21. Febr. An. Chr. 1578.

Erat

Erat autem homo natus ad agendum, & ita in negotiis pertractandis ſolers, ut omnia mirâ quâdam dexteritate ex animi ſententiâ confecerit. Obiit tandem Lutetiæ *Moritur.* M. D. A. C. 1583. ætatis 72.

* *Ex Promptuarii Iconum inſigniorum Parte II. Guil. Rovillii.*

* * *

Regis Galliæ *Henrici III.* Cancellarius illuſtri in Inſubribus familiâ ortus eſt, cujus Majores fortunam *Gallorum* ſemper in *Italiâ* ſecuti fuerant, quorum & ipſe æmulatione fidam operam totâ vitâ Regibus *Galliæ* navavit.

Vir erat generoſus ac prudens, ſed ut externus parum Juris *Gall.* ſciens, ideoque minus tanto magiſtratu dignus habitus eſt. Tandem cum 76. annum vitæ ageret, 8. Id. Nov. *Lutetiæ* deceſſit, magnâ pompâ, & Senatu toto proſequente funeratus, & in B. *Catharinæ* templo, ab eo ad id magnificè exſtructo, in quo & *Valentiæ Balbianæ* uxori monumentum poſuerat, conditus. In munere ei ſuffectus eſt *Philippus Huraltus, Cevernii* Comes.

Filiam unicam reliquit, quæ cum tertio marito, prioribus ſine prole defunctis, *Jacobo*, ex illuſtri *Amboſianorum* in *Galliâ*, *Albiegi* Comitum familiâ progenito, contra patris votum, fidem obligâſſet, ſecutis poſt Patris obitum ſtatim nuptiis, & quæ marito liberali, ſed egenti, ad immodicos ſumtûs ſuſtinendos nihil negâſſet, brevi tempore accidit, ut pecunia omnis & ſupellex regia à patre relicta penitùs abſumta ſit, & præcipuè ultimâ in *Santones* expeditione, in quâ cum *Annâ Jouſâ*, ipſo exercitûs Imperatore, cæſus eſt *Jacobus*.

Filia ejus unica in egeſtate deceſſit. Marito itaque amiſſo, poſtquam ſe diu in moleſtâ lite cum *Florimundo Birago* patruele exercuiſſet, in morbum incidit, ex quo in ſummâ egeſtate deceſſit, ut vix haberet, unde ſepeliretur, matronis aulicis, quarum gratiam olim demeruerat, ſtipem in ſingulos dies in alimoniam dum vixit, poſtquam obiit unde efferretur, conferentibus.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1584.

CAROLUS BORROMÆUS, *Cardinalis.*

MEdiolani natus eſt 2. Oct. A. C. 1538. Patre *Gilberto*, *Aronæ* Comite, Matre *Margaretha Mediceâ*, ſorore *Pii IV.*

Eccleſiam docuit. Archiepiſcopus *Mediolanenſis* raro exemplo ſacris illis divitiis renuntians, Eccleſiam ſuam ipſe docuit. A. 1561. æt. 22. à S. *Cardinalis S. Praxedis.* Pontifice *Pio IV.* avunculo ſuo, Cardinalis titulo *S. Praxedis* creatus, & ſummis Eccleſiæ negotiis pertractandis præfectus eſt. Frater autem ejus *Fridericus*, qui *Guidobaldi*, *Urbinatium* Ducis, filiam in uxorem duxerat, Eccleſiæ Gubernator creatus eſt. Hujus filium *Fridericum* educavit, qui veſtigiis patrui inſiſtens, Archiepiſcopus poſtmodùm *Mediolanenſis* & Cardinalis creatus eſt. *Cardinalem Fridericum Borromæum educavit.*

Huic Carolo Romam aliquando profecto, cum *Bagnatæ* in viâ, Cardinalis *Gambarenſis* arcem ſuam ſplendidè ædificatam oſtendiſſet, & quomodo placeret, interrogaſſet, reſpondit ille: *Hoc loco meliori jure dici poſſet id, quod Judas ad Mariam Magdalenam dixit: Sumptûs hi potuiſſent impendi pauperibus.*

Cum ſingulari vitæ innocentiâ & ſanctitate Eccleſiam ſibi concreditam 24. annos *Obiit.* rexiſſet, vitâ deceſſit A. C. 1584. ætatis 47.

Inter Cœlites poſtea relatus A. C. 1610.

Edidit:

Proteſtationes faciendas in vitâ, ut in horâ mortis anima à tentationibus liberetur. *Ejus Scripta.*

Cardinalium, Paſtorum, & Concionatorum Inſtitutiones.

Conciones VI. in totidem Conciliis Provincialibus habitas.

* *Ex Elogiis XII. Cardinalium doctrinâ illuſtrium à Theodoro Gallæo editis.*

* * *

Admodùm juvenis in Collegium Cardinalium cooptatus, & ampliſſimis Sacerdotiis auctus, præmaturâ *Friderici* fratris morte, conditionis ſuæ maturè admonitus, ſacris illis divitiis quamprimùm, raro modeſtiæ exemplo, renunciavit, & ad Eccleſiam *Mediolanenſem*, cui præfectus fuerat, ſuperſtite & multum reclamante avunculo, ſe contulit, & optimi Paſtoris officio defun- *Paſtor Eccleſiæ Mediolanenſis.* gens, oves ſuas ab eo tempore Verbo Domini & vitæ ſanctimoniâ inſigni exemplo pavit, in munere ſuo aſſiduus, contemtu rerum humanarum, divinarum deſiderio, humilitate, continuâ corporis caſtigatione, charitate in omnes, indeſinentibus per preces cum Deo colloquiis, ſupra humanæ infirmitatis modum poſitus, nonnunquam nimiâ vitæ auſteritate in increpationibus acerbior, ut cum à *Donato Farina* percuſſore petitus eſt, quæ & ei ſupremum vitæ diem acceleràſſe creditur. Nam 46. ætatis anno deceſſit 3 Non. Nov. A. C. 1584. *Mediolani* humili ſepulchro, quod ſibi paraverat, conditus.

Mortuum laudavit eleganti Oratione *Franciſcus Panigarola*, *Aſtenſis* Epiſcopus.

Vitam ejus deſcripſere ſingularibus libris *Auguſtinus Valerius*, Cardinalis, Epiſcopus *Veronenſis*, ſummus *Borromæi* virtutum imitator, *Carolus à Baſilicâ Petri*, & *Carolus Biſcapus.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

PAULUS FOXIUS. *Obiit A.C. 1584.*

Archiepiſcopus Tholoſanus.

PAtrem habuit *Johannem*, *Carmanli* Comitem ex vetuſtâ *Foxiorum* ſtirpe, quæ à multis annis regias omnes totius *Europæ* familias affinitate ſibi junxit.

Hæc verò generis nobilitas, bonarum artium lumine, longoque rerum uſu illuſtrata,

 viam

viam illi ad Regum amicitias patefecit, â quibus ampliſſimas *Pariſiis* Togæ dignitates ac *Tholoſanum* inſuper Archiepiſcopatum adeptus eſt. Dumque poſt multas Legationes in *Angliâ*, *Scotiâ*, & *Italiâ*, de gravibus rebus obitas, *Henrici III.* quoque Regis nomine munus Oratoris apud S. P. *Gregorium XIII.* ſuſtinuiſſet, iniqua mors & planè intempeſtiva *Romæ* inter ſacra repentino morbo correptum abſtulit, & S. Purpuræ honorem illi invidit, A. C. 1584. æt. 56.

Senator Pariſienſis. Archiepiſcopus Tholoſanus. Legatus Regis Gall. Moritur.

Oratione funebri laudatus eſt â *Marco Antonio Mureto*, quæ inter Orationes ab illo editas exſtat.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

* * *

A puero in modicis pro tantâ familiâ opibus, iisque controverſis, relictus & ſacris deſtinatus, poſt humaniores literas feliciter perceptas, (cum & Græcè optimè intelligeret, & Latinè eleganter ſcriberet,) Juris ſcientiæ operam dedit, in quâ præſtans ejus ingenium multipliciter profecit, eamque totâ vitâ excoluit, *Jacobum Cujacium* inter omnes interpretes ſecutus.

Juris peritus.

Deindè ſtudiis Philoſophiæ ſe totum mancipavit, & *Ariſtotelis* doctrinæ quaſi nomen dedit, adeò ut ſectatores ejus omnes diligeret, & inter eos *Danielem Barbarum*, Patriarcham *Aquilejenſem* deſignatum, in ſummo pretio haberet.

Philoſophus.

Ex quo verò *Pariſienſi* Senatu exceſſit, & Legationibus obeundis operam ſuam addixit, ſic vitam inſtituerat, ut, peractis negotiis, nullam ſibi horam perire ſineret, quam ſeriis ſtudiis impenderet.

Habebat puerum, qui coram Doctore ex Jure, aut *Ariſtotele*, aut *Cicerone*, (cujus ſcripta ſemper præ manibus habebat,) aliquid prælegeret. Nam ſive ut imbecillitati oculorum parceret, ſive ut memoriæ exercendæ conſuleret, ipſe non legebat, ſed recitantem attentè audiebat, & poſt recitationem eadem ipſe memoriter recitabat, atque etiam interpretatione adjuvabat: ita ut lectorem, & auditores domeſticos eâdem operâ inſtrueret, & ingenium exercendo altius memoriæ recitata infigeret: eâque conſuetudine effecerat, ut quoties cum Principibus, aut aliis, Regis nomine, de magnis negotiis ageret, & quæ audiverat, & quæ reſponderat, fideliter deſcribenda curaret. Nam ut non legebat, ſic nec ſcribebat, & alienâ operâ in utroque utebatur, niſi ſiquando res hujusmodi incidiſſet, quæ alterius fidei tutò committi non poſſet.

Alienâ operâ in legendo & ſcribendo uſus eſt.

Anglicanâ, *Venetâ*, & aliis Legationibus ſummâ cum prudentiæ laude defunctus, ultimis Regis *Henrici II.* temporibus in illâ tot innocentium virorum calamitate involutus, ſed mox abſolutus, ac dignitati priſtinæ reſtitutus, ex eo tamen S. Pontifici cum ſuſpectus eſſet, vix tandem ei innocentiam ſuam aſſiduo obſequio approbavit.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

JOHANNES FRANCISCUS COMMENDONUS,

Cardinalis.

Obiit A. C. 1584.

V*Enetiis* natus, & eodem, quo *Carolus Borromæus*, anno denatus, in diſpari vitæ ratione, (quippè ſummis negotiis & maximè inſignibus legationibus feliciter obitis exercitatus,) ſummam prudentiæ & acuti ingenii ſolertiæ laudem meruit, ut quantum *Borromæus* raris pietatis noſtro ævo inauditis exemplis, tantum ille civilis ſapientiæ gloriâ ampliſs. Cardinalium Collegium illuſtrâſſe credatur.

Legatus.

Tandem tot pro Rep. Chriſtianâ laboribus perfunctus, *Patavium*, haud longè â loco natali, conceſſit, & pervigiliæ malo diu vexatus ad Deum migravit 7. Kal. Januarii A. C. 1584. ætatis 62.

Obiit Patavii.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

GEORGIUS ARMENIACUS,

Cardinalis.

Obiit A. C. 1585.

P*Atrem habuit* *Petrum*, Inſulæ *Jordanis* Comitem, *Pimoſii* Vicecomitem & *Cauſſadæ* Regulum, unde ex *Cauſſadæ* ſtirpe prognatum eum fuiſſe, & nomen Armeniaci, tanquam magis illuſtre, *Henrici Labretani*, *Navarræ* Regis, *Armeniacæ* familiæ hæredis beneficio ſumpſiſſe, multis perſuaſum fuit. *Petrus* autem filius naturalis fuit *Caroli VII. Armeniaci*, & *Carolus VII. Johannem IV. Armeniaci* Comitem patrem habuit.

Ex Comitum Armeniaci familiâ progenitus.

Indè ortus *Georgius*, qui in vitâ ſolutâ, propter patrimonii tenuitatem, cum majoribus titulis reſpondentem fortunam minimè ſperaret, ſacræ militiæ nomen dedit, & amplis ſacerdotiis donatus â Rege *Franciſco I. Romam* Orator miſſus eſt, ac ejusdem commendatione lectus in Collegium Cardinalium, maximos in utrâque aulâ honores geſſit, vir comitate, humanitate ac liberalitate præſtans, & literatorum fautor eximius. Cujus rei fidem fecerunt duo magna hujus ſæculi lumina, *Petrus Gillius*, & *Guilielmus Philander*, ambo in familiâ ejus quaſi educati ac ſublevati, & ille quidem *Romæ*, hic *Tholoſæ* in ædibus Patroni mortuus.

Sacræ militiæ nomen dedit. Cardinalis. Literatorum fautor

Poſtea cum *Carolus* Cardinalis *Borbonius* Legatione *Avenionenſi* donatus eſſet, Collegæ in eo munere participavit *Armeniacus*, ac in urbe *Avenionenſi*, ob aëris ſalubritatem, ſenectutis ſuæ domicilium fixit, iisque, quas dixi, virtutibus potiùs, quàm annis, Pontificiam ditionem toto bellorum tempore tutatus eſt; hanc indignam gratiam pro tantis meritis conſecutus, ut *Guilielmum Patricium*, Epiſcopum *Tolonenſem* ſibi chariſſimum, cujus fidei ſummam Legationis commiſerat, ad Pontificem delatum, quod ad *Henrici Navarræ* Regis, & Proteſtantium partes inclinaret,

In urbe Avenionenſi ſedem fixit.

naret,

naret, à ſicariis quaſi ante oculos iniurioſè interfectum viderit.

Auxit injuriam, quod cum de cæde quereretur, Pontifex juſſu ſuo factum, & ritè factum pronuntiavit; Quod ſeni jam annis effœto, ſed adhuc naturali robore vigenti

Moritur. mortem acceleraſſe dicitur, quæ incidit in 5 Non. Jun. A. C. 1585. æt. 85. In majori Urbis templo, ubi vivens ſibi monumentum exſtruxerat, ſepultus. *Thuan. lib. 82.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

Obiit A. C. 1585.

GUILIELMUS SIRLETUS,

Cardinalis.

STili in *Calabriâ* natus eſt A. C. 1514. Patre viro nobili *Thoma Sirleto.* Trium

Philologus. Linguarum Græcæ, Hebrææ, & Chaldææ peritiſſimus, eas, in fortunâ tenuiori verſatus, Clericis Regularibus ad S. Sylveſtrum *Romæ* explicuit, & inter alios diſcipulos *Antonium Aiellum* Epiſcopum habuit.

Theologus. Theologus etiam doctiſſimus, Advocatus & pater pauperum vocari promeruit.

Summis Pontificibus *Marcello II. Paulo IV.* & *Pio IV.* gratiſſimus, ab hoc Protonotarius Participantium factus, & poſtea, ad interceſſionem Cardinalis *Caroli Borromæi*, ad Cardinalatum promotus eſt. Bibliothecarius etiam Apoſtolicus Romæ Protector fuit Fraternitatis recens ad fidem converſorum, & Collegii Græcorum.

Protonotarius, & Bibliothecarius Apoſtolicus. Cardinalis.

Templum ſuum titulare *S. Laurentii* in *Paniſperna* liberaliter reſtauravit. Viri quidam eruditi, & inter hos *Lippomanus*, vocarunt eum in ſcriptis ſuis *Virum maximæ eruditionis, mirabilis doctrinæ, ſpectabilis integritatis, & ſingularis innocentiæ.*

Bibliothecam habuit Libris ſelectis redundantem 10000. Scutatorum circiter pretii, poſt ejus obitum primò à Cardinali *Aſcanio Columnâ*, deinde à Duce ab *Alto tempore* coëmtam.

Moritur. *Romæ* tandem vivere deſiit 8. Oct. A. C. 1585. ætatis 71. Sepulchro ejus in Templo S. Laurentii talis memoria inſcripta legitur:

Ejus Epitaphium.

GUILIELMO SIRLETO CARD. STILI IN CALABRIA NATO, HUJUS ECCL. TITULARI, S. SEDIS APOST. BIBLIOTHECARIO, HEBRAICÆ, GRÆCÆ, LATINÆQUE LINGUÆ PERITISS. HUMANARUM DIVINARUMQUE DISCIPLINARUM SCIENTIA CLARO, ERUDITORUM ET PAUPERUM PATRONO, AC PARENTI BENEFICENTISS. OB PROBITATEM EJUS PIETATEMQUE A PIO IV. P. M. SACRO INSTANTE COLLEGIO CARD. CREATO VIXIT ANN. LXXI. OBIIT ANNO MDLXXXV.

Scripta. Scripſit

Annotationes in Pſalterium.

Biblicos apparatus, varianteſque Lectiones in Bibliis Regiis.

Correctiones & additiones in Jus Civile.

Epiſtolas.

De Monarchiâ Eccleſiaſticâ, opus non editum.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

* * *

Theodorus Galleus, in Elogiis ſuis XII. Cardinalium doctrinâ rebuſque geſtis illuſtrium, ita de eo ſcripſit:

Guilielmus Sirletus Stili, oppido *Calabriæ*, natus eſt. Parens *Thomas* ad 105 ætatis annum vixit: *Guilielmus* & ipſe valido robuſtoque ad lucubrandum fuit corpore, miſſus primùm *Neapolim*, ubi Græcis Doctoribus operam dedit: pòſt *Romam* ad exquiſitiorem ingenii cultum.

Præceptores doctrinâ brevi ſuperavit: utrâque Linguâ ad miraculum usque, pòſt etiam Sanctâ inſtructus: Mathematicas his diſciplinas adjunxit. Mox Philoſophiæ ac Theologiæ orbem è fontibus Græciſque Scriptoribus avidè hauſit. Librorum veterum, Græcorum præſertim, maximam copiam collegit, quam *Aſcanius Columna* Cardinalis poſtea poſſedit, præfecitque *Pompejum Hugonium*, Latinæ eloquentiæ *Romæ* Doctorem.

Vaticanam Pontificis *Bibliothecam*, dum præeſſet, mirificè auxit: nihil tamen, *Socratis* exemplo, edere voluit, præter *Variantes in Bibliis Regiis Lectiones.*

Liberalitas in omnes, præſertim egenos, omnem ut dicendi vim, ſic fidem exſuperat, nihil ut moriens reliqui fecerit, ſed æs ingens alienum eo nomine conflaverit. Reliquas illius virtutes funebri Oratione *Johannes Vaz Motta, Luſitanus*, eſt perſecutus.

LUDOVICUS ATESTINUS. Obiit A. C. 1586.

Cardinalis.

FIlius *Herculis II. Ferrariæ* Ducis, ex *Renatâ, Ludovici XII. Galliæ* Regis filiâ natus; ut avo cognomini magnitudine animi par fuit, ſic munificentiâ in omnes quibusvis Principibus longè ſuperior, ita ut in eâ Urbe, in quâ, tanquam in publico Chriſtiani orbis theatro, tot annos admirationi omnibus fuit, *Theſaurus pauperum, Sacri Collegii ſplendor, aulæque Romanæ ornamentum* dici meruerit, quod vel Auguſti oris verè Regiâ formâ præ ſe ferebat. *Cardinalium Splendor.*

Sanè *Johannes Baptiſta Porta, Neapolitanus*, qui inſigne *Phyſiognomicum opus* conſcripſit, non ſolùm illud ei dicavit, ſed ipſius imaginem, tanquam primarium effictì ad omnes virtutes oris exemplum, libro præpoſuit.

Quod igitur alii in vaſtis ædificiorum molibus & otioſis divitiis exſtruendis inſumunt, id ille totum demerendis hominum per liberalitatem voluntatibus ac tenuiorum fortunis ſublevandis impendit, eas ſolas veras opes poſſidere ſe exiſtimans, non quas ſervaret, aut ad ſplendorem & uſûs *Ejus liberalitas.*

privatos ſepoſuiſſet, ſed quas amicorum neceſſitatibus non rogatus dediſſet.

Cum igitur, poſt *Hippolytum* patruum ante 14. annos vivis exemtum, rerum Gallicarum patrocinium *Romæ* ſuſcepiſſet, ut aurum igne, ſic fides ejus & animi magnitudo calamitoſo Regni *Galliæ* tempore explorata maximè emicuit: dum *Guiſianis Annæ* ſororis filiis, arma præter Regis voluntatem ad Regni, ſuorum, ipſamque perniciem, ut eventus docuit, ſumentibus, Romæ, ubi illi ob ſpecioſum Religionis prætextum nihil non poterant, ſe generosè oppoſuit, & Regis Regnique cauſam adversùs proprias charitates defendit.

Ejus fides.

Guiſiis Romæ adverſus.

Cum verò eorum & Hiſpanicæ factionis inſtigatu *Sixtus V.* malè conſultus, diplomate promulgato, *Henricum* Regem *Navarræ*, & *Henricum Borbonium*, Principem *Condæum*, proſcripſiſſet, eosque & eorum poſteros jure ſucceſſionis Regni indignos pronuntiâſſet; ille diplomati, cui *Nicolaus Pelleveus* & *Ferdinandus Medices*, Cardinales, ſubſcripſerant, ſubſcribere recuſavit, cum potiorem Regni, quod eâ proſcriptione in periculum vocabatur, ſalutem, quàm ſuorum, qui per bella civilia amplificationem fortunæ quærebant, ambitionem haberet.

Tandem continuis arthritidis doloribus attenuatus, & nimio nivis uſu debilitatis nervis, accedente ad incommodam valetudinem publico rerum Gallicarum mœrore, in lethalem morbum incidit, ex quo, commendatâ prius Deo animâ, poſtquàm ſerios de Republicâ cum *Johanne Vivonio*, *Piſanii* Marchione, Regis *Gall.* apud S. Pontif. Oratore, & *Arnoldo Oſſato* habuiſſet ſermones, animam benè de Regno & genere humano meritam Creatori ſuo reddidit 3. Kal. Januarii A. C. 1586. ætatis 48.

Ex nimio nivis uſu morbum contraxit.

Moritur.

Ut autem vita ejus beneficiis in omnes veluti diſperſa fuit, ſic & funus diviſum: nam cor in *Galliâ*, *Auguſtæ Auſciorum*, cujus Urbis Archiepiſcopus erat, viſcera *Romæ* ad *S. Ludovic.* condita ſunt, corpus *Tybur* portatum, & juxta *Hippolyti* patrui, in Franciſcanorum templo, tumulatum fuit.

In funere *Baptiſta Guarinus* & *Leonhardus Salviatus*, alter Latinâ, alter Italicâ oratione virum omni gloriâ dignum laudârunt. *Thuan. lib. 84.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1586.

ANTONIUS AUGUSTINUS.

Archiepiſcopus Tarraconenſis.

NAtus domo nobili *Cæſarauguſtæ Celtiberorum* urbe celebri, Patre cognomine, Procancellario *Aragoniæ* finitimorumque regnorum. Vix dum ephebis exceſſerat, tinctus iis artibus, quibus prima ætas ad humanitatem informari ſolet, natu licèt minimus, *Complutum*, quæ in *Carpetanis* princeps Academia eſt, ad uberiorem ingenii cultum miſſus eſt, ubi celeriter antecellere æqualibus ingenii gloriâ contigit.

Filius Procancellarii Aragoniæ.

Complutii ſtudia inchoavit.

Salamanticam hinc à Parente miſſus, prima ibi Jurisprudentiæ fundamenta jecit gnaviter. Exindè *Bononiam* eruditis hominibus & ſtudiis liberalibus, Juris præſertim Civilis affluentem cogitabat: ubi Collegium ingentibus olim ſumptibus A. C. 1365. *Ægidium Albornotium* Cardinalem in gentis *Hiſpanicæ* gratiam, ſuâ pecuniâ exædificandum curâſſe inaudierat.

Salamanticæ Juris Studioſus. Bononiæ.

Bononiam itaque, Parentum permiſſu, A. 1535. perveniens, in Collegium ultrò invitatus commigravit, opibus patriis valere juſſis, ne, his fiſus, negligentiùs in ſtudiis verſaretur.

Nactus hic eos eſt Doctores, qui cœteris omnibus ingenii gloriâ antecellerent. *Paulo* enim *Pariſio*, Juris Pontificii Interpreti, aſſiduè operam dedit, qui, ob ſingularem pietati conjunctam eruditionem, mox in Patrum Purpuratorum Senatum lectus eſt: cui *Andreas Alciatus*, *Inſuber*, ſuffectus, de ſuperiori loco dicendi perſonam ſuſtinuit, accitus inſigni honorario.

Auditor Andreæ Alciati.

Feriis verò, quibus proferri res ſolent, ceſſaturque æſtivis menſibus, ardente caniculâ, *Patavium*, dum ſe æſtus Solis frangeret, ſeceſſit, menſesque 8 ibi hæſit, cum Doctoris *Mariani Socini* minoris auctoritate, tum loci amœnitate captus. Hîc & ſubſecivis horis, quas alii tribuunt aleæ, intempeſtivis conviviis, aut ſomno, literas amœniores reſpexit, & *Lazarum Bonamicum*, diſertum virum, Græcos etiam Doctores, *Fazellum* & *Romulum Amaſæum*, audivit.

Patavii D. Mariani Socini auditor.

Decurſo jam ſtudiorum curriculo *Florentiam*, *Hetruriæ* Metropolim, ſe contulit, cum *Joh. Metello Sequano*, quocum, ex ſtudiorum ſimilitudine, vetus neceſſitudo interceſſerat; hîc *Lælio Taurello*, diſerto ejus ætatis Juriſconſulto, & *Petro Victorio* de literis benè merito familiariter uſus eſt.

Florentiæ Jur. Stud.

Hinc *Romam* venit, *Paulo III.* decimum jam annum Eccleſiæ Chriſtianæ clavum tenente, moxque ſingulari hominis doctrinâ exploratâ 12. Viris St. Litium judicandarum, hoc eſt, Sacri Palatii Judicibus adſcriptus, omniumque ſuffragiis delectus *Ludovico Gometio* J. C. *Hiſpano* & Epiſcopo ſucceſſit.

Romæ 12. S. Palatii Judicibus adſcriptus.

Pontifici & Eccleſiæ tunc fidelem operam navavit, eâ integritate, ut difficile ſit dictu, abſtinentiâ ne majore vixerit, an in Jure dicundo ſeveritate graviore ſit uſus.

Julius III. Pont. Maximus A. 1550. ſuffectus, adeò *Antonium* dilexit, ut & intimis eum conſiliis adhibuerit, Legatumque ſummâ cum auctoritate in *Britanniam* miſerit A. 1554. cum Rex Catholicus *Philippus II. Mariam* duxit uxorem.

Legatus in Angliam.

A. 1557. Reverſus ex *Angliâ* Romam, *Paulum IV.* Apoſtolicæ navis gubernaculo admotum comperit, à quo non multo pòſt *Alliſanus* Epiſcopus creatus, miſſus eſt auctoritate Pontificiâ ad *Ferdinandum* Cæſarem in *Germaniam*: quâ honorificè obitâ Lega-

Epiſcopus Alliſanus.

Legatione gregem ſibi creditum adiit, eumque omni humanitatis genere & liberalitatis eſt proſecutus.

In Siciliam à Rege Hiſp. miſſus. Hinc *Siciliam* Inſulam, opibus florentem & frugibus, ut horreum *Italiæ* atque *Hiſpaniæ* appellandum videatur, *Philippi* Catholici Regis auctoritate & auſpiciis luſtrare juſſus, integrè id munus obivit, ut & Regi gratum officium præſtiterit, & *Inſulanis* Jus ſanctè adminiſtrârit.

Epiſcopus Ilerdenſis. In *Hiſpaniam* reverſo, mox *Ilerdenſis* Epiſcopatus à *Pio IV.* nec opinanti traditur & repugnanti: Sed victus precibus ceſſit: nam *Frater ejus Petrus Epiſcop. Oſcæ.* & *Petrus Auguſtinus*, natu major frater, eo ipſo tempore *Oſcam*, (non procul inde ſitam antiquam *Hiſpaniæ* Academiam,) Epiſcopus tenebat.

Venit ad Synodum Tridentinam. Inde *Tridentum* uterque profectus eſt ad *Synodum* indictam *Oecumenicam*, ibi Sacerdotum mores, à Majorum gravitate degenerantes, ſolutamque diſciplinam ad priſtinum decus revocandam cenſuit.

Anno pòſt tertio rurſum navigavit in *Hiſpaniam*, & *Ilerdæ* Eccleſiam rexit, cui annos 16. præfuit.

Archiepiſcopus Tarraconenſis. Poſtea Anno 1576. à *Gregorio XIII.* Pontifice Maximo, *Tarraconenſis* Archiepiſcopus renuntiatus, hanc Eccleſiam ad extremum uſque Spiritum Præſul 34 annos ſanctè innocenterque adminiſtravit, vixitque jucundè in hâc Urbe, propter Antiquitatis Romanæ veſtigia, theatrum, circum, nummos, & inſcriptiones, quibus referta Urbs eſt, ut mœnia omnia Romanè loqui videantur. Ibi *Moritur.* tandem obiit, naturæque conceſſit prid. Kal. Jun. A. C. 1586. ætatis 79.

Cum domicilium *Romæ* haberet Pontificiarum cauſarum Judex, horis ſubſecivis, ad corporis animique relaxationem, cum viris eruditis, qui domum ejus frequentabant, *Octavio Panagatho*, *Gabriele Faerno*, *Baſilio Zancho*, *Onuphrio Panvinio*, *Pyrrho Ligorio*, *Paulo Manutio*, *Aldi Filio*, *Carolo Sigonio*, *Latino Latinio*, *Fulvio Urſino*, *Metello* item *Sequano*, qui 11. annos in illius contubernio jucundè vixit, de Urbis *Romæ* Antiquitatibus, Numiſmatis, Inſcriptionibus, rerum geſtarum memoriâ, & Scriptoribus antiquis Græcis atque Latinis, omnique adeò Philologiâ libenter diſſerebat. *Philologus.*

Felici memoriâ præditus. Magna verò & pæne incredibilis in eo ad extremum uſque Spiritum memoria viguit, aucta aſſiduis lucubrationibus diſcendique cupidate.

Jus Canonicum emendavit. Ut autem adoleſcens Jus civile egregiè illuſtravit, ſic maturâ ætate Jus quoque Pontificium eâdem animi alacritate, ut Epiſcopum adeoque Chriſtianum Juriſconſultum decebat, accuratè ſibi recenſendum emendandumque putavit.

Nemo domeſticorum 20. retrò annis iratum vidit; caſtitas in eo tanta fuit, ut fœminam nunquam credatur attigiſſe, cum libris enim fidis ſodalibus aſſiduè colloquens, otium commerciumque matronarum devitabat.

Singularis verò illius & prædicatione di*Liberalis in egenos.*gna ſemper extitit in egenos beneficentia ac liberalitas, quos & libenter audiebat ſtipem poſtulantes, & queritantes de injuriâ Potentiorum: quare à congreſſu ſuo arceri prohibebat, quod Chriſti membra eſſe prædicaret, ejuſque perſonam hîc ſuſtinere, ſe bonorum Eccleſiæ diſpenſatorem eſſe duntaxat.

Inops deceſſit. Hâc verò liberalitate effectum eſt, ut tam inops à pecuniâ deceſſerit, ut ei cum Divo *Auguſtino* (quem nomine & vitâ exprimebat) vix ſuppeteret ſumptus, quo efferri honeſtè poſſet.

Auctoritate denique tantâ valuit, juſtitiæque famâ, ut adventûs ſui nuntio exſpectationeque prædones agri *Tarraconenſis* omnes terruerit, fugâritque. *Prædonum terror.*

Erat adhæc in eo ſumma corporis dignitas, ſtatura procera, egregia corporis membrorumque habitudo, robuſta ad extremam ætatem valetudo, inceſſus gravis, in aſpectu gravitas comitati juncta, in ſermone lepor, jocis etiam urbanis & ſalibus interdum utebatur, ſed cum literatis hominibus.

Ciceronem etiam ſenex legebat aſſiduè ut eloquentiæ Principem. Juris verò tanta in eo accuratio, ut veterum aliquis, *Paulus*, *Ulpianus* aut *Papinianus* ab inferis revixiſſe videretur.

Joannes Tereſius, *Dertuſanus* Epiſcopus deſignatus, *Tarracone* iter habens, peropportunè *Antonio* huic in morte poſtrema officia exhibuit, & Sacramenta Eccleſiæ Catholicæ contulit omnia more Majorum.

Petrus Joannes Humeſius, *Valentinus*, Orator & Philoſophus, hoc illi amicitiæ ergò Epitaphium compoſuit:

D. O. M.

Ejus Epitaphium. S. S. EUCHARISTIÆ SACRUM.
ANT. AUGUSTINUS ANT. PROCANC. F. CÆSARAUG. PALAT. APOST. AUDITOR; EPISC. ALLIFAN. PAULI IV. AD PHILIP. ET FERD. REGG. LEGAT. SICILLÆ CENSOR, ILERD. EPISC. MAX. PLAUSU TRID. CONC. INTERFUIT. INDE AD TARRAC. ARCHIEP. TRANSLAT. J. U. ET HUMANITATIS VINDEX CLARISS. JUDEX INCORRUPTISS. ELEEMOS. LARGITOR EXCELLENS, ORACULUM SAPIENTIÆ TERRESTRE, EDITIS AUREIS LIBR. ATQUE EDENDIS RELICTIS; HOC SACELLUM S. S. EUCHARISTIÆ P. C. CHRISTUM AC S. THECLAM EX ASSE HÆREDEM FACIENS.
OBIIT PRID. KAL. JUN. ANN. M D XXCVI. ÆT. LXIX.

Libri ab *Antonio Auguſtino* partim conſcripti, partim emendati:

I. quibus *Humanitatis ſtudia* illuſtravit.

In M. Terentium Varronem de Linguâ Lat. Emendationum notæ.

In Sextum Pompejum Feſtum Notæ.

Familiæ Romanorum XXX. cum Fulvii Urſini familiis.

Dialogi XI. Numiſmatum Græcorum, Roman. & Hiſpan. Antiquitatum item & Inſcriptionum

ptionum veterum Hiſp. ſermone ſcripti, cum figuris æneis Romæ inciſis.

Dialogi iidem Italicè redditi.

Bibliothecæ ipſius libror. manuſcript. Græcè & Latinè Index.

II. Quibus *Jus Civile* illuſtravit.

Emendationum & Opinionum Juris Civilis Libri IV. & *ad Modeſtinum ſive de Excuſationibus Liber ſingularis*, & *ad Lælium Taurellum J. C. de Militiis Epiſtola.*

De Legibus & Senatûs Conſultis.

De propriis nominibus Pandectarum.

Novellarum Juliani Anteceſſoris Epitome, cum Notis.

III. Quibus *Jus Canonicum*, *resque Sacras* exornavit.

Antiquæ Collectiones Decretalium cum eruditis Notis.

Canones Pœnitentiales cum notis.

Dialogorum XI. De Emendatione Gratiani lib. II.

Conſtitutiones Provinciales, & Synodales Tarraconenſium.

Epitome Juris Pontificii veteris in tres partes, de perſonis, de rebus, & de Judiciis, quarum prima pars edita Tarrac.

IV. Libri nondum editi.

Secunda & tertia pars Epitomæ Juris Pontificii veteris: & notæ in aliquot titulos partis primæ jam editæ: latentque Romæ apud *Carthuſianos.*

Juris Pontificii Inſtitutiones.

Concilia Græca & Latina, Romæ poſtea Pontificum Liberalitate in *Vaticanâ* typographiâ excuſa.

In Pandectas Florentinas Index verborum omnium: & variæ Lectiones.

Ad Hadrianum liber ſingularis.

Item ad edictum.

Fragmenta veterum Scriptorum, Poëtarum, & Oratorum Latinorum ab eo olim collecta: nam *Hiſtoricorum veterum edidit Fulvius Urſinus.*

* *Ex Oratione funebri Andr. Schotti Soc. Jeſu Antverp. quam Lævino Torrentio Antverpiæ Epiſcopo inſcripſit.*

ANTONIUS PERRENOTUS,

Obiit A.C. 1586.

Cardinalis.

CArdinalis *Granvellanus*, *Nicolai*, *Veſontione*, loco humili, nati, (qui poſt *Mercurium Gattinaram* Cancellarius *Caroli V.* Cæſaris fuerat,) filius, & Patris in eo munere Succeſſor, vir rarâ eruditione, linguarum multarum peritiâ, facundiâ non fucatâ, longo rerum maximarum, quas totâ vitâ adminiſtravit, uſu clarus, ſummis honoribus, quos ſub *Carolo V.* primùm, deinde ſub filio *Philippo* in *Belgio*, aulâ *Romanâ*, Regno *Neapolitano*, (in Proregis titulo præfuit,) & *Hiſpaniâ* geſſit, defunctus; ſed in aſſerendâ Regiâ Majeſtate, ſive inſito erga familiam *Auſtriacam* favore, ſive Proteſtantium odio multis aſperior creditus, interdum etiam minus bonâ fide in magnis negotiis verſari viſus, ut cum cavillatoriâ unius literulæ captione *Philippo*, *Haſſorum* Principi, illuſit, & conſilii de retinendo eo præter fidem datam autor fuit; quod minus honeſtum, etiam Cæſari poſtremò damnoſum fuit.

Cancellarius Cæſ. Caroli V. *Prorex Neapolitanus.* *Proteſtantium adverſarius.*

Denique poſt tot exantlatos labores in *Hiſpaniam* à Rege *Philippo II.* evocatus, & arcanis conſiliis adhibitus, *Mantuæ Carpetanorum* deceſſit 11. Kal. Octob. A. C. 1586. ætatis ſuæ 69. *Conſiliarius Secretus Reg. Hiſp. Moritur.*

Mortuum laudavit *Joh. Baptiſta Saccus* editâ, non etiam habitâ, (neque enim in *Hiſpaniâ* mos eſt) Oratione. Corpus in *Eremitarum S. Auguſtini* templo depoſitum, & indè, ſicut teſtamento mandaverat, *Veſontionem* translatum, atque in Metropolitanâ Eccleſiâ, ubi Gymnaſium inſtituerat, ſepultum fuit.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

EDWINUS SANDYSUS,

Obiit A.C. 1588.

Archiepiſcopus Eboracenſis.

NObili ortus familiâ, natus eſt circa A. C. 1528.

In Academiâ *Cantabrigienſi* Theologiæ Doctor renuntiatus, Aulæ *S. Catharinæ* Præſes, & Procancellarius Academiæ extitit. *Theologiæ Doctor.*

Cum *Johannes* Dux *Nortumbriæ* cum exercitu *Londini* tranſiens *Mariam* Regni faſces ſuſcipientem opprimeret, coëgit eum non admodùm invitum *Janæ Grajæ*, (quæ Regina tunc fuerat declarata,) cauſam pro Concione propugnare: quod ille tam modeſtè ſimul & prudenter fecit, ut *Nortumbrius* officio abunde ab illo ſatisfactum agnoverit, neque tamen adverſam factionem irritaverit. Nam cum rebus mutatis Dux & Sandyſus poſtridiè in vincula raperentur, hic poſt menſes aliquot, amicorum interceſſione, liberatus, in *Germaniam* cum uxore profugit. *Janæ Grajæ cauſam in concione defendit.*

A. 1559. A Reginâ Eliſabethâ revocatus 21. Dec. Epiſcopus *Wigornienſis* conſecratus, *Grindallo* deinde in Archiepiſcopatu ſucceſſit *Londini* A. 1570. & *Eboraci* A. 1576. Ibi poſt annos 12. exceſſit è vivis 8. Aug. A. C. 1588. ætatis 60. plus minus, *Suchwelliæ* humulatus. *Epiſcopus Wigornienſis. Archiepiſcopus Eboracenſis. Moritur.*

Liberos reliquit permultos, ex quibus tres fuerunt Equites aurati.

* *Ex Herologiâ Anglicâ.*

ALEXANDER FARNESIUS,

Obiit A.C. 1589.

Cardinalis.

SUmmæ in Purpuratorum Collegio autoritatis, totos 55. annos magnitudinem, à *Paulo III.* Pontifice Maximo in familiâ ſuâ fundatam, ſummâ prudentiæ & ingenii in explicandis negotiis opinione tutatus eſt, literarum & Literatorum, atque adeò præſtantium Artificum, Sculptorum, Picto- *Fautor Literatorum.*

Digitized by Google



ANTONIUS PERRENOTT, *Cardinalis*




EDWINUS SANDYS, *Archiep. Eborac.*



CAROLUS BORBONIUS, *Cardinalis.*



PHILIPPUS SPINULA *Cardinalis*



CAROL. BORBONIUS, IUN. *Cardinalis.*



LEVINUS TORRENTIUS *Archiepisc. Mechliniensis.*



FRANCISCUS TOLET, *Cardinalis*



IOHAN. WHITGIFTUS *Archiepisc. Cantuar.*



CÆSAR BARONIUS, *Cardinalis.*




DOMINICUS TUSCUS, *Cardinalis*




ROBERTUS BELLARMIN, *Cardinalis*



MARC. ANTONI. DE DOMINIS *Archiepisc. Spalatensis*




MELCHIOR CLESELIUS *Cardinalis.*



FRIDERIC, BORROMÆUS, *Cardinalis.*



LÆLIUS BISCIA, *Cardinalis.*



IOH. FRANCISC. à BALNE *Cardinalis.*

Digitized by Google



Pictorum & Architectorum Pictorum & Architectorum fautor eximius.

Adoleſcens Legationes obivit. Vix annum 20. egreſſus, ſummas Legationes ſub avo conciliandis Imp. *Carolo V.* & *Franciſco I. Gall.* Rege obivit. Poſt avi mortem, ob Parentis *P. Aloyſii* calamitatem, variâ fortunâ jactatus, cum in *Henrici II. Galliæ* Regis benignitate habuiſſet perfugium, poſtea *Octavio* fratre cum Cæſare reconciliato, mutavit, & *Auſtrii* nominis,(cui frater, familiæ ſuæ Princeps, per affinitatem conjunctus erat,) fortunam totâ vitâ ſecutus eſt.

Arcem Caprarolæ extruxit, & alia ædificia. In illo otio pulcherrimam & magnitudine ac rarâ fabricæ elegantiâ viſendam *Caprarolæ* arcem 30. ab urbe milliaribus extruxit, deindè ad pietatis exercitia inclinatâ ætate verſus Baſilicam *B. Sylveſtri in Soractis* monte, in *Faliſcis*, *D. Anaſtaſii* templum, cœnobiumque ad *Aquas Salvias*, *B. Virginis* ædem ad cryptam ferratam, & auguſtum delubrum in *Vulſinienſi lacu*, templum item *B. B. Laurentio* & *Damaſo* dicatum, ſuâ impenſâ ædificavit, inſtauravit, ornavit.

Collegium Societ. Jeſu Romæ erexit. Poſtremò magnificam illam Jeſu ædem in Urbe erexit, & Sodalitii cognominis Patribus attribuit, ubi cum 7 Nonas Martii paulò ſeptuagenario minor deceſſiſſet A. C. 1589. inſigni pompâ funeratus eſt, â *Petro Magno* luculentâ Oratione laudatus. Extant & *Fr. Bencii* & *Julii Nigroni* Orationes de eo funebres. *Thuan. lib. 96.*

* *Ex Thuani enucleati Parte I. Gerardi â Stöcken.*

Obiit A.C. 1590.

CAROLUS BORBONIUS,

Cardinalis.

Rex Gall. larvatus nom. Caroli X. HIc, Rex quaſi larvatus, occiſo *Henrico III.* â *Pariſienſibus* & cœteris *Henoticæ* factionis nomine *Caroli X.* conſtitutus, ejuſque nomine moneta aurea ac argentea in primariis Regni Urbibus cuſa eſt.

Homo fuit non ſolùm gentis illuſtriſſimæ, (Frater ſcil. *Antonii* Regis *Navarræ*, & *Ludovici* Principis *Condéi*) ſed florentiſſimo toto Chriſtiano orbe Regni ludibrio natus, cujus ingenio ad propriæ gentis *Gallicique* nominis perniciem poſtquàm diu abuſus eſt *Henricus Lotharingus Guiſius*, & tanquam larvam populis veſanientibus eum oſtentavit, ad extremum ipſe ſibi exitium accerſivit, accenſo in patriâ bello internecino, quo poſt obitum utriusque *Galliâ* pænè omnis conflagravit.

A Mathematicis Rex prædictus. *Ambitioſus.* Fuit hic Cardinalis religionibus pænè ad ſuperſtitionem addictus, de cœtero liberalis & in voluptates profuſus, atque ex credulitate nimiâ ad Mathematicorum prædictiones fide, qui ſæpè conſulti cum Regni olim ſpem feciſſent, paulatim alienari â ſuis animus & præſentia, quibus totus antea occupabatur, faſtidire, ac futura circumſpicere, & quò ſeriùs ſubibat, eò violentius ambitio in eo feſtinare cœpit, per fas nefaſque perrumpens, & poſthabitâ patriæ charitate ac Gentilium periculo *Guiſium* per abrupta, quocunque ducebat, ſequens. Nec deerat ſeni ingenium fraudum capax, quo interdum negotium ipſi *Guiſio* faceſſebat.

De uxore ducendâ cogitavit. De ducendâ *Mompenſeriâ*, *Guiſii* ſorore, olim cogitaverat, & ſi tempore delati per ſeditiones Regni in libertate fuiſſet, ut plerique credunt, duxiſſet, facili per eam ad fratres transmiſſione Regni, quandocunque ſine liberis deceſſiſſet.

In carcere obiit. *Fontenaji* tandem in *Pictonibus*, ubi *Henrici IV.* fratris, & *Antonii* filii juſſu cuſtodiebatur, ex calculi doloribus ultimum vitæ diem clauſit 7. Id. Maji. A. C. 1590. cum ann. æt. 66 ſupergreſſus eſſet.

Morte ejus non mediocriter turbatæ Fœderatorum res fuêre, cum incertum eſſet, cujus ſupremi Principis nomine edicta, decreta, & judicia fierent, & prenſationibus *Hiſpanorum* per obitum Cardinalis, quaſi per Interregnum ad corrumpendos Theologorum in Urbe & obnoxiorum animos porta patefieret. *Thuan. lib. 98.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi â Stöcken.*

Obiit A.C. 1591.

ANTONIUS CARAFFA,

Cardinalis.

REginaldum Equitem, & *Joannellam*, ex eâdem familiâ in Regno *Neapolitano* perilluſtri, Parentes habuit, & â teneris annis in ſtudiis literarum educatus, cum, *Guilielmo Sirleto* Præceptore uſus, linguæ Græcæ exactam cognitionem ſibi comparâſſet, ſub *Paulo IV.* gentili ſuo, primitias honorum in aulâ illâ adhùc adoleſcens deguſtavit: & poſt ejus obitum eâdem, quâ tota illa familia pænè conflagravit, invidiâ oppreſſus, etiam opimis Sacerdotiis quæ poſſidebat â *Pio IV.* injurioſè ſpoliatus eſt, quibus demùm â *Pio V. Caraffarum* beneficiario eſt reſtitutus, qui & gratiam novo beneficio cumulavit, *Caraffâ* in Collegium Cardinalium cooptato.

Linguæ Græcæ peritus. *Aulicus S. P. Pauli IV.* *â S. P. Pio IV. Sacerdotiis ſpoliatus.* *â Pio V. Cardinalis creatus.*

Bibliothecarius. Quâ in dignitate conſtitutus, Juri Canonico emendando, Decretalibus epiſtolis colligendis, & Bibliorum Græcorum ac Latinorum, quæ *Sixti V.* auſpiciis facta eſt, editioni præfuit, operâ & induſtriâ uſus *Petri Morini* Presbyteri *Pariſienſis*, *Flaminii* Nobilis *Lucenſis*, & *Fulvii Urſini*: & poſt *Sirletum* Præceptorem Bibliothecarius, etiam Scholæ *Maronitarum*, â *Gregorio* inſtitutæ, patrocinium ſuſcepit: cumque in *Conciliis Græcis ac Latinis* concinnandis laboraret, morte præcipitatâ gloriam præreptam *Friderico Borromæo* Cardinali virtutum ſuarum æmulatori transſcripſit. Obiit Romæ prid. Idûs Januarii A. C. 1591. ætatis 53.

Mortuum laudaverunt certatim *Thomas Bozius Eugubinus*, *Cæſar Baronius*, & luculentâ Oratione *Franciſcus Bencius*. Corpus ad *S. Sylveſtri* in monte Quirinali, cum humili elogio, ſicut mandârat, depoſitum eſt. *Thuan. lib. 100.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi â Stöcken.*

JO-

Obiit A.C. 1591.

JOHANNES HIERONYMUS ALBANUS, *Cardinalis*.

Juris Conſultus. Protonotarius Apoſtolicus. Cardinalis.

BErgomi, ex nobili familiâ natus A. C. 1504. Juris Conſultus fuit graviſſimus, Reipublicæ *Venetæ* Collateralis generalis, Catholicæ fidei defenſor ſtrenuus, quem *Pius V.* Pontifex Maximus *Romam* vocatum, Protonotarii Apoſtolici primùm munere, deindè Gubernatione *Marcæ Anconitanæ* decoravit, tandem in Collegium Cardinalium aſſumpſit.

Moritur. Romæ ad vitam meliorem abiit 25. April. A. C. 1591. In Sepulchro ejus ad *S. Mariam Populi*, cum ſtatuâ marmoreâ, hæc videtur Inſcripto:

Ejus Epitaphium.

JOH. HIERONYMO ALBANO BERGOMENSI CARD. I. C.

GENERIS NOBILITATE, MORUM ELEGANTIA, VITÆ SPLENDORE, MONIMENTIS INGENII, DOCTRINÆQUE CLARISS. REIP. VENETÆ COLLATERALI GENERALI, MATRIMONIO AC COELIBATU, ASPERIS ET SECUNDIS REBUS ÆQUE PROBATO, CATHOLICÆ RELIGIONIS EGREGIE DICTIS AC FACTIS ASSERTORI AC VINDICI, AC OB EAS RES A PIO V. SUMMO PONT. DIFFICILLIMIS POPULI CHRISTIANI TEMPORIBUS IN COLLEGIUM CARD. ADSCITO, IN SENTENTIIS DICENDIS FACUNDIA, GRAVITATE, SAPIENTIA SINGULARI, EXTREMA JAM ÆTATE, PIOS INTER AMPLEXUS CHARORUM, ET OSCULA SENSIM EXTINCTO.

JO. DOMINICUS CÆS. COMES PARENTI OPT. MERITO P. C.

VIXIT ANNOS LXXXVII. OBIIT. VII. CAL. MAJAS A. S. MDXCI.

Scripta. Scripſit & edidit:

Commentaria in Bartolum.
Conſiliorum Volumen I.
De Concilio.
De Donatione Conſtantini.
De dignitate Cardinalatûs.
De Eccleſiarum immunitate.
De Summi Pontificis Poteſtate.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C. 1592.

JOH. VINCENTIUS LAUREUS, *Cardinalis*.

PAtavii literis operam dedit, ubi, utriusque Linguæ cognitione ſibi comparatâ, ad Philoſophiæ & Medicinæ ſtudia eâdem ingenii felicitate ſe contulit, in quâ plurimum excelluit. *Medicus.*

Familiaritate uſus *Hugonis Boncompagnii*, meruit ab eo poſtea Summo Pontifice creato in Collegium Cardinalium cooptari. *Cardinalis.*

Magni pretii ſupellectilem omnem Congregationi ægris inſervientium legavit, ut qui ex ſcientiâ ægrotos curandi prima fortunæ incrementa cœperat, eoſdem hæredes haberet.

Vitâ defunctus eſt A. C. 1592. Septuagenarius. Corpus, ſicut mandaverat, ſine ullâ pompâ ad *S. Clementis*, quem titulum Cardinalis habuerat, cum modico elogio conditum eſt.

* *Ex Elogiis Thuaneis Viror. doctor. C. B.*

* * *

Tropeâ, celebri *Calabriæ* Urbe, natus modicis ſed honeſtæ conditionis parentibus in familiâ *Caraffarum, Nuceriæ* Ducum, educatus eſt. Medicus creatus *P. Paulo Pariſio Coſentino* Cardinali primùm operam navavit, & poſt hujus obitum *Nic. Gaudio* Cardinali, deinde & *Franciſco*, Cardinali *Turnonio*, â quo opimis in Arvernis donatus eſt Sacerdotiis. *Diverſorum Cardinalium Medicus.*

Inde mortuo *Turnonio* in *Antonii*, *Navarræ* Regis, familiam â *Franc. Guiſio*, ut ajunt, inſinuatus eſt, cum metus eſſet, ne ille ab uxore & aliis, qui in comitatu ejus erant, perſuaſus, ad Proteſtantium partes inclinaret. *Familiaris Antonio Regi Navarræ.*

Antonio deindè intra 7 menſes exſtincto, cum *Hippolyto* Cardinali *Ferrarienſi*, (qui tunc munus Legati in *Galliâ* obibat,) *Romam* reverſus, & protinus â Summo Pontifice *Pio V. Montis Regalis* Archiepiſcopus creatus eſt, legationibus obeundis deſtinatus, inter quas inſignis illa fuit, quam ſub *Gregorio XIII.* ad *Sigismundum Auguſtum*, *Poloniæ* Regem, & poſt ejus obitum, *Henrico*, *Andium* Duce in Regem electo obivit, ac rursùs, cum *Stephanus Bathorius* in Regnum vacuum venit, ubi & dexteritate ingenii effeciſſe putatur, ut *Johannes*, *Sueciæ* Rex, paſſus ſit *Ant. Poſſevinum* è ſodalitio Jeſuitico virum literatum, & tractandis negotiis ſummè idoneum, in aulam ſuam introduci, qui *Sigismundum* filium, cum omni ſuâ familiâ, ad Sacra Majorum reduxit. *Archiepiſcopus Montis Regalis. Legatus in Poloniam.*

Cardinalis tandem creatus, omnium in ſe oculos converterat, quaſi & ipſe ſupremam dignitatem adepturus eſſet, ad idque caſus ferè exitialis in augurium trahebatur. Nam cum juvenis olim ad Urbem primùm veniſſet, & ſpectaculis in pervigilio *B. B. Petri & Pauli* celebrari ſolitis intereſſet, caſu in taurum furentem incidit, ab eoque cornubus in altum ſublatus, ſine noxâ dimiſſus eſt. *Omen ſingulare.*

Certè in Comitiis *Sixti V. Urbani VII. Gregorii XIV. Innocentii IX.* & *Clementis VIII.* honorifica ſemper ejus mentio facta eſt, nihilque magis ei nocuit, quàm quod operam olim *Antonio, Henrici IV. Galliæ* Regis Parenti addixiſſet: quod artificiosè ab *Hiſpanâ* factione in virum optimum, (quem non tam Gallis addictum, quàm partibus ſuis minimè favere noverant,) detortum eſt, ut illum Collegio ex eâ causâ ſuſpectum redderent. *Cur S. Pontifex fieri non potuerit?*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

PHI-

Obiit A.C. 1591.

PHILIPPUS SPINULA,

Cardinalis.

Epiſcopus Nolanus. SAcris à Parente devotus, magnâ in *Græciâ Beretrenſis*, deindè *Nolanus* Epiſcopus floruit. Poſt *Rudolpho II. Auguſto* agente, à *Gregorio XIII.* P. M. acri virtutum atque ingeniorum cenſore, Cardinalis creatus, à *Sixto V.* datus *Peruſiæ Umbriæque* Legatus, *Legatus Peruſiæ.* & Regularium, ut vocant, Congregationi præpoſitus, *Clemente* demùm *VIII.* Pontifice, rebus *Germanicis* ac *Pannonicis* præfuit.

Obiit. At viro innocentiſſimo ante diem, medioque in curſu, calculi doloribus, extincto, fratres publicum grati animi teſtimonium in *D. Sabinæ* Baſilicâ, cui præfuerat, ponendum curaverunt:

Ejus Epitaphium.

D. O. M.

PHILIPPO SPINULÆ GENUENSI, ET EPISCOPO NOLANO, TIT. HUJUS SACRÆ ÆDIS PRESB. CARD. SUMMÆ INTEGRITATIS ET INNOCENTIÆ VIRO, PERUSIÆ ET UMBRIÆ LEGATIONE SIXTI V. P. M. AUCTORITATE FUNCTO, DE S. IMPERIO ET GERMANORUM REBUS SEMPER OPTIME MERITO.

M. ANTONIUS FABRITIUS, HECTOR, HÆREDES EX TESTAMENTO, FRATRI OPTATISS. MOER. POSUERUNT. VIXIT AN. LVII. MENSES IIX. DIES XX. OBIIT XIII. KAL. SEPTEMB. CIↃ IↃ XCII.

Hujus æqualis *Andreas Spinula*, Decemviros inter, quos Cameræ Apoſtolicæ Clericos hodiè nominant, *Romæ* itidem vixit: propiuſque factum eſt nihil, quàm ut rubro & ipſe galero, meritorum gratiâ, donaretur. Verùm aulicæ vitæ atque adeò ſeculi pertæſus, Societati Jeſu aggregari maluit, atque in eâdem conſtans diem clauſit extremum.

* *Ex Elogiis Gentis Spinulæ ab Auberto Miræo editis.*

Obiit A.C. 1594.

GUILIELMUS ALANUS,

Cardinalis.

ANglus, honeſtâ familiâ in *Lancaſtriâ*, *Eboracenſis diœceſis*, natus, cum ab adoleſcentiâ ſe Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudiis addixiſſet, poſtea ob Religionem patriâ exul, *Duaci* in *Belgio* in Sacri Collegii ſodalitium, *Philippi II. Hiſp.* Regis commendatione, allectus eſt: *Sacri Collegii Sodalis Duaci.* ubi ad educandos & inſtituendos alumnos, qui Majorum Religionem contra pullulantes ubique Sectariorum novas opiniones in natali Regno tuerentur, eidem *Philippo* autor fuit, ut ex *Anglicanâ* juventute literis & pietate præſtantes huic muneri apti deligerentur, ex iiſque Seminarium conſtitueretur. *Seminarii Anglici contra hæreſes autor.*

Ex eo cum plerique poſtea in *Angliam* migrâſſent, in arcano Catholicorum reliquias hortatibus & doctrinâ confirmantes, multi initis ac delectis frequentibus, (ut fit in Regno Religione ſciſſo,) molitionibus quaſi perduelles, & conjurationum in *Eliſabetham* Reginam autores ac conſcii in crimen vocati ſunt, plurimi etiam ex iis ſupplicio affecti. Pro quibus *Alanus Apologiam* ſcripſit, quâ eos non perduelles, quales ad invidiam à Sectariis jactabantur, ſed veræ Religionis aſſertores, & conſtantes veræ fidei ad mortem teſtes fuiſſe, contendit. *Scripſit Apologiam pro Jeſuitis in Angliâ.*

Poſteà, ejuſdem ſuaſu, Summus Pontifex *Gregorius XIII.* Romæ in hoſpitali antiquo nationis *Anglicanæ* Seminarium novum erexit, ejuſque curam Jeſuitis attribuit: *Seminarii Angl. Jeſuit. Romæ autor.* qui ex eâ occaſione ſenſim in *Angliam* perrepſerunt, & non ſolùm eandem in confirmandis in fide fratribus ſedulitatem adhibuerunt: Sed quia Archiepiſcoporum nomina, dignitates, & bona in eo regno *Eliſabethæ* auſpiciis penes Proteſtantes erant, ſecretam Hierarchiam ordine ſubſidiario conſtituerunt, *Secreta Hierarchia in Angliâ.* in eâque Principatum, tanquam à Pontifice delegati, ſibi ſumpſerunt, quod poſtea inter Jeſuitas & Sacerdotes *Alani* alumnos in *Angliâ* magnas turbas dedit.

Quamdiu tamen *Alanus* vixit, moderatè res atque ex diſciplinâ adminiſtratæ, qui interim in Collegium Cardinalium à *Sixto V.* cooptatus, *Cardinalis. Obiit.* ad meliorem vitam migravit A. C. 1594. ætatis ſuæ climacterico.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

Obiit A.C. 1594.

CAROLUS BORBONIUS,

Junior, Cardinalis.

LUdovici Principis *Condæi* filius, & *Caroli* Cardinalis Senioris ex fratre nepos, natus 30. Martii 1562. Princeps læto animo ac ſummâ dicendi facilitate præditus, propenſo inſuper in literas & literatos amore, *Literatorum patronus.* infeſtoque adverſùs Proteſtantes odio; quamdiu bonis conſultoribus uſus eſt, rectum animum ſervavit, ſed inſitâ levitate poſtquàm ab adulatoribus afflari cœpit, facilè depravatus, contra *Henricum IV.* Regem, patruelem ſuum, egit. *Adverſarius Regis Henrici IV.*

Cumque eventus exſpectationi non reſponderet, à ſuis proditus, in lethalem mœrorem incidit, & diuturnâ tabe confectus annos tantùm natus 32. deceſſit 5. Kal. Sextil. A. C. 1594. *Obiit.* in *Sangermani* Cœnobii ædibus, à patruo Cardinali *Carolo* ſummâ magnificentiâ exſtructis, ſepultus.

Ampliſſima, & maximè toto regno opima, quæ poſſidebat, Sacerdotia, poſt ejus obitum in plures diſperſa fuerunt, ne quis unus eſſet, qui, tot opibus fretus, diram adeò tempeſtivo ejus obitu intermortuam factionem renovaret. *Thuan. lib.* 110.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1595.

LEVINUS TORRENTIUS,

Archiepiſcopus Mechlinienſis.

Archidiaconus Brabant.

GAndavi in *Flandriâ* Cæſ. *Caroli V.* Patriâ natus Philoſophus, Philologus & Poëta inſignis, factus Archidiaconus *Brabantiæ*, & Vicarius Generalis Epiſcopatûs *Leodienſis*, *Philippi II.* Regis *Hiſp.* nomine varias Legationes obivit.

Epiſcopus Antverpienſis. Archiepiſcopus Mechlinienſis.

Ab eo itaque Rege Epiſcopus *Antverpienſis* factus, & à Summo Pontifice confirmatus eſt. Tandem Archiepiſcopus *Mechlinienſis* conſtitutus, Collegium Soc. Jeſu *Lovanii* fundavit, idque libris manuſcriptis, numiſmatibus & antiquitatibus variis *Romæ* congeſtis donavit.

Obiit.

Vitæ tandem curſum abſolvit 26. April. A.C. 1595. æt. 70. Sepultus *Antverpiæ* in Templo primario cum hoc Epitaphio:

Ejus Epitaphium.

LEVINUS TORRENTIUS PATRIA GANDAVENSIS

LITERIS ET LEGATIONIBUS DOMI FORISQUE SPECTATUS, EX ARCHIDIACONO ET LEODICENSIS PRINCIPIS VICARIO GENERALI II ANTVERPIENSIUM EPISCOPUS, III MACHLINENSIUM ARCHIEPISCOPUS DESIGNATUS, COLLEGII SOCIETATIS JESU APUD LOVANIENSES FUNDATOR, AD RERUM STATUS BELGII CONSILIUM ADSCITUS, DUM PRÆCIPITANTEM REMPUB. FRACTUS VIRIBUS ANIMO INFRACTO CONSILIIS SUSTENTO, BRUXELLÆ DECESSI VI. CAL. MAJAS CIƆ IƆ XCV. VIXI ANNOS LXX. M. I. D. XVIII.

Opera typis edidit:

Scripta.

De partu Virginis lib. III. verſu lyrico.
Poemata Sacra. in 4to.
Rerum à D. Paulo geſtarum lib. II. verſu Heroico.
Hymnorum de Puero Jeſu lib. I.
Hymnos II. Divis Stephano & Johanni dictos.
Votum Virgini matri Lauretanæ.
In Natalem Chriſti Elegiam.
De Chriſto in Cruce pendente Elegiam.
De Cruento D. N. Jeſu Chriſti Sacrificio lib. V.
De Bello Turcico, & Victoriâ navali apud Naupactum A. 1572. in 4to.
Odarum lib. II.
Comment. in C. Suetonii Cæſares. in 4to.
Commentar. in Q. Horatii Flacci opera.
Commentariolum ad Legem Juliam & Papiam, de Matrimoniis ordinandis.
De Obſidione Lovanienſi per Martinum Raſſemium.
Apologiam ad B. Arriam Montanum contra Joſephum Scaligerum.
Joh. Chryſoſtomi Homilias aliquot Latinas fecit.

* * *

Caſp. Cunradus Proſopogr. Mill. III. hoc de eo poſuit:

Præfuit hic Præſul, quæ multis præfuit, Urbi
Aonii haud Torrens vena, ſed alma vadi.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

* * *

Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.

Levinus Torrentius, vulgo *van der Becken*, *Gandavenſis*, puer *Lovanii* Philoſophiæ operam dedit, & mox ad Jurisprudentiam animum adjecit, tempore *Mart. Raſſemii Geldro-Gallici* exercitûs Ducis, qui obſidionem illam ſpectavit *Lovanii*. Poſt in *Italiam* cum duobus *Juniis*, Patritiis *Antverpienſibus*, profectus eſt.

Colebatur *Romæ* à *Guilielmo Sirleto*, *Carolo Borromeo*, *Ant. Auguſtino*, *Capilupo*, *Gambaro*, *Urſino*, aliiſque.

In *Belgium* reverſus, ob ſingularem doctrinam, opimo apud *Leodicenſes* Sacerdotio donatus, & Archidiaconus *Brabantiæ* creatus eſt. Obitis variis Legationibus, à *Philippo II.* Rege Catholico *Antverpienſibus* Epiſcopus datus.

Antiquitatis Studioſus.

Antiquitatis erat imprimis ſtudioſus. Cum *Romæ* ageret, nummos veteres, ſigna, tabulas, libroſque manuſcriptos magnâ induſtriâ collegit, quæ moriens omnia Soc. Jeſu Clericis legavit.

Vir ſacrâ liberalique doctrinâ ad miraculum usque excultus fuit, ac Lyrici Carminis poſt *Horatium* princeps habitus. Juris quoque antiqui peritus fuit. *Juſtum Lipſium* unicè coluit, cum *Cornelio Prunio*, Senatore *Antverp.* *Bruxellis* deceſſit.

Obiit A.C. 1596.

FRANCISCUS TOLETUS,

Cardinalis.

Philoſophiæ Profeſſor Salmanticæ.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Cordubenſis*, vir fuit doctiſſimus, Philoſophicis & Theologicis literis ornatus. Hic poſtquàm Philoſophiæ Cathedram *Salmanticæ* tenuit, & publicè *Ariſtotelem* interpretatus eſt, A.C. 1558. ſæculo nuntium remiſit, & in Novitiorum Societ. Jeſu domum *Simancam* commigravit, ubi probatus eſt, & ad normam Religionis formatus.

Societ. Jeſu deditus.

Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſor Romæ.

Exindè *Romam* venit, & in Collegio *Romano* per multos annos docuit: primùm quidem diſciplinam *Ariſtotelicam*, deinde *D. Thomæ* Theologiam, tùm varias & implexas de Moribus quæſtiones magnâ ſapientiæ opinione explicavit.

Concionator in S. Palatio.

Poſtremò à *Pio V.* Pontifice Maximo A.C. 1569. accerſitus eſt, ut in Sacro Palatio Concionatoris munus obiret, quod tantâ cum laude præſtitit, ut per totos 24 annos apud *Pium* ipſum *V. Gregorium XIII. Sixtum V.* reliquoſque ſuccedentes Pontifices in Apoſtolico Palatio, maximo Cardinalium, Prælatorum, Oratorum, aliorumque virorum clarorum concurſu verba fecerit, & auditorum animos in admirationem adduxerit, non ullâ verborum elegantiâ, ſed ſententiarum gravitate, reconditæ doctrinæ excellentiâ, ordinis diſpoſitione, ingenii perſpicuitate ac magnitudine. Quo etiam tempore Pœnitentiariæ, ſive Caſuum Con-

Conſiliarius Pœnitentiariæ, & Inquiſitionis.

Conſcientiæ Prætorii, & Inquiſitionis Conſiliarius fuit.

In *Poloniam* & *Germaniam* tum ſuperiorem tum inferiorem miſſus à Sede Apoſtolicâ, cauſas publicas Eccleſiaſticas feliciter transegit.

Demùm A. C. 1593. magno mœrore Societatis ſuæ, extimeſcentis, ne aliis hoc exemplo feneſtra aperiretur ad ambitionem, à Pontifice Maximo *Clemente VIII.* in Sacrum Rom. Eccleſ. Cardinalium Collegium cooptatus, & ad ſummum gratiæ faſtigium evectus, triennium tantùm ſupervixit, & *Romæ* 14. Sept. A. C. 1596. vitâ deceſſit.

Cardinalis creatus. *Obiit.*

Ejus Scripta.

Scripſit, antequàm Cardinalis eſſet:
Introductionem ad Logicam.
In Logicam Ariſtotelis.
In 8. Lib. Phyſicorum.
In lib. de Generatione & Corruptione.
In Lib. de animâ.
In Evangelium D. Joannis Comment.

Poſt ejus obitum in lucem exierunt:
Comment. in 12. Capita Evangelii S. Lucæ.
In Epiſtolam ad Romanos.
Summa Caſuum Conſcientiæ.
Sermones XV. in Pſalmum 31. & in duo Epiſtolæ ad Romanos loca.

Reliquit præterea *Concionum Tomos* aliquot, ſed impolitos, & quibus extrema deeſt manus.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

* * *

Romæ in Templo *S. Mariæ Majoris* hoc Epitaphium ejus legitur:

Epitaphium.

D. O. M.

FRANCISCO TOLETO CORDUBENSI, S.R.E. PRES. CARD. QUI DOCTRINA, PRUDENTIA, SACRA ELOQUENTIA, MERITIS, SUMMORUM PONTIFICUM GRATIA, AD EXTREMUM PURPURA CLEMENTIS VIII. BENEFICIO CLARUIT. DEIPARÆ VIRGINI APPRIME DEVOTUS. CUI VIVENS OMNEM ANIMUM, MORIENS OMNEM HÆREDITATEM CONSECRAVIT: ET JUGE SACRIFICIUM IN EJUS HONOREM, AMPLO ANNUO CENSU XII SACERDOTIBUS DISTRIBUENDUM DECREVIT. VIXIT ANNOS LXXIII. MENSES XI. DIES X. OBIIT ANNO MDXCVI. DIE XIV. SEPT. HUJUS BASILICÆ CANONICI ET CAPITULUM VIRO AMPLISSIMO ET OPTIME DE SE MERITO POSUERE.

GILBERTUS GENEBRARDUS,

Obiit A.C. 1597.

Archiepiſcopus Aquenſis.

ARvernia, bonis ingeniis regio fœcunda, hunc, præter alios, edidit Sacrati Ordinis eruditum Virum, qui Sanctæ Linguæ Regius apud *Pariſios* interpres, *Hebraicæ antiquitatis arcana* plurima, & ea maximè, quæ ad rationes temporum ſubducendas pertinent, perquiſivit, ac in lucem edidit. Hoc enim ex fonte *Chronologicum* illud *opus* ortum eſt, & alii ſimilis induſtriæ fœtûs maximis ab eo laboribus elucubrati.

Lingua Hebrææ Profeſſor Pariſienſis. *Chronologus.*

Multa ex *Hebræis* & *Græcis* accuratè tranſtulit, multa recognovit, & commentatus eſt. Noviſſimè verò Muſarum penetralia ingreſſus, amatorium *Salomonis* Latinè tentavit *Poëma*, molle illud quidem ac tenerum, ſed pium, quo Servatoris puriſſimos in Eccleſiam ſuam amores intelligi ſapientiſſimi homines tradidère.

His ſtudiis inſeneſcentem partâque eruditionis opinione celebrem Pontifex *Gregorius XIII. Aquenſi* Archiepiſcopatu donavit. Fato functus eſt *Semuri Burgundionum*, quo in oppido non ignobile Sacerdotium poſſidebat, A. C. 1597. ætatis circiter 60.

Archiepiſcopus Aquenſis. *Obiit.*

Scripſit
Chronographiam doctorum Virorum, qui ante natalem Chriſti vixerunt. Hanc à nato Chriſto diligenter continuavit Arnoldus Pontacus.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scevolæ Sammarthani.*

* * *

Profeſſione *Benedictinus*, initio regni *Henrici IV.* non interveniente Regii nominis autoritate, *Aquenſis* Archiepiſcopus creatus, dignitate eâ rebus per pacem ordinatis ſtatim exutus eſt. In cauſâ Regni & Scriptis ſuis iniquior & acerbior fuit, & vitâ quàm ſtylo temperantior creditus eſt. *Thuan. lib.* 119.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

GABRIEL PALÆOTUS,

Obiit A.C. 1597.

Cardinalis.

PAtriâ *Bononienſis*, Juris Civilis ſcientiâ ac Theologicis ſtudiis, ſanctimoniâ vitæ & morum gravitate inſignis: tandem poſt omnes Aulæ *Romanæ* honores inoffenſâ famâ decurſos, in Collegium Cardinalium à Summo Pontifice *Pio IV.* cooptatus eſt.

Omnes Aulæ Romanæ honores decurrit. *Cardinalis.*

Poſt *Sixti V.* mortem, paulùm abfuit, quin ſupremum Sacri Ordinis Magiſtratum conſecutus fuerit; Scriptis etiam in illâ fortunâ editis ad poſteritatem egregium nomen promeritus, ad meliorem vitam migravit *Romæ* M. Sextili, A. C. 1597. ætatis 75. *Thuan. lib.* 119.

Obiit.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

JOHANNES SARRACENUS,

Obiit A.C. 1598.

Archiepiſcopus Cameracenſis.

A*Trebas* Cœnobii *Vedaſtini* Antiſtes, & *Philippo II. Hiſpan.* Regi à Conſiliis, in ſui ſanctioris *Status Belgici* intimo Senatu, demùm creatus Archiepiſcopus *Cameracenſis*, Literatorum hominum Mecœnas munificus, cui ſucceſſit *Guil. Grimbergius.*

Conſiliarius Hiſp. *Archiepiſcopus Cameracenſis.*

Vitâ deceſſit *Bruxellis* A. C. 1598. æt. 63. *Obiit.*

mitræ 20. Inteſtina ibidem ſepulta, Corpus in *Vedaſtino* Cœnobio, Cor autem apud Capuccinos *Atrebati*, quorum fundator fuit.

Ejus Epitaphium. *Gulielmus Gazæus* hoc illi Epitaphium ſcripſit:

JOHANNES SARRACENUS ATREBAS, NOBILI VEDASTINORUM COENOBIO SUB D. BENEDICTI CLIENTELA DEO DICATUS, DECURSO PHILOSOPHIÆ STUDIO THEOLOGICAM LAUREAM ADEPTUS, APUD SUOS PRÆLECTIONUM THEOLOGIC. ELEGANTIA, APUD CIVES CONCIONUM VERE CHRISTIANAR. FACUNDIA, APUD OMNES RERUM AGENDARUM PRUDENTIA NOTUS. ARTHESIÆ ORDINIBUS PRÆFICITUR, SEDANDIS PATRIÆ TUMULTIBUS GNAVITER INCUMBIT. BINA LEGATIONE, ALTERA AD DUCEM PARMENSEM BELGII GUBERNATOREM, ALTERA AD REGEM CATHOL. PHILIPP. II. IN HISPANIAM CIVIUM SUORUM FIDEM TESTATUS VEDASTINAM MITRAM EMERUIT. AUCTAM FASCIBUS TRIBUNALIS ARTHESIÆ, SIMULQUE SUPREMI SENATUS BELGICI, DEMUM ILLUSTRISS. ADORNATUS PALLIO METROPOLITANÆ CAMERACENS. ECCLESIÆ, GREGI REGENDO INVIGILAT, ET DUM BRUXELLAS PRINCIPEM SUUM SERENISS. ALBERTUM AUSTRIUM VISIT, AD REGALEM COELI CURIAM ACCITUR A. C. M D XCVIII.

Theologiæ Doctor & Profeſſor. Concionator.

Scripta. *Orationes complures*, ſive *Conciones diſertas* ſcripſit & pronuntiavit.

Leges & Statuta ſuæ Diœceſis obſervanda evulgavit.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

SIMON MALLIUS BREZÆUS,

Archiepiſcopus Turonenſis.

Obiit A.C. 1598.

HUnc *Andino* ex agro nobilibus ortum natalibus & opibus affluentem ornabat etiam morum candor, pietas, & literarum amor, quibus & meritis Archiepiſcopus *Turonum* à Rege dictus eſt, & cum ſe *Carolo* Cardinali *Lotharingo* in clientelam dediſſet, hoc Duce profectus in *Italiam*, inter alios *Europæ* Præſules, in *Synodo Tridentinâ* clariſſimus emicuit.

Archiepiſcopus Turonenſis. *Fuit in Synodo Tridentinâ.*

Sed maturè ceſſit Aulâ vir quietioris vitæ cupidus, ac in *Brezæo* ſuæ gentis amœniſſimo prædio ſedem ſtudiis & commentationibus opportunam delegit. Habitabat in eâ domus parte, quam ſuis ipſe ſumtibus ædificaverat, opere quidem egregio & eleganti, ſed infirmiore poſitam ſolo, quæ cum à fundamentis convulſa de nocte repentè concidiſſet, fatalique ruinâ domeſticos propè omnes oppreſſiſſet, ſolus inter effoſſa ſuorum cadavera illæſus & incolumis repertus eſt, ut optimum Præſulem, numinis Divini providentiâ, in rem Chriſtianam ſervatum fuiſſe pii omnes crederent, nec ſine magno ſtupore lætarentur.

In domûs ſuæ ruinâ miraculosè conſervatur.

Vixit inde ad 82. annum, quamvis articulari morbo diſtortus, nec ante obiit, quàm confecto *Hiſpanicæ* conjurationis inteſtino bello, jucundiſſima tandem *Galliæ* pax arrideret A. C. 1598. *Obiit.*

Succeſſorem in munere habuit *Franciſcum Guelleum*, qui Themidis quoque pius Antiſtes in Senatoriâ dignitate jam anteà præclarum ſui ſpecimen ediderat.

In receſſu ſuo *Brezæano* conſcripſit *Conciones 24. ſelectas ex D. Baſilio*, quas puriſſimè fecit Latinas, & Cardinali ſuo *Carolo Lotharingico* dedicavit. *Ejus Scripta.*

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

GARSIAS LOAISA,

Archiepiſcopus Toletanus.

Obiit A.C. 1599.

IN Sacræ Hiſtoriæ veritate indagandâ admodùm diligens, & *Conciliorum Hiſpaniæ* collectione editâ, magnam inter ſuos laudem conſecutus eſt, &, ut pueritiæ Regis *Philippi III.* erudiendæ apponeretur, ob id promeritus. *Hiſtoricus.* *Philippi III. Reg. Hiſp. præceptor.*

Obiit A. C. 1599.

* *Ex Elogiis Thuanæis Viror. doctor. C. B.*

* * *

Nobili genere natus Theologus *Complutenſis*, poſt *Toletanus* Canonicus, & Archidiaconus *Guadalfaiarenſis*. Hinc à *Philippo II.* Hiſpaniarum Regè Catholico ſtudiis *Philippi III.* filii & Regnorum hæredis præfectus munus egregiè obivit, collegitque *Concilia* omnia *Hiſpaniæ*, in his *Toletana XVII.* *notiſque eruditis Madriti* illuſtravit. Pòſt Archiepiſcopus *Toletanus* virtutis ergò poſt *Albertum Auſtrium* creatus, *hominum* eſt *delicium*, ob amabiles mores, appellatus. Sed brevi vitâ decedens, magnum ſui reliquit deſiderium *Compluti* 22. Febr. A C 1599. ætatis 65. Mœrore, dum ex Aulâ triſtis ſeceſſit, ut creditur, exſtinctus. *Theologus.* *Archiepiſcopus Toletanus.* *Obiit.*

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum Auctorum.*

JOHANNES DEMETRIUS SOLICOVIUS,

Archiepiſcopus Leopol.

Obiit A.C. 1603.

IN Palatinatu *Siradienſi* Regni *Poloniæ* natus ex equeſtri familiâ, ſed tenuis ſortis Parentibus, primos annos Philoſophiæ ſtudiis dedit in Academiâ *Cracovienſi*, uſus Præceptore *Gregorio Samboritano*, qui *Eclogas* ſcripſit. Archiepiſcopus *Leopoli*, Urbe *Ruſſiæ*, factus, & *Vacbocenſis* per 20. annos præfuit, ac Abbatiæ *Sieciechovienſis* perpetuus Adminiſtrator fuit. *Philoſ. ſtud. Gracoviæ.* *Archiepiſcopus Leopol.*

Theologus integritate vitæ conſpicuus, omnes actiones ſuas ad DEI gloriam direxit. Fundator primus fuit Fraternitatis *S. Annæ* in *Poloniâ*, & Monaſterii Sororum ſub Regula *S. Benedicti*, *Leopoli* degentium. *Fundator Fraternit. S. Annæ.*

Ibidem Societatis Jeſu Patres introduxit, &

& erga pauperes Studioſos, præſertim *Cracovienſes*, liberalitatem exercuit.

Liberalitas erga pauperes ſingularis remunerata. Ferunt de illo, quòd pauperi aliquando importunè eleemoſynam petenti annulum, quo ſecretiores literas obſignabat, non habens aliud quod largiri poſſet, dederit: cum verò poſt menſes aliquot, ſcribens ad amicū, Sigillum in arculâ ſolitâ quæreret, annulum, quem pauperi dederat, inopinatò conſpiciens, attonitus in faciem procidit, Deum glorificans, & exindè ad largiendum promptior fuit.

Legatus 24. vicibus. Patriæ ſuæ nomine 24. Legationes ad varios Magnates cum laude obivit.

Contemplationibus intentus divinis, & otium abhorrens, etiam dum iter faceret, lectione Græcorum & Latinorum Scriptorum ſubindè delectatus obiit, & in Templo S. Trinitatis *Leopoli* ſepultus eſt A.C. 1603.

Nicolaus Zoravius hoc ei ſcripſit Epigramma.

Veni, vidi, hoſtes vici ſemel ore ſuperbo
Cæſar protulerat, magna Trophæa crepans.
Legatus vicibus viginti quattuor idem,
O Solicovi, tu reſonare potes.

Juſtus Lipſius, Cenſor eruditorum gravis, eum magnoperè laudavit, qui ſequentia monumenta ingenii reliquit:

Ejus Scripta. *Meditationes* ſeu *Explicationes ſuper Pſalmum 67. Exſurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus.*

Faſtorum *Chriſtianorum Libellum.*

Lutheri Triumphum, contra Thraſonicum ejuſdem Triumphum à Lutherano quodam confectum.

Pruſſiam Ducalem, ejusque ſub Auguſto Rege tumultum.

In obitum Regis Auguſti Orationem & Panegyrin ad Gallos atque Sarmatas, quæ ſub nomine Probi Viri annectitur *Annalibus Cromeri.*

Scripſit præterea nondum typis edita:

Expoſitionem ſuper Evangelia, Pſalmos, Epiſtolas, & Hymnos per annum decantari ſolitos.

Meditationes quotidianas.

Juris Livonici Lib. II.

Livonicæ Provinciæ Topographiam.

Familiares Epiſtolas in Cœnobio Vachocenſi aſſervatas.

* *Ex Elogiis centum Scriptorum Poloniæ Simonis Starovolscii.*

Obiit A.C. 1603.

SYLVIUS ANTONIANUS,

Cardinalis.

ORigine *Neapolitanus*, *Romæ* natus eſt ult. die A. C. 1540. Patre *Matthæo*, Matre *Pace Colella Romanâ*. Puer felicis ingenii & memoriæ ſingularis præ cœteris diſciplinis Poëſi Italicæ mentem applicuit, & anno æt. 11. verſus componere cœpit.

Poëta anno æt. 11.

Ideò Dux *Hercules Eſtenſis*, *Romæ* tunc præſens, puerum hunc admirabilem deduxit *Ferrariam*, eique Literarum humaniorum Lecturam in Academiâ diebus feſtis 16 vix annos tum nato contulit, cujus Lectiones Studioſi magnâ frequentiâ accedentes, exceperunt. In eâdem Univerſitate Philoſophiam & Jura didicit, in quibus Gradum Doctoralem aſſumpſit.

Profeſſor literarum humaniorum anno æt. 16. *Juris Doctor.*

Poſt obitum Ducis *Herculis*, *Romam* reverſum Papa *Pius IV.* in Aulam ſuſcepit, & Cardinali *Carolo Borromæo* Secretarium adjunxit, cum quo poſteà in Archiepiſcopum electo *Mediolanum* venit.

Secretarius Collegii Cardinalium. Factus deinde Secretarius Collegii Cardinalium, in eo munere 24 annis perſeveravit. *Sixtus V.* Secretarium S. Congregationis ſuper Epiſcopos & Regulares conſtituit. *Gregorius XIV.* Epiſcopatum ipſi *Papienſem* obtulit, quem recuſavit. Apud *Clementem* præterea *VIII.* Magiſter Cameræ fuit, Secretarius Brevium, Canonicus *S. Petri*, & denique Cardinalis. *Cardinalis.*

Obiit. Morbo tandem lethali oppreſſum *Clemens VIII.* inviſit, & amplexus eſt, paulò pòſt morte placidâ exſpiravit A. C. 1603. ætatis 63. Mortuus in Sacello Templi *S. Mariæ Vallicellæ* ſepulturæ mandatus eſt, cum hâc Inſcriptione dudum ante ab ipſomet factâ:

Ejus Epitaphium. SILVIUS ANTONIANUS PRESBYTER ROMANUS SACELLUM ORNAVIT, LOCUM SEPULTURÆ DELEGIT ANNO DOMINI M D LXX.

Anno poſteà 1601. hanc adjunxit Inſcriptionem:

SILVIUS ANTONIANUS S. R. E. PRESB. CARD. SACELLUM TRANSLATUM DECENTIUS ORNAVIT A. S. M DCI.

Edidit:

Ejus Scripta. *Orationem, quam Ferrariæ habuit penè puer, Horatii Odas interpretaturus.*

Orationem, cum aperiretur Gymnaſium in Feſto S. Lucæ Ferrariæ.

De laude Eloquentiæ, cum Milonianam aggrederetur Ferrariæ.

In funere Henrici Valeſii Gallor. Regis Ferrariæ habitam.

De Cognitionis & Eloquentiæ laudibus in Gymnaſio Romano ad Cardinales, qui frequentes advenerant.

Præfationem ad Rhethoricam Ariſtotelis.

Orationem in diem feſtum S. Stephani.

In obitu Imp. Ferdinandi.

In fœdere Helvetiorum.

In die feſto omnium Sanctorum.

In die Pentecoſtes.

In Exequiis Pii IV. Pontificis Maximi.

De navali victoriâ ad Sinum Corinthiacum contra Turcas, ad Pium V. & S.R.E. Cardinales.

Della Chriſtiana Educazione de' funciulli.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C. 1603.

STANISLAUS KARNCOVIUS,

Archiepiſcopus Gneſnenſis.

VIr multiplici præditus eruditione, imprimis Juris Pontificii cognitione, in Epiſcopatu *Uladislavienſi* conſtitutus poſt

Epiſcopus Uladislavienſis.

Digitized by Google

poſt *Jacobum Uchanitium*, labantem illam Diœceſin à fundamentis erexit, Templa innovavit & ornavit, & dignitatibus Clerum auxit, Scholas etiam, ubi ſacris juvenes initiandi educarentur, inſtituit, aſſignatis in alimentum eorum de menſâ ſuâ reditibus annuis. Cumque vir in Politicis rebus prudens & benè verſatus eſſet, multos ſibi à Republicâ impoſitos labores, multasque Legationes ſtrenuè peregit.

Archiepiſcopus Gnesnenſis. Cum Regem *Stephanum* ſolus & promulgâſſet electum, & inaugurâſſet exceptum, præter morem avitum, & voluntatem diſſentientis tum ab electione Archiepiſcopi *Gnesnenſis*, qui ipſe hanc in rem jus & autoritatem habet, ideò iſte, poſt diſceſſum diſcordantis, in Archiepiſcopum *Gnesnenſem* promotus, meruit etiam Regem *Poloniæ Sigismundum III.* inungere, *Stephano* è rebus humanis ſublato.

Eccleſiæ Paſtor verus. Hâc igitur in ſpeculâ locatus, verbo & exemplo gregem ſuum verus Paſtor pavit, Sacris etiam tam ſanctè vir pius quotidiè operabatur, ut lachrymas inter ſacra frequenter effunderet, & eas aliis excuteret. Erat enim nomen ipſius propter ſummam virtutem & eruditionem tum apud ſuos, tum apud exteros ſummum, eoque magis inclareſcebat indies, quò magis ad doctrinæ ſingularem opinionem vitæ perpetuam innocentiam adjungeret.

Collegium Jeſuit. condidit. Liberalis in egenos fuit, & Collegium Patrum Societatis Jeſu ſumptu operoſo *Caliſſii* extruxit, Scholasque varias *Gneſnæ*, *Uladislaviæ* & *Caliſſii* inſtituit.

Cum vixiſſet annos 78. & dies 29 & ſediſſet in Archiepiſcopatu *Gnesnenſi* ann. 21. & menſ. 4. obiit *Lovicii* 6. Id. Junii A. C. 1603. *Caliſſii* in Templo Soc. Jeſu ſepultus. *Obiit.*

Ejus Scripta. Edidit

Conſtitutiones Synodales Diœceſanas, cum Catecheſi in linguâ vernaculâ.

Libr. Epiſtolarum familiarium.

Sermones ad Parochos.

Panegyricos nonnullos, & libr. de Jure Provinciali terrarum Civitatumque Pruſſiæ.

Hiſtoriam Interregni poſt diſceſſum è Poloniâ Henrici Andegavenſis, & *Orationem* longè diſertiſſimam, *qua eum adventantem in Regnum exceperat.*

Orationem aliam in *Comitiis Varſovienſibus & Senatu habitam*, quâ explicantur *Acta Legationis Gedanenſis.*

De Eccleſiâ utrâque Libellum.

Libellum de Euchariſtiâ, linguâ nativâ.

* *Ex Elogiis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolscii.*

Obiit A.C. 1604.

JOHANNES ADAMUS,

Archiepiſcopus Moguntinus.

Patre natus eſt *D. Philippo*, è nobili *Bickiorum* familiâ, & matre *Anna*, è *Brendeliorum* ſtemmate.

Literis imbuitur puer. Ut ſancto Dei timore, verâ religione, iisque literis, quibus ad humanitatem conformantur animi, erudiretur puer, ſedulam dedit bonus parens operam, & ipſe inprimis Avunculus ejus *Daniel Brendel*, Archiepiſcopus, maximè quòd Eccleſiaſtico eum ſtatui conſecraſſent. Ille vero *Moguntinos* ſui filii Præceptores ſæpè alloquebatur, deque profectu filii ſui rogabat.

Moguntiâ Herbipolin miſſus, in Rhethorica eloquentiæ ſtudia naviter incubuit, eamque tùm bonam præ ſe indolem ferebat, ut magna de eo augurarentur non pauci. *Philoſophiæ Studioſus.*

Moguntiam reverſus, Philoſophiæ iniit ſtudia. In *Galliam* deinde miſſus & *Italiam*, perrexit porrò diſciplinis aliis animum exornare, utilesque gentium illarum linguas addiſcere, quibus etiam pòſt, & *Gallicâ* præſertim delectabatur. *Plurium linguarum peritus.*

Studiis, exteriſque peregrinationibus confectis, ad Metropolitanam, in quâ Canonicatum gerebat, Eccleſiam reverſus, brevi tempore ſic ſe ampliſſimo hujus Collegio probavit, ut ad Scholaſtici dignitatem A. 1595. menſe Septembri evectus ſit; In quâ & ad Legationes, Conſilia, & alia plurimùm ejus opera uſus eſt *Wolphgangus*, Archiepiſcopus *Moguntinus*, quo fatis functo A. 1601. die XV. Maji in Archiepiſcopum *Moguntinum* electus eſt anno ipſius ætatis 36. *Canonicus.* *Legationes obit.*

A. 1602. promulgavit *Moguntiæ* peccatorum ſeu pœnarum Indulgentiam. *Indulgentiam promulgat.*

A. 1603. Plures ab iſto Sagæ combuſtæ ſunt mulierculæ; ſummaque ſe curâ Proteſtantibus oppoſuit. *Adverſarius Proteſtant.*

Aſchaffenburgi tandem variis jam morborum tentationibus fractus A. 1604. 10. Jan. animam efflavit, dieque 22. hujus menſis *Moguntiam* revectus, inque ſummi templi parte ultima, quæ chorus ferreus appellatur, ſepultus eſt. *Obiit.*

Uterque annus, & dignitatis Archiepiſcopalis, & Mortis, hiſce verſibus indicatur:

Sicut ADaM à BICken benè nomine denotat annum
Infulæ: ad exequias nomen ita omen habet.
Nam IoannIs ADaMI à BICken nomina ritè
Si dirimas, obitus ſigna, notasq; gerunt.

* *Ex Nicolai Serarii de rebus Mogunt. tractatu.*

Obiit A.C. 1604.

ARNOLDUS OSSATUS,

Cardinalis.

Obſcuris adeò natalibus ortus eſt, ut cognatos & affines prorſus ignoraverit, & pauperes ac domeſticos, nullos præterea hæredes, habuerit. Sed donis ingenii, doctrinâ, pietate, morum probitate, & inſitâ prudentiâ à Deo largiſſimè cumulatus, facilè natalium defectum ſupplevit, ut *Romæ* A. C. 1598. Cardinalis creatus, cœteros omnes natalium ſplendore & aliis fortunæ præſidiis illuſtres æquaverit, pleroſque ſuperaverit, æquabili irreprehenſibilis vitæ tenore omnium amorem & admiratio- *Cardinalis.*

Digitized by Google

Obiit.

rationem promeritus. Obiit Romæ A. C. 1604. æt. 68.

* *Ex Elogiis Thuaneis Viror. doctor. C. B.*

* * *

Jacobi Carpentarii Adverſarius. *Cum Paulo Foxio Romam ivit.* *Domeſticus Card. Hippol. Ateſtini.*

Arnoldus Oſſatus, pago juxta *Auguſtam Auſciorum* ignobili, in tenui re natus, cum ad probos mores, & ſummum animi candorem raram Philoſophiæ, Mathematicarum artium, & Juris prudentiæ cognitionem adjeciſſet, initio in Scholâ *Ramæâ* educatus, (ubi acerrimas contra *Jacobum Carpentarium* contentiones exercuit, *Theſſali* nomine ab ipſo ſcriptis editis exagitatus,) ac poſtea in foro *Pariſienſi* aliquandiu verſatus, foro relicto, in familiam Viri Clariſſimi *Pauli Foxii*, ut ei â ſtudiis privatis eſſet, tranſiit, cum eoque ſemel atque iterum *Romam* profectus, â pulvere literario ab eo ad ſeria evectus, parem ſe negotiis præbuit, & mortuo *Romæ Foxio*, â Cardinale *Hippolyto Ateſtino* inter domeſticos allectus eſt, ubi per Legatorum Regiorum abſentiam *Gallica* negotia aliquoties procuravit, quod tantâ fide, moderatione, ac prudentiâ fecit, ut in aulâ *Romanâ* ejus integritas, ac in negotiis explicandis ſolertia â cunctis, etiam iis, qui *Gallico* nomini minùs æqui erant, ubique prædicaretur.

Cardin. Franc. Jouſæ inſervivit. *Cardinalis factus.*

Poſt *Ateſtini* mortem, *Franciſco Jouſæ* Cardinali, cui negotiorum *Gallicorum* patrocinium ab *Henrico III.* Rege attributum erat, juſſu Regis *Henrici IV.* operam navavit, & tandem in eodem æquabili vitæ tenore perſeverans meruit, ut inſperatâ Cardinalis dignitate, non ambitioſis prenſationibus quæſitâ, ſed virtuti ſuæ debitâ, Regis commendatione fuerit ornatus.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

Obiit A.C. 1604.

JOHANNES WITGIFTUS,

Archiepiſcopus Cantuarienſis.

HEnrici *Witgifti*, mercatoris in agro *Lincolnienſi* filius natu maximus, vivendi fecit initium A. C. 1530. Patruum habuit *Robertum Witgiftum*, monaſterii *Wollowenſis* in Comitatu *Lincolniæ* Abbatem, â quo in pueritiâ eruditus, & in Scholam *Londinenſem* miſſus eſt.

A. 1555. *Cantabrigiæ* cooptatus inter Socios Domus *Petri*, per Gradus Baccalaurei, Magiſtri Artium, & Baccalaurei Theologici ad Doctoratum aſcendit. Deinde *Doctori Hutteno* in Magiſterio Aulæ *Pembrochtianæ* ſucceſſit, factus tandem Theol. Profeſſor Regius.

Theol. Prof. Regius.

A. 1567. Regina *Eliſabetha* illum Collegio S. Trinitatis, & juramento impoſito inter ſuos Sacellanos annumeravit. Deinde adſcivit eum ad Decanatum *Lincolniæ*.

Epiſcopus Wigornienſis. Archiepiſcopus Cantuarienſis.

A. 1577. Factus eſt Epiſcopus *Wigornienſis*, & anno ſeq. Propræſes *Walliæ*. A. 1583. ſtatim ab obitu *Grindalli* Regina adſcivit eum ad Archiepiſcopatum *Cantuarienſem*, & brevi poſt in Sacrum Conſiliorum ſuorum Senatum retulit: adeò enim illi favit, ut *Nigri* ſui *Mariti* nomine dignaretur eum.

Conſiliarius Regius.

A. 1603. *Eliſabethæ* Reginæ *Angliæ* morienti Conſolationibus divinis præſtò fuit, cum enim propter melancholiam colloquii impatiens eſſet, monitis tamen hujus Viri ſalutaribus benevolas præbuit aures. Mortuâ *Reginâ*, Succeſſorem Regem *Jacobum* inunxit.

Fundat Ptochotrophium.

Fundavit Ptochotrophium pulcherrimum *Croidomſæ*, in quo Cuſtos & 28. Fratres ac Sorores aluntur, cui adjunxit Scholam liberam, illa verò loca in perpetuum liberali donavit ſtipendio.

Obiit tandem 28. Febr. A. C. 1604. æt. 73. *Obiit.*

* *Ex Heroologiâ Anglicâ.*

Obiit A.C. 1605.

AUGUSTINUS d' AVILA,

Archiepiſcopus Inſulæ S. Dominici.

NAtione *Hiſpanus*, Ordinis *S. Dominici*, Theologus vitæ exemplaris & exquiſitæ fuit facundiæ, nulli ſuo tempore ſecundus. Ideò Rex *Philippus II.* Concionatorem eum ſibi delegit, & *Inſulæ S. Dominici* Archiepiſcopum conſtituit, confirmante Summo Pontif. *Clemente VIII.*

Concionator aulicus Philippi II. Regis Hiſp. Archiepiſcopus Inſulæ S. Dominici.

Obiit Ordinis hoc *Dominicani* lumen A. C. 1605.

Ejus Scriptum.

Edidit inter alia Opera *Hiſtoriam Provinciæ S. Jacobi de Meſſico.*

* *Ex Theatri Italici Virorum doctorum Girolami Ghilini Volum. I.*

Obiit A.C. 1606.

REGINALDUS BELNENSIS,

Archiepiſcopus Bituricenſis.

FUit *Jacobi*, injurioſè olim â *Franciſco I.* Rege, ut imperioſæ matri mos gereretur, damnati & morte affecti nepos, egregiè â puero literis Græcis & Latinis inſtitutus ſub *Jacobo Tuſano* & *Jac. Stracelio*, tantumque memoriâ & judicio valuit, ut quæ in illâ ætate ex Poëtis Græcis & Latinis, aliisque bonæ notæ Scriptoribus didicerat, quamvis maximis negotiis â cogitatione harum rerum avocaretur, ea, cum occaſio ſe offerebat, fideliter recitaret, & ſermonibus inſtitutis ſcitè accommodaret. Audiverunt illum multi paginam verſuum *Homericorum* integram recitare, quos â 40. annis non legerat.

Memoriâ divinâ præditus.

Senator Pariſienſis. Inquiſitionis Præſes. Libellorum ſupplicum Magiſter. Archiepiſcopus Bituricenſis.

Adoleſcens admodum, Senator primùm *Pariſienſis* allectus, & prolixâ barbâ feſtinatus vir ante annos, Claſſis inquiſitoriæ Præſes, magnâ ſolertiæ famâ, deinde Libellorum ſupplicum Magiſter, & mox *Mimatenſis* Epiſcopus, & tandem Archiepiſcopus *Bituricenſis* creatus eſt.

Partes ſervans Regis Gall. Henrici IV.

Conſtanter Regis *Henrici IV.* partes calamitoſis temporibus tutatus eſt, cum diceret, *Religioni, niſi ſalvâ Republicâ, conſuli non poſſe, ſalvam autem Rempublicam ſervari non poſſe, niſi legitimâ ſucceſſione ſervatâ.*

Erat

Erat in eo ſpecies oris decora, dulcis linguæ facundia, tantaque manſuetudo, ut nunquam iraſceretur, nunquam verbo quenquam læderet.

Quod in eo magis mirandum fuit, quod temperamento ad iram & violentos impetûs natus videretur, quippè tam calido, ut cibo continuo refici neceſſe haberet, eoque copioſo, non ad gulam, ſed ad valetudinis conſervationem, cujus ſemper ille â primâ adoleſcentiâ ſummè diligens fuit. Nam vix 4. horis ſomnum capiebat, quibus exactis Ventriculi aviditate excitabatur. Itaque poſt horam ſecundam matutinam, aut temporiùs ſtatim excitato menſa apponebatur, in quâ ſolus cibum capiebat; indè quieti ſe potius quàm ſomno dabat, & negotia domeſtica plerumque inſpiciebat usque ad horam quartam. Tum ſurgebat, & altera mensa inſtruebatur, in quâ non deerant convivæ jam cunctis excitatis. Sub horam deindè octavam tertiò cibum ſumebat, & indè ad negotia publica ſe accingebat, usque ad prandium, ad quod multos ſemper convivas adhibebat. Merendam dein 4. pòſt horis celebrabat, & cœnam non minus prandio opiparam ſub veſperam inſtruebat, & antequam ad lectum iret, procœnium denique ſumebat.

Septies quotidiè cibum capere ſolitus

Cibum autem ita per otium ſumebat, ut ſumendo integram horam impenderet, & ambulantibus cœnis ſummoperè offenderetur, adeò ut cum ſæpiùs â Principe primario ad prandium invitaretur, & toties ſe excuſaret, quî id faceret? facetè reſponderit, *Illum non humano, ſed canino more cibum uſurpare*, feſtinatas nimis epulas intelligens. Quo intellecto, ille ſe eum non ſolùm lautè, ſed & prolixè accepturum promiſit, & eo invitato ſtructorem monebat, ut miſſibus apponendis ſemper legitimum tempus interponeret.

Inter hæc nunquam commotior aut ſomnolentior viſus, nullâ gravedine aut dolore capitis tentabatur, ſemper æquè ſui compos & ad omnia paratus. Extra negotia quietem & confabulationes ſectabatur, eâdem illâ decorâ facie ad extremam ſenectutem ſervatâ.

Bona ejus corporis habitudo.

In tantâ ciborum, quibus alebatur, copiâ, cum nec membrorum agitatione, nec deambulationibus corpus exerceret, naturam ſucco nimio turgentem medicamentis purgantibus crebrò adjuvabat, quæ, Medicæ rei non ignarus, domi per homines peritos ſibi parabat. Rarò itaque ægrotans optimè meritam de Rege & nomine *Gallico* animam Deo reddidit penè octogenarius A. C. 1606.

Rei Medicæ non ignarus.

Obiit.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

AUGUSTINUS VALERIUS,

Cardinalis.

Obiit A. C. 1606.

NObilis *Venetus*, qui â primâ ætate Philoſophiæ deditus, hanc publicè in Patria docere promeruit. Ob eruditionem vitæ integritati & morum candori conjunctam, factus â Summo Pontifice Epiſcopus *Veronenſis*, exemplar in Eccleſiâ ſuâ fuit Theologi ſinceri, beneficentiâ præſertim erga pauperes celebris, quorum plurimos quotidiè ex reditibus ſuis alere ſolitus eſt.

Epiſcopus Veronenſ.

A Summo Pontifice tandem *Gregorio XIII.* cooptatus in Cardinalium Collegium *Romæ* obiit 24. Maji A. C. 1606. æt. 76. Epiſcopat. 41. *Veronæ* ſepultus.

Cardinalis. *Obiit.*

Libri ab ipſo editi ſunt:

Ejus Scripta.

De perniciosis falsæ Prudentiæ regulis.
De regulâ variæ prudentiæ Orationes.
De vitâ & rebus geſtis S. Caroli Borromei Epiſcopi & Cardinalis.
De rectâ Philoſophandi ratione.
Theſaurus piarum & Chriſtianarum Inſtitutionum.
De Accolitorum diſciplinâ.
Epiſcoporum Veronenſium antiqua monumenta.
Commentarius de Peſte Veronenſi.
Dell' Inſtitutione delle Monache.
Dell' Inſtitutione delle Vergini, delle Maritate, & delle Vedove.
Dialoghi 19. che trattoni de i giorni Canicolari: da lui recitati nella Sala grande di S. Marco in Roma.

* *Ex Theatri Italici Virorum eruditorum Girolami Ghilini Volum. I.*

CÆSAR BARONIUS,

Cardinalis.

Obiit A. C. 1607.

EX urbe *Sorâ* in *Apuliâ*, non procul ab *Arpino*, patriâ *Ciceronis*, emerſit, quem, præter literarum dotes, integritas, humanitas, morum gravitas, Religio, & candor ornârunt, quas virtutes ex intimo *Philippi Nerei Florentini* convictu perfecit, cujus etiam nutu ſacros induit faſces *Romæ* in Patrum, quos Oratorii vocant, Societate.

Convictor Philippi Nerei.

Cardinalis titulo *S. Nerei* & *Achillei* dignitas cum munere Bibliothecarii Sedis Apoſtolicæ illi â S. Pontifice *Clemente VIII.* ſummo ingeniorum æſtimatore, collata, virtuti ejus nunquam ſatis debita fuit.

Cardinalis. Bibliothecar. Rom.

Hanc verò dignitatem omnibus viribus â ſe avertere conatus, Papâ pœnam excommunicationis, niſi pareret, denuntiante, tandem invitus ſuſcepit. Fuit etiam Magnus *Romæ* Eleemoſynarius.

Magnus Eleemoſynarius.

Celſiſſimum quoque *Romani* faſtigii pondus Papatus humeris ejus omine totius Curiæ *Romanæ* deſtinatum incubuiſſet, niſi tranquillitatis ſtudio effuſis ad cœlum votis, (quod ipſe *XII. Annalium teſtatur Volumine*,) propenſum in ſe Cardinalium retardâſſet affectum.

In Patriâ ſuâ Patribus *Capuccinis* exſtruxit Monaſterium. Multis virginibus, monaſteria volentibus ingredi, dotem porrexit; pauperes, & inprimis peregrinos, hoſpitio excepit, aliaque charitatis opera plurima fecit. Quinque tantùm noctis horas ſomno, conte-

Opera Charitatis.

Digitized by Google

cæteras precibus & ſtudiis impendere ſolitus eſt.

Cum in ſenectute lethalem contraxiſſet nauſeam, adeò, ut inſenſibili alimenti portione ſuſtentari videretur, ſeptuageſimum tamen ſuperfuit annum, quo XIImum *Sacræ Hiſtoriæ Librum* ex voto complevit.

Obiit ex ulcere ſtomachi. Fato defunctus eſt *Romæ* ult. die Junii A. C. 1607. In cadavere diſſectoMedici tria ulcera in ore ventriculi invenerunt, unde rebellis ejus nauſeæ ſedatus fuit ſtupor.

Sepultus jacet *Romæ* in Templo Congregationis Oratorii cum hoc Epitaphio, Cardinali *Franciſco Mariæ Tauruſio* communi:

Ejus, & Tauruſii Epitaphium.

D. O. M.

FRANCISCO MARIÆ TAURUSIO POLITIANO, ET CÆSARI BARONIO SORANO, EX CONGREGATIONE ORATORII S.R.E. PRESBB. CARDD. NE CORPORA DISJUNGERENTUR IN MORTE, QUORUM ANIMI DIVINIS VIRTUTIBUS INSIGNES IN VITA CONJUNCTISSIMI FUERUNT, EADEM CONGREGATIO UNUM UTRIQUE MONUMENTUM POSUIT.

TAURUSIUS VIXIT ANNOS LXXXII. MENSES IX. DIES XIV. OBIIT TERTIO ID. JUNII M DC VIII.

BARONIUS VIXIT ANNOS LXVIII. MENSES VIII. OBIIT PRID. CAL. JULII M DC VII.

Scripta. Edidit

Martyrologium Romanum cum figuris æneis.

Vitam S. Ambroſii.

Annalium Eccleſiaſticorum Tomos XII. quos in Epitomen redegit *Henricus Spondanus*, & *Ludovicus Aurelius Peruſinus* in XII. Libellos breviſſimè tranſtulit.

Narrationem Legationis Eccleſiæ Alexandrinæ ad Pontificem Clementem VIII.

Tractatum de Monarchiâ Siciliæ.

Paræneſin ad Remp. Venetam, & Votum contra Remp. Venetam.

Relationes Hiſtoricas duarum Legationum, quarum prima agit de D. Gabrielis Moderni Patriarchæ Alexandrini ad Sedem Apoſtolicam, Secunda de Ruthenorum aliquot mille Eccleſiarum ad eandem Sedem converſione.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Job. Imperialis Phil. & Med. Vicent. & ex Theatro Italico Virorum doctorum Hieronymi Ghilini.*

* * *

Aubertus Miræus de Scriptorib. ſeculi XVI. Baronium vocat verum Hiſtoriæ patrem, & Annalium Eccleſiaſticorum conſummatiſſimum conditorem contra *Matthiam Flacium*, & alios *Magdeburgenſes* Satanicarum Centuriarum, (quæ ſunt mendaciorum plauſtra,) evulgatores.

Verùm dum noſtris, *Miræe*, mendacia tribuis, tuo autem Hiſtoriæ patri veritatem, eo ipſo mendacium mendacio cumulas, utinam enim non penitùs deſeruiſſet *Baronium* veſtrum veritas, quippe qui Eccleſiæ Veteris faciem deſcribit talem, non qualis revera olim fuit, ſed qualem fuiſſe, vel certè qualem hodie eſſe cupiunt Pontificii.

Caſauboni de eo judicium. Audi *Caſaubonum*, qui in *Prolegomenis Exercitationum* ſuarum ſic ait: *Ita ſe geſſit Baronius totis XII. ſuorum Annalium Tomis, ut qui dubitari nollet, præcipuum ſibi ſcopum fuiſſe, Papalem Monarchiam ſtabilire, amplificare, & ad cœlum uſque evehere.* Et in Epiſtolâ dedicatoriâ: *Dolendum eſt, virum ſui ſeculi facilè primarium, in opere tam nobili, communi hodie multorum vitio, partium ſtudio ita licenter indulſiſſe, ut cujus multam lectionem, eruditionem atque induſtriam neque mirari neque prædicare ſatis poſſumus, ejus fidem innumeris in locis vel inviti cogamur deſiderare.*

* *Ex Dialogo de Patriis Viror. Doctor. Job. Andr. Quenſtedt.*

* * *

Jacobus Gretſerus Soc. Jeſu in *lib. de Epiſcopis Eyſtett.* ita de *Baronio* ſcribit: Cum doctiſſimus & celeberrimus hic Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Pater non haberet ubi pedem firmiter figeret, jam hoc, jam illud ex diverſis & contrariis Authoribus in Annales ſuos ſine accuratiori examine tranſtulit. Ejus etiam *Tomus XI. Annalium*, ſed aliâ ex cauſâ, in *Hiſpaniâ* atro notatus calculo venum exponi nequit, edicto Regio dato ad S. Laurentium 3. Octob. A. C. 1610. ut ſcribit *Limnæus Lib. 8. de Jure publico cap. 10.*

HIERONYMUS POVODOVIUS,

Obiit A.C. 1613.

Archipresbyter Cracovienſis.

NObilibus ortus parentibus *Cracoviæ*, domi primùm liberalibus & Philoſophicis diſciplinis imbutus, in *Italiam* ſe contulit, & præter alios Præceptores uſus eſt *Hannibale Roſelio* fratrum Minorum Obſervantiæ Profeſſo, & ad *S. Bernardinum Cracoviæ* ſtudii Regente, cujus in *Mercurium Triſmegiſtum Tomos XIII.* ingenti ſumtu & curâ, additis etiam ſuis præfationibus, in lucem dedit. Eundem imitatus eſt in ſcribendo, diſputando, & explicando obſcuriores Bibliorum Scripturas. *Mercurium Triſmegiſtum edidit.*

Secretarii deinde Regii & Archipresbyteri *Cracovienſis* decoratus titulis, & in aulâ multa negotia ſtrenuè peregit, & in Eccleſiâ, zelo pietatis ductus, libros ad cantum ſpectantes, quos vulgò *Agenda* vocant, juſſu Cardinalis *Radzivilii*, reformavit. Erat enim Canonicus Presbyteratu inſignis, & cui ad eruditionem magnam natura addidit eloquentiam. *Secretarius Regius. Archipresbyter Cracovienſis.*

Celebris etiam nominis Eccleſiaſtes fuit, qui, concionibus ſuis ad movendum aptis, non modò vulgus hominum ad officium compelleret, ſed doctiorum quoque aures mirificè impleret. Chymicæ quoque peritus artis varia ſcripſit opuſcula. *Concionator. Chymicus.*

Senex tandem Naturæ conceſſit *Cracoviæ* A. C. 1613. Conditus eſt in æde *B. Mariæ*

Virginis, quam multo tempore vigili Archipresbyter curâ rexit.

Ejus Scripta. Scripſit & edidit

Catechiſmum Polonicum.

Indicem Bibliorum.

De Sacramento Euchariſtiæ Poſnaniæ invento.

De Sancto Cazimiro.

Precationes annuas.

Sermones in obitum Regis Stephani.

Diſputationes in Smiglenſes Hæreticos, & contra Arianos.

Inſtructionem Confeſſariorum.

Frænum in Hæreticos.

Doctrinam circa agonizantes.

Manuale Sacramentorum.

Sermones de Sacerdotali dignitate.

De Cœnâ Domini.

De Reſurrectione & Chriſtologiâ.

Annotationes ſuper Artem Chymicam.

* *Ex Elogiis centum illuſtr. Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii.*

FRANCISCUS MANTICA. Cardinalis.

Obiit A.C. 1614.

PAtriâ *Utinenſis* natus eſt A. 1534. Patre *Andreâ Manticâ*, & Matre *Fontanâ Fontebonia*. Septennis patre orbatus, ſtudiis primùm humanioribus, deindè Legalibus animum applicuit, ſub diſciplinâ patrui ſui *Johannis Fonteboni* J. C. clariſſimi. Eadem Legum ſtudia *Patavii* & *Bononiæ* feliciter continuavit ſub Profeſſoribus Publicis *Guidone Pancirollo, Hieronymo Torniello, Mariano Socino* juniore, & *Tiberio Deciano*.

Juris Profeſſor Patavii. Cum deindè *Patavii* per triduum Theſes Juridicas publicè defendiſſet, â Studioſis Academiæ electus eſt, qui publicè *Gloſſas Accurſii*, & *Commentaria Bartoli* explicaret, quod munus docendi per biennium magnâ cum laude ſuſtinuit.

Statim verò ac Jurium Doctor fuiſſet promotus, â Republicâ *Venetâ* Lecturam Inſtitutionum Civilium in eâdem Academiâ ſibi delatam aggreſſus eſt, ad Profeſſionem deinde ordinariam manè & veſperi promotus. In hâc Collegas habuit *Jacobum Menochium*, *Marcum Mantuam Benavidium*, *Johannem Cephalum*, & *Tiberium Decianum*.

Auditor Rotæ. Cardinalis. A Summo poſteà Pontifice *Sixto V. Rotæ Romanæ* Auditor, & â *Clemente VIII.* Cardinalis creatus eſt.

Ad meliorem tandem vitam abiit *Romæ* 28. Jan. A.C. 1614. æt. 80. In Sepulchro ejus ad *S. Mariam Populi* hoc legitur Epitaphium:

Ejus Epitaphium.

D. O. M.

FRANCISCUS MANTICA UTINENSIS, QUI OB SUMMUM UTRIUSQUE DOCTRINÆ JURIS SPLENDOREM PARI PRUDENTIA, VIGILANTIA, PROBITATEQUE CONJUNCTUM A CLEMENTE VIII. PONT. MAX. EX SACRI PALATII APOSTOLICI CAUSARUM AUDITORE AD DIGNITATEM AMPLITUDINEMQUE MAJESTATI PONTIFICIÆ PROXIMAM, SACRO PLAUDENTE SENATU, AULA LÆTANTE ROMANA, VENETA GESTIENTE REP. EVECTUS ORBI TERRARUM ILLUXIT. HIC IN SUI ECCLESIA TITULI SITUS EST. VIXIT ANN. LXXX. OBIIT MDCXIV.

GERMANICUS MANTICA EPISCOPUS FAMAUGUSTANUS, FRANCISCUS, & ANDREAS MANTICA PATRUO B. M. POSS.

Scripta. Opera edidit:

De Conjecturis ultimarum voluntatum Lib. XII.

Lucubrationes Vaticanas, ſeu de tacitis & ambiguis Conventionibus Libros XXVII.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

* * *

Franciſcus Mantica Utinenſis, primùm explicavit textum, gloſſam, & *Bartolum*: deinde A. 1560. in ſecundo Inſtitutionum loco, quem *Nicolaus Gratianus* tenuerat, poſitus eſt: poſtea A. 1566. Jus Civile matutinum in tertio explanavit: indè ad ſecundum Juris Civilis veſpertini traductus eſt, eumque A. 1571. tenebat: Anno autem 1582. ſecundum Juris Civilis matutini obtinuit.

A. 1586. Cum â S. P. *Sixto V.* Reip. *Venetæ* facultas data eſſet ponendi Romæ unum de ſuis in numero eorum, quos vocant Rotæ auditores, atque ex publico decreto 4. denominati fuiſſent, de quibus unus ab ipſo Pontifice eligeretur, is cœteris prælatus & electus eſt in locum *Hippolyti Aldobrandini* ad Cardinalatum evecti. A. 1596. ab eodem *Hipp. Aldobrandino* tunc *Clemente VIII.* Pont. Max. factus eſt Cardinalis.

Opus edidit præclarum de Conjecturis ultimarum voluntatum.

* *Ex Gymnaſii Patavini Lib. II. ab Antonio Riccobono editi.*

DOMINICUS TUSCUS, Cardinalis.

Obiit A.C. 1620.

REgii Ducatûs *Mutinenſis* Urbe A.C. 1530. natus, cum, Jurium Studiis deditus, ſummum in iis Doctoris gradum accepiſſet, aliquandiu *Romæ* forenſes cauſas exercens inter primos Aulæ Romanæ JurisConſultos excelluit, & inter Rotæ Romanæ Auditores adſcriptus eſt. A Papâ deindè *Clemente VIII.* in Cardinalium adſcitus Collegium, non tamen deſtitit â dicendis ſententiis & lucubrationibus. *Jurium Doctor. Auditor Rotæ Romanæ. Cardinalis.*

Ad ſummam tandem ætatem corporis bonâ diſpoſitione valens provectus obiit *Romæ* A. C. 1620. æt. 90. Sepultus in Templo *S. Petri de Montorio*, cum hâc brevi inſcriptione:

MDCXX.

Digitized by Google

Ejus Epitaphium.

M DCXX.
DOMINICI
CARD. TUSCI
OSSA.

Libros edidit:

Scripta. *Practicarum Juris Concluſionum in omni foro frequentiorum Opera omnia in VIII. Volumina diſtributa.*

Selecta de Jure Statuum in Imperio Romano, ſive de Regum & Principum tam Eccleſiaſticorum quam ſecularium, nec non Comitum & Civitatum privilegiis, juribus & conſuetudinibus.

* *Ex Theatro Virorum doctorum Italico Hieronymi Ghilini.*

* * *

Cum in conclavi *Pauli V.* à Cardinalium cœtu Pontifex conclamaretur, & ſolus ei *Baronius*, objectâ verborum obſcœnitate, obſtitiſſet, nullum tamen indè turbati animi ſignum præ ſe tulit, teſte *Jac. Phil. Tomaſino in Elogiis Virorum doctorum.*

Obiit A.C. 1620.

MATTHIAS HOVIUS,

Machlinienſium Archiepiſcopus.

MAchlinienſis S. Theol. Licentiatus, primùm ad *S. Petrum* in Patria Paſtor, Sacrique eloquii præco celeberrimus, pòſt Eccleſiæ Metropolitanæ Archidiaconus, & ſede vacante Vicarius generalis: deindè tertius *Machlinienſium* Archiepiſcopus deſignatus & conſecratus A. 1596. annoſque 24. magnâ cum laude præfuit.

Concionator Machlinienſis. Archiepiſcopus Machlin.

A. 1607. tertiam Synodum *Machliniæ* celebravit provincialem, in cujus auſpiciis elegantem Orationem dixit de cauſis Synodi, deque abuſibus Cleri & Eccleſiæ tollendis. Symbolum illi fuit: *Superat Sapientia Fortem.* Ex corporis vinculis, tanquam è carcere, evolavit A. C. 1620.

Ejus Symbolum.

Laudatus pro funere *Machliniæ* à *Jacobo Janſonio* Doct. Theologo, & *Affligemii* à *Laurentio Beyerlinck* Archipresbytero. Conditus in Metropolitanâ hoc Epitaphio:

Epitaphium.

En primus ille Belgii hic ſplendor jacet,
Quem Sacra Martis inter & mortis metus
Variis probatum muniis Pietas huic
(Auſpice Philippo) tertium Archiepiſcopum
Dedit eſſe Cathedræ, deputante Belgicas
Pontifice turmas regere, concilio intimo
Alberto adeſſe Principe, Matthias Hovius.
Suo hic relicto herede Seminario,
VIrtVte fVLgens, DesIt AffLIgeMII.
Kal. Jun. Anno Sal. CIↃ IↃCXX. *æt.* LXXVIII.
Sacerdotii LIV. Archiepiſcopatûs XXV.
* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1621.

ROBERTUS BELLARMINUS,

Cardinalis.

MArcelli Corvini, Summi Pontificis, ex ſorore *Cynthiâ Cervinâ* nepos, *Politiani* vel *Montepultiani*, oppido ditionis *Florentinæ*, ex Parentibus nobilibus natus A.C. 1542. adoleſcens Societati Jeſu nomen dedit. Miſſus deinde *Lovanium*, Theologiam magnâ cum eruditionis famâ per 6. annos docuit. Reverſus poſtmodùm in *Italiam*, varia contra hæreticos opera edidit. A Papa *Sixto V.* Cardinali *Henrico Cajetano*, Legato Apoſtolico, ad Regem *Galliæ* adjunctus eſt.

Societatis Jeſu. Theologiæ Profeſſor Lovanii.

A. 1596. Papa *Clemens VIII.* eum Concionatorem Aulicum, in locum *Franciſci Toleti*, quem paulò antè Cardinalem creaverat, ſibi conſtituit. Ab eodem Pontifice 3. Mart. A. 1598. contra Ordinis ſui decreta & votum initiationis Cardinalis titulo *S. Mariæ* repugnans creatus eſt: & cum poſteà Archiepiſcopi *Capuani* dignitatem ſortitus eſſet, eam tamen, *Romam* revocatus, magno modeſtiæ exemplo ſpontè dimiſit.

Concionator aul. Papæ Clement. VIII. Cardinalis. Archiepiſcopus Capuæ.

Purpurâ donatus, nihil de priſtinâ modeſtiâ mutavit, ſuique ſemper ſimilis in unum Religioſæ vitæ & Sacræ dignitatis munia conjunxit.

26. Nov. A. 1610. Parlamentum *Pariſienſe* librum ipſius *De Poteſtate Summi Pontificis in temporalibus* damnavit, qui tamen liber paulò pòſt Cardinalium conſenſu redditus Eccleſiæ, & ab omni crimine vindicatus eſt.

Erga pauperes ſummè beneficus, nullum mendicum ſine dono dimiſit, & quotidiè præ foribus domûs ſuæ panes diſtribui curavit, dicere ſolitus, *conſpecto mendico, videri ſibi Chriſtum in carne ſe intueri.*

Ejus benignitas erga pauperes ſingularis.

Tertiam redituum ſuorum partem quotannis inter pauperes diſtribuit, per eorum domûs obambulans, ægros in xenodochiis & in carceribus detentos inviſere ſolitus, per alios iisdem munera miſit, ne cauſam haberent ſibi gratias agendi: Secutus in hâc re veterum devotorum Epiſcoporum exemplum, quibus eam ob cauſam ab Eccleſiæ præfectis opes magnæ fuêre concreditæ, ut Templa, Scholas & hoſpitalia pauperibus ſalutaria ſuſtentare poſſent.

Cum aliquando pedis dextri tumore laboranti Medicus ſuaſiſſet, ut tibiale grandius indueret, miniſtro mandavit, ut ex tibialibus ſuis coriaceis unum interſuto corii fruſto dilatari curaret, qui cum reſpondiſſet, tibialia illa, quibus ab 18. jam annis uſus eſſet, reſarciri vix poſſe, perſeveravit tamen in opinione ſuâ.

In camino palatii nullis per hyemem lignis accenſis uſus, pecuniam illam, quâ ligna coëmi debuiſſent, in eleemoſynam transmutavit.

Si fortè mendicum pedibus captum vel paralyticum in plateâ jacentem vidit, hunc ciſio ſuo impoſitum, in xenodochium deduxit, vel lecticâ ſuſceptum in palatio ſuo ſuſtentavit.

Pauperi aliquando 12. ab eo Coronatos flagitanti, cum tantum pecuniæ ſecum non haberet, annulum digito ſuo detractum dedit, utque hunc alicui pignoris loco traderet, juſſit, ſe pecuniam reſtituturum.

Unico tandem equo ciſium ſuum vehente con-

Digitized by Google

contentis, alterum equum vendidit, & pecuniam acceptam inter pauperes diſtribuit.

Ejus obitus. Productâ ſic ad ſenium longum ætate, corporis temperamentum ſanguineum & firmum nactus, febri tandem acutâ correptus, merito Chriſti, non operum ſuorum, innixus vitam finiit 17. Sept. A. C. 1621. æt. 79. Romæ.

Sepultus eſt in Templo Societatis Jeſu cum monumento.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Joh. Imperialis Phil. & Med. Vicent. & ex Libello Italico Jacobi Fuligatti de vitâ Cardinalis Bellarmini: & ex Catalogo Scriptorum Societ. Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Cum mortem ſibi inſtare audiviſſet, dixit: *Buona nova, buona nova, o che buona nova e queſta!* teſte *F. Coſſin. de morte Bellarmini p. 28.*

Scripta. Libri ab ipſo ſcripti ſunt ſequentes:

Tractat. de Indulgentiis, & Jubilæo.
de Poteſtate Summi Pontificis in Temporalibus.
de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

De translatione Imperii Romani â Græcis ad Francos, adverſus Matthiam Flaccium Libri III.

Liturgia Apoſtolica.

In hæreticum carptorem fulminis Xiſti V.

De amiſſione gratiæ & ſtatu peccati Libri VI.

Cenſura Libri Concordiæ.

Princeps Chriſtianus Theo-Politicus, vel de *Officio Principis Chriſtiani.*

Judicium de Concordiâ Lutheranorum.

Inſtitutiones Linguæ Hebraicæ.

Chronologia brevis ab Orbe condito, usque ad A. C. 1613.

Opuſcula de æternâ felicitate Sanctorum.
de gemitu Columbæ, ſive de bono lachrymarum.
de Aſcenſione mentis ad DEUM.
de 7. Verbis Jeſu Chriſti in Cruce prolatis.
de arte benè moriendi.

Declaratio Symboli Apoſtolorum.

Catechiſmus Italicè.

Reſponſio ad Regem Magnæ Britanniæ de Juramento Fidelitatis, & de Antichriſto.

Reſponſio ad Doctorem Theologum, de Cenſuris adverſus Venetos, & ad Tractatum Joh. Gerſonis de Excommunicatione.

Reſponſio ad VII. Theologos Venetos.

De Controverſiis Chriſtianæ fidei adverſus ſui temporis hæreticos, opus omnibus numeris abſolutum in 3. *Tomos* diſtinctum & 64. Libris comprehenſum, cujus generalis operis diviſio hæc eſt:

Tomus primus in VII. generales controverſias diviſus:

De verbo DEI ſcripto & non ſcripto Lib. IV.
De Chriſto Capite totius Eccleſiæ Lib. V.
De Summo Pontifice capite militantis Eccleſiæ Lib. V.
De Eccleſiâ cum in Conciliis congregatâ, tum per orbem terræ ſparſâ Lib. IV.
De membris Eccleſiæ militantis, Clericis, Monachis, Laicis Lib. III.
De Eccleſiâ, quæ eſt in Purgatorio Lib. II.
De Eccleſiâ, quæ triumphat in cœlis Lib. III.

Tomus II. in quinque Controverſias generales diviſus:

De Sacramento in genere Lib. II.
De Baptiſmo & Confirmatione Lib. II.
De Eucharîſtiâ, & Sacrificio Miſſæ Lib. VI.
De Pœnitentiâ Lib. IV.
De extremâ Unctione, Ordine, & Matrimonio Lib. III.

Tomus III. in tres controverſias generales diviſus.

De gratiâ primi hominis, & ſtatu innocentiæ Lib. I.
De Gratiæ amiſſione Lib. VI.
De Gratiæ reparatione & ſtatu Juſtificatorum per Chriſtum Lib. XIV.

MARCUS ANTONIUS de DOMINIS.

Obiit A. C. 1624.

Archiepiſcopus Spalatenſis.

Archiepiſcopus Spalatenſis. A*rchiepiſcopus Spalatenſis*, & Primàs in Regnis *Croatiæ* ac *Dalmatiæ*, ex librorum Evangelicorum lectione commotus, â fide Catholicâ defecit, & Epiſcopatu ſuo relicto in *Angliam* diſceſſit. Exindè *Libros V. De Republicâ Eccleſiaſticâ contra Primatum Papæ* typis emiſit.

Papam Scriptis oppugnavit. Inconſtans in fide. Annis aliquot elapſis, *Romam* rediit, & Papæ ſupplex factus, veniam defectionis ſuæ petiit ac impetravit. Sed brevi pòſt ex literis, quas ad Regem *Angliæ Jacobum* per poſtam ſcripſerat, iterum Pontificiis de hæreſi ſuſpectus, carceri in *Caſtello S. Angeli* incluſus, in eo poſt aliquot dies vitâ exceſſit, vel, ut quidam exiſtimant, jugulatus interiit.

In carcere obiit Romæ.

Cadaver cum libris ejus crematum. Cadaver, Inquiſitionis decreto, ad Templum *S. Mariæ* ſupra *Minervam* delatum, damnatumque in campo Floræ, unâ cum libris contra S. Pontificem ab eodem ſcriptis, crematum, & cineres in Tyberim abjecti ſunt d. 21. Dec. A. C. 1624.

Edidit:

De Republ. Chriſtiana Libros X. in fol.

* *Ex Anatomiâ Papæ Germ. editâ â Franc. Albano.*

* * *

Abrahamus Bucholcerus in Indice ſuo Chronologico ita de morte viri hujus ſcripſit: Cum dudùm ineſcatus *Hiſpani* Legati pollicitationibus, è *Britanniâ Bruxellas*, & indè *Romam* tranſiviſſet, & ibi parùm idoneis refelleret argumentis, quæ adverſus ſedem Pontificiam aliquot libris eventilârat probra, jugulatus in carcere, Vulcano conſecratus eſt in Campo Florum, & cineres in Tyberim diſperſi 21. Dec. A. C. 1624.

MEL-

Obiit A.C. 1630.

MELCHIOR CLESELIUS,

Cardinalis.

VIennæ in Auſtriâ natus eſt, patre *Piſtore* A.C. 1563.

Ab Imperatore *Rudolpho II.* adoleſcens inter alumnos Societatis Jeſu receptus, exindè Templi Cathedralis Præpoſitus, & Univerſitatis *Viennenſis* Cancellarius factus eſt, quod munus 36. annos cum laude geſſit. 17. Febr. A. 1602. Epiſcopus *Viennenſis* electus, *Johanni Caſparo Lerchio*, Theol. Doctori, ſucceſſit. Deinde Cæſ. *Matthiæ* Conſiliarius intimus & Concionator aulicus conſtitutus eſt.

Cancellarius Academiæ Viennenſis. Epiſcopus Viennenſis. Conſiliarius & Concionator aulicus Imperatoris Matthiæ. Cardinalis.

A. 1616. 29. Julii *Pragæ* Cardinalis Pileum â Summo Pontifice *Paulo V.* ſibi miſſum ſolenniter in Templo Cathedrali accepit.

A. 1618. 20. Julii cum Autor extitiſſet diſſenſionum inter Principes *Auſtriacos Viennæ* in aulam Cæſaream accerſitus, mox habitum Cardinalitium deponere coactus, & ſubitò ciſio impoſitus in Comitatum *Tyrolenſem* avectus eſt, quod ſequenti factum eſt ratione.

Cardinalatu exutus.

Anno 1620. 20. Julii, *Cleſelius*, qui Regi *Bohemiæ & Hungariæ Ferdinando* parùm favebat, coram eo & Archiduce *Auſtriæ Maximiliano* in Arce comparere hora ſecunda pomeridiana juſſus eſt. Itaque Nuntio Pontificio ſecum ſumto, cum in aulam confeſtim vectus deſcendiſſet, dimiſſo Nuntio, & mandato de ſe obſervando miniſtris ſuis dato, arcem ingreſſus cœnaculum *Archiducum* petiit, quod clauſum invenit. In eo autem Rex *Ferdinandus* cum Archiduce *Maximiliano* & Oratore *Hiſpano* erant, qui capita conferebant. Tum *Sigismundus Brainerius*, Baro, qui illuc cum *Dampetrâ* & *Collalto* Comitibus ad iter accinctis ſtabat, eum in aliud cœnaculum duxit, ibique illi ſignificavit, decretum eſſe â Domo *Auſtriaca*, & cum Papâ tranſactum, ut ob malè adminiſtratam Rempublicam, cauſasque multas alias, non diutius in aulâ toleraretur; depoſito igitur Cardinalis habitu, vulgarem nigri coloris aſſumeret, & ſe cum duobus Comitibus ſequeretur. *Cleſelius* proteſtatione fruſtrâ adhibitâ, cum aliter non poſſet, veſtitum, ut juſſus erat, mutavit, cumque *Brainerio* & duobus Comitibus per occultum tramitem ex Arce deſcendit, conſcenſoque ſtatim curru ad fines *Styriæ*, indeque in Comitatum *Tyrolenſem*, 200. equitibus comitantibus deductus eſt, & quidem tantâ celeritate, tantoque ſilentio, ut ne in itinere quidem quiſquam id reſciverit.

In Comitatum Tyrol. abducitur.

Eo ſic abducto, *Ferdinandus* Rex & Archidux *Maximilianus* ad Cæſarem ſe conferentes, rerum harum ignarum, de facto hoc, ejusq; cauſâ, quod videlicet *Cleſelius* fraternam inter Archiduces *Auſtriæ* Concordiam diſſolvere conatus eſſet, & multa alia perperam feciſſet, certiorem reddiderunt.

A. 1622. Ab Imp. *Ferdinando II.* ad mandatum Summi Pontificis *Gregorii XV.* *Cleſelius Romam* miſſus ibi in Cardinalium Conſiſtorio de variis ſceleribus accuſatus tam ſtrenuè ſe purgavit, ut Pontifex Pileum Cardinalitium cum Epiſcopatu *Viennenſi* ac *Neoſtadienſi* ipſi reſtituerit.

Reſtitutus.

Anno ſequenti 1623. *Romæ* Electioni Sumi Pontificis *Urbani VIII.* interfuit, quam conſiliis ſuis contra domum *Auſtriacam* promovit. A. 1624. ab eodem Pontifice pronuntiatus innoxius, & in integrum reſtitutus eſt.

Viennam poſtea à Cæſare *Ferdinando II.* revocatus, ibi vivendi finem fecit M. Mart. A. C. 1630. ætatis 77. Sepultus *Viennæ* in templo *S. Stephani.*

Succeſſit ei in Epiſcopatu *Viennenſi Wolfgangus Wolfrath*, Prælatus *Crems Monaſterii.*

* *Ex variis Authoribus.*

Obiit A.C. 1631.

FRIDERICUS BORROMÆUS,

Cardinalis.

MEdiolani natus 18. Aug. A. C. 1564. ex antiquâ & illuſtri familiâ, cujus hiſtoriam eleganti ſtylo *Joſephus Ripamontius* deſcripſit. Ingenio excellenti & memoriâ tenaci præditus in ſtudiis Philoſophicis & Theologicis adeò profecit, ut in Gymnaſio *Ticinenſi* cum laude Linguam Latinam & literas humaniores profeſſus fuerit.

Profeſſor Linguæ Latinæ.

Ad Archiepiſcopatum *Mediolanenſem*, & Cardinalis honorem evectus, magno labore & ſumptu libros omnium Scientiarum & Facultatum è Regionibus etiam longinquis collegit, ex quibus *Bibliothecam*, *Ambroſianam* vocatam, conſtituit, huic verò 12. Religioſos ſæculares eruditione præcellentes, ex ſtatu *Mediolanenſi* conquiſitos, ſub nomine *Doctorum Collegii Ambroſiani* præfecit, ex quorum Scholâ & Theatro Scientiarum plurimi viri eruditione ſingulari præditi prodierunt.

Archiepiſcopus Mediolanenſis & Cardinalis. Author Bibliothecæ Ambroſianæ.

Vitam tandem morte beatâ finiit 21. Sept. A. C. 1631. æt. 68.

Exequias ejus *Paulus Areſius*, Epiſcopus de *Tortonâ*, facundâ Oratione honeſtavit, quâ vitam hujus viri exemplarem, pictoris inſtar, eleganter deſcripſit. Sepulchro ejus breve hoc Epitaphium legitur inſcriptum:

Ejus Epitaphium.

FEDERICUS BORROMÆUS
CARDINALIS ET ARCHIEP. MEDIOLANI
HIC QUIESCIT
SUB PRÆSIDIO BEATISSIMÆ VIRGINIS
DECESSIT ANNO MDCXXXI.
XI. CAL. OCTOB.

Libros edidit 4. *Toſcano* & totidem *Latino* idiomate:

Scripta.

I. Sacri Ragionamenti.
La Grazia de Prencipi.
Le lodi Divine.
I. Sermoni Sinodali.
De Epiſcopo concionante.
Medicamenta literaria.

De Chriſtianæ Mentis jucunditate.
De Sacris noſtrorum temporum Oratoribus.
* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

LÆLIUS BISCIA, *Cardinalis.*

Obiit A.C. 1638.

VOcatus etiam *Lelius Bisciola.* Natus eſt *Romæ* 15. Junii A. C. 1575. Patre *Bernardino Biscia*, Juriſconſulto ſui temporis celebri.

Adoleſcens literarum humaniorum ſtudiis addictus, Parentis exemplo, Juris diſciplinæ totum ſe tradidit, in quâ Doctor creatus juvenis in Advocatione Conſiſtoriali Patri ſucceſſit.

Jur. Doctor & Advocatus Conſiſtorii Rom.

Poſteà Referendarius utriusque Signaturæ, mox in Clericorum Cameralium numerum adſcriptus, *Clementi VIII.* aliisquePontificibus gratus, eorumque Conſiliorum particeps factus eſt.

Clericus Cameralis.

Cum verò Architecturâ delectaretur, *Paulus V.* eum Viarum Præſidem, & Rei frumentariæ Præfectum conſtituit. 19. Jan. A. 1626. A Summo Pontifice *Urbano VIII.* in Cardinalium Collegium titulo *S. Viti & Modeſti* adſcitus fuit.

Præſes Viarum. Cardinalis.

Viros literatos omni ſtudiorum genere fovit, quos contubernio ſuo dignatus eſt, iisque Bibliothecam ſuam communem eſſe voluit. *Romæ* tandem obiit 19. Nov. A. C. 1638. ætatis 63.

Mor. Romæ.

Edidit

Scripta.

Horarum Subciſivarum Tomos II.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Tomaſini.*

JOHANNES FRANCISCUS â BALNEO, *Cardinalis.*

Obiit A.C. 1641.

FLorentiæ natus eſt ex antiquâ Comitum *Guidi â Balneo* familiâ, Imperatorum olim affinitate celebratâ 4. Oct. A. C. 1573. Patre *Fabritio* Marchione *Montis Belli*, & Matre *Laurâ*, *Pompeji Columnæ Ducis Zagaroli*, filiâ.

Juvenis, in literas propenſus, in aulam *Romanam*, ſub Pontificatu *Clementis VIII.* profectus, mox inter Prælatos Protonotarii Apoſtolici, Referendarii utriusque Signaturæ titulo, numeratus eſt.

Referendarius utriusque Signaturæ.

Deindè Cardinalis *Petrus Aldobrandinus* ipſum Aulæ ſuæ Nobilibus adſcripſit, cum Legationem obiret ad Regem *Galliæ*, *Henricum VIII.* nuptias celebrantem cum *Mariâ Medicæâ.*

Urbi redditum, Pontifex *Æmiliæ* Vice-legatum & Vice-præfectum *Firmi* elegit.

Vice-legatus Æmil.

Defuncto *Clemente*, *Paulus V.* Succeſſor eum *Orvieti*, mox *Fori Sempronii* & *Firmi* Urbibus Præfectum creavit. Hiſce muneribus egregiè functus, pro *Scipione Burgeſio* Vicelegatus *Avenionem* miſſus eſt. Cum ſeptennium ibi feliciter exegiſſet, â Summo Pontifice *Gregorio XV.* ad *Galliæ* Regem *Ludovicum XIII.* extraordinarius Orator miſſus eſt, rebusque feliciter actis, ordinariam Legationem in *Belgio* obtinuit ad *Iſabellam Auſtriacam.*

Præfectus Orvieti, Fori Sempronii & Firmi. Vicelegatus Avenion.

Legatus ad Regem Galliæ.

Sublato è vivis *Gregorio*, *Urbanus VIII.* ipſum ad Regem *Galliæ* Nuntium, & paulò pòſt Epiſcopum *Cerviæ* declaravit. 19. Nov. A. 1629. In Cardinalium numerum adſcriptus & titulo *S. Alexii* ornatus eſt.

Epiſcopus Cerviæ. Cardinalis tit. S. Alexii.

Deindè ab Epiſcopatu *Cerviæ* ad *Reatinam* Eccleſiam translatus, eam æquè ac cæteras variis donariis locupletavit, in egenos præcipuè liberalis.

Podagricis tandem doloribus aliisque morbis divexatus, Creatori ſpiritum reddidit 25. Julii A. C. 1641. æt. 67. Sepultus *Romæ* in æde S. Alexii.

Fratrem habuit *Nicolaum Marchionem*, Generalem armorum *Ferrariæ* præfectum, qui poſteà, relictâ militiâ, inter Eccleſiaſticos Curiam *Romanam* exornavit.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

ARMANDUS JOHANNES PLESSIUS, *Cardinalis de Richelieu.*

Obiit A.C. 1642.

EPiſcopus primùm *Luſſonenſis*, deindè Cardinalis factus, Conſiliarius Regius, & Maris Præfectus: A Reginâ *Mariâ* Regis *Henrici IV.* viduâ, ex Sacellano paupere, ad ſummos honores evectus, divitias maximas cumulavit.

E Sacellano paupere. Cardinalis.

Raro exemplo, Rege *Ludovico XIII.* permittente, & Regni Proceribus indignantibus, ad corporis ſui cuſtodiam militum armatorum centuriam ſuſtentavit. *Cardinalis de Richelieu* vulgò vocatus.

Fratrem habuit *Antonium de Pleſſis*, Cardinalem, Archiepiſcopum *Lugdunenſem*, & Magnum Regni *Gall.* Eleemoſynarium, communiter vocatum *Cardinalem de Lyone*, virum pium & ſolitarium, quem Papa *Urbanus VIII.* ad fratris petitionem, Cardinalem creavit.

Obiit tandem *Lutetiæ* 4. Nov. A. C. 1642. ætatis 56. Cum prius Regi Cardinalem *Julium Mazarinum*, Dominos *de Cavigny* & *de Noyers* commendâſſet, & omnia bona ſua Regi & Amicis teſtamento legâſſet.

Edidit:

Ejus Scriptum.

Les principaux Poinct. de la Foy de l'Egliſe Catholique, defendus contre l'eſcrit addreſſé au Roy par les 4. Miniſtres de Charranton.

* *Ex libello de Vitis Cardinalium Germanicè edito.*

AN-

Obiit A. C. 1646.

ANTONIUS BARBERINUS,

Cardinalis.

FLorentinus, Summi Pontificis *Urbani VIII.* frater, ab hoc 7. Octob. A. C. 1624. è cœnobio *Franciſcanorum* tractus, & ad Cardinalis honorem evectus eſt, quem poſtea fruſtrà deponere tentavit. Abindè ſemper fuit ſupremus Pœnitentiarius cum reditu annuo 6000. Coronatorum.

Monachus S. Franciſci

Cardinalis & Pœnitentiarius ſupremus.

Vir probus Nepotum ſuorum *Franciſci* & *Antonii* Cardinalium vitam turpem abominatus eſt, & in actionibus ſuis ſingularis, neminem in cubiculum ſuum admiſit, præter *Capuccinum* quendam vitæ ſocium, cum quo Cameram in palatio Papali inhabitavit abſque omni ornatu. Veſtitu *Capuccinis* conſueto indutus inceſſit, calceos ligneos pedibus gerens.

Solitarius vixit.

Poſtquàm tandem omnia bona ſua Religioſis in Cœnobiis degentibus legâſſet, & teſtamento mandâſſet, ut in Templo *Capuccinorum*, â ſeſe exſtructo, ſub nudo marmore ſepeliretur cum hâc inſcriptione:

HIC JACET PULVIS, CINIS, ET NIHIL!

Epitaphium ejus.

Obiit Romæ 10. Sept. A. C. 1646. æt. 77.

* *Ex libello Germanico de Vitis Cardinalium.*

Obiit A. C. 1661.

JULIUS MAZARINUS,

Cardinalis.

FIlius *Petri Mazarini*, Mercatoris *Siculi*, qui propter immenſa debita cum totâ familiâ *Romam* emigrare coactus, ibi filium hunc progenuit, cum altero filio *Mattheo*, qui Monachus primùm *Dominicanus*, deinde Ordinis ſui Generalis, aulæ Ponti *Urbani VIII.* Præfectus, tan emque Ca dinalis factus eſt.

Cum in adoleſcentiâ militem egiſſet, R*omam* reverſus, *Julio Sachetto* & *Antoni* B*erberino* Cardinalibus charus fuit, quorum ope â Summo Pont. *Urbano VIII.* Nuntius Apoſtolicus in *S baudiam* miſſus, *C* *le*, *Montis ferrati* munimentum, Gallis cedentibus Summo Pontifici reſtituit, ſed brevi pòſt *Gallorum* poteſtati reddidit: quâ ratione non Regis modò Gallorum, ſed & Cardinalis *Riccolocii* favorem ſibi conciliavit, quorum inter eſſione Purpuram Card naritiam â Summo Pontifice impetravit.

Nuntius Apoſtol. in Sabaudiam.

Cardinalis.

Poſt obitum Card. *Riccolocii*, Rex eum Statûs Conſiliarium & Parlamenti Regii Aſſeſſorem declaravit, inque lecto fatal tandem cum aliis eum Teſtamenti ſui Executorem denominavit.

Conſiliarius Status, & Parlamenti Gallici Aſſeſſor.

Poſt mortem Regis *Ludovici XIII.* ejuſdem filio *Ludovico XIV.* adeò fuit acceptus, ut mandatis ipſius Regii Sanguinis Principes obtemperare cogerentur, qui ſæpius in necem ipſius, ſed fruſtrà, conjurârunt.

Reginæ quoque viduæ favore gaviſus, ab eâ Legiones aliquot militum pro corporis ſui cuſtodiâ accepit.

Regi Hiſpaniæ exoſus, Rebellis ab eo declaratus eſt, & Summus Pontifex *Innocentius X.* ideò ipſi fuit adverſus, quod Cardinalem *Franciſcum Barbarinum* Româ Lutetiam profugum, publicè defenderit.

Phthiſi tandem obiit *Lutetiæ Pariſiorum* 9. Martii A. C. 1661.

* *Ex Libello Germanico de Vitis Cardinalium.*

PAR-

PARTIS PRIMÆ,
QUÆ
THEOLOGOS
continet,
SECTIO TERTIA
EPISCOPORUM, ABBATUM, &c. THEOLOGIÆ DOCTORUM ET PROFESSORUM, CONCIONATORUM AULICORUM, SUPERINTEND. SOC. JESU THEOL. MONACHORUM, &c.
Eruditione ſingulari Celebrium.

S. SIMEON.

Obilt A.C. 1034.

Parentes. Septennis Juvenis quinque linguarum peritia.

MIra hujus ſors, & vitæ per aſpera quæque circumactæ ratio: In *Sicilia* enim à Patre *Antonio* Græco milite & matre Calabra natus, cum à Patre ſeptennis eruditis viris traditus eſſet, præter Græcam, Latinam quoque, Syriacam, Arabicam & Ægyptiacam linguam, (rariſſimo tum temporis exemplo,) didicit, Pietatis demum, quàm literarum ſtudioſior, loca Chriſti veſtigiis honoranda inviſit, delectatus maximum *Hilario* eximiæ Sanctitatis viro, captusque amore ſolitudinis, nunc Eremum ad *Jordanem* inhabitans, nunc in monte *Sinai* degens, nunc etiam monaſticam in aliorum conſortio vitam vivens, deniq; ab Abbate montis Sinai, in *Nortmanniam* ad *Richartum* Comitem miſſus eſt, qui honeſtum pecuniæ ſubſidium, ejus locis Religioſis alendis, peregrinus addixerat, quod iter variâ ab ipſo ſorte peractum; dum, nunc ut proditor, detentus; nunc ut hoſtis à piratis interficiendus, cum aliis ex navi præceps natando emerſit, donec tandem in monaſterium *Tholejæ* ab *Eberwino* Abbate receptus eſſet.

Eremita. Ex Oriente in Occidentem legatus.

Cum vero *Poppo*, Trevirenſium Archi-Epiſcopus, ob tractata liberiùs monaſtica bona, *Hieroſolymam* ad loca Dominicæ paſſionis myſteriis celebria, uſitato tunc pœnitentium labore peregrinaretur, ſubſtituto interea in vices *Theodorico* Metenſium Epiſcopo, non ignarum hujus profectionis *S. Simeonem* ex *Tholeja*, viæ longioris comitem ſecum ſumſit.

Ad loca in Oriente Sacra proficiſcitur.

Itinere verò hoc locorum omnium peragratione, & ſummâ ſedulitate transacto, *Poppo* reverſus eſt cum *S. Simeone* Treviros, ibique *S. Simeoni* Dei ſolius, non amplius literarum, converſationem adſpiranti, nigram urbis portam, Martis quondam curiam, indulſit, ubi is in obſcuro molis angulo latitans, pane & aqua paſtus, reliquum ætatis transmiſit. *Eremita.*

Imminente autem mortis tempore, *Eberwinum* Abbatem ad ſe invitavit, petiitque, ut in eâ, quâ vixerat, portâ ſepulchro relictum corpus mandaret, quod etiam Junii calendis Anni 1034. moriens eſt aſſecutus. *Moritur.*

Popponis denique Archiepiſcopi poſtulatione, *Benedictique IX.* Romani Pontificis conſenſu Sanctorum Catalogo eſt adſcriptus. A. 1042. *Canoniſatur.*


* *Ex Annalibus Trevirenſibus Jacobi Maſenii, Societatis Jeſu Theologi.*

THEODORICUS MONACHUS.


Clar. 1040.

THeodoricus Monachus Cœnobii *S. Albani* Martyris apud *Moguntiam*, Ordinis S. Benedicti, Vir erat in divinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, inque ſæcularibus literis egregiè doctus, Philoſophus & Poëta clariſſimus, Ingenio ſubtilis & clarus elo-

Monachus S. Albani. Vir doctus.



ARMAND, IOH: PLESSIUS,
Card. de Richelieu.



ANTONI, BARBERINUS,
Card.



IULIUS MAZARINUS,
Card:



S. BERNHARDUS,
Abbas Clara vallenſis.



ANTONIUS DE PADUA,
Theol: Patavinus



IOHANNES RUSBROQUIUS,
Abbas Belg.




IOHANNES WICLEFUS,
Theol. Ængl.



IOHANNES HUSSUS,
Theol. Pragenſis.



HIERONYM, PRAGENSIS,
Theol.



IOHANNES GERSON,
Theol. Paris.



THOMAS TOMASINUS,
Epiſcopus Bellunenſis.



IOHAN: CAPISTRAN,
Theol:



CAIETANUS THIENÆUS,
Theol. Patavinus.



THOMAS À KEMPIS,
Theol. & Canon. Regularis S. August.



NICOLA, UNDERWALDENSIS
Theol. Helveticus.



HIERONYM, SAVA NOROLA
Monach, Dominican, Florentin,

Digitized by Google



Digitized by Google

eloquio. Claruit ſub *Henrico* Imperatore A. cIↄ XL.

Præclara ſcripſit opuſcula, è quibus extant ſubjecta:

Ejus Scripta. *Ad Richardum Abbatem Fuldenſem de Vita S. Benedicti Lib. I.*

De translatione Bened. in Galliam lib. I.

Epiſtolarum ad diverſos lib. I.

Carmina multa & Varia.

* *Ex Nicolai Serarii de rebus Moguntinis lib.*

Obiit A.C. 1086.

MARIANUS SCOTUS.

MIſer ego *Marianus*, (ipſe ſcribit in lib. 3. Chronic.) in peccatis fui A. 1028. *Natus Marianus.* natus. A. 1052. Ego *Marianus* ſæculum reliqui. A. 1056. Ego *Marianus*, peregrinus factus pro regno cœleſti, patriam meam reliqui, & in *Colonia*, V. feria, Calendis Auguſti, *Monachus* Monachus effectus ſum. A. 1058. *Podelbrunna* Civitas cum duobus monaſteriis feria VI. ante palmas, igne conſumuntur. In Monaſterio autem erat *Paternus* nomine, *Monachus Scotus*, multisque annis incluſus, in ſuâ clauſâ, ambiens martyrium, combuſtus eſt. Feria II. poſt octavas Paſchæ, exiens ego de Colonia, cauſa orationis, eundem locum viſitavi, ob bona, quæ narrantur de ejus ſepulchro; & ſic cum Abbate *Fuldenſis.* Fuldenſi *Fuldam* veni.

A. 1059. Ego *Marianus* indignus cum *Sigfrido*, (Abbate Fuldenſi,) apud *Virzeburgum* ad Presbyteratum conſecratus, media quadrageſima, III. Idus Martii, & feria VI. poſt Aſcenſionem, II. Idus Maji incluſus Fuldæ per annos 10.

A. 1069. Ego miſer *Marianus*, juſſu Epi- *Moguntinenſis.* ſcopi Moguntinenſis, & Abbatis Fuldenſis, Feria VI. ante palmas, nonis Aprilis, poſt annos 10. meæ incluſionis, ſolutus de cluſâ in Fulda, ad *Moguntiam* venio, & in feſtivitate 7. fratrum, ſecundò includor.

An. 1086. *Marianus Scotus*, (ut ait ad opus dictum Appendix,) anno ætatis 58. *Moritur.* obiit, in Eccleſiâ verò S. Martini ſepultus jacet.

Vir fuit in divinis ſcripturis eruditiſſimus, & ſæcularium literarum non ignarus, *Eruditus Monachus.* ingenio ſubtilis & clarus eloquio: vitâ quoque & converſatione devotus atque ſanctiſſimus, Computiſta maximus, & temporis transacti diligentiſſimus cenſor, quod clariſſima monumenta, quæ edidit, probant. ſc.

Ejus Scripta. *Volumen inſigne Chronicorum ab exordio mundi ad ſua usque tempora, Lib. III. comprehenſ.*

De Concordantia Evangeliſtarum Lib. I.

De Computo quoque Lib. I.

Sermones varii, & plures ad diverſos Epiſtolæ.

* *Ex Nicolai Serarii de rebus Moguntin. libro.*

WILHELMUS MALMESBERIENSIS.

Flor. A.C. 1130.

WIlhelmus *ſive Guilielmus Malmesberienſis, Monachus Anglus*, dictus *Bibliothecarius* & *Malmesberienſis*, vixit circa A.C. 1130. *Monachus Anglus.*

Scripſit

Ejus Scripta. *Libros 5. de rebus geſtis Regum Anglorum usque ad Henricum I.*

Hiſtoriæ Novellæ libros II.

De rebus geſtis Pontificum Anglorum.

* *Ex Johannis Gerhardi Patrologiâ.*

RICHARDUS de S. VICTORE.

Claruit. 1130.

RIchardus *de S. Victore*, natione *Scotus*, Monachus ordinis Canonicorum Regularium, *Hugonis* tempore circa annum 1130. claruit, & in eodem Monaſterio *S. Victoris* vixit. Fuit *S. Bernhardi* amiciſſimus. *Canonicus regularis. Bernhardi amiciſſimus.*

Opera ejus Tomis duob. exſtant.

Primo tomo continentur:

Ejus Scripta. *De exterminatione Mali & promotione Boni. l. 1.*

De Statu interioris hominis. 3.

De eruditione interioris hominis. libr. 3.

Benjamin minor, i. e. de præparatione ad Contemplationem.

Benjamin major, i. e. de gratiâ Contemplationis lib. 5.

Allegoriæ tabernaculi fœderis. 1.

De Trinitate. 6.

De tribus appropriatis perſonis in Trinitate ad S. Bernhardum. 1.

De Incarnatione Verbi, ad eundem. 1.

De Emanuele lib. 2.

Exceptionum. 4.

De poteſtate ligandi & ſolvendi, tract. 1.

De contemplatione plagarum in fine mundi. 1.

De lucidaria poteſtate in finali judicio.

De Spiritu blaſphemiæ. 1.

De gradibus Charitatis. 1.

De quatuor gradibus violentæ Charitatis. 1.

De gemino Paſchate. 1.

In die Paſchæ ſermo. 1.

Declaratio difficultatum Scripturæ Sacræ ad S. Bernhardum. 1.

Quomodo Spiritus S. ſit amor Patris & Filii. 1.

De differentiâ Peccati mortalis & venialis. 1.

De ſuper-excellenti Baptiſmo Chriſti. 1.

De miſſione Spiritus S. ſerm. 1.

De comparatione Chriſti ad florem & B. Mariæ, ad virgam. 1.

Quomodo Chriſtus ponitur in ſignum populorum. 1.

De differentiâ Sacrificii David & Abrahæ. 1.

De differentiâ Sacrificii Abrahæ & B. Mariæ. 1.

Tomo ſecundo continentur:

Explanatio difficultatum ex tabernaculis fœderis.

De templo Salomonis ad literam.

K De

De concordiâ Templorum, in libros Regum.
Explanatio variorum locorum in Pſalmis.
Explanatio Cantici Canticorum.
De viſione Ezechielis.
De templo Ezechielis.
Deciſio dubiorum in Apoſt.
In Apocalypſin Johannis lib. 7.
De libris Exceptionum, & aliis, dubitatur, an ſint *Richardi.*

* *Ex Johannis Gerhardi Patrologiâ.*

Obiit A.C. 1140.

HUGO de S. VICTORE.

IN ditione Comitum *Blanckenburgenſium* oriundus, Monachus fuit Auguſtinianus, in Monaſterio *S. Victoris*, quod eſt in ſuburbio *Pariſienſi*, degens, unde de *S. Victore* vulgò dicitur.

Monachus Auguſtin. Pariſ.

Vir fuit humanarum & divinarum literarum exquiſitâ eruditione clarus, & *Auguſtini* doctrinæ ac Phraſeos usque adeò æmulator, ut *Auguſtini lingua* communi eruditorum ſui temporis adagio fuerit appellatus, teſte *Poſſevino in Appar. S.* & *Sixto Senenſi Lib. IV. Bibl. S.*

Lingua Auguſtini.

Æqualis fuit *Bernhardi*, eique familiaris, & illo ſæculo inter præcipuos doctrinâ præſtans habitus, ut referunt *Centur. Magdeb. ſecul. XII. cap. X.*

Familiaris S. Bernhardo.

Obiit. Obiit A. C. 1140.

Opera ejus Pariſiis edita A. 1525. Venet: A. 1588. Tomis tribus, in tomo primo continentur:

Ejus Scripta.

De Scripturis & Scriptoribus Sacris prænotationes.
Annotationes elucidatoriæ in Pentateuchum, Judices, libros Regum, Pſalmos aliquot.
In Eccleſiaſten homil. 19.
Annotationes elucidatoriæ in Threnos, Joëlem & Abdiam.
Annotationes elucidatoriæ Allegoriarum in totum V. T. exceptis Prophetis, & libris Sapientialibus.
Annotationes elucidatoriæ Allegoriarum in quatuor Evangeliſtas.
Annotationes literales, & quæſtiones in Epiſtolas Pauli.
Annotationes elucidatoriæ in Dionyſium Areopagitam.

In Tomo ſecundo:

Inſtitutiones in Decalogum.
De Inſtitutione Novitiorum.
De Anima libri 4.
De arrha Animæ.
De modo Orandi.
De Nuptiis carnalibus & ſpiritualibus libr. 2.
De Meditatione libellus.
De Arca Noe libr. 4.
Sermo de aſſumptione Mariæ.
Expoſitio in regulam S. Auguſtini.
De clauſtro Animæ.
De medicina Animæ.
De laude Charitatis.
De fructu Carnis & Spiritûs.
De vanitate Mundi. libr. 4.
De Arcæ myſticæ deſcriptione.
Sermones 100. de variis argumentis.

In Tomo tertio:

Didaſcal. libri ſeptem, quorum ultimus de Trinitate diſſerit, reliqui ſex ad artes liberales pertinent.
De poteſtate & voluntate Dei libellus.
De quadruplici voluntate in Chriſto libellus.
De ſapientia animæ Chriſti libellus.
De Unione Corporis & Spiritus libellus.
De verbi DEI efficacia libellus.
Apologia de Verbo incarnato.
De Verbo incarnato diſputationes tres.
De perpetua virginitate B. Mariæ.
Miſcellaneorum ſecundi codicis libri 5.
De filia Jephthe tractatus.
Speculum de myſteriis Eccleſiæ.
De Ceremoniis, Sacramentis, & officiis Eccleſiaſticis lib. 3.
De canone myſtici libaminis libellus.
Dialogus de Sacramentis legis naturalis & ſcriptæ.
Summa ſententiarum, ſeptem tractatibus comprehenſa.
Primus eſt de Fide, Spe & Charitate, Trinitate & Incarnatione.
2. *De Creatione & ſtatu Angelicæ naturæ.*
3. *De Creatione & ſtatu humanæ naturæ.*
4. *De Sacramentis in genere, & præceptis divinis.*
5. *De Sacramento Baptiſmi.*
6. *De Sacramento Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & extremæ unctionis.*
7. *De Sacramento Conjugii.*
De Sacramentis Chriſtianæ fidei; libri duo.

Quæ in his operibus non ſunt genuina Hugonis opera, diligenter annotavit autor editionis Venetæ.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt, & aliis.*

GRATIANUS.

Clar. A.C. 1151.

MOnachus Benedictinus ex *Cluſio* civitate *Hetruriæ* ortus, Magiſter fuit omnium Canoniſtarum; ut enim *P. Lombardus Scholaſticorum* Theologorum, quos vocant, ita *Gratianus Canoniſtarum* quaſi parens atque progenitor.

Magiſter Canoniſtarum.

Hujus eſt Decretum, ſeu Concordia Diſcordantium Canonum, adeoque fons omnis *Juris Canonici.* Is quidem in Scholis omnibus pòſt ſæculis prælegi & Commentariis illuſtrari meruit, etiamſi ſine delectu dicta Patrum è ſcriptis non modò genuinis, ſed etiam ſpuriis & ſuppoſititiis deprompta, & non hæc ſolùm, ſed quævis Epiſcoporum Romanorum Reſcripta, Legibus etiam ſæcularibus non omiſſis, Canonibus Synodorum annumeraverit, & æquaverit. Hoc Opus *Eugenius* Pontifex & approbavit, & in Academiâ publicè proponi mandavit.

Author Juris Canonici.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt, & ex Indice Chronologico Abrah. Bucholceri.*

S. BERN-

S. BERNHARDUS.

Obiit A. C. 1153.

IN *Burgundiâ* natus eſt circa A. C. 1091.

Monachus Ciſtertienſis. A. 1113. æt. 22. *Ciſtertium* ingreſſus, vitam Monaſticam auſpicatus eſt A. 15. â fundatione domûs Ciſtertienſis.

Abbas Claravallenſis. A. 1115. Cœnobii *Claravallenſis* hoc anno fundati primus Abbas factus, Monaſteriorum plus quàm 160. pater exſtitit.

A. 1133. Romæ ſpectator fuit coronationis Imp. *Lotharii II.* qui eum ſecum Romam deduxit.

Vir fuit laude humilitatis, beneficentiæ, patientiæ, & caſtitatis illuſtris. Aliquando libidinis ardore accenſus, ſtagnum aquæ gelidæ inſiliit. *Miraculis clarus.* Nullus quin etiam dies abiit, quo non ægros priſtinæ ſanitati reſtituerit.

Pater Eccleſiæ ult. Inter patres Eccleſiæ recenſetur, cum aliàs â ſæculo poſt Chriſtum ſexto nullus Pater Eccleſiæ nuncupetur.

Obiit. Vitam tandem morte beatâ finiit 20. Aug. A. C. 1153. æt. 63.

Hiſtoria vitæ ejus addita legitur ejus Scriptis. Canoniſatus fuit A. C. 1164.

Ejus Scripta. Opera Bernhardi indubitata ſunt ſequentia:

Homiliæ in laudem Virginis Matris.
De gradibus humilitatis. l. 1.
De diligendo DEO. l. 1.
Apologeticus ad Guilielmum Abbatem. l. 1.
De præcepto & diſpenſatione.
Exhortatorius ad milites templi.
De gratia & libero Arbitrio. l. 1.
De conſideratione ad Eugenium.
In Cantica ſermones 86.
Epiſtolæ ad diverſos 351.
Vita S. Malachiæ Epiſcopi Hiberniæ.
De Adventu Domini ſerm. 7.
De vigiliâ Natalis Domini. 6.
De Circumciſione. 3.
De Dominica prima poſt Epiphaniam. 2.
De Purificatione B. Mariæ. 3.
De Quadrageſimâ. 7.
De Annunciatione B. Mariæ. 3.
De feriâ quartâ pœnoſâ. 1.
De Paſcha. 4.
De Rogationibus. 1.
De Pentecoſte. 3.
De SS. Petro & Paulo. 4.
De ſeptem panibus. 3.
De S. Mariâ Magdalenâ. 1.
De verbis: ſignum magnum. 1.
De S. Michaële. 2.
De S. Malachiâ. 1.
De S. Martino. 1.
In vigiliâ S. Andreæ. 1.
In Obitu Humberti. 1.
In Pſalmum 90. 17.
De altitudine cordis. 4.
Sermones parvi. 66.
Sententiæ S. Bernhardi.
De Natali Domini. 6.
De Epiphaniâ. 4.
De converſione Pauli. 2.
De Septuageſimâ. 2.
De Benedicto Abbate. 1.
De Dominicâ Palmarum. 3.
De feriâ quintâ in Cœnâ Domini. 1.
De octavo Paſchæ. 2.
De Aſcenſione. 6.
De Johan. Baptiſta. 1.
De David & Goliath.
De S. Victore.
De Aſſumtione B. M. V. 5.
De Nativitate Mariæ. 1.
De feſto omnium Sanctorum. 5.
De verbis Eſaiæ. 5.
De S. Clemente. 1.
In die S. Andreæ. 2.
In Dedicatione Eccleſiæ. 6.
De diverſis Argumentis. 35.
De Converſione ad Clericos. 1.
De Donis Spiritus S. 1.
Declamatio in illud: Ecce nos reliquimus omnia.

Reliqua, quæ ſunt dubia, ut hîc, ſic & alibi, volentes omittimus.

* *Ex Indice Chronolog. Abrah. Bucholceri & aliis.*

Caſpar Cunradus, Med. D. *in Millenario III. Proſopographiæ ſuæ Melicæ* hoc ei ſcripſit Elogium:

Sacrarum placuit mihi contemplatio rerum:
Mentem homines ſupra ſuſtulit illa meam.

Serm. I. in Natali Dom. Animam humanam non per traducem, ſed per DEI creationem corpori inſeri ſcribit his verbis: *Anima humana non ex deliberatione propriâ carni miſcetur, ſed creando immittitur, immittendo creatur.*

* * *

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt, Theologiæ* Doctoris & *Profeſſoris Wittenbergenſis.*

Fontanis, oppido *Burgundiæ*, lucem ac Spiritum hauſit primum *Sanctus Bernhardus* Abbas *Claravallenſis*, vir melleæ eloquentiæ, admirandæ doctrinæ, piique ac ſani ſenſûs Scriptor. *Ejus Elogium.* In quo ita ſumma Religio & probitas cum ſummâ eruditione & eloquentiâ conjuncta fuit, ut â nonnullis *Apoſtolus XIII.* appellatus ſit. Scribit de eo *Eraſmus in Annot. ad cap. I. Epiſt. ad Rom.* quod fuerit Vir & Chriſtianè doctus, & ſanctè facundus, & piè feſtivus. *M. Lutherus* nullus dubitat, illum omnibus Patribus certo modo anteponere.

* * *

In vitâ *Bernhardi*, operibus ejus præmiſsâ, hoc inter alia memoratu dignum recenſetur:

Cum aliquando viribus proſtratus in ecſtaſi decubuiſſet, viſus eſt ſibi corâm tribunali Divino poſitus, & vitæ tranſactæ rationem reddere juſſus. Mox Satanas accedens, longam peccatorum ejus ſeriem enarravit, ob quam cauſam nihil haberet, quo vitam æternam promereri poſſet. Hâc accuſatione finitâ, reſpondere juſſus *Bernhardus* ita dixit: Fateor, non ſum ego dignus, *Diabolus ab eo confuſus.* nec propriis poſſum meritis obtinere regnum cœlorum, ſed Dominus meus Chriſtus

ſtus illud duplici jure obtinuit, primò quidem tanquam unicus cœleſtis ſui Patris hæres, deindè etiam per meritum ſuum, quo illud acquiſivit. Priore modo ſibi retinet ipſi, poſteriore mihi donat, ideoque quaſi donum ab ipſo accipio, certus, quod non confundar. His dictis accuſator infernalis obmutuit, & *Bernhardus*, ad ſeſe rediens, vires priſtinas recepit.

* * *

Scribitur de eo, quod poſt Converſionem ſuam aliquo tempore quaſi mente captus vixerit propter ſuperabundantem Gratiæ Divinæ conſolationem.

* *Ex libello Germanico de viâ ad verum Chriſtianiſmum in Angliâ ſcript.*

Obiit A.C. 1164.

PETRUS LOMBARDUS.

Epiſcopus Pariſienſis. Theologorum Scholaſticorum Parens. Magiſter Sententiarum.

PAtriâ *Novarienſis*, factus A. C. 1162. Epiſcopus Pariſienſis, Scholaſticorum Theologorum, quos vocant, parens atque progenitor, ex ſententiis priſcorum Latinorum Patrum, (imprimis *Auguſtini*,) colligens Theologiæ Compendium, *Opus* quoddam ſcripſit, quod dicitur *Sententiarum*, ipſeque indè *Magiſter Sententiarum* vulgò audit. Illas ipſas tamen Patrum Sententias multoties ad corruptam ævi ſui Theologiam deflectit atque accommodat, ipſumque veritatis fontem puriſſimum cœno quæſtionum, rivuliſque opinionum conturbat, ut loquitur *ſexto Annalium Aventinus.*

Scripta. Scripſit etiam *Gloſſas in Pſalterium*, & *Epiſtolas Pauli.*

In primo libro Sententiarum agit de Trinitate & Unitate DEI.

In 2. de Creatione Mundi, Angelorum & hominum, ac de Gratia DEI.

In 3. de Incarnatione Verbi, deque Virtutibus & Vitiis.

In 4. de Sacramentis & Noviſſimis.

Edita ejus Opera ſunt Coloniæ A. 1576.

Obiit. Mortuus eſt 20. Auguſti A. C. 1164.

Ejus Epitaphium. In Epitaphio ſepulcri ejus, quod eſt in templo S. Marcelli *Pariſiis*, ſic legitur:

HIC JACET MAGISTER P. LOMBARDUS EPISCOPUS PARISIENSIS, QUI COMPOSUIT LIBRUM SENTENTIARUM, GLOSSAS PSALMORUM ET EPISTOLARUM.

* *Ex Indice Chronologico Abrahami Buſcholceri, Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt*, & *Johannis Gerhardi Patrologiâ.*

Floruit A.C. 1177.

PETRUS BLESENSIS.

Familiaris Regis Angliæ.

ARchidiaconus *Bathonienſis*, *Henrici II.* Regis *Anglorum* familiaris & miniſter, floruit circa A. C. 1177.

Ejus Scripta. Scripſit A. 1600. Edita ſequentia:

Epiſtolas 180.

Tractatum de transfiguratione Domini.

Tractatum de Converſione Pauli.

Compendium in Job.

Tractatum de Hieroſolymitanâ peregrinatione.

Inſtructionem fidei ad Soldanum Iconii.

Librum de Confeſſione Sacramentali.

Librum de ſatisfactione injungendâ à Sacerdote.

Canonem Epiſcopalem, ſive de Inſtitutione Epiſcopi.

Invectivam contra depravatorem.

Tractatum de Amicitiâ Chriſtianâ.

* *Ex Johannis Gerhardi Patrologiâ.*

Floruit A.C. 1195.

JOACHIMUS, ABBAS.

Abbas Florenſis.

JOachimus Abbas Monaſterii *Florenſis* vixit circa Annum 1195. *Ord. S. Benedicti ex Calabria oriundus*: Vir autem hic fuit divinarum literarum cognitione non mediocriter inſtructus, cum *Jeremiam*, *Eſaiam*, *Danielem*, & *Apocalypſin Commentariis* illuſtraverit, multaque alia ingenii ſui & eruditionis ediderit monumenta, *Templum* inprimis, (cum Spiritum Prophetiæ habuiſſe ſuo tempore fuerit exiſtimatus,) *S. Marci Venetiis* celeberrimum, dicitur lapidibus ſtraviſſe atque exornâſſe glyphicis, myſticiſque notis, ænigmaticiſque figuris rerum in *Italia* viciſſitudines, civilium bellorum turbines, alieniſſimaque illa tempora, in quæ ad hodiernum usque diem incidit, & impoſterum etiam incidet, continentibus.

Spiritu Prophetiæ præditus. Templum S. Marci Venetiis ænigmatibus exornat.

Scripſit

Ejus Scripta. *Præter Commentarios in Eſaiam, Jeremiam, & Apocalypſin, Concordiam V. & N. Teſtamenti.*

* *Ex Joh. Gerhardi Patrologiâ.*

Obiit A.C. 1228.

STEPHANUS LANGTONUS.

PRimùm Gymnaſii *Pariſienſis* Magiſter fuit, in Theologiâ & Philoſophiâ Ariſtotelicâ omnium ſui temporis eruditiſſimus, poſteà *Cantuarienſis* Præſul. Plurima ingenio & ſtudio peperit, teſte *Gerardo Johanne Voſſio de Hiſtor. Lat. lib. II. cap. 56.*

Epiſcopus Cantuarienſis.

Huic *Stephano Langtono*, qui A. 1228. obiit, *Balæus*, Scriptor *Britannicus*, *Centur. III. cap. 37. diſtinctionem Bibliorum in Capita* tribuit. Alii vel Cardinali *Hugoni* hoc memoriæ ſubſidium acceptum ferunt. Sanè annos ante 500. ullum Volumen ſive Hebraicè ſive Græcè conſcriptum, Capitum diſtinctionem continuiſſe negat *Sixtus Senenſis Bibl. S. Lib.* III.

Obiit. S. Biblia in Capita diſtinxit.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

Floruit A.C. 1230.

ANTONIUS PADUANUS,

Monachus S. Franciſci.

CAnonicus primùm Ordinis *S. Auguſtini*, poſt *S. Franciſci* Sodalibus aggregari voluit. *Olyſippo* illi patria, & litera-

rum

rum bonarumque ſcientiarum cognitione tinctus fuit. Sacras etiam literas poſteà publicè de ſuperiore loco *Tholoſæ*, *Pariſiis*, & *Ticini* eſt interpretatus. Vitæ quoque Sanctimoniâ clarus extitit, ut eum in Beatorum numerum referre Pontifex *Gregorius IX.* non dubitârit. *Theologiæ Profeſſor Tholoſæ.*

Floruit A.C. 1230.

Circumferuntur illius *Sermones de totius anni Sanctis.*

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ diverſorum Auctorum.*

* * *

Fuit excellentiſſimus Prædicator, adeò ut eum Rom. Pontifex *Arcam Teſtamenti* conſueverit appellare, teſte *Trithemio*. Extant ejus *Conciones* tum *de Tempore*, tum *de Sanctis*. Mortuus eſt apud *Patavium*, unde nomen habuit. *Arca Teſtamenti dictus.*

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

GUILIELMUS PARISIENSIS.

Flor. A.C. 1240.

GUilielmus, Epiſcopus *Pariſienſis*, in literis Divinis æque & humanis clariſſimus, vixit circa A.C. 1240. ut colligitur ex articulis quibusdam ab ipſo hoc anno damnatis. *Epiſcopus Pariſienſis.*

Opera ejus edita ſunt *Venetiis*. *Ejus Scripta.*

De S. Trinitate. l. 1.
De Sacramentis. l. 1.
Summæ Virtutum. l. 1.
De Bono & Malo. l. 1.
De profeſſione Novitiorum. l. 1.
De operibus virtutum. l. 1.
De pluralitate Beneficiorum. l. 1.
De Rhetorica divina. l. 1.
De Dæmonibus. l. 1.
In Pſalterium. l. 1.
In Eccleſiaſten. l. 1.
In Evang. Matthæi. l. 1.
Epiſtolarum. l. 1.
De primo Principio. l. 1.
Cur Deus homo l. 1.
Summæ Vitiorum. l. 1.
De Animabus hominum. l. 1.
De Univerſo. l. 6.
De dono Scientiæ. l. 1.
De remediis Tentationum. l. 1.
De clauſtro Animæ. l. 1.
De Pœnitentia. l. 1.
In Hexaëmeron. l. 1.
In Proverbia Salomonis. l. 1.
In Cantica Canticorum. l. 1.
Sermonum. l. 1.
De collatione & pluralitate beneficiorum Eccleſ. libr. 2.

* *Ex Job. Gerh. Patrologiâ.*

JOHANNES de GAULA, ſive GAULENSIS.

Clar. A.C. 1260.

MAgni nominis in Scholâ *Pariſienſi* Theologus, profeſſione *Franciſcanus*, tantæ fuit eruditionis, ut *ter maximus* haberetur, & *Arbor vitæ*, in inſignem Filii Dei contumeliam, diceretur. De re quâcunque ex tempore potuit diſſerere, ut referunt *Centuriatores Magdeburgenſes Centuriâ XIII. cap. X.* Scripſiſſe dicitur 18. *magna Volumina*, ut teſtatur *Gerhardus Johannes Voſſius lib. II. de Hiſtoricis Latinis cap. 58.* *Theologus ter maximus, & Arbor vitæ dictus.* *Ejus Scripta.*

Claruit circa A.C. 1260.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

GILBERTUS MAGNUS.

Obiit A.C. 1280.

IN *Angliâ* natus, Monachus fuit Ordinis *Ciſtercienſis S. Bernhardi*, propter eruditionem & vitæ Sanctitatem *Magnus* vocatus. Poëta elegans, Orator exquiſitus, Philoſophus ſubtilis, Hiſtoricus verax, Concionator celebris, & Theologus profundus. Præſes tandem totius Ordinis ſui Generalis electus eſt. *Monachus Ciſtercienſis.* *Præſes generalis Ciſterc.*

Præter *Academias Anglicas*, *Pariſienſem* & *Tholoſanam* frequentavit, in quibus diſputando, legendo, & ſcribendo magnam nomini ſuo famam conciliavit. *Tholoſæ* tandem obiit circa A.C. 1280. *Obiit.*

Opera ſcripſit & edidit: *Ejus Scripta.*

Comment. in diverſos S. Scripturæ Libros.
Diſtinctiones Theologicas.
Doctorum Collectanea.
Concionum Librum unum.
Pro Chriſtianis contra Gentiles verſu Elegiaco.
Quid ſit Monachus?
Conciones in Oraculum Cyrilli Carmelitæ Græci.
De Naturis rerum.
Epiſtolarum ad diverſos Librum unum.
Hiſtoriam, quâ Scropum imitatus eſt.

* *Ex Theatro Italico Virorum eruditorum Hieronymi Ghilini.*

ALEXANDER ab ALEXANDRIA.

Obiit A.C. 1314.

A Patriâ ſuâ cognominatus, Monachus fuit religioſus Ordinis Minorum *S. Franciſci*, Philoſophus & Theologus inſignis, Lauream Doctoralem cum applauſu *Barcellonæ* accepit. Non multò pòſt Provincialis *Genuenſis*, & An. 1313. Ordinis *Franciſcanorum* Generalis electus eſt. *Theologiæ Doctor.* *Generalis Franciſcanorum.*

Ad vitam meliorem abiit A.C. 1314. *Romæ* ſepultus in Templo *Ara cœli* vocato, ſine ullo monumento.

Edidit: *Ejus Scripta.*

Commentar. in Evangelium Johannis.
in Epiſtolas Pauli, in Eccleſiaſticum, Eſaiam, & Tobiam.
Poſtillam, quæ incipit: Annunciabo tibi.
Quæſtiones quodlibeticas.
Tractatum de Uſuris.
In Metaphyſicam, in lib. de Animâ, & alios Ariſtotelis.

* *Ex Theatro Italico Virorum doctorum Hieronymi Ghilini.*

Clar. A.C. 1320.

FRANCISCUS MAYRONIS.

Monachus Franciſcanus.

FRanciſcus Mayronis, natione Scotus Ord. S. Franciſci, Scoti Diſcipulus, à Poſſevino Doctor illuminatus nuncupatus, vixit circa A. C. 1320.

Ejus Scripta.

Scripſit

Commentarium in 4. libr. Sententiarum.
Quodlibeta.
Formalitates.
De primo principio.
De expoſitione divinorum nominum.
De Univocatione.

Quæ omnia ſimùl edita *Venetiis A. 1520. & 1556.*

Quadrageſimale.
Sermones de Sanctis.
De paupertate Chriſti & Apoſtolorum.
De Virtutibus & Vitiis capitalibus.
De Articulis fidei.
De Baptiſmo.
De Humilitate.
De Indulgentiis.
De Corpore Chriſti.
De Angelis.
De ſuffragiis defunctorum.
De Pœnitentia.
De ultimo Judicio.
De ſeptem donis Spiritus Sancti.

Quæ omnia *Baſileæ* impreſſa.

* *Ex Joh. Gerhardi Patrologiâ.*

Clar. A.C. 1322.

NICOLAUS LYRANUS.

Theologus eruditus.

NAtus *Judæus* in *Angliâ*, & poſtea factus Monachus, *Franciſcanus*, in Theologiâ valdè fuit eruditus, multaque ſcripſit ad Chriſtianam pietatem promovendam. Hebraicam linguam perfectè calluit; fuit ingenio prompto, nec minùs converſatione quàm ſcientiâ venerandus.

Ejus opera omnibus S. Scripturam diſcere cupientibus neceſſaria eſſe nemo melius novit, quàm qui ſe in eorum lectione exercuerit. Sunt qui eum ob verborum ſimplicitatem contemnendum exiſtiment, ſed ſi res ipſas, non verba, iſti detrectatores ſpectârint, non dubium eſt, quin ab eis maximè laudetur.

Simplici ſtylo uſus eſt.

Dixit quidam cavillator de eo: *Lyranus benè lirat, ubi non delirat.*

Claruit temporibus *Ludovici IV.* Imp. & Papæ *Johannis XXII.* A. C. 1320.

Abrahamus Bucholcerus in Indice ſuo Chronologico ſcripſit, eum *Biblia Sacra Scholiis illuſtrare cœpiſſe* A. C. 1322.

Ejus Scripta.

Scripſit

Super Sententias Lib. IV.
Comment. in Geneſin, in Exodum, in Leviticum in Numeros, in Deuteronom. in Joſuam, in Ruth, in Paralipomena, in Esdram, in Nehemiam, in Tobiam, in Judith, in Eſther.

* *Ex Appendice ad Promptuarium Iconum inſigniorum Guilielmi Rovillii.*

* * *

Scripſit etiam, teſte *Joh. Gerhardo in Patrologiâ.*

Librum de Corpore Chriſti:
Librum contra Judæos.
Quæſtiones V. ac N. Teſtamenti.
Tractatum de Viſione Dei.
Expoſitionem decem Præceptorum.
Tractatum de idoneo miniſtrante & ſuſcipiente Sacramentum Altaris.

WILHELMUS OCCAM.

Obiit A.C. 1347.

MOnachus fuit *Anglus* Ord. excalceatorum, & *Johannis Scoti* diſcipulus, quem tamen acerrimè Scriptis ſuis impugnavit.

Monachus religioſus.

A. 1324. Excommunicatus à Papâ *Johanne XXII.* cujus vitam impiam publicè ſcriptis perſtrinxerat, *Monachium* ad Imp. *Ludovicum V.* cognomento *Bavarum* confugit, quem genubus ſupplex his verbis allocutus eſſe fertur: *O potentiſſime Cæſar! defende me contra Papæ injurias, & ego Te verbis ac Scriptis contra illum defendam.* Apud hunc Imperatorem ſubſiſtens, contra Papam ſcripſit, eumque hæreticum declaravit.

Excommunicatus à Papâ.

Papam ſcriptis oppugnat.

Mortuus tandem eſt *Monachii in Bavariâ* 10. April. A. C. 1347.

Moritur.

Ejus Scripta.

Scripſit

In 4. libros Sententiarum.
Librum Quodlibetorum.
De fautoribus hæreticorum.
De Sacramento Altaris.
Compendium Theologiæ.
De actibus Hierarchicis.
De ingreſſu Scientiarum.
De paupertate Apoſtolorum.
De Poteſtate Pontificum & Imperatorum.
Opus nonaginta dierum, & Dialogos contra *Johannem. XXII. P. M.*

* *Ex Indice Chronolog. Abrab. Bucholceri, & Patrologiâ Job. Gerbardi.*

* * *

In Oppido Angliæ *Ockham* natus à patriâ cognominatus eſt, Philoſophus acerrimi judicii, ſed novitatis amans: cujus ingenium, (ut ſcribit *Bertius in deſcriptione Scotiæ,*) ingenia omnia vetera ſubvertit, nova ad invictas inſanias, ob incomparabiles ſubtilitates, fabricavit & conformavit: dictus hinc eſt *Lima ingeniorum.*

Philoſophus ſingularis.

Lima ingeniorum dictus.

Hoc Autore cœpit illa famoſa de *Univerſalibus*, quæ vocant Logici, diſputatio, *ſintne res, an pura Nomina?* Horum enim primum qui ſtatuerunt, nuncupati ſunt *Reales*, qui ultimum, *Nominales*; ipſeque *Ockham Nominalium pater.* Unde *Gabriel Biel*, unus ex ejus diſcipulis, tanquam novam ille philoſophandi rationem inveniſſet, Ockamenſem venerabilem Inceptorem adpellat.

Nominalium Pater.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

JA-

Clar. A.C. 1360.

JACOBUS de ALTA VILLA.

Abbas. PAtria *Rinkaugienſis*, *S. Ringavienſis*, Abbas Monaſterii *Eberbacenſis* quindecimus Ordinis Ciſtercienſis, quod in deſcenſu Rheni duobus fermè miliaribus à *Moguntia* diſtat. Vir Doctiſſimus. Vir in divinis ſcripturis Studioſus, & eruditus, & ſecularium literarum non ignarus: Gymnaſii *Pariſienſis* decus, & Doctor inſignis. Claruit ſub Imperatore *Carolo IV.* Circa A. C. 1360.

Scripſit:

Ejus Scripta. *Super Sententias notabile opus. L. IV.*
Quæſtionum variarum Diſputatarum Lib. I.
Epiſtolas elegantes ad diverſos.

* *Ex Moguntinenſibus rebus Nicolai Serarii.*

Obiit A.C. 1379.

JOHANNES TAULERUS.

ORtu *Colonienſis* Theologiæ Doctor, Ordinis *Dominicani* Monachus, & Theologus ſingularis, ut Scripta ejus devota teſtantur. Theologus devotus.

Obiit. Obiit *Argentorati* in Cœnobio *Dominicano* 15. Julii A. C. 1379.

In lapide Sepulchrali juxta Auditorium Theologicum effigies ejus apparet geſtans in pectore coronam cum hiſce literis: *C H R S.* Ad ſiniſtram ſtat Agnus DEI, quem Monachus digito dextræ manus monſtrat. Sub effigie ſcripta leguntur hæc verba:

ANNO M CCC LXXIX. OBIIT F. JOH. TAULERUS.

Scribere hic ſæpius eſt ſolitus ſequent. Germ. verſiculos:

Wer die Welt erkieſet/
Daß er GOtt verlieſſet/
Wanns es geht aus Scheiden/
Verliert ers alle beyden.

Item & ſeq.

Corpus animæ ſit ſervus:
Anima Spiritûs:
Spiritus Dei:

* *Ex Catalogo Germ. mille virorum illuſtrium M. Wolfg. Crügeri Eccleſiæ Paſtoris Turnav. & aliis.*

* * *

Natione *Germanus*, Monachus *Dominicanus*, *Colonienſis* olim itemque *Argentoratenſis* inſignis fuit Concionator, & graviſſimus Abuſuum Papiſticorum Cenſor, Scriptis piis & devotis non minus ac doctis clarus.

Scripta ab eo edita. Extant inter alia *Sermones* ejus admirabili ſpiritu editi, itemque de *Paſſione Domini Liber* devotiſſimus, judice *Sixto Senenſe Lib. 4. Bibl. S.*

D. Lutheri de eo Judicium. De *Concionibus Tauleri* ita inquit *D. Lutherus Epiſt.* 23. *Si te delectat puram, ſolidam antiquæ ſimillimam Theologiam legere in Germanicâ linguâ effuſam, Sermones Johannis Tauleri Prædicatoriæ Confeſſionis tibi comparare potes. Neque enim ego vel in Latinâ, vel in noſtrâ Linguâ Theologiam vidi ſalubriorem & cum Evangelio conſonantiorem.* Hæc ille.

Negari interim non poteſt, quædam in ejus Sermonibus inveniri, quæ occultas inſpirationes, verbum internum, & alia contra noſtram fidem pugnantia prodant. Vide *D. Nic. Hunnium* in der Chriſtlichen Betrachtung der neuen Paracelſiſchen und Weigeliſchen *Theologiâ*.

Hunc virum, inquit *Bellarminus Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ut ſuſpectum circa fidem, contempſit *Johannes Eckius*, ſed egregiè eum defendit *Ludovicus Bloſius*.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

* * *

Scripſit, ſecundùm *Joh. Gerhardi Patrologiam*: Scripta alia.
Sermones de perfectione vitæ interioris.
Tractatum de Virtutibus.
Epiſtolas ad diverſos.
Cantica Spiritualia.
De 9. gradibus Chriſtianæ perfectionis.
Speculum & exemplar Domini noſtri Jeſu Chriſti.
Exercitia de vitâ & Paſſione Chriſti.

JOHANNES RUSBROQUIUS.

Obiit A.C. 1381.

BRabantus Monaſterii *Vallis viridis* propè *Bruxellas* primus Prior, Ordinis *S. Auguſtini* Canonicorum Regularium. Abbas Belg. *Sixtus Senenſis* & *Thomas Bozius lib. IX. de Signis Eccleſiæ* Carthuſianum ſcribunt, ſed errat uterque. *Dionyſius Carthuſianus Tractatu de Spiritu Sancto* appellat eum alterum *Dionyſium Areopagitam*. Theologus ſublimis. Attamen cum altiora contemplans, altius loqueretur, viſus eſt aliquibus, atque adeò *Johanni Gerſoni*, Pariſienſi Cancellario, in multis errare & ſapere hæreſin: *Laurentius Surius* verò egregiè eum tuetur.

Vir ſanctus tandem, enavigato hujus mortalitatis turbulento pelago, anno æt. 88. Obiit Senex. Sacerdotii 64. ad portum perpetuæ quietis pervenit, ſepultus autem ante ſumum altare in Sepulchro latericio jacet, cum hoc Epitaphio:

Epitaphium.
HIC JACET TRANSLATUS DEVOTUS PATER
D. JOHANNES DE RUYSBROECK,
I. PRIOR HUJUS MONASTERII,
QUI OBIIT ANNO DOMINI M CCC LXXXI
II. DIE DECEMBRIS.

Ejus hæc ſunt opera:

Scripta. *Regnum amantium Deum*, ſive *Summa vitæ Spiritualis.*
De IV. Tentationibus.
De Fide & Judicio.
De Calculo, ſive de Perfectione Filiorum Dei.
Speculum Salutis æternæ.
De Negotiis Spiritualibus Lib. III.
De VII. Seris, ſive Cuſtodiis.
De VII. Gradibus Scalæ Spiritualis Amoris.
De verâ Contemplatione.
De Tabernaculo Spirituali Moyſis.
Liber Retractationis.
De Unione amantis animæ cum Deo.

De

De XII. Beghinis ſive Virginibus Deo devotis, tractans de duplici vitâ hominis Contemplativâ & Activâ.

Epiſtolæ exhortatoriæ & aliæ.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

GERARDUS MAGNUS.

Obiit A.C. 1384.

VUlgò *Groot*, *Daventrienſis*, natus eſt A. C. 1340. *Pariſiis* ad Magiſterium 18. ætatis anno promotus, & *Aquenſis* Eccleſiæ Canonicus inveſtitus eſt. *D. Johannem Rusbroquium* Religioſum & Priorem *Viridis Vallis* propè *Bruxellam* inviſit ad videndam devoti Patris præſentam corporalem. Domum fratrum, quos de Communi vitâ nuncupant, *Daventriæ* primus inſtituit.

Canonicus Aquenſis & Theologus.

Domus fratrum de communi vitâ Fundator Daventriæ.

Vir egregiè doctus & pius animam Deo reddidit ipſo die Bernhardi Feſto, A. C. 1384. ætatis 44. circiter, ſepultus in Eccleſiâ B. Mariæ cùm hoc Epitaphio incondito:

Ejus Epitaphium.

Gerardus Magnus *vixit ſicut pius agnus,*
Fecit quod dixit, ſicut docuit quoque vixit.
Sicut non fictus, aliis mitis, ſibi ſtrictus.
Lux fuerat Cleri, tradens huic lumina veri.
Hic mundo ſpretus, ſed pnevmate corde repletus.
Ejus doctrina falſi fuerat quaſi ſpina,
Ridiculum vanis, odium mentis malè ſanis,
Quæ falſos læſit, pars veridicis ſed adhæſit.
Illi pro vero, fuit utilis hic quia Clero.
Ut Clero Laicis prodeſſe volens inimicis,
Doctrina veri, debet Chriſtus miſereri.
Ejus de jure pro tali ponere curæ.
Talis namque fore voluit gratis, ſed amore
Divino tactus, nullâ mercede coactus.
Namque reſignavit præbendas, ſicut amavit
Chriſtum, ſic ſtravit Carnem, tenues quoque pavit,
De propriisq; bonis tenuit regimen rationis.
Sic fuit exemplo lux in Chriſti bene templo,
Gerardus Magnus, *quem verus diligit agnus,*
Sanctorum ſortem tenet, evincens quoque mortem.

Scripta.

Scripſit:

De Contractibus & Uſuris Lib.
Concluſa & Propoſita.
De ſtudio in Sacris Libris.
De locatione Curæ Paſtoralis.
De Converſatione internâ.
De Incommoditatibus Matrimonii.
De Inſtitutione Novitiorum.
De Regimine Monialium.
Sermones varios.
Epiſtolas ad diverſos.
Concordiam Evangeliſtarum de Paſſione Domini.
Tractatum de Paupertate.
Proteſtationem de veridicâ Prædicatione.
De vitio Detractionis.
Queritur? an quis poſſit.
De IV. generibus Meditabilium.
De Revocatione Lapſi.
Cordiale IV. Noviſſimorum, & alia multa, quæ latent in Bibliothecis, teſte *Johanne Bunderio.*

De VII. Gradibus Divini Amoris Joh. Rusbroequii Latinè redd.

Vitam ejus deſcripſit *Thomas Malleolus à Kempis*, & copioſius *Johannes Buschius in Chronico Windeſemenſi.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

JOHANNES WICLEFUS.

Obiit A.C. 1387.

OXonii in Collegio *Martonenſi* liberales artes percepit, inque Theologiâ Scholaſticâ primas tenuit. Factus deindè Theologiæ Doctor, ejusque multis annis Profeſſor, vir Doctrinâ & pietate conſpicuus, cum errores in Eccleſiâ graſſantes ex Scriptis *Bedæ*, *Alcuini*, *Johannis Carnotenſis*, *Giraldi*, *Nigelli*, *Neckami*, *Bacanthorpii Sevalli*, *Ockami*, *Hampoli*, & aliorum agnoviſſet, Monachos primùm Mendicantes oppugnavit, ſecutus *Richardum Armachanenſem* Archiepiſcopum in *Hiberniâ* Juris & Theologiæ doctum, qui eodem tempore Librum adverſùs Monachorum horum Religionem edidit.

Theologiæ Doctor & Profeſſor.

Oppugnat Monachos mendicantes.

A levibus verò initiis ad majora progreſſus, tandem Sacramentum Altaris Pontificiorum oppugnavit, & conſtanter docuit, Panem in S. Cœnâ nequaquam in Corpus Chriſti transmutari.

Et Sacramentum Altaris.

Neque hîc ſubſtitit, ſed gratiâ & favore jam valens caput ipſum petiit, Papam Antichriſtum publicè in Cathedrâ pronuntians, & propoſitum ſibi eſſe dicens, Bullas, Indulgentias, Miſſas, Confeſſionem auricularem, Unctiones, aliasque in Eccleſiâ vagantes ſuperſtitiones abrogare.

Et Papam Romanum.

Et licèt in Diſputationibus ſuis ex Patrum quoque Eccleſiæ Scriptis opiniones ſuas confirmâſſet, non tamen iis uti voluit, niſi quatenùs cum S. Scripturâ conſentirent, nullamque aliam agnovit veritatem, quàm quæ in S. Bibliis continetur. Ideò *Polydorus Virgilius* infamem & pertinacem hæreticum eum appellavit.

Monachi mendicantes, inter quos præ cœteris adverſarium habuit *Johannem Kenynghamum* Carmelitanum, ab ejus Concionibus in rabiem converſi ab Epiſcopis opem ſolicitârunt. Hi vires ſuas in reſiſtendo doctrinæ *Wiclefi* debiles nimis eſſe perſpicientes, ad Papæ ſubſidium confugerunt, &, ut ille *Wiclefum* anathematis fulmine percuteret, flagitârunt.

Monachi ad Epiſcopos & Papam confugiunt.

Magno cum fructu ſub *Edoardo III. Anglorum* Rege circa A.C. 1372. docuit Evangelium. Tunc inter nobiles & Equites Regis aulicos fautores habuit *Johannem Cavoyum*, *Ludovicum Cliffordum*, *Richardum Sturium*, *Thomam Latimerum*, *Wilhelmum Nevilium*, & *Johannem Montacutum*, qui ex diœceſi ſuâ ſtatuas & imagines Sanctorum abrogavit. Ad ejus quoque doctrinam *Johannes Nordhamtonus*, gubernator *Londini*, ſcortatores & adulteros omnes ſeverè punivit.

Evangelium docet.

Epiſcoporum Conventus contra Wicleſum.

A. 1376. Regni *Edoardi III.* ultimo, cum Epiſcopi Angli diem indixiſſent, quâ *Wicleſi* doctrinam damnarent, eâ die appropinquante miſſus â Rege *Ludovicus Clifford*, Conſiliarius ejus primarius, Epiſcopis ſeverè prohibuit, ne judicium de *Wicleſo* ferrent.

Deindè cum Epiſcopi congregati in Sacello Archiepiſcopi conſilia conferrent, Cives quidam Londinenſes audacter ingreſſi Sacellum, & tumultum concitantes *Wicleſum* defenderunt, qui confirmatus, Concluſiones doctrinæ ſuæ propoſuit, quarum præcipuæ fuerunt hæ: 1. *In Religionis negotio, præter Verbum DEI S. Bibliis comprehenſum, nullam aliam eſſe nec reperiri poſſe veritatem.* 2. *Bona Eccleſiaſtica à Regibus & Magnatibus non niſi eâ conditione abalienari poſſe, ut DEI Gloria & Eccleſia Chriſti propagetur.* 3. *Papam Romanum malè viventem, & docentem ab omnibus reprehendi poſſe ac debere.*

Concluſiones doctrinæ Wicleſi.

A. 1377. Regnante poſt mortem *Edoardi III. Richardo II.* inſtante Papâ *Gregorio XI.* Archiepiſcopus *Cantuarienſis* ipſi carceri incluſo ſilentium impoſuit. Sed brevi pòſt, favore Procerum quorundam, liberatus, & Paſtor Eccleſiæ *Luterwortenſis* in Epiſcopatu *Lincolnienſi* factus, æquè ac anteà liberè Verbum DEI docuit. Idcircò Papa *Gregorius XI.* manu ſuâ 22. Maji A. 1378. ad Regem *Richardum* ſcripſit, qui *Wicleſum* in exilium egit, â quo non multò poſt reverſus, ad munus priſtinum in Eccleſiâ docendi rediit, & ubique ſibi conſtans permanſit.

Paſtor Eccleſiæ Luterwortenſis.

Fit exul.

A. 1378. Cum poſt mortem Papæ *Gregorii XI.* duo Papæ fuiſſent electi, unus *Romæ*, alter *Avenioni* in *Galliâ*, & pernitioſum in Eccleſiâ Schiſma indè ortum per 30. annos durâſſet, *Anglia* quoque â gravi ſeditione turbata fuit: Ruſtici enim ſeditioſi *Simonem Sarburienſem*, Epiſcopum *Cantuarienſem*, decollari curârunt, in cujus locum ſucceſſit *Wilhelmus à Courtenay*, Evangelicorum adverſarius vehemens.

Studioſis Oxoniæ Doctrina Wicleſi prohibetur.

Creſcente interim numero doctrinæ *Wicleſi* adhærentium, *Wilhelmus Perron*, Decanus *Oxonienſis*, literis ſub Sigillo Univerſitatis publicatis, ſtudioſis ſeverè prohibuit, ne doctrinam *Wicleſi* propugnarent, ipſique *Wicleſo*, jam ter admonito, niſi ab errore deſiſteret, carcerem & exilium minatus eſt; qui eam ob cauſam iterum Fidei ſuæ Confeſſionem eâ cum moderatione edidit, ut adverſarii ejus mitiores redditi fuerint.

Terræ motus diſſipat Concilium Epiſcoporum.

A. 1382. Cum Archiepiſcopus *Cantuarienſis Londini* Concilium Epiſcoporum & Doctorum inſtituiſſet in Cœnobio *Jacobinorum* congregatorum, eodem tempore terræ motus *Angliam* concuſſit, ut quidam Epiſcopi conſternati ab hoc negotio deſiſtendum eſſe conſulerent. Sed Archiepiſcopus, Concilii autor, terræ motum eſſe bonum ſignum dicens, eos in propoſito confirmavit, qui dogmata *Wicleſi* dijudicantes, ea pleraque eſſe hæretica, Eccleſiæ Romanæ adverſa, & ſcandaloſa concluſerunt.

Scribit ad Papam.

Circa A. 1384. Iterum in exilium actus *Wicleſus*, ad Papam *Urbanum VI.* Epiſtolam ſcripſit, quâ fidei ſuæ Confeſſionem breviter complexus eſt, & Papæ dominium ſeculare impugnavit.

Moritur.

Ab exilio tandem reverſus, in Eccleſiâ ſuâ de *Lutterworth* ad finem vitæ ſuæ Verbum DEI docens obiit ult. Dec. A. C. 1387.

Mortuus comburitur.

A. C. 1428. ab ejus morte 41. *Martini V.* Pontificis Maximi Conciliique *Senenſis* decreto, cadaver ejus effoſſum, & tanquam diris devoti hominis exuſtum eſt, cineresque in fluvium projecti.

Et Libri ejus.

Libri ab ipſo editi A. 1410. *Oxoniæ*, præſente Abbate *Salopienſi*, tunc Cancellario, combuſti ſunt: multi tamen ſuperſtites manſerunt. *Æneas Sylvius* refert, eum plus quàm 200 Volumina concinnè facta ſcripſiſſe, eaque per *Subincum Leporem*, Archiepiſcopum *Pragenſem*, concremata fuiſſe. *Joh. Baleus* eum ultra 150. Scripta edidiſſe refert: tranſtulit etiam in *Anglicum* Sermonem *Biblia*, præmiſſis cuique Libro ſuis Præfationibus & Argumentis.

* *Ex Matyrologio Magno Germanico* D. *Pauli Crocii*, & *ex Jacobi Verbeiden Libro Theologor. qui Rom. Antichriſtum oppugnârunt.*

Libri â *Johanne Wicleſo* ſcripti remanſerunt:

De Chriſto & Antichriſto.
De unico Salutis Agno.
De defectione à Chriſto.
De veritate Scripturæ.
De Fide Evangelii.
De dotatione Eccleſiæ.
De Apoſtaſiâ.
De Blaſphemiâ.
De Servitute Civili.
De Civili & Eccleſiæ Dominio.
De Abominatione deſolationis.
De Fonte Errorum.
De Otio & mendicitate.
De ſeductione ſimplicium.
De quaternario Doctorum.
De quintuplici Evangelio.
De Diaboli millenario.
De Origine Sectarum.
De Purgatorio piorum.
De Satanæ aſtu contra fidem.
De Miniſtrorum Conjugio.
De ſtatuendis Paſtoribus per plebem.
De Simoniâ Sacerdotum.
De non ſaginandis Sacerdotibus.
De Bullis Papalibus.
De Papâ Romano & ejus nequitiis.
De Epiſcoporum & Curatorum erroribus.
De Hypocritarum impoſturis.
Contra Mendicitatem validam.
De Falſatoribus Legis Divinæ.
Contra Cruciatam Papæ.
De Fratrum Nequitiis.
Dialogus de Fratribus.
Super Pœnitentiis injungendis.
Impedimenta Evangelizantium.
In Prophetiam Hildegardis.

De Quidditate Hoſtiæ conſecratæ.
De ritibus & fide Sacramentorum.
Ceremoniarum Chronicon.
Collectiones contra Dominicanos.
Metaphyſica.
Speculum Cleri per Dialogum.
Speculum ſecularium dominorum.
Lectiones in Danielem, & Apocalypſin Johannis.

* *Caſp. Cunrad. Proſopogr. mel. mill. III.*
Ob verum me Papa fugat, refoditq́ ſepultum,
Igne cremans, ſtygii filius ipſe rogi.

Claruit. A.C. 1392.

RUPERTUS MONACHUS.

CLaruit circa A. C. 1392. apud *Moguntiam* in Monaſterio S. Albani *Rupertus Monachus*, undecunque doctiſſimus, Græcè & Latinè peritus, qui Scholæ Monachorum in eodem loco præſidens, multa ingenii ſui monimenta poſteris reliquit, ex quibus ſunt: *Monachus in Monaſterio S. Albani.*

Ejus Scripta.

Homiliæ & Sermones elegantes.
Vita S. Albani metricè conſcripta.
De Muſicâ Proportione tractatus.

* *Ex Nicolai Serarii tractatu de rebus Moguntinenſibus.*

Obiit A.C. 1393.

NICOLAUS EYMERICUS.

GErundenſis, Provinciæ *Catalauniæ*, inſtituti *S. Dominici*, Doctoris Theologiæ Laureâ eſt inſignitus, & in *Hiſpaniâ* Judex Religionis per annos amplius 44. ſucceſſit *Nicolao Roſeel*, Cardinali creato tit. S. Xyſti ab *Innocentio VI.* Pontifice Maximo. *Theologiæ Doctor. Judex Religionis in Hiſpaniâ.*

Gregorio XI. Papæ â Sacris fuit, cum quo & *Avenione* familiariter verſatus, plenus tandem dierum *Gerundam* in Patriam, indeque in Beatorum ſedes prid. Non. Januarii commigravit A. C. 1393. Spectaturque *Gerundæ* apud Sodales tumulus Epitaphio inſcriptus. *Gregorio XI. P. M. à Sacris.* *Obiit.*

Scripta ad poſteros tranſmiſit: *Ejus Scripta.*

Directorium InquiſitorumTom. III. abſolvit.
Homilias in Dominicas anni totius.
in omnes feſtos Sanctorum dies.
Commentaria in 4. Evangeliſtas.
in Epiſtolas ad Galatas, & ad Hebræos.
De Schiſmate.
Vitam & Miracula fratris Dalmatii Monerii, cujus alumnus fuerat.

* *Ex Bibliothecæ Hiſpaniæ variorum auctorum Tom. II.*

Obiit A.C. 1414.

JOHANNES MULBERGIUS.

HIc ætate adultior, apud minorem *Baſileam* literarum omnium expers veteramentarii Sutoris artem exercuit: Occulto poſtea motu ductus, ut prima literarum elementa diſceret, puerorum cœtui ſeſe miſcuit, ac ſingulari eorum deſiderio intra paucos annos tantum profecit, ut Ordinem tandem *Dominicanorum* profeſſus, doctrinâ dicendique facultate æqualium ſuorum nulli ceſſerit. *Ex Sutore illiterato* *Monachus Dominicanus.*

Hic anno 1400. contra *Lolhardorum* atque *Beginarum* ſectam, qui ſe de Evangelicâ perfectione nominabant, longo tempore inoletam, qui domos etiam ſupra 20. *Baſileæ* acquiſiverant, foribus Cruce inſignibus, adeò declamavit, ut Epiſcopales contra ejus generis homines proceſsûs atque fulmina obtineret. Contendebat enim, eum vivendi modum improbum & illicitum eſſe, nec decere eos mendicare, habitu item â cœteris mortalibus diverſo ſub religionis ſpecie uti, cum eorum vitæ genus ab Eccleſiâ non eſſet comprobatum, & quotquot altari non ſervirent, manuum labore ſibi victum comparare tenerentur: tantum igitur abeſſe, ut ſpontaneo paupertatis ſeu mendicitatis causâ cœteris laicis perfectiores & vitæ Chriſti magis conformes dici deberent, ut etiam tanquam erronei homines â veritate deviantes, & â Canonibus quoque condemnati, prorſus excludendi, nec uspiam tolerandi eſſent. *Declamator contra Lolhardos, & Beginas.*

Franciſcani contra horum conſortia tueri, iis, tanquam fratribus atque ſororibus, de tertiâ *Franciſci* regulâ calculo dudum approbatâ patrocinari, atque illorum inſtitutum, propter Chriſtum rebus omnibus renuntians, pium, ſanctum, atque perfectum Religionis ſpecimen Evangelicæ concionando diſputandoque aſſerere.

Duravit hic conflictus annis ferè 12. continuis, ipſique Magiſtratui multum negotii fecit, ad tumultûs præcavendos, qui ob contrarios partium conatûs nonnunquam pertimeſcendi erant. Tandem re diu multumque etiam in Curiâ Romanâ agitatâ A. 1411. abrogatis hujus farinæ hominibus, domicilia eorum partim Noſocomio magno, partim Epiſcopo aſſignata ſunt. *Franciſcanis* etiam omnis ſupellex inſtrumentaque domeſtica relicta, quæ ipſi, veluti certaminis præmium, in Monaſterium ſuum convexêre.

Mülbergius autem hujus incendii præcipua fax, quem *Sigismundus* Cæſar in formulâ Reformationis ad *Concilium Conſtantienſe* conceptâ nominatim rectè docuiſſe teſtatur, cum tempore Schismatis, ob *Gregorii* Papæ inobedientiam, Cleri *Baſilienſis*, (qui in *Alexandri* ejusque Succeſſoris *Johannis* 23. electionem conſenſerat,) odium ſibi conflâſſet, quod item contra Sacerdotum fornicationem uſurariosque acrius detonâſſet, concionandi munere privatus, in *Mülbrunnenſi* cœnobio *Spirenſis* diœceſis An. 1414. exul 5. Nonas Decemb. naturæ conceſſit. *Sigismundo Cæſari charus.* *Obiit exul Maulbrunnæ.*

De eo referunt, cum antelucanâ horâ ejus diei, quo ſolum ei vertendum fuerat, ante Cathedralis templi majorem portam flexis genibus ad Divam Virginem notâ illâ cantione *Salve Regina &c.* inclamare cœpiſſet, portam clauſam homini tam religioſo

ſuâ

Digitized by Google

ſuâ ſponte aditum feciſſe, ut ingreſſus devotioni ſuæ ſatisfecerit. Quâ de re quivis, quantum lubet, ſentiat.

* *Ex Epitome Hiſtoriæ Baſil. Chriſtiani Urſtiſii.*

Obiit A.C. 1415.

JOHANNES HUSSUS.

Natus eſt in pago *Bohemico*, *Huſſenitz* vocato, 6. Julii A. C. 1373. Diſcipulus in *Anglia Joh. Wiclefi.* Creatus *Pragæ* Magiſter Philoſophiæ A. 1395. Factus deinde Sacerdos & Concionator in Templo Bethlehemitico *Pragæ* A. 1400. cœleſti pane gregem Domini eſſe paſcendum, non Decretorum Pontificalium ſiliquis judicavit, & in concionibus ſuis docuit. *Fit Magiſter.* *Concionator Pragæ.*

A. 1408. Rogatus â Studioſis *Bohemis*, quibus *Germani* infeſti erant, ut ipſe cum *Hieronymo Pragenſi* viam aliquam expellendi *Germanos* inveniret; conſilio cum Magiſtris Academiæ habito, communi nomine hanc orationem habuit: Conſtat ex *Caroli* fundatoris conſtitutione, *Germanis* in electionibus aliisque deliberationibus publicis tria, *Bohemis* verò unum ſuffragium eſſe tributum: id quod propter penuriam *Bohemorum* factum eſt. Jam verò in tantâ copiâ *Bohemorum* juſtum omninò eſt, ut *Bohemi* tria, *Germani* unum votum habeant. Hâc oratione offenſi *Germani* ad Regem provocârunt, quod etiam *Bohemi* fecerunt. Poſt annum demùm elapſum Rex talem ſententiam pronuntiavit: Quoniam ex Privilegio Cæſareo manifeſtum ſit, *Pragenſem* Academiam ad normam *Pariſienſis* eſſe inſtitutam, in hâc verò *Galli* tria, exteri unum ſuffragium habeant, idcircò *Bohemis* etiam tria ſuffragia, *Germanis* autem unum deberi. Mox *Germani* Doctores, Magiſtri, Baccalaurei & Studioſi ſimùl omnes ſupra 40000. abierunt, plurimi in *Saxoniam*, & *Lipſiæ* Academiæ fundamenta jecerunt A. 1409.

Rector Prag. Interim eo ipſo Anno *Joh. Huſſus* Rector electus eſt Academiæ *Pragenſis.* Cum autem A. 1412. ab Impoſtoribus Pontificiis bulla plumbea in *Bohemiam* allata eſſet, quâ Indulgentiæ offerebantur omnibus, qui aliquid pecuniæ ad bellum, quod tunc Papa *Johannes XXIII.* cum *Ladislao* Rege *Neapolitano* gerebat, conferrent; *Huſſus* impium hoc pecuniæ aucupium concionibus & programmate publico impugnavit, provocavit etiam Doctores, Magiſtros, Monachos, & Sacerdotes ad diſputationem de talibus Indulgentiis. Eam ob cauſam multi ex plebe conſpirantes die quâdam Dominicâ, cum in Templo fieret mentio Papalium Indulgentiarum, publicè reclamârunt, qui mox â Senatu *Pragenſi* in carcerem conjecti, & in forum producti decollati ſunt. Cum verò *Huſſus* eos in concione quâdam ſupra Martyres extuliſſet, certior factus eâ de re Pontifex Rom. ſeverè edixit, ne *Pragæ* Miſſa ulla celebraretur, dum *Huſſus* ibi viveret, qui eam ob cauſam *Pragâ* diſceſſit, & in oppido quodam *Bohem.* ſubſiſtens, multos in ſuam ſententiam illexit, inter quos præcipui fuerunt *Hieronymus Pragenſis*, *Jacobus Miſnenſis, Pragæ* in Collegio Pauperum Profeſſor, & ad *D. Michaelem* Concionator, *Johannes Jeſnicius*, *Stephanus Paletius*, & *Petrus Dresdenſis*, Scholæ moderator, qui primus *Pragæ* ſub utrâque ſpecie Cœnam Domini celebrandam eſſe docuit, poſteà in oppido *Miſnâ* ludimoderatorem egit, & *Hymnos in Chriſti Natali cantari ſolitos*, in quibus Latinis Germanica mixta ſunt, compoſuiſſe fertur. *Indulgentias Papæ impugnat.* *Pragâ pellitur.*

3. Nov. A. 1414. Ad Concilium *Conſtantiæ* indictum vocatus, venit munitus Imp. *Sigismundi* literis fidem publicam promittentibus: eò deductus â duobus Comitibus, *Wenceslao de Duba* & *Johanne de Chlum*, cum hi â Summo Pontif. *Johanne XXIII.* ut tutum illum præſtaret, petiiſſent, id facturum ſe ſanctè pollicitus eſt, *ſi fratrem meum*, inquiens, *occidiſſet*, non *committam tamen, ut contumeliâ ullâ Conſtantiæ afficiatur.* *Conſtantiam venit.*

Mox articulos conſcripſerunt Cardinales, *Huſſi* dogmata complectentes, de Specie utrâque in S. Cœnâ Laicis porrigendâ, de Summi Pontif. poteſtate infra, non ſupra Eccleſiam collocandâ, de Donatione *Conſtantini Magni* improbandâ, utpote quæ opibus Eccleſiam cumulâſſet, & de *Johanne Wiclefo* injuſtè damnato. Etſi verò rogavit, ut ſuper eos audiretur, id tamen impetrare non potuit, ſed ad Cardinales tantùm ductus, & contra fidem datam cuſtodiæ traditus eſt, primùm in Cantoris ædibus, poſteà in Prædicatorum Monaſterio ad *Rhenum*, ubi ob fœtorem febri periculosâ laboravit, quâ ſublevatus, Advocatum ſibi concedi petiit; Sed Cardinales negârunt per Jus Canonicum licere hæreſeos nomine ſuſpecto Advocatum concedere. *In Carcerem conjicitur.*

Itâ ergò per hyemem totam in carcere detentus eſt, usque ad diem Mercurii Dominicam Palmar. A. 1415. præcedentem, quo die, cum fugâ elapſus eſſet Papa *Johannes XXIII.* traditus eſt Epiſcopo *Conſtantienſi* in arce cuſtodiendus. 5. Junii productus, ipſique articulus primus prælectus, ad quem cum reſpondere vellet, clamore populi impeditus eſt. 7. Junii iterum producto criminum objectorum articuli omnes prælecti ſunt, cumque ab eo poſtularetur, ut cederet, & judicio Concilii ſe ſubjiceret, reſpondit, *Libenter ſe ceſſurum, ſi modò erroris unius ex verbo DEI convinceretur*, ideò in carcerem reductus eſt.

16. Junii ductus eſt ab Archiepiſcopo *Rigenſi* in Templum magnum, ubi, concione habitâ, odium grave in illum conciliatum, & articuli errorum prælecti, tandem ſententia condemnationis publicè lata eſt, ut & ipſe & libri ejus publicè comburerentur: *Bohemis* pro eo fruſtra intercedentibus. *Ad ignem condemnatur.*

6. Julii, in præſentiâ Cæſaris *Sigismundi*, veſte ſacerdotali indutus, eâque mox ſpoliatus, traditus fuit Magiſtratui Politico. Cum verò quidam raſuram capitis novaculâ, alii for-

ſorfice corrumpendam contenderent, *Huſſus* ad Imperatorem converſus: Mirum, dixit, Epiſcopos hos, cum omnes ſint æquè crudeles, in ipsâ tamen crudelitate non conſentire. Deinde coronâ papyraceâ deformatus, in quâ diaboli picti erant, cum epigraphe: *Hic eſt Hæreſiarcha*, nihil animo conſternatus; ad locum ſupplicii cum veniſſet, in prato amplo intra Urbem & Arcem, altâ voce precatus eſt: *O Domine Jeſu Chriſte, ſupplicium hoc libenter patior propter ſanctum tuum Evangelium: tu verò veniam da omnibus hoſtibus meis.* Ad ignem propiùs ductus, dixit: *Hodiè anſerem uſtulatis, poſt annos centum veniet cygnus, quem aſſare non poteritis*, juxta ſeq. diſtich.

De Luthero vaticinatur.

IgnIs Corpora ſaCra ſaCrI ConsVMpſerat HVſsI,
1415.
Poſt HVſsVM CæCo ClCnVs In orbe CanIt.
1518.

Palo alligatus, cum ruſticum quendam ligna apportantem vidiſſet, dixit: *O Sancta ſimplicitas!* Rogo incenſo exclamavit: *O Chriſte fili DEI viventis miſerere mei!* tum *Symbolum Nicænum* cecinit, & vento flammâque ſubitò extinctus eſt 6. Julii A. C. 1415. æt. 42.

Comburitur.

BIs qVarta ILLVXIt MensIs QVIntILIs, Vt HVſsVs
ConſtantI Conſtans VstVs In Vrbe perIt.
1415.

A. 1416. Cum *Bohemi* percepiſſent, Doctorem ſuum *Huſſum*, *Conſtantiæ*, contra fidem â Cæſare *Sigismundo* datam, crematum eſſe, *Pragæ*, concurſu facto, Palatium Regium occupârunt, 7. Senatores è Curiæ feneſtrâ præcipitârunt, eodemque modo Vicarium Regium, cum cœteris undecim Senatoribus, tractâſſent, niſi fugâ ſibi conſuluiſſent. Poſteà doctrinam *Huſſi*, quo potuêre modo, propagârunt, & monetam argenteam cudi curârunt, cum inſcriptione ab ipſo *Huſſo* paulò ante mortem pronuntiatâ: *Poſt annos centum DEO & mihi reſpondebitis.* Tum *Johannem Ziskam* militiæ ſuæ Ducem fecerunt, qui, collecto exercitu magno, templa ac monaſteria Pontificiorum deſtruxit, & Imp. *Sigismundum* multis conflictibus ſuperavit. Hic exercitus in vexillis ſuis Anſerem & Calycem oſtentavit.

Bellum Huſſiticum.

Huſſi Scripta.

Libri ab *Huſſo* editi ſunt:

Explicatio Symboli, Decalogi, Orationis Dominicæ, cum aliis quibusdam ſcriptis, de Peccato mortali, Matrimonio, Cognitione & dilectione DEI.

De tribus ſortibus hominis, & 7. peccatis mortalibus.

De Sacramento Corporis & Sanguinis Chriſti.

De Sanguine Chriſti ſub ſpecie vini â Laicis ſumendo.

Contra Imaginum adorationem.

De ſufficientia Legis Chriſti ad regendam Eccleſiam.

De libris Hæreticorum legendis.

Tenor Appellationis ab Archiepiſcopo Pragenſi ad Papam contra combuſtionem librorum Joh. Wicleſi.

Epiſtolæ ſcriptæ, quo tempore Huſſus per Excommunicationem Pragâ abierat.

Defenſio quorundam articulorum Wicleſi.

De 5. Officiis Sacerdotum.

Tractatus de Eccleſiâ, pronuntiatus publicè in Civitate Pragenſi.

Conciones Synodicæ.

Liber de Antichriſto & membrorum ejus Anatomia.

De Unitate Eccleſiæ, & Schiſmate.

Liber de Regno, populo, vitâ, & moribus Antichriſti.

De Evangelicâ perfectione.

De Sacerdotum & Monachorum horrendâ abominatione Deſolationis in Eccleſiâ Chriſti.

De abolendis Sectis & Traditionibus hominum.

De pernitie Traditionum humanarum.

Hiſtoria geſtorum & Paſſionis Chriſti ex IV. Evangeliſtis in unum collecta.

Hæc & alia *Johannis Huſſi* opera omnia conjunctim extant impreſſa *Norimbergæ* in officinâ *Montani & Neuberi A.* 1558.

* *Ex Martyrologio magno D. Pauli Crocii, & ex Jacobi Verheyden Elogiis Theologorum, qui Rom. Antichriſtum impugnârunt.*

HIERONYMUS PRAGENSIS.

Obiit A. C. 1416.

PRagæ in patriâ bonis literis imbutus, *Lutetiæ* Magiſter artium liberalium ſalutatus eſt. Vir fuit Corporis formâ, virtute, eruditione, & eloquentiâ inſignis, qui multis in Sacerdotum perditos mores, ſuperbiam, avaritiam, nefandasque libidines, ut antea *Wicleſus* & *Huſſus*, intonabat.

Ex Angliâ Wicleſi doctrinam attulit Pragam.

A. 1400. Ex *Angliâ*, quò ſtudiorum cauſâ profectus erat, reverſus, dogmata quædam ex *Johannis Wicleſi* libris excerpta cum *Johanne Huſſo* familiari & Collegâ ſuo *Pragæ* communicavit, qui tamen eo tempore probare illa noluit, & ad ſupprimendum ea *Hieronymum* tentatus eſt.

Conſtantiam iter ſuſcepit.

Cum *Huſſum Conſtantiæ* indignè tractari percepiſſet, eò iter ſuſcepit, & *Iberlingæ*, Imperii Civitate, ſubſiſtens, fidem publicam ab Imperatore *Sigismundo* petiit, non tamen obtinere potuit: Sed captus in viâ per inſidias, vinctusque *Conſtantiam* pertractus eſt. Ibi accuſatores, agmine facto, ipſum invaſerunt, inter quos fuit *Gerſon*, Cancellarius *Pariſienſis*, ea producens, quæ quondam *Pariſiis* docuiſſet, & quibus Academiam turbâſſet.

Combuſtus eſt.

Per integrum abindè annum carceris ſordibus detentus, ad mortem rogumque condemnatus, & eodem, quo *Huſſus*, loco, palo alligatus, cum Lictor à tergo ignem admovere vellet, *Huc prodi*, dixit, *& ante faciem meam ignem accende, quem ſi timuiſſem, nunquam ad hunc locum, quem fugiendi facultas erat, acceſſiſſem.* Ita vivus crematus eſt *Conſtantiæ* 30. Maji A. 1416.

Conſtantiam ipſius Spectator *Joh. Franciſcus Poggius* prolixè & eleganter propoſuit

fuit in Epiſtolâ quâdam ad *Leonbardum Aretinum* ſcriptâ.

Juramentum cuidam, per conſcientiam ſuam, facienti, reſpondit, *tutiſſima hæc certè fallendi via eſt.*

* *Ex Lib. Jacobi Verheiden de Theologis Rom. Antichriſtum oppugnantibus.*

Flor. A.C. 1417.

NICOLAUS de CLEMANGIIS.

Patria.

PAtria illi fuit *Gallia*, nam ex oppido, ſeu (ut alii volunt) pago *Clamenge* in *Catalaunienſi* Diœceſi, provincia *Campaniæ* ſito, ortum ducebat.

Parentes & conſanguinei.

Parentes habuit familiæ quidem honeſtæ, ſed quibus res minimè lauta. Avunculus ei fuit *Petrus de Clemangiis*, Medicus civitatis *Catalaunienſis*.

Puer adhuc, literarum amore captus, relictâ patriâ & parentibus, omnibus denique poſthabitis, haud cunctanter ſtudiorum causâ *Pariſios* ſe contulit circa annum ætatis ſuæ 12.

Pariſios ſtudiorum cauſa ſe contulit. Laureâ Magiſteriali decoratus. Sacro-Sanctæ Theologiæ ſe totum tradit.

In *Navarrienſe* autem Gymnaſium receptus, tantum profecit, ut brevi tempore laureâ Magiſteriali fuerit decoratus. Sed cum humanioribus literis, Philoſophiæque ſtudiis parùm eſſet contentus, Sacro-Sanctæ Theologiæ ſe totum tradidit. Præceptoribus uſus eſt doctiſſimis, *Johanne Gerſonio*, cujus inſignia extant eruditionis monumenta; *Petro de Nongento*, quem ipſe ſemper vocavit doctiſſimum, & cui cùm *Martino de Calayo*, Baccalaureo Theologiæ, ſuos libros miſit viſitandos & approbandos; *Gerbardo Macheti*, Magiſtro in Theologiâ & Canonico.

Doctor Theologiæ. Rector Academiæ Pariſienſis.

His ille uſus Doctoribus, Doctoris Theologiæ titulum adeptus, non longè poſt Rector Academiæ *Pariſienſis* eſt creatus, ſæpiusque, ad extirpandum Schiſma, Schola *Pariſienſis* illius operam requiſivit.

Lectione & ſtylo tædium temporis tranſigebat, omnem horam periiſſe putans, quam non lectioni aut ſcriptioni impendiſſet.

Galeotus de Petra Mala, Cardinalis S. R. E. (cui ipſe poſtea Epitaphia ſcripſit,) auditâ nominis ejus celebritate, eum Cardinalibus primùm, deinde Pontifici *Benedicto XIII.* commendavit, qui eum *Avinionem* ad Curiam *Romanam* ſectandam evocavit, & à Secretis eſſe juſſit; ubi honoribus indies coronabatur, quamvis ipſi invidiam apud populares ipſos pepererint, diſpergentibus quibusdam, (licet per calumniam,) ipſum auctorem eſſe Bullæ excommunicatoriæ in *Carolum VI. Francorum* Regem latæ.

A Pontifice Romano ad Curiam Romanam evocatus.

Diſcedit è curiâ.

Septennio poſt diſceſſum ejus ex Curia, *Benedictus* Papa, per Legatum Apoſtolicum, hoc egit, ut ad ſe rediret: Sed fruſtra hoc tentatum eſt. Factus autem eſt primò Præcentor Eccleſiæ *Bajocenſis*; Deindè Archidiaconatum ejusdem Eccleſiæ obtinuit. Poſtea Theſaurariam *Lingonæ* adeptus eſt & canonicatum.

Honores & munera.

Superbus minimè, parvo ſemper fuit contentus, divitiasque contempſit. Beneficii pluralitatem oderat, ideoque *Cenomanenſem* præbendam, oblatam, cum ſuâ conjungere recuſavit.

Incidit in illud tempus, quo *Huſſus* & pius *Hieronymus* ceſſerunt corpora flammis, quo congregatum Concilium *Conſtantiæ* erat.

Tempora, in quæ incidit.

Corpuſculo fuit imbecilli; Nam cum in aulâ Pontificis *Avinioni* tempore peſtis adhuc verſaretur, (quam vehementer exhorruit, quia odore percipere potuit,) peſte jam remittente, ipſe lue eſt correptus, ſic ut per ſenos dies nihil alimenti ſumeret, paſſimque crederetur mortuus, imò plurima ipſi Epitaphia ſcriberentur.

Valetudo. Lue peſtilentiali correptus.

Papa ſanè *Benedictus*, cupiens oſtendere, quanti illum faceret, non ſolùm Medicum ſuum ipſi procuravit, ſed ipſe quoque ægrum in perſona inviſere & conſolari dignatus eſt; ita, ut mirùm non ſit, *Clemangem*, in laudibus Papæ prolixiorem fuiſſe, vicit enim animum ejus Papæ humanitas.

Papa Benedictus ægrum in perſona inviſere dignatur eſt.

Floruit autem *Nicolaus de Clemangiis* circa A. C. 1417. Obiit tandemque *Pariſiis*, viam univerſæ carnis introgreſſus, ibique ſepultus in *Navarrenſis* Collegii ſacello, ſub lampade, quæ de tholo ædis pendet, coram magno altari. Sepulchrum ſuum hoc ipſe diſticho ornavit.

Belga fui, Catalaunus eram, Clemangius ortu:
Hic humus oſſa tenet, Spiritus aſtra petit.

Monumenta poſteritati ab eo relicta ſunt ſequentia:

Ejus Scripta.

De corrupto Eccleſiæ ſtatu liber.

Deploratio calamitatis Eccleſiaſticæ, per *Schiſma nefandiſſimum* cùm exhortatione PP. & Pontificum ad ejus extirpationem.

De lapſu & reparatione juſtitiæ.

Diſputatio habita per ſcriptum, *ſuper materia Concilii Generalis*, cum quodam Scholaſtico *Pariſienſi*.

De Annatis non ſolvendis.

De Filio prodigo.

De Fructu Eremi.

De Fructu rerum adverſarum.

De novis celebritatibus non inſtituendis.

De Præſulibus Simoniacis.

Oratio ad Galliarum Principes, quâ eos à bello civili dehortatur.

Quod tam corpore è Babylone ſit fugiendum, quàm mente.

Epiſtolæ tres ad Gregorium Papam ſcriptæ nomine Benedicti XIII. pro extirpatione Schiſmatis & unione Eccleſiæ.

Scripta quædam nomine Univerſitatis Pariſienſis.

Volumen epiſtolarum.

Fragmentum deſcriptionis vitæ Tyrannicæ cum deteſtatione ac reprebenſione.

De Antichriſto & ortu ejus, vitâ, moribus, & operibus.

* *Ex Vitâ Nicolai de Clemangiis operibus præfixâ.*

Obiit circa An. Chr. 1420.
Patria Gobelini.

GOBELINUS PERSONA.

NAtus eſt in antiquâ *Saxoniâ*, quæ nunc *Weſtphaliâ* vocatur A. 1358.

Floruerunt tum temporis in *Italiâ*, *Franciſcus Petrarcha* & *Johannes Boccatius* Poëtæ, qui literarum ſtudia, 700. annis barbarie oppreſſa, ab interitu vindicârunt.

Totam *Italiam* perluſtravit, & in *Curiâ Romanâ* diu hæſit.

Sacris initiatur Gobelinus, Padebornæ templo præficitur.

A. 1386. Sacerdos initiatus, triennio pòſt Rector Capellæ S. Trinitatis in Eccleſiâ *Padebornenſi* conſtitutus eſt.

Diſcedit inde, & fit Officialis. Exoſus Monachis. Inde ei vitæ periculum.
Cucullum induit. Obitus.

A. 1405. Cum Conſules ejus loci ſtatutum quoddam condidiſſent Pontificum & Impp. decretis adverſum, pro concione id monere & reprehendere non deſtitit. Odio ergò laborans, loco ceſſit, Epiſcopi factus Vicarius, ſeu Officialis. Eo in munere Monachorum *Benedictinorum*, qui reformari nolebant, ibidem incurrit odium, qui cum apertè ipſi nocere non poſſent, veneno cibis inſperſo è medio ipſum tollere conati ſunt. Re autem detectâ, *Bilveldiam* abiit Comitatûs *Ravensburgici* metropolim, ubi Decanatu potitus eſt. Sed mundi pertæſus cucullum induit, ſtudiis literarum & precibus vacaturus, & ſexagenario major è vitâ exceſſit circa Annum Chriſtianæ Sal. 1420.

Studia ejus & mores.

Otium hic toto vitæ tempore deteſtatus eſt: Philoſophiæ in juventute, Theologiæ verò & Juri Pontificio in virili ætate operam dedit. *Auguſtinum* præ reliquis attentè legit. Pontifici cæterum addictior.

Legendam tamen de 11,000. virginibus & de S. Catharinâ in dubium vocavit, rationes afferens non elumbes.

* *Ex Melchior. Adami vitis Theolog.*

Obiit A.C. 1423.

CONRADUS HELIÆ.

IN oppido *Lauffen*, propè *Schaphuſiam* natus, Decretorum Doctor fuit, Officialis *Conſtantienſis*, poſteà Archidiaconus *Baſileenſis*. Vir fuit ſuo tempore celebris, & Epiſcopi nomine ad *Conſtantienſem* Synodum miſſus.

Archidiaconus Baſileenſis.

Epiſcopatum detrectavit.

Eum *Martinus* Pontifex, *Humberto Novocaſtrenſi* Epiſcopo defuncto, ſuffecerat, *Hartmanni*, Monachi de *Monchenſtein*, viri ætate & corpore gravis, electione à Canonicis factâ repudiatâ. Verùm hâc ille dignitate uſus non eſt, ſed pro modeſtiâ ſuâ, ne turbis occaſionem daret, viro ſeni, cui ampla potensque cognatio erat, loco ceſſit.

Obiit.

Baſileæ fatali ſomno correptus eſt A. C. 1423.

* *Ex Epitome Hiſtoriæ Baſil. Chriſtiani Urſtiſii.*

Obiit A.C. 1429. Monachus S. Auguſtin. Theologus & Philoſophus.

PAULUS VENETUS.

VEnetiis natus, Religionis Eremitanæ *S. Auguſtini* Frater, Philoſophus & Theologus per totam *Italiam* celeberrimus, *Theologorum Monarcha* vocari promeruit, & in flore ætatis vitam finiit *Patavii* 15. Junii A. C. 1429.

Obiit.

In Templo Eremitanorum *S. Auguſtini* ſepultus jacet, cum appoſitâ effigie, & hoc Epitaphio.

Ejus Epitaphium.

HIC JACET SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR CLARISSIMUS, ET THEOLOGORUM MONARCHA MAGISTER PAT. FR.
PAULUS VENETUS ORD. EREMITAR. S. AUGUSTINI.
QUI OBIIT ANNO DOM. MCCCCXXIX.
DIE XV. MENS. JUNII.
CUJUS ANIMA REQUIESCAT IN PACE.

Opera ſcripſit typis edita:

Scripta.

Contra Judæos lib. 1.
Sermones de Tempore, de Sanctis, & Quadrageſimâ.
De Conceptione Beatæ Virginis.
De Incarnatione Verbi Dei.
De Excellentiâ Verbi Dei.
Super Sententiis lib. IV.
Ad libros Phyſicor. Lib. VIII.
Super Lib. de Generatione & Corruptione Lib. II.
Super Lib. de Animâ Lib. III.
Summam Philoſophiæ Naturalis Lib. VI.
De Conceptione Mundi, qui Aſtronomiæ janua nuncupari poteſt Lib. I.
De compoſitione Mundi.
De Circulis componentibus Mundum.
Logicam Parvam, & Magnam.
De quadraturâ Circuli.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

* * *

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

Paulus ex Eremitanorum Ordine, cognomento *Venetus*, Logicis & Philoſophicis Scriptis fuit inclytus, quem nominatiſſimum in universâ Theologiâ fuiſſe habitum refert *Jacobus Bergomenſis*, cunctosque Dialecticos, Philoſophos, ac ſuæ ætatis Theologos ſuperâſſe, *Poſſevinus in Apparatu Sacro*. In Philoſophiâ Ariſtotelicâ autem nulli ſuo tempore in Italiâ ſecundum fuiſſe teſtatur *Trithemius*. Hic, inquam, *Paulus*, *Utini* in lucem editus eſt, ſed *Venetiis* educatus, unde & nomen attraxit.

Utini natus.

Obiit A.C. 1429.

JOHANNES GERSON.

GAllus Ordinis Cœleſtini *Lugduni Batavorum* Monachus ſub diſciplinâ *Petri Alliaci*, Cardinalis Cameracenſis, educatus, Philoſophus & Theologus evaſit incomparabilis. Prior idcircò Monaſterii ſui, & *Lutetiæ Pariſiorum* Cancellarius factus vitæ integritate & prudentiâ conſpicuus fuit, ſcriptisque Theologicis nomen immortale ſibi paravit.

Monachus & Theologus. Cancellar. Pariſ.

In Concilio Tridentino factus inops.

Concilio *Tridentino* ipſe præſens interfuit, eoque diſſoluto, quia *Huſſi* cædem apertè improbavit, referente *Joh. Trithemio*, domo, patriâ, dignitatibus, amicis, rebusque omnibus privatus, neceſſitate compul-

pulſus in monaſterium ſuum *Lugdunenſe* redire coactus eſt, in quo vitæ melioris particeps factus 12. die Julii A. C. 1429. ætatis 66.

Obiit.

Ejus Opera.

Opera edidit:

Summam Theologicam & Canonicam in 6. libros digeſtam.

Monoteſſaron, hoc eſt, *unum continuum Evangelium ex 4. Evangeliſtis concinatum.*

De Probatione Chriſti.

De Regulis Mandatorum, & de cognitione Caſtitatis.

De Aſtrologiâ Theologizatâ.

Opuſculum contra ſuperſtitioſos dierum obſervatores.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

* * *

Iconi ejus æri inſculptæ hæc ſubſcripta Gallicè leguntur:

Johannes Gerſon Theol. Doctor *Pariſienſis*, Societati Regiæ *Navarreæ* addictus, & Univerſitatis *Pariſ.* Cancellarius. Concilio univerſali *Conſtantienſi* A. 1414. Regis *Caroli VI.* & Univerſitatis *Pariſ.* Orator interfuit. Obiit *Lugduni* A. 1429. Titulum *Doctoris Chriſtianiſſimi* promeruit, ejusque vitæ ſanctitas miraculis poſtea confirmata eſt.

Scribit in *declar. defect. Viror. Eccl. Tom. I. Clauſtra monialium, eſſe proſtibula meretricum.*

Obiit A. C. 1430.

THOMAS NETTERUS.

Monachus Carmelitanus. Theologiæ Doctor, & Profeſſor Oxonii.

Walde, civitate *Angliæ* natus, adoleſcens *Londini* Carmelitanorum habitum religioſum aſſumpſit, cumque *Oxonii* animum ſtudiis excoluiſſet, publicum in Philoſophiâ & Theologiâ docendi munus accepit, & Laureâ Doctorali inſignitus eſt.

Tribus Regibus charus.

Wiclefi in Religione adverſarius & Concionator vehemens Ordinis ſui Provincialis factus, à Rege *Angliæ Henrico IV. Piſas* ad Concilium à S. P. *Alexandro V.* inſtitutum ablegatus eſt, & ad Pacem Eccleſiæ conciliandam multum inſudavit.

Henricus V. Conſiliarium eum ſibi ſecretum & Confeſſorem elegit, eumque ad *Concilium Conſtantienſe* miſit. Charus etiam fuit Regi *Henrico VI.* Quinti filio, cujus pueri adhuc Confeſſiones audivit.

In Galliam tandem ablegatus ut Coronationi Regis *Henrici VI. Pariſiis* intereſſet, *Rotomagi, Normandiæ* Urbe, vitam finiit 3. Nov. A. C. 1430. Sepultus in Monaſterio ſuæ Religionis.

Obiit.

Ejus Scripta.

Scripta reliquit:

In Geneſin.

In Exodum.

In Leviticum.

In Acta Apoſtolor.

In Epiſt. Pauli ad Romanos.

In primam Petri Canonicam.

In Magiſtrum Sententiarum lib. IV.

Quæſtiones, & Lecturas ordinarias.

Determinationes.

De Veritate Evangelicâ.

Doctrinale Antiquitatum Catholicæ Fidei contra Wicleſitas, Huſſitas, & omnes ſui temporis Hæreticos.

Dialogor. de Fide Lib. VII.

De Corpore Chriſti.

De Paupertate Chriſti.

De Præſcientiâ, & Prædeſtinatione.

De Divinatione ad Principes.

Defenſorii Pacis Lib. II.

De Religione Perfectorum.

Sermones coram Rege, in funere Regis, & ad Clerum Oxonienſem.

Faſciculum Zizaniarum Wicleſi.

Ad Concilium Conſtantienſe.

Reſponſa in Concilio Piſano.

Ad Clerum in Concilio Piſano.

Coràm Sigismundo Cæſare Orationum librum unum.

Epiſtolarum Librum.

Collationes ſolennes.

Propoſitiones ad Principes.

Gravamina Fratrum contra Oxonienſes.

In remediarium Converſorum.

De re Grammaticâ.

Summulas Logicales.

Sophismata Strophæ.

De Prædicabilibus.

De X. Prædicamentis.

Introductiones, & Quæſtiones naturalium.

In Ariſtotelis libros de Cœlo & Mundo.

De Meteoris.

De Generatione & Corruptione.

De Animâ.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

JOHANNES NIDERUS.

Obiit A. C. 1438.

Monachus Dominicanus. Præſes in Synodo Baſileenſi.

Univerſalis Synodi *Baſileenſis* tempore, quæ generales ſuas congregationes in Cœnobio *Dominicanorum* initiò celebravit, Regum, Principum, Pontificum *Bohemorumque* Oratores audivit, iisque reſponſa dedit, monachus hiſce præfuit *Johannes Nider Isnenſis*, Vir, (ut ea dabant ſecula,) admodùm eruditus & eloquens, ſcriptis lucubrationibusque ſuis ubique celebris: Theologica enim plurima in lucem edidit.

Legatus ad Bohemos.

Exiſtimatio ejus inter Patres tanta fuit, ut Menſe Octobri An. 1431. Legatione graviſſimâ Concilii nomine ſuſceptâ cum Abbate *Mulbrunnenſi* ad evocandos *Bohemos* miſſus fuerit: qui cum eorum Oratoribus, *Egræ* tractatione habitâ, tantum effecit, ut nomine Regni & Marchionatûs *Moraviæ* 15 Oratores magno cum comitatu *Baſileam* appulerint, deque Religionis articulis illic propoſitis ſeriò diſputaverint.

Ipſe verò Legationis ſuæ negotiis pro reducendis in Eccleſiæ unionem *Bohemis* implicatus *Norimbergæ* tandem An. C. 1438. obiit.

Obiit.

* *Ex Epitome Hiſtoriæ Baſil. Chriſtiani Urſtiſii.*

JOHAN-

Clar. A.C. 1440.

JOHANNES GAWERUS.

ORdinis fratrum B. *Mariæ* ſemper virginis de Monte *Carmeli*, Conventûs *Moguntinenſis* Sacræ Theologiæ Lector; in diverſis Scripturis ſtudioſus & eruditus,& ſecularis literaturæ non ignarus,ingenio promptus, & clarus eloquio, claruit A.C. 1440. *Vir doctus.*

Scripſit

Scripta.

Super Sententias libr. IV.
In Exod. lib. I.
De Concordantiâ Evangeliſtarum.
Sermonum per Quadrageſimam. lib. III.
Sermonum de Tempore, & de Sanctis libros duos.

* *Ex Moguntiacarum rerum tractatu Nicolai Serarii.*

Clar. A.C. 1440.

ALFONSUS TOSTATUS, Vel TONSTATUS.

EPiſcopus *Abulenſis*, ibidem oriundus, *Matricalenſi* vico, tantâ rerum ſacrarum cognitione excelluit, ut eo ſæculo doctior aut ſapientior ſit inventus nemo, ſolusque illuſtrare *Hiſpaniam* doctrinâ, nominisque celebritate poſſet. Memoriam quoque eam habuiſſe fertur, quâ lecta à ſe cuncta veluti theſauro contineret. *Theologus Hiſp.*

Salmantica eo gloriatur Theologiæ Doctore, ubi Collegii *S. Bartholomæi* alumnus extitit. Tot tantaque ſunt ejus in *S. Scripturam Quæſtionum Volumina*, ut ſi vel à primo natalis die numerando terna folia attribuas, plura ſcripſiſſe comperias. *Theologiæ Profeſſor Salmant.*

Interfuit & *Concilio Baſileenſi*, ibique cum *Johanne Capreolo*, Monacho ad S. Dominic. doctiſſimo, & *Thomæ* aſſeclâ diſſeruit circa A.C. 1440. *Interfuit Concilio Baſileenſi.*

Epitaphium ejus tumulo adſcriptum è *Bætico* ſic translatum ſonat: *Ejus Epitaphium.*

Hîc ſitus Alfonſus Toſtatus,quiq; Abulenſis
Præſul perpetuæ virginitatis amans:
Plura dedit Sacræ conſcripta volumina Legis
Quàm longæva ætas evoluiſſe queat.
Primæ natalis luci folia omnia adaptans
Nondum ſic fuerit pagina trina ſatis.

Scripta leguntur ejus hæc *Venetiis* edita: *Scripta.*

In libros Moyſis Volumina V.
Commentar. in Joſuam, in lib. Judicum, in Ruth.
in quatuor libros Regum.
in Paralipomena.
In S. Matthæi Evangelium lib. V.

Reliquit & Eccleſiaſticam Euſebii Hiſtoriam ampliorem, Hiſpano Sermone Salmanticæ excuſam.

Opera ejus omnia excuſa ſunt *Coloniæ* An. 1612.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum Auctorum, & aliis.*

* * *

Alphonſus Toſtatus Epiſcopus fuit *Abulenſis*, ac præterea *Hiſpaniarum* Regis Conſiliarius, item major Referendarius, quæ triplex dignitas nec ante, nec poſtea,unum in hominem collata fuit. Is ex oppido *Madrigali* oriundus fuit, ſi *Sixto Senenſi* & *Poſſevino* credimus. Vir Hebraicè doctus,quod iſtis temporibus rarum,& in modicâ ætate polygraphiâ admirabilis. Propter innumerabiles, quas movet, quæſtiones ab admiratoribus ſuis hoc Elogio decoratur:

Hic ſtupor eſt mundi, qui ſcibile diſcutit omne.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

BERNHARDINUS SENENSIS.

ObiitA.C. 1443.

BErnhardinus, Patria *Senenſis*, profeſſione *Franciſcanus*, doctrinâ clariſſimus, univerſam *Italiam* ſacris ſuis illuſtravit concionibus. Obiit tandem *Aquilæ* A. 1443. Inter Sanctos autem relatus eſt A. 1450. *Monachus Franciſcanus. Concionator ſingularis. Canoniſatur. Ejus Scripta.*

Scripſit:

Sermones de tempore & Sanctis.
Sermones contra Judæos.
In Apocalypſin.
De Evangelio æterno.
De Chriſtianâ Religione.
De Conceptione B. Virginis.
De Paſſione Domini.
De Virtutibus & Vitiis.
De Fructibus Eleemoſynæ.
De triplici ſtatu Animæ.
De triplici amore Magorum.
De Sacrificio Abraham.
De Veritate.
De amore Dei & Animâ.
De Spiritu Sancto.
De Caſibus Proprietatis.
Officium nominis JESU.
De mundanâ Proſperitate.
De paſtorali Gubernatione.
De S. Joſeph Sponſo Virginis.
De Circumſtantiis Nationum.
De divino Amore.
De triplici Chriſti Nativitate.
De tribus Tormentis Peccatorum.
De Obedientiâ.
Defenſorium veritatis.

* *Ex Patrologiâ Joh. Gerhardi.*

THOMAS TOMASINUS.

ObiitA.C. 1445.

VEnetiis natus eſt ex antiquâ familiâ, quæ A. 1309. cum 31 familiis è *Tuſciâ Venetias* profecta, ſerici commercio floruit: deindè *Vicentiæ* & *Patavii* ſeſe diffudit.

Cum Juvenis in Gymnaſio *Patavino* Philoſophiæ dediſſet operam, mox *S. Dominici* inſtitutum amplexus,cœpto ſtudiorum curſui Theologiam conjunxit. Hinc in diverſis Cœnobiis Philoſophiam & Theologiam cum laude profeſſus eſt, & varia Ordinis ſui munera prudenter geſſit. *Monachus Dominicanus. Profeſſor Philoſophiæ & Theologiæ.*

Cum An. C. 1431. *Gabriel Condulmerius* ſuſcepto nomine *Eugenii IV.* Pontifex creatus eſſet, Viri hujus operam in *Concilii Baſileenſis*

Episcopus. *ſileuſis* aliiſque negotiis gravibus feliciter adhibuit. Deindè *Æmonienſi* primùm Eccleſiæ, *Urbinati* mox & *Maceratenſi*, tandemque An. 1441. *Feltrenſi* ac *Bellunenſi* Epiſcopum præfecit. *Venetiis* Templum Corporis Chriſti ſuis impenſis à fundamentis inſtauravit. Studiiſque tandem anniſque confectus, piè vitam clauſit An. C. 1445.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jac. Phil. Tomaſini.*

Obiit A.C. 1456.

JOHANNES CAPISTRANUS.

MOnachus *Franciſcanus*, venit in Germaniam, miſſus à Summo Pontifice *Nicolao V.* qui cum videret Eccleſias *Bohemicas* nullâ potentiâ poſſe opprimi, delegit hunc Monachum A. C. 1451. ut is mirabili ſpecie ſanctimoniæ & promptâ facundiâ gentes has imperitas artium *Italicarum* terreret, & in officio contineret.

Bernardini Senenſis ſocius. Profitebatur is ſe ſocium inſtituti cujuſdam *Bernardini Senenſis*, qui Monachos *Franciſcanos* luxu diffluentes ad veterem rigorem revocârat.

Latinè concionatur. Plerumque ipſe in areâ publici fori diſſerens homines detinebat, ita ut duas horas eum audirent concionantem linguâ Latinâ, quem ejus Sermonem alius deindè rurſus duas horas linguâ vernaculâ interpretabatur.

Conciones ipſius erant aut de controverſiâ Cœnæ Sacræ, quæ erat Pontificiis cum *Bohemis*, ubi magno ſtudio contendebat, non eſſe neceſſarium Laicis uti poculo Sanguinis Chriſti; aut hortabatur populum ad emendationem vitæ, graviter accuſatis ſceleribus hominum.

Actum etiam fuit de colloquio inter ipſum & *Rochezanum* Epiſcopum *Bohemum*, ſed illud rurſus arte quâdam fuit diſcuſſum, quia apparebat, *Bohemos* non admirari grandiloquentiam illam & hypocriſin Italicam.

Uratislaviam venit. *Uratislaviam* venit A. C. 1453. die 13. Febr. & duxit ſecum Monachos ſui Ordinis 30. Invectus eſt acriter in peccata hominum. Voluit aboleri ludos alearum, & ubique tabularum illarum magnos acervos exuſſit.

Intulit autem in *Sileſiam* duas res non bonas: primùm Monachos *Bernardinos*, qui ſe nominant *Obſervantes*, illiſque *Uratislaviæ*, *Glogoviæ* & alibi ſunt condita cubilia otii & hypocriſeos: deinde ſævitiam in Judæos valdè deteſtandam, in quam gentem cauſam invenit, quod diceretur contumeliâ affeciſſe panem conſecratum. *In Judæos crudelis.* Ibi immani crudelitate totus grex miſeræ hujus gentis, viri, mulieres, pueri in omnibus penè Urbibus *Sileſiæ* captus eſt, & magna agmina, ſine ullâ miſericordiæ oſtenſione, ad flammas ducta, atque crudeliter combuſta.

Cracoviam venit. *Cracoviam* deindè adventanti Rex *Poloniæ*, Cardinalis, & tota Urbs tanquam Numini obviam proceſſit, & cum ad unum annum ibi commoraretur, propè divini honores illi ſunt habiti. Tantum illi tribuerunt *Poloni*, ut ſcribatur etiam mortuos reſuſcitâſſe.

A. 1456. *Turcis* in *Hungariam* irruentibus, *Capiſtranus* properè ex *Poloniâ* accurrens, 600. ſecum adduxit *Polonos* cruce ſignatos, & paſſim in *Hungariâ* concionibus homines ad iſtam piam militiam hortatus eſt.

Belgrado ab Imperatore Turcarum *Mahometo* oppugnato, ex altâ turri vexillum Crucis vibrans, magnâ voce Chriſtianos ad fortitudinem impulit.

Tandem in *Hungariâ* mortuus eſt 26. Octob. A. C. 1456. ætatis 70. Sepultus *Villeci.*

* *Ex Annalib. Sileſiæ D. Joach. Curæi Med. Glogov.*

Vitam ejus deſcripſit *Henricus Sedulius* Monachus *S. Franciſci*, in libro, cui titulus: *Provincia inferioris Germaniæ fratrum Minorum.*

Æneas Sylvius in *lib. de Bello Bohem. de Capiſtrano* ſcripſit, *quod omnem mundi gloriam contempſerit, voluptates fugerit, avaritiam in corde ſuppreſſerit, carnis deſideria vicerit, ſed ambitionem effugere nequiverit.*

* * *

Johannes Capiſtranus, in Regni *Neapolitani* vico *Capiſtro*, non procul ab urbe *Aquilejâ*, natus, poſtquàm per annos 40. *S. Franciſci* Monachus in urbibus *Italiæ*, præcipuè Concionatoris Religioſi munus obiiſſet, in Germaniam à S. P. *Nicolao V.* miſſus, *Pilsnam* primùm, *Bohemiæ* Urbem, venit, ut *Huſſitas* ad Eccleſiam Romanam reduceret.

Cum deinde A. C. 1452. Urbem *Norimbergam* acceſſiſſet, à toto Clero obviam progreſſo ſplendidâ cum pompâ introductus, & in Cœnobio *Franciſcanorum* exceptus eſt. Tunc per dies aliquot in foro ante *S. Mariæ* Templum erectâ cathedrâ ſub aperto cœlo concionatus, cives ad pœnitentiam ſeriam hortatus, & in ſcelera paſſim graſſantia acriter invectus, ut plebs aleas, teſſeras, & chartas luſorias maximo numero congeſtas igne accenſo concremârit effecit, hâcque ratione populum ad expeditionem contra Turcam animavit. *Norimbergæ in foro concionatur.*

Teſte *Simone Starovolſcio, in libro de centum illuſtribus Poloniæ Scriptoribus*, *Cracoviæ Bernardinorum* Monachorum fundavit domum, & trecentos ex Academiâ, unâ atque alterâ Concione, ad ſuſcipiendum Sacrum illum habitum pertraxit.

Scripſit *Ejus Scripta.*

De Dignitate Eccleſiaſticâ.
De Illuſtrandâ Conſcientiâ.
De Cenſuris.
De Pœnis Inferni & Purgatorii.
De Pœnis injungendis.
De Reſtitutionibus & Contractibus.
De Matrimonio.
De Conceptione B. Virginis Mariæ.
De Judicio univerſali & Antichriſto.

M De

De poteſtate Papæ & Concilii, ſive Eccleſiæ.
Speculum Clericorum.
De Cupiditate.
De Paſſione Domini.
Contra Huſſitas.
Adverſus Johannem Rocheſanum Huſſitam.

* *Ex Chronico manuſcripto Noribergenſi, Patrologiâ Job. Gerbardi, & aliis Authoribus.*

CAJETANUS THIENÆUS.

Obiit A.C. 1463.

APatriâ nomen nactus, patre *Simeone Thienæo* ex familiâ equeſtri inter *Vicentinos* J. Cto celebri A. C. 1387. natus eſt *Cajetæ*, ubi *Johannes*, Avus paternus, *Ladislai* tenerâ ætate, Vicarii Regii titulo res Imperii adminiſtravit.

Filius J. Cti.

Illuxit ſtatim ea in puero indoles, ut, liberalibus diſciplinis eruditus, eam daret ſpem profectûs, ut, quamvis illegitimo prodiiſſet thoro, adoleſcens tamen charus eſſet conſanguineis, atque imprimis amitæ *Amabiliæ Montagnanæ Patavinæ* gratiſſimus: quæ centenos aureos annuis reditibus, quem teneré educaverat, adoleſcenti reliquit.

Illegitimus.

Libatis, more ſæculi, humanioribus literis, Philoſophiæ in Gymnaſio Patavino ſtrenuam dedit operam: cui Artis Medicæ notitiam conjunxit, eâ ingenii felicitate, ut ſummos utriusque titulos commeruerit.

Philoſophiæ & Medicinæ Doctor Patavii.

Ea mox omnium animos invaſit de eo opinio, ut Philoſophiæ publicam Cathedram *Patavii* ab Univerſitate Artiſtarum obtineret. Tunc creditam ſibi provinciam hilariter aggreſſus, in explicando *Ariſtotele*, omiſſis aliorum Interpretum opinionibus, ſolum *Averrhoëm*, fidum Commentatorem Philoſophi, ſequebatur, eo ingenii acumine, ut primus ei in Gymnaſio auctoritatem conciliârit. Verùm dum genio naturali ad altiorem vitæ gradum intenderet animum, rerum Divinarum contemplationibus ſe juxta dare cœpit: jamque Sacrarum Literarum Doctor pronuntiatus, ſacrisque initiatus *Patavii* Canonicatum â S. Pontifice *Martino V.* obtinuit.

Philoſophiæ Profeſſor.

Theologiæ Doctor & Canonicus Patavinus.

Tandem vitâ inter literas & pietatis officia ad ſenium decurrente, 13. Sept. A. 1462. facultates ſuas domumque cum ſupellectili univerſâ Eccleſiæ Cathedrali liberaliter legavit: nec multo poſt tempore, cum fatis ceſſiſſet, celebri pompâ in Majori templo depoſitus eſt, ubi ad vivum ænea effigies ejus in Muſæo è marmore hoc Elogio celebratur:

CAJETANO VICENTINO E CLARA THIENÆA FAMILIA, CANONICO PATAVINO, VIRO INTEGERRIMO, THEOLOGORUM PRINCIPI, PHILOSOPHO EXIMIO, CUJUS DOCTRINA CUNCTA ORBIS GYMNASIA ILLUSTRANTUR, LOCUS HIC DATUS EST.

Libri ab eo ſcripti hi ſunt:
Comment. in omnes Libros Phyſicorum.
in Libros de Cœlo, & de Animâ.
Quibus juncti ſunt Tractatûs III.
I. *An detur Senſus agens.* II. *An Senſibiles communes ſint per ſe Senſibiles.* III. *De Intellectûs immortalitate.*
Commentaria in Libros Meteorûm, quibus additi Tractatûs, *de Reactione*, *de Intenſione & Remiſſione Formarum.*
Recollectæ in Lib. Phyſicorum. Item XII. Quæſtiones.
Comment. in Lib. de Memoriâ & Reminiſcentiâ.

In Bibliothecâ *S. Joannis* in Viridario *Patavii* extant Opera diverſa ejusdem manuſcripta, & inter ea:
Recollectæ Cajetani ſuper Regulas & Sophiſmata Esbari, ſuper conſequent. Strodi.

Et in Bibliothecâ *S. Antonii* multa pariter videntur, & inter ea:
Comment. in Librum de Animâ, in cujus calce hæc leguntur: *Iſte Liber fuit oblatus Arcæ beatiſſimi S. Antonii de Padua die XII. Junii M CDLXI. per Excellentiſſimum & in Orbe præcipuum Artium & Medicinæ Doctorem, ac Patavinæ Eccleſiæ Canonicum D. Gajetanum de Thienæis &c.*
Tabula ſuper Philoſophiam.
Tractatus Septiformis de Moralitatibus rerum, ſcilicet *corporum cæleſtium, elementorum, animalium &c.*

* *Ex Elogiis Virorum literis illuſtrium Jacobi Philippi Tomaſini.*

HENRICUS HARPHIUS.

Clar. A.C. 1464.

NAtione *Belga*, patriâ *Mechlinienſis*, profeſſione *Franciſcanus*, Floruit An. C. 1464.

Scripſit

Ejus Scripta.

Speculum aureum de decem præceptis.
De tribus partibus pœnitentiæ.
Tractatum de effuſione cordis.
Directorium aureum contemplativorum
Collationes tres.
Sermones per Quadrageſimam.
De Myſticâ Theologiâ.

* *Ex Job. Gerbardi Patrologiâ.*

RUDOLPHUS de RUDESHEIM.

Clar. A.C. 1470.

DEcanus *Wormatienſis* primò, ac poſtmodùm Epiſcopus *Uratislavienſis*, Sacrarum literarum Doctor, ingenio ſubtilis, eloquio clarus, vitâ & converſatione honeſtus, in Gymnaſio *Heydelbergenſi*, tum legendo tum docendo, multis annis glorioſè vixit. Claruit A. C. 1470.

Th. Doctor.

Heydelbergæ docet.

Scripſit

Ejus Scripta.

In V. libros Moyſis. lib. V.
In Libr. Joſuæ lib. I.
In Libr. Judicum lib. I.
In Prophetam Eſaiam lib. I.
Super Sententias. lib. IV.
Orationes plures.
De Sanctis lib. I.

* *Ex Nicolai Serarii de rebus Mogunt. tractatu.*

DIO-

Obiit A.C. 1471.

DIONYSIUS RYCKELIUS.

ORtu *Leodicenſis*, parentes habuit admodùm honeſtos, ex familiâ nobili de *Leewis*. *Coloniæ* bonis literis operam dedit, ibique Magiſter artium creatus eſt. *Ruremundæ* anno ætatis 21. Cartuſianum ordinem domûs *Bethleem* amplexus & profeſſus eſt.

Magiſter Philoſ. Colon.
Monachus Cartuſianus.

Fuit illi ingenium perſpicax, memoria ad ſtuporem tenaciſſima, & voluntas proximorum ſaluti totum ſe impendere geſtiens. Noctes atque dies tranſegit ſcribendo, orando, & meditando. Tanta eſt Operum ejus moles, ut librorum multitudine ſuperaverit *D. Auguſtinum*, &, quod mirêris, propriâ omnia manu, nullo uſus amanuenſi.

Libris ſcriptis Auguſtinum ſuperavit.

Phraſis illius pro ſeculi hujus naſuti ratione ſimplicior eſt humiliorque, aſt habet eruditionis plurimùm. Somni erat parciſſimi, cibi & potûs abſtinentiæ admirabilis. Plures ad eum *Nicolai Cuſæ* Cardinalis extant epiſtolæ.

Obiit tandem *Ruremundæ* die 12. Maji A. C. 1471. ætatis 77.

Doctoris Ecſtatici nomen promeruit, quemadmodum ante illum *Thomas Angelicus*, *Bonaventura Seraphicus*, & *Scotus Subtilis* dictus eſt.

Doctor Ecſtaticus dictus.

Vitam ejus accuratè ſcripſit *Theodoricus Loërius Cartuſianus Colonienſis*, & *Petrus Dorlandus* Libro *VII. Chronici Cartuſienſis.*

Elenchus librorum ejus hic eſt:

Ejus Scripta.

Super Pſalterium, quod literaliter, allegoricè, tropologicè, & anagogicè expoſuit.
In VII. Pſalmos Pœnitentiales.
In omnes veteris & novi Teſtamenti Libros.
Epitome, ſive nobiliores Sententiæ totius S. Scripturæ.
In libros B. Dionyſii Areopagitæ.
In IV. Libros Sententiarum.
Medulla Operum S. Thomæ.
Exbeleoſis ex Summâ D. Guil. Antiſiodorenſis.
In Boëthium de Conſolatione Philoſophiæ *literaliter & myſticè.*
Enarratio Hymnorum, præſertim veterum.
Expoſitio Librorum Johannis Climachi.
Tranſlatio Librorum Johannis Caſſiani.
De Ente & Eſſentiâ.
De exemplis & documentis authenticis.
De ſcientiâ univerſalium.
Compendium Philoſophicum, *& Theologicum:* ſeu, *Elementatio Philoſ. & Theologica.*
De lumine Chriſtianæ Theoriæ Lib. II.
Contra perfidiam Mahometi Libri IV.
Dialogus inter Patronum *& Canonicum.*
Dialogus Diſputationis inter Chriſtianum & Saracenum de Lege Chriſti, & contra perfidiam impiiſſimi Mahometi.
Dialogus inter Chriſtum & Principem.
Dialog. de fide Catholicâ contra Gentiles Lib. VIII.
Expoſitio Miſſæ.
De honeſtâ converſione Clericorum.
Epiſtola ad Principes Catholicos Parænetica, de bello contra Turcas inſtituendo.
Contra artes Magicas & errores Waldenſium.
Contra Superſtitionem.
De Naturâ æterni & veri Dei.
De Divinâ eſſentiâ.
De donis Spiritûs Sancti Lib. IV.
De venuſtate Mundi & pulchritudine Dei.
De Diſtantiâ perfectionis Divinæ & humanæ.
Creaturarum in Ordinem ad Deum conſideratio Theologica.
Horæ de Sanctiſſ. Trinitate, & de Paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti.
Meditationes, ſive de modo recordationis Dominicæ Paſſionis.
Dialogus de celebratione & Sacramento Altaris.
Sermones ſex de venerabili Sacramento.
De mutuâ cognitione in Patriâ.
De Laudibus & dignitate B. Virginis Mariæ lib. IV.
De Sanctorum, Reliquiarumque veneratione, & modo.
De Causâ diverſitatis eventuum.
De Deformatione & Reformatione Eccleſiæ.
De Autoritate & Officio Summi Pontificis.
De Autoritate Concilior. generalium.
De vitâ & Regimine Præſulum, Prælatorum, Archidiconorum, Sacerdotum, & miniſtrorum Eccleſiæ.
De Beneficentiâ & beneficiis Dei.
De Laudibus ſuperlaudabilis Dei.
Laudes Dei devotiſſimæ.
Expoſitio Dom. Paſſionis ſecundùm 4. Evangeliſtas.
Tractatus de S. Communione frequentandâ.
De Regimine Principum Lib. III.
De Doctrinâ Scholaſticorum.
De Proceſſionibus Sacris.
De Officio Legati.
De Poteſtate & Jurisdictione S. Pontificis.
De Vitâ militari, & Nobilium.
De Vitâ Mercatorum, & juſto pretio rerum.
De Regimine Politiæ.
De Laudabili vitâ Conjugatorum, & Virginum.
Dialogi inter Jeſum & Senem, & inter Jeſum & puerum.
De Vitâ & exemplis antiquorum Patrum.
De laude Ordinis Cartuſienſium.
Enarratio in tertiam Regulam S. Auguſtini.
De reformatione Clauſtralium, & Monialium.
De Vitâ incluſarum.
De Vitâ Solitariorum.
De Laude & præconio Solitariæ vitæ.
Summa de vitiis & virtutibus.
Sermones de Tempore & Sanctis, ad Seculares & ad Religioſos.
Contra Simoniam Lib. III.
Contra pluralitatem beneficiorum, avaritiam, & ambitionem.
Contra vitium proprietatis Monachorum.
De modo devotè pſallendi.
Contra deteſtabilem cordis inordinationem in Divinis laudibus.

De modo & ordine judicandi & corripiendi.
De Actu viſitationis.
De gravitate ac enormitate peccati.
Dialogus de converſione Peccatorum.
De Arctâ viâ Salutis, & contemptu mundi.
Speculum amatorium mundi.
De Remediis Tentationum.
Inſtitutio, ſeu Exhortatorium Novitiorum.
De Votis & profeſſione Religioſorum.
De triplici viâ.
De fructuoſâ temporis deductione.
De Viâ purgativâ exercitium.
De mortificatione vivificâ, & Reformatione internâ.
De Fonte lucis, & ſemitis vitæ.
De diſcretione Spirituum.
De Paſſionibus, puritate, & felicitate animæ.
Cordiale, ſive Præcordiale.
De Cuſtodiâ Cordis, & profectu ſpirituali.
De Gaudio ſpirituali.
Sonus epulantis.
De elevatione Mentis in Deum.
De Particulari judicio, & obitu ſingulorum.
De 4. hominis noviſſimis.
De Pace internâ.
De Oratione.
De Meditatione.
De Contemplatione.
Inflammatorium Divini Amoris.
De Regulis vitæ Chriſtianorum.
Dialogus de Charitatis profectu, & de *Perfectione Charitatis.*
Collationes II. pro *Capitulo generali Ord. Cartuſienſium.*
Collatio miſſa Capitulo generali fratrum Minor. de Obſervantiâ.
Epiſtola ad omnes Principes Chriſtianos.
Epiſtolæ multæ ad Cardinalem Nicolaum de Cuſâ, Legatos & Epiſcopos.
Epiſtola ad Arnoldum Campion J. D. quâ reſpondet quibuſdam ſatis arduis quæſtionibus.
Elegia de judicio mortis, & variis caſibus ejus.
Carmina varia.
Apocalypſis, ſive Revelationes ſibi à Domino DEO factæ.
* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1471.

THOMAS à KEMPIS.

NAtus in pago *Chempis*, territorii *Colonienſis*, ex parentibus honeſtis circa A. C. 1380. *Daventriæ* anno ætatis 13 literis initiatus, & *Gerardi Magni* diſcipulus. A. 1400. Poſt 5. annos in tyrocinio poſitos, Canonicorum Regularium *S. Auguſtini* habitum induit, & voto huic ſe vitæ generi obſtrinxit in Monaſterio Montis *S. Agnetis* juxta *Swollam* civitatem.

Gerardi Magni diſcipulus.

Canonicus regularis S. Auguſtini.

Sic verò fuit affabilis & manſuetus, ut, multùm licèt reluctans, communi ſuffragio Ordinis Supprior, ætate adhùc florente, crearetur. Poſtea Procurator, quod propenſus ad Eleemoſynas videretur, conſtitutus eſt.

Supprior & Procurator Cœnobii.

In eo vitæ genere 71. annos Divinæ contemplationi deditus, gloriam tandem cœleſtem per mortem beatam ingreſſus eſt 25. Julii A. C. 1471. æt. 91.

Juxta ſepulchrum ejus, in tabulâ depictus apparet in ſellâ ſedens, coràm quo genubus flexis procumbit Canonicus quidam Regularis, qui ſic interrogat:

Thoma, vera quies ubi quæritur indubitatò?

Quibus verbis ita reſpondet *Thomas*:

Nuſquàm tuta quies niſi Cellâ, Codice, Chriſto.

In eâdem Tabulâ Proverbium *Thomæ* familiare ſcriptum legitur hoc:

In omnibus requiem quæſivi, & non inveni, niſi in angulis & libellis.

Teſte *Joh. Trithemio, in Catalogo Virorum illuſtrium*, duo fuerunt hujus nominis, ambo Monachi Regulares, ingenio præſtantes & varia ſcribentes, quorum Senior, qui *Librum de Imitatione Chriſti* edidit, claruit ſub Imp. Ruperto A. C. 1410. alter adhuc tempore *Trithemii* A. 1495. vixit.

Duo hujus nominis Theologi.

Vitam ejus deſcripſerunt *Johannes Botius Aſcenſius*, *Franciſcus Tulenſis* Canonicus Regularis, & *Hinwertus Rosweydus Societ. Jeſu.*

Opera, quæ ſcripſit, *Henricus Sommatius* Soc. Jeſu, *tribus Voluminibus Antverpiæ* edidit.

I. Continet *Sermones ad Novitios 30. Sermones ad fratres 9. Sermones alios 36.*

In II. ſunt *Soliloquium animæ*, quem librum *Jacobus Stratius* in linguam *Belgicam* convertit.

Hortulus Roſarum.
Vallis liliorum.
De tribus tabernaculis.
De Diſciplinâ Clauſtralium.
De Fideli diſpenſatione.
Alphabetus parvus Monachi.
Hoſpitale pauperum.
Conſolatio pauperum & infirmorum.
Dialogus Novitiorum.
Spiritualia exercitia Religioſorum duplicia.
Doctrina juvenum.
De humilitate.
De verâ Cordis compunctione.
De Vitâ bonâ & pacificâ.
De Solitudine & ſilentio.
De recognitione propriæ Fragilitatis.
Epitaphium ſive Enchiridion Monachorum.
Manuale parvulorum.
Orationes piæ & devotæ.
De Elevatione Mentis.
De Mortificatione ſui ipſius.
Vita boni Monachi.
Hymni & Cantica Spiritualia.
De Imitatione Chriſti Lib. IV.

Hoc opus in linguam *Germanicam*, *Belgicam*, *Hiſpanicam*, *Gallicam*, & *Græcam* traductum fuit: & *Johannes Gerſon Italicè* tranſlatum, ſub nomine ſuo, typis emiſit: Sed *Heribertus Rosweydus*, Societ. Jeſu Theologus, *Belgis* & Auctori ſuo vindicavit. Eundem libellum Imperator *Turcarum*, in linguam ſuam converſum, veneratur. Nullus etiam liber, poſt Sacros Codices, tam crebrò fuit excuſus, nullus tam cupidè ab omnibus expetitus. Cum quidam Religioſus A. 1600. *Argirium Mauritaniæ* profectus fuiſſet, pretium

tium redemptionis captivorum laturus, Rex ei, in Bibliothecam ſuam ducto, varios Codices oſtendit, & inter hos *Librum De Imitatione Chriſti*, vulgari *Turcarum* linguâ converſum, dicens, *pluris ſe unicum illum facere, quàm omnes reliquos Mahumetanorum.*

In Volum. III. continentur: *Vita B. Lidewigis virginis.*

Gerardi Magni, & Domini Florentii vitæ.

Vitæ diſcipulorum utriusque, Gerardi & Florentii.

Vita Johannis Cacabi, vulgò *Cbetel*, coci pientiſſimi.

Vita Arnoldi Schonhoſii.

Sex Epiſtolæ uberes ac religioſæ.

Chronicon Monaſterii Montis S. Agnetis Ord. Canonicorum Regularium.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Obilini, & ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

* * *

Thomas, cui â patriâ *Kempis* cognomen adhæſit, Canonicus fuit regularis, obſcuræ notæ homo, qui librum edidit *De Imitatione Chriſti*, qui quidem Liber opiniones de propriis viribus, bonis operibus, aliaque Pontificiorum dogmata rejicit ac improbat, interim tamen â *Weigelianiſmi* ſuſpicione alienus non eſt, ideoque potius ab eruditis, quàm â plebejis, & quidem magno cum judicio, legendus eſt.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

Obiit A.C. 1473.

SIGFRIDUS de MOGUNCIA.

ORdinis fratrum *Prædicatorum*, Epiſcopus *Cyrenenſis* titulatus, Archiepiſcopi *Moguntini* in Pontificalibus Vicarius. Vir in divinis ſcripturis eruditiſſimus, & ſecularium literarum non ignarus, ingenio ſubtilis, ſermone Scholaſticus, Hebraicæ linguæ peritus, Diſputator acutus, & divini verbi prædicator egregius, mortuus eſt A. 1473.

Vir eruditionis famâ celebris.

Ejus Scripta.

Scripſit

De Uſura Judæorum ad Theodoricum Archiepiſcopum Moguntinum.

De Cenſibus & Redemptionibus quæſtiones varias.

Sermones & Orationes plures.

* *Ex Rerum Mogunt. tractatu Nicol. Serarii.*

Obiit A.C. 1473.

JOHANNES CANTIUS.

AB oppido *Canti*, in quo natus, cognomen adeptus, â puero mente in aſſiduâ rerum Divinarum meditatione defixâ totam ætatem in innocentiâ morumque ſanctitate transegit, &, ut primum per ætatem licuit, *Cracoviam* ad Academiam ſe contulit, Philoſophicisque ac Theologicis rebus ſedulus operam impendit, primam in Philoſophiâ lauream A. 1415. conſecutus.

Philoſ. Baccalaur.

Doctor deinde renuntiatus, Epiſtolas *D. Pauli*, poſteâ *Libros Sententiarum Petri Lombardi*, & tandem *Summam Thomæ Aquinatis* multos annos magno diſcipulorum concurſu explanavit: illoque doctrinam ſacram nemo aut in Scholis doctius aut efficacius in concionibus enarravit, ſiquidem & *Turci* eum prædicantem Chriſtum Crucifixum patienter audire non abhorrerent, qui martyrii coronâ flagrans quaquâ ſeſe *Hieroſolymitano* in itinere vertit, iis mentis cœcitatem exprobrabat, falſumque vatem *Mahometem*, verum Servatorem Chriſtum prædicabat.

Theol. Doctor. Et Profeſſor.

Concionator.

Vita ſanctè dedita.

Adiit inſuper *Romam* quater, & ut corpus majoribus aſſuefaceret afflictionibus, flagris in ſe ipſum ſolitis horis ſæviit.

Caſtitatem â puero usque ad extremum ſpiritum inviolatè ſervavit, & ut fomitem concupiſcentiæ domaret, â quo tempore nomen Theologi publicè eſt adeptus, carnibus ſemper abſtinuit.

Mendacium adeò abhorruit, ut, â prædonibus per viam ſpoliatus, veniam poſtulârit, quod reconditiore veſtis in parte nummorum oblitus dixerit perterritus, ſe plus pecuniarum non habere. Proindè ultrò eos revocavit, rogavitque, ut aſportarent & reliquum: Illi verò mirati candorem viri ſancti, non modò pecuniam ablatam reſtituerunt, ſed vitæ etiam emendationem, provoluti ad genua, polliciti ſunt.

Si quando dicto acerbiore ab aliquo læſus fuit, hæc ſecum cogitare tacitus conſuevit:

Conturbare cave, non eſt placare ſuave,
Infamare cave, nam revocare grave.

Symbolum ejus.

Quod Symbolum & menſæ ſuæ, ſedilibus, parietibus, ac libris inſcriptum habuit.

Morti vicinus, nimio patriæ cœleſtis deſiderio flagrans in hæc prorupiſſe verba dicitur: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt!* atque ſimul dicto revertentem Spiritum Chriſto Servatori ſuo commendavit A. C. 1473.

Ultima ejus verba.

Corpus ejus in *D. Annæ* ædibus repoſitum, 66 ab obitu ſuo anno illæſum ac integrum ſtanneo capulo *Jacobus Clepardienſis* Canonicus Cracov. impoſuit, ac tumulum marmore exornavit: quem cum A. 1603. aperuiſſent illi, quibus id negotii demandatum erat, mira extemplò odoris fragrantia totum ædem implevit, ut multos in ſui admirationem ac venerationem raperet, imprimis Cardinalem *Macicovium*, qui tum languidus ex morbo, cum votum ad *Cantii* ſepulchrum feciſſet, priſtinam ſanitatem repentè obtinuit.

Corpus poſt mortem incorruptum manſit.

Scripta reliquit:

Ejus Scripta.

Sermonum librum unum.

Super Matthæum Libros III.

* *Ex Elogiis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Sim. Starovolſcii.*

Obiit A.C. 1476.

CONRADUS de ROSENBERG.

Vir Eruditus. BEnedictinus Abbas Monaſterii Montis *S. Joh. Baptiſtæ Rinkaugienſis*, Vir devotus & Eruditus, & regularis obſervantiæ, noviter introductæ cuſtos & amator integerrimus: Unus ex his, qui reparationi *B. Virginis Mariæ Amator ſingularis.* *Burſfeldenſi* fundamenta jecerunt. Cum eſſet *B. Mariæ* Virginis amator præcipuus, ſcripſit in ejus honorem aperto ſermone *volumen integrum*, Sumtâ de ſingulis membris ejus materiâ laudis.

Ejus Scripta.

Exercitii Novitiorum lib. I.
Orationes varias.

Obiit Ann. 1476. Sepultus *Moguntiæ* jacet.

* *Ex Nicolai Serarii de rebus Mogunt. tractatu.*

Clar. A. C. 1487.

NICOLAUS UNDERWALDENSIS.

NIcolaus ab Underwalden Eremita, vocatus vulgò Bruder Claus/ homo miraculoſus, poſtquàm ex conjuge ſuâ 5. *Eremita.* filios & totidem filias ſuſcepiſſet, quâdam die, relictis omnibus, in ſolitudinem longinquam diſceſſit, in quâ per 21. annos ſine *21. annos ſine cibo & potu vixit.* ullo cibo potuque miraculosè vixit. Ibi ab omnibus pro viro ſancto habitus eſt, quia S. Scripturæ myſteria perſpicuè declaravit, licèt literas nunquam didiciſſet. *Illiteratus.*

Semper hilaris apparuit. Helvetios ſubinde adhortatus eſt, ut ſeriam agerent pœnitentiam, concordes permaneant, nec ſe muneribus corrumpi ſinant, vel cum Principibus exteris fœdus ineant.

Diebus feſtis in Templum, tuguriolo ſuo *Concionator egregius.* proximum, ſe conferens, Sermones ad populum habuit, quem plus ædificavit vitæ ſanctitate quàm ſermone, ſubindè precatus:

O HErr! nimm von mir alles/ was mich
mag wenden von dir:
O HErr! gib mir was mich wendet zu dir:
O HErr! nimm mich mir/ und gib mich
ganz zu eigen dir.

Oculos habuit fulgore terribili coruſcantes. Dum loquebatur, venæ & arteriæ in collo ipſius adeò intumuerunt, ut ſpiritu potius, quàm ſanguine repletæ viderentur. Cum aliquando Epiſcopi Conſtantienſis mandato parùm hauſiſſet cibi, triduum ſtomachi dolore prehenſus graviter ægrotavit.

Obiit tandem A.C. 1487. ſecundum alios 1502. æt. 70.

* *Ex Chronico Helvetiæ Johannis Stumpffii.*

Sub ejus effigie in ære ſculptâ hi rithmi leguntur:

Sih/ Bruder Claus war ich genandt
Vom Underwald im Schweitzerland/
Mein Leben ich fürſtellen wolt/
Daß man ſich GOtt ergeben ſolt.
Haus/ Weib und Kind verließ ich gar/
Wohnt im Wald ein und zwanzig Jahr:
Da mich GOtt ſtärkt ohn Trank und
Speiß;
Ich betet immerdar mit Fleiß:
O HErr GOtt nimm hinweg von mir
Die Sünd/ ſo mich abwendt von dir/
Und gib den Geiſt von Tag zu Tag/
Der mich zu dir ein führen mag.
HErr/ nimm du mich mir in der Zeit/
Und gib mich dir zur Ewigkeit.
Hiemit ich GOtt vertraut allein/
Mein Leib war dürr wie Haut und Bein.
Hatt nur ein Rock bis auf den Fuß/
Viel Menſchen ich vermahnt zur Buß:
Von GOtt und ſeinem Reich ich redt/
Kein Buchſtab doch gelernet hätt.
Meins Herzens Freud war JEſus Chriſt/
Der unbekannt viel Menſchen iſt.
Mein Zell nicht weiter höher was/
Dann daß ich drinn ſtund/ lag und ſaß.
Mein GOtt nahm mich aus dieſer Welt/
Als von Chriſti Geburt man zählt
Tauſend vierhundert achzig ſieben/
Am Tag S. Benedict aufgeſchrieben/
Und lebte gleich ſiebenzig Jahr/
Draus mein Geburt iſt offenbar.

Dicere hic ſæpius eſt ſolitus: *Deum, ſummum utpote bonum, invenire qui cupit, ſeipſum perdat neceſſe ducat.* Item: *Chriſtus Salvator, plurimum olim à viris doctis eſt paſſus & adhuc patitur.*

MARSILIUS ab INGEN.

Clar. A. C. 1490.

MArſilius ab Ingen, natione *Germanus*, docuit *Heidelbergæ* circa A. C. 1490. *Docet Heidelbergæ.* Primus hic *Gymnaſii* dicitur *Heidelbergenſis* fundator, tum, cum unius labii, *Gymnaſii Heidelbergenſis fundator.* hòc eſt Catholica univerſa eſſet Germania, ut ait *Poſſevinus, in appar. t. 2.*

Scripſit: *Ejus Scripta.*

Comment. in 4. libr. Sententiarum.

* *Ex Patrologiâ Joh. Gerhardi.*

WERNERUS ROLEVINCK de LAER.

Floruit A.C. 1495.

PAtriâ *Weſtphalus*, ex Diœceſi *Monaſterienſi*, Monachus Ordinis *Carthuſienſis*, domûs *S. Barbaræ* in *Coloniâ Agrippinâ*, vir in Divinis Scripturis ſtudioſiſſimus, & valdè eruditus, ingenio excultus, vitâque *Theologus Colonienſis.* & converſatione devotus. Floruit circa A. C. 1495. quo annum ætatis agens 70. & converſionis 48. Abbati *Johanni Tritbemio*, cum in ejus cellâ eſſet, libros ſequentes ſe ſcripſiſſe confeſſus eſt:

In omnes Epiſtolas Pauli tria magna Volumina, quod opus prænotavit *Doctrinale Pauli.* *Ejus Scripta.*
Vitam Pauli Lib. VII.
Faſciculum temporum cum circulis ab exordio mundi, uſque ad ſua tempora.
Paradiſum Conſcientiæ Lib. I.
De Dignitate & poteſtate Sacerdotum.

De

De Sacramento Altaris, & valore Miſſarum.
Formulam vivendi Canonicorum, & presbyterorum ſecularium.
De verâ Nobilitate & ejus origine.
De Regimine Ruſticorum.
De optimo genere gubernandi Rempublicam.
De Hoſpitalaris, & operibus miſericordiæ vacantibus.
De fraternâ correctione, & viſitatione monaſticâ, atque de his, quibus convenit tractare S. Scripturam, & de gradibus, qui conferuntur in Scholis.
De laude Weſtphaliæ, & ejus converſione ad fidem.
De Origine Friſonum.
De Contractibus, an ſint liciti.
De Calendario, & Martyrologio.
Regulas XX. pro Prælatis utiles.
De excellentiâ Alberti Magni.
De Novitiis inſtituendis.
De fraternitate vulgari ſimul convivantium.
De differentiâ Paſſionum, & quid ſit Paſſio.
De Securitate licentiæ Prælatorum.
De contemplatione Simplicium.
De ſanctis deſideriis, & modis, ſe habendi in illis.
De horis Canonicis devotè perſolvendis.
Sermones multos Synodales, Capitulares, & Popilares.
Epiſtolas plurimas.
* *Ex Catalogo illuſtrium virorum Johannis Tritbemii Abbatis.*

GABRIEL BIEL.

Obiit A.C. 1495.

Theologiæ Profeſſor Tubingenſis.

NAtione *Germanus*, inter primos Academiæ *Tubingenſis* Doctores fuit Theologus doctiſſimus, & inter *Sententiarios* Scriptores præcipuus, Sectator *Occami*, & ultimus ferè eorum, qui inter *Germanos* Theologiæ Scholaſticæ ſcriptis inclaruerunt. *Scholaſticorum Compilator* paſſim audit. Obiit in Academiâ *Tubingenſi* A. C. 1495.

Compilator Scholaſticorum.

Ejus Scripta.

Scripſit

Commentaria in 4. libros ſententiarum.
Expoſitionem Canonis Miſſæ, editam A. 1515. Baſileæ.
Sermones varios.
* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

CAROLUS FERNANDUS.

Obiit A.C. 1496.

Cæcus eruditus. Theol. Profeſſor Pariſ. Monachus S. Benedicti.

BRugis Flandrorum natus, licet oculis captus, tantos in ſtudiis progreſsûs fecit, ut Orator, Poëta, Philoſophus, ac Theologus inſignis audiret, ſacrasque literas *Pariſiis* publicè interpretaretur. Poſt, ſpretis omnibus, *D. Benedicti* inſtitutum amplexus eſt in *Vincentiano* apud *Cenomanos* Cœnobio, ſito in ſylvâ denſiſſimâ, 10. â *Bituricenſi* civitate milliaribus diſtante. Sanctiſſimè diem ſuum obiit A. C. 1496.

Fratrem habuit *Johannem*, ob Muſicæ Artis peritiam *Carolo VIII*. Galliarum Regi charum.

Scripſit:

De Animi tranquillitate Lib. II. Ejus Scripta.
De Conceptione puriſſimâ Dei Genetricis adversùs Vincentium de Caſtro Novo Ord. S. Dominici.
Laudes Ordinis Carmelitarum.
Collationum Monaſticarum Lib. IV.
De Obſervatione regulæ Benedictini Ordinis.
Epiſtolarum Lib. II.
Odarum in laudem Chriſti Lib. IV.
Orationum & Epigrammatum Lib. III.
Elegias de contemptu mundi.
Orationem de S. Catharinâ.
de Conceptione ad Cartuſianos.
Speculum diſciplinæ Monaſticæ manuſcriptum, quod Ultrajecti in Bibliothecâ Tungerloënſi aſſervatur.
* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

HIERONYMUS SAVANOROLA.

Obiit A.C. 1498.

NAtus eſt *Ferrariæ* A. C. 1443. 21. Sept. vel, ſecundùm alios, 1452. Monachus *Dominicanus*, vir pius, Spiritu Prophetico prædítus, ſummæ apud *Florentinos* autoritatis. Concionator ibi in Cœnobio *S. Marci* publicè concionari cœpit A. C. 1483. quo *Martinus Lutherus* natus eſt, contra Superſtitiones Papales, Clericorum ſcelera, cumprimis avaritiam, ſuperbiam, & luxuriam acriter redarguit. Propter vaticinationes etiam ſæpius in Concionibus prolatas â Plebe *Sancti* & *Prophetæ* nomen obtinuit.

Monachus Dominicanus.

Concionator vehemens.

Morem habuiſſe fertur, ut interdum in populi ſcelera pro Concione invectus ſubitò ſeſe proripuerit, & imperfectâ concione ſuſpenſoque populo domum abierit.

De eo ſcribit *Philippus Cominæus*, qui cum eo ſæpè collocutus erat: Moribus erat inculpatus, quantùm perſpici poterat, & in docendo multos ad ſanitatem vitæque emendationem perduxit. Â *Joh. Franciſco Pico*, Comite *Mirandulano*, ſingulari ſcripto contra Papam defenſus, & â *Marſilio Ficino* Vir ſanctus appellatus eſt.

A. 1490. *Apocalypſin* interpretatus, maximam in eâ partem in Rom. Antichriſto depingendo, ruinamque ejus deſcribendo inſumſit, & multa in rebus fidei contra Papam ejusque Primatum docuit. Antichriſtum depingit.

Carolum VIII. Galliæ Regem, cum contra Pontificem, *Maximilianum* Cæſarem, & *Venetos* iter in Italiam moliretur, â DEO excitatum fuiſſe ſæpè in concionibus ſuis tanquam vates prædixit, & de Reformatione ſubſecutâ Eccleſiæ vaticinatus eſt. Præclara quippè, *Caroli* Regis, ut *Cominæus* ſcripſit, voluntas fuit, Ordinem Eccleſiaſticum emendandi, ſed perficiendi ſumma erat futura difficultas. Vaticinatur de Reformatione Eccleſiæ.

Mutatis verò deindè rebus, Rege *Carolo* defuncto, & Florentinis graviter inter ſe diſſi-

diſſidentibus, *Hieronymi* autoritas imminuebatur indies; acceſſit odium Monachorum *Franciſcanorum*, hæreticum eum appellantium. Juſſu tandem Pontif. *Alexandri VI.* ex ambitione, avaritiâ, libidineque conflati hominis monſtroſi, quem concionibus ſuis graviter offenderat, comprehenſus, & in carcere cruciatibus quæſtionum acerbis tanquam hæreticus excarnificatus eſt. Paulò poſt unà cum duobus ſociis *Sylveſtro Florentino*, & *Dominico de Piſis*, Ordinis *Prædicatorum* fratribus, laqueo ſuffocatus & crematus eſt *Florentiæ* die 23. Maji, A. C. 1498. ætatis 55. vel 46.

Hæreſeos damnatur.

Martyrium patitur.

Scripta ab eo edita ſunt:

Tractatus, in quo dividuntur omnes Scientiæ.

In Prophetas aliquot Commentarii.

Compendium Philoſophiæ Naturalis & Moralis.

Compendium Logices.

Dialogus, cui titulus, *Solatium itineris mei.*

Regulæ Religioſis obſervandæ.

In Orationem Dominicam quadruplex interpretatio.

Tractatus de myſterio Crucis.

Tractatus graduum aſcendendi ad perfectionem vitæ ſpiritualis.

Lamentatio Chriſti ſponſæ adverſùs Pſeudo-Apoſtolos.

De ſimplicitate Chriſtianæ vitæ Lib. V.

De veritate Fidei, ſive de Triumpho crucis Lib. IV.

Contra Aſtrologiam judiciariam: quem libellum *Thomas Eraſtus ex Italicâ in Germanicam linguam vertit.*

Meditationes in Pſalmos: Miſerere, In te Domine ſperavi, & qui Regis Iſraël. &c. privatus morte, abſolvere non potuit.

Prophetica, in quâ multa de noſtro ævo, Regnorumque commotione prædixit.

Meditatio, â *Luthero*, ob ſingularem, quam ſpirat, pietatem, additâ præfatione, edita.

Oratio in Vigiliam nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Orationis Dominicæ pia & erudita explanatio: Unà cum Precationibus ex quaque explanatione deductis.

* *Ex libro Jac. Verheiden de Theologis, qui Rom. Antichriſtum oppugnârunt.*

* * *

Pauli Jovii judicium de *Hieronymo Savonarolà in Elogiis ſuis virorum doctorum pag. 82.*

Mediceis Gallorum adventu *Florentiâ* pulſis, *Hieronymus Savonarola Ferrarienſis* ex ordine *D. Dominici* cucullatus, usque adeò auſteræ vitæ diſciplinâ, ac erudito ſubtilique ingenio, & in ſacris concionibus admirabili facundiâ valuit, ut populum inſtaurandis religionibus deditum, & tum novo receptæ libertatis gaudio geſtientem quò vellet facilè impelleret, privatisque familiarium, ac ipſius quoque ſummi Magiſtratûs conſiliis miſceretur. Futura enim prædicere veluti divino afflatum numine credebant, quando nihil validius eſſet ad perſuadendum ſpecie ipsâ pietatis, in quâ etiam tuendæ libertatis ſtudium emineret.

Sed nonnulli Optimates, aſtutis ingeniis adeundo, conſulendoque ejus autoritatem in immenſum adaugebant, tantâ quidem inſaniâ, quo illam ſibi aſtruerent, ut ad *Carolum* Regem *Piſas* Legatus mitteretur, & integros quatuor annos *Florentinorum* animis ac opibus imperaret. Verùm in eo Chriſtianis herclè moribus ac optimis literis ornatiſſimo, ingenium ab occultâ ambitione, & nimio, exitialique proferendæ veritatis ſtudio inflammatum, adeò æſtuanter efferbuit, ut capitale judicium de ſuſpectis nobiliſſimis ſeptem civibus ſævâ ſententiâ præcipitârit, moresque *Alexandri* Summi Pontificis veſanâ declamandi libertate, cum acerbè ſuggillaret, Sacroſanctam poteſtatem in dubium devocârit: quamobrem reus Majeſtatis, depoſcente Pontifice, concedentéque Senatu, & concrematis quidem Templi foribus, nec incruentâ irruptione comprehenditur: nam inimicæ factionis cives damnatorumque propinqui arma cœperant: in eoque tumultu trucidatus eſt *Franciſcus Valorius*, partium princeps, qui maturandæ reorum necis autor exſtiterat.

Piſas Legatus mittitur ad Regem Gallor. Carolum VIII.

Cœterùm de Savonarolâ tormentis excruciato, confeſſoque, latronum more, in medio foro miſerabile ſupplicium eſt deſumtum, ita, ut ſtrangulati corpus extemplò cremaretur, diverſo quidem animorum habitu, cum alii ardentes odio, jure execratum atque punitum exclamarent: alii verò lugentes, tanquam indignâ morte perempti è rogo cineres religioſè colligerent.

Ejus autem ingenii operum præcipuâ cum laude legitur *Glorioſus Crucis Triumphus* adverſùs ejus ſeculi ſapientes garrulosque Sophiſtas, Latinè perſcriptus.

Utramque autem pii atque impii nominis famam cumulatè promeruit, ſi duobus contrariis cœnotaphiis credendum eſſe cenſeremus. Sed alterum, quod lividus effudit, honeſtus ſupprimet pudor, ne ſupra miſerabilis ſupplicii dolorem, inſontis fortaſſè viri manes hac etiam æterni carminis inurente notâ crucientur.

Cœnotaphia duo contraria.

Marci Antonii Flaminii:

Dum fera Flamma tuos, Hieronyme, paſcitur artûs,
Relligio ſanctas dilaniata comas
Flevit, & ô, dixit, crudeles parcite flammæ,
Parcite, ſunt iſto viſcera noſtra rogo.

Latomi:

Dicere me prohibet pietas, Hieronyme, quicquam, Tuo quod olim nomini
Officiat: vetat aſt eadem me dicere, paſſum
Te præter æquum talia.
Illud nemo negat, vel Momo durior, eſſe,
Quæ ſcripſeris, piiſſima.
Quæ dum compono, tibi, neſcio, numne dolere,
Vel gratulari debeam.

JO-

Obiit A.C. 1502.

JOHANNES HILTENIUS.

THuringum hunc fuiſſe, opinio fert; in *Thuringiâ* certè vixit Anno 1485. & ſeqq.

Erfurdiæ ſtudet. Inde ſeceſſit. Monachus Franciſcanus in carcerem conjicitur.

Juvenis in Academiâ *Erfurdienſi* philoſophiæ dedit operam, pòſt, Invidiâ quorundam preſſus, ſeceſſit, & *Iſenaci* cum *Franciſcanis*, quorum familiæ nomen dederat, egit, ibique à ſodalitio ſuo in carcerem conjectus propterea fuit, quod enormes quosdam abuſûs reprehendiſſet. In illo cum in morbum incidiſſet, accerſitum ad ſe Guardianum multis rogavit, ut è carcere dimitteretur, vel moleſtiâ levaretur. Sed cum Guardianus duriter ipſum, ob doctrinæ genus, objurgâſſet, ingemiſcens, *Ego*, inquit, *injurias iſtas æquo animo propter Chriſtum tolero, cum nihil contra Monachatum ſcripſerim, ſed tantùm notos quosdam abuſûs reprehenderim: Sed alius quidam Monachus veniet, A. Domini 1516. qui deſtruet vos, nec poteritis ei reſiſtere, aut carcere vinculisve eum coërcere.*

Dictum ejus ad Guardianum.

Monachus ob everſionem Monachorum exſultans.

Cumque Monachus quidam propè *Bitterfeld* in *Steinlauſig*, cognomento *Flecken*, attigiſſet annum 1516. quo *Hiltenius* Monachorum futuram everſionem prædixerat, gaudio magno exultavit, & viſis *propoſitionibus Lutheri contra indulgentias*, in hanc vocem erupit, converſus ad Monachos & Sacrificulos, *Ha, ha, ha, venit jam is, qui vos rectè tractabit.*

Phil. Melancht. ipſius Scripta vidit.

Dictam verò *Johannis* ſententiam, refert *Phil. Melanchthon*, ſe vidiſſe ipſius *Hilteni* manu ſcriptam, lib. 2. epiſt.

Obiit A. C. 1502.

Mundo Annum ultimum hic adſignavit 1651.

Scriptum ejus de Româ & Romano Imperio.

De *Româ* ſcribit: *Roma & ejus poteſtas caſſabitur: inde oſtendetur Antichriſtus.*

De *Imperio Romano* ſcribit: *Hodie A. C. 1485. illi digiti,* (Monarchiæ ultimæ,) *valdè minorati ſunt. Et eſt proprium Romanæ poteſtatis, ut ſit ferreum,* (quid) *& licet digiti minorentur ad parvitatem acus, tamen manent ferrei.*

De *mutatione Monaſteriorum* hæc prædixiſſe fertur:

	Vinarienſe		*Armamentarium.*
Cœnobium	*Magdeburgenſe*	*fiet*	*Schola.*
	Wittenbergenſe		*Granarium.*

Scripſit

Ejus Scripta.

Commentarios in Apocalypſin & Danielem.

A. C. 1600. prædixit hominem ſæviſſimum.

A. C. 1606. Gogum & Magogum regnaturum eſſe in univerſâ Europâ.

* *Ex Melchiore Adamo de vitis Theologorum, & aliis.*

Obiit A.C. 1506.

ÆGIDIUS FABER.

Monachus Carmelitanus. Concionator ſingularis.

BRuxellæ ex honeſtâ familiâ natus, Religionis *Carmelitanæ* lumen fuit clariſſimum, Doctor Theol. *Lovanienſis*, & ſæculi ſui Eccleſiaſtes celeberrimus, quem cum auditum eſſet concionaturum, omnia loca in ſubſelliis occupabantur, & templum complebatur, auditoresque omnes adſtabant erecti & intenti.

Imperatori Maximiliano acceptus.

Ab Imperatore *Maximiliano I.* ſæpiùs in conſilium adhibitus familiare, qui in ipſius gratiam Ordini *Carmelitano* multa beneficia præſtitit, & *Bruxellis* Cœnobium *Carmelitanum* ſolenni Equitum aurei Velleris inauguratione illuſtravit.

Ludov. Guicciardinus, *Cornelius Callidius*, aliique Scriptores eximii, Monachi hujus mentionem honeſtam in Scriptis ſuis ſæpiùs fecerunt.

In patriâ vitâ defunctus eſt A.C. 1506. & in Conventûs ſui Templo ſepultus, cum effigie lapidi ſepulchrali inſculptâ.

Scripſit & edidit

Scripta.

Chronicon ſui Ordinis.
Hiſtoriam Brabantiæ.
Commentaria in Evangelia, Epiſtolas S. Pauli, lib. Ruth, & Job.
Determinationes Theologicas.
Præcepta vitæ Religioſæ.
Super Sententias Lib. IV.
De ortu Religionum.
De Teſtamento Chriſti in Cruce.
Orationes & Collationes varias.
Sermonum per Annum tam de tempore quàm de Sanctis Lib. II.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii. Et ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

PETRUS BAROCIUS.

Obiit A.C. 1507. Theologus.

PAtritius *Venetus*, eruditione & vitæ puritate Idéa Prælati perfecti, Poëta felix, Philoſophus ſubtilis, & Theologus profundus fuit, erga pauperes ſummè beneficus.

Epiſcopus Bellunenſis & Patavinus.

Epiſcopus primùm *Bellunenſis in Marcâ Tarviſanâ*, deindè *Patavinus*, Eccleſiam illius Urbis per 20. annos cum vitæ ſanctitate gubernavit.

Ad Cardinalis etiam dignitatem, de *Pii II.* Summi Pontificis voluntate, perveniſſet, niſi mors interveniſſet. Ventris enim torminibus graviter afflictus, præſentibus agnatis & familiaribus, Teſtamentum tale ſcribi curavit per Notarium: *Animam meam Deo Corpus terræ, facultatesque, quæ ſuperſunt, omnes, iis, quibus jure naturæ debentur, conſecro.* Hoc facto vitam morte beatâ clauſit 10. Januarii A. C. 1507. æt. 66. Corpus ſplendido funere in Templo Cathedrali *Patavii* ſepultum fuit, cum hâc Inſcriptione:

Ejus Teſtamentum. Obiit. Ejus Epitaphium.

PETRO BAROCIO BELLUNENSI PRIMUM ANTISTITI, PONTIF. DEINDE PATAVINO. SANCTIMONIÆ, PIETAT. ERUDITIONIS BENEFICENTIÆ INCOMPARABILIS, SENATUS VENETUS MONUMENTUM HOC FACIENDUM CURAVIT.

In lucem emiſit:

Scripta.

De Ratione benè moriendi lib. III.
Opuſculum conſolatorium.

Officium ad deprecandam peſtilentiam.
ad impetrandam pluviam.
ad aëris ſerenitatem poſcendam.
Verſuum, & Hymnorum Lib. III.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A. C. 1508.

ANDREAS PROLES.

Patria. Auguſtin. Monach. Prior.

L*Ipſiæ in Miſniâ* natus eſt.

In *Auguſtinianorum* ibi Ordinem adſcriptus, ob doctrinam ſingularem, pietatisque Zelum, eorum Prior electus eſt. Ibi cum Sacros libros publicè explicaret, ſæpè dixit, *Gratiâ ſumus quicquid ſumus, & gratiâ habemus, quicquid habemus & res Chriſtiana opus habet forti Reformatione, quam jam inſtare video.* Quærentibus fratribus: quare non ipſe inciperet Reformationem? ſuam corporis infirmitatem excuſavit, ſed *brevi venturum,* dixit, *qui negotium Reformationis aggreſſurus & fortiter peracturus ſit.*

Reformationem prædicit Eccleſiæ. Cur ipſe non aggreſſus fuerit.

Provincialis Auguſt.

Tandem, ob pietatem, totius Ordinis Provincialis electus eſt.

A. 1497. Ipſum jam decrepitum *Martinus Lutherus Magdeburgi,* admodùm tamen juvenis, vidit & audivit.

In Synodo Lateranenſi contradicit aliis de feſto indicendo. Excommunicatur. Inſidiis Papæ petitur.

In *Synodo Lateranenſi,* quæ A. 1510. abſoluta fuit, cum ageretur de indicendo novo feſto, ſolus hic contradixit, quod *populus Chriſtianus Sanguine Chriſti liberatus, alioquin nimium traditionibus eſſet oneratus.* Ideò à Papâ excommunicatus, ad ſuos confugit, in quâ fugâ, ut ipſe poſtea narravit, arcum & ſagittas ad ſui defenſionẽ emit, ſed poſt dies aliquot cogitans, cauſam non ſuam ſed DEI eſſe, quæ nec opprimi totius mundi armis, nec defendi poſſet, arcum cum pharetrâ è curru in itinere abjecit, & ſe Domino commendavit.

Affirmavit quoque, ſe eo in itinere in maximis ſæpè fuiſſe periculis, quòd ei Papa inſidiatores ſubornarat, à quibus, niſi divinitus fuiſſet protectus, nequaquam evadere potuiſſet.

Redit ad ſuos.

Domum reverſus, toto anno, quo vixit excommunicatus, gravius errores Papæ reprehendit.

Abſolvitur.

Tandem *Erneſtus, Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Saxoniæ* Dux, (qui obiit 3. Auguſti A. 1513. æt. 49.) pro eo intercedens, effecit, ut abſolveretur, ſi Papam accederet.

Iterum Romam abit.

Profectus itaque, cum non procul Româ abeſſet, præmonitus imminere ſibi à Papâ exitium, denuò in Germaniam redire cœpit.

Monitus redit. In reditu moritur.

Sed ob ſenium in morbum incidit, ac vix Cicembachium perlatus obiit, & in Auguſtinianorum monaſterio ſepultus fuit circa annum 1508.

De ſcriptis hujus nihil Bibliothecæ laudant præter *Sermones* quoſdam.

* *Ex Melchiore Adamo de vitis Germ. Theol.*

ANTONIUS SORIANUS.

Obiit A. C. 1508.

N*Atione Venetus,* genere Patritius, & Profeſſione Monachus *Certoſinus,* ob vitæ puritatem & eruditionem ſingularem, cum patriæ applauſu, & Summi Pontificis conſenſu Urbis *Venetæ* Patriarcha electus eſt.

Patriarcha Venetus.

In hâc dignitate cum 4. annis ſummâ cum laude verſatus eſſet, obiit A. C. 1508. æt. 53. Sepulchro ejus in Templo *S. Andreæ* hoc Epitaphium legitur inſcriptum:

Obiit. *Ejus Epitaphium.*

D. O. M.
ANTONIO SORIANO PATRIARCHÆ VENETIARUM ANTONIUS EQUES, ET AUGUSTINUS F. S.
MICHAELIS FILII PATRUO BENE MERITO D. M. P. VIXIT ANN. LII. M. V. D. XXIV. OBIIT MDVIII. AN. PATR. IV.

Libros ſcripſit & edidit:

Scripta.

De Informatione interiori.
De Vitâ contemplativâ.
De Solitudine.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

JOHANNES GEILERUS.

Obiit A. C. 1510.

Patria. Parentes.

N*Atus eſt Schaffhuſiæ,* ab *Auſtriæ* Ducatu antequam deſcivit, A. 1445. 16. Martii, patre *Johanne,* Matre *Anna Zubera.*

Pater ab urſo ſauciatus moritur. A proavo educatur. Magiſter Friburgi.

Cum verò patrem, Notarium *Amerſvillanum, Johannes* anno ætatis tertio amiſiſſet, qui in urſi vineta depaſcentis perſecutione, ab eo in crure demorſus, gangrænâ accedente, obiit, à Proavo *Cæſarisbergii* educatus eſt. Cumque in Gymnaſio *Friburgenſi,* Proavi curâ, literis vacâſſet humanioribus, magiſteriique laureâ decoratus eſſet, ſacris ſtatim initiari voluit, *Baſileæq;* ubi quinquennium ſtudiis impendit ſacris, Theologiæ Doctor creatus eſt.

Theologiæ Doctor.

Friburgum deindè rediens, ſacra ibi per annum docuit, poſt *Herbipolin* abiit, futurus ibi Concionator, ducentorum aureorum ſalario, donec ſacerdotio donaretur opulentiori. Tandem *Argentinæ* in ſummo temploConcionibus ſacris præfectus eſt A. 1478. à *Petro Schotto* Senatore Argentoratenſi perſuaſus, fruſtra interim ab *Herbipolenſibus* revocatus.

Herbipolin abit. Argentin. concionator.

In hoc munere ſummâ omnium cum laude totis 32. annis verſatus cum pietatis zelo vivæque doctrinæ exemplo, Eccleſiaſticorum luxuriam & avaritiam graviter inſectatus eſt, ob quod odium etiam & inſidias ſibi plurimorum conciliavit.

Sacra porrò in æde Virginum Veſtalium, quas pœnitentes vocant, peregit, quibus, ne luxu diffluerent, arctam vivendi regulam præſcripſit. Monialibus *Humbertum de* virtutibus explicavit, quos ſermones ſacerdos maximo collegit labore, viventique adhuc authori tradidit, typis poſtea editos.

Humbertus de Virtutibus explicatus. De morte inſtanti præmonetur.

De morte inſtante, antequam morbo etiam



IOHANNES GEYLER, *Theol. Argentinens.*


IOHANNES COLETUS *Theol. Londinens.*


IOHANNES DE INDAGINE *Parochus Steinheim. Mogunt.*


HULDRICUS ZWINGLI, *Theol. Tigurinus*


IOH: OECOLAMPADI, *Theol. Baſileenſis*


GUILIELM. TYNDALL, *Theol. Oxon.*



IOHANNES FISCHERUS *Epiſcopus Roffenſis.*


BERCHTHOLD HALLER *Theol. Bernens.*


GERARD. GELDENHAUER *Theol. Marpurg.*


LEO IUDÆ. *Theol. Tigurinus*



IACOBUS LATOMUS *Theol. Lovanienſis*


GEORGI. SPALATINUS *Theol. Saxon.*


MARTIN. LUTHERUS. *ex Patmo rediens.*


MARTIN. LUTHERUS. *Theol. Witteberg.*


IOHANNES DIAZIUS. *Theol.*


FRIDERIC. MYCONIUS *Theol. Saxon.*

Digitized by Google


IACOBUS LATOMUS
LEO IUDÆ
IOHANNES DIAZIUS
MARTIN. LUTHERUS

etiam fatali corriperetur, ab *Auguſtanâ* quadam puellâ, quæ nullo tum cibo veſcebatur, per literas certior factus, nihil conſternatus, diſſolvi cupivit, & eſſe cum Chriſto: Voti hujus compos factus eſt 10. Martii A.C. 1510. ætatis 65. Epitaphium à *B. Rhenano* ipſi ſcriptum eſt, quamvis ſaxo non inciſum, ſeq.

Moritur.

Epitaphium Geileri.

DEO TRIUNI ET UNI
BENE VALEAS, QUISQUIS ES.
JOHANNI GEILERO CÆSAREMONTANO, THEOLOGIÆ CONSULTISSIMO: QUI PERICLE ELOQUENTIOR: SOCRATE CONTINENTIOR: NUMAQUE RELIGIOSIOR, VITÆ SANCTIMONIA ET SACRIS CONCIONIBUS ARGENTORAT. POPULUM A. XXXIII. NON SINE MAGNO PROFECTU ERUDIVIT: NEMINI UNQUAM ASSENTATUS: PAUPERES PATRIO AFFECTU IOVIT: BONOS AC DOCTOS MERO STUDIO DILEXIT: ARGENTORATENS. INCLYTA RESPUBL. ÆTERNO DECORI ET MONIMENTO POSUIT. VIXIT ANNOS LXIV. MENS. XI. DIES. XXIV. OBIIT TOTIUS ALSATIÆ LACHRYMIS DEFLETUS: SUB MAXIMILIANO AUGUSTO: A QUO OB VITÆ INTEGRITATEM PLURIMUM AMATUS EST: ANNO GRATIÆ M D X. SEXT. ID. MART. PROH QUAM RECTI EXEMPLI HOMO ERAT? SED ORTA CADUNT.

Epigramma in Geilerum.

Jacobi Wimphelingi, amici ipſius veteris, ſequens eſt Epigramma:

Argentina Deo grates age, plaude, triumpha,
Quod talem morum viſa es habere patrem,
Ter denos ſupra Antiſtes qui maximus annos
Te docuit, ſimul & ſcripta probata dedit:
Ad declamandum non impulit hunc ſitis auri,
Non favor, aut luxus, aucupiumve novum:
Sed divinus honos, animarum zelus & ingens:
Quas docuit rectam capere ad aſtra viam:

Ejus Proſopographia.

Staturâ fuit *Geilerus* procerâ, capillo criſpo, facie macilentâ, corpore gracili, ſed ſalubri, nulliſque ægritudinibus obnoxio: Stylus ipſi erat extemporaneus, ſed incultior: Bibliotheca verò omnis generis libris refertiſſima: Neminem unquam pauperum ſine munere paſſus eſt abire. Ob ſummam verò eruditionem *Maximilianus I.* eum benevolentiâ haud vulgari eſt proſecutus, hujusque, in rebus magnis, conſilium non parvi ab Imperatore fuit æſtimatum.

Monachos *Geilerus* nigros ſolitus eſt appellare diabolos, albos matrem diaboli, mixtos pullos ejus. Prælatos in ſcriptis ſuis accuſavit inſcitiæ & ruditatis ergo; & quod ſint cauſa omnis mali in populo. Pro concione aliquando quæſtionem proponere ſolitus eſt: Qui ſunt illi, qui raſi incedunt, ut moriones, tectâ facie, ut infames, fune vincti ut fures? Cui ſubjecit: Sunt Monachi *Franciſcani.* Non ſolùm queſtus eſt de Religione corrupta, ſed & venturum quendam prædixit, divinitùs excitatum, qui Eccleſiam reſtauraret; Optavit etiam diem videre illam, & eſſe diſcipulus ejus Viri.

Vehementer ipſi diſplicuit condemnatio *Johannis de Veſaliâ, Moguntiæ* A. 1479. facta, & cum *Englino Brunsvicenſi* judicavit, invidiâ eum Monachorum fuiſſe oppreſſum.

Solitus etiam fuit dicere, Epiſcopum Germanicè vocari Biſchof/ quaſi bey den Schafen / ſed magis congruere Ethymologiam beiß die Schaf.

De ſenibus aliquantulum imprudentioribus dixit: Seniores non ſemper eſſe ſaniores.

Concionem habens in renunciatione novi Epiſcopi *Guilielmi, Comitis ab Honſtein*, Officium Epiſcopi ſic expreſſit: Debet eſſe Epiſcopus pius, ſuum ipſemet munus exequi, templum frequentare, non politica tractare, non amore meretricio teneri, non pompâ uti, ſed prudens doctusque eſſe, qui utrumque Teſtamentum rectè intelligeret.

Scripta

Edidit:

Opera Joh. Gerſonis.
Orationes varias ad Clerum.
Sermones in Orationem Dominicam.
de decem Præceptis.
de ſeptem Peccatis mortalibus.
de communicandis his, qui ultimo ſupplicio afficiuntur.
Naviculam fatuorum & pœnitentium.
Fragmenta paſſionis.
De amovendis Concubinis.
Epiſtolas ad complures.
Quod pueri non ſint inſtigandi ad religionem.
Contra ſtatutum, quo teſtamentum Cives facere prohibentur.

Ex Melch. Adami vitis Germ. Theol. & aliis.

CONRADUS SUMMERHARDUS.

Obiit A.C. 1511.

Patria.

Diſcit Tubingæ Philoſophiam.

Doctor Theologiæ.

CAlvæ in *Sueviâ* natus eſt A. 1467. *Tubingæ* ſtudiis philoſophiæ deditus, tantos in hac brevi fecit progreſſus, ut, quâ legendo, quâ diſputando, alios ejus loci Profeſſores longè poſt ſe reliquerit. Poſtea ad Theologiam animum applicuit, inque eâ Inſignia Doctoralia virtute ſuâ obtinuit.

Optat Reformationem.

Fuit unus ex illis, qui emendationem Eccleſiæ unicè exoptârunt.

Johannes Staupicius, qui *Tubingæ* docentem ſæpè audivit, ſæpè quoque referre ſolitus eſt illius verba: *Quis me miſerum tandem liberabit ab iſtâ rixoſa Theologiâ, Scholaſticorum intellige & Sophiſtarum?*

Peſte corripitur & obit.

Cum ita Scholam *Tubingenſem* eruditionis ſuæ famâ illuſtrâſſet, peſte graſſante ſublatus eſt in Monaſterio *Schuterenſi* 3. Nov. A. 1511. ætatis 44.

Monumentum ei à Bebelio poſitum.

Ad monumentum ejus, Carmen *Henrici Bebelii* exſtat ejusmodi:

Si ſteteris paulùm, hocq; leges Epigramma, Viator!
Noſces, quis gelidâ hac contumuletur humo.
Suevorum Summrhardt jacet hîc laus, gloria, fama,
Grande Tubingenſis Gymnaſiiq; Decus.

Cujus non ſimilem novit Germania tota:
Ille Theologiæ namq; Monarcha fuit.
Phœnix Doctorum, ſceleris quoque purus iniqui:
Et vitæ & morum cum probitate ſacer,
Quem quoniam tantum potuit mors improba luce
Exarmare Virum, vel rapere ante diem,
Vivere virtutes Cujus meruére perenne;
Illius eſt ſedes certa profecto poli:
Solamenq; illis, qui nunc moriuntur ubiq;:
Mortem eſſe optandam, præcipuumq; bonum.

Scripta. Scripta reliquit:

Commentaria in Univerſam Phyſicam.

Orationem ad Patres in capitulo Hirſaugienſi de 12. abuſibus monaſticis.

Concluſiones in Petri Lombardi ſententias.

De Contractibus grande opus.

Tractatum bipartitum, quod Deus homo fieri voluerit, quodq; Meſſias in Lege & Prophetis promiſſus, non ſolùm Homo, ſed etiam Deus eſſe debuerit & debeat.

* *Ex Melch. Adam. de Vitis Germ. Theol.*

NICOLAUS RUS.

Clar. A.C. 1513.

Magiſter. Baccalaureus Theol. SAcris â puero initiatus, in Academiâ *Roſtochianâ* primò Magiſter, deindè Baccalaureus Theologiæ renuntiatus eſt.

Superſtitiones Theol. reprehendit. A. 1513. Uſus *Bohemorum* quorundam conſuetudine, ſuperſtitiones, quæ in Eccleſiam irrepſerunt, magno Zelo reprehendit, & Sacerdotes Officii ſui graviter commonuit. Multi autem admonitiones has diligenter expenderunt, plures verò graviſſimo eum proſecuti ſunt odio, unde coactus eſt *Roſtochio Wismariam* ſecedere, ubi annum cum dimidio vixit, hominum vitia taxando.

Wismariam ſecedit & indè in Livoniam. Obiit. Inde reverſus denuò *Roſtochium*, rursùs ob novam perſecutionem in *Livoniam* abiit, ibique diem ſuum obiit.

Librum relinquit de triplici funiculo. Reliquit prolixum ſcriptum impreſſum *Saxonicâ* linguâ *de triplici funiculo.* Eſt autem *expoſitio Symboli Apoſtolici*, *Decalogi*, & *Orationis Dominicæ*, in quâ multa contra Papam diſputavit, & traditiones humanas reprehendit, Indulgentias etiam meras eſſe deceptiones piorum, veras autem à Deo ſolo gratis contingere propter Chriſtum omnibus verè pœnitentibus: Papam non eam habere poteſtatem, quam ei multi tribuant, nec audiendum niſi recta præcipiat: Sanctorum oſſa non eſſe adoranda, nec ſanctos invocandos &c.

Diſputat contra Papam.

Libri ejus exuſti. Defodit exemplaria in terram. Cum autem Inquiſitores Indulgentiarum, libri hujus exemplaria conquiſita exurerent, ipſe arcam illis plenam in terram defodit, quæ ibi ad *Lutheri* tempora manſerunt, ſed pleraque putredine corrupta. Unde *Lutherum* magnam doctrinæ occaſionem ab anteceſſoribus accepiſſe, colligere ferè licet.

* *Ex Melch. Adam. vit. Germanor. Theol.*

AUGUSTINUS JUSTINIANUS.

Clar. A.C. 1516.

THeologus *Genuenſis*, linguarum omniū, quæ toto terrarum orbe diſperſæ ſunt, peritiſſimus, novo & ingenti auſu primus omnium *Vetus & Novum Teſtamentum* in unum corpus redigere conatus eſt, quod *Biblia octupla* nuncupavit. *Biblia octupla compoſuit.*

Origenem itaque imitatus, in ſingulis paginis octo Columnas diſpoſuit: in quarūm primâ *Hebraicum* textum, in ſecundâ *Latinam ejusdem interpretationem verbotenus*, in tertiâ *Latinam communem* ſeu *vulgatam editionem*, in quartâ *Græcam*, in quintâ *Arabicam*, in ſextâ *Chaldaicam*, in ſeptimâ *Latinam* interpretationem *ejusdem*, in octavâ *Notationes & Scholia* collocavit. Sed, quod eſt dolendum, non niſi *Pſalterium* octuplum edidit, quod *Genuæ* A. 1516. excuſum, Summo Pontifici *Leoni X.* dicavit. *Pſalterium octuplum edidit.*

Hæc *Aub. Miræus in Auctario de Scriptor. Eccleſiaſt.* Confer *Sixtum Senens. in Lib. IV. Biblior.* & *Voſſium de Hiſt. Lat. Lib. III. cap. 12.*

* *Ex Dialogo de Patriis virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

JODOCUS GALLUS.

Obiit A.C. 1517.

R*Ubeaci* in *Alſatiâ* natus eſt A. C. 1459.

A. 1472. Fratres Minores in ſuo Monaſterio *Rubeaci* eum â lue peſtilenti cuſtodierunt. Pòſt ſub diſciplinâ *Jacobi Wimphelingii* & *Ludovici Friſii* plurimum in ſtudiis profecit *Seleſtadii*.

Tum miſſus â *Franciſcanis Baſileam*, & exindè *Heidelbergam*, ibi Magiſter artium renuntiatus eſt. Ibidem cooptatus in Collegium Univerſitatis, Præfectus eſt Officio regendi Burſam novam, prælegens *Ariſtotelis* Logicam & Phyſicam. *Heidelbergæ fit Magiſter.*

Succeſſu temporis *Heidelbergæ* in Theologiæ Baccalaureum & Licentiatum promotus, ac aliquoties Univerſitatis Rector creatus eſt. Sed nemo Magiſtrorum ibi plures Orationes Latinas habuit ad Univerſitatem & Clerum, quàm ipſe. *Profeſſor Philoſophiæ. Rector Academiæ.*

Deindè *Stainachii*, ſupra *Heidelbergam*, Parochiam nactus, in munere concionandi magnam diligentiam adhibuit. *Parochus Stainachii.*

Spiræ tandem in Templo Cathedrali Concionator factus, ibidem podagrâ confectus vitâ exceſſit 21. Martii A. C. 1517. ætatis 58. *Concionator Spirenſis. Obiit.*

Moriturus, teſtamento cavit, *ne aliter ſepeliretur, quàm ſimplex alius Chriſtianus, noluit enim, ut moris tunc erat, veſte indutus ſepeliri, ſperans reſurrecturum ſe ad judicium non ut ſacerdotem & doctorem, ſed ut humilem Chriſtianum.*

Bibliothecam ſuam ad uſum fratrum Minorum *Rubeaci* legavit.

JO-

Obiit A.C. 1519.

JOHANNES COLETUS.

NAtus eſt *Londini*, patre *Henrico*, Equite aurato, bis ad ſummam in eâ Urbe Præfecturam vocato: Matre nobili, ex eo conjugio partu vigeſimo ſecundo levatâ, hoc *Johanne* natu maximo, & cœteris defunctis, ſolo ſuperſtite.

Juvenis in *Galliâ* & *Italiâ* Sacrarum literarum ſtudium amplexus circa annum æt. 30. in Gymnaſio *Oxonienſi* publicè *Paulinas Epiſtolas* gratuitâ operâ enarravit, & S. Theol. Doctor ibidem creatus eſt. *Fit Theol. Profeſſor Oxon. & Doctor.*

Indè â Rege *Henrico VII. Londinum* revocatus, & Templi ad *S. Paulum* in eâ Urbe maximi Decanus factus, ibi per annos aliquot è ſuggeſtu, Chriſtiano more, docuit.

Sub Regno *Henrici VIII.* veram religionem amplexus eſt, quod apparuit ex Concione, quam habuit coram Rege, cum A. 1513. in *Gallias Terrovanæ* ad prœlium trajecturus erat, cujus concionis argumentum fuit *Chriſtianus Miles*: unde ad examen â Conſiliariis Regiis vocatus, facti rationem reddidit, & Regi ita ſatisfecit, ut, Calicem ille Vini plenum poſcens, *Coleto* dixerit: *Decane, tibi propino, & quem velit, quiſque ſibi ſuum Confeſſorem aſſumat, tu verò eris mihi Doctor* *Concionator Evangelicus.*

Docuit, non adorandas imagines, Chriſtum gratis juſtificantem, Epiſcopos, gregem non paſcentes, lupos eſſe. Docuit etiam ipſe conjugatus, ſe nusquam reperiſſe minus corruptos mores, quàm inter conjugatos. Abhorruit ab illorum tyrannide, qui pro fide Chriſti pios tanquam hæreticos comburunt. His & aliis de cauſis ipſi â *Standiſio* crimen hæreſeos intentatum eſt.

Londini Scholam publicam exſtruendam curavit, erogatis in eam, priusquàm obiret, ampli patrimonii ſui opibus, quibus duo Præceptores honeſtis ſtipendiis alerentur, & adoleſcentes gratuitò docerentur numero 153. egeni. Ea Schola *Paulinæ* nomen obtinuit, & habuit primum Moderatorem *Guilielmum Lilium*. *Scholam exſtruxit.*

Contractâ tandem viſcerum tabe, ex reliquiis Sudoris Britannici, morbi peſtilentis, quo ter antea laboraverat, hydrope extinctus eſt *Londini* A. C. 1519. *Hydrope moritur.*

Libros ſcripſit: *Scripta.*

De Puerili inſtitutione.
De Moribus componendis.
De Reformidatione Chriſti.
Breviloquium dictorum Chriſti.
Conciones ordinarias & extraordinarias.
Enarrationes in Paulum, Matthæum, Proverbia Salomonis, Symbolum Fidei, & Orationem Dominicam.

* *Ex Heroologiâ Anglicâ.*

Obiit A.C. 1521.

PETRUS LUPINUS.

QUalis Vir fuerit, Epitaphium *Wittebergæ* ipſi in Templo Cœnobiali Franciſcanorum poſitum hoc exhibet: *Epitaphium.*

ANNO DOMINI M D XXI. IN DIE PHILIPPI ET JACOBI APOSTOLORUM DOCTISSIMUS SIMUL ET OPTIMUS VIR DOMINUS PETRUS LUPINUS RADHEMEN: PHILOSOPHIÆ ET SACRARUM LITERARUM DOCTOR HUJUS ACADEMIÆ: REFORMATOR VIGILANTISSIMUS, VIVERE DESIIT ET FORTI ALACRIQUE ANIMO CREATORI ANIMAM REDDIDIT, cujus CORPUS HIC SEPULTUM EST, ET TU PIE VIATOR COGITA, TE QUOQUE MORTALEM. *Th. Doctor.*

* *Ex Academiâ Wittebergenſi â Gotfrido Suevo J. C. editâ.*

Flor. A.C. 1522.

JOHANNES de INDAGINE.

JOhannes de Hagen Germanis vocatus. Vir fuit politioris literaturæ, & S. Theologiæ, præprimis verò Aſtrologiæ ſtudioſiſſimus, cujus vitam ex Epiſtolâ quâdam, quam ad *Ottonem Brunfelſium* ſcripſit, colligere licet: Floruiſſe enim A. C. 1522. indicium ea facit, Parochiamque tunc in *Steinheim*, oppido ad *Mœnum* ſito, in diœceſi *Moguntinenſi*, curâſſe, cui annos 49. munere ſuo præclarè fungens, præfuit: adeò ut ob ſingularem uſum rerum plurimarum, & eruditionem non vulgarem, Legatione ad Pontificem Rom. ſuſceptâ, Pallium Archiepiſcopale pro *Electore Moguntino* redimere præ cœteris meruerit. *Parochus Steinheimenſis.* *Legatus Electoris Moguntini ad Summum Pontificem.*

Ex eâdem Epiſtolâ manifeſtè liquet, eum fuiſſe Decanum Collegii S. Leonhardi *Francofordiæ ad Mœnum*, dum ita ſcribit: *Decanus eſſe debueram, ut ſcis, atqui minus cenſeor, quàm aſinus Ægyptiacus, hæc ferunt nobis hæc tempora, regnare volunt omnes, ſubeſſe nemo: quis verò pro Decano hodiè ſubulcus eſſe non velit?* *Decanus Francofurt.*

Sed & aulas Principum ſe annis 18. ſecutum ibidem fidem facit, ubi ſimùl alia ævi ſui incommoda deplorat. Sed in ſtudio Aſtrologico adeò excelluit, ut inter præcipuos in eo genere haberetur. Floruit circa A. C. 1522. *Aſtrologus eximius.*

Edidit ſuis impenſis Librum, *Introductionum Apotelesmaticarum in Chiromantiam, Phyſiognomiam, Aſtrologiam naturalem, cum Periaxiomatibus de faciebus Signorum & Canonibus, de ægritudinibus*, quæ ſingula nusquam ferè ſimili compendio tractata ſunt.

* *Ex Vitis 50. Virorum doctrinâ illuſtrium Jani Jacobi Boiſſardi.*

Obiit A.C. 1522.

SIMON HEINSIUS, PONTANUS dictus.

NAtus eſt in oppido *Bruck*, *Wittenbergæ* adſito.

Pater ei fuit *Georgius*, qui præcipuum illius oppidi magiſtratum diu geſſit, & ſenex *Wittenbergam*, *Lutheri* potiſſimùm audiendi causâ, commigravit. *Parentes.*

Fratrem habuit *Gregorium Pontanum* J.C. & Cancellarium Sax.

Wittenbergæ Philoſophiæ deditus, brevi tantum profecit, ut Magiſterii gradu ornatus in Profeſſorum numerum fuerit cooptatus, *Magiſter Philoſophiæ.*

Eccleſiaſtes Wittebergenſis.

Poſtea ad Theologiam ſtudium contulit, & Eccleſiaſtes *Wittenbergæ* primarius electus eſt.

A. 1516. Cum viribus morbo diuturno exhauſtis concionandi laborem ſubire amplius non poſſet, *Lutherus* vir tunc 33. annorum, diebus Dominicis ejus loco Evangelia explicavit.

Veritatem Heinſius amplectitur.

Poſtea veritatem agnitam conſtanter profeſſus eſt, recteque ſtatuit: Solam hanc Dei eſſe Eccleſiam, quæ ſcripta Prophetica & Apoſtolica ſine corruptelis amplecteretur. Valdè prætereà fuit lætatus, cum videret, congruere doctrinam Evangelii, cum Eccleſiâ veteri puriore, & cum *Auguſtini*, & aliorum ſcriptis.

Fanaticorum ſecta & dogma.

Cum verò, ut dictum, morbo teneretur diuturno, domeſticis converſationibus recreationem ſibi conciliavit; menſæque ſuæ honeſtos aliquot & eruditos juvenes ſtudioſos adhibebat ſocios. Cumque A. 1522. occultè gliſceret ſecta quorundam, qui cum Deo ſibi colloquium eſſe jactitabant, & in mandatis ſe habere, ut, impiis internecione occiſis, novũ inſtaurarent mundum, in quo pii ſolùm viverent ac rerum potirentur, *Heinſius*, lectulo fatali affixus, Animo tantùm, cum concionibus non poſſet, ſectam hanc deteſtatus eſt.

Obiit.

Vitam piè clauſit *Wittenbergæ* eodem 1522. anno.

Succeſſit ei in Paſtoratu *D. Johannes Bugenhagius Pomeranus.*

* *Ex Melch. Adam. vitis Theol. Germ.*

Flor. A.C. 1523.

ANDREAS CNOPHIUS.

Patria.

CUſtrini natus eſt ad *Viadri* & *Wartæ* Confluentes.

Collega Bugenhagii in Scholâ Treptoâ.

Treptoæ in *Pomeraniâ* cum *Johanne Bugenbagio* primùm Scholam literariam rexit tantâ cum induſtriâ, ut non ſolùm ex vicinis oppidis, ſed & è *Livoniâ* & *Weſtphaliâ* Scholaſtici confluerent.

Turba Treptoæ.

Eo in oppido cum ob Pontificios abuſus turba in S. Antonii Sacrificulos exorta eſſet, quæ Epiſcopum vehementer irritavit; aliis aliò diffugientibus, *Cnophius* cum *Joachimo Mollero*, abductis Scholaſticis *Livonis*, *Rigam* ad fratrem *Jacobum* Canonicum profectus eſt.

Paſtor Rigæ. Docet ibidem.

Ibi ſtatim ad Eccleſiæ Miniſterium in æde S. Petri vocatus, acriter in dogmata Pontificiorum invectus, doctrinam de Juſtitiâ fidei & gratuitâ peccatorum remiſſione præcipuè urſit: ritûs tamen quoſdam aliquantiſper toleravit. Factum id A. 1522.

Statuarum ibidem è templis everſio.

Anno ſeq. acceſſit Collega turbulentus, *Sylveſter Tegetmejerus*, qui *Roſtochio*, ubi Eccleſiæ *Jacobææ* miniſter fuerat, profugerat, & majori impetu idola palàm coarguit & detexit, adeò ut vulgus paulò pòſt ſtatuas omnes è templis ejecerit, & lapides omnes ſepulchris impoſitos removerit.

Ad hoſce verò biennio pòſt adhuc diſcrepantes *Rigenſes*, *Lutherus* epiſtolam miſit, in quâ de externorum rituum libertate, & vero ceremoniarum uſu docuit.

Cnophii Odæ ſacræ.

Fuit igitur *Cnophius* ἔξαρχος emendationis doctrinæ & rituum *Rigæ Livoniæ* metropolis, nec ſolùm verbi divini Præco, ſed ſuavis etiam Vates; qui Pſalmos aliquot Davidis, ſacra item carmina & odas ſpiritû & vitâ plenas, adjectis numeris muſicis, Germanico carmine reddidit, & Odam illam: **HErr Chriſt/ der einig Gottes Sohn.** Item: **Hilff uns in deinem Namen.**

* *Ex Melch. Adam. vitis Theolog.*

Obiit A.C. 1525.

JOHANNES STAUPITIUS.

Staupiciorum familia nobilis.

EX familiâ nobili natus eſt in *Miſniâ.* A teneris hic, (ut ajunt,) unguiculis generoſo animi impetu ad virtutem & eruditam contendit doctrinam, hinc, ut commodiùs bonis literis vacare poſſet, in Monachorum Auguſtinianorum familiam ſe contulit; dein abſoluto Philoſophiæ curſu ad Sacras literas acceſſit, & ob raram ingenii eruditionem Doctor Theologiæ renuntiatus eſt. Eruditam verò hanc ſuam doctrinam, cum vitæ innocentiâ ornârat, in tantam nominis ſui æſtimationem deveniens, ut Vicarius Ordinis Generalis per *Germaniam* conſtitutus fuerit.

Monachus Auguſtinianus. Philoſophica primùm, dein Theologica tractat. Doctor Theologiæ. Vicarius Generalis.

Primus Wittebergæ Decanus.

A. 1502. Cum *Fridericus*, Elector *Saxoniæ*, *Wittenbergæ* Scholam publicam aperuiſſet, hic primus in facultate Theologicâ Decanus fuit, eximius, ut tum loquebantur, *Magiſter noſter.*

Lutherum Wittebergam vocat, & Doctorem Theol. promovet. Pro Auguſtini libris Biblia prælegi vult.

A. 1508. *Martinum Lutherum Erfordiâ Wittenbergam* vocavit, ut Sacras literas publicè doceret. Eundem Theol. Doctorem, jam valetudinem, jam alia excuſantem, renuntiavit A. 1512. quo etiam *Auguſtini* libris, ad menſam in Monaſteriis prælegi ſolitis, *Sacra Biblia* ſubſtituit.

Cum *Lutherus* ipſi *Theſes* ſuas *contra Pontificiorum Indulgentias* obtuliſſet legendas, eas calculo ſuo comprobavit, *ſibi placere*, dicens, *quod Lutherus in doctrinâ ſuâ omnia ſoli DEO, nihil hominibus attribuat.*

Luthero Auguſtæ adeſt.

A. 1518. Cum *Lutherus Auguſtam Vindelicorum* ad Cardinalem *Cajetanum*, Pontificis Legatum, accerſitus eſſet, ibidem & *Staupitius* cum *D. Wenceslao Linckio*, *D. Peutingero*, & aliis Electoris *Saxoniæ* Conſiliariis comparuit, & ne ante cauſæ cognitionem *Lutherus* condemnaretur, rogavit, &, ut *Luthero* ſcriptis cauſam ſuam agere liceret, obtinuit. Verùm cum Legatus fruſtrà etiam per *Staupitium* cum Luthero agi voluiſſet, ac *Staupitio* ob id iraſceretur; diſceſſit ipſe inſcio Cardinale, & in *Saxoniam* rediit.

Abbas S. Petri.

Tandem ad Epiſcopum *Salisburgenſem* venit, & Abbatiam S. Petri nactus eſt.

Nam, ſi *Pirnenſi* fides habenda, nunquam exiſtimârat, diſputationes à *Luthero* motas ejuſmodi exitum ſortituras. Itaque cum indies magis & magis augeri eas videret, aliò abiit. Hinc timiditatem ei *Lutherus* manifeſtè exprobravit epiſtolâ quadam, ubi inter alia: *Quantum tu me ad humilitatem exhorta-*

hortaris: tantum ego te ad ſuperbiam exhortor: Tibi adeſt nimia humilitas, ſicut mihi nimia ſuperbia!

Moritur. Finem vivendi fecit *Salisburgi* 28. Dec. An. 1525.

Fugit honores. Epiſcopatum *Staupicius* quantumcunque nanciſci potuiſſet, niſi dignitates ejusmodi ſummo ſtudio fugiſſet.

De Prædeſtinatione quomodo diſputandum. De *Prædeſtinatione* aliquando diſputaturus dixit *Staupitius*: *Incipe à vulneribus Chriſti, & ſtatim Diabolus cum ſuis tentationibus recedet.* De *Pœnitentiâ* verò docuit: *Veram eſſe pœnitentiam eam, quæ ab amore juſtitiæ & Dei inciperet.*

Cum aliquando pro Concione Genealogiam Chriſti ſecundum Matthæum memoriter recitare voluiſſet, & ad Principes usque Judaicos perduxiſſet, hæſitare cœpit. Ibi ipſe, *DEUS*, inquit, *ſuperbis reſiſtit*, & ad textus explicationem acceſſit. A Concione ad prandium à Ducibus *Saxoniæ* vocatum, inter prandendum ita affatus eſt Dux *Johannes*: *Domine Doctor, quomodo res hodiè in Evangelio ſucceſſit?* Ibi *Staupicius*, *Clementiſſime Princeps*, inquit, *in textu Evangelii hodierni tria habebam hominum genera, primùm Patriarchas, qui erant faciles, deinde Reges, & hi de ſe ſermonem haberi patiebantur, cum verò ad Principes perveniſſem, erant ii varii, difficiles, & me in recitatione confundebant.* Tum *Fridericus* Elector ad fratrem converſus: *Num quid*, inquit, *amplius ſciſcitari lubet? Staupitius nunquam invenietur mutus.*

Lapſum memoriæ feſtivè excuſat Staupicius.

Agnoſcit nævos ſuos. Nævos *Staupitius* ſuos ſæpè ſequentibus deploravit: *Ego plus millies Deo promiſi, fore me probiorem: ſed nunquam præſtiti, quod vovi. Poſthac non vovebo; quia experientiâ didici, me præſtare non poſſe. Quod niſi Deus mihi propitius propter Chriſtum ſit, ac felicem horulam conceſſerit, cum ex hâc vitâ migrandum erit, non potero conſiſtere cum votis & benefactis meis.*

Lutheri judicium de Staupitio. Magni fecit eum *Lutherus*, ſemper ſuum *Staupitium* nominare ſolitus: Sæpè enim dixit: *Magnus hic erat Vir, & non ſolùm in ſcholis & templis doctus facundusque; ſed etiam in aulis atque apud Magnates gratus ac venerandus.*

Ejus Scripta. Scripſit *Germanicos libellos:*
De imitandâ morte Chriſti.
De amore Dei ſuaviſſimo.
De S. Chriſtianâ fide noſtrâ.

* *Ex Melch. Adam. Vitis Theol. Germ.*

GODESCHALCUS ROSEMUNDUS.

Obiit A.C. 1526.

Theologiæ Doctor. Endovianus, *Brabantus*, Theologiæ Doctor *Lovanienſis*, primus viam aperuit ad controverſias de Caſibus, ut vocant, Quæſtiones, è D. *Thoma Aquinate* hauriendas.

Præfectus Xenodochii. Multos annos Xenodochio, à *Sophiâ B. Eliſabethæ F. Henrici II. Brabantiæ* Ducis Conjuge dotato, præfuit.

Primus quoque Collegii Pontificii ab *Adriano VI.* excitati Præſes extitit. *Obiit.* Obiit autem Non. Nov. Ann. C. 1526. ſepultus in Noſocomio Urbis publico, cum hoc Epitaphio: *Ejus Epitaphium.*

Ne deſit, cujus virtutem imiteris & acta,
Quis ſit in hoc buſto conditus, oro, legas.
Godſchalco *mihi nomen erat, cognomen habebam*
A mundâ, *cui par vita pudica*, Roſâ.
Doctor & Interpres Divinæ mentis habebar,
Reſpondique meo ſedulus officio.
Non etenim tituli vixi contentus honore,
Sed Chriſti docui nocte dieque gregem:
Submovique lupos, & per diſerta vagantes
Ad caulam duxi Paſtor amicus oves.
Quodque alios docui, ſemper prior ipſe ſubivi,
Virtutem, exemplo ſic didicere meo.
Sum largitus opes miſeris, dum vita maneret,
Atque in eundem uſum cuncta relicta mihi.
Quæ partim domus hæc, quæ continet oſſa ſepulchro,
Perpetuo infirmæ pabula plebis habet.
Pro quibus officiis merces mihi digna relata eſt,
Corpore nam poſito Spiritus aſtra tenet.

Scripſit: *Scriptum.*
De ratione confitendi, rectè vivendi, & ſalubriter moriendi.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

JOHANNES RUDOLPHUS HALWILIUS.

Obiit A.C. 1527.

Canonicus Baſilienſis. Canonicus *Baſilienſis*, cum ſe, ætate grandis, ob calculi in veſicâ enati dolores, Lithotomi manibus commiſiſſet, Chironii vulneris inclementiâ obiit, alioquin *Chriſtophori ab Utenheim*, (qui, ſenio confectus, eodem menſe Epiſcopatum cum *Nicolao Diesbachio* coadjutore abdicavit,) Succeſſor futurus, ſiquidem longior ei vita contigiſſet. *Obiit. Epiſcopus futurus.*

Epitaphium ejus tale eſt: *Ejus Epitaphium.*

JO. RUDOLPHUS DE HALLWIL, HUJUS ECCLESIÆ CANONICUS ET CUSTOS, PRÆLATORUM CANONICORUMQUE RELIGIONE ET INTEGRITATE NULLI INFERIOR, AN. MDXXVII. XII. FEBR. MAGNO MULTORUM DOLORE FELICITER DECESSIT.

* *Ex Epitome Hiſtoriæ Baſilienſis Chriſtiani Urſtiſii.*

JACOBUS WIMPHELINGUS.

Obiit A.C. 1528.

Seleſtadii in *Alſatiâ* natus eſt An. 1449.

Varias adit Academias. Puer in patriâ à *Ludovico Dimgebergio Weſtphalo*, Scholæ Rectore, informatus, poſteà *Friburgum* abiit, & indè *Baſileam, Erfordiam*, ac *Heidelbergam*, ubi Juris Pontificii cognitionem cum Theologiâ conjunxit, itaque & bonarum artium Doctor, & S.S. Theolog. Licentiatus renunciatus eſt. *Theologiæ Licentiatus.*

Eccleſiaſtes Spirenſis. An. 1494. *Spiram* accitus, Eccleſiaſticum munus cum laude aliquot annis geſſit, præter literarum enim eruditionem, & inſignem eloquentiam, ſingulari præditus fuit pietate.

Deinde

Heidelbergam revertitur. Deinde *Heidelbergam* reverſus, Sacros Autores, & in his *Hieronymum* enarravit.

Docet ibi adoleſcentes. Ibidem pædagogum egit aliquot magnæ ſpei adoleſcentum, inter quos *Wolfgangus* Comes à *Lewenſtein, Ludovici* filius, cui *Adoleſcentiam*, librum ſic inſcriptum, dedicavit; *Jacobus Sturmius*, poſteà Conſul *Argentinenſis*, cui *de integritate animi & corporis tuendâ libellum* inſcripſit; ejuſque frater *Petrus Sturmius*; *Jacobus* inſuper *Spigelius*, & *Joh. Majus*, Conſiliarii ambo Cæſarei.

Romæ à Monachis accuſatur. *Romam* aliquando citatus eſt, quod alicubi ſcripſerit, *S. Auguſtinum non fuiſſe Monachum talem, quales tum haberentur Auguſtinenſes*, ſed incendium hoc, amicorum interventu, preſſum eſt.

Privatam agit vitam. Ingraveſcentibus verò annis, ob Eccleſiæ diſſidium, vitæ pertæſus, vitam ſolitariam egit in ædibus *Magdalenæ* Sororis, *Seleſtadii*.

Obiit. Ibidem morte ſublatus eſt 17. Novembr An. 1528. ætatis 79. ubi honorificè ſepultus eſt, cum monumento ejuſmodi, à *B. Rhenano* conſcripto:

Epitaphium. *Jacobo Wimphelingo Sletſtadienſi, Viro clariſſimo & unico puerilis inſtitutionis ac profectûs circa literas amatori, exhortatori, patrono. Cujus rei argumentum nobis exhibent non ſolùm editus liber Adoleſcentiæ nomine, & quem* εἴσοδον *inſcripſit, ac elegantiarum linguæ Latinæ compendium, præter libellos hoc genus alios, verùm etiam ipſæ ſcholæ eruditis hominibus hujus Conſilio paſſim commiſſæ. Qui etiam capitaliter luxum, avaritiam & ambitionem oderit, frugaliſſimè acta vita docet, & ſplendida ſæpè fortuna contempta, parvo ſemper contentus animus, ſed & adverſus illa vitia graves libelli, & ad oppoſitas virtutes inflammantia ſcripta, apud poſteros quoque teſtabuntur. Religionis Chriſtianæ pius cultor, quemadmodum Theologum & Presbyterum inprimis decebat, bonos viros etiam in cœnobiis degentes familiariter dilexit. Apud Spiram Nemetum in Regio illo Templo aliquot annis munere Concionatoris functus eſt. Primus ſanè inter cives ſuos, qui carmine & oratione preſſa, atque editorum voluminum numero in omni pænè ſcripti genere, apud eruditos laudem meruerit. Nam Hugonis veteris Theologi præter commentarios rerum ſacrarum, & alterius Johannis præter Ethicorum Ariſtotelicorum expoſitionem nihil hodiè exſtat. Jacobus Spigelius J Ctus, & Johannes Majus fratres, Regii Secretarii utrique Avunculo B. M. ſtatuerunt. Vixit annos 78. menſes 3. dies 21. Obiit An. 1528. 15. Cal. Dec. Magdalenam matrem, fœminam planè Chriſtianæ Patientiæ, quam, difficili morbo oppreſſa, non modico tempore præſtitit, eodem ſepulchro, (idquod viva optaverat ob amorem fratris,) iidem filii paulò pòſt collocaverunt.*

Ejus Scripta. Scripſit præterea *Philippicam*, hoc eſt, *Dialogos, pro inſtitutione filiorum Philippi Electoris Pal.* Huic ſubmiſit *Agatarchiam*, ſive *Epitomen conditionum boni Principis.*

De vitâ & moribus Epiſcoporum, aliorumque Prælatorum & Principum librum.

Orationem de mirando fœdere duarum in Chriſto naturarum.

De Germaniâ Libellum.

* *Ex Melch. Adam. vitis German. Theolog.*

LAURENTIUS, & OLAUS PETRI.

Clar. A.C. 1530.

Primi Reformatores Regni Sueciæ. FRatres hi *Nericii* in *Sueciâ*, *Martini Lutheri* diſcipuli, *primi* fuerunt in *Regno Sueciæ Reformatores*, qui voce & ſcriptis variis pro veritate depugnaverunt. Ille quidem poſt *Johannem Magnum* ad *Archiepiſcopatum Upſalienſem* evectus, *translatione Bibliorum in linguam Suecicam, Poſtillâ Evangeliorum, Dialogis de cæremoniis Eccleſiæ utilibus* cœtui piorum profuit, & imprimis beneficentiam ſuam liberali ſtipendio, quo quandoque 50. Studioſos alere conſuevit, commendavit: Hic autem, ex Secretario *Holmenſi*, Paſtor *Holmenſis* factus, animosè cum *Petro Gallio*, Theologiæ apud *Upſalienſes* Doctore, pro veritate bis congreſſus, perſuaſit Patriæ & Regi fidem Evangelicam, eamque adversùs Monachos variis ſcriptis defendit.

* *Ex Syntagmate Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Johannis Micrælii.*

FRANCISCUS LAMBERTUS.

Obiit A.C. 1530.

Patria. A*Vinionenſis Gallus* hic eſt, cui cùm, renatâ primùm in Germaniâ Evangelii doctrinâ, veritatis lux affulſiſſet orthodoxæ Religionis magis magiſque propagandæ ſtudiô præcipuè incenſus, ſeſe *Monaſticâ vitâ ſe abdicavit.* monaſticâ vitâ, quam juvenis, ut in otio cum dignitate verſari poſſet, ingreſſus fuerat, abdicavit, & inter primos in *Haſsiâ* Evangelii Doctores & *Marpurgenſes* Profeſſores, cum Julii Calendis Academia hæc aperiretur, primo Rectore *Johanne Ferrario Montano*, *Theologiæ Profeſſor.* & addictis eidem Collegis *Euricio Cordo, Hermanno Buſchio, Thomâ Zegero, Gerhardo Noviomago, Johanne Lonicero, Auguſto & Reinhardo Hadamario*, publicè docendi munus ſuſcepit.

Ad ſynodum Spirenſem profectus. Viceſimo quoque primo Octobris ejuſdem anni M. D. XXVI. ad ſynodum, quam, decreti *Spirenſis* memor, *Philippus* Heros inſtituerat, profectus CLIIX. paradoxa ſecundùm verbum Dei diſcutienda propoſuit, eorumque veritatem Latino aſſeruit Sermone, ab *Adamo Cratone* vernaculâ linguâ defenſam, atque à *Nicolao Herborn*, Minoritâ, perperam impugnatam.

Moritur. Fatis conceſſit *Lambertus* anno æræ Chriſtianæ M. D. XXX. Aprilis die XIIX. in ſtatione ſua *Marpurgi*; ad *D. Michaëlem* verò humatus eſt: cui *Jacobus Thyſius* his verſibus parentavit:

Avinione ſatus Monachorum ex ordine fratrum
Lambertus cernens Pontificum furias:
Romulidem damnat lernam motoq; cucullo
Aſſeruit veram pectore & ore fidem.

Ite,

Ut, ait, ô maleſuada cohors immerſa barathro,
Quo vos præcipites Cerberus ater agit:
Et ſimul Italiam fugiens, tua ſacra profeſſus,
Magne Philippe, Scholæ Martia tecta petit.

Edidit

Commentaria in duodecim Prophetas minores & Evangelium Lucæ: nec non in Canticum Canticorum.

De Arbitrio hominis captivo.

De ſacro & fideli conjugio ad Francorum Regem.

Farraginem rerum Theologicarum.

Regulas Minoritarum.

De Synodo Homburgi Heſſorum pro reformatione Eccleſiarum habita.

Hiſtoriam ſupplicii ignis, quo apud Metenſes affectus fuit Johannes Caſtellanus.

* *Ex MSS. Vitas Profeſſorum Marpurgenſium continent.*

Obiit A.C. 1531.

HULDRICUS ZWINGLIUS.

NAtus eſt 1. Jan. A. 1484. in pago *Doggiorum Helvetico*, tum Wildenhauß vocato, patre ejus loci Ammanno.

Prima Zwinglii inſtitutio. Præceptores.

Cum *Baſileæ*, *Bernæ* & *Viennæ* in *Auſtriâ* literarum fundamenta cùm Philoſophica tùm humaniora poſuiſſet, ſub præceptoribus *Gregorio Bintzlio Baſileæ*, & *Henrico Lupulo Bernæ*, *Baſileam* repetens, in ludo literario Martiniano literas humaniores docuit.

Philoſ. Magiſter.

A. 1506. Philoſ. Magiſter *Baſileæ* renunciatus, ad Theologiam animum applicuit, & Græcis linguæque Hebrææ operam dedit.

Paſtor Glareanus. Tiguri Evangelium docet.

A. 1516. À *Glareanis* ad Eccleſiæ paſtoris munus vocatus eſt, ubi deſcripſit Paulinas Epiſtolas, & memoriæ mandavit, illud tandem conſecutus, ut Græcè facilius, quàm Latinè intelligeret: Quumque ex D. Petro didiciſſet: Scripturam non privatæ eſſe interpretationis, in Cœlum ſuſpexit, doctorem quærens Spiritum; à quo precibus contendit, ut largiretur. Poſt *Eremum* conceſſit ad tempus, vocante eum eò *D. Theobaldo Geroltzeggio*, Barone.

A. 1519. *Tigurum* vocatus, & à Canonico interrogatus, poſſetne *Tigurinis* in verbo Domini adeſſe? reſpondit poſſe: ibique Evangelium docere cœpit, *Hiſtoriam* nempe *Jeſu Chriſti Salvatoris ſecundùm Matthæum*, & quidem non uſitato ſenſu humano; ſed mente ſpiritus, diligenti collatione, & ſeriis impetrata precibus, ſucceſſu feliciſſimo, dum interea *Lutheri* nomen in *Helvetiâ* magis magiſque innotuiſſet, ejuſque ſcripta paſſim in manus hominum deveniſſent. Græcos interim Authores ſedulò evolvit, quibus Hebraicas literas adjunxit tantâ cum aviditate, ut & Gymnaſium linguarum, Latinæ, Græcæ & Hebraicæ impetraret & erigeret.

Gymnaſium trilingue erigit.

Cum verò à Senatu Tigurino doctrina *Zwinglii* recepta eſſet, Monachis & Sacerdotibus Pontificiis abrogatis, Miniſtros Eccleſiæ, quot officiis Eccleſiaſticis ſatis eſſent, ordinavit.

Franciſcus Lambertus diſputat cum Zwinglio.

Interea A. 1520. *Tigurum* venit *Franciſcus Lambertus*, *Avenionenſis* Minorita, qui mox cum *Zwinglio* de Interceſſione Sanctorum & Miſſæ Sacrificio publicè diſputavit, ſed victus, gratias DEO egit, quod ad Veritatis cognitionem perductus eſſet.

Secuti hunc ſunt brevi, *Johannes Faber*, Vicarius *Conſtantienſis*, & *Martinus Blanſch*, ab Epiſcopo *Conſtantienſi Tigurum* miſſi, & à *Zwinglio victi*.

Cœnæ Dominicæ Tiguri reformata celebratio.

A. 1525. 13. April. Abolitis Veteris Miſſæ Ceremoniis, primùm *Tiguri* celebravit Cœnam Domini, eo ritu, qui hodiè ibidem in uſu eſt.

Catabaptiſtarum error refutatus.

Irrepſit interea temporis Catabaptiſtarum hæreſis, qui primò infantes baptizare vetabant, & ſeipſos rebaptizabant; cum quibus primò amicè *Zwinglius* egit, & poſtea diſputationes cum iis habuit ſerias, tandem autem Senatus ipſos carcere, proſcriptionibus, &c. expulit.

Diſputatio Badenſis.

A. 1526. Ut res pacatè inter 12. pagos componeretur, habita eſt Diſputatio *Badenſis*, cui interfuerunt *Conſtantienſis*, *Baſilienſis*, *Curienſis*, & *Lauſannenſis* Epiſcoporum Legati, inter *Johannem Eccium*, *Job. Fabrum*, & *Thomam Marnerum* Theologos, *Zwinglio* & *Oecolampadio* ſcripto tantùm reſpondentibus, quod de loco ſibi non ſatis cautum eſſe contenderent.

Colloquium Marpurgenſe.

M. Sept. 1529. Ad Colloquium *Marpurgenſe* venit, à *Philippo*, *Haſſiæ* Landgravio & *Job. Friderico*, Electore *Saxoniæ*, ad ſopiendum diſſidium Euchariſticum inſtitutum, cui præterea interfuerunt è *Saxoniâ*, *Martinus Lutherus*, *Philippus Melanchthon*, & *Juſtus Jonas*, *Andreas Oſiander Norimbergâ*, *Job. Brentius Halâ Suevor. Steph. Agricola Auguſtâ Vind. Job. Oecolampadius Baſileâ*, & *Argentorato Martinus Bucerus* ac *Caſpar Hedio*. Sed cum novum morbi genus, quem *Anglicum* appellabant ſudorem, *Marpurgum* invaſiſſet, abruptâ actione, quæ triduum publicè duravit, amicè diſceſſum eſt, concluſumque juſſu Landgravii, his verbis: *Quandoquidem in præcipuis religionis capitibus idem ſentirent, abſtinendum eſſe deinceps ab omni contentione, & DEUM orandum, ut etiam in Controverſiâ de Cœnâ Domini lumen accendat, & viam concordiæ oſtendat.*

Pericula Zwinglii.

Variæ verò *Zwinglio* à Sacerdotibus & Monachis de gradu dejectis inſidiæ ſunt ſtructæ, ex quibus tamen divino emerſit auxilio, rediens domum, ferè nunquam non à Civibus excipiebatur bonis, ne quid accideret in viâ mali; ſed & Senatus per noctem vigilem circa ejus domum conſtituit.

Propriam præſagit mortem Zwinglius.

Die 11. Octob. A. 1531. æt. 47. contra hoſtes Evangelii, pro more Tigurinorum, unà cum Civibus ſuis eques & armatus egreſſus eſt, non ut belli Dux, ſed ut fidelis paſtor, qui ſuis in extremo periculo deeſſe nollet, cum 14. ante profectionem die, bis pro ſuggeſtu, dum ferverent omnia, dixiſſet:

ſet: Scio, ſcio, inquam, quid rei ſit, **Es iſt um mich zu thun**; ut ego tollar, fiunt omnia, cum aliis 383. occubuit ad Capellæ monaſterium.

Tigurini prælio victi in quo Zwinglius occumbit. Ultima Zwinglii verba.

Qui prælio interfuerunt, retulerunt, eum cuſpide ſub mento transfixum & in genua prolapſum dixiſſe, *quid hoc infortunii? age, corpus quidem occidere poſſunt, non animam.* Viventem autem adhuc manibus precantium more compoſitis, & in cœlum fixis oculis, leniter motis labiis oràſſe, donec miles quidam immani gladio jugulum ejus penitus præcidit, poſtquàm de confeſſione Papiſticâ compellatus, moto capite abnuiſſet.

Cadaver Zwinglii combuſtum. Cor ejus illæſum.

Corpus ejus hoſtes in quatuor partes diſſectum combuſſerunt, ſed triduo pòſt amici cor illæſum è mediis cineribus eruerunt. Scripſerunt quidam, milites ipſi poſt mortem cutim detraxiſſe, ex eâque cingula confecta geſtâſſe, cum adipe verò calceos & ocreas inunxiſſe.

Falſum verò & calumniæ plenum eſt effatum quorundam, belli civilis ipſum fuiſſe tubam, cum belli cauſa fuerit commeatus quinquepagicis denegatus, à quo ipſe cives fruſtra dehortatus eſt.

Annum, diem, & menſem ſtragis hoc diſticho *Johannes Lupulus* præceptor *Zwinglii* expreſſit:

HeLVetiæ ZwIngLI DoCtor paſtorqVe CeLebrIs
VnDena oCtobrIs paſsVs In aſtra VoLas.
Vel:
OCCVbVIt patrIo beLLator CIngLIVs enſe,
Et preſſa eſt arMIs gens popVLoſa ſVIs.

Deploraverunt hujus viri caſum viri doctiſſimi, ex quibus *Conradus Pellicanus*, qui Hebraicum, & *Theodorus Beza*, qui Latinum ipſi ſcripſit Epitaphium:

Epitaphium Zwinglii.

Zwinglius arderet gemino cum ſanctus amore,
Nempe Dei inprimis, deinde etiam patriæ.
Dicitur inſolitum ſe devoviſſe duobus:
Nempè Deo inprimis, deinde etiam patriæ.
Quàm benè perſolvit ſimul iſtis vota duobus,
Pro patriâ exanimis, pro pietate cinis.

Doctrina & judicium Zwinglii.

Doctrinam & judicium ejus teſtantur ſcripta, ringente vel invidiâ. Ante *Lutherum* docuit *Glaronæ* Evangelium Chriſti, ut ipſe de ſe ſcribit: *Cepi ego Evangelium prædicare anno ſalutis 1516. eo ſcilicet tempore, cum Lutheri nomen in noſtris regionibus ne auditum adhuc eſſet.*

Docuit autem & ſcripſit contra Papiſtarum humana merita, contra Purgatorium, contra Miſſæ ſacrificium, contra Canonem Miſſæ, alioſque abuſus; Sacramentariam verò Controverſiam, de Transſubſtantiatione, de Contranſubſtantiatione, vel, ut *Guitmundus* vocat, Impanatione ante A. 1522. non movit, deinde verò ante eam, quàm publicè proponeret, cum aliis amicis eruditis & authoritate præſtantibus viris contulit.

Cum A. 1525. *Tigurinæ* Eccleſiæ Miniſtri, *Zwinglius*, *Leo*, *Engelhardus*, *Megander* & *Myconius*, de S. panis adoratione in Miſſa tractarent, ſcriba quidam *Zwinglio* reſtitit. Cum verò Senatus decreviſſet, ut Senatores poſt aliquot dies cum Eccleſiæ Miniſtris convenirent, quo res hæc gravis ventilaretur, viſus eſt ſibi interea *Zwinglius* in ſomnis denuò cum ſcriba contendere, monitoremque adeſſe, (*ater an albus fuerit, nihil memini*, inquit, *ſomnium enim narro*) qui diceret: quin ignave reſpondes ei, quod in Exodo legitur: Eſt enim Phaſe, hoc eſt tranſitus Domini; unde factum, verba ſcilicet hæc variis variè exponentibus, quod ſcribere nonnemo dubitarit: *Zwinglium habuiſſe cor in errore, Satanæ in deceptione obfirmatum:* Suam gloſſam ſomniaſſe ſuggeſtione atri Spiritus: quia ipſe ſcripſerit, ſe per ſomnium didiciſſe à quodam monitore, qui albus fuerit, an ater, neſciat. Verùm omnes *Zwinglii* ſententias ab omni ſcrupulo hic vindicatas ſiſtere non hujus cum ſit loci; & illud tamen accuratiori perpendendum judicio, hoc eum in caſu excuſans, quod proverbium hoc omnibus latinæ elegantiæ ſtudioſis notum, *Zwinglio* ipſi aliàs, citra tamen calumniæ metum, ut ex ſcriptis ejus cuivis apparet, uſurpatum fuerit: Solet enim de homine valdè ignoto ſæpius hoc dici adagium, quod vel *Catulli* in Cæſarem docet diſtichon:

Excuſatur Calumnia, quod doctrinam à Satanâ habuerit. Item proverbium, ater an albus ſit, neſcio.

Nil nimium ſtudeo, Cæſar, tibi velle placere:
Nec ſcire, utrum ſis albus an ater homo.

Cœterùm in Concionibus *Zwinglius* Ordinis fuit ſtudioſus, veritatemque perſpicuè auditoribus patefecit: cum verò ardentioribus in vitia verbis detonaret, ne inſontes moverentur, adjecit ſemper: *Bone vir! hæc te non moveant:* **Frommer Mann! nimm dich nichts an!**

Monumenta ingenii & eruditionis ſuæ reliquit *Zwinglius* in 4. tomos digeſta:

In 1. Continentur τὰ διδασκαλικὰ & παραινετικά.

2. Habet: τὰ πολεμικὰ, *ſive ſuas cum adverſariis pugnas.*

3. ἐξηγητικὰ *Veteris Teſtamenti.*

4. Complectitur ἐξηγητικὰ *ſive explicationes ſcriptorum Novi Teſtamenti.*

Epiſtolas multas.

* *Ex Melch. Adam. de Vitis Germ. Theol.*

JOHANNES OECOLAMPADIUS.

Obiit A. C. 1531.

W*Inſpergæ Cheruſcorum S. Francorum* Oppido *Johannes Oecolampadius* Germ. **Hausſchein** natus eſt A. 1482. Pater ipſi fuit dives, qui tum precibus matris victus, tùm præclarâ filioli naturâ & indole adductus, poſitis prius Latinæ linguæ fundamentis, *Johannem Heilbronnam* miſit, deinde *Heidelbergam*, ubi eos fecit in literis progreſſus, ut 14. ætatis anno, Baccalaurei obtinuerit gradum.

Prima linguæ Latinæ fundamenta ponit. Baccalaureus 14. annorum. Juris primùm Studioſus.

Poſtea *Bononiam* ex parentis voluntate ſe contulit, auditurus tum Juris Profeſſorem arcem exiſtimationis obtinentem. Verùm

rum valetudinis ergò cœlum *Italicum* averſans, intra ſemeſtre ad ſuos rediit, totumq; ſe Theologiæ mancipavit, & *Heidelbergæ Thomam Aquinatem*, & poſt eum *Richardum*, *Gerſonemque* amplexus eſt. Ibi à *Philippo* **Electore Palatino**, cognomento *Ingenuo*, qui de eo præclarè ſenſit, filiis natu minoribus præceptor datus erat, quorum inſtitutioni cum aliquandiu præfuiſſet, *Heidelbergâ* relictâ, ad ſuos reverſus, ſacerdos in patrio oppido, (ubi pater ſacerdotium è facultatibus ſuis, cui concionandi munus conjunctum eſſet, inſtituit,) conſtitutus eſt.

Deindè Theologia.

Præceptor Principum Jun. Palatin.

Sacerdos in oppido patrio.

Cùm verò ſic in patriâ per ſeſquimenſem ſacerdotio præfuiſſet, & ſe nondum parem ferendo huic oneri judicaret, *Tubingam* adiit, ubi à *Johanne Capnione, S. Reuchlino* literarum Græcarum, & dein *Heidelbergæ* Hebraicarum cognitionem brevi hauſit, tum, hiſce inſtructus præſidiis, in patriam reverſus, Concionator audivit ſeverus, & libellum de *riſu Paſchali* ſcripſit:

Tubingam adit.

Libellus de riſu Paſchali.

A. C. verò 1515. vocatus eſt per *Chriſtophorum ab Utenheim*, Epiſcopum *Baſileenſem*, *Baſileam*, parœciæque ſummi templi præfectus eſt, ibique ſequenti anno, ætatis verò ſuæ 34. amicorum aſſiduis hortationibus victus, Doctoris Theologi titulum ſibi in *Baſileenſi* Academiâ conferri paſſus eſt, ſtatimque poſt *Eraſmum Roterodamum* in *Novum Teſtamentum annotationes* editurum juvit, quod ipſe *Eraſmus* fatetur.

Baſileam vocatur.

Doctor ibi Theologiæ & verbi D. miniſter.

Dein *Auguſtam Vindelicorum* à Canonicis vocatus, eò diſceſſit, concionibusque præfuit, mox monaſterium *Altonis* dictum, urbique vicinum, ingreſſus, biennium in eo tranſegit, cui tamen amici omnes, & inter hos maximè *Capito*, hac in re reluctabantur.

Monaſterium ingreditur.

In Monaſterio autem, præter Conciones, cum *de Confeſſione* librum edidiſſet magis orthodoxum, minus verò ceremoniarum nundinatoribus ferendum, in Pontificiorum ingens lapſus eſt odium.

Liber de Confeſſione.

Cum verò Monachi contubernales ipſum admonuiſſent, ut aliò commigraret, ipſe repoſuit: *Omnium eſſe, Chriſtianorum veritatem rotundè profiteri, cum vitæ etiam periculo.* Et cum ulterius Librum, quo Ordinis ſui inſtituta continebantur, ipſi monſtrâſſent, perque conſcientiam rogâſſent, contraria Divino verbo ut annotaret, ſe enim corrigere ea paratos eſſe, negotium hoc *Oecolampadius* aggreſſus eſt; ſed ecce illicò ab ipſis ut bipedum nequiſſimus, ut hæreticus, ut apoſtata traducebatur, vim tamen ipſi apertam inferre non audebant.

Vitæ diſcrimen Oecolampadii.

Tandem dubitantibus, quid agerent, Monachis, cum & ipſis quid periculi imminere proſpicerent, ſi inter eos comprehenderetur *Johannes*, triduò ante, quàm capi deberet, nactus eſt dimiſſionem à fratribus & Viaticum, contulitq; ſe primò ad Heroëm illum *Franciſcum à Sickingen*, deindè verò A. 1522. *Baſileam*, ubi ſtatim, ne ignavo tempus otio tranſigeret, *Chryſoſtomi Commentarium ſuper Geneſin in Latinum traduxit ſermonem*; mox verò, Senatu volente, Theologiæ Profeſſor deſignatus eſt, & Concionator vicarius in templo *Martiniano*. A. 1523.

Diſcedit è monaſterio Baſileam.

Theologiæ Profeſſor & Concionator.

Cùm verò aliò, oblatione honorifici ſtipendii, invitaretur, recuſavit, id pollicitus, ſe operam Eccleſiæ docendo navaturum, duplici tamen hac conditione, tum, ut liberum ſibi eſſet docere, quicquid Canonicæ ſcripturæ traderent, tum, ut non cogeretur, Papiſticas Ceremonias, quas inutiles eſſe deprehenderet, retinere; quod calculo ſuo omne Senatus probavit, hac tamen lege, ne ſe inſcio quicquam, quod majoris eſſet momenti, novaretur.

Certis conditionibus.

Ordinatum itaque eſt, ut *Diaconus* vernaculâ linguâ infantes baptizaret; Sacra Cœna ſub utrâq; ſpecie adminiſtraretur. &c

Et cum ſic ſatis feliciter jacta futuræ Reformationis fundamenta viderentur, inter *Martinum Lutherum* verò & *Zwinglium* diſſidium ortum eſſet Euchariſticum, ei implicatus fuit *Oecolampadius*.

In bellum Euchariſticum implicatur.

A. 1527. *Badenæ* cum *Joh. Eccio* diſputavit, præmiſsâ tamen ſolemni proteſtatione, ſe ſolum verbum, Propheticis & Apoſtolicis libris comprehenſum, pro regulâ & judicii normâ agnoſcere: nec ſe ullos judices admittere, niſi qui ſecundùm Canonem ſcripturæ judicarent; hac verò finitâ, die 27. Octobris Religionis libertas civibus, partim *Eccio*, partim *Oecolampadio* cum ſubſcribentibus, conceſſa eſt.

Cum Eccio diſputat.

Religionis libertas.

A. 1528. *Baſileæ* in Eccleſiæ Reformatione fidelem egit Chriſti Miniſtrum, & Diſciplinam reſtituit Eccleſiaſticam. Mox Eccleſiæ quoque *Ulmenſis* Reformationi cum *Ambroſio Blaurero* & *M. Bucero* interfuit; Dein & A. 1529. Colloquio *Marpurgenſi*.

Reformatio Eccleſiæ Baſil & Ulmenſis.

Colloquio Marpurgenſi intereſt.

Reverſus verò inde *Baſileam*, cum ex ulcere in oſſe ſacro orto 15. diebus decubuiſſet, placidè in Chriſto exſpiravit A. 1531. 1. Decembr. An. ætat. 49.

Moritur.

Cum teſtamentum antea non condidiſſet, quia, undè conderet, pauper Chriſti ſervus non habebat; liberos verò in conſpectum venientes omnes, quanquam nihil horum per ætatem intelligerent, ſequenti allocutus eſt ratione: *Agite, inquit, tu Euſebi, tu Irene, tu Alethea, mea pignora, patrem Deum diligatis, vos*, inquit, ad cognatos converſus, *hac conteſtatione obſtrinxi, pii, pacifici, veraces mei liberi ut ſint, operam dabitis.* Redeuntem quendam in fatali morbo ſibi amiciſſimum, cum rogaret, *quid attuliſſet novi?* & ille reſpondiſſet, *nihil: At ego tibi dicam*, inquit, *nova: Brevi enim ero apud Chriſtum Dominum.*

Ultima ad liberos verba:

Paulò poſt, cùm, *ecquid lumen moleſtiæ afferet?* rogarent: *pectus tangens, abundè lucis eſt*, inquit.

Non igitur, ut à quibusdam ſermone & ſcripto fama fuit ſparſa, intulit ipſe ſibi violentas ex deſperatione manus, nec aliorum manibus clàm peremtus, aut veneno ſublatus eſt, ſed ſanctè, ut dictum, & placidè exſpiravit *Oecolampadius*. In templi cathe-

O 2 dralls

Digitized by Google

draiis circuitu tumulatus cum ejuſmodi epigraphe:

Epitha-phium.

Deo Opt. Max. et Christo Sacrum.

D. Johannes Oecolampadius, Profeſſione Theologus, trium linguarum peritiſſimus, Author Evangelicæ Doctrinæ in hac urbe primus, et templi hujus verus Epiſcopus, ut Doctrinæ, sic vitæ Sanctimonia colendiſſimus, sub breve Saxum hoc reconditus jacet. Moritur Cal. Decembr. A. M. D. XXXI. ætatis XLIX.

Theodorus Beza ejuſmodi Hendecaſyllabo virum præſtantiſſimum deploravit:

Epigramma.

Oecolampadius ſerena nuper
Lampas, æde Sacra Dei corruſcans,
Qualis limpidiorve puriorve
Vix ullis micuit lucerna ſeclis:
En mortis jacet obrutus tenebris.
At vobis malè ſit malæ tenebræ,
Lucis munere quæ brevi fruentes,
Eheu nos miſeros homunciones
Nocte ſic premitis tenebricoſa.
Sed benè hoc cecidit, nigræ ô tenebræ!
Quod dum ipſam petitis, malæ, lucernam,
Laternam tamen obruiſtis unam:
Laterna ut lateat quidem hic ſepulta,
Ipſa ſed magis emicat Lucerna.

Oecolampadii Mores. Fuit hic *Oecolampadius* autem ſub initium Reformationis alter in *Helvetia* Doctor ingenio miti & tranquillo, in negotiis obeundis tardior quidem, ſed circumſpectior, Pacis & Concordiæ in Eccleſiâ ſtudioſiſſimus, virque ob doctrinæ ſcientiam & uſum, antiquitatis deniq; eccleſiaſticæ exactam cognitionem, ſuâ ætate nulli ſecundus.

Scripta ejus multa ſunt, & in certas digeſta claſſes, quarum

1. Continet *Exegetica in Geneſin, Pſalmos, Jobum, Jeſaiam, Jeremiam, Ezechielem, Danielem,* & pleroſq; *Prophetas:* deindè *in Libros Novi Teſtamenti.*

2. *Didaſcalica* habet.

3. *Apologetica.*

Ultima Converſa è Græco.

* *Ex Melch. Adamo de vitis Germ. Theol.*

THOMAS LUPSETUS.

Obiit A.C. 1532.

Londini, honeſto loco natus eſt, circa A. C. 1497.

A *Johanne Coleto*, ob egregiam indolem, in tutelam aliquandiu familiaritatemque receptus, ſub *Guilielmo Lilio*, Græcæ & Latinæ Linguæ rudimenta didicit.

Mox tantus evaſit, ut adoleſcens in *Oxonienſi* Gymnaſio *Ciceronis Philippicas* publicè prælegerit. Indè in Italiam migrans, *Reginaldo Polo*, Regio Sanguine illuſtri, quem per id tempus Rex *Henricus VIII.* ſtudiorum causâ *Patavium* miſerat, ſe adjunxit. *Cum Reginaldo Polo ſtudet.*

Theologus. In Patriam reverſus, ſacris literis operam dedit. Sed mox *Thomæ Volſæi* Cardinalis importunis efflagitationibus adactus, *Thomæ Winterio*, ejuſdem Cardinalis alumno, magnis ſumptibus *Lutetiæ Pariſiorum* Præceptor aliquandiu adhibitus eſt.

Ab inclinatâ paulò pòſt Cardinalis *Eboracenſis* fortunâ, ad priſtina Sacrarum Literarum ſtudia ſe recepit. *Sacerdos Londini.*

Cum tandem Sacerdotium adeptus eſſet, & ab *Henrico VIII.* Rege ad majora deſtinaretur, ex ulcere pulmonum *Londini* contabuit anno Chriſt. Sal. 1532. æt. circiter 35. *Moritur.*

* *Ex Heroologiâ Anglicâ.*

RICHARDUS PACÆUS.

Obiit A.C. 1532.

Natus circa A. C. 1492.

Defuncto *Coleto* Succeſſor datus *Londinenſis* Templi ad *S. Paulum Decanus* dictus eſt. Sub Rege *Henrico VIII.* in aulâ diu verſatus, & publicis aliquot legationibus honorificè functus eſt. *Decanus Londinenſis.*

Tandem ex invidiâ quorundam, â Legatione, quâ fungebatur in *Italiâ*, domum revocatus, cum multa ei crimina objicerentur, adeò perturbatus eſt, ut invaleſcente bile atrâ ad mentis inſaniam redactus fuerit, ex quâ nunquam convaluit. *Legatus Regius Angl.* *Ex mærore fit amens.*

Sacerdotia dignitati Epiſcopali proxima, alterum ad *Exoniam* civitatem *Reginaldo Polo*, quo cum familiariter in Italiâ vixit aliquandiu, liberâ voluntate ceſſit: alterum *Londini* ad *S. Paulum*, *Stephano Gardinerio* Regis *Henrici* Secretario reliquit.

Obiit paulò pòſt *Lupſetum* A. C. 1532. ætatis circiter 40. *Obiit.*

Linguarum Græcæ & Hebraicæ, præter Latinam, peritus, *Librum conſcripſit, in quo Veteres Bibliorum interpretes in pleriſque inſcitiâ lapſos oſtendit.*

* *Ex Heroologiâ Anglicâ.*

MICHAEL URATISLAVIENSIS.

Obiit A.C. 1533.

Theologiæ Doctor & Profeſſor in Academiâ *Cracovienſi*, perſpicaciſſimi ingenii Vir, auditoribus ſuis artes ferè omnes humaniores methodo facillimâ declaravit, & *Petri Lombardi libros Sententiarum* magno auditorum concurſu multos annos explanavit. *Philologus. Theologiæ Profeſſor Cracovienſis.*

8. Nov. A. C. 1533. mortuus, locum ſepulturæ in ædibus *D. Floriano* ſacratis ſortitus eſt, cum tali â poſteritate gratâ Epigraphe: *Obiit.*

Splendida quem tulerat urbs Vratislavia parvum,
Occulit hunc tandem Regia Croca ſenem.
Ingenio multum præcelluit ille. Decani
Æde hac in ſacrâ functus & officio.
Humanus dignas animus quot concipit artes,
Hic tot callebat numine propitio.
Illius ex ſtudiis florens Academia gaudet,
Multos quod fructûs commoda nuncque capit.
Artes condebat nunquam, ſed vertit in uſum,
Sors fieret domino major ut ipſa ſuo.
Scripſit de variis & Commentaria rebus,
Nunc manibus verſat quæ ſtudioſa cohors.

Illius

Illius ut ſcias nomen, chariſſime Lector,
En Deus hoc dederat, quod Michaelis erat.

OBIIT ANNO DOMINI M D XXXIII.
DIE VIII. NOVEMB.

Ingenii monumenta reliquit:

Ejus Scripta. *Logicæ inſtitutionem, & Naturalis ſcientiæ dubia.*

* *Ex Elogiis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Staroviolſcii.*

GUILIELMUS TYNDALUS.

Obiit A.C. 1535.

IN confinibus *Angliæ* Provinciæ, quæ *Wallia* vocatur, natus, & *Oxoniæ* juvenis in Collegio *Magdalenæo* literis excultus, cum ex lectione Librorum *Lutheri* ad cognitionem voluntatis Divinæ in Verbo Sacro patefactæ perveniſſet, prima ejus ſpecimina in eodem Collegio edidit, & Verbi Divini Miniſter factus eſt. Uxorem deinde ſuam, & complures alios, in verâ religione erudiit. *Verbi Divini Miniſter.*

Adhæc multos Tractatus Theologicos edidit, inter quos primas tenet, quem de *Obedientiâ Chriſtianâ* ſcripſit; quosdam etiam contra *Thomam Morum* emiſit: & *Eraſmi Roterodami Enchiridion Militis Chriſtiani Anglice* reddidit. *Libros Theologices ſcripſit.*

Ob hanc cauſam â Pontificiis divexatus, quò conſcientiæ ſuæ paci conſuleret, *Angliâ* relictâ in *Germaniam* tranſivit, & in *Saxonia* cum *Martino Luthero* & *Johanne Fritho*, populari ſuo, ſermonem contulit. Hoc autore & adjutore *Scripturam Sacram primus in Anglicum idioma transferre aggreſſus*, libros hos *Hamburgi* curavit imprimi, & in *Angliam* tranſmiſit A. 1530. *Germaniam ingreſſus. Lutherum alloquitur. Edidit Biblia Anglica.*

Intereà *Cutbertus Tonſtals*, Epiſcopus *Londinus*, ut libros eos ſupprimeret, cum mercatore quodam *Auguſtino Pakingtono* conſilium habuit, qui cum clam *Tyndalo* faveret, Epiſcopo ſuaſit, ut tantum pecuniæ erogaret, quâ cuncta Bibliorum exemplaria â bibliopolis coëmi poſſent. Hoc facto, Mercator iſte pecuniam omnem, ab Epiſcopo ſibi datam, Tyndalo tunc in Germaniâ exuli, ad ſuam ſuorumque ſuſtentationem, tranſmiſit.

Is verò ex Germaniâ deſcendit *Antverpiam* in *Brabantiâ*, ubi complures Mercatores *Anglos* veræ fidei cognitione imbuit. Ibidem per literas & nuntios ex *Angliâ* miſſos, & ad petitionem Theologorum *Lovanienſium* comprehenſus, & in carcerem conjectus eſt, ex quo *Thomas Cromwellus* literis aliquot ad *Lovanienſes* ſcriptis eum liberare fruſtra tentavit. *Antverpiæ carceri includitur.*

Anno igitur integro captivus, cum revocare nollet doctrinam ſuam, ad mortem *Bruxellæ* condemnatus, & ad *Filſordienſe* Caſtellum in *Flandriâ* abductus, inque cineres ibi redactus martyrium ſubiit A.C. 1535. *Filſordiæ comburitur.*

Extrema ejus verba fuerunt: *Domine, Regis Angliæ oculos aperi!*

Libri ab eo ſcripti ſunt: *Ejus Scripta.*

Obedientia hominis Chriſtiani.
Mammon injuſtus.
Reſponſio ad Thomæ Mori Dialogos.
Doctrina Cœnæ Dominicæ adverſus Morum.
De Sacramento Altaris Tractatus.
De Signis Sacramentalibus.
Semita ad Sacras Scripturas ferens.

* *Ex Herologiâ Anglicâ, & ex Martyrologio Germanico D. Pauli Crocii & aliis.*

JOHANNES FISCHERUS.

Obiit A.C. 1535.

BRitanniæ lumen & decus eximium, primò fuit *Academiæ Cantabrigienſis* Cancellarius, deinde â Rege *Angliæ Henrico VII.* ad Epiſcopatum Civitatis *Roffæ* vel *Roceſtriæ* evocatus eſt, quem annis 32. dixerit pietate & animi candore ſanctis Chriſtiani Ordinis Patribus comparandus. *Fit Epiſcopus Roffenſis.*

Autor extitit, ut *Margareta*, Regis *Henrici VII.* mater, cui diu fuit â Sacris Confeſſionibus, *Cantabrigiæ* duo Sodalium eruditorum Collegia regio apparatu condiderit.

Multis Libris editis *Lutherum* impugnavit.

Dum Regis *Henrici VIII.* ex impudenti repudio *Catharinæ Reginæ*, cum *Annâ Boleniâ* nuptias affectantis nefario voto ſubſcribere, Romanique Pontificis Autoritatem â Rege in Regno ſuo abrogatam approbare recuſâſſet, poſt Carceris diuturni pædorem, in quo Purpuræ ſacræ honore collato â Summo Pontifice *Paulo III.* in Cardinalium Eccleſiæ Romanæ Senatum intereà lectus erat, cum ex eo furor Regis multò in eſi exarſiſſet vehementiùs, capite mulctatus obiit *Londini* A. C. 1535. 22. Julii, paucis ante *Thomæ Mori* cædem diebus, poſt biennii captivitatem. *Fit Cardinalis in carcere. Decollatur.*

Reliquit ingenii monumenta: *Ejus Scripta.*

Volumen, quo Lutheri errores refutavit.
Aliud, in quo Sacri Sacerdotii Auctoritatem defendit.
Homilias ad plebem adverſus 41. Lutheri articulos.
De Veritate Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtiâ Lib. V. adverſus Oecolampadium.
De ſeptem Sacramentis Lib.
Meditationes in ſeptem Pſalmos Davidicos pœnitentiales.
Contra captivitatem Babylonicam Lutheri.
De Matrimonio Regis Angliæ Lib.
Precationum Lib.
Pro Lutheri damnatione Lib.

* *Ex Herologiâ Anglicâ.*

* * *

Roffenſis hic Epiſcopus multis annis invigilando gregi ſuo, adminiſtrandis Sacramentis, aſſiduitate docendi, tùm voce tùm ſcriptis, mirâ quoque in egenos liberalitate & in ſtudioſos benignitate verum ac legitimum egerat Epiſcopum, ita ut ejus aula nihil ferè â monaſterio differre videretur.

Veritatem liberâ voce profeſſus eſt ad extre-

Digitized by Google

extremum uſque Spiritum, adeò, ut tum quoque, cum in eum proditorum immane ſupplicium eſſet conſtitutum, atq; pronuntiata ejus horrendæ necis ſententia, hilari & placido vultu intrepidus permaneret.

Sed quia ſenio gravis, multiſque vigiliis, & ſtudiis confectus eſſet, in mitiorem ea ſententia mutata eſt, quod vererentur ante exhalaturum ſpiritum, quàm rhedâ trahâque, ut moris eſt, tractus ad ſupplicii locum perveniret.

Itaque 10. Kal. Julii productus in planitiem, alacri vultu populum eſt allocutus, ac primò quidem Regi & Regno benè precatus eſt, deindè prece ad Deum fuſâ, illi ſe commendavit, atque ita ſecuri caput præcidendum objecit.

De hujus Epiſcopi morte ita quidam ſcriptum reliquit: Paucis diebus ante *Morum* interfectus eſt *Epiſcopus Roffenſis*, in quem Regis furor non aliâ cauſâ vehementius exarſit, quàm quod in Cardinalium Ordinem à S. Pontifice eſſet cooptatus. Sed audi quod vincit omnem feritatem, Caput *Roffenſis* inditum ſtipiti, multis diebus omnium oculis fuit expoſitum, quod non modò non contabuiſſe, ſed etiam multò venerabilius eſſe factum ferebatur. Ubi is rumor increbuit, mox amotum eſt loco.

* *Ex Vitis 50. Viror. doctrinâ illuſtrium Jani Jacobi Boiſſardi.*

GUILIELMUS BIBAUTIUS.

Obiit A. C. 1535.

T*Hiletanus Flander*, Carthuſianus profeſſus vallis regalis propè *Gandavum*, qui poſtmodùm, ob inſignem virtutis prudentiæque opinionem aſſumptus fuit ad Prioratum Domûs *Hollandiæ* propè *Montem S. Gertrudis*, & A. 1521. in totius Ordinis Generalem electus, ſucceſſitque doctiſſimo viro *Franciſco de Puteo*.

Generalis Ordinis Cartuſiani.

Ex corpuſculi domicilio emigravit in majori *Cartuſiâ*, 24. Julii A. C. 1535. æt. 50. terræ verò hoc addito ſepulchro Epitaphio, corpus ejus mandatum eſt.

Epitaphium.

D. O. M. S.

Occidis ereptus terris, Guilielme Bibauti,
Maxima Cartuſiæ flenda ruina domûs.
Heu ſubiti rerum lapſus! heu Parca ſuperba!
Quæ citiùs Patres ſternit ubique pios.
Hic vir erat ſpirans ſincero pectore Chriſtum,
Incumbens ſtudiis nocte dieque ſacris.
Hiſtorias ſacras, arcanaque ſcripta legebat,
Pertæſus mundi, Cœlica ſemper amans.
Nec tamen hoc ſtudium, pietas aut obſtitit iſta
Nec fieret juris, Mors truculenta, tui.
Dena ſuæ vitæ numeràvat luſtra peractæ,
Hoc ſua cum tegeret membra caduca loco.
Nam mens, quæ tantùm ſpectavit, ad aſtra volavit,
Inque tuo recubat, Chriſte benigne, ſinu.
Utque tuum quondam nobis nomenque decusque,
Sic nunc Angelicis prædicat illa choris.

Levinus Ammonius, domûs *Gandenſis* profeſſus, ejus Vitam deſcripſit, teſte *Theodoro Petreio in Bibliothecâ Cartuſianâ*, quæ temporum injuriâ periit.

Scripſit:

Sermones & Orationes Capitulares ad fratres, de vitæ ſpiritualis profectu.

Conciones de pleriſque præcipuis Feſtis, ex Biblicis Sententiis majori ex parte conflatas.

Carmen in laudem B. Joachim Patriarchæ.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

BERTHOLDUS HALLERUS.

Obiit A. C. 1536.

NAtus eſt in *Helvetiâ* A. C. 1492. Studiis à puero addictus, *Coloniæ Aggripinæ* Theologiæ primâ ornatus eſt laureâ. Hinc ad ſuos reverſus, Canonicus primò *Bernæ*, deindè Concionator eſt electus, tandem *Zwinglio* accedens, Evangelii doctrinam amplexus eſt.

Baccalaur. Theol.

Canonicus & Concionator Bernenſis.

Anno 1526. Conventui *Badenſi* cum *Johanne Oecolampadio* interfuit, & cum *Johanne Eccio*, Pontificiorum Theologorum tunc Coryphæo, acriter diſputavit, ridiculum oſtentationis exemplum *Eccio* præbente: Cum enim in Hebraicarum literarum mentionem incidiſſent: *Quid*, inquit *Eccius*, *Hebraicas jactamus voces? adeò dudum didicimus Hebraica loqui*, ut fermè *dedidicerimus*, atque cum dicto ex ingenti codice aliquid ſtridet Hebraicè; poſt addit: *Si vultis, dicam & Græcè & Latinè.* Finitâ diſputatione, deprehenſa fraus fuit: *Exemplum enim habuit*, (ab alio ſc. apertum) *in quo Hebræis Græca & Latina fuere impoſita.*

Idem cum Zwinglio ſentit ac docet.

Diſputationi Badenſi interfuit.

Eccii Oſtentatio.

Anno 1528. 26. Januarii Diſputationi interfuit *Bernenſi*, quâ finitâ, in tota *Bernenſium* editione Papatus eſt abrogatus, quos brevì poſtea præter alios finitimos imitati ſunt *Genevenſes*.

Reformatio Bernenſis.

Bernæ verò Collegam habuit *Franciſcum Colbium*, *Rötelâ* oriundum, primò *Baſileæ* in Schola *Martinianâ* juventutis moderatorem, poſtea in *Sueviâ* Monachum, ſed cognitâ veritate, *Bernam* accitum, & *Hallero* in concionandi munere adjunctum, ubi vita exceſſit, A. 1535. ætatis 70.

Cum verò *Hallerus* omnia in Eccleſiâ jam ritè ordinâſſet, immaturâ morte A. C. 1536. 25. Martii, ætatis ſuæ anno 44. magno ſui deſiderio omnibus relicto, ſublatus eſt.

Halleri obitus.

* *Ex Melch. Adam. vitis Germ. Theol.*

SEBASTIANUS AUGUSTUS NEUZENUS.

Obiit A. C. 1536.

NAtus eſt circa veſperam *Saftingæ*, oppido, quod *Flandriæ* veluti promontorium eſt, Anno M. D. III. XXIII. Aprilis. Poſt prima ſtudiorum in patriâ, ſub *Juſto* quodam & *Spintero* Præceptoribus, tyrocinia poſita *Waritſchoti* linguæ latinæ præcepta ab *Hadriano Mattheo* didicit.

Natus Saftingæ.

Quum igitur his artibus infectus tener, ad majora veniſſet paratior, hinc *Lovanium* com-

Lovanium profectus.

commigrans, in *Liliam Flandrorum* Collegium, quod incoluerat etiam magnus ille *Roterodamus*, præceptoris ſui *Hadriani* autoritate juſſuque recepit ſeſe, ubi doctiſſimos audivit viros *Johannem Cruceum Berganum*, *Michaëlem Caſletanum*, *Petrum Cortaceum*, *Adrianum Matthæum* & *Cornelium Wertenum*, tantumque in optimo genere Philoſophiæ proceſſit, ut Magiſterii, unà cum aliis centum quinquaginta Studioſis, anno Ch. M.D.XX. decoratus ibidem fuerit titulo, & in *Libano* Collegio *Ciceronis epiſtolas* & *Virgilii Æneid.* adoleſcentulis enarrare cœperit primariis.

Gradû Magiſterii titulo decoratur.

Hortatu deindè *Johannis Nevii*, *Gandavi* in eam rationem ingreſſus eſt, ut ad humanitatem informaret in ædibus *Gerardi* Scholaſticis nobiles aliquot pueros.

Sed cum poſteà in eo piſtrino diutiùs, ob hoſpitis difficiles motus, vivere nec poſſet nec vellet, à *D. Dionyſio* ab *Edinga*, *Merenſis* Collegii præpoſito, ampliori Scholæ, & ejuſmodi adoleſcentibus, qui uberiores in ſtudiis fecerant progreſſus, numero plus minùs quingentis adhibitus docendo, diſſerendo, declamando, comœdias & tragœdias publicis ſpectaculis exhibendo annos quatuor ita elaboravit, ut Optimatum imprimis inierit gratiam.

At enim quum in *Lutheranos*, uti tum temporis appellabantur illi, qui non hominum placitis, ſed ſacrarum literarum normâ de iis, quæ ad ſalutem noſtram attinent, exiſtimandum putabant, ſæviretur maximè, & verò ſeſe ad eorundem doctrinam is ipſe compoſuiſſet pridem, *Antverpiam* à Mercatoribus quibuſdam evocatus, quod apud *Gandavenſes* omnia ad terribilem quandam vergere viderentur rerum faciem, lubens quidem acquievit, ſed quia & ibidem in omnes, de quibus incidebat ſuſpicio, Monachis ſæviebatur promiſcuè crudelius, *Antverpiâ* quoque relictis omnibus, Bibliothecâ, ſupellectili, & aliquot Creditorum ſuorum ſtipulationibus diſcedere coactus eſt.

Sic itaque in *Saxoniam* ituro occurrit fortuitò *Gerardus Noviomagus*, qui eodem tempore à quibuſdam Principibus *Wittebergam* mittebatur; cujus viri conſuetudine ita delectari cœpit, ut omnem ex animo projiceret protinus & abſtergeret ſollicitudinem, & mœrorem è rerum jacturâ contractum, dummodò viri illius comitatu frui liceret.

Cœteroquin Anno & menſibus aliquot *Witteberga* exactis, quum S. Linguæ ſtudium iſtic abſolviſſet, à *Philippo Haſſorum* Principe ad Profeſſionem linguæ ſanctæ evocatus *Maprurgum* anno M. D. XXVII. *quo hæc nova aperiebatur Academia*, ubi, uxore ductâ, bis ſummum Magiſtratum adminiſtravit, & bis Decani, ſemel autem Promotoris vices ſuſtinuit, ſed ita tamen, ut ſi animum à negotiis publicis ſevocare liceret, eundem tàm ad Juris quàm Theologiæ ſtudium traduceret. Ideoque cum quatuor annos operam ſuam publicè & privatim, auſpiciis potiſſimum & ductu *Johannis Ferrarii*, huic rei impendiſſet, id indefeſſo conſecutus eſt ſtudio, ut eum Princeps ſibi adſciſceret Conſiliarium, & inter Dicaſterii *Marpurgenſis* Aſſeſſores legeret, Juris civilis laureâ XI. Novemb. anno M. D. XXXV. à præceptore donatum.

Profeſſor Hebraicæ linguæ.

Rectoris Academiæ, & Facultatis ſuæ Decani munere binâ vice fungitur.

Principis Haſſorum Conſiliarius.

Juris civilis Doctor creatus eſt.

Verùm, cum ſequenti anno in morbum incidiſſet, quem peripnevmoniam vocant, prævalente vi morbi, in medio ſtudiorum & ætatis florentis curſu, quum nondum XXXIII. ætatis compleviſſet annum, denaſcitur eodem, quo natus fuerat, menſe, authoritatis & prudentiæ ſuæ deſiderium optimis quibusque viris relinquens.

Moritur.

Parentavit ei in *Eliſabethæ* templo, ubi conditus eſt, *Nicolaus Aſclepius*.

Quod ad Scripta attinet, in eorum, qui hoc ſtudiorum genere delectari conſueverunt, manibus verſantur libri:

De Literarum, vocum, & accentuum Hebraicorum naturâ, ex optimis quibusvis Rabbinorum commentariis collectus liber.

De Servientium literarum officiis.

De Arbore conſanguinitatis ſcriptum.

In Proverbia Salomonis Commentaria.

Et ſi plura Deus tribuiſſet tempora vitæ,
Forſitan hoc major nemo futurus erat.
Sed quid non temerant crudelia numina Parcæ?
Vix ortum, ſubitò fata tulêre virum.

* *Ex MSS. Vitas Profeſſorum Marpurgenſium continentibus.*

PETRUS BLOMEVENNA.

Obiit A.C. 1536.

Batavus *Leydenſis*, Cartuſiæ *Colonienſi* nomen dedit, in quâ ferè annos 50. vixit, præfuitque eidem Prior ac Viſitator Provinciæ *Rheni* annis 29.

Prior Carthuſianorum.

Ob vitæ innocentiam, morumque integritatem omnibus erat charus. Quærebat ante omnia Regnum DEI & juſtitiam ejus, vir in Divinis literis non vulgariter eruditus.

Fallitur *Antonius Poſſevinus*, dum hunc *Petrum Blomevennam* putat eſſe diverſum à *Petro Leydenſi*: hoc quippè patriæ, illud familiæ nomen fuit. Hujus vitam ſanctitate plenam placida mors excepit *Coloniæ* prid. Cal. Octob. A. C. 1536. æt. 70.

Idem cum Petro Leydenſi.

Moritur.

Literarum monumenta poſteris reliquit:

Ejus Scripta:

De bonitate Divinâ Lib. IV.
De Authoritate Eccleſiæ.
Expoſitionem in Pſalmum CXXVI.
Contra Anabaptiſtas.
Tract. de effuſione Cordis.
Candelam Evangelicam.
Enchiridion Sacerdotum.
Directorium parvum contemplari incboantium.
Aſſertionem Purgatorii.
Contra abuſus filiorum Eccleſiæ.
Vitam S. Brunonis.
Sermones de eodem.
Exhortationem ad juvenes.
De naturâ Dei, teſte Poſſevino.

De

De verâ Religione, & quinam appellandi veri Religioſi.

Informationem de diverſâ ratione adorandi DEUM, Sanctos, & homines.

Directorium aureum Contemplativorum Henr. Herpii Latinè redditum.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1540.

MELCHIOR CANUS.

INter inſignes *Franciſci Victoriæ* diſcipulos palmam facilè *Melchior Canus* provinciæ *Caſtellæ* obtinuit, qui & Magiſtro poſt in Academiâ *Salmanticenſi* ſuccedens, antemeridianis & ipſe Scholis Theologiam explanavit.

Theol. Prof. Salmanticæ. Epiſcopus Canarienſis.

Mox ad *Canarienſem* Epiſcopatum, qui *Fortunatarum* eſt *Inſularum*, evectus, eo ſe paulò poſt abdicavit. *Concilio* quoque *Tridentino* interfuit.

Moritur.

Vitâ *Toleti* deceſſit in Cœnobio *B. Petri Martyris* A. C. 1540. honeſto in Ordinis ſui Cœnobio conditus tumulo.

Scripſit diſerto admodùm ſtylo:

Ejus Scripta.

De Locis Theologicis lib. XII. in quibus Ciceronianæ dictionis amans, Prooemia artificiosè adhibet, luxuriariq́ue ſtylo videtur.

Relectionis de Sacramentis Lib. V.

De Pœnitentiâ Lib. totidem,

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum Auctorum.*

Obiit A.C. 1540.

JOHANNES SCHWEBELIUS.

NAtus eſt *Pfortzhemii* A. 1490.

Ordini S. Spiritus initiatur Schwebelius.

Jactis linguæ Hebrææ & Græcæ fundamentis, adoleſcens Ordini Spiritûs Sancti voluit initiari.

Poſtea ad Sacerdotii aſpiravit dignitatem.

Deſerit Monachatum. *Ad Franciſcum à Sickingen venit.* *Ducit uxorem.*

Cum autem ſtatim poſt Evangelicæ doctrinæ radii per *Germaniam* diffunderentur, iisdem illuſtratus, veſtitum monaſticum mutavit, & relictâ patriâ migravit ad *Franciſcum à Sickingen*, nobilem *Francorum*, qui inter primos veritatem Evangelicam intrepidè propugnavit. In hujus arce *Landſtenio*, ejuſque ſumptu, nuptiarum feſtivitatem celebravit A. 1521.

Bipontum venit Schweb. *Reformatio Bipontini Ducatus.*

A. 1522. *Bipontum* à Principe *Ludovico* vocatus venit, ibiq́ue primus Evangelicæ doctrinæ fundamenta jecit. Interea *Franc. à Sickingen* dum in arce ſuâ *Landſtenio*, obſeſſus à *Trevirenſi* & *Palatino* Electoribus, pro libertate pugnavit, ex globo tormentario lethale vulnus accepit, quo horis 24. poſt exſpiravit 2. Maji A. 1523.

A. 1533. Cum Princeps *Ludovicus* 3. Dec. A. ætatis 30. obiiſſet, Principi filio ipſius *Wolffgango*, tunc puero ſexenni, *Caſparum Glaſerum* Ephorum præfecit.

Præter *Pontificios* cum *Anabaptiſtis* & *Schwenckfeldianis* multum ipſi negotii fuit.

Moritur.

Cum ita annos 17. Evangelii miniſtrum fidelem egiſſet, ad vitam meliorem abiit 19. Maji. A. 1540. cum vixiſſet annos 50. Sepultus in templo *Bipontino*. Ipſius fuit tale Epitaphium à *Jacobo Schorrio ab Haſel*, Cancellario *Bipontino*, ſcriptum:

Epitaphium.

Vixit, & hoc templo, docuit Vir, lector! honeſtus
JANUS SCHWEBELIUS, doctus amansq́ue Dei.
Fidus erat monitor, facundus & æque modeſtus,
Manſuetus, clemens, mitis, & æquanimus.
Sedatus, Comis, facilis, totusq́, benignus,
Sermo illi lenis, mens pia, mosq́ue probus.
Vitam doctrinæ, doctrinam ſedulo vitæ
Æquabat: nulli non venerandus erat.
Æquales utinam liceat nos ſemper habere
Paſtores! quid enim ſanctius, oro, foret?
Dici felices nunquid tum, perq́ue beati
Poſſemus meritò, ſemideiq́ue viri?
Hic magno tandem oppetiit mœrore ſuorum:
Mens cœlo; corpus clauditur hâc ſub humo.

Filium reliquit *Henricum*, poſtea Juris Licentiatum, & Cancellarium *Bipontinum*.

Succeſſorem habuit in Evangelii miniſterio *Caſparum Glaſerum, Wolffgangi Principis ephorum.*

Pietas Schwebelii & mores.

A puero hic *Schwebelius* tanto pietatis amore flagravit, ut omnem patrimonii ſui non exilis ſubſtantiam Ordini Spiritûs Sancti, cui nomen dederat, deſtinârit. Particulam tamen ejus, poſtquàm *Bipontum* conceſſit, curante *Ludovico* Principe *Palatino*, & permittente *Marchione Badenſi*, recepit. Primus præterea fuit Principis *Bipontini* orthodoxus Eccleſiaſtes, judicio & dicendi facultate non vulgari præditus.

Scripſit, quæ poſt obitum publici juris facta ſunt:

Scripta.

Partem primam operum Theologicorum de præcipuis Sacræ Scripturæ Locis.

Centuriam Epiſtolarum Theologicarum ad Schwebelium, à Melanchthone, Bucero, Capitone, Hedione, &c. ab A. 1519. ad 1540.

* *Ex Melch. Adam. Vitis Germ. Theol.*

URBANUS REGIUS.

Obiit A.C. 1541.

AD Lacum *Brigantinum*, in Oppido, cui *Arga longa* nomen, honeſto loco natus eſt.

Nominis immutatio.

Majorum ſuorum nomen *Regum*, ſublime ſcil. & jocis aptum, in *Regium* mutavit. *Urbani* verò nomen infanti hoc caſu eſt inditum: Cum puerpera, mater ejus, mulierculis baptiſmatis fonti infantulum oblaturis ſuggeſſiſſet, ut nomen in faſtis natali ejus inſcriptum imponerent: illæ dum abeunt, obliviſcuntur, ſacerdote poſteà nomen puerulo imponendum exquirente, cum illæ hæſitarent, & ipſe *Urbani* diem haud procul abeſſe ſubjiceret, arreptum hoc infantiq́ue inditum.

Lindavium mittitur Regius, & inde Friburgum.

Cum *Lindavii* literarum principia didiciſſet, *Friburgum Briſgoviæ* venit, in *Zaſii* J.C. familiam receptus, qui eum ut filium dilexit, ob ſingulares animi dotes, naturæ morumque

rumque

rumque bonitatem, tum, quod in flores propediem ſe induturum felicis ingenii illud germen prævideret, ut qui libros in Bibliothecâ *Zaſii* ſtudiis ſuis commodos accuratè evolveret, margineſque ſcriptorum, in quibus à *Zaſio* multis antè annis annotata erant multa, ſtudioſè obſervaret.

Zaſio familiaris.

Baſileam adit & Ingolſtadium.

Inde *Baſileam* diſceſſit, nec multò pòſt *Ingolſtadium* adiit, *Johannis Eccii* famâ permotus, ubi privatum, & quidem frequens, habuit auditorium.

Cum autem militum quidam Duces eò veniſſent, copias adverſus Turcam conſcripturi, *Regius* ſupellectilem ſuam librariam & veſtiariam civibus divendendam credens, militiæ nomen dedit, quem, cum fortè *Eccius*, cum Collegis copias, ſpectatum progreſſus, in habitu militari conſpexiſſet, à militiâ dehortatus eſt, & in gratiam cum Muſis reduxit.

Dat nomen militiæ. A quo avocatur.

Poſtea *Maximilianus* Imperator Ingolſtadio tranſiens Poëtam ipſum, lauro manu ſuâ impoſitâ, deſignavit.

Creatur Poëta à Maximiliano I.

Nec multò pòſt adſcitus eſt in numerum Profeſſorum, docuitque publicè Poëticam, & Oratoriam annis aliquot.

Profeſſor Poëtices & Oratoriæ.

Sub annum 1516. *Eraſmum Roterodamum Ingolſtadium* prolixè invitavit, ſed in hoc repulſam, de ſe autem ab *Eraſmo* hoc tulit eloquium: quo virum eum prædicat candidum, prudentem, facundum, eruditum, in ſummâ, omnibus omnium Gratiarum ac Muſarum dotibus præditum.

Eraſmi de Urbano Judicium.

Ad Theologiam deinde cum animum adjeciſſet, omnia ſacris literis poſthabuit, cumque *Urbanum* obſtrictum ſibi beneficiis haberet *Eccius*, tamen ortâ inter *Lutherum* & *Eccium* de religione controverſiâ, cum offendere *Eccium* Præceptorem *Urbanus* nollet, *Auguſtam* abiit, ubi ſtatim Eccleſiæ gubernandæ curam ſuſcepit, & ad *Lutheri* partes acceſſit, doctrinamque per univerſam *Sueviam* propagavit. De peccato ibi Originali cum *Zwinglio* contulit, certamenque ei literarium cum *Eccio* fuit, & cum aliquando Pontificiorum crudelitas ipſum urbe exegiſſet, *Vallem Atheſinam* exul perreptavit, donec frequentibus civium precibus *Auguſtam* ad docendi munus revocatus eſt, ubi ei in matrimonium elocata eſt *Anna Weisbruckera* 13. poſteà liberorum mater.

Theologiæ dat operam. Amicus Eccio, cum quo diſputat. Auguſtam abit. Ducit uxorem.

A. 1530. Cum, *Comitiis Auguſtæ* celebratis, inter alios *Erneſtus Dux Brunſvicenſis* interfuiſſet, hic *Regium*, ut operam ſuam Eccleſiæ *Lunæburgenſi* polliceretur, exoravit. Eò cum migraſſet, in viâ *Coburgi Lutherum* inviſit, cumq; eo familiariter de rebus graviſſimis contulit, quod ipſe *Urbanus* in Epiſtolâ quadam ad Amicum *Auguſtanum* teſtatur.

Erneſtus Urbanum ſecum ducit. Lutherum inviſit.

A. 1532. *Cellam* migravit, cum à Principe *Erneſto*, qui eum ut patrem veneratus eſt, Generalis Inſpector vel Epiſcopus totius Ducatûs *Brunſvicenſis* conſtitutus fuiſſet, eique *Luneburgi Joh. Forſterus* ſubrogatus: Cumque brevi pòſt Monaſterium obſideretur, librum ad *Oſnabrugenſes*, *Lutheri* commendatione ornatum emiſit, in quo præcipuos *Anabaptiſtarum* articulos ſacrarum literarum teſtimoniis accuratè refutavit.

Inſpector Generalis.

Deindè cum *Smalcaldiæ* Conventus Theologorum eſſet inſtitutus, interfuit ei & *Regius*, uti poſteà quoque ad conventum *Hagenoënſem* cum ſuo Principe venit, *Lutherique* articulis ſubſcripſit.

Conventibus Theol. intereſt.

Ex Conventu *Hagenoënſi* domum reverſus, in viâ morbo correptus, ſummo aliquando manè de lecto ſurgens in pavimentum proſtratus, tertiâ horâ pòſt animam Salvatori ſuo reddidit 23. Maji A. 1541. *Cellæ Saxonum*.

Moritur.

Triduo pòſt ibidem in æde Parochiali ſepultus, & ab *Hanoveranis* Epitaphio honoratus eſt.

Nactus eſt mortis genus Theologus, ob doctrinam & pietatem, bonis & piis, imprimis Principi *Erneſto* charus, quale ſæpe in votis habuit, citum & placidum, cum ſemper deprecaretur diuturnos languores, & longas morborum periodos.

Monumenta ejus ingenii filius *Erneſtus* collegit, *Noribergæ*, in lucem edidit, inter quæ eſt liber, in quo annotatæ ſunt *horridiores loquendi formæ*, monſtratæ verò propriæ & concinnæ, utiles pietati & concordiæ.

Scripta.

Item *Loci Theologici ex Patribus & Scholaſticis neotericiſque collecti*, Opus poſthumum.

* *Ex Melchiore Adamo de Vitis Theologorum.*

WOLFFGANGUS FABRITIUS CAPITO.

Obiit A.C. 1541.

Hagenoæ, *Alſatiæ* oppido natus eſt. A. 1478.

Patrem habuit Senatorem, matrem *Agnetam*, fœminam nobilem.

Parentes.

Baſileæ liberalibus artibus & linguis incubuit. Poſteà cum Theologiæ ſe dediſſet, ab ejus ſtudio per parentem avocatus, ad Medicinam animum appulit, in quâ Doctor renuntiatus eſt A. 1498. Defuncto patre ad Theologiam regreſſus, in eâ quoque Doctoris titulum conſecutus eſt A. 1504. Deindè *Friburgi* in *Briſgojâ* Theologiam Scholaſticam profeſſus eſt, & paulò pòſt Sacris initiatus. Intereà *Zaſii* J. C. auditor per quadriennium fuit, donec à *Philippo Roſenbergio*, Epiſcopo *Spirenſi*, *Bruchſellam*, agri *Spir.* oppidum, vocatus, triennium ibi concionatorem egit.

Doctor Medicinæ. Doctor Theologiæ. Theologiam Scholaſticam docet. Zaſii J.C. auditor.

Indè cum ſæpe *Heidelbergam* excurreret, cum *Joh. Oecolampadio* contraxit amicitiam intimam. A. 1513. *Matthæo* cuidam *Adriano*, *Judæo* converſo, in diſcendis literis Hebraicis operam dedit. Indè *Baſileam* à Senatu tertio nuntio invitatus ſummo ibi templo annis aliquot præfuit, & ibi prima Eccleſiæ Evangelicæ fundamenta poſuit.

Amicus Oecolampadii. Hebraicas diſcit literas. Baſileæ docet.

Ibidem A. 1516. *Joh. Oecolampadium* Theologiæ Doctorem renuntiavit.

A. 1520. Menſ. Aprili, favore *Ulrici Hutteni*, Equitis *Franci*, ab Electore *Moguntino Alberto*

Cancellar. Moguntinus.

Alberto in aulam vocatus, ejus & Concionator & Cancellarius declaratus eſt, nec multò pòſt Juris etiam Doctor creatus.

Jur. Doctor.

An. 1523. 7. Febr. cum variis *Capito* legationibus frequenter adhiberetur, *Norimbergæ* nobilitatis inſignibus ipſe & poſteri ejus ab Imp. *Carolo V.* ornati ſunt.

Sed talia nihil moratus, cum Evangelii Reformationem apud *Moguntinum* aſſequi non poſſet, *Moguntiâ* relictâ *Martinum Bucerum Argentoratum* ſecutus, ibi Templo *S. Thomæ* Præpoſitus eſt An. 1523. Tanta autem ſtatim ipſius & *Buceri* fama fuit, ut *Jacobus Faber Stapulenſis*, & *Gerardus Ruſus* clam è *Galliâ* profecti cum ipſis de fidei articulis diſſeruerint, miſſi à *Margarethâ*, *Franciſci* Regis Sorore, *Navarræ* Reginâ. Itaque Evangelii initium *Gallia* tùm aliis, tum *Capitoni* & *Bucero* debet.

Argentorati docet. Capitonis & Buceri fama.

A. 1525. *Argentorato* in patriam *Hagenoam* evocatus, fratres in doctrinâ Evangelicâ erudiit, & Dominicâ Palmarum S. Cœnam ritè adminiſtravit: die verò Reſurrectionis Dominicæ in magnâ hominum frequentiâ infantem maſculum ſine ceremoniis Papiſticis baptizavit.

Argentorati primus Baptiſmum & Cœnam ritè adminiſtrat.

A. 1528. Diſputationi *Bernenſi* cum aliis Theologis interfuit.

Diſputationi intereſt Bernenſi.

Reliquum deinde tempus omne *Argentorati* Concionibus habendis, & Eccleſiæ conſiliis dandis conſumpſit.

A. 1541. M. Dec. ætatis anno 63. E Comitiis *Ratisbonenſibus* domum reverſus, peſte extinctus eſt.

Moritur.

Eraſmo hîc muſſitanti ad exuendam *Nicodemi* veſtem perpetuò fuit impulſor.

Joh. Oecolampadio vitâ functo, relictam ejus viduam in uxorem duxit, ex quâ liberos aliquot ſuſcepit. Habuit & aliam uxorem *Agnetam*, fœminam literatam.

Erat autem *Capito* Vir prudens & eloquens, omnium literarum cupidiſſimus, in Hebraicis diligenter & diu verſatus; Theologiæ puræ & pacis ſtudioſiſſimus: In Articulo de *S. Cœna* docebat: Mittendas eſſe contentiones, & cogitandum de uſu ipſius Cœnæ.

Mores Capitonis.

Multa ad poſteritatem tranſmiſit monumenta, ut ſunt:

Scripta.

Inſtitutionum Hebraicarum Lib. II.
Enarrationes in Habacuc & Hoſeam Prophet.
Vita Joh. Oecolampadii.
De reformando à puero theologo.
Explicatio doctiſſima in Hexaëmeron opus Dei.

* *Ex Melch. Adami Vitis Germ. Theol.*

GERHARDUS GELDENHAUER.

Obiit A.C. 1542.

Natus eſt Patre ejuſdem nominis, itidem *Geldro*, duobus *Geldriæ* Principibus *Arnolpho & Adolpho* à cubiculo, matre *Richilde Bojara*, (vulgò Beyerin/) Noviomagâ, cujus avus paternus equitis aurati dignitate auctus fuerat. Ideòque cum vel hac imprimis forte & natalibus excellerent parentes, omnia ſumma fecerunt, ut quandoquidem acri ſatis ingenio eſſe videbatur, educatione doctrinâque puerili liberaliter inſtitueretur, eâque de causâ *Daventriæ* primùm *Alexandro Hegio & Johanni Oſtendorpio* traditus eſt, qui puerum ad honeſtatem & literarum ſtudia formarent.

Poſtmodùm *in Lovanicenſi Academiâ*, quâ celebriorem tum temporis *Germania* videbat nullam, philoſophiam non didicit modò, verùm & docuit *Johanne Paludano*, *Martino Dorpio*, *Adriano Barlando*, *Johanne Campenſe*, *Rudgero Reſcio*, *Jodoco Læto*, & ipſo inter alios *Eraſmo Roterodamo* uſus familiariter. Vixit poſteà aliquandiu *Antverpiæ*, quod tùm Emporium toti Europæ notiſſimum.

At verò cum iſti adoleſcenti neque à natura, neque à doctrina deeſſet quicquam, commendatus *Carolo V.* Imperatori primùm ad Aulam accitur, ut ab hiſtoricis & lectionibus eſſet eidem, ſed cum diſpliceret *Geldenhaurio* frequens locorum mutatio, ac in *Hiſpaniam* ituri *Caroli* comitatus, relictâ Imperatoriâ aulâ, ſe ad *Philippum Ultrajectinum* præſulem contulit, eique à Secretis in Latinâ linguâ & in cubiculo à Lectionibus fuit per annos XII. usque ad annum M. D. XXIV. quo anno cum is diem obiiſſet ſuum, *Maximiliano à Burgundiâ* ita volenti operam ſuam iiſdem in rebus collocavit.

Ad Aulam Caroli V. vocatur.

At anno M. D. XXVI. à Principibus viris *Wittebergam* miſſus, Eccleſiæ illius atq; Scholæ rationem inſpicere & explorare juſſus eſt. Reverſus igitur audita, viſa, compertaq; ſibi, illis fide optimâ retulit omnia, faſſus ingenuè, ſe non poſſe non probare & commendare id doctrinæ genus, quod cum literis Propheticis conſentiret & Apoſtolicis, hacque occaſione relictis Pontificiorum partibus, religioneque immutatâ, non ſine vitæ ac fortunarum omnium periculo ad *Vangiones* abiit, & *Wormaciæ* imprimis uxore ibidem ductâ ſedem fixit, omnem cum pietatis ſtudiis rationem habens & juventutem etiam ipſam ad literas atque humanitatem, ſi quiſquam alius, effingens ſedulò.

Matrimonium init.

Scholæ Wormacienſis ludi-Magiſter.

Sed enim cum literarius interea ludus aperiretur, publico invitatus ſtipendio, ſe ſcholæ illi addixit totum. Hinc *Auguſtam Vindelicorum* evocatus, operam ſuam pariter erudiendæ juventuti impendit, donec anno M. D. XXXIV. *Marpurgum* tranſiret. Quâ in Academiâ hiſtoriæ primùm biennium, ac poſtmodum novennium ſacras literas, quibus immori decreverat, piè, & cum Auditorum non modico fructu, interpretatus eſt, ita, ut intereà etiam Rectoris munere perfunctus fuerit. Tandem anno M. D. XLII. decimo Januarii die, Spiritum Deo, peſte correptus, reddidit ſexagenarius, ac in templo ſummo fuit tumulatus inſequenti Epitaphio, ac perorante *Draconite:*

Auguſtæ Vindelicorum Scholæ Præceptor.

Hiſtoriarum Profeſſor biennium.

S.S. Theol. novennium Profeſſor.

Moritur.

Hic Noviomagi requieſcunt membra GERHARDI;

Epitaphium.

Juxta

Digitized by Google

Juxta hunc ANDREAS *conditur* HEPERIUS.
Ut pia doctrinæ concordia junxerat ambos:
Sic idem amborum contegit oſſa locus.
Quos ſociat tumulus, ſociabunt cœlica regna,
Ut capiant fidei præmia juſta ſuæ.

Scripta ejus edita ſunt.

Scripta.

Poëticum tyrocinium, ſive Epigrammatum Lib.
Oratio exhortatoria ad ſtudium bonarum literarum cum aliis quibusdam orationibus.
Satyræ octo, quarum ſex in Friſia, duas poſtremas in Seelandia abſolvit.
Epiſtolarum libri tres.
De Pompa funebri Ferdinandi Arragonum Regis.
De Adventu Philippi præſulis in ditionem Ultrajectinam, & Oratio pro eodem ad Carolum Auguſtum.
Vita ejusdem Philippi.
Deſcriptio Inſul. Batavorum.
Hiſtoria Batavica.
Catalogus Epiſcoporum Trajectenſium.
Hiſtoriæ ſuæ ætatis. Libri VII.
De Viris illuſtribus inferioris Germaniæ.
Rodolphi Agricolæ & Weſſeli Gansfortii Friſiorum vitæ.
Germanicarum hiſtoriarum illuſtratio.
Epiſtolæ ad Gelriæ Principem Wilhelmum gratulatoria, & admonitoria de borum Principatuum adeptione.
De admirandâ antiquitate Regum Germaniæ.
Hiſtoriæ de hæreticis, de re Evangelicâ, de hæreticorum pœnis.

* *Ex Manuſcriptis Acad. Marpurg.*

Obiit A. C. 1542.

LEO JUDÆ.

Pater Leonis.

NAtus eſt *Leo Judæ* A. 1482. Patre *Johanne Judæ*, Sacerdote *Gemerenſi* in *Alſatiâ*, qui, cum Sacerdotibus uxores legitimas habere non liceret, de more illorum temporum concubinam ſibi adſcivit *Eliſabetham Hochſengerinam Salodorenſem*, *Leonis matrem*.

Avus.

Avus ipſi fuit *Chirurgus* celebris *Rappolsvillæ* in *Alſatia* circa A. 1470.

Baſileam mittitur. Commilito Zwinglius.

A. 1502. verò *Leo Baſileæ* cum ſtudiorum ſocio *Ulrico Zwinglio*, *Thomam Wittenbachium*, Theologiæ Doctorem, aſſiduè audivit, à quo & doctrinæ Evangelicæ prima percepit ſemina, usque dum A. 1512. Artium, & Philoſophiæ Magiſter ibi renunciatus fuit:

Vocatur in Eremum. Tiguri paſtor ad D. Petri. Papatum oppugnat. Vetus Teſtamentum vertere incipit.

Pòſt in *Eremum Helvetiorum* vocatus, ſacris in eo præfuit cœnobio, donec *Tigurum* evocatus, paſtorque à Senatu Eccleſiaſtico ad *D. Petri* declaratus, Papatum pontificiosque ritus ſtrenuè oppugnavit, &, ut linguæ Hebrææ peritiſſimus, Vetus Teſtamentũ ex Hebraicâ linguâ vertere aggreſſus eſt, verùm mole operis oppreſſus, corpuſculi viribus ſenio debilitatis, antequàm ad finem iſtud perduxiſſet, in lethalem incidit morbum, quo & piè obiit A. C. 1542. ætat. 60.

Moritur.

Quæ vero *Leo* in Bibliorum translatione, morte præventus, intacta reliquerat, ea *Theodorus Bibliander*, Theol. Prof. in Scholâ *Tigurinâ*, feliciter abſolvit, & *Conradus Pellicanus* foràs dedit, cum ſingula prius, ut *Judæ* promiſerat, recognoviſſet.

Scripſit:

Scripta.

Annotationes in Geneſin & Exodum.
Evangeliſtas quatuor.
Paſſionis Dominicæ hiſtoriam.
Epiſtolas Pauli, ad Romanos.
Corinthios, Philippenſes, Coloſſenſes.
Theſſalonicenſes & S. Jacobi.

Præterea *Opus Concluſionum Zwinglii* è Germanico Latinum reddidit.

Et: *Catechismum majorem in minorem conſcripſit.*

Author inſuper fuit libelli, ſub nomine *Ludovici Leopoldi, de Eraſmi Roterodami & Lutheri ſententiis circa Cœnam Domini.*

* *Ex Melch. Adami Vitis Germ. Theol.*

Obiit A. C. 1543.

LUDOVICUS CANCELLUS.

Præco Evangelii in Indiâ.

DOminicanus, A. C. 1543. à *Carolo V.* Cæſare in *Floridam*, *Americæ* provinciam, (quando parum armis proficiebatur,) ad Evangelii promulgationem ablegatus, adjunctis ſibi 4. ex eodem Ordine, in peregrinationem ingreſſus, cum fruſtra popularium animos, quantum oratione & ſuavitate dicendi poſſet, demulcere conatus eſſet; illi, quibus tanquam ſurdis fabula canebatur, contra hominem, ventos auraſque nequicquam vociferatione laceſſentem, concitati, poſtremò miſerum cum duobus ſociis comprehenſum in conſpectu cœterorum crudeliter diſcerpſerunt. *Thuan. lib. 44.*

Martyr in Floridâ.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A. C. 1543.

PAULUS CONSTANTINUS PHRYGIO.

PAtriam habuit *Seleſtadium*, *Alſatiæ* oppidum.

Baſileæ Doctor Th.

Adoleſcens *Baſileæ* Hiſtoriarum & Theologiæ ſtudio deditus, in hâc Doctoris titulum adeptus eſt.

Ibidem docet Evangelium.

A. 1529. Ibidem, quam ab *Oecolampadio* & *Zwinglio* hauſerat doctrinam, tradere aliis pro ſuggeſtu ſacro juſſus eſt Eccleſiæ ad *D. Petri* primus paſtor Evangelicus deſignatus. *Ulrico* verò Duci *Wirtenbergico*, cum apud *Baſileenſes* aliquandiu exul vixiſſet, charus fuit, qui in Ducatum avitum A. 1534. reſtitutus, Anno ſequenti ad Eccleſiam *Tubingenſem* conſtituendam *Phrygionem* vocavit.

Tubingam vocatur.

Ibi, abſoluto curſu, cœleſtem patriam adiit 1. Aug. A. 1543. Hujusmodi verò elogio ſepulchrum ejus ornatum eſt:

Moritur.

Epitaphium.

D. O. M. SACRUM.
PAULUS CONSTANTINUS PHRYGIO
THEOLOGUS, CALENDIS AUGUSTI ANNO

no M.D.XLIII. mortalis esse desiit, jamque per Servatorem Jesum, cujus Evangelium ille in Scholis et sacris concionibus ardentissimo semper studio docuit. Inter Beatos vivit Immortalis.

Scripta. Ingenii monumenta reliquit:

Chronicon Regum Regnorumq; omnium.

Commentaria in Micheam Prophetam, in Exodum, & Leviticum.

Scripſit etiam aliquid de *Cauſâ Boëmicâ.*

* *Ex Melch. Adam. de vitis Germ. Theol.*

Obiit A.C. 1543.

ANDREAS à BODENSTEIN aliàs CAROLOSTADIUS.

Honeſtis parentibus natus eſt *Caroloſtadii*, *Franconiæ* oppido, à *Carolo Calvo* A. C. 875. condito.

Alphabeti nomine notatus. *Melanchthon* à literis nominis initialibus A. B. C. notare eum ſolitus fuit nomine alphabeti.

Romæ dat operam Theologiæ. Doct. Th. & Profeſſ. In patriæ quali quali ludo prima literarum fundamenta jecit, poſt augendæ eruditionis ergò varias Regiones, variasque Scholas adiit, & præſertim *Romæ* Theologiæ dedit operam, deinde *Wittenbergæ* ſedem fixit, ubi ſub initium Academiæ A. 1502. Doctor Theologiæ creatus, inque Profeſſorum ordinem cooptatus eſt, cum ibidem in Templo arcis Canonicus & Archidiaconus anteà fuiſſet.

A. 1512. Sub ipſius Decanatu *Martinus Lutherus* Theologiæ Doctor renuntiatus eſt.

Adſtipulatur Luther. A. 1517. Inter primos verò *Andreas*, *Lutheri* doctrinæ adſtipulatus, Pontificios oppugnavit.

Diſputatio cum Eccio, hujusque fructus. A. 1519. M. Jun. *Lipſiæ* cum *Joh. Eccio*, de libero hominis arbitrio, præſente *Luthero* & *Melanchthone*, diſputationem habuit, adſentiente *Georgio*, *Saxoniæ* Duce, quam cum audiſſet proceſſuram *Teccelius*, dixit: Das walt der Teuffel! hujus verò fructus fuit, ut exinde plures natæ ſint diſputationes.

Ritus quosdam mutat. A. 1521. *Luthero* in Pathmo deliteſcente, *Wittenbergæ* Miſſam privatam, auricularem Confeſſionem, diſcrimina ciborum, invocationem Sanctorum abrogavit, è Templis imagines ſuſtulit, librum de Conjugio Sacerdotum & votis Monaſticis reſcindendis edidit.

Primus Miniſtrorum, qui uxorem duxit. Eodem anno primus Miniſtrorum *Bartol. Bernhard. Feldkirchius*, Præpoſitus Eccleſiæ *Kembergenſis*, frater *Johannis Velcurionis*, cujus *Phyſica* extat, duxit uxorem, quem ſecuti ſunt *Juſtus Jonas*, *Joh. Bugenhagius*, & hic *Caroloſtadius*, cui facetus quidam, Epithalamii loco, ſcripſit novæ Miſſæ nuptialis formulam.

Lutheri offenſio. A. 1522. Cum *Lutherus*, mutationibus offenſus, *Wittenbergam* reverſus, ſe abſente geſta concionibus aliquot improbâſſet, *Caroloſtadius* actiones ſuas ſcripto publico defendit: quod *Belli Sacramentarii* ſubſecuti fuit exordium.

Orlamundam venit Andreas. A. 1524. *Orlamundam*, *Thuringiæ* oppidum, ſe recepit, ad munus paſtoris Eccleſiæ illius vocatus. Ibi iterum ſtatuarum abolitione turbas dediſſe judicatus eſt. Itaque 22. Junii *Lutherus*, Electoris juſſu, *Jenæ* concionem habuit, cui & *Caroloſtadius* interfuit. In eâ in *Müncerum* invectus, ejusdem Spiritûs dixit eſſe *Sacramentarios*. Hîc cum ſe pungi *Caroloſtadius* exiſtimaret, convenit *Lutherum* in diverſorio ad Urſum atrum, ubi *Lutherus Caroloſtadium*, ſcriptis ſe cum illo congreſſurum dictitantem, aureo nummo ſibi adverſarium in controverſiâ de S. Cœnâ conduxit. *Colloquium Lutheri cum Caroloſtadio.* Sicque ex ſcintillâ parvâ unicâ diſſidiorum, ingens in Eccleſiâ ortus eſt ignis.

24. Aug. A. 1524. *Orlamundam Lutherus* venit, ubi cum Auditoribus ejus de Idolorum abrogatione diſputavit.

Argentoratum & Baſileam venit. Paulò poſt *Thuringiæ* finibus, Electoris *Saxoniæ* juſſu, inſtigante *Luthero*, excedere juſſus, *Argentoratum* & indè *Baſileam* petiit. *Literæ Caroloſtadii ad Orlamundanos.* Scripſit autem *Orlamundanis* literas, quæ publicè ad populum ſigno campanæ convocatum non ſine lachrymis lectæ ſunt, quarum ſubſcriptio fuit: ***Andreas Bodenſtein*** **unverhöret und unüberwunden durch** ***Mart. Lutherum*** **vertrieben.** *Baſileæ* verò de *S. Domini Cœna* quosdam à ſe conſcriptos *libellos edidit.*

Vitæ periculum Rotenburg. A. 1525. Ortâ ſeditione Ruſticorum, *Rotenburgi* conſedit, & cum, ſeditione oppreſsâ, multi etiam Miniſtri ad ſupplicia raperentur, in ſportâ de muro *Rotenb.* demiſſus, elapſus eſt. *Crimine ſeditionis ſe purgat.* Tum libello edito ſeditionis crimen à ſe amovit, *Lutherumq;* rogavit, ut libellum illum edendum curet, qui, etſi à ſe vehementer diſſidere ſciebat *Caroloſtadium*, memor tum hominis officii Chriſtiani, Magiſtratum, ut hoc concedatur, rogavit.

Ope Lutheri in Saxoniam redit. A. 1526. verò cum, *Lutheri* ope, reditum in *Saxoniam* impetrâſſet, circa *Wittenbergam* ruri aliquantiſper privatus vixit *Chembergi* & *Segrenæ*, ubi, teſte *Luthero*, filium baptizari fecit, cujus compatres fuerunt *Jonas*, *Philippus* & *Ketha Lutheri*.

Eccleſiaſtes Tigurinus. Circa A. C. 1530. *Tigurum* commigravit, ubi à *Zwinglio* Diaconus Eccleſiæ factus eſt.

Baſileæ docet. A. 1531. Poſt *Zwinglii* obitum *Baſiléam* profectus eſt, ubi annos 10. in Templo Petrino & Scholâ Sacras literas docuit.

Moritur. Ibidem vivendi finem fecit peſte ſublatus 24. Dec. A. 1543.

Figmentum de viro grandi & atro cane falſum. *Petrus Boquinus*, Theol. *Heidelberg.* qui, tum *Baſileæ* degens, funus ipſius proſecutus eſt, de figmento illo notiſſimo viri grandis & atri canis, tunc ne verbulum quidem auditum fuiſſe ſcripſit.

Complura evulgavit, præſertim Germanicè, opuſcula ſcil.

Scripta. De *Utraque ſpecie Cœnæ*, & quid Symbola ſacra operentur, & ſignificent, & non eſſe *Boëmos* hæreticos, ſed Evangelicos

licos

licos Chriſtianos, qui Sacramentum integrum accipiunt.

De iis, qui Sacrâ Cœnâ utuntur, De Symbolis & promiſſis illis additâ.

De abuſu panis & calicis domini minimè Chriſtiano tractatu.

De Aquâ benedictâ & Sale.

De Efficacia Indulgentiarum.

De Diſcrimine librorum biblicorum ſive Canonicorum, & non biblicorum ſive Apocryphorum.

De Pontifice Romano.

Sermonem de ſtatu animæ Chriſtianæ, Abrahæ ſinu, & purgatorio.

De Cœlibatu, Monachatu & Viduitate.

De varietate ſimplicis unicæ voluntatis Dei.

Quid ſit peccatum?

Item: Utrum lentè procedendum & offendiculo infirmiorum parcendum in cauſis ad Dei gloriam pertinentibus.

Explicationem verborum ex cap. X. prior. ad Corinth. Panis, quem frangimus, an non eſt Communio Corporis Chriſti?

Tractatus minores varios.

* *Ex Melch. Adam. de Vit. Germ. Theolog.*

ANTONIUS de GUEVARA.

Obiit A.C. 1544.

ORdinis Minorum *S. Franciſci* frater, ex illuſtri familiâ ortus patriam habuit *Alavam*, Terram in Regno *Hiſpanico*. Ob doctrinæ famam prudentiæ conjunctam ab Imp. *Carolo V.* Concionatoris aulici, Hiſtorici, & Conſiliarii muneribus ornatus, ab eodem ad Epiſcopatum *Mendunenſem*, mediante Summi Pontificis confirmatione promotus, peregrinationis ſuæ curſum feliciter abſolvit, denatus in Urbe primariâ Regni Caſtiliæ *Vallidoleti* 10. April. A.C. 1544. Sepultus in Templo *S. Franciſci* cum hoc Epitaphio, quod ſibi ipſe ſcripſit:

Monachus S. Franciſci. *Imp. Caroli V. Concionator, Hiſtoricus & Conſiliarius.* *Obiit Vallidoleti.*

* *Hæc tantum ultima verba ſunt Guevaræ.*

Epitaphium.

ANTONIUS DE GUEVARA
OBIIT ANNO M D XLIV. X. APRIL.
IPSO COENÆ DOMINI DIE
SEPULTUS IN D. FRANCISCI.
CAROLO V. HISP. REGE IMPERATORE, ILLUSTRIS DOMINUS D. FRATER ANTONIUS DE GUEVARA, FIDE CHRISTIANUS, NATIONE HISPANUS, PATRIA ALAVENSIS, GENERE DE GUEVARA, RELIGIONE S. FRANCISCI HABITU HUJUS CONVENTUS, PROFESSIONE THEOLOGUS, OFFICIO PRÆDICATOR ET CHRONISTA CÆSARI, DIGNITATE EPISCOPUS MENDUNENSIS FECIT ANNO DOMINI M D XLII. POSUI FINEM CURIS, SPES ET FORTUNA VALETE. ORATE DEUM PRO ANIMA HUJUS DIGNISS. EPISCOPI.

Scripſit & edidit

Scripta.

Un Volume de Lettere.

Diſpreggio della Corte, & lode della Villa.

Aviſo de Favoriti, & dottrina de Cortigiani.

L' Orologio de Prencipi.

Oratorio de Religioſi, & eſſercizio de Virtuoſi.

Exegemata in Habacuc.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Hic in *lib.* 3. *cap.* 22. *de vitâ M. Aurelii Imp.* ita ſcripſit: LII. quos vixi, annis, omnia hujus vitæ vitia delibare volui, tantùm ut periculum facerem, an quicquam humanæ ſatisfaceret improbitati, ſed omnibus perſpectis, tentatis, exploratis, cognovi, me, quò plus comedo, eò magis fame enecari; quò plus bibo, eò magis ſitire; quò magis recreor, eò magis frangi; quò plus dormio, eò magis eſſe ſomnolentum; quantò plura habeo, tantò plura petere; quò plus cupio, eò magis torqueri; quò plus affecto, eò minus aſſequi, denique nunquam me deſiderio alicujus rei flagrâſſe, quin eam adeptus & ſatietate captus, & mox alterius cupiditate incenſus ſim.

* * *

Antonius Guevara Ordinis Minorum, & *Mindonienſis* Epiſcopus linguâ patriâ diſertiſſimus, ut *Caroli V.* Eccleſiaſtes atque Hiſtoricus ſit delectus. Inclaruit A.C. 1540. ſolemni Sacello â ſe condito in ſuâ Cathedrali Eccleſiâ ſepultus. Scripſit vernaculo Sermone, in quo affectâſſe nimium ſchemata viſus, pompâ quâdam tumens, & antithetis putidè nimium iteratis lectorem enecat: Reliquit Religioſis viris utilia:

Calvariæ montem, ſeu de Chriſti cruciatibus Meditationes.

Oratorium item Religioſorum.

Nam duo alia ejuſdem Opuſcula circumferuntur: altero *vitam Aulicorum contemnendam* docet: altero *ruralem vitam Curiali antefert. Principum* verò *Horologium*, ſeu *de vitâ M. Aurelii Imp. & Fauſtinæ conjugis* conficta ſunt, non ex Hiſtoriis petita.

* *Ex Tomo II. Bibliothecæ Hiſp. variorum Authorum.*

JACOBUS LATOMUS.

Obiit A.C. 1544.

IN oppido *Hannoniæ Belgii* Provinciæ, *Cambray* vocato, mundum ingreſſus, cum Græcæ & Hebraicæ Linguæ cognitioni exactæ Theologiæ ſtudium junxiſſet, Canonicus ad *S. Petrum Lovanii*, & in Academiâ Profeſſor Theologiæ factus eſt. Hoſtis *Lutheri* capitalis, ſcriptis eum acriter perſecutus per omnem vitam, obiit *Lovanii* 29. Maji A.C. 1544. Sepultus ad S.Petrum cum hâc Inſcriptione:

Canonicus & Theologiæ Profeſſor Lovanii Hoſtis Lutheri. Obiit.

Epitaphium.

VENERABILIS VIR D. ET MAGISTER JACOBUS LATOMUS HUJUS ECCLESIÆ S. PETRI CANONICUS, ET S. THEOLOGIÆ PROFESSOR CLARIS. QUI HÆRESES CONTRA CATHOL. FIDEM SUO TEMPORE GRASSANTES DOCTRINA ET LIBRIS EDITIS PROFLIGAVIT, VIR SANE MULTÆ ERUDITIONIS, PIETATIS ET MODESTIÆ H. S. E.

P 3 OBIIT

Digitized by Google

Obiit Anno Domini M D XLIV.
Maji XXIX.
R. I. S. P.

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta.

De trium linguarum & ſtudii Theologici ratione Dialogi duo.
Apologia eorum.
De primatu Pontificis adverſùs Lutherum.
De Eccleſiâ.
De variis articulis in Eccleſiâ controverſis.
De Confeſſione ſecretâ.
De Legis humanæ obligandi ratione.
De Fide, & operibus.
De Monachorum Inſtitutis, Votis & Obligationibus.
De Matrimonio.
Diſputatio quodlibetica tribus quæſtionibus abſoluta.
De Oratione pro defunctis.
De interceſſione Sanctorum.
De Cultu Imaginum.
De Ciborum delectu & Jejunio.
Reſponſio ad Lutheri libellum de Articulis à Theologis Lovanienſibus damnatis.
Reſponſio ad Helleborum Johannis Oecolampadii.
Confutatio adverſùs Guilielmum Tindallum.
Adverſùs librum Deſiderii Eraſmi Roterodami de ſarciendâ Eccleſiæ Concordiâ.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

M. Wolff. Krügerus in Catalogo ſuo Germ. mille viror. illuſtrium p. 92. ita de eo ſcribit: *Lovanii Jac. Latomus* in lecto lethali decumbens, Magiſtris ad ſe vocatis, dixit, ſeſe malitioſè in Spiritum Sanctum peccâſſe, eò quod puram Evangelii doctrinam impugnârit, & cauſa fuerit, quod multi Chriſtiani innocentes necati fuerint, ideòque in æternum eſſe damnatum. Cum verò Magiſtri adſtantes conſolari vellent eum miſericordiâ Dei, diſcedere eos juſſit, dicens: Fruſtra laboratis me conſolari, certò enim ſcio, me eſſe damnatum, poſt quæ verba vitam ſtatim cum morte commutavit.

Hæc eadem refert *Joh. Mich. Dilberrus* Theol. *Norimberg.* in libello ſuo Germanico: Weeg zu der Seeligkeit *part. I. cap. XI.*

* * *

Alius Latomus. Fuit & alius *Jacobus Latomus*, hujus ex fratre nepos, qui Canonicus fuit *Lovanii* ad *D. Petri*, & Poëta elegans. Hic vixit ad decrepitam uſque ætatem perpetuò hilaris, obiitque A. C. 1596. in eadem æde conditus ad Patrui ſui tumulum, ubi verſus iſti in utriusque Effigiem leguntur:

Lector, in hâc geminos miraris imagine vultus,
Miraris Latomum cumque minore ſenem?
Hic primus fidei ſubjecit terga ruenti,
Convellens fraudes, dire Luthere, tuas.
Alter ab ingenio ſtudiorum leta ſecutus
Contulit in faciles plurima ſacra modos.

Ejus Scripta. *Hic Latomus Pſalmorum III. Libros integros, Threnos Jeremiæ, & Cantica Canticorum Elegiaco Carmine feliciter reddidit*, adjunctis in fine quibusdam *Carminibus ad Amicos.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

GEORGIUS SPALATINUS.

Obiit A.C. 1545.

Noribergæ natus eſt A. 1482. Jactis hic fundamentis, ab initio diverſa videtur ſtudiorum genera amplexus, nam

A Secretis Electori Saxoniæ. Primùm *Friderico III.* Electori *Saxoniæ* à Secretis fuit, nec in parvâ apud Principem fuiſſe gratiâ, exindè conſtat, quod *Leo X.* Pontifex, cum *Lutheri* doctrinam ſtatim in ipsâ herbâ opprimere conaretur, *Spalatinum* hunc literis compellârit, de negotio apud Electorem urgendo, & maturè conficiendo. *Pontifex ad eum ſcribit.*

Theologiæ ſtudium amplectitur. Cum deindè Theologiæ ſtudium amplexus eſſet, uſus eſt eo *Saxoniæ Elector* Concionatore Aulico, habuitque in Comitatu ſuo A. 1521. in Comitiis *Wormatiæ* celebratis.

Ad Comitia venit Auguſtana. A. 1530. *Auguſtam* ad Comitia venit, cum Confeſſio à *Melanchthone* ſcripta Imp. *Carolo V.* exhiberetur.

Interea cum aliquoties de deferendo officio ſuo cogitâſſet, *Luthero* hortante perſtitit in eo ad vitæ usque exitum.

Moritur. Extinctus eſt autem mœrore animi, nemini cognito, unde eum conceperit, 16. Januarii A. 1545. æt. 63.

Extant ad ipſum 600. Lutheri Epiſtolæ.

Scripſit

Scripta.

Chronicon Saxoniæ.

Germanicè vertit *libellum Eraſmi de inſtitutione Principis*, quem *Carolo V.* dedicavit.

* *Ex Melch. Adam. de vitis German. Theol.*

MARTINUS LUTHERUS.

Obiit A.C. 1546.

Natus eſt *Islebiæ* 10. Nov. die Martino ſacro. Patre *Johanne Luthero*, qui *Islebiâ* in oppidum *Mansfeldiam* cùm migrâſſet, fodinas metallicas poſſedit, Magiſtratumque geſſit: Matre verò *Margaretha Lindemannâ*, ex honeſtâ & veteri familia natâ. *Parentes.*

Poſtquam autem per ætatem doctrinæ capax fuit, parentes *Martinum* ad agnitionem & timorem Dei domeſticâ inſtitutione diligenter adſueverunt, & ut fundamenta literarum diſceret, curârunt.

Magdeburgum mittitur Luth. Cùm vero annum ingreſſus eſſet 14. unà cum *Joh. Reineckio Magdeburgum*, ubi mendicato vivere pane coactus, miſſus eſt.

Dein Iſenacum. A. 1498. *Iſenacum* abiens, celeberrimum tunc ludum literarium, Grammaticum quadriennio abſolvit ſtudium, in ſcribendaque ſolutâ oratione, in verſibus, cœteros, qui unà diſcebant, adoleſcentes, facilè vicit.

Et Erfordiam. A. 1501. *Erphordiam* veniens, Dialecticam didicit: Ibidem A. 1503. ætatis anno 20. Magiſterii Philoſophici gradu ornatus, docuit *Magiſter Philoſophiæ*

docuit *Ariſtotelis* Phyſicam & Ethicam, Juriſque inchoavit ſtudium.

Sequenti 1504. Anno, non paupertate, ſed pietatis inductus ſtudio, præter parentum & propinquorum opinionem, fulmine, ut volunt, & commilitonis in viâ violentâ morte territus, *Erphordiæ Auguſtinianorum* Monaſterium ingreſſus eſt, cum prius commilitonibus literis valedixiſſet, parentibusque conſilii ſui rationem literis declarâſſet, ubi durius initio à Fratribus fuit habitus, dum cuſtodis officio fungi, loca immunda purgare, & cum ſacco per civitatem ambulare coactus eſt, ſed ad Academiæ, cujus tunc membrum erat, interceſſionem, ſublevatus iſtis fuit.

Monachus Auguſtinianus.

Durius tractatur.

Cum aliquando verò in Collegii hujus bibliothecâ ordine libros evolveret, incidit in exemplar *Latinorum Bibliorum*, ubi cum admiratione animadvertit, longè eſſe plures textus in Bibliis Evangelicos, & Epiſtolicos, quàm qui in Templis populo prælegantur, optare ſtatim cœpit, ut olim talem librum & ipſe nanciſci poſſet, fontem itaq; cœleſtis doctrinæ & ipſe legit ſedulò, ut mentem ſuam de Dei voluntate erudiret, firmiſque teſtimoniis timorem aleret & fidem.

Biblia legit primò.

In eodem quoque collegio *Lutherus* fertur adoleſcens in graviſſimum incidiſſe morbum, veniſſe verò ad eum ſenem quendam Sacerdotem, hæcce proferentem: *Mi Baccalaurie! habe bonum animum, neq; enim hic morbus tibi lethalis erit, ſed Deus eum te Virum faciet, qui alios multos iterum conſolabitur.*

Morbus Lutheri.

Legit verò etiam eodem in Monaſterio *Auguſtinum*, ubi in *Pſalmorum enarratione* & in libro de *Spiritu & literâ* multas reperit perſpicuas ſententias, quæ confirmabant de fidei Juſtificatione ſententiam, de quâ cum multorum legiſſet explicationes, paulatim conferenti dicta & exempla in Prophetis & Apoſtolis recitata, plus acceſſit lucis.

Auguſtinum legit.

A. 1507. Cucullam induit *Lutherus*, primamque celebravit Miſſam 2. Maji. Dominica Cantate, à quo tempore ad annum usque 1522. miſſificavit.

Cucullam induit.

A. 1508. ætatis 26. cum *Joh. Staupicius Wittebergenſis* Academiæ exordia adjuvaret, ingenium verò & eruditionem Lutheri nota haberet, *Wittebergam* traductus eſt *Martinus*, ubi Philoſophiam docuit *Ariſtotelicam* & concionatus eſt: Cumque eum attentè audirent viri ſapientes, *Martinus Mellerſtadius*, Lux Mundi vulgò cognominatus, ſæpè dixit: *tantam eſſe ingenii vim in hoc Viro, ut planè præſagiat, mutaturum eſſe vulgare doctrinæ genus; quod tunc in ſcholis tradebatur & regnabat.*

Wittebergam vocatur.

Ubi docet Philoſophiam.

A. 1510. Conventûs ſui nomine *Romam* miſſus eſt, ut controverſias quaſdam Monachorum curaret componendas, ubi Pontificem Pontificiſque aulam & Cleri Romani mores vidit perverſos.

Romam mittitur.

Româ reverſus An. 1512. 19. Octobr. ſumptûs præbente *Friderico* Electore, qui concionantis *Lutheri* vim Ingenii, & orationis nervos, admiratus fuit, Doctoris Theologi gradu ornatus eſt *Wittenbergæ* in templo arcis à *D. Andreâ Caroloſtadio*. Moxque ſcriptis, officii ratione, illuſtravit & enarravit *Epiſtolam ad Romanos*, deinde *Pſalmos*, ubi Legis & Evangelii monſtravit diſcrimen, refutavitque dogmata tunc frequentata: *Mereri homines remiſſionem peccatorum operibus*, & *homines coram Deo juſtos eſſe diſciplinâ.*

Doctor Theologiæ Wittteb.

Epiſtolam ad Romanos explicat & Pſalmos.

De Juſtificatione Luth. ſententia.

Græcæ inſuper & Hebrææ linguæ ſtudiis ſe dedere cœpit, ut cognitâ ſermonis proprietate, & hauſtâ ex fontibus doctrinâ, dexteriùs judicare poſſet.

Græcæ ſtudet & Hebraicæ.

Cùm verò A. 1516. *Joh. Tecelius*, Monachus Dominicanus in Saxoniâ, (quem Cæſar *Maximilianus* aliquando *Oeniponti* capitis damnatû juſſit in flumen præcipitari, ſed ad preces *Friderici* Ducis *Saxoniæ*, tunc ibi præſentis, evaſit periculum,) Indulgentias circumferret venales, quibus non modò commiſſa, ſed etiam futura condonabat peccata, adhæc & facultatem diebus prohibitis, lacte, caſeo, ovis, carne veſcendi precio vendebat, interque alia docebat: *Tantam ſe à Pontifice habere poteſtatem, ut etiamſi quis Virginem matrem vitiâſſet, condonare crimen ipſi poſſet interventu pecuniæ*; Irritatus perverſis hiſce concionibus *Lutherus*, ſtudio pietatis ardens, 95. contra Indulgentias hasce edidit propoſitiones, publicèque has templo Arci *Wittebergenſi* contiguo affixit, pridiè omnium Sanctorum A. 1517.

Tecelii Indulgentiæ venales.

In futura etiam peccata.

His Lutherus irritatur.

Theſibus Indulgentias has oppugnat.

Tecelius contrà in Concionibus ubique publicè clamans, Hæreticum hunc igne perdendum eſſe: Propoſitiones etiam *Lutheri*, & Concionem de Indulgentiis publicè conjecit in flammas, qui furores *Tecelii* & ejus ſatellitum neceſſitatem *Luthero* impoſuêre, de rebus iiſdem copioſius diſſerendi, & tuendæ veritatis.

Quas Tecelius in flammas conjicit.

Hæcque initia fuerunt controverſiæ inter Proteſtantes & Pontificios, in quâ *Lutherus* nihil adhuc ſuſpicans, aut de futurâ ſomnians mutatione, ne quidem Indulgentias abjiciebat ipſas, ſed moderationem tantùm flagitabat.

Lutherus non cogitat de mutatione.

Cum verò *Tecelius* veritatis, (ut ipſe dicebat,) ergò, theſes alias *Luth.* contrarias *Francofurti* ad *Viadrum* oppoſuiſſet, *Wittebergam* has allatas ſtudioſi in foro combuſſerunt.

Theſes Luthero contrariæ.

Quæ Wittebergæ exuruntur.

A. 1518. Propoſitionum ſuarum de Indulgentiis reſolutiones & declarationes edidit, quas Pontifici *Leoni X.* dedicavit, has *Johannes Eccius* primò, *Sylveſter Prierias, Dominicanus*, dein; *Jacobus Hogoſtratus* iditem *Dominicanus* oppugnavit. *Maximilianus* verò Imperator, de diſputationum talium Eventu ſollicitus, Pontificem monuit, ſuam ut interponat auctoritatem, Pontifex itaque per *Thomam Cajetanum* Card. *Lutherum Romam* evocavit, resque eò tandem devenit, ut coram Legato dicto *Auguſtæ Lutherus* cauſam diceret, quod etiam A. 1518. factum dictumque à *Luthero*, ſiquid alienum

Propoſitiones Lutheri impugnant varii.

Romam hac de cauſâ vocatur.

Auguſtæ verò ſe ſtrenuè defendit.

alienum à *Romanâ* Eccleſiâ dixerit, nolle ſe id ratum habere, errorem autem, cujus nullius ex ſcripturâ convictus ſit, revocare non poſſe, ac Judicium Eccleſiæ permittere.

Elect. Sax. à Card. Cajetano de Luthero adhortatus fruſtrà.

Poſt abitum *Lutheri Cajetanus* Electorem *Saxoniæ* monuit, *Lutherum* aut *Romam* mittat, aut finibus ſuis ejiciat, cui Elector reſpondit, id ſibi integrum non eſſe, cum *Lutherus* nullius convictus erroris Academiæ utilem navet operam.

Diſcedere Luth. petit.

Eodem inſuper Anno, ne Principem *Lutherus* in ſuſpicionem duceret, 29. Nov. per literas Principi valedixit, quam Epiſtolam Princeps Elector *Saxoniæ*, Legato Pontificis miſit, *Lutherum* autem *Wittebergæ* manere juſſit.

Miltitius mittitur à P. M. ad Electorem Saxoniæ.

Sub finem ejusdem verò anni miſit Pontifex in *Germaniam Carolum Miltitium*, Equitem & Cubicularium, *qui Fridericum Saxoniæ* Ducem roſâ aureâ, Dominicâ Quadrageſimâ conſecrari ſolitâ, donavit, ut in fide Majorum ſuorum perſeveraret, hortatus, & *Lutherum* ſibi traderet *Romam* ducendum.

Qui Tecelium minis frangit.

Vocavit inſuper *Miltitius Tecelium*, quem verbis minisque ita fregit, ut indè contabeſcens vitam reliquerit.

Bohemi Lutherum hortantur.

Eodem ferè tempore *Bohemi Lutherum*, miſſis literis & libello quodam *Huſſi*, ad conſtantiam & patientiam hortati ſunt.

Diſputatio Lipſiaca.

Seq. 1519. anno *Lipſiæ* diſputatio fuit inſtituta, quam cum *Caroloſtadio* & *Melanchthone*, ſub fide *Caroloſtadio* data, adiit *Lutherus*, cum *Joh. Eccio, an Papa caput ſit Eccleſiæ?* diſputavit; miſit inſuper ad Pontificem, *Miltitii monitu*, librum *de Libertate Chriſtianâ*, paciſque obtulit conditiones, quo etiam tempore edidit *libellum de ratione confitendi peccata.*

Literæ ad Imp. Proceres.

A. 1520. Literas ad *Carolum V.* nuper creatum Cæſarem, & omnes ferè Imperii Romani Proceres, ſcripſit, quibus ſupplex rogavit, ut tantiſper ſe defendant, dum redditâ ratione, aut vicerit, aut victus fuerit.

Lutherus verò intereà, cum per literas à *Friderico Eccius* rurſus petiiſſet, ut *Lutherum* cogat revocare, vel, ſi hoc recuſet, cuſtodiæ mandet, de angulo aliquo, in quo ſe abdere poſſet, cogitare cepit, ubi ſequentes doctrinâ jam *Lutheri* imbuti nobiles *Franciſcus à Sickingen*, *Huldericus Huttenus*, *Sylveſter de Schauenburg* patrocinium ipſi obtulerunt.

Nobiles patrocinium Luthero offerunt.

De Captivitate Babylonica liber.

Undè animoſior factus *Lutherus*, ſcripſit *de captivitate Babylonicâ librum*, & *adverſus execrabilem Antichriſti bullam.*

Cum verò *Coloniæ Martinus Caracciolus* & *Hieronymus Aleander*, (*Friderico* ſcil. ad literas horum non ex voto reſpondente,) *Martini* lucubrationes exuſſiſſent, *Lutherus Witteberge* die 10. Dec. convocatâ multitudine Scholaſticâ, Jus Pontificium & Bullam *Leonis*, cum quibusdam *Eccii* ſcriptis, in rogum, à Magiſtro quodam accenſum, conjecit.

Lutheri lucubrationes exuruntur. Jus Pontificium & Bulla à Luthero in flammas conjicitur.

A. 1521. *Wittebergâ Lutherus Wormatiam* ad Comitia diſceſſit, datâ fide publicâ, deductus à Cæſaris *Caroli V.* Caduceatore *Caſparo Sturmio*, comitatus *Juſto Jonâ*, *Hieron. Schurfio* & *Nicolao Ambsdorfio* J. Conſult. *Heidelbergam* verò ingreſſum cum multi, ne *Wormatiam* iret, dehortarentur, & alibi exuſtione librorum ipſius jam damnatum Pontificiorum calculo dicerent, alii exemplum *Huſſi* & *Savonarolæ* proponerent, in hæc prorupit: *Si ſcirem*, inquit, *tot Wormatiæ eſſe diabolos, quot tegulæ in tectis, tamen eſſem ingreſſurus.*

Wormatiam diſcedit Luth. ad Comitia. Heidelbergæ multi eum ab itinere dehortantur. Lutheri animus imperterritus.

Ingreſſo itaque 16. Apr. *Wormatiam Luthero*, ferunt, Ducis *Bavariæ* hiſtrionem aulicum, obviam cum cruce, ut in funeribus, veniſſe, altaque ceciniſſe voce: *Adveniſti deſiderabilis, quem expectabamus in tenebris.*

Egregium hiſtrionis dictum.

Cum verò ſtatim Cæſari quidam eſſent auctores, perinde cum *Luthero* ac cum *Huſſo* agendum, Cæſar fidem datam ſervandam cenſuit, & inprimis *Ludovicus* Elector Palatinus, id ut ne fieret, reſtitit, cordatè dicens, id ſi fieret, ad labem Germanici nominis & dedecus pertinere ſempiternum.

Cæſar contra quorundam conſilia fidem ſervat.

17. verò Aprilis, coràm Imperatore, Principibus & *Joh. Eccio*, libros hactenus pro ſuis agnovit, an propugnationem tamen in ſe ſuſciperet vellet, unum ad deliberandum impetravit diem, quo ſtrenuè non ſuam, ſed Divinam in ſcriptis ſuis oſtenſam doctrinam defendit: hâc additâ concluſione: Hie ſtehe ich/ ich kan nicht anderſt / GOtt helff mir/ Amen.

Lutherus coram Imperat. & Princip. egregiè ſe defendit.

Tertia pòſt die cum *Lutherus à Trevirenſi* Præſule, ut de propoſito deſiſteret, quidve hoc in caſu remedii ſciret, diceret, admonitus eſſet, reſpondit: *Gamalielis ego ſcio conſilium: Si ex hominibus conſilium aut opus hoc eſt, diſſolvetur, ſin ex Deo, diſſolvere non poteritis.*

Egregium Lutheri dictum.

26. April. *Wormatiâ Lutherus* diſceſſit, cumque 8. Maji à Cæſare proſcriptus, & præced. 28. Mart. à Pontifice iteratò excommunicatus fuiſſet, *Fridericus* Elector, vitandi periculi causâ, illum in viâ per Nobiles ſibi quosdam fidos intercipi curavit, qui *Lutherum* in ſylvâ quadam cum impetu, quo vehebatur, è curru ſurripientes, in arcem *Wartenburgum*, quam ipſe poſtea Pathmum nominavit, prope *Iſenacum* occultè deduxerunt, in quâ 10. menſes humaniter tractatus, ſcripſit *Evangeliorum & Epiſtolarum enarrationes*, & contra *Latomum de peccato in renatis reliquo* tractatum, *Epiſtolas* item varias.

Diſcedit Lutherus. Et iteratò excommunicatur.

In Pathmum deducitur. Ubi 10. menſes moratur.

Magos, ferunt, paſſim à Pontificiis conſultos tunc de loco, in quo latitaret *Lutherus*: verùm nihil hîc illos certi potuiſſe indicare. Laboravit in ocio hoc ſuo *Lutherus* tantâ alvi duritie, ut vix quinto die exonerare eam potuerit.

A. 1522. 6. Martii, inſcio Electore, *Wittebergam* ex eremo ſuâ reverſus, cum *Caroloſtadio*, ob mutationes quasdam, ſe abſente, factas diſceptavit, non quod impiè, ſed quod ſine ordine, ſolo ſcilicet verbo, non violentâ abrogatione, facienda omnia, præſtiterit.

Wittebergam redit. Lutheri cum Caroloſtadio diſſenſio.

Prodiit hoc anno primò *N. Teſt.* à *Luthero* Germ. in eremo redditum. *Epiſtola*, quâ *Boëmos*

N. Teſt. primò prodit.

Boëmos ad conſtantiam hortatur: liber adverſus falsò nominatum ordinem Epiſcoporum, & de Officio Magiſtratûs Politici; evulgavit item tunc *Pentateuch*: *Germ. De inſtituendis Eccleſiæ miniſtris. De Doctrinis hominum vitandis.*

Pugnavit item hoc tempore cum Anabapt. anteſignanis *Nicol. Storck*, *Thomâ Müncero* & aliis. 7. April. A. 1523. *Leonhardus Köppen*, civis *Torgenſis*, novem moniales genere nobiles, ex monaſterio *Nimptſchen* extractas, *Wittebergam* adduxit, inter quas fuit *Catharina à Boren*, nupta poſtea *Luthero* 13. Jun. A. 1525.

Quæ Moniales Witteberg. ducuntur.

Primo verò Julii A. 1523. Cum *Bruxellis* duo Monachi *Auguſtiniani*, *Johannes* & *Henricus*, exuſti eſſent, qui primi pro doctrinâ repurgatâ ſanguinem fuderunt, *Lutherus* eorum conſtantiam Cantico Germ. cujus initium: Ein neues Lied wir heben an/ &c. celebravit, & ut primos ſui temporis martyres canonizavit; Hi verò ad palum ducti, clarâ voce, ſe eſſe Chriſtianos, & mori velle dixerunt, alligati palo Symbolum fidei & Te Deum laudamus usque ad extremum ſpiritum cecinerunt.

Martyres hoc tempore primi.

9. Octobr. 1524. famoſi ſcil. ob infauſtum illud *bellum Sacramentarium*, Cucullum *Lutherus* depoſuit monaſticum, & A. 1525. ob bellum Ruſticorum memorabili, in Eccleſiam reduxit Ordinem Miniſtrorum Evangelii, cumque primus ordinandus eſſet *Georgius Rorarius*, primùm etiam *linguâ Germanicâ celebrata eſt Miſſa Wittebergæ*, prodiit etiam *Cantionum Germanicarum libellus à Luthero* & aliis compoſitus.

Cucullum Lutherus deponit.

Miſſa Germanicè celebrata.

Ejusdem hujus anni 13. Junii, invitatis ad Cœnam *Pomerano*, *Apello* J. Cto & *Luca* pictore, cum *Catharinâ à Borâ* Virgine nobili, antea, (ut dictum,) moniali, ſponſalia celebravit, nuptias verò 27. Jun. ſeq. quæ mortua eſt A. 1552.

Nuptias Lutherus celebrat.

Contra hoc matrimonium, (de quo varia tunc variorum judicia,) *Conradus Collinus*, Prior *Colonienſis*, librum edidit peculiarem, cui titulus, *Everſio Lutheri Epithalamii.*

Cum, circa hoc tempus *Guilielmus Neſenus*, Vir doctus, in Albi fluvio *Wittebergæ* periiſſet, & corpus ipſius extractum in littore jaceret, *Lutherus* adſtans, in cœlum cum lachrymis ſuſpiciens, dixit: *O Neſene, ſi mihi datum eſſet donum miraculoſum mortuos excitandi, ſi ullum unquam excitaſſem, te nunc excitarem.*

Super obitum Neſeni Lutheri ſuſpiria.

Ex ſanguine circa præcordia coagulato A. 1527. ſubita *Lutherum* invaſit ægritudo, unde vix & ne vix quidem ſalvus evaſerat, cum *Leonhardi Cæſaris*, amici ſui, ob Evangelium exuſti hiſtoriam edidiſſet, viſitationemque inſtituiſſet Eccleſiarum.

Subita Lutheri ægritudo.

A. 1529. *Catechismum* edidit *majorem*, &, in gratiam rudiorum, *minorem*, item libellum *de bello contra Turcam*; cumque hoc tempore Conventus eſſet de Religionis negotio, Proteſtantium ibi nomen primò ortum eſt.

Catechiſmus major & minor.

Proteſtantium nomen primò unde?

Ejusdem adhuc anni menſe Octobr. *Marpurgum* venit *Lutherus* ad Colloquium de Religionis diſſidio ab *Haſſiæ* Landgravio *Philippo* inſtitutum.

Colloquium Marpurgenſe.

A. 1530. *Summam Doctrinæ Chriſtianæ*, 17. articulis contentam ſcripſit, ex quibus *Confeſſionem* elaboravit *Auguſtanam* poſtea *Melanchthon*. 25. Junii, Cæſari & Principibus Imperii in Comitiis *Auguſt.* oblatam, & ab iisdem damnatam cum omnibus adhærentibus, *Coburgo* interea *Luthero* manente, & varias ad varios literas de controverſæ doctrinæ partibus ſcribente.

Confeſſio Auguſtana oblata.

Comitiis tandem ad finem perductis, cum bellum Proteſtantibus exſpectandum omninò eſſet, edidit *Lutherus* libellum, cui titulus: Warnung an ſeine liebe Teutſchen/ quo, ut & *Interpretatione edicti Cæſarei*, valdè *Lutherus* irritavit crabrones Pontificios: qui proindè libellum anonymum adverſus ipſum ediderunt, cui acriter reſpondit ſub titulo: Wider den Meuchler zu Dresden/ & à ſe crimina, quorum inſimulabatur, graviter removit, quod obedientiam Cæſari præſtandâ negaret, quod tuba ſit rebellionis ac ſeditionis, quod omnia, quæ de moliminibus Papæ ſcripſiſſet, ficta ſint & ementita.

A. 1533. Gravis *Luthero* quoque interceſſit controverſia cum *Georgio Sax. Duce*, (*Johanne* brevi antea demortuo) qui Juramento ſubditos ſuos obligârat, (doctrinam ſc. *Lutheri* cane pejus & angue jam olim oderat,) ne *Lutheri* amplecterentur doctrinam: quod tempus ipſe docendo, ſcribendo & commentando transegit. Siquidem A. 1534. *Biblia Germanica*, ab ipſo translata, lucem primò adſpexerunt, ſæpiusque hoc in labore cum *Melanchthone* 14. dies in interpretatione ſcil. unius voculæ aut lineolæ hæſit.

Controverſia Lutheri cum Georgio Duce Saxoniæ.

Biblia Germanica primò evulgata.

A. 1535. Cum *Petrus Paulus Vergerius* Legat. Pontif. *Lutherum Wittebergæ* conveniſſet, de Religionis negotio varia cum eo egit, quæ tamen *à Luthero* parvi æſtimata ſunt, qui explicare potius publicè cepit *Geneſin Moſis*, quem laborem unà cum vitâ, uti ominatus ſibi erat, exacto finiit decennio.

Sequenti A. 1536. *Formula* inter *Lutherum* & *Bucerum*, aliosque Eccleſiarum Doctores *Concordiæ*, de Cœna Domini à *Melanchthone* eſt conſcripta.

Formula Concordiæ.

A. 1537. Menſe Februario, in Conventum *Smalcaldiæ* unà cum *Melanchthone* vocatus eſt *Lutherus*, qui *articulos Chriſtianæ* ſcripſit *fidei*, à cœteris Theologis approbatos, in Concilio verò nomine conjuncto exhibendos. *Smalcaldicos* vulgò vocant hos *Articulos*, *Auguſtanæ* adjunctos Confeſſioni, ejus *Apologiæ* atque *Catechismis Lutheri.*

Conventus & Articuli Smalcaldici.

In Conventu hoc *Smalcaldiæ* degens, morbo correptus, in diem usque undecimum urinæ ſuppreſſione laboravit, & inde avectus, *Tambachii*, apertis urinæ meatibus, undecim excrevit calculos, undè opera *Georgii Sturciadis*, Medici *Erfordienſis*, convaluit. Ex conventu *Smalcaldico* diſcedens, hiſce valedixit verbis: *Deus impleat vos benedictione ſuâ & odio Papæ.*

Morbo corripitur Lutherus.

A. 1538. Factum *Luthero* eſt negotium

ab Antinomiorum ſecta, auctore potiſſimum *Johanne Agricolâ Islebio*, qui cum *Luthero* ante familiariter vixit, ſed tandem errorem agnovit, & ſcripto confeſſus eſt publico.

Prodierunt quoque hoc anno tria *Symbola Oecumenica* cum expoſitione *Lutheri*, ut & alia, de quibus tomi ipſius.

Sequenti 1539. anno prodit in lucem opus *Lutheri: De legitimè conceſſâ, & voluntati divinæ non contrariâ defenſione;* occaſione hac, quod incertus eſſet, an pacem apud Cæſarem obtinere poſſet.

Lutherus Melanchthonem inviſit. A. 1540. Cum *Melanchthon* in itinere verſus *Hagenoam* in ultimam & lethalem incidiſſet morbum, *Lutherus*, quâ die, quâ noctu, maximis ad eum profectus eſt itineribus, omneque decumbenti præſtitit officium, poſt multis adhuc editis ſcriptis.

Filiolæ Lutheri ante obitum ſomnium. A. 1542. Filiola *Lutheri, Magdalena*, ſummo cum patris obiit dolore, quæ paulò antè ſibi viſa eſt in ſomno deduci ad nuptias comitibus duobus adoleſcentulis formoſiſſimis.

Commentarii in Geneſin pars I. abſoluta. Recruduit *Sacramentarium* (ut vocatur) *bellum* A. 1543. quo varia rurſus hac de re ſcripſit *Lutherus*, A. verò 1544. *primam in Geneſin partem* abſolvit *commentariorum*, ubi duriuſculis in Sacramentarios, *Zwinglium* ſcil. *Oecolampadium &c.* invehitur; ut & *ultimam de S. Cœna confeſſionem*, item *librum contra Papatum à Diabolo inſtitutum*: Wider das Bapſtum vom Teuffel geſtifftet; *Explicationem inſuper dicti: Scrutamini ſcripturas &c.*

Witteberga diſcedit in patriam. A. 1546. verò A Comitibus *Mansfeldiæ* in patriam evocatus, diſſidii de hæreditate inter ipſos orti componendi causâ, 23. Jan. *Wittebergâ* diſceſſit, & *Halæ Saxonum in Juſti Jonæ* hoſpitio triduò ſubſtitit.

Islebii morbo corripitur. *Islebium* denique 29. Jan. ingreſſus, morbum ſenſit advenientem graviorem, veruntamen in templo publicè adhuc docuit aliquoties, duosque inſuper Miniſterio Sacro publicè initiavit. Inde verò pectoris dolorem cum dyspnæa augeri ſenſit ad diem usque 18. Febr. qui Concordiæ in faſtis adſcribitur, quo, cum ultima ipſius fuiſſent verba: *Ego hinc abeo, Spiritum meum jam reddam Deo*: Et rurſus: *Pater! in manus tuas commendo Spiritum meum, redemiſti me Deus veritatis*, tanquam dormiturus ex hac vita diſceſſit, Anno ætatis ſuæ clymacterico magno. Cumque *D. Jonas* ac *Cælius* adhuc inclamarent: *Reverende Pater! morieris ne per Chriſtum in confeſſione ejus doctrinæ, quam hactenus annunciaſti, conſtanter?* Reſpondit clarè: Ja! quæ vox poſtrema ejus fuit.

Lutheri ultima verba.

Et moritur

Islebii poſtero die exuviæ loculo ſtanneo impoſitæ funebri pompâ in templum delatæ ſunt, ubi concionem habuit *Juſtus Jonas;* Unde 22. Febr. *Wittebergam* delatum eſt corpus, & ſplendidè in templo arci contiguo propè ſuggeſtum tumulatum, *Pomerano* concionante, *Melanchthone* vero perorante.

In tabula quadam vicinâ, ſupra laminam æneam, in quâ effigies ejus viva, hæc leguntur Carmina:

Epitaphium.

Continet hic tumulus Martini membra Lutheri:
Noſſe ſat hoc fuerat: Sed tamen iſta lege.

Juxta effigiem hæc ſunt:

Hic propè Martini rurſus victura Lutheri
In parvo tumulo molliter oſſa cubant.
Quæ prius horrendis errorum preſſa tenebris,
Atque operum obſcurâ nube ſepulta fuit,
Hoc monſtrante iterum patefacta eſt gratia Chriſti;
Quæque Deo acceptos nos facit eſſe, fides.
Namq; ſuperſtitio cum regnum cœca teneret:
Et premeret longo dogmata vera ſitu:
Ille Dei afflatu monitus, verboq; vocatus,
Lucem Evangelii ſparſit in orbe novam.
Inſtructusq; tubâ Paulinæ & fulmine linguæ,
Exploſo, cepit vera docere, dolo.
Utq; agnum in mediâ Baptiſta oſtendit eremo,
Qui pia pro populi victima labe foret:
Sic quoq; monſtravit te, maxime Chriſte, Lutherus,
Cum totus tenebris obrutus orbis erat.
Et Legis tabulæ, quas in Sinaide Moſes
Alliſas fregit rupe, Propheta Dei;
Quid diſtent Evangelio: quod pectora ſanet;
Conſcia quæ culpæ terruit ira Dei.
Hoc prius amiſſum diſcrimen reddidit orbi;
Eſſent ut Chriſti munera nota magis.
Arguit Auſonii fraudes atq; impia regna
Pontificis, populo quæ nocuere Dei.
Pollutasq; monens vitare idola per aras,
Ad verum adduxit corda levata Deum.
Magnanimusq; Deo, curſum ſervante, peregit,
Inſidias contra multiplicesq; minas.
Tandem ex hac vitâ tranquilla morte vocatus,
Ardua propitio venit ad aſtra Deo.
Sentit ubi coram felicia gaudia Chriſto:
Veraq; poſt obitum prœmia vivus habet.
Grata Deo tanto ſit pro Doctore futura
Ætas; quæ Chriſti dogmata vera ſciet:
Atq; oret precibus, Deus hanc, quam præbuit orbi,
Lucem Evangelii ſervet ut ipſe ſui.

Deceſſit in patriâ ſuâ Isleben,
Anno à natali Chriſti M D XLVI.
Die Februarii XVIII.
Anno ætatis ſuæ LXIII.
Academia Witteberg. ut filia patri dilecto
F. C.

In Lapide:

MARTINI LUTHERI S. THEOLOGIÆ D. CORPUS H. L. S. E. QUI ANNO CHRISTI M D XLVI. XII. CAL. MARTII EISLEBII IN PATRIA S. M. O. C. V. ANNO LXIII. M. III. D. X.

Inſigne Lutheri. Additum autem eſt huic Epitaphio Inſigne *Lutheri*, quod eſt *Roſa*, & ejus in medio *Cor*, cui ineſt *aurea Crux*, de quo alibi hi verſus leguntur:

Ut Roſa jucundos floreſcit verna per hortos,
Vicinumq; ſuo complet odore nemus:
Haud ſecus ætherei venerabile dogma parentis,
Floruit è ſtudio, docte Luthere, tuo.

Nam

Nam prius abductum varia quod fraude latebat,
Lucidius per te venit in ora virûm.
Dulcius & latum complevit odoribus orbem,
Injuſtam verbo non patiente fidem.
Sicubi diſcuſſit nigrantia nubila Phœbus,
Spargitur è nitido gravius axe jubar.
Quid magis in clypeo decuit geſtare Lutherum?
Conveniens poterat quid magis eſſe Roſa?
Vos Heliconiades verum nunc edite Muſæ,
Quid Crucis in medio floris imago velit?
Illa crucem, verbi quæ concomitatur alumnos,
Dæmonis ac mundi retia ſæva, notat:
Invidiæ ſtimulos, vanæ convitia plebis,
Damnaq; non verſu commemoranda brevi.
Nam velut umbra ſuum comitatur ſedula corpus,
Proxima ſunt illi ſic mala quæque gregi.
Sæviat, ac totus certamina miſceat orbis,
Hæc roſa purpureo flore perennis erit.

Interpretatio

Roſæ inter ſpinas Cordis & Crucis:
Perfect in ſpinis florens, quo credula corda
A Cruce penderent, optime Chriſte, Tua.

Lutherus:

Der Chriſten Hertz auf Roſen geht/
Wanns mitten unter dem Creutze ſteht.

* *Ex Melch. Adam. de Vitis Germ. Theolog. & aliis.*

Geſta Lutheri verſibus comprehenſa. Cœterum Res Lutheri geſtæ ſeqq. comprehenſæ ſunt verſiculis:

I.

Annus nativitatis. 1483.
NatVs es IsLebII DIVIne propheta LV*there,*
ReLLIgIo ſVLget, te DVC*e, papa* IaC*et.*

II.

Annus, quo primùm *Magdeburgi* literis operam dedit. 1497.
MoX pVer AVſonIo nVtrIrI CapIt In antro,
HIC VbI VIrgIneos CIrCVIt ALbIs agros.

III.

Annus, quo *Iſenaci* ſtuduit. 1498.
ReCtIVs In ſtVDIIs IſenaCI pergIt honeſtIs
EXCItVs InsIgnI DeXterItate sCboLæ.

IV.

Annus, quo *Erfurtum* ſe contulit. 1502.
TransIt In ErſVrto VIVas HeLIConIs aD VnDas,
Vt noVa LeVCorea sVrgIt In Vrbe sCboLa.

V.

Annus Magiſterii. 1503.
ErſVrtI IVVenIs tItVLos CapIt Vrbe MagIſtrI,
LVſtra sVæ ætatIs qVattVor aCta CoLens.

VI.

Annus Monachatûs. 1504.
Vana sVperſtItIo CorpVs IVVenILe CVCVLLo
Ornat, ID ante tIbI fraVDI, age papa, ſVIt.

VII.

Annus, quo *Wittebergam* venit. 1508.
MIttItVr *ALbIorIn*, *ChrIſto aVXILIante* LV*therVs:*
QVantVs erat Vates? gLorIa qVanta sCboLæ?

VIII.

Annus Doctoratus & peregrinationis *Romam.* 1512.
StaVpItI eſt IVſsV tItVLos DoCtorIs aDeptVs,
Vt trVCIs ItaLICI VenIt ab Vrbe LVpI.

IX.

Annus inſtauratæ Religionis. 1517.
ReLLIgIonIs opVs Cœno eXtrahIs, aVspICe ChrIſto,
VeraX ô DeXtro nIXe LVthere Deo.

X.

Annus Confeſſionis coram *Cajetano Auguſtæ.* 1518.
AVgVſtâ ChrIſtVM proſItetVr In Vrbe LVtberVs,
Non CVrans VVLtVs, præsVL aCerbe, tVos.

XI.

Annus & Menſis Diſputationis *Lipſicæ* 1519.
ECCIV*s eſt* IVſtI VIC*t*V*s* VI*rt*V*te* LV*therI,*
DI*ſp*V*tat* V*t* IVLII, LI*psIa* I*n* V*rbe*, DI*e.*

XII.

Annus incendii juris Canonici. 1520.
IgnIbVs InfeſtIs DeCreta papIſtICa toLLens,
PontIſICI qVæ sIt pœna parata DoCet.

XIII.

Annus Confeſſionis in Comit. *Wormat.* 1521.
CæſarIs ante peDes, proCeres ſtetIt ante potentes,
ACCoLa qVa RhenI VangIo LItVs aDIt.

XIV.

Annus Pathmi. 1521.
A Rheno properans, CapItVr, bene ConsCIa pathMI
TeCta, Papæ ſVgIens retIa ſtrVCta, petIt.

XV.

Annus reditus ex Pathmo. 1522.
CarL*ſta*DII *ob ſVrIas aD SaXona teCta reCVrrIt,*
FaVCIbVs eX ſæVIs rVrsVs oVesqVe rapIt.

XVI.

Annus Matrimonii & ſeditionis Ruſticæ. 1525.
SeDItIo agrICoLæ ferro eſt reſtInCta potentI,
FœDera ConIVgII Caſta LVtberVs InIt.

XVII.

Annus Conventûs *Marpurgici.* 1529.
MarpVrgI *Cœnæ* ChrIſtI *ferIt aCrIter hoſtes:*
Stabat Vt à ſæVIs CInCta VIenna GetIs.

XVIII.

Annus Confeſſionis Auguſtæ exhibitæ *Carolo V.* Imperat. 1530.
AVgVſtæ ſtatIbVs ſIDeI propoſIta CVnCtIs
ConfeſſIo eſt: ChrIſtI gLorIa Læta reDIt.

XIX.

Annus morbi Lutheri in *Schmalcald.* 1537.

VIClnVs MortI, *ChrIſto reparante, resVrgIt,*

*H*IC V*b*I *prInC*I*pIb*V*s pa*C*ta ſtetêre p*II*s.*

XX.

Annus, Menſis, Dies, Hora & Locus obitus. 1546.

*Nona b*I*s ob*CV*ro* LVX *Febr*V*a Conſ*tI*t*I*t ort*V:

I*n patr*I*o*, V*t* Morer*I*s, CL*are* LV*thero, ſo*L*o.*

Epigramma ſeq. ipſi ſcripſit Amicus deſiratiſſimus *Melanchthon.*

Occidit omnigenâ venerandus laude Lutherus,
Qui Chriſtum docuit non dubitante fide:
Ereptum deflet vero hunc eccleſia luctu:
Cujus erat Doctor, veriùs imò pater.
Occidit Iſraël præſtans auriga Lutherus:
Quem mecum ſanus lugeat omnis homo.
Nunc luctumq; ſuum lacrymoſo carmine prodat:
Hoc etenim orbatos, flere, dolore decet.

Et Johannes Major:

Lutherus decimum confecit ſtrage Leonem:
De clavâ noli quærere; penna fuit.

Turbæ poſt Lutheri obitum. Quæ autem quantæve Reipublicæ in *Germaniâ* procellæ, poſt *Lutheri* obitum, obortæ ſint, proh dolor in vulgus notum eſt, de quibus *Lutherus* ſæpè dixit: *Se vivente, propitio Deo, bellum in Germaniâ non futurum, ſe autem mortuo, videret poſteritas.*

De Doctrinâ item Evangelii hoc edidit oraculum: *Hæc*, inquit, *perdent Chriſtianam Religionem: primùm oblivio beneficiorum ab Evangelio acceptorum, deindè ſecuritas, quæ jam paſſim & ubiq; regnat: poſtremò ſapientia Mundi, quæ vult omnia redigere in ordinem, & publicæ tranquillitati impiis conſiliis mederi.*

Vidua *Lutheri, Catharina de Bora*, cum tribus filiis, maximis cum difficultatibus & periculis circumerravit, multorum experta ingratitudinem. Tandem cum *Wittenbergæ*, lue graſſante, ipſius eſſet infecta domus, *Torgam* ſeſe recepit. Sed in itinere cum equi conſternati currum per avia raptarent, territa deſiliit, corpusq; humi graviter alliſit, & in aquæ lacunam lapſa morbum contraxit, quo poſt trimeſtre extincta eſt, exeunte Anno 1552. *Vidua Lutheri demortua.*

Lutheri autem ingenium acre fuit & ſagax, animusque ingens & excelſus, veritate agnitâ conſtans, à cujus Confeſſione nunquam nec minis nec pollicitationibus potuit dimoveri.

Tranſtulit hic magno & longo cum labore & ſtudio è fontibus ipſis in Germanicam linguam ſcripta *Prophetica* & *Apoſtolica* planè & perſpicuè, quorum ipſe primam editionem correxit.

Adjunxit inſuper ad hunc laborem multas eruditas *Enarrationes*, de quibus ſic *Eraſmus*: *In uno folio commentariorum Lutheri plus ſolidæ contineri Theologiæ, quàm in multis prolixis Scholaſticorum ſcriptis.*

Adverſarii Lutheri. Adverſarios *Lutherus* vivus habuit plurimos, potentiſſimos, vaferrimos, verbo: regnû Antichriſti univerſum, nec enim ſolùm palàm & bullis & ſcriptis eum oppugnârunt Pontifex, Epiſcopi, Academiæ, ſed etiam clam veneno, ſclopetis, atque aliis ſexcentis modis deletum ipſum iverunt.

Certè mendacia, ipſo vivo, ſparſa fuêre plurima, quæ in unum congeſta faſciculum alibi conſpiciuntur. Sed quanta hæc fuêre quanta etiam, nullo tamen unquam modo ullum *Luthero* afferre potuére damnum, quin potiùs gloria *Lutheri* longius latiusque fuerit propagata.

A. 1547. Menſe Majo, cum *Wittenberga Carolo V.* Victori ſe dedidiſſet, Hiſpani in templo arcis *Lutheri* Sepulchrum effodere voluére, cumque corporis effoſſionem & concremationem impensè urgerent, Imp. *Carolus* ſepulchro inſiſtens dixit: *Sinite eum quieſcere usque ad diem reſurrectionis & judicii omnium.* *Sepulchrum Lutheri effodere milites conantur.*

Vita *Lutheri* privata plena fuit exemplis virtutum ſpecioſis. Inter prandendum aut cœnandum non rarò conciones aliis dictavit, ſæpèque paginas à vitiis typographicis expurgavit.

Natura fuit, quod *Melanchthon* ſæpè miratum ſe narrat, in corpore non parvo nec imbecilli, valdè modici cibi & potus; viditque continuis quatuor diebus, cum quidem rectè valeret, prorſus nihil edentem ac bibentem: vidit ſæpè aliàs multis diebus, quotidiè exiguo pane & halece contentum eſſe. Sæpè ad Convivia invitatus non venit, ne tempus perderet. In congreſſibus familiaribus fuit ſuavis ac humanus, cum gravitate tamen decente. *Proſopographia Lutheri.*

De Precationibus ejus ardentiſſimis confirmat idem *Melanchthon*, ſæpè ſe interveniſſe, quando lachrymans preces pro totâ dixit Eccleſiâ.

Luſu delectatus eſt latrunculorum, à ſtudiis quando remitteret. Liberalitatem erga pauperes ſupra ferè modum exercuit: Cum enim ſtudioſus aliquando viaticum ab ipſo peteret, quod uxori ut daret, juſſit, illâ autem pœnuriam pecuniæ excuſante, ipſe poculum adſtans Scholaſtico dedit, ut aurifabro venderet, pretiûmque ſibi retineret. Ita cum quidam è fodinis metallicis ei dono miſiſſet 200. aureos, omnes in egenos literarum ſtudioſos diſtribuit.

Statura ipſi fuit juſta, corpus robuſtum, oculorum leonina vivacitas tanta, ut eorum intentionem rectà aſpiciendo non omnes ferre poſſent. Submiſſum quendam narrant, qui ſpecie privati colloquii domi è cubiculo evocatum ſclopeto transverberaret, eum à *Luthero* humaniſſimè exceptum, acie oculorum ejus territum obſtupuiſſe, nec quicquam prius habuiſſe, quàm ut fugâ ſibi conſuleret.

Vocem habuit lenem, nec adeò claram: unde cum aliquando mentio fieret Paulinæ vocis, quæ non adeò fuiſſet plena, dixit: *Et ego depreſsâ utor voce*; cui *Melanchthon* ſubjecit, *ſed exilis iſta vox valdè latè auditur & procul.* Rythmis delectatus fertur ſeqq. vernaculis:

Sil

Iß/ was gar iſt/
Trinck/ was klar iſt/
Rede/ was wahr iſt.

Item:

Weiſt du was/ ſo ſchweig/
Iſt dir wohl/ ſo bleib/
Haſt du was/ ſo halt/
Unglück mit ſeim breiten Fuß kommt bald.

Item:

Schweig/ leid/ meid/ und vertrag/
Dein Noth niemand klag/
An GOtt nicht verzag/
Sein Hülff kommt alle Tag.

Scripta ejus Latina, Tomis IV. Jenæ A. 1556. ſeqq. à *Ch. Rhodio* impreſſa, ſunt ſequentia:

In *Tomo I.* continentur:

Ejus Scripta Latina Jenæ impreſſa.

Quæſtio de Viribus & Voluntate hominis ſine gratiâ. A. 1516.

Epiſtola ad D. Albertum Magdeb. & Mogunt. Archiepiſcopum. 1517.

Diſputatio de pœnitentia & Indulgentiis, cum proteſtatione.

Diſputatio contra Scholaſticam Theologiam.

Duæ conciones, Prior de Indulgentiis, & poſterior de pœnitentiâ. 1518.

Diſputatio de Remiſſione pœnæ & Culpæ.
De Circumciſione.
De Lege, Operibus, Libero Arbitrio &c. Heidelbergæ diſputata.

Probationes concluſionum, quæ Heidelbergæ diſputatæ ſunt.

Aſteriſci adverſus Obeliſcos Eccii.

Reſponſio ad dialogum Sylveſtri Prieriatis, cum Epiſtola ad Eundem, &c.

Epiſtola ad Hieronymum, Eccleſiæ Brandenburgenſ. Epiſcopum.
Alia ad D. Joh. Staupitium, Auguſtinianæ familiæ vicarium.
Alia ad Leonem X. Rom. Pont.

Reſolutiones diſputationum de Indulgentiarum virtute ad Leonem X.

Decem præcepta Wittembergenſi populo prædicata.

Judicium de Aſtrologiâ.

Concio de virtute Excommunicationis, cum Epiſtola.
De digna præparatione cordis pro ſuſcipiendo Sacramento &c. cum appendice, quomodo Chriſti paſſio ſit meditanda.
De triplici Juſtitiâ.
De duplici Juſtitiâ.

Explicatio Loci Eccleſiaſtis 7. non eſt juſtus in terrâ &c.

Inſtructio pro Confeſſione peccatorum abbrevianda ſecundum Decalogum.

Adhortatio ad pium Lectorem, ut Eccleſiæ hiſtoriam & doctrinam diligenter cognoſcat.

Poſtilla ſuper Breve Leonis X.

Brevis Epiſtola ad Philippum Melanchthonem.

Acta ejus apud Legatum Apoſtolicum Thomam Cajetanum.

Epiſtolæ tres ad Thomam Cajetanum Cardinalem, & una ad Lectorem.

Appellatio prima à Cajetano ad Papam.
Secunda à Papâ ad Concilium.

Epiſtola ad Electorem Fridericum Saxon. quâ Cajetani criminationes adverſus ſe refutat.

Brevis enarratio dicti ex 6. c. Joh. Omne quod dat mihi pater &c.

Brevis Hiſtoria de Legato Carolo Miltitio, à Leone X. ad Fridericum Elect. miſſo cum aureâ roſâ. A. 1519.

Epiſtola ad Leonem X.
Ad Monachorum Jutterboccenſ. Conventum.

Defenſio contra malignum Joh. Eccii judicium.

XXIV. Articuli heretici Johannis Eccii & quorundam fratrum &c. ex illorum aſſertis & negatis deducti.

Diſputatio & Excuſatio adverſus criminationes Joh. Eccii.

Ejus contrariæ poſitiones & D. Joh. Eccii, Lipſiæ diſputatæ.

Diſputatio Lipſiæ habita inter Lutherum & Eccium.

Sermo Lipſiæ in Arce prædicatus, in feriis Petri & Pauli.

Reſolutiones ſuper propoſitionibus ſuis.

Reſolutio ſuper propoſitione XIII. de poteſtate Papæ.

Concio de Sacramento Baptiſmi.
Quomodo Chriſti paſſio ſit meditanda.
De Confeſſione & Sacramento Euchariſtiæ.
Quomodo ſit orandum.
De Matrimonio.
Quomodo ſit parandus animus ad Mortem.

Ad Ægocerotem Emſeranum additio.

Epiſtola ad Joh. Eccium, ſuper expurgatione Ecciana.
Ad Caroloſtadium.

Commentarius in Epiſtolam Pauli ad Galatas.

Epiſtola ad Leonem X. præpoſita Libello de libertate Chriſtianâ. 1520.
Ad Electorem Saxoniæ Fridericum.

Teſſaradecas conſolatoria pro laborantibus & oneratis.

Confitendi ratio.

Reſponſio ad Schedulam Inhibitionis ſub nomine Epiſcopi Miſnenſis editam.

Acta Academiæ Lovanienſis.

Reſponſio ad Articulos, quos Magiſtri noſtri Lovanienſes & Colonienſes, ex Reſolutionibus & propoſitionibus de Indulgentiis & aſſertionibus earum excerpſerunt, & velut hereticos damnaverunt.

Diſputationes de præcipuis Chriſtianæ doctrinæ Articulis ab initio cauſæ ſuæ, usque ad annum 45. &c.

In *Tomo II.* continentur:

Operationes in XXII. Pſalmos Davidis priores ab A. 1519. usque ad 1521.

Apellatio à Pontifice Leone X. ad Concilium, appendice aucta. 1520.

De Captivitate Babylonicâ Eccleſiæ præludium.

Adverſus execrabilem Antichriſti Bullam.

Aſſertio omnium Articulorum per Bullam Leonis X. damnatorum.

Quare ab ipſo Pontificis Romani & diſcipulorum ejus libri combuſti ſint.

Enarrationes Epiſtolarum & Evangeliorum, quas Poſtillas vocant. A. C. 1521.

Reſponſio ad Librum Ambroſii Catharini, cum expoſitâ viſione Danielis 8. de Antichriſto.

Confutatio rationis Latomianæ pro incendiariis Lovanienſis Scholæ ſophiſtis redditæ.

Acta Lutheri coram S. Cæſ. Majeſt. Principibus, Electoribus & Imperii Ordinibus in Comitiis Wormatienſibus.

Reſponſio extemporaria ad articulos ex Captivitate Babylonicâ à Sophiſtis excerptos & damnatos.

Sententia de abrogandâ Miſsâ privatâ.

De Votis Monaſticis. 1522.

Epiſtola, in quâ reditum ſuum ex Pathmo excuſat Duci Friderico Electori.

Contra Henricum Regem Angliæ.

Sermo de S. Antonio Heremita.

De inſtituendis Miniſtris Eccleſiæ ad Senatum Pragenſem. 1523.

Formula Miſſæ & Communionis pro Eccleſia Wittenbergenſi.

Exemplum Theologiæ & Doctrinæ Papiſticæ.

Adverſus armatum virum Cochlæum.

In Tomo III.

Commentarius in Epiſtolam Pauli ad Galat. A. C. 1524.

Præfatio in Novum Teſtamentum.

Concio, quomodo & quo fructu Libri Moſis Chriſtianis legendi ſint.

Deuteronomion Moſe ex Ebræo caſtigatum cum Annotationibus.

De Servo Arbitrio ad Eraſmum Roterodamum. 1525.

Annotationes in Eccleſiaſten Salomonis. 1532

Breves Enarrationes Eſaiæ Prophetæ, cum duabus præfationibus. 1534.

Enarratio Pſalmi XLV.

Graviſſima Pontificum accuſatio.

Enarratio in Prophetam Joëlem. 1536.
Amos.
Abdiam.

Conciunculæ quædam amico cuidam præſcriptæ. 1537.

In Tomo IV.

Commentarius in Epiſtolam Pauli ad Galatas A. C. 1535.

Enarratio in Cantica Canticorum. 1538.

Annotationes in aliquot Capita Matthæi.

Enarratio in Pſalmum 51. Miſerere mei Deus.

Præfatio in Epiſtolam S. Hieronymi ad Evagrium de poteſtate Papæ.

Enarratio in Pſalmos graduum. 1540.

Enarratio Pſalmi XC. A. C. 1541.

Commentarius in Micham. 1542.

Principales Loci & Sententiæ concionum Prophetæ Michæ.

Cur & quomodo Chriſtianum Concilium debeat eſſe liberum.

Duæ Epiſtolæ ad M. Simonem Wolferinum de Controverſiâ ſuper reliquiis Sacramenti Altaris. 1543.

Enarratio in Prophetam Hoſeam. 1545.

Principales Loci & præcipuæ ſententiæ concionum Hoſeæ Prophetæ.

Supputatio annorum Mundi.

Enarratio in Pſalmum II. 1546.

Præfatio in declamationes Illuſtrium Principum Juniorum Saxoniæ.

Commentarius in Joëlem Prophetam. 1547.

Inſigniores ſententiæ ex concionibus Joëlis.

Scripta Ejus Latina, Tomis VI. Wittebergæ A. 1545. & ſeqq. â Joh. Lufftio impreſſa, maximâque ex parte in Tomis Jenenſibus contenta, ſunt hæc: *Scripta Latina Wittebergæ impreſſa.*

In *Tomo I.* continentur:

Decem præcepta, aliquot annis, antequam controverſia de Indulgentiis mota eſt, Wittenbergenſi populo prædicata.

Propoſitiones de Pœnitentiâ & Indulgentiis, & quædam aliæ Diſputationes, initio cauſæ ab ipſo propoſitæ & explicatæ.

XII. Conciones: (1) *De Indulgentiis.* (2) *De Pœnitentiâ.* (3) *De Virtute Excommunicationis.* (4) *De dignâ præparatione cordis pro ſuſcipiendo Sacramento Euchariſtiæ.* (5) *De triplici Juſtitiâ.* (6) *De duplici Juſtitiâ.* (7) *Quomodo ſit orandum.* (8) *De Sacramento Baptiſmi.* (9) *De Confeſſione & Sacramento Euchariſtiæ.* (10) *Quomodo Chriſti paſſio ſit meditanda.* (11) *Quomodo ſit parandus animus ad mortem.* (12) *De Conjugio.*

Epiſtola ad Cardinalem & Archiepiſcopum Moguntinenſem Albertum.

Epiſtola ſcripta & miſſa cum propoſitionibus de Indulgentiis ad Hieronymum, Epiſcopum Brandenburgenſem.

Alia ad D. Joh. Staupitium, Auguſtinianæ familiæ Vicarium.

Alia ad Leonem *X. Pontif. Rom. dedicatoria, præmiſſa Reſolutionibus.*

Reſolutiones Diſputationum de virtute Indulgentiarum.

Probationes Concluſionum, quas diſputavit in Capitulo Heidelbergenſi.

Aſteriſci Lutheri adverſus Obeliſcos Eccii.

Reſponſio ad Dialogum Sylveſtri Prieriatis.

Epiſtola ad Lectorem contra Jacobum Hochſtraten.

Quod Juſtus etiam inter benè operandum peccet, contra Scholaſticos.

Inſtructio pro Confeſſione peccatorum abbrevianda.

Epiſtola ad Philippum Melanchthonem, & brevis commemoratio rerum, quæ tum Auguſtæ geſtæ ſunt.

Epiſtolæ duæ ad Cardinalem Cajetanum.

Appellatio prima â Cajetano ad Papam.

Epiſtola ad Electorem Fridericum.

Appellatio ſecunda â Papa ad Concilium.

Acta ejusdem cum Carolo Miltitio Altenburgi in ædibus D. Georgii Spalatini.

Epiſtola ad Leonem *X. Miſſa per Miltitium.*

Epiſtola ad Fratres Ordinis Minorum Conventûs Jutterbocenſis.

Digitized by Google

Diſputatio & Excuſatio adverſus Criminationes Eccii.

Diſputatio Lipſica inter Lutherum & Eccium.

Sermo Lipſiæ in arce prædicatus.

Reſolutiones ſuper propoſitionibus Lipſiæ diſputatis.

Ad Ægocerotem Emſeranum additio.

Epiſtola ad Joh. Ecclum ſuper expurgatione Ecciana.

Defenſio contra malignum Joh. Eccii judicium.

Articuli hæretici Joh. Eccii.

Diſputationes ab A. Ch. 1519. uſq; ad Annum 1545.

Epiſtola præmiſſa diſputationibus Philippi Melanchthonis.

In Tomo II.

Epiſtola ad Leonem X. Pont. Rom.

De Libertate Chriſtianâ.

Teſſaradecas Conſolatoria.

Epiſtola ad Fridericum Electorem, Saxoniæ Ducem.

Ratio Confitendi.

Reſponſio ad Schedulam inhibitionis &c.

Reſponſio ad Articulos, quos Magiſtri noſtri Lovanienſes & Colonienſes velut hæreticos damnârunt.

Epiſtola ad Carolum V. Imperatorem.

Oblatio ſeu proteſtatio.

Epiſtola ad Card. & Archiepiſcopum Moguntinenſem Albertum. A. 1520.

Epiſtola ad Epiſcopum Merſburgenſem Adolphum &c.

Appellatio Lutheri à Papâ ad Concilium.

De Captivitate Babylonicâ præludium.

Adverſus execrabilem Antichriſti Bullam.

Aſſertio omnium Articulorum per Bullam Leonis X. noviſſimam damnatorum.

Quare Pontificis Romani & Diſcipulorum ejus Libri à Luthero combuſti ſint.

Exuſtionis Antichriſtianorum Decretalium acta.

Reſponſio ad Librum Ambroſii Catharini cum expoſitâ viſione Dan. 8. de Antichriſto.

Epiſtola ad Fridericum Electorem Saxoniæ Ducem de Conventu Wormatienſi &c.

Acta Lutheri coram Cæſarea Majeſtate in Comitiis Wormatiæ.

Epiſtola ad Imp. Carolum V. poſt abitum ex Conventu Wormatiæ.

Alia ejuſdem ferè argumenti ad Electores & omnes Imperii Ordines.

Reſponſio extemporaria ad Articulos, quos Magiſtri noſtri ex Babylonicâ & Aſſertionibus ejus excerpſerant.

Confutatio Rationis Latomianæ.

De abrogandâ Miſſâ privatâ.

De votis Monaſticis.

Epiſtola ad Joh. Briſmannum de libello de Votis.

Alia ad Wolffgangum Fabritium Capitonem.

Alia ad Senatum Pragenſem.

Adverſus falsò nominatum Ordinem Epiſcoporum.

Epiſtola ad Fridericum Electorem, Ducem Saxoniæ de reditu & Pathmo ad Wittebergenſes ſuos.

Contra Henricum Regem Angliæ.

Contra Calumniatores & Falſarios Edicti Cæſarei.

De Inſtituendis miniſtris Eccleſiæ ad Senatum Pragenſem.

Rationes Judicii Eccleſiæ de quavis doctrinâ.

De doctrinis hominum vitandis.

Refutatio quarundam Sententiarum, quæ pro confirmatione doctrinarum humanarum allegantur.

Formula Miſſæ & Communionis pro Eccleſiâ Wittenbergenſi.

De piis Ceremoniis in cœtu Eccleſiæ ſervandis.

De abominatione Miſſæ privatæ, quam Canonem vocant.

Interpretatio Papaſelli.

Interpretatio Monacho-Vituli, Monſtri Fribergæ editi.

Exemplum Theologiæ & Doctrinæ Papiſticæ.

Adverſus armatum virum Cocleum.

Præfatio in duo contraria & inter ſe pugnantia Cæſarea Edicta.

Præfatio in duas Epiſcopales Bullas &c.

Judicium de Eraſmo Roterodamo.

De Servo Arbitrio ad Eraſmum Roterodamum.

Epiſtola ad Nicolaum Amsdorffium de Eraſmo Roterodamo.

Epiſtola ad Georgium Ducem Saxoniæ.

Alia ad Regem Anglorum.

Reſponſio ad titulum maledici Scripti Regis Angliæ.

Diſputationes duæ de unitate Eſſentiæ Divinæ, & de Diſtinctione Perſonarum in divinitate.

Contra Articulos Lovanienſes.

In Tomo III.

Præfatio in Vetus Teſtamentum.

Quomodo & quo fructu Libri Moſis à Chriſtianis legendi ſint.

Enarratio precationis, quâ benedicitur populo Num. 6. quæ in noſtris Eccleſiis pronunciari ſolet poſt Synaxin ſeu Communionem.

Deuteronomium Moſe ex Ebræo caſtigatum, cum Annotationibus.

Enarratio ultimorum verborum Davidis.

Operationes in Pſalmos XXII. priores.

Argumenta Pſalmorum omnium.

Enarrationes in Pſalmos: II. XLV. LI. LXXXII. & XC.

Enarrationes in Pſalmos Graduum.

In Tomo IV.

Annotationes in Eccleſiaſten.

Enarratio in Cantica Canticorum.

Scholia in Eſaiam.

Argumentum in Ezechielem.

Commentarius in Danielem, Hoſeam, Joelem, Amos, Abdiam, Jonam, Micheam.

Præfatio & Hypotheſis in Nahum.

Annotationes in Habacuc.

Commentarius in Sophoniam.

Annotationes in Malachiam.

Argu-

Argumentum Concionum Prophetæ Haggei.

In *Tomo V.*

Annotationes in aliquot Capita Matthæi.

Commentarius ſuper Magnificat, Canticum Mar. Virg.

Præfatio Methodica totius Scripturæ in Epiſtolam ad Romanos.

Exegeſis in ſeptimum caput primæ Epiſtolæ ad Corinthios.

Sermo de Matrimonio, habitus Wittebergæ. A. 22.

Duorum Thematum de Matrimonio analytica, quorum primum eſt, parentes non habere jus cogendi liberos ad Matrimonium; Alterum, non licere liberos ſine parentum conſenſu contrahere Matrimonium.

Homiliæ ſive Enarratio in 15. Caput prioris Epiſtolæ Pauli ad Corinthios de Reſurrectione Mortuorum.

Enarratio in 17. Caput Johannis Evangeliſtæ.

Commentarius primus in Epiſtolam Pauli ad Galatas, editus A. 1521.

Commentarius II. in Epiſtolam Pauli ad Galatas, editus A. 1536.

Enarrationes in duas Epiſtolas S. Petri & Judæ unam.

Commentarius in Prophetam Zachariam.

De bonis Operibus Libellus.

Catechiſmus Major.

Catechiſmus Minor.

In *Tomo VI.*

Commentarius in Geneſin.

Ejus Scripta Germanica Wittebergæ impreſſa.

Scripta ejus Germanica, Tomis XII. Wittebergæ A. 1567. & ſeqq. à Petro Seitzio impreſſa, ſunt hæc.

In *Tomo I.* continentur:

Auslegung über S. Pauli Epiſtel an die Galater.

Uber das VII. Capitel der I. Epiſtel an die Corinther.

Uber das XV. Capitel derſelben Epiſtel.

Uber ein Stück des VI. Capitels aus der Epiſtel S. Pauli an die Epheſer / von der Chriſten Harniſch und Waffen.

Vier Predigten über den Leichen der Chur-Fürſten von Sachſen/ Herzogen Friederichen und Johannſen/ aus dem IV. Cap. der erſten Epiſtel an die Theſſalonicher.

Von der Haubt-Summa Gottes Gebots/ darzu vom Mißbrauch und rechtem Gebrauch des Geſetzes/ aus dem I. Cap. der I. Ep. an Timotheum.

Auslegung des Spruchs S. Pauli 1. Tim. 2. GOtt will / daß allen Menſchen geholffen werde.

Summa des Chriſtlichen Lebens aus der I. Epiſt. an Timoth. Cap. I.

Etliche Predigten von der Liebe / aus der I. Epiſt. S. Joh. Cap. IV.

Auslegung über die I. und II. Epiſtel Petri.

Auslegung über die Epiſtel Judæ.

In *Tomo II.*

Treue Vermahnung/ ſich für Aufruhr zu hüten.

Ein Brief an die Fürſten zu Sachſen von dem aufrühriſchen Geiſt.

Ein Sendbrief an die zu Mülhauſen.

Erſter und anderer Theil wider die himmliſchen Propheten.

Ein Brief an die Chriſten zu Straßburg wider den Schwarmgeiſt.

Zween Brief D. Andream Carlſtadt belangend.

Ein Brief an die Chriſten zu Antorff.

Chriſtliche Vermahnung von dem äuſſerlichen Gottesdienſt / und Eintracht / an die Liefländer.

Ermahnung zum Fried auf die XII. Artickel der Bauerſchafft in Schwaben.

Wider die ſtürmenden Bauren.

Sendbrief von dem harten Büchlein wider die Bauren.

Schröcklich Geſchicht und Gericht Gottes über Thomas Münzer.

Sermon von dem Sacrament des Leibs und Bluts Chriſti.

Vorrede über das Büchlein Syngramma genannt.

Wider die Sacramentirer/ daß dieſe Wort Chriſti: Das iſt mein Leib 2c. noch feſt ſtehen.

Bekänntnis vom Abendmal.

Sendbrief an Herzog Albrecht in Preuſſen wider etliche Rottengeiſter.

Sendbrief wider etliche Schleicher / Rottengeiſter und Winkelprediger.

Brief an die zu Frankfurt am Mayn.

Kurzes Bekänntnis vom H. Sacrament.

Schrifft von der Transſubſtantiation.

Brief von der Wiedertauff an zween Pfarrherren.

Vorrede auf die Neue Zeitung von Münſter.

Etliche Sprüche oder Schlußreden wider die Widertauffer und Sacramentirer.

Vorrede auf das 38. und 39. Cap. Ezechielis vom Gog.

Die verteutſche Widerlegung des Alcorans Bruder Richards Prediger Ordens.

Unterricht auf die Widerlegung des Alcorans.

Heerpredigt wider den Türken.

Vermahnung zum Gebet wider den Türken.

In *Tomo III.*

Erklärung des XXXVII. Pſalms.

Auslegung des LXVIII. Pſalms / von dem Oſterfeſt/ Himmelfahrt und Pfingſten.

Erklärung der VII. Bußpſalmen.

Auslegung des LXII. XCIV. und CIX. Pſalms.

Kurze Auslegung des CXX. Pſalms / ſamt einem Troſtbrief an die Miltenberger. A. 1524.

Der CXXVII. Pſalm mit einem Brief an die zu Rigen und im Liefland. A. 1524.

Auslegung der erſten Neun Pſalmen Davids.

Erklärung des XXII. XXIII. XLV. LI. LXV. LXXXII. XC. CI. CX. CXI. CXII. CXVII. CXVIII. CXLVII. Pſalms.

In

In *Tomo IV.*

Erklärung des V. VI. VII. Capitels Matthäi.

Auslegung des XIV. XV. XVI. XVII. Capitels Johannis.

Predigt von JEſu Chriſto.

Erklärung des Spruchs S. Pauli Gal. 1. Chriſtus hat ſich ſelbſt für unſere Sünde gegeben.

Etliche Predigten von der Tauffe.

Zwo andere Predigten auf der Kinder-Tauff Fürſten Johannſen zu Anhalt Sohns.

Etliche Sprüche wider das Coſtnitzer Concilium von beyder Geſtalt.

Bericht von beyder Geſtalt des Sacraments/ an einen guten Freund.

Vermahnung zum Sacrament des Leibs und Bluts unſers HErrn JEſu Chriſti.

Von dem Greuel der Stillmeſſe/ ſo man den Canon nennet.

Bekäntnus des Glaubens/ darinn kurz gefaſſet ſind alle Haubt-Artickel Chriſtlicher Lehre.

Scholien über die Rathſchläge der Kirchen eines Ausſchuſſes etlicher Cardinäle ꝛc.

Verteutſchte Donatio Conſtantini Magni.

Hochmuth und Boßheit/ ſo Hadrianus IV. und Alexander III. an Käiſer Friederich dem I. geübt haben.

Lügend von S. Johanne Chryſoſtomo.

Auslegung der 2. Ep. an Timoth. Cap. 3. Das ſolt du aber wiſſen.

Von Geiſtlichen und Klöſter-Gelübden.

Was die Zahlen ſieben/ zwölff und 84. geiſtlich bedeuten.

Antwort auf zwo Fragen/ vom Dolmetſchen und Fürbitte der Heiligen.

Sermon auf den 2. Sonnt. des Advents/ von der Zukunfft Chriſti.

Auf den 1. Sonnt. nach Epiphaniæ über das Ev. Luc. 2.

Von dem Haubtmann zu Capernaum über das Ev. Matth. 8.

Zwo Predigten von den dreyen Anfechtungen Chriſti in der Wüſten. Uber das Ev. Matth. 4.

Sermon vom Unterſcheid des Geſetzes und Evangelii. Gal. 3.

Was Chriſtus für ein König/ und wie es um ſein Reich gethan ſey. Mich. 5.

Vom Creutz und Leiden.

Von Maria Magdalena. Uber das Ev. Joh. 20.

Von der Frucht und Krafft der Himmelfahrt Chriſti. Pſ. 68.

Von den lieben Engeln. Matth. 18.

Uber die Epiſtel/ ſo man lieſet auf das Feſt der H. Engel. Apoc. 12.

Von der Sünde oder Läſterung wider den H. Geiſt Matth. 12.

Von Chriſti Brüdern und Schweſtern Matth. 12.

Zwo Predigten über das 15. und 16. Cap. der Apoſtel Geſchicht.

Zwo Hochzeit-Predigten aus den 13. Cap. der Ep. an die Hebräer/ und S. Pauli an die Epheſer Cap. 6.

Sermon über den Spruch Joh. 5. Suchet in der Schrifft.

Uber das Evang. Luc. 19. Und als er nahe hinzu kame.

Auf den 4. Sonnt. nach Epiph. Uber den Text Matth. 8. JEſus tratt in das Schiff.

Auf das Feſt der Offenbarung Chriſti Luc. 2. Da der Tag ihrer Reinigung ꝛc.

Uber das Evangelium Matth. 11. Ich preiſe dich Vatter ꝛc.

In *Tomo V.*

Auslegung des I. Buchs Moſe.

Des XIX. und XX. Capitels des II. Buchs Moſe.

Des Seegens im VI. Capitel des IV. Buchs Moſe.

Des Geſangs Moſe im 32. Cap. des 5. Buchs Moſe.

Der Epiſtel aus dem 9. Cap. des Proph. Jeſaiæ/ ſo man in der Chriſtmeſſe lieſet.

Uber das 36. und 37. wie auch 53. Cap. Jeſaiæ.

Des 23. Capitels Jeremiæ/ von Chriſti Reich und Chriſtlicher Freyheit.

Des Propheten Jonæ/ Habacuc und Zachariæ.

Daß JEſus ein geborner Jude ſey.

Wider die Sabbather.

Von den Jüden und ihren Lügen.

Vom Schem Hamphoras/ und Geſchlecht Chriſti.

Von den letzten Worten Davids. 2. B. der König. C. 23.

In *Tomo VI.*

Auslegung des Benedictus.

Des Magnificat.

Des Vatter Unſers.

Der groſſe Catechismus.

Der kleine Catechismus.

Das Betbüchlein.

Bekäntnis des Glaubens.

Auf das vermeinte Käiſerl. Edict.

Sermon von dem Ehelichen Stand.

Vom Ehlichen Leben.

Daß Eltern die Kinder zur Ehe nicht zwingen ſollen.

Von den Geiſtlichen und Kloſter-Gelübden.

Brief an Johann von Schleinitz/ einer Heurath halber.

Urſach/ daß Jungfrauen die Klöſter verlaſſen mögen.

Geſchicht/ wie GOtt einer Jungfrauen aus dem Kloſter geholffen.

Vermahnung an die Herren Teutſches Ordens/ ſich in den Ehelichen Stand zu begeben.

Schrifft an Wolffgang Reiſſenbuſch/ ſich in den Ehelichen Stand zu begeben.

Der Herzogin von Münſterberg Urſachen des verlaſſnen Kloſters.
Von Eheſachen.
Sermon von dem Wucher.
Von Kauffshandlung und Wucher.
An die Pfarherren wider den Wucher zu predigen.
Vermahnung an die Rahtherren aller Städte Teutſchlandes/ daß ſie Schulen aufrichten ſollen.
Eine Predigt / daß man die Kinder zur Schulen halten ſolle.
Vermahnung an die in Liefland.
Troſtbüchlein an Herzog Friederich Churfürſten zu Sachſen.
Tröſtliche Miſſiva an Hartmut von Cronberg.
Troſtſchrifft an die Miltenberger.
An die Augſpurger.
An die zu Hall über ihres Predigers Tod.
Die Artickel/ warum die zween Chriſtlichen Auguſtiner Münche zu Brüſſel verbrannt ſind.
Von Bruder Heinrichen in Diedmar verbrannt.
Unterricht für die Beichtkinder über den verbottenen Büchern.
An die zu Erffurt von den Heiligen.
Sendbrief über die Frage/ ob jemand/ ohne Glauben verſtorben/ möge ſeelig werden.
Ob man für dem Sterben fliehen möge.
Sendbrief an die von Eßling.
Antwort auf König Heinrichs von Engeland Buch.
Auf des Königs zu Engeland Läſterſchrifft.
Wider den neuen Abgott und alten Teufel zu Meiſſen.
Wider die Antinomer.
Daß der freye Wille nichts ſeye/ wider Eraſmum Roterodamum.
An den Chriſtlichen Adel.
Von weltlicher Obrigkeit.
Wider die Verkehrer und Fälſcher Käiſerlichen Mandats.
Ob Kriegs-Leute auch im ſeeligen Stande ſeyen.

In *Tomo VII.*

Sermon vom Ablaß und Gnade. A. 1518.
Von der Buß 1519.
Unterricht auf etliche Artickel. 1519.
Sermon / geprediget zu Leipzig auf dem Schloß am Tage Petri und Pauli 1519.
Von der würdigen Bereitung zum Sacrament. 1519.
Von der würdigen Empfahung des Sacraments. 1521.
Sermon von dem Hochwürdigen Sacrament des H. wahren Leichnams Chriſti / und von der Brüderſchafft. A. 1519.
Antwort auf die Zettel des Officials zu Stolpen. 1520.
Erklärung etlicher Artickel im Sermon vom H. Sacrament. 1520.
Sermon vom Neuen Teſtament / das iſt/ von der Meß. 1520.
Sermon von dem Bann.
Von zweyerley Gerechtigkeit.
Wider die Bullen des Antichriſts.
Sendbrief an Pabſt Leonem.
Appellatio an ein frey Chriſtlich Concilium vom Pabſt Leone.
Von der Freyheit eines Chriſten.
Von guten Werken.
Lutheri Erbieten.
Die verteutſchte Bulla unter dem Namen Pabſt Leonis X. wider Luthern.
Grund und Urſach aller Artickel durch die Röm. Bull verdammt.
Von den neuen Eckiſchen Bullen und Lügen.
Warum des Pabſts Bücher verbrannt ſind.
An Bock zu Leipzig. 1521.
Auf des Bocks zu Leipzig Antwort. 1521.
Auf das überchriſtl. und überkünſtl. Buch Bocks Emſers zu Leipzig Antwort.
Widerſpruch an Bocks Emſer.
Urtheil der Theologen zu Pariß über die Lehre D. Luthers und Gegen-Urtheil.
Offenbarung des Antichriſts aus dem Propheten Daniel.
Vom Pabſtthum zum Rom.
Von der Beicht / ob die der Pabſt Macht habe zu gebieten.
Von Mißbrauch der Meſſen.
Bulla Cœnæ Domini vom Abendfreſſen des Allerheiligſten Herrn des Pabſt. 1522.
Wider den falſch genannten Geiſtlichen Stand des Pabſt und der Biſchofen. 1522.
Von Menſchen-Lehre zu meiden.
Von beyderley Geſtalt des Sacraments.
Vom Anbeten des Sacraments. 1523.
Von dem Allernöthigſten / wie man Kirchendiener wählen und einſetzen ſolle. 1524.
Eine Weiſe Chriſtliche Meſſe zu halten / und zu Gottes Tiſch zu gehen.
Teutſche Meſſe / und Ordnung des Gottesdienſts.
Ordnung und Bericht/ wie es forthin mit denen / ſo das hochwürdige Abendmal empfangen wollen/ gehalten werden ſolle. A. 1525.
Wider das blinde und tolle Verdammniß der Univerſität Ingolſtatt. 1524.
Von den Schlüſſeln. A. 1530.
Widerruff des Fegfeuers.
Vermahnung an die Geiſtlichen / verſamlet auf dem Reichstag zu Augſpurg.
Warnung an ſeine liebe Teutſchen. A. 1531.
Von der Winckel-Meſſe und Pfaffen-Weihe. A. 1533.
Von den Conciliis und Kirchen. A. 1539.
Von der alten rechten Kirchen/ was/ wer/ wo ſie ſey ꝛc. A. 1541.
Exempel / einen rechten Chriſtlichen Biſchoff zu weihen. A. 1542.
Wider das Pabſtthum zu Rom vom Teuffel geſtifftet. A. 1545.
Einweihung eines neuen Hauſes zum Predigampt. A. 1546.

In *Tomo VIII.*

Auslegung über die XV. Pſalmen der Lieder im höhern Chor.

Der

Digitized by Google

Der CX. Pſalm vom Königreich und Prieſterthum JEſu Chriſti.

Auslegung über das Fünffte Buch Moſe.

Uber die kleinen Propheten Hoſea / Joel / Amos / Abdias/ Micha/ Nahum / Zephania / Haggai / Malachias.

In *Tomo IX.*

Sendbrief an den Cardinal und Ertz-Biſchoff zu Magdeburg und Maintz. 1517.

Propoſitiones wider den Ablaß.

Sendbrief an Biſchoff Hieronymum zu Brandenburg. 1518.

An D. Staupitz.

An Pabſt Leo X.

Proteſtatio.

Zwo harte ernſte Schrifften wider Sylveſtrum Prieriaten.

Schrifft an den Chriſtlichen Leſer / wider Jacob Hochſtraten/ Ketzermeiſtern.

Freyheit des Sermons/ Päbſtlichen Ablaß und Gnade belangend.

Gloſſa auf das Breve oder Schrifft des Pabſts Leonis X. an den Cardinal Thomam Cajetanum.

Kurtze Schrifft an Philipp Melanchthon aus Augſpurg.

Proteſtation und Antwort auf die zween fürgeworffene Articel/ vom Cardinal S. Sixti zu Augſpurg.

Zwo Schriften an Cardinal Thomam Cajetanum kurtz vor ſeinẽ Abſchied aus Augſpurg.

Die erſte Appellation von Thoma Cajetano an Pabſt Leonem X.

Schrifft an Hertzog Friderich Chur-Fürſten zu Sachſen.

Sendbrief aus Augſpurg an Spalatinum.

Kurtzer Bericht an Hertzog Friderich Churf. zu Sachſen/ wie er ſich mit Carln von Miltitz auf zween Articel entſchloſſen habe. 1519.

Schrifft an Pabſt Leonem X.

Unterricht von der Diſputation zu Leipzig an Spalatinum geſchrieben.

Antwort auf D. Ecken Schreiben / an H. Friderich/ Churf. zu Sachſen.

Antwort auf die Zeddel/ ſo unter des Officials zu Stolpen Siegel ausgegangen. 1520.

Schrifft an Käiſer Carl V.

An Marggraf Albrecht / Cardinal und Ertz-Biſchof zu Maintz.

An Herrn Adolff / Biſchof zu Merſeburg.

Die andere Appellation vom Pabſt Leo. X. an ein frey Chriſtlich Concilium.

Antwort auf des Cardinals S. Georgii Schreiben an Georg Spalatinum.

Schrifft an Hertzog Friderich Churf. zu Sachſen / darinn er ſich erbeut / auf dem Reichstag zu Wormbs zu erſcheinen. 1521.

Antwort auf Hertzog Friderichs Churf. zu Sachſen Schrifft/ daß er aus Käiſerl. Maj. Befehl etliche Articel widerruffen ſolle.

Schrifft an Spalatinum von itztgedachtem Wiederruffen.

An Käiſerl. Maj. nach ſeinem Abſchied aus Wormbs.

Sendbrief an die Chur-Fürſten und Stände des H. Röm. Reichs.

Geſchicht und Handlung Lutheri zu Wormbs/ durch ihn ſelbſt kürtzlich gefaſſet.

Sendbrief an Lucas Cranach/ Mahler zu Nürnberg.

Vorrede über die Auslegung des Evangelii von den zehen Auſſätzigen.

Harte/ doch Chriſtl. Schrifft/ an den Ertz-Biſchoff zu Maintz/ den Ablaß belangend.

Sendbrief an Wolffgang Fabricium/ des Cardinals zu Maintz Prediger. 1522.

Schrifft wider die Neuerung zu Wittenberg durch Carlſtadt angerichtet.

Sendbrief an Spalatinum.

4. Sendbrief an Hertzog Friderich Churf. zu Sachſen.

Unterricht / warum er die groſſen Herren ſo hart antaſte.

Schrifft an die Böhmen auf ihrem Landtage zu Prag.

Warum er dem König zu Engeland ſo hart geſchrieben.

Vorrede auf das Büchl. was auf dem Reichstag zu Nürnberg rc.

Antwort auf Hertzog Georgens Schrift. 1523.

Schrifft an Herrn Hannſen von der Plawnitz/ Ritter.

Erbietung auf ein Anſuchen Churfürſtl. Durchl. zu Sachſen.

Urtheil vom Eraſmo Roterodamo.

Sendbrief an die drey Hofjungfrauen/ die aus dem Frauenzimmer zu Freyberg um des Evangelii Willen vertrieben worden.

Sendbrief an Spalatinum.

Bedencken vom Zinßkauff.

Sendbrief an einen guten Freund vom Anbeten des Sacraments.

An das Capitel im Thumb zu Wittenberg.

Ernſte Erinnerung an die Thumbherren zu Wittenberg.

Amen/ auf des Pabſts Eſels Deutung.

Deutung des Münchskalbs zu Freyberg.

Fürbittſchrifft an Hertzog Friderich Chur-Fürſten.

Vorrede über zwey Käiſerl. uneinige und wiederwärtige Gebot. 1524.

Supplication an Hertzog Friderich Churf. des Kloſters Einkommen belangend.

Vertrag zwiſchen zweyen uneinigen Predigern.

Antwort auf das Schreiben Wolffgangs von Salhauſen.

Vom Gebrauch und Bekäntnis Chriſtlicher Freyheit.

Sendbrief an einẽ Landherrn in Oeſterreich.

Schrifft an das Thumbcapitel zu Wittenberg/ die gottloſen Ceremonien abzuthun.

Vorrede und Gloſſa über die Bull Pabſt Clementis VII.

Troſtbrief an Hertzog Johann / über den Tod ſeines Bruders Hertzog Friderichs. 1525.

4. Sendbrief an Doctor Johann Rühel.

Vermahnung zum Frieden.

Bedenken/ wie Aufruhr zu ſtillen.

Digitized by Google

Fürbittſchrifft / an den Ertz-Biſchoff zu Maintz für einen Burgers-Sohn zu Eisleben.

Sendbrieff und Raht an Graf Albrecht zu Mansfeld.

Sendbrief und Chriſtliche Vermahnung an den Cardinal zu Maintz.

2. Schrifften an ſeinen guten Freund / darinn er anzeiget / daß er ſich in den Eheſtand begeben.

Hochzeit-Brief an D. Joh. Rühel / Georg Spalatin / Niclas von Amsdorff und Wenceslaum Linck.

Schrifft an Hertzog Johann Churf. belangend die Pfarrherren in ſeiner Churf. G. Landen.

Demütige Schrifft an Hertzog Georgen zu Sachſen. 1526.

Schrifft an M. Niclas Hausmann.

Demütige Schrifft an König Heinrich den VIII. in Engeland.

Kurtze Schrifft an Hertzog Johann Churf. zu Sachſen. 1527.

Antwort und Unterricht auf die Frage / ob man auch das Evangelium rein predigen möge / und doch das Sacrament unter beyderley Geſtalt unterwegen laſſen.

Zwo Fürbittſchrifften an Hertzog Johann Churf. für zween Pfarrherren.

Fürbittſchrifft an Hertzog Johann Churf. den Spital und arme Leute zu Wittenberg belangend.

Schrifft an eben denſelben / die Ordnung der Viſitatorum betreffend.

Schrifft an einen ſeiner guten Freunde / darinn er hefftig über ſeine geiſtliche Anfechtung klaget.

Schrifft an Michael Stiefel / die Hiſtori Leonhard Käiſers belangend.

Bedencken von einem Ehegelöbnis an Spalatinum.

Treue Warnung an die zu Erffurt / ſich für falſchen Lehrern fürzuſehen.

Troſtſchrifft an die Chriſten zu Hall in Sachſen. A. 1528.

Etliche Rahtſchläge oder Bedencken / etlichen von Adel gegeben / welchen Hertzog Georg zu Sachſen ꝛc. der Religion halber / hart zugeſetzet.

Kurtze Schrifft / an Hertzog Johann Friderich / etliche Perſonen belangend / zu der Viſitation zu gebrauchen.

Unterricht der Viſitatorum an die Pfarrherren im Churfürſtenthum zu Sachſen.

Schrifft an D. Rühel.

Erinnerung an ſeiner guten Freunde einen / wie er ſeinem Weibe in ihrem unbilligen Vornehmen begegnen ſoll.

Schrifft an D. Georg Brück.

Widerlegung etlicher irriger Argument Carlſtadii.

Schrifft an die Pfarrherren und Prediger der Stadt Göttingen.

An Lazarum Spengler von der Winckelmeſſe.

An Wilhelm Reiffenſtein / Rentmeiſter zu Stolberg.

Troſtbrief an Margaretha N. Wittwe zu N.

Antwort und Bericht auf eine Eheſache.

Antwort und Bericht auf die Frage / weſſen ſich ein Fürſtl. Abt halten ſolle / der gern den Habit ablegen wolte. 1529.

Demütige Vermahnung an den Churf. zu Brandenburg / Marggraf Joachim den Aeltern.

Schrifft an Landgraf Philipp zu Heſſen ꝛc. der Sacraments-Schwärmer halber.

An Hertzog Johann / Churf. zu Sachſen / darinn er S. C. F. G. für ein Geſchenck dancket.

Von heimlichen geſtohlenen Briefen.

Troſtſchrifft an eine Perſon in hohen Anfechtungen.

Etliche Bedencken über etliche ſtrittige Artickel auf dem Reichstag zu Augſpurg. 1530.

Schöne auserleſene Sprüche der Heiligen Schrifft aufs kürtzte ausgeleget.

Propoſitiones von der Gewalt der Kirchen.

Daß das Kloſter-Leben unchriſtlich und ſchädlich ſeye.

Bekäntnis Chriſtlicher Lehr und Glaubens.

Antwort auf Churf. Johannſen Schreiben / der Apologiæ und des Predigens halber zu Augſpurg.

Schertzſchrifft an ſeine Tiſchgeſellen.

Schrifft an Hertzog Johann Churf. zu Sachſen gen Augſpurg.

An D. Georg. Brück.

An die Herren Theologen gen Augſpurg geſchrieben.

An D. Rühel.

An Lazarum Spengler.

An D. Juſtum Jonam.

An H. Philipp Melanchthon.

An den Cardinal Ertz-Biſchoff ꝛc. ſamt dem 11. Pſalm kurtz ausgelegt.

Bericht auf fünff Fragen / das H. Sacrament belangend.

Bedencken und Rath / wie eine Jüdin (noch Jungfrau) ſoll getauffet werden.

Schrifft an zween Prediger / ob ſie ihre Kirchen laſſen / und den Feinden des Evangelii / die ſich doch als Freunde ſtellen / weichen ſollen.

Feine Chriſtl. Gedancken der alten heiligen Vätter und Lehrer.

Schrifft an Marggraf Joachim den Aeltern Chur-Fürſten.

An die Biſchoffe zu Brandenburg / Havelburg und Lebus.

An die Ritterſchafft der Margk.

An Catharin Hornungs.

Kinderſchrifft an ſein Söhnlein Hänſigen.

Antwort und Bericht auf zwo Fragen von Perſonen hohes Standes an ihn geſchehen: 1. Ob die Fürſten recht thun / daß ſie Kloſter-Leben und Meſſe nicht dulten wollen. 2. Ob man etliche äuſſerliche Weiſen in der Kirchen ſoll wieder anrichten.

Etliche verteutſchte Fabeln Aeſopi / ſamt einer Vorrede.

Troſtbrief an ſeinen Vatter / kurtz vor ſeinem Ende.

Wider

Wider den Meuchler zu Dresden. 1531.

Vermahnung vor der Communion dem Volck vorzuſagen.

2. Vermahnungen an die / ſo das Sacrament unter beyder Geſtalt empfangen.

An einen Pfarrherrn / daß er zu unbilligen Abſetzen eines Predigers nicht ſtillſchweigen ſolle.

Troſtſchrifft an ſeine Mutter in ihrer Kranckheit vor ihrem Ende.

Allen frommen Chriſten unter den falſchen Brüdern.

Daß treüe Prediger von Amtswegen ſchuldig ſind / des Volcks Sünde zu ſtraffen.

Kurtze Schrifft an Hertzog Johann / Churfürſt zu Sachſen.

Raht und Bericht / wes ſich ein treuer Lehrer des Worts halten ſolle / wenn ſein Amt verachtet / und er darzu verfolget wird.

Troſtſchrifft an eine bekümmerte Perſon hohes Standes.

Etliche Sendbrief an H. Johann / Churfürſten zu Sachſen / darinn er zum Frieden vermahnet. 1532.

Troſtſchrifft an eben dieſen Chur-Fürſten.

An einen guten Freund / dem ſein Sohn zeitlich mit Tod abgangen.

An eine angefochtne Perſon / von der ewigen Verſehung.

An einen vom Adel mit Schwermut und Traurigkeit angefochten.

An etliche / die auß Leipzig / um Chriſti willen / vertrieben ſind.

An Laurentium Zoch.

An einen von Adel mit Uberdruß des Lebens angefochten.

An etliche / die aus Leipzig um Chriſti willen vertrieben worden.

Sendbrief an die Wolgebornen Herren Schlicken.

An M. Georg Mohr.

An einen Erbarn Raht.

Drey Commendation-Schrifften.

Sprüche / welche Lutherus in vieler Leute Bücher mit ſeiner eignen Hand geſchrieben.

Vorrede über das Büchlein: Ordnung eines gemeinen Kaſtens zu Leißnick.

Uber die Weiſſagung Johann Liechtenbergers.

Uber das Büchlein der Hertzogin von Mönſterberg.

Von der falſchen Bettler Büberey.

Von der Prieſter-Ehe.

Uber den Propheten Daniel / an Hertzog Johan Friderich den I.

Uber das Büchlein mit dem Titul: Kurtzer Auszug aus den Päbſtlichen Rechten.

Uber ein Büchlein / welches von der Türcken Religion zum theil redet.

Uber das Büchlein Justi Menii, von der Widertauffer Lehre.

Auf zwo Predigten M. Alexii Kroßneri.

Uber das Büchlein von Chriſtlicher Haushaltung.

Vier Vorreden über das Geſangbüchlein.

Vorrede auf das Büchlein Johannis Brentii von Eheſachen.

Auf den 51. Pſalm / durch M. Egidium Fabri erkläret.

In *Tomo X.*

Auslegung über das I. Buch Moſe. Vom Anfang / bis auf das XXV. Capitel.

In *Tomo XI.*

Auslegung über das I. Buch Moſe. Vom Anfang des XXV. Capitels / bis zum Ende.

In *Tomo XII.*

Auslegung über die Epiſtel an die Galater.

Troſtſchrifften an verjagte und vertriebne Perſonen des Evangelii halber / und an krancke betrübte Perſonen.

Bedencken und Unterricht für die Frauen / denen es unrichtig in der Geburt gegangen; und von der Noth-Tauffe; item von den Findelkindern.

Troſtſchrifft an die ſchwangern Frauen.

Unterſchiedliche Sendbriefe an Weltliche Herrſchafften und ſeine gute Freunde.

Bericht von der Gegenwehr / an Hertzog Johann Churf. zu Sachſen / und D. Georg Brück ꝛc.

Schlußreden / daß man dem Pabſt und ſeinen Schutzherren wider unrechte Gewalt und Krieg Widerſtand thun ſolle.

Vermahnung zum Frieden an beyde Chur-Fürſten und Fürſten zu Sachſen.

Vermahnung an die Pfarrherren der Kirchen zu Wittenberg / das Volck zur Buſſe und Gebet wider den Türcken zu vermahnen.

Sechs Diſputationes wider die Antinomer oder Geſetzſtürmer.

Bericht von M. Eislebens falſcher Lehre und ſchändlicher That.

Unterricht und Antwort auf die Frage etlicher Chriſten zu Leipzig / ob ſie mögen mit gutem Gewiſſen eine Geſtalt des Sacraments empfangen / unter dem Schein / als hätten ſie beyde Geſtalt empfangen. 1533.

Verantwortung wegen der beſchuldigten Aufruhr von Hertzog Georgen ꝛc.

Kleine Antwort auf Hertzogs Georgen Buch.

Brief von ſeinem Buch der Winckelmeſſen. 1534.

Sendbrief an den Cardinal zu Maintz / darinn er ihn hart vermahnet und ſtraffet. 1535.

Ob ein Chriſt / welcher Göttlicher Lehre berichtet iſt / bey Abgöttiſchem Dienſt ohne Verletzung ſeines Gewiſſens ſeyn möge.

Ob man das Sacrament bey der Geſtalt in geheim zu Hauſe ſich möge reichen laſſen.

Ob ein Chriſt mit gutem Gewiſſen könne bey eines Päbſtiſchen Biſchoffs Krönung ſeyn.

Brief an die Prediger zu Soeſt.

Ausſchreiben eines freyen Chriſtlichen Concilii.

Sendbrief vom Unterſchied des Geiſtlichen und Weltlichen Amts. 1536.

An D. Bruck vom Cardinal zu Mainz.

Straff und Warnung an den Biſchoff zu Mainz / des gehenckten Hanns Scheinitzen halben.

Verteutſchte Briefe Johann Huſſens. 1537.

Von der Gewalt und Obrigkeit des Pabſts.

Zornige Schrifft wider Simon Lemnii Epigrammata. 1538.

Bedencken an Hertzog Heinrich zu Sachſen ꝛc. Der Privat-Meſſen halber. 1539.

Wider den Biſchoff zu Magdeburg Albrecht Cardinal.

Sendbrief an Hertzog Johann Friderich / Churfürſten zu Sachſen / mit was Befehl S. C. G. ihre Geſandten zum Colloquio gen Hagenau abfertigen ſoll. 1540.

Antwort auf der Fürſten von Anhalt Werbung wegen Religions-Vergleichung. 1541.

3. Wichtige Schrifften an Hertzog Joh. Friderich Churf. zu Sachſen ꝛc. im Reichstage zu Regenſpurg.

Sendbrief an eine Perſon hohes Standes / de Transſubſtantiatione.

Wider Hans Wurſt.

An Churf. zu Sachſen und Landgrafen in Heſſen von dem gefangenen Hertzog zu Braunſchweig.

Von der Welſchen Lügenſchrifft / ſeinen Tod betreffend.

Wider die 32. Artickel der Theologiſten zu Löven.

Predigt am Tage der Offenbarung Chriſti aus Matth. 3.

Am 2. Sonntag nach Epiphaniæ aus Röm. 12.

Von der Bekehrung S. Pauli aus Ap. Geſch. c. 9.

Vorrede über das Buch M. Egidii Fabri / vom falſchen Blut und Abgott im Thumb zu Schwerin.

Uber die Antwort Balthaſar Rauda / wider das Läſterbüchlein Agricolæ Phagi.

Uber das Büchlein / Rechenſchafft des Glaubens der Dienſt und Ceremonien in Böhmen.

Uber das Büchlein vom Almoſen geben.

Auf die Bekäntnis Lazari Spenglers / Syndici zu Nürnberg.

Auf die Hiſtori zu Staßfort am Chriſtabend geſchehen.

Uber die kurtze Auslegung der Sonntags-Evangelien und Epiſteln Antonii Corvini.

Auf die Auslegung des 29. Pſalms von D. Ambroſio Moibano geſchrieben.

Auf das Concilium zu Gangra in Paphlagonien vor 1200. Jahren gehalten.

Auf die Auslegung D. Ambroſii Moibani über die Wort: Gehet hin in alle Welt.

Auf die Hiſtori Galeatii Capellæ vom Hertzog zu Meiland.

Uber das Büchlein / was vom Pabſt auf dem Reichstag zu Nürnberg bey Käiſerl. Maj. Statthalter und Reichsſtänden geſuchet ꝛc.

Auf das Buch Juſti Menii / wie ein Chriſt gegen allerley Lehre nach Gottes Befehl ſich halten ſolle.

Uber die Auslegung des Evangelii Luc. 9. Von der Zerſtörung Jeruſalem.

Auf D. Caſpar Gütels Predigt zu Eißleben auf dem Gottes-Acker gethan.

Auf D. Urbani Regii Auslegung über den 52. Pſalm wider die Blutdürſtigen Sauliten.

Auf das Büchlein der Barfüſer Münche Eulenſpiegel und Alkoran.

Auf M. Joh. Spangenbergs Poſtill.

Uber die Annotationes D. Wenceslai Lincken über die 5. Bücher Moſe.

Auf den Dialogum M. Johann Freders zu Ehren dem Eheſtand.

Summarien über die Pſalmen und Urſache des Dolmetſchens.

Der 76. Pſalm kurtz ausgelegt.

Chronica der Jahr-Rechnung der Welt.

Ejus Scripta Germanica Jenæ impreſſa.

Scripta ejus Germanica Tomis VIII. Jenæ A. 1540. & ſeqq. â Donato Richzenhain & hæredibus Chriſtiani Rödingeri, aliisq; impreſſa, ſunt hæc:

In *Tomo I.* continentur:

Kurtzer Unterricht / wie man ſich in ſeine erſte Bücher richten ſolle.

Vorrede auf ſeine Diſputation oder Propoſitiones wider den Ablaß.

Schrifft an den Cardinal und Ertz-Biſchoff zu Mainz von ſeiner Diſputation vom Ablaß. 1517.

Sprüche vom Ablaß wider Joh. Tetzel.

Proteſtatio.

Die VII. Bußpſalmen mit teutſcher Auslegung.

Sermon vom Ablaß und Gnade.

Freyheit des Sermons vom Ablaß.

Schrifft

Digitized by Google

Schrifft an Biſchoff Hieronymum zu Brandenburg von ſeiner Diſputation vom Ablaß. 1518.

Schrifft an D. Staupitz von dem Wörtl. Buſſe.

An Pabſt Leo X. was ihn zu der Diſputation vom Ablaß verurſachet.

Zwo ernſtliche Schrifften an den Chriſtlichen Leſer wider Sivestrum Prieriatem.

Schrifft an den Chriſtlichen Leſer / wider Jacob Hochſtraten.

Sermon vom Sacrament der Buſſe.

Auslegung des Vatter Unſers / vor die Leyen.

Der CX. Pſalm vom Königreich und Prieſterthum JEſu Chriſti.

Gloſſa auf das Breve Pabſt Leonis X. an Cardinal Cajetanum.

Kurtze Schrifft an Philippum Melanchthonem aus Augſpurg / daß er lieber ſterben / als widerruffen wolle.

Proteſtatio und Antwort auf die zween fürgeworffne als verweißliche Artickel vom Cardinal Cajetano.

Sendbrief an Georg Spalatinum von Verhör ſeiner Sach für dem Legaten.

Schrifft an D. Carlſtadt.

Zwo Schrifften an den Cardinal Thomam Cajetanum.

Appellation vom Cajetano an Pabſt Leonem X.

Schrifft an H. Friderich Churf. zu Sachſen / darinn er auf die lange Klage des Cardinals Unterricht thut.

Kurtzer Bericht / wie er ſich mit Carln von Miltitz verglichen habe. 1519.

Schrifft an Pabſt Leonem X. daß er nicht wiederruffen könne.

Unterricht von der Diſputation zu Leipzig.

Antwort auf D. Ecken Schreiben an Hertzog Friderich.

Unterricht auf etliche Artickel / ſo ihme von ſeinen Mißgönnern zugemeſſen.

Sermon von Betrachtung des H. Leidens Chriſti.

Vom Ehlichen Stande.

Vom Gebet und Proceſſion der Creutzwochen.

Am Tage Petri und Pauli.

Von der Bereitung zum Sterben.

Vom H. Hochwürdigen Sacrament der Tauffe.

Groſſer und kleiner Sermon vom Wucher.

Sermon vom hochwürdigen Sacrament des H. wahren Leichnams / und den Brüderſchafften.

Erklärung etlicher Artickel in ſeinem Sermon vom H. Sacrament des H. wahren Leichnams Chriſti. A. 1520.

Schrifft an Käiſer Carln / daß er ihn nicht unverhört wolle verdammen laſſen.

An den Ertz-Biſchoff zu Maintz / daß er ſeinen Verleumdern nicht Glauben geben wolle.

An Biſchoff zu Merſeburg faſt gleiches Inhalts.

Antwort auf die Zeddel / ſo unter des Officials zu Stolpen Siegel ausgegangen.

Von guten Wercken.

Vom Pabſt zu Rom wider den hochberühmten Romaniſten zu Leipzig.

Antwort auf des Cardinals S. Georgii u. D. von Deitleben Schreiben.

Sernion vom Bann.

An den Chriſtlichen Adel Teutſcher Nation von des Chriſtl. Standes Beſſerung.

Kurtze Form / die zehen Gebot / und den Glauben zu betrachten / und das Vatter Unſer zu beten.

Sermon vom Neuen Teſtament / das iſt / von der Meſſe.

Proteſtation oder Erbieten.

Von den neuen Eckiſchen Bullen und Lügen.

Appellation vom Pabſt Leone an ein frey Chriſtlich Concilium.

Kurtze Geſchicht / wie von ihme die Antichriſtiſchen Decretal verbrannt ſind.

Warum des Pabſts und ſeiner Jünger Bücher von ihme verbrannt ſind.

Kurtze und gute Auslegung des H. Vatter Unſers fürſich und hinterſich.

An den Bock zu Leipzig. 1521.

Auf des Bocks zu Leipzig Antwort.

Auf das überchriſtl. übergeiſtl. und überkünſtl. Buch Bocks Emſers Antwort.

Widerſpruch ſeines Irrthums erzwungen durch Hieronymum Emſer.

Schrifft an H. Friderich zu Sachſen / daß er willig auf dem Reichstag zu Wormbs erſcheinen wolle.

Unterricht der Beichtkinder über die verbottne Bücher D. M. L.

Grund und Urſach aller Artickel / ſo durch Päbſtl. Bull verdammet ſind.

Antwort auf H. Friderichs zu Sachſen Schrifft / darinn begehrt wird / daß er auf Käiſerl. Majeſt. Befehl etliche Artickul widerruffen ſolle.

Schrifft an Georg Spalatin / waſerley Geſtalt er kommen oder ausbleiben wolte vom Reichstage.

Sermon von würdiger Empfahung des H. Leichnams Chriſti.

Schrifft an Röm. Käiſ. Maj. nach ſeinem Abſchied aus Wormbs von Friedburg zurücke geſchicket.

Schrifft an Lucas Cranach Mahler / von ſeiner Verhör zu Wormbs 2c.

Geſchicht und Handlung zu Wormbs aufm Reichstag / von ihm ſelbſt an Graf Albrecht zu Mansfeld geſchrieben.

Auslegung des LXVIII. Pſalms vom Oſter-Feſt / Himmelfahrt und Pfingſten.

Das Magnificat.

König Salomons Gebet 3. Reg. 3.

Von der Beicht / ob die der Pabſt Macht habe zu gebieten.

Der CXIX. Pſalm wider den Pabſt und Menſchen-Lehre zu beten.

Auslegung des XXXVII. Pſalms.

Vorrede über die Auslegung des Evangelii von den 10. Auſſätzigen Luc. 17.

Aus-

Auslegung des Spruchs: Zeiget euch den Prieſtern.

Harte Schrifft an den Ertz-Biſchoff zu Maintz.

Schrifft an Wolffgangum Fabritium Capitonem.

In *Tomo II.*

Vom Mißbrauch der Meß. 1522.

Bulla vom Abendfreſſen des Pabſts.

Treue Warnung an alle Chriſten / ſich für Aufruhr zu hüten.

Chriſtliche Ermahnung unter frembden Namen / an die vier Bettel-Orden.

Wider die Neuerung durch Carlſtadt zu Wittenberg angerichtet.

Schrifft an H. Friderich Churf. von ſeiner Sach / und daß er ſich wieder gen Wittenberg wenden wolle.

Schrifft an Spalatinum.

An H. Friderich Churf. warum er ohne S. Churf. G. Vorwiſſen ſich wieder gen Wittenberg gewandt.

Miſſiv an Hartmut von Cronberg.

Von beyder Geſtalt des Sacraments zu nehmen.

Schrifft an H. Friderich Churf. einen Prediger gen Augſpurg zu ſchicken.

Von Menſchen Lehre zu meiden.

Epiſtel oder Unterricht von den Heiligen an die Kirche zu Erffurt.

Wider den falſch-genannten Stand der Geiſtlichen.

Verantwortung und Unterricht / warum er die groſſen Prälaten ſo hart antaſte.

Schrifft an die Böhmen auf ihrem Landtage.

Antwort auf König Heinrichs zu Engeland Buch.

Schrifft an einen guten Freund / warum er dem König zu Engeland ſo ſcharff geſchrieben.

Vom Ehlichen Leben.

Folgrede auf das Päbſtliche Breve.

Kurtze Auslegung des Ave Maria.

Von weltlicher Obrigkeit / wie weit man ihr Gehorſam ſchuldig ſeye.

Antwort-Schreiben auf Hertzog Georgens Schrifft.

Schrifft an Herrn Hannſen von der Planitz / Ritter.

An die Herren Teutſches Ordens / falſche Keuſchheit zu meiden.

Vom Anbeten des Sacraments des H. Leichnams JEſu Chriſti.

Urſach und Antwort / daß Jungfrauen die Klöſter verlaſſen mögen.

Wider die Verkehrer und Fälſcher Käiſerl. Mandats.

Daß JEſus Chriſtus ein geborner Jüd ſey.

Tauffbüchlein.

Grund und Urſach aus H. Schrifft / daß eine Chriſtl. Gemeine Recht und Macht habe / alle Lehre zu urtheilen.

Von Ordnung des Gottesdienſt in der Gemein.

Ordnung eines gemeinen Kaſtens.

Urtheil von Eraſmo Roterodamo.

Antwort und Erbieten auf Anſuchen Chur-Fürſtl. Durchl. zu Sachſen.

Sendbrief über die Frage / ob auch jemand / ohne Glauben verſtorben / ſeelig werden möge.

An Johann von Schleinitz einer Heurath halben.

An die 3. Hofjungfrauen um des Evangelii willen aus dem Frauenzimmer zu Freyberg vertrieben.

An die Chriſten in Holland und Braband.

An eine Chriſtliche Gemein der Stadt Eßlingen.

An Georg Spalatinum.

Bedencken vom Zinßkauff.

Troſtbrief an die Chriſten zu Augſpurg.

Schrifft an einen guten Freund / vom Anbeten des Sacraments.

Zwo Schrifften an das Capitel zu Wittenberg.

Deutung der zwo greulichen Figuren Pabſt-Eſels zu Rom / uñ Münchskalb zu Freyberg.

Das VII. Capitel der I. Ep. S. Pauli an die Corinther.

Die erſte Epiſtel S. Petri.

Fürſchrifft an Hertzog Friderichen Chur-Fürſten für einen armen Mann.

Kurtze Erklärung über die Wort Joh. 1. Des andern Tages ſiehet Johannes ꝛc. 1524.

Geſchicht / wie GOtt einer erbarn Kloſter-Jungfrauen ausgeholffen hat.

Troſtbrief an die Miltenberger / aus dem 120. Pſalm.

Der CXXVII. ausgelegt an die Chriſten zu Riga in Liefland.

Vorrede über zwey Käiſerl. uneinige und widerwärtige Gebot.

Wider das blind und tolle Verdammnis der XVI. Artickel von der Univerſität zu Ingolſtadt.

Daß Eltern die Kinder zur Ehe nicht zwingen noch hintern / und die Kinder ohne der Eltern Willen ſich nicht verloben ſollen.

Wider den neuen Abgott und alten Teufſel / der zu Meiſſen ſoll erhoben werden.

2. Antwortſchreiben an Wolffen von Salhauſen / das Geſetz und gute Wercke betreffend.

Treue Warnungs-Schrifft an die von Mülhauſen / ſich für Thomas Münzer zu hüten.

Brief an die Fürſten zu Sachſen / von dem aufrühriſchen Geiſt.

Vom Brauch und Bekäntnis Chriſtlicher Freyheit.

Handlung mit dem Rath und Gemeine der Stadt Orlamünd.

Schrifft an einen Landherrn in Oeſterreich / ſo Chriſtlicher Lehre unberichtet.

An die Bürgermeiſter und Rathsherren Teutſches Landes / Chriſtliche Schulen aufzurichten.

Bedencken/ ob man nach Moſe/ oder Käiſerl. Rechten richten und urtheilen ſolle.

Von Kauffshandlung.

Von der Haubtſumma Gottes Gebots/ darzu vom Mißbrauch und rechtem Gebrauch des Geſetzes. 1. Tim. 1.

Auslegung des Spruchs S. Pauli 1. Tim. 2. Gott will/ daß allen Menſchen geholffen werde/ ꝛc.

Schrifft an das Capitel zu Wittenberg/ die Gottloſen Ceremonien abzuthun.

Von dem Greuel der Stillmeſſe/ ſo man den Canon nennet.

Schrifft an Hertzog Friderich Churf. zu Sachſen/ darinn er das Auguſtiner Kloſter übergibt ꝛc.

Zwo Predigten über der Leich/ Hertzog Friderichs Churf. zu Sachſen.

Troſtbrief an Hertzog Johann Churfürſten zu Sachſen/ über den Tod Hertzog Friderichs ſeines Herꝛn Brudern.

Schrifft an D. Johann Rühel.

An die Chriſten in Liefland.

In *Tomo III.*

Die ſieben Bußpſalmen mit teutſcher Auslegung gebeſſert. A. 1525.

Hiſtoria Bruder Heinrichs von Sütphen in Diedmar von den Feinden des Evangelii verbrannt/ ſamt dem ausgelegten IX. Pſalm.

Erſter und anderer Theil wider die himmliſchen Propheten.

Schrifft an Graf Albrecht zu Mansfeld.

Zwo Bullen Pabſts Clementis VII. mit nöthigen Gloſſen/ ſamt treuer Vermahnung und Warnung an alle/ ſo Chriſtum und ſein Wort von Hertzen lieb haben.

Chriſtl. Schrifft an Wolff Reiſſenbuſch/ ſich in den Eheſtand zu begeben.

Schrifft an die Chriſten zu Antorff/ ſich für irrigen Geiſtern zu hüten.

Warnung an alle Chriſten zu Straßburg/ ſich für Carlſtadts Schwermerey zu hüten.

Vermahnung über den Vertrag zwiſchen dem löblichen Bund zu Schwaben/ und den zweyen Hauffen der Bauren. A. 1525.

Schrifft an alle Chriſten/ D. Carlſtadts Entſchuldigung des Aufruhrs belangend.

Ermahnung zum Fried auf die XII. Artickel der Bauerſchafft.

Wider die rauberiſchen und mörderiſchen Bauren.

Erſchröcklich Geſchicht und Gericht Gottes über Thomas Müntzer.

Schrifft an D. Joh. Rühel/ daß er ſich an das Schelten ſeiner Perſon nicht kehren wolle.

Chriſtl. Vermahnung an den Cardinal und Biſchoff zu Maintz ſich in den Eheſtand zu begeben.

Zwo Schrifften an D. Joh. Rühel.

An einen guten Freund/ darinn er ihm anzeigt/ daß er ſich in den Eheſtand begeben habe.

Sendbrief vom harten Büchlein wider die Bauren.

Vier kurtze Schrifften/ darinn er etliche ſeiner liebſten Herren und Freunde auf ſeine Wirthſchafft bittet.

Chriſtl. Vermahnung an die Chriſten in Liefland von dem äuſſerlichen Gottesdienſt und Eintracht.

Eine Schrifft/ D. Carlſtadt belangend.

Fürbitt an den Ertz-Biſchoff zu Maintz/ für einen armen Gefangnen.

Ordnung und Bericht/ wie forthin das hochwürdige Sacrament ſolle gereichet werden.

Sermon von würdiger Empfahung des H. Sacraments.

Unterricht/ wie ſich die Chriſten in Moſen ſchicken ſollen.

Schrifft an Johann Churf. zu Sachſen/ die Pfarren in Sr. Churf. Gn. Land zu beſehen.

Chriſtl. demütige Schrifft an Hertzog Georg zu Sachſen.

Auslegung der Epiſtel des Propheten Eſaiæ/ ſo man in der Chriſtmeſſe lieſet. A. 1526.

Schrifft an M. Nicolaum Hausmann/ darinn er gedenckt der harten Wort H. Georgen zu Sachſen.

Bedencken wie Aufruhr zu ſtillen.

Auslegung des Propheten Jonæ und Habacuc.

Zwo Sermonen über das XV. und XVI. Cap. in der Apoſtel Geſchicht.

Weiſe/ Chriſtliche Meſſe zu halten/ und zum Tiſch Gottes zu gehen.

Teutſche Meſſe und Ordnung des Gottesdienſts.

Vorrede über das Büchlein/ Syngramma genannt.

Demütige Schrifft an König Heinrich zu Engeland.

Vier Troſt-Pſalmen an die Königin zu Hungarn.

Ob Kriegsleut auch in ſeeligem Stande ſeyn können. A. 1527.

Auf des Königs in Engeland Läſterſchrifft Titel.

Schrifft an H. Johann Churf. zu Sachſen/ den Pfarꝛherꝛn von Waltershauſen/ auch die Viſitation belangend.

Daß die Worte Chriſti (das iſt mein Leib/) noch feſt ſtehen.

Tröſtung an die Chriſten zu Hall über Georg Winclers ihres Predigers Tod.

Schrifft an H. Johann Churf. zu Sachſen/ das Barfüſſer Kloſter zu Wittenberg den Armen zur Herberg zu verordnen.

Ob man für dem Sterben fliehen möge.

Antwort und Unterricht auf die Frage/ ob man auch das Evangelium rein predigen/ und beyder Geſtalt des Sacraments unterlaſſen möge.

Vorrede auf Liechtenbergers Weiſſagung.

Zwo kurtze Schrifften an H. Johann Churf. zu Sachſen/ den Pfarꝛherꝛn zu Belgern/ und die Ordnung der Viſitatorn belangend.

Vorrede über Leonhard Käiſers Geſchicht.

Troſtſchrifft an den Gefangenen Leonhard Käiſer.

Schrifft an Michael Stifel / die Hiſtori Leonhard Käiſers belangend.

Ernſtliche Folgrede an die Tyrannen und Feinde des Evangelii.

Stück aus dem XXIII. Cap. Jeremiæ von Chriſti Reich und Chriſtl. Freyheit.

Bedencken von einem Ehegelöbnis an M. Georg Spalatin.

Fürbittſchrifft an H. Johann Churf. für einen armen Pfarrer.

Treue Warnung/ ſich für falſchen Lehrern fürzuſehen.

Vom Abendmal. A. 1528.

Troſtſchrifft an die Chriſten zu Hall in Sachſen.

Bericht von beyder Geſtalt des Sacraments.

Treue und ernſte Vermahnung/ ſich für der Lehre der Sacrament-Schwermer zu hüten.

In *Tomo IV*.

Auslegung des I. Buchs Moſe. A. 1528.

Des Propheten Sachariæ.

Fünff Rathſchläg oder Bedencken/ etlichen von Adel gegeben.

Brief an zween Pfarrherrn von der Widertauffe.

Unterricht der Viſitatorn an die Pfarrherren im Churfürſtenthum zu Sachſen.

Schrifft an D. Joh. Rühel.

An H. Joh. Friderich den I.

Kurtze Vorrede auf Bruder Clauſen in Schweitz Geſicht/ ſamt deſſelben Deutung.

Erinnerung an einen ſeiner guten Freunde/ wie er ſeinem Weibe in ihrem unbilligen Fürnehmen begegnen ſoll.

Vorrede aufs Büchl. Fr. Urſulen/ Hertzogin zu Mönſterberg.

Schrifft an die Pfarrherren und Prediger der Stadt Göttingen.

An Lazarum Spengler / wie es mit den Meſſen zu halten.

Fürſchrifft für einen armen Waiſen / an Wilhelm Reiffenſtein.

Schrifft an D. Georg Brück / darinn er ſich D. Carlſtadts Auflag entſchuldiget.

Widerlegung etlicher Argumenten/ ſo D. Carlſtadt ſeine Opinion vom H. Sacrament zu erhalten geführet.

Kurtze Vorrede über das Büchlein von der falſchen Bettler Büberey.

Vorrede auf das Büchlein Licentiat Klingenbeils/ von der Prieſter-Ehe.

Antwort und Bericht auf eine Eheſache.

Troſtſchrifft an eine Witwe.

Catechismus.

Zweyerley Vorrede groß und klein auf den Catechismum.

Vom Krieg wider den Türcken.

Drey Sermonen/ (1) Von der Sünde wider den H. Geiſt/ (2) Von Chriſti Brüdern und Schweſtern/ (3) Von eigner Gerechtigkeit.

Vorrede über das Buch der Weißheit Salomonis.

Uber das Büchlein Juſti Menii von Chriſtl. Haushaltung.

Bericht / weſſen ſich ein Fürſtl. Abbt halten ſolle.

Schrifft an Landgrafen zu Heſſen/ die Diſputation vom Sacrament belangend.

An Hertzog Johann / Churf. zu Sachſen.

Kurtze Summa der Diſputation vom Sacrament zu Marpurg gehalten.

Chriſtl. Vermahnung an den Churf. zu Brandenburg.

Heerpredigt wider den Türcken.

Auslegung der X. Gebot aus dem 19. und 20. Cap. des II. Buchs Moſe.

Von heimlich- und geſtolnen Brieffen / ſamt Auslegung des VII. Pſalms.

Troſtſchrifft an eine Perſon in hohen Anfechtungen.

In *Tomo V*.

Vorrede auf den Propheten Daniel. A. 1530.

Erklärung des 38. und 39. Cap. Heſekiels vom Gog.

Auserleſene Sprüche der H. Schrifft.

Etliche Sprüche von der Chriſtl. Kirchen.

Daß das Kloſter-Leben unchriſtlich und ſchädlich ſey.

Troſtbrief an ſeinen Vatter Hanns Luther.

Bekänntnis Chriſtlicher Lehr und Glaubens.

Schertzſchrifft an ſeine Tiſchgeſellen.

Antwort auf Churf. Johann zu Sachſen Schreiben / des Predigers halber zu Augſpurg.

Schrifft an Landgrafen zu Heſſen.

Drey ſchöne Schrifften an Hertzog Johann Churf.

17. Schrifften an die Herren Theologen zu Augſpurg auf dem Reichstag.

Confitemini, oder Auslegung des CXVIII. Pſalms.

Brief an den Cardinal Ertz-Biſchoff zu Maintz/ ſamt kurtzer Auslegung des II. Pſal.

Vermahnung an die Geiſtlichen auf dem Reichstag zu Augſpurg verſammlet.

Etliche Bedencken über etliche ſtrittige Artickel.

Bericht auf zwo Fragen von Perſonen hohes Standes.

Schrifft an D. Brücken.

Auslegung des CXVII. Pſalms.

Sendbrief von Dolmetſchen und Fürbitte der Heiligen.

Auslegung des LXXXII. Pſalms.

Widerruff vom Fegfeuer.

Predigt/ daß man Kinder zu Schulen halten ſolle.

Vermahnung zum H. Sacrament des Leibs und Bluts Chriſti.

Auslegung des CXI. Pſalms.

Buch von den Schlüſſeln.

Von Eheſachen an etliche Pfarrherren und Prediger.

Vorrede auf das Büchlein: Kurtzer Auszug aus den Päbſtl. Rechten ꝛc.

Digitized by Google

Auf ein Lateiniſch Büchlein von der Türcken Religion.

Auf Juſti Menii Büchlein von der Lehre der Widertauffer.

Kurtzer Bericht auf 5. Fragen / das H. hochwürdige Sacrament belangend.

Bedencken/ wie eine Jüdin / noch Jungfrau/ ſolle getauffet werden.

Schrifft an zween Prediger/ob ſie ihre Kirchen laſſen/ und den Feinden des Evangelii/ die ſich als Freunde ſtellen/ weichen ſollen.

Feine Chriſtl. Gedancken der alten Vätter und Lehrer der Kirchen vom Creutz.

Etliche offentliche Nothbriefe an den Chur-Fürſten zu Brandenburg.

Kinderſchrifft an ſein liebes Söhnlein.

Etliche verteutſchte Fabeln aus Eſopo.

Warnung an ſeine liebe Teutſchen. 1531.

Gloſſa auf das vermeinte Käiſerl. Edict.

Wider den Meuchler zu Dreßden.

Chriſtl. Vermahnung / welche die Pfarrherrn und Kirchendiener denen Comunicanten fürſagen mögen.

Vermahnſchrifft an die / ſo das hochwürdige Sacrament unter beyder Geſtalt empfangen.

Sermon vom Creutz / und wie man ſich darein ſchicken ſolle.

Uber das Evangelium Joh. 20. Von Maria Magdalena.

Vier Vorreden: Die erſten zwo auf M. Croßneri zwo Predigten. Die dritte auf das Büchlein Joh. Brentii von Eheſachen. Die vierte auf den 51. Pſ. M. Fabri.

Treue Vermahnung an einen Pfarrherrn/ daß er zu unbilligem Abſetzen eines Predigers nicht ſtillſchweige.

Troſtſchrifft an ſeine liebe Mutter Margaretha Lutherin.

Schrifft an ſeine liebe Herren und Freunde/die treuen Chriſten zu N. weſſen ſie ſich in Vertreibung ihrer Pfarrherren verhalten ſollen.

Unterricht an die Chriſten zu N. bey Freyberg/ ſo das hochwürdige Sacrament unter beyder Geſtalt empfangen.

Chriſtliche treue Prediger ſind von Amtswegen ſchuldig des Volcks Sünde zu ſtraffen.

Kurtze Schrifft an H. Johann Churf. zu Sachſen/ des ſcharfen Schreibens halber wider H. Georgen.

Rath und Bericht / weſſen ſich ein treuer Lehrer des Worts verhalten ſolle/ wenn ſein Amt verachtet ꝛc.

Tröſtung an eine bekümmerte Perſon hohes Standes.

Sermon von den lieben Engeln Matth. 18.

Hochzeitpredigt über den Spruch Hebr. 13.

Vorrede auf das V. VI. VII. Cap. Matthæi/ ſamt Erklärung derſelben. A. 1532.

Auslegung des CXLVII. Pſalms.

Sermon vom Unterſchied des Geſetzes und Evangelii Gal. 3.

Vom Reich Chriſti Mich. 5.

Erklärung des Seegens 4. B. Moſ. c. 6.

Schrifft an H. Joh. Friderich ꝛc. Die Friedenshandlung von Käiſerl. Maj. belangend/ nicht abzuſchlagen.

Commendation-Schrifft ſeinem Diener N. gegeben.

Kurtze Troſtſchrifft an H. Johann Churf. zu Sachſen.

Zwo Schrifften an M. Georg Mohr ſeinen Beruff gen N. belangend.

Troſtſchrifft an einen guten Freund / dem ſein Sohn zeitlich mit Tod abgegangen.

An eine angefochtne Perſon von der ewigen Verſehung.

Sendbrief wider etliche Rottengeiſter.

Brief von den Schleichern und Winckelpredigern.

Zwo Schrifften an H. Johann Churf. zu Sachſen / von der Friedenshandlung.

Zwo Predigten über der Leiche H. Johann Churf. zu Sachſen.

Zwo Schrifften an einen guten Herrn und Freund / einen ſonderlichen Liebhaber Gottes Worts.

Troſtſchrifft an einen Angefochtnen von Adel.

Schrifft an den Rath zu N. den Beruff eines Predigers belangend.

Troſtſchrifft an die Chriſten / ſo aus Leipzig um des Evangelii willen verjagt worden.

Schrifft an die Wolgebornen Herren Schlicken.

Etliche Predigten von der Chriſten Rüſtung und Waffen über das letzte Stück S. Pauli an die Eph. c. 6.

Zwo Troſtſchrifften an D. Laurentium Zoch über den tödtlichen Abgang ſeines Ehegemahls.

Troſtſchrifft an einen von Adel mit groſſer Schwermut beladen.

Predigt von Chriſti herrlicher Zukunfft / und vorhergehenden Zeichen des Jüngſten Tages.

In *Tomo VI.*

Troſtbrief an die Chriſten aus Oſchatz ums Evangelii willen verjaget. 1533.

Fürſchrifft an den Rath zu Rotenburg für ihr Stadtkind Georg Schnell.

Schrifft an Hertzog Johann Churf. zu Sachſen ꝛc. die Gegenwehr belangend.

Unterricht an die Chriſten zu Leipzig vom Gebrauch des Sacraments.

Schrifft an den Burgermeiſter zu Leipzig Wolff Widmann.

Urtheil über H. Georgen.

Verantwortung der aufgelegten Aufruhr von H. Georgen / ſamt einem Troſtbrief an die aus Leipzig verjagten Chriſten.

Kleine Antwort auf H. Georgen Buch.

Troſtbrieflein an einen/ welcher eine Zeitlang beederley Geſtalt des H. Sacraments gebrauchet/darnach aus Furcht wieder eine empfangen.

Summa des Chriſtl. Lebens aus 1. Tim. 1.

Predigten von der Liebe/ aus 1. Ep. Joh. 4.

Predigten über den andern Artickel des Chriſtlichen Glaubens.

Von der Winckelmeß und Pfaffenweyhe.

Warnungs-Schrifft an die zu Franckfurt am Mayn / ſich vor Zwingliſcher Lehre zu hüten.

Vorrede auf das Buch Fabri vom falſchen Blut und Abgott im Thum zu Schwerin.

Auf des Pfarrherrn zu Hirſchfeld Antwort wider Agricolæ Phagi Läſterbüchlein.

Auf das Büchlein Rechenſchafft des Glaubens ꝛc.

Auf M. Aquilæ Büchlein vom Almoſen.

Auf den Catalogum oder Regiſter aller ſeiner Bücher von A. 1517. bis 1533.

Kurtze Schrifft an D. Joh. Rühel A. 1534.

Brief von ſeinem Buch der Winckelmeß/ an einen guten Freund.

Predigt über den 65. Pſalm.

Auslegung des CI. Pſalms.

Troſtſchrifft an Balthaſar Jöppel / weiland H. Georgen zu Sachſen Organiſten.

Vier Troſtſchrifften an eine Fürſtl. Perſon in Geiſt- und Leiblichen Anfechtungen.

Auslegung des 17. Cap. S. Johannis von dem Gebet Chriſti.

Troſtſchrifft an D. Joh. Rühel über ſeiner Leibs-Schwachheit.

An Autor Broizen.

An eine Perſon mit Schwermuth und Traurigkeit angefochten.

Auslegung des XV. Capitels der I. Epiſt. Paul. an die Corinth. Von Auferſtehung der Todten.

Troſtſchrifft an Caſpar Müller / Mansfeldiſchen Cantzler.

Ernſtliche Vermahnung an eine beleidigte Perſon/ ſich für eigner Rache zu hüten.

Bedencken/ warum Einſamkeit zu fliehen.

Schrift/ an einen Pfarrherrn/ auf die Frage/ ob ein Hausvatter ſich und ſein Geſind zu Haus communiciren möge. 1535.

Schrifft / ob ein Chriſt bey abgöttiſchen Götzendienſt ohne Verletzung ſeines Gewiſſens ſeyn möge.

Predigten von der H. Tauffe.

Zwo Sermon über das Evang. Matth. 8. Vom Hauptmann zu Capernaum.

Schrifft an H. Johann Churf. zu Sachſen/ die Gegenwehr belangend.

Ob man das Hochwürdige Sacrament in beyder Geſtalt/ in geheim zu Hauſe ſich möge reichen laſſen.

Vorrede auf die Bekäntnis Lazari Spenglers/ Syndici zu Nürnberg.

Einfältige Weiſe zu beten für einen guten Freund.

Vorrede auf die Widerlegung der Münſteriſchen neuen Valentinianer und Donatiſten Bekäntnis.

Auf die neue Zeitung von Münſter.

Schrifft/ ob ein Chriſt mit gutem Gewiſſen könne bey eines Päbſtiſchen Biſchoffs Krönung ſeyn.

Etliche Sprüche wider das Concilium Obſtantienſe. (Conſtantienſe.)

Troſtſchrifft für die Chriſten von der Mitweide um des Evangelii Willen verjaget.

Antwort auf eines Erbarn Raths zu Augſpurg Schrifft und Werbung von wegen der Einigkeit des H. Sacraments.

Ernſte und letzte Straffſchrifft an den Biſchoff von Mainz.

Troſtſchrifft an einen guten Freund / dem unſer HErr GOtt einen Sohn gegeben/ und bald wieder genommen.

Brief an die Prediger zu Soeſt.

Ausſchreibung eines heiligen freyen Chriſtlichen Concilii, darunter des Pabſts Lehre/ Leben und Tyranney hart verklagt wird.

Vorrede auf die Hiſtori zu Staßfort geſchehen.

Auf die kurtze Auslegung über die Sonntags-Evangelien Antonii Corvini.

Auslegung des XXIII. Pſalms. 1536.

Schrifft an Lorentz Kaſtner/ ſich für Winckelpredigern zu hüten.

Troſtſchrifft an Hanns Reineck Burger und Hüttenmeiſter zu Mansfeld.

Vorrede auf die Auslegung des XXIX. Pſ.

Geiſtlich und Weltlich Regiment wol zu unterſcheiden.

Hochzeit-Predigt über den Spruch S. Pauli/ Eph. 5. Die Weiber ſeyen ꝛc.

Der Segen über den Bräutigam und Braut für dem Altar.

Brief an D. Brücken vom Cardinal zu Mainz.

Zwo Predigten über das Evang. Matth. 4. Von den Anfechtungen Chriſti. 1537.

Vorrede auf die Auslegung der Sonntags-Epiſteln durchs Jahr / Antonii Corvini.

Verteutſchte Donatio Conſtantini an das aufgeſchobne Concilium zu Mantua.

Vorrede auf das Concilium zu Gangra in Paphlagonia.

Troſtbrieflein an eine Perſon / ſo in ihrer Kranckheit kleinmütig geweſen.

Vorrede auf etliche Briefe Johann Huſſen.

Tugend von S. Chryſoſtomo an die H. Vätter im Concilio zu Mantua.

Vorrede auf die Auslegung der Wort Marc. 16. Gehet hin ꝛc. Ambroſii Moibani.

Fürſchrifft an einen Prälaten wegen eines Pfarrherrn.

Schrifft an die Schweitzer / wegen aufgerichter Concordien zwiſchen ihm und ihren Predigern.

An einen Juden/ warum er ihre Fürbitt an Churfl. Durchl. verſage.

Articel Chriſtl. Lehre / ſo da hätten aufs Concilium zu Mantua ſollen überantwortet werden. 1538.

Rath an einen ehrlichen frommen Mann/ weſſen er ſich gegen ſeine beſchlaffne Braut verhalten ſolle.

Vorrede auf die Hiſtori Galeatii Capellæ vom Hertzogen zu Mayland.

Ernſte zornige Schrifft wider Simonis Lemnii Epigrammata.

Vorrede auf den Rathſchlag von der Kirchen/

Digitized by Google

chen eines Ausſchuß etlicher Cardinäl / dem Pabſt Paulo III. überantwortet.

Auf das Büchlein/ was von Päbſtl. Heiligkeit auf dem Reichstag zu Nürnberg der Lutheriſchen Sache halber / bey Käiſerl. Majeſt. Statthalter und Reichs-Ständen geſuchet worden.

Uber die drey Haubt-Symbola.

In *Tomo VII.*

Unterricht der Viſitatorn an die Pfarrherren im Sächſiſchen Chur-Fürſtenthum.

Fürſchrifft einem Mohren gegeben.

Erklärung des Spruchs S. Pauli Gal. 1. Chriſtus hat ſich ſelbſt ꝛc.

Vorrede auf das Buch Juſti Menii, wie ein jeder Chriſt gegen allerley Lehre/ gut und böſe/ ſich Chriſtgebürlich halten ſolle.

Brief wider die Sabbather.

Predigten über das 14. 15. und 16. Cap. des Evang. Johannis.

Troſtſchrifft an einen von Adel / über den tödtlichen Abgang ſeines ehlichen Gemahls. 1539.

Von den Conciliis und Kirchen.

Etliche Schrifften und Bedencken von der Gegenwehr.

Wider die Antinomer.

Falſche und verführiſche Lehre der Antinomer.

Bericht von M. Eislebens falſcher Lehre und ſchändlicher That.

Vorrede über die Auslegung des Evang. Lucæ c. 19. Von der Zerſtörung Jeruſalems/ durch M. Sutel.

Auslegung des CX. Pſalms vom Reich Chriſti.

Kurtz und nutzlich Bedencken an H. Heinrichen zu Sachſen ꝛc. Die Privatmeſſen ꝛc. betreffend.

Wider den Biſchoff zu Magdeburg Albrecht Cardinal.

Unterſchrifft an den Rath zu Nürnberg/ von gemeiner und ſonderer Abſolution.

Troſtſchrifft an Johann Mentel / wider des Todes Anfechtung.

Ernſte Vermahnſchrifft an den Burgermeiſter zu N. daß er den Mißbrauch des Kirchhofs abſchaffen wolle.

An die Pfarrherren/ wider den Wucher zu predigen. 1540.

Schrifft an H. Joh. Friderich Churf. zu Sachſen ꝛc. mit was Befehl Seine C. F. G. ihre Geſandten zum Colloquio gen Hagenau abfertigen wollen.

Vorrede auf das Bekäntnis Roberti Barns / ſo er offentlich gethan / als er zum Feuer geführt ward.

Kurtzer Auszug aus einer Schrifft an eine Perſon hohes Standes.

Tröſtung an H. Friderich Myconium Pfarrherrn zu Gotha. 1541.

An einen Prediger.

Zwo Predigten auf der Kindtauff des jungen Herrleins Bernhards ꝛc. zu Anhalt / zu Deſſau gehalten.

Wider Hanns Worſt.

Vorrede auf D. Caſpar Güttels Predigt zu Eißleben auf dem Gottes-Acker gehalten.

Auf D. Urbani Regii Auslegung über den 52. Pſalm.

Vermahnung zum Gebet wider den Türke.

Schrifft an eine Perſon hohes Standes.

Antwort auf etlicher Fürſten Werbung.

Drey wichtige Schrifften an H. Johann Friderich Churf. zu Sachſen.

Ernſte Schrifft an einen Hofprediger/ daß Kirchen-Diener mit der Türken-Steuer nicht zu beſchweren.

In *Tomo VIII.*

Exempel/ einen rechten Chriſtlichen Biſchof zu weyhen. A. 1542.

Verteutſchte Widerlegung des Alcorans Bruder Richards P. O.

Treue Warnung für des Mahomets oder Türken greulicher Lehr und Glauben.

Vorrede auf der Barfüſſer Mönche Eulenſpiegel und Alcoran.

Vermahnung zum Friede/ an beyde Chur- und Fürſten zu Sachſen / der plötzlichen Empörung halber um Wurtzen.

Vorrede auf M. Spangenbergs Poſtill.

Etliche Bedencken und Unterricht für die Frauen / denen es unrichtig in Kindsnöthen gegangen/ und Troſt für ſie.

Troſtſchrifft an M. Cellarii nachgelaſſene Witwe.

An einen guten Freund/ dem ſeine Güter entwandt ſind.

Von den Jüden und ihren Lügen. 1543.

Troſt an eine Perſon/ derer aus Ungedult uñ Zorn ein Fluch oder Läſterwort entfahren.

Ernſt-Schrifft/ daß ein Seelſorger/ ſo recht lehret/ und unſträflich lebet / nicht ſoll ſeines Amts entſetzt werden / darum / daß er hart ſtraffet.

Vom Schemhamphoras und Geſchlecht Chriſti.

Vorrede über die Annotationes D. Wenceslai Lincken / über die V. Bücher Moſis.

Von den letzten Worten Davids.

Vermahnung an die Pfarrherren in der Superattendenz der Kirchen zu Wittenberg.

Bedencken von Ceremonien und Bann wieder anzurichten.

Ernſte Vermahn- und Warnungs-Schrift an die Studenten zu Wittenberg.

Fürſchrifft für eine arme Pfarrers-Wittwe.

Troſtſchrifft an Wolff Heinzen/ über tödtlichem Abgang ſeines Gemahls.

Urtheil und kurtze Antwort auf Caſpar Schwenckfeld Schrifft und Büchlein.

Kurtze Bekäntnis vom H. Sacrament. 1544.

Troſtſchrifft an Hieronymi Baumgartners Ehl. Gemahl/ über ihres Herrn Gefängnus.

Predigt über die Epiſtel/ ſo man lieſet auf das Feſt der H. Engel.

Vorred auf das Buch Juſti Menii vom Geiſt der Widertauffer.

Hertzliche Tröſtung am H. Georg Spalatin.

Troſtſchrifft an einen Pfarrherrn/ mit Leibes Schwachheit/ und von böſen argen Leuten wol geplaget.

Einweihung eines neuen Hauſes zum Predigampt im Schloß Torgaw.

Troſtſchrifft an eine Witwe über ihres verſtorbenen Herrn Tod.

An fromme Eltern/ denen ihr Sohn in Studiis auf der Univerſität geſtorben war.

An eine Perſon hohes Standes / ſo ſehr betrübt und bekümmert geweſen/ über tödtlichen Abgang ihres treuen Raths. 1545.

Auf die Welſche Lügenſchrifft von ſeinem Tode.

Vorrede auf das Büchlein: Pabſts Treue Hadriani IV. und Alexandri III gegen Käiſer Friderichen Barbaroſſa verübt.

Wider das Pabſtum zu Rom vom Teufel geſtifftet.

Schrifft an Chur-Fürſten zu Sachſen und Landgrafen zu Heſſen / von dem gefangenen Hertzog zu Braunſchweig.

Vorrede auf den Dialogum M. Johann Freders/ zu Ehren dem Eheſtand.

Predigt über den Spruch Joh. 5. Suchet in der Schrifft.

Kurtzes Troſtbrieflein an eine Perſon/ angefochten von der ewigen Verſehung.

Predigt von der ſchröcklichen Blindheit und Undanck der argen Welt.

Predigt von der Tauff Chriſti Matth. 3. A. 1546.

Von S. Pauli Bekehrung.

Letzte Predigt zu Wittenberg gehalten.

Vier Predigten kurtz vor ſeinem Abſchied aus dieſem Leben zu Eißleben gehalten.

Auslegung vieler tröſtlichen Sprüche aus H. Schrifft / etlichen ſeinen guten Herren und Freunden in ihre Biblien geſchrieben.

Der kleine Catechismus für die gemeine Pfarrherren und Prediger.

Geiſtliche Lieder und Pſalmen/ſamt dreyen Vorreden.

Vorrede auf die Geiſtliche Geſäng Lateiniſch und Teutſch zum Begräbnis.

Antwort und Bericht auf 3. Fragen an D. Wenceslaum Linck.

Bericht und Antwort auf des Raths zu Stetin Begehr.

Schrifft von den Jungherren von Adel/ die an ihren Paſtoren ſo viel Mangels haben.

Klage über den Undanck des lieben Worts und Verachtung der Diener.

Sehr ernſte Schrifft an Churfürſtl. Befehlhaber von heimlichen Verlöbniſſen.

Wider die XXXII. Artickel der Theologiſten zu Löven.

Scripta Germ. Isleb.

Scripta ejus Germanica *Tomis II. Islebiæ* ab *Urbano Gaubiſchio* An. 1564. impreſſa, ſunt ſequentia:

In *Tomo I.* Continentur:

Vorrede auf das Buch/die Teutſche Theologia genannt. 1516.

Auf das Büchlein/ was der alte und neue Menſch ſeye.

Hiſtori / wie es ihm zu Augſpurg ergangen/ und er in einer Tiſchrede zu Eißleben erzehlet. A. 1518.

Predigt von der würdigen Bereitung zum hochwürdigen Sacrament. 1519.

Erinnerung/ wie das Leiden Chriſti ſoll betrachtet werden.

Von der Freyheit eines Chriſten-Menſchen. 1520.

Sendbrief an Hertzog Friderich Churf. zu Sachen.

Predigt von zweyerley Gerechtigkeit über den Spruch Pauli Philip. c. 2.

Die zehen Gebot Gottes/ mit einer kurtzen Auslegung.

Hiſtori / wie man ihn mit Liſt hat wollen umbringen/ von ihme ſelbſt erzehlet.

Wie ſich der Adel ſeiner angenommen.

Sermon vom Reich Chriſti und Herodis am H. drey König Tage. 1521.

Wie man einen Menſchen zum Chriſten-Glauben tauffen ſolle.

Treuer Rath an einen Chriſtl. Pfarrherrn/ wie er ſich in ſeinem Amt verhalten ſolle.

Sermon auf dem Hinweg zu Käiſerl. Maj. gen Worms/ gehalten zu Erffurt Dom. Quaſimodog.

Figur und Deutung des Evang. Von den 10. Auſſätzigen Luc. 17.

Hiſtori/ wie es ihm auf dem Reichstag zu Wormbs ergangen.

Ernſtlich Gebet zu Wormbs auf dem Reichstag.

Paſſional Chriſti und Antichriſti.

Auslegung des Pabſtums mit ſeinen Farben. 1522.

Bedencken und Unterricht von den Klöſtern und aller Geiſtlichen Gelübden.

Verteutſchte Schutzrede Philippi Melanchthonis wider das wütende Urtheil der Phariſeer.

Sieben Predigten / ſo er nach ſeiner Ankunfft aus ſeinem Pathmo gethan.

Gedancken / was die Zahlen 7. 12. und 84. geiſtlich bedeuten.

Sermon am Tage Severi vom Creutz und Leiden.

Von der Sünde / Gerechtigkeit und Urtheil Joh. 16.

Schrifftliche Fürbitt für einen Fiſcher.

Sermon vom Gewalt S. Peters.

Vorrede auf die erſte Auslegung Phil. Melanchthonis über die Ep. S. Pauli an die Römer.

Schrifftliche Fürbitt für M. Wolffgang Stein.

Vorrede auf die Bücher Weſſeli von Gröningen.

Sermon auf den 13. Sonntag nach Trinitatis vom H. Creutz.

Vom Preiß der Lehre Johannis des Tauffers.

Von Mariæ und aller Heiligen Ehre.

Sendbrief an H. Hannſen Freyherrn von Schwartzenberg.

Die Haubt-Artickel / durch welche die gemeine Chriſtenheit bishero verführet worden/ dar-

Digitized by Google

darneben auch der Grund eines recht Chriſtlichen Lebens angezeiget wird.

Sermon am Sonntag nach der Auffahrt des HErrn JEſu.

Am Auffarths-Tage.

Am Pfingſt-Tage.

Sendbrief an Graf Albrecht zu Mansfeld. A. 1523.

Sermon am Sonntag nach Epiphania.

Chriſti Ablaßbrief.

Sermon am Sonntag Miſericordias Domini.

Am Sonntage Cantate.

Am Tage der Himmelfahrt Chriſti von der Summa des Evangelii.

Von zweyerley Menſchen / wie ſie ſich in dem Glauben halten ſollen.

Sermon am IV. Sonntag nach Trinitatis.

Am V. Sonntag nach Trinitatis.

Von der Krafft / ſo die heiligen Evangelien über die Concilia haben.

Sendbrief an die Thumherren im Stifft zu Wittenberg.

An alle Chriſten zu Wormbs.

An Carln / Hertzog zu Saphoien.

Bekäntnis für Gregorium Morgenſtern von Dreßden / daß er ehelich geboren ſey.

Sendbrief an Michael von der Gleitsmann zu Born wider / einen aufrühriſchen Prediger.

An den Rath zu Olsnütz / ihres aufrühriſchen Predigers halber.

An eine Kloſter-Jungfrau von Adel / ſo ſich mit eines Bürgers Sohn verlobet.

An das Thum-Capitel zu Wittenberg / wie ſie ihren Gottesdienſt in der Thumkirchen Chriſtlich beſtellen ſollen.

Sermon am Sonntag Invocavit. A. 1524.

Welches die rechten und edelſten Bücher des Neuen Teſtaments ſeyen.

Troſtbrief an Lampertum Thorn / ſo um des Evangelii willen ins Gefängnis geleget.

Schrifft an Herrn Hannſen von Schwartzberg.

Vorrede über die Auslegung des gantzen Pſalters D. Pomerani.

Auf etlicher Pſalmen Lateiniſche Auslegung.

Auf Joh. Walters Geiſtl. Geſänge mit 4. Stimmen.

Bedencken / daß man nach Moſe Recht nicht urtheilen ſolle.

Sermon am XIten Sonntag nach Trinitatis / Von dem Gleißner und offenbaren Sünder.

Bedencken / ob eine gezwungene Ehe kräfftig ſey und binde.

Sermon vom Reich Gottes.

Brief an Catharina Schützin.

Kurtz Bedencken / ob einer / ſeiner armen Freundſchafft zu gut / ſchuldig ſey / ſich des Eheſtandes zu enthalten.

Zeugnis Johann Aurei / Päbſtiſchen Prieſters / Eheſtand belangend.

Vorrede auf die Auslegung der Epiſteln und Evangelien A. 1525.

Predigt über den Spruch Gen. 3. In deinem Samen ſollen alle Geſchlecht ꝛc.

Vom Eheſtand.

Schrifft an D. Joh. Rüel Manſfeldiſchen Cantzler.

An Leonhard Koppen / Bürger zu Torgaw.

An den Rath und Pfarrer zu Demitſch.

Predigt über das Evang. Matth. 9. am 19. Sonnt. nach Trinitatis.

Uber den 112. Pſalm. A. 1526.

Vom Sacrament des Leibs und Bluts Chriſti wider die Schwarmgeiſter.

Das Pabſtum mit ſeinen Gliedern abgemahlt.

Schrifft an Hertzog Johann Friderich zu Sachſen von den Kloſter-Gelübden.

Predigt über das Evang. Joh. 3. am Sonnt. der H. Dreyfaltigkeit.

Schrifft / darinn er aus Göttl. Schrifft vertheidiget einen Ehefall / den Papiſten zum Verdruß.

An Johann Rüel.

An Georg Mohr / Pfarrern zu Born.

An Philipp Gluenſpieß von Chriſtl. Freyheit.

Præfation / ſo man leſen ſolle für der Handlung des Abendmals.

Brief an Thomam Neuhagen / Prediger zu Eiſenach.

Schrifftlich Bedencken an einen Pfarrer / in einem Ehefall / da einem ſein Weib entführet worden.

Bedencken und Urtheil in einem Ehefall.

Von der Maintziſchen Praticken und Bündnis.

Zwey Bedencken an D. Georg Brucken / was dem Churf. zu Sachſen wider die Meintziſche Verbindnis zu thun ſeyn wolle.

Auslegung über etliche Capitel des andern Buchs Moſe.

Brief an Hertzog Johann Churf. zu Sachſen / eines Ehebrechers Straffe belangend.

An gedachten Churf. zu Sachſen / des verſtorbenen Pfarrherrn zu Schweinitz halben.

An alle Chriſten zu Reutlingen.

Predigt wider die Rottengeiſter.

Sermon am Sonnt. nach der H. drey Könige Tage. A. 1527.

Von der Frucht und Krafft der Himmelfahrt JEſu Chriſti.

Vorrede über die Auslegung Brentii über den Eccleſiaſten Salomonis.

Auf ſeine 1. Poſtill.

Troſtſchrifft an Eliſabeth Agricolæ / Schulmeiſterin zu Eisleben.

Bedencken auf einen Ehefall.

Digitized by Google

Schrifft an D. Johann Rühel.
Vorrede über das Büchlein/ deſſ Titul iſt: Etlicher gottloſen und widerchriſtiſchen Lehre von der Päbſtiſchen Meſſe ꝛc. A. 1528.
Bedencken/ weſſen man ſich in der Eheſache gegen dem jungen N. und ſeinem Vatter verhalten ſolle.
Schrifft / eine Heurath im dritten Grad betreffend/ daß ſie von GOtt nicht verbotten ſeye.
Troſtſchrifft von der Verſehung.
Verteutſchte Fabel Eſopi vom Löwen und Eſel.
Schrifft an Wenceslaum Linck.
Antwort-Schreiben an H. Georgen zu Sachſen.
Auslegung über das 18. 19. und 20. Cap. S. Johannis / vom Leiden / Sterben und Auferſtehung Chriſti JEſu. A. 1529.
Vorrede über die Auslegung der Ep. S. Pauli an die Coloſſer von Philippo Melanchthone.
Auf das Buch Huberini / vom Zorn und der Güte Gottes.
Auf Thomæ Venatorii Unterricht / den Sterbenden Menſchen an ihrem letzten Ende fürzuhalten.
Sendbrief an Joſeph Levin Metzſch zu Mila von zweyträchtiger Lehr unter einerley Obrigkeit.
An H. Niclaus Hausmann / Pfarrer zu Zwickau.
Zwo Schrifften an H. Albrecht / Grafen zu Mansfeld.
Auslegung über etliche Capitel des 5ten Buchs Moſe.
Auslegung des Lieds Moſis. 5. B.M. 32.

In *Tomo II.* Continentur:

Sermon auf den Pfingſt-Tag. A. 1523.
Schrifft an einen guten Freund. A. 1528.
Neue Zeitung von Leipzig wider M. Haſenberg und Mixitanum / welche Lutheri Eheſtand angefochten.
Bekäntnis des Glaubens. A. 1529.
Vorrede auf das Büchlein: Enchiridion Chriſtl. Unterweiſung für die Jugend und Leien.
Sendbrief an Joſeph Levin Metzſch. A. 1530.
Troſtbrief an Doctor Jonas Hausfrau.
Schrifft an Wolffgang Wiebel Bürger im Joachimsthal.
Fürbitt an H. Joh. Friderich zu Sachſen für einen armen Mann.
Sendbrief an gedachten Chur-Fürſten unter dem Reichstag zu Augſpurg geſchrieben.
An ſeine Hausfrau Catharina von Bora.
Vorrede über die Auslegung des Propheten Amos/ Johannis Brentii.
Schrifft an Lazarum Spengler Syndicum zu Nürnberg.
An H. Johann Churf. zu Sachſen.
Auslegung über die erſten 25. Pſalmen.
Uber den 29. 42. 45. 51. 81. 128. 132. 137. 147. und 148. Pſalm.
Andere Auslegung über den 23. 24. und 25. Pſalm.
Predigt über den 26. Pſalm / als Churf. Friderich A. 1525. zu Sachſen geſtorben.
Kurtzes Bedencken von der Winckelmeß.
Schrifft an Hertzog Johann / Churf. zu Sachſen.
Schrifft an H. Matthes Zellen Hausfrau zu Straßburg. A. 1531.
An einen Burger von Nürnberg.
An Wenceslaum Linck/ Prediger zu Nürnberg.
An Hertzog Johann Chur-Fürſten.
Citation in einer Eheſache.
Predigt von unſerer ſeeligen Hoffnung Tit. 2.
Auslegung über das 6. 7. und 8. Cap. des Evangeliſten Johannis.
Vorrede auf die 22. Predigten Joh. Brentii/ als der Türck ins Teutſchland fallen wolte. A. 1532.
Zwey Sendbrief an Valten Hausmann zu Freyberg.
Rathſchlag/ auf der beyden Chur-Fürſten zu Maintz und Pfaltz fürgeſchlagne Mittel in der Friedens-Handlung zu Schweinfurt.
Rathſchlag und Bedencken wegen des Tags zu Nürnberg an Churf. Johann zu Sachſen.
An einen Fürſten / betreffend die Wahl des Königs Ferdinandi.
Von den endlichen Mitteln der Friedens-Handlung zu Nürnberg / an H. Johann Churf. zu Sachſen.
Bedencken der Geiſtlichen Güter halber.
Von der Sequeſtration.
Sendbrief an Valentin Hausmann.
An H. Joh. Friderich Chur-Fürſten/ in einer böſen Eheſach.
An einen von Adel/ ſo in eines Fürſten Ungnade war.
Prophezeyhung/ als Churf. Johannes geſtorben.
Schrifft/ an den Rath zu Bremen. A. 1533.
Vorrede auf die Werbung des Käiſers und Pabſts an die proteſtirenden Stände/ wegen eines Chriſtl. Concilii.
Drey Bedencken von dem künfftigen Concilio.
Schrifft an D. Joh. Rühel. A. 1534.
An H. Gabriel Zwilling Pfarrherrn zu Torgaw.
Bedencken/ ob der Churf. zu Sachſen und ſeine Einungs-Verwandten möchten anderer Obrigkeit Unterthanen/ des Evangelions halber/ in ihren Schutz nehmen ꝛc.
Rathsſchlag auf den Handels-Tag in Heſſen ꝛc.
Schrifft wider die Sacramentirer.
Klage der Vögel über Wolffgang Siberger/ ſeinen Diener.

Unter-

Unterricht / wie man in Leibes-Schwachheit der Kleinmütigkeit und andern des Teuffels Anfechtungen begegnen und ſteuren möge.

Troſt in unſerer letzten Stunde.

Schrifft an einen von Adel / der in ſeines Fürſten Ungnad kommen.

Auslegung über das 36. und 37. Cap. Eſaiæ.

Schrifft und Bedencken an Leonhard Beier / Pfarrern zu Zwickau. A. 1535.

An Gabriel Zwilling / Pfarrern zu Torgaw.

Bedencken in einer Deſertion Eheſachen.

Schrifft an den Churf. zu Sachſen als König Franciſcus von Franckr. Philippum Melanchthonem zu ſich fordert.

An eben denſelben vom Concilio.

Troſtbrief an einen guten Freund / ſeines verſtorbenen Sohns halber.

Etliche Sprüche / was ein Concilium für Macht und Gewalt habe. A. 1536.

Schrifft an Antonium Rudolff Weinmeiſter zu Weimar.

Schrifft an Burgermeiſter und Rath der Stadt Straßburg.

An Graf Albrecht zu Mansfeld.

An Burgermeiſter und Rath zu Iſni. 1537.

Auslegung des Glaubens.

Schrifft an ſeine Hausfrau von ſeiner Kranckheit zu Schmalkalden.

Frag des gantzen heiligen Ordens der Karthen-Spieler vom Karnöffel / an das Concilium zu Mantua.

Schrifft an den Pfarrherrn zu Grimm / M. Johann Scriniarum.

Bedencken des Concilii halber / geſtellt zu Schmalkalden.

Auslegung und Predigten über das 1. und 2. Cap. des Evangeliſten Johannis.

Vorrede auf Juſti Menii Schutz-Red / und gründliche Erklärung etlicher Haubt-Artickel Chriſtlicher Lehre wider Conrad Klingen.

Sendbrief an Fürſt Joachim zu Anhalt.

An einen von Adel / betreffend einen Eheſall.

Beſchreibung des Hof-Lebens.

Scripſit & præterea: Kirchen-Poſtill.

Haus-Poſtill.

Edita etiam ſunt ejus *Colloquia menſalia ſive* Tiſch-Reden.

Extant denique *Epiſtolarum* à *Cœleſtino* collectarum *Tomi duo.*

PETRUS BRULLIUS.

Ob. martyr A.C. 1546.

PHiloſophiæ Magiſter & Theologiæ Studioſus A. 1539. *Argentoratum* veniens, *Johanni Calvino Genevam* inde reverſo in Miniſterio Verbi Divini ſucceſſit.

Miniſter Argentoratenſis & Tornacenſis.

A. 1545. Ab Evangelicis *Tornaci* in *Belgio* degentibus expetitus & accerſitus, eò cum literis commendatitiis *Martini Buceri*, Theologi apud *Argentoratenſes* primarii, conceſſit M. Sept. cumque aliquandiu clàm cœtui Evangelicorum concionatus eſſet, egreſſus Eccleſias vicinas, *Valencienne*, *Duaci*, & *Arteſiæ* viſitavit, & M. Oct. *Tornacum* reverſus eſt.

Cum verò Theologi Pontificii intereà percepiſſent, Concionatorem Evangelicum *Tornaci* ſubſiſtere, à Magiſtratu impetrârunt, ut, portis Urbis toto triduo concluſis, Paſtor ille Germanicus inquireretur.

Cum itaque *Brullius*, habitationem quotidiè cum veſtitu mutare coactus, nullibi ſecurus ſubſiſtere poſſet, 2. Nov. clàm noctu per funem in corbe demiſſus à muro in foſſam ſubjacentem ſorpes hoſtium ſuorum manus elabi ſperavit. Sed cum unus ex demittentibus corpore muro innixus ultimum Paſtori ſuo vale dixiſſet, lapis ingens fortè decidit in foſſam, & coxam *Brullii* adeò læſit, ut is ſubſiſtere coactus præ dolore & frigore Divinum auxilium imploraret.

In foſſam demiſſus corbi, & lapide in coxâ læſus detinetur.

Hoc clamore audito, vigiles accurrentes eumque conſpicientes rem geſtam Caſtelli Capitaneo ſignificârunt, qui ſtatim mandavit, ut *Brullius* in carcerem conjiceretur.

In eo per 4. menſes detentus, & à duobus Epiſcopis *Camericenſi* & *Tornacenſi* aliquoties viſitatus, epiſtolas aliquot ad Uxorem ſuam, & fratres Evangelicos ſcripſit conſolationibus plenas. Intereà Senatus *Argentoratenſis*, Elector *Saxoniæ*, & Landgravius *Haſſiæ* liberationem ipſius per literas apud Imperatorem *Carolum V.* fruſtra flagitârunt, cum epiſtolæ vel ſerò nimis advenerint, vel Cardinalis *Granvellani* inſidiis interceptæ, nec traditæ fuerint.

In Carcerem conjicitur.

Valenciennam itaque *Tornaco* deductus, ut ædes, in quibus concionatus eſſet, declararet, ibi tanquam Læſæ Cæſareæ Majeſtatis reus in foro lento igne combuſtus, inter preces ardentes martyr exſpiravit 19. Febr. A. C. 1546.

Martyrium patitur.

* *Ex Martyrologio magno D. Pauli Crocii.*

JOHANNES DIAZIUS.

Obiit A.C. 1546.

IN *Hiſpaniâ* natus *Cuenzæ*, Regni *Neapolitani* oppido.

Juvenis *Lutetiæ Pariſiorum* ultra 13. annos commoratus, ob eruditionem, & imprimis Linguæ Hebrææ cognitionem ſingularem, præ cœteris Hiſpanis charus fuit Profeſſoribus.

Ibidem cum Theologiæ ſtudium ſeriò amplexus, S. Scripturam, & Libros *Martini Lutheri*, aliorumque Evangelicorum diligenter legiſſet, Papatum odiſſe cœpit, & *Sorbona* ipſi viſa fuit ſordida impuritatiſque volutabrum.

Evangelii doctrinam amplectitur Lutetiæ.

Ut verò magis in veritatis cognitione proficeret, *Genevam* cum *Matthæo Budæo*, & *Johanne Criſpino* ſtudioſis diſceſſit: ibi cum aliquot dies egiſſet, & cum *Johanne Calvino*, cui gratus erat, locutus eſſet, *Baſileam* inde veniens, ibidemque cum Theologis converſatus, *Argentoratum* tandem, aliquantùm diutius ibi commoraturus, ſe contulit.

Genevam venit.

& Argentoratum.

Ibi *Martinus Bucerus*, poſtquàm viri hujus

T eru-

eruditionem & ſtudium ſingulare cognoviſſet, autor fuit Senatui, ut eum ſibi daret comitem ſociumque laboris in expediendis iis, quæ in Colloquio *Ratisbonenſi* A. 1546. tractanda forent.

Cum Martino Bucero Ratisbonam venit.

Cum itaque ambo *Ratisbonam* veniſſent, *Bucerus Petrum Malvendam, Hiſpanum*, negotiorum Papæ in *Germaniâ* procuratorem, acceſſit, qui cum *Diazium* in *Buceri* Evangelicorumque comitatu eſſe cognoviſſet, ſtetit attonitus, admirans, quantùm mutatus eſſet ab illo, quem *Pariſiis* noverat, *Diazio*; nihil non itaque molitus eſt, ut popularem ſuum ad ſinum matris Eccleſiæ reduceret, eique modò ſpem, modò metum, nunc ſalutem, nunc pœnam, precibus ſimùl ac minis inſtans, propoſuit.

Sed cum hâc viâ res non ſucceſſiſſet, ad malas artes converſus, literas ad Imp. *Caroli V.* Confeſſionarium Monachum *Jacobinum* de *Diazio* ſcripſit, quod is ab Eccleſiâ *Romanâ* deficiens, *Lutheranis* ſeſe adſociâſſet, eumque rogavit, ut modum, quo hæreticus hic è medio tolleretur, excogitaret.

Has literas cum Monachus legiſſet, ab eo legendas accepit *Hiſpanus* quidam, nomine *Marquina*, Procurator *Romanus*, qui paulò ante in aulam Cæſ. venerat, & tunc, negotiis ſuis expeditis, per poſtam *Romam* reverſus eſt, ubi rem omnem *Alfonſo Diazio*, *Johannis fratri*, Rotæ *Romanæ* tunc Advocato, aperuit.

Neoburgum diſceſſit.

Intereà cum Colloquium *Ratisbonæ* M. Martio finitum eſſet, *Johannes Diazius* exindè *Neoburgum*, Oppidum ad *Danubium*, in *Palatinatu* ſuperiori ſitum, diſceſſit, ut librum aliquem à *Martino Bucero* ſcriptum ibi typis impreſſum publicaret.

Alfonſus Diazius, Johannis frater, Româ excurrit.

Alfonſus verò contra fratrem *Johannem* furiis actus, magnis itineribus *Româ Ratisbonam* contendit, animo volvens, ut fratrem aut ad Eccleſiam *Romanam* reduceret, aut certâ morte tolleret, adducto ſecum miniſtro, qui anteà *Romæ* carnifex fuerat.

Ratisbonæ, cum, poſt longam inquiſitionem, fratrem ſuum *Neoburgi* degere comperiſſet, eò mox ſe contulit cum carnifice ſuo & tabellario *Ratisbonenſi*, cui ſeorſim *Bucerus*, aliique *Johannis Diazii* fautores, literas ad eum dederant monitorias, ut ſibi caveret ab inſidiis. Has verò literas *Alfonſus*, antequàm diſcederet, tabellario ſublatas *Malvendæ* legendas dedit, qui eas omnes, poſtquàm legiſſet, dilaceravit.

Neoburgum cum veniſſet *Alfonſus*, fratri literas humaniſſimas à *Malvendâ* ſcriptas exhibuit, eumque, pectus *Italicis* technis & blanditiis inſtructum afferens, ab errore in ſemitam *Romanæ* Eccleſiæ reducere ſe cupere, & ob hanc ſolùm cauſam iter adeò longinquũ ſuſcepiſſe teſtatus eſt, interq; ſermones alios ipſi ſe 500. ducatos, quos annuatim ex Eccleſiæ *Romanæ* reditibus acciperet, dono dare velle promiſit, ſi ſibi conſentiens, *Romam* redire ſecum vellet.

Cum verò blanditiis nihil ſe præſtare poſſe perſpiceret, fratri tandem in Religione conſentire ſimulavit, &, ut *Auguſtam Vindelicorum* ſecum abiret, rogavit, quò clam eum in viâ per ſicarium ſuum occidere poſſet, idque feciſſet *Johannes*, niſi *Martinus Bucerus*, tunc fortè cum *Martino Frechto*, Concionatore *Ulmenſi*, domum reverſuro, *Neoburgum* veniens, eum ab inſidiis à fratre ſibi ſtructis dehortatus eſſet.

25. Martii *Alfonſus* ſolus, cum miniſtro ſuo ſcelerato, *Neoburgo* diſceſſit *Auguſtam*, cum prægreſsâ veſperâ poſt cœnam *Johannem* ad conſtantiam in verâ Religione fuiſſet hortatus, eique 14. Coronatos aureos ad amictum neceſſarium dono dediſſet, cum lachrymis dolere ſe teſtatus, quod converſatione ipſius amicâ diutiùs gaudere non poſſet.

A meridie *Bucerus* quoque & *Frechtus* ſinguli domum abierunt.

26. Martii *Alfonſus* cum carnifice ſuo *Neoburgum* citatis equis reverſus, in viâ ſecurim â fabro quodam lignario coëmit. Sequenti die ſummo manè pervenerunt ad ædes *Johannis*, & ſicarius ſcalas aſcendens, ingreſſusque cubiculum, ipſi è lecto progreſſo literas â fratre *Alfonſo* ſcriptas, ut â *Malvendæ* fraudibus ſibi caveret, monentes obtulit.

Alfonſi fraudibus nefariè trucidatur.

Cum verò *Johannes* eas ad feneſtram, ob tenebras noctis nondum planè diſcuſſas, attentus legeret, carnifex intereà eum ſecuri ſuâ ſub pallio abſconditâ, eum in tempore dextro ictu tam vehementi percuſſit, ut vir innocens in terram prolapſus clamare non poſſet.

Hoc facto ſicarius ſcalas deſcendens cum *Alfonſo*, infrà eum expectante, ſubitò diſceſſit, 27. Mart. A. C. 1546.

Claudius intereà *Johannis Diaſii* contubernalis, attonitus, cubiculo excurrens, & amicum in terrâ proſtratum cernens, per horam adhùc reſpirantem & manibus complicatis, precantis inſtar, cœlum intuentem, ſecurim tempori adhùc infixam ſubitò extraxit, & clamore domeſticos accivit.

Rumore tunc per urbem de cæde hâc facto, Capitaneus Arcis ſtatim, *Ottonis Henrici*, Comitis *Palatini*, nomine, equites aliquot emiſit, qui ſicarios celeri equorum curſu perſecuti ſunt.

Sed cum illi *Auguſtæ* jam tranſiviſſent, cœteris equitibus domum reverſis, unus ex illis, *Michael Herpſerus* nomine, *Oenipontum* usque progreſſus, ſicarios in hoſpitio reperit, eorumque flagitium perpetratum Magiſtratui aperuit, â quo illi per lictores in carcerem conjecti ſunt.

Sicarii carceri mandantur.

Tunc *Herpſerus* mox *Neoburgum* regreſſus, quid de ſicariis factum ſit, Capitaneo, hic verò *Ottoni Henrico*, Comiti *Palatino*, Domino ſuo, per nuntium ſignificavit.

Comes *Palatinus* ſtatim duos ex miniſtris ſuis aulicis *Oenipontum* ablegavit, qui ſecum afferentes literas *Alfonſi* fictitias, & ſecurim cædis nefariæ teſtem, ſanguine adhùc conſperſam, *Alfonſum* cum carnifice ſuo homicidii reos accuſârant.

Sed

Sed cùm *Alfonſus* interea ſcripſiſſet ex carcere ad Cardinales *Tridentinum* ac *Auguſtanum*, Legatis *Palatinis* per aliquot ſeptimanas promiſſionibus vanis detentis, tandem à Judicibus Epiſtola Cæſarea fuit oſtenſa, quæ præcepit, ut ad Summi Pontificis & Cardinalium interceſſionem proceſſus contra *Alfonſum* ſuſcipiendus ſuſpenderetur, ſeſe enim cum fratre *Ferdinando*, in cujus territorio accuſati tenerentur captivi, re cognitâ, judicium de illis laturos eſſe, quod tamen non factum eſt, ſed captivi, carcere dimiſſi, *Romam* reverſi ſunt, & ab *Hiſpanis* poſteà excuſati ac commendati ſunt, quod tam præclarum facinus in hæretico tollendo aggredi ſint auſi. *Liberi Romam reverſi ſunt.*

* *Ex Martyrologio majori Germ. D. Pauli Crocii.*

Et ex Libro Jac. Verheiden Theologor. qui Papam oppugnârunt.

Obiit A.C. 1546.

FRIDERICUS MYCONIUS.

Lichtenfelſii, in *Franconiâ* ad *Mœnum* Oppido, natus eſt parentibus honeſtis 26. Dec. A. 1491.

A. 1504. Miſſus in ſcholam *Annebergicam*, cum ibi ſexennium vixiſſet, ingreſſus eſt, inconſultis parentibus, Monaſterium *Franciſcanorum*, non ocii, non ventris, ac voluptatis cauſa, ſed ut Deo ſerviat An. 1511. ætatis 20. primâque nocte de futurâ ſuâ pietate ſomnium habuit ſuaviſſimum. Legit verò in hoc cœnobio *Petr. Lombardum*, *Bonaventuram*, *Gabrielem Biel*, *Auguſtinum*, & alios, *Biblia* etiam prælegit ad menſam, toto ferè ſeptennio, ſine tamen judicio, hiſtoriis tantùm ſacris retentis. *Mittitur Annebergam. Ingreditur Monaſterium. Authores, quos legit Myconius. Audit Tecelium.*

A. 1516. Cum *Johannes Tecelius* Indulgentias ſuas Papales *Annebergæ* venderet, & iis hanc appendicem annexam vidiſſet, Pauperibus dentur gratis propter DEUM: & domi jam ſibi pauperi puer de vera juſtificatione & aliis didicerat, quod gratis à Deo nobis omnia dentur, exemplum earum gratis dari petiit, quod cum *Tecelius* denegâſſet, cum eo Myconius diu, ſed fruſtrà, diſputavit, gaudens, quod adhuc Deus eſſet in cœlo, qui peccata remitteret pœnitentibus, ſine pecuniâ. *Indulgentia non gratis datur.*

Paulò pòſt *Vinariæ* Sacris fuit initiatus, & die Pentecoſtes primam Miſſam cecinit, cui actioni interfuerunt *Johannes*, & *Joh. Fridericus*, *Saxoniæ* Duces, qui etiam ſumtus ſuppeditârunt. Legit tunc cum *Johanne Voito* libellos *Lutheri*, & veritati aſſenſum præbuit, ringentibus licet & dira minantibus fratricellis. *Sacris initiatur. Libros Lutheri legit.*

A. 1517. Ad miniſterium Eccleſiæ *Vinarienſis* vocatus, *Lutheriq́;* ſcriptis confirmatus, primus in *Thuringiâ* ſparſit Evangelii ſemen. *Miniſter Eccleſiæ Vinarienſis, & primus in Thuringiâ Evangelii Concionator.*

A. 1518. Cum *Lutherus*, *Auguſtam* contendens, *Vinariam* veniſſet, ibi primum eum vidit, ſed ab acceſſu & Colloquio ejus prohibitus eſt. *Myconius* tum ad *Annæmontanos* ſcripſit literas, quibus gratias Deo egit, quod liberatus eſſet ex captivitate Pharaonica, deinde adhortatus eſt eos, ne Pontificios animarum metuerent devoratores; inſtruxit inſuper eos, quid porrò faciendum, ne Chriſtum paterantur ſibi è cordibus eripi. *Lutherum videt. Annæmontanos adhortatur.*

A. 1524. *Gotham* ad munus docendi & Eccleſias *Thuringiacas* gubernandi vocatus, vixit ibi cum Collegis Annos 22. in ſummâ concordiâ. *Gotham vocatur.*

A. 1525. Exorto tumultu Ruſticorum, in eo ſedando multum poſuit operæ.

Eodem Anno uxorem duxit *Margaretham* Civis *Gothani* filiam, ex quâ ſobolem ſuſcepit numeroſam. *Uxorem ducit.*

Filius ipſius *Fridericus* morte immaturâ præreptus, *Lipſiæ*, *Wittenbergæ* & *Jenæ* amicis ſui deſiderium reliquit.

Filia *Barbara* poſt obitum patris matrimonio juncta fuit *M. Cyriaco Lindemanno*, Rectori Scholæ *Gothanæ*.

A. 1527. *Düſſeldorpii* Chriſtum in concionibus publicè confeſſus eſt non ſine vitæ diſcrimine, & *Coloniæ* cum monachis publicè diſputavit, quæ diſputatio paulò pòſt prælo ſubjecta prodiit, eique reſpondit *Johannes Corbachius*, *Franciſcanus*. *Düſſeldorpii Chriſtum profitetur.*

Puram item Evangelii doctrinam profeſſus eſt *Brunſvigæ*, *Cellæ Saxonum*, *Suſati* in *Weſtphaliâ*, & alibi. *Et alibi.*

In Comitiis publicis *Smalcaldiæ*, *Francofurti*, & *Noribergæ* adhibitus in conſilium, magno zelo Religionis negotia tractavit.

A. 1538. Cum *Franciſco Burcardo*, Cancellario *Vinarienſi*, in *Angliam* miſſus, ad Regem *Henricum VIII. Londini* cum tribus Epiſcopis, & 4. Theologiæ Doctoribus de ſingulis capitibus Doctrinæ Chriſtianæ contulit. *In Angliam mittitur.*

A. 1539. Ex *Angliâ* reverſus, vocatus eſt ab *Henrico Saxoniæ Duce* ad viſitandas & reformandas Eccleſias *Miſnicas* cum *Luthero*, *Jonâ*, *Crucigero*, *Pfeffingero*, & aliis. *Eccleſias viſitat.*

Iſtâ viſitatione finitâ, obivit omnes Eccleſias *Thuringiæ*, & Scholas conſtituit, adjutus à *Melanchthone*, *Juſto Menio*, & duobus nobilibus *Plaunicio* & *Wangenhemio*, ubi certa Eccleſiæ Miniſtris ſtipendia ordinata fuêre. *Stipendia miniſtris aſſignata.*

A. 1541. Graviter decumbere cœpit, & tabe conſumi, convaluit tamen, & ſexennium adhuc vixit. *Morbo frangitur, & obit.*

Tandem recidivâ prehenſus, *Lutherum* brevi ſubſecutus, carnis mortalis ſarcinam depoſuit *Gothæ* 7. April. A. 1546. ætatis 56.

Elatus eſt funere frequenti, habitâ à Rectore Scholæ *Gothanæ* Oratione brevi, à *Juſto* autem *Menio*, Paſtore *Iſenacenſi*, Concione funebri.

Johannes Stigelius tumulum ejus hoc ornavit Epitaphio: *Epitaphium.*

Quo Duce Gotha tibi monſtrata eſt gratia Chriſti;
Hic pia Myconii contegit oſſa lapis.

Doctrinæ & vitæ tibi moribus ille reliquit
Exemplum: hoc ingens, Gotha! tuere decus.

Scriptum ante obitum biennio edidit:

Scriptum ejus.

De benè olente ac pretioſo unguento, quo Maria ſoror Lazari ac Marthæ Chriſtum inunxit.

Ex Melch. Adam. de Vitis Germ. Theol.

FRANCISCUS VICTORIA.

Obiit A.C. 1546.

Non immeritò *Victoria*, *Cantabriæ* Oppidum, (quæ eadem *Johanni Mariettæ*, Hiſtorico ſacro, patria eſt,) ſe jactet, quod tale tantumque ingenium *Franciſcum* protulerit, unde & cognomentum tulit, omenque nomini dedit, qui jure optimo *Hiſpaniæ* decus ac columen dici queat. *Lutetiæ* enim *Pariſiorum* hauſtâ primum Scholaſticâ Theologiâ, Laureâque meritò partâ, primus in *Hiſpaniam* eam, veluti margaritam, attulit, & *Salmanticæ* princeps eſt cathedrarius inter ſodales renunciatus.

Theol. Profeſſor Salmanticæ.

Hujus è ludo, tanquam ex equo Trojano, heroës aliquot doctrinâ clari prodierunt: quorum nonnulli etiam ſucceſſerunt, *Dominicus Sotus*, & *Melchior Canus*.

Obiit Anno Chriſti 1546. prid. Id. Auguſti.

Ejus hæc feruntur, ſed poſthuma, ingenii monumenta:

Ejus Scripta.

Relectiones de poteſtate Eccleſiæ.
De Civili Poteſtate.
De poteſtate Pontificis & Concilii.
De Indis, & jure belli.
De augmento Charitatis.
De Matrimonio.
De Temperantiâ.
De Homicidio.
De eo, ad quod tenetur perveniens ad uſum rationis.
De arte Magicâ & Simoniâ.
De ſilentii obligatione.
Septem Sacramentorum ſumma.

Reliqua ejus inedita, à Sodalibus excepta leguntur.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum auctorum.*

ANTONIUS MUSA.

Clar. A.C. 1547.

S. Theologiæ Licentiatus, & antea Philoſophiæ Magiſter: primus *Lutheranam* Religionem *Erfurti* ad *Auguſtinian.* A.C. 1521. docuit: deindè *Altenburgi* A.C. 1529. *Jenæ* XII. annos, & *Rochlitii* aliquandiu moratus. *Martisburgi* A. C. 1544. inſtituti Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſor, & A. C. 1547. geſti belli tempore in caſtris *Mauritii*, Ducis *Saxoniæ*, Eccleſiaſten egit.

Theologiæ Licentiatus. Erfurti Lutheranam Religionem primus docet. Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſor.

Rite ſecundus ovas, Antoni Muſa, docentem
Te primùm Erfurtum, poſtea Jena colit.
Hinc Martisburgum, qua Conſiſtorium in urbe
Tecum Zobelius Brotufiusque regit.
Tandem Saxoniæ Maurici Principis audis
Belli Schmalcaldi tempore præco brevi.

* *Ex Vitis Paſtorum Jenenſium Adriani Beieri.*

JOHANNES HESSUS.

Obiit A.C. 1547.

Norimbergæ natus eſt A. 1487.

Fuit *Uratislaviæ* Canonicus, Theologiæ Doctor, Vir vitæ inculpatæ, doctrinæ, & eloquentiæ raræ.

Canonicus & Theologiæ Doctor.

29. Junii A. 1523. Cum Paſtoratus ad *D. Mariam Magdalenam* ab obitu *Oswaldi Wimleri* quadriennium vacâſſet, *Heſſus* hic, conſentiente populo, & approbante *Jacobo à Saltzâ*, Epiſcopo *Uratislavienſi*, Eccleſiæ illi præfectus, ſalarium vero 200. marcarum & victum nactus eſt, & 25. Oct. ſeq. primam concionem in maximâ populi frequentiâ habuit. Id ubi Papa *Adrianus* audivit, ægerrimè tulit, datisq; ad Senatum literis, avocare eum à propoſito eſt conatus, ſed Senatus, editâ Apologiâ, cauſas ſui facti edidit graviſſimas.

Paſtor Uratislavienſis.

20. April. A. 1524. Theſes ad diſputationem publicam has propoſuit:

Diſputatio Heſſi.

Soli DEO eſſe inhærendum.
Miſſam non eſſe ſacrificium, ſed ſolum meritum Chriſti.
Blaſphemos eſſe in DEUM, qui conjugio interdicant ſacerdotibus.

Diſputavit, adjuncto ſibi *Trocendorffio*, in Templo *S. Dorotheæ* octiduum, & quibusvis interrogantibus reſpondit, *Lutheri* confirmatus Epiſtolâ.

A. 1525. Adjunctus ipſi eſt Collega *Ambroſius Moibanus*, Paſtor ad *S. Eliſabetham*. Hi itaque duo primi fuerunt *Uratislav.* Evangeliſtæ, qui ſine ullo tumultu Religionem reformârunt, ut paulò poſt Evangelium in 9. templis, quorum 7. extrà, duo intra Urbis mœnia, prædicaretur.

Heſſi Collega. Uratislaviæ Religio mutata.

Eodem anno 8. Sept. Uxorem duxit *Stephani Spigleri*, Senatoris Uratislavienſis filiam, ex quâ ſuſcepit filium *Paulum*, Medicinæ Profeſſorem *Wittenbergæ*. Ex filiabus una nupſit *Büttnero* Medicinæ Doctori, altera *Nunharto* Civi *Uratislavienſi*; Tertia *Friderico Staphylo*, qui cum ad *Pontificios* defeciſſet, pro concubinâ ſe habere dixit, quæ apud *Lutheranos* uxor fuiſſet.

Conjugium Heſſi.

Obiit tandem *Uratislaviæ* 6. Januarii A. 1547. ætatis 60. miniſterii 25.

Succeſſit ipſi in munere paſtoratûs *Johannes Aurifaber*, *Uratislavienſis*, Theol. Doctor, & ante in Academiis *Wittenberg.* & *Roſtoch.* Profeſſor, Mathematicus & Philologus; qui obiit 19. Octob. A. 1568. ætatis 51.

Hujus Succeſſor.

* *Ex Melch. Adam. de Vitis Germ. Theol.*

CASPAR BORNERUS.

Obiit A. C. 1547.

Hainæ, *Miſniæ* Oppido, natus eſt.

Adoleſcens *Italiam* perluſtravit, & Matheſi imprimis ſtudium impendit.

Matheſeos ſtudioſus.

Poſtea



IACOBUS FABER.
Theol. Sorbon. Paris.



MATTHIAS ZELLIUS
Theol. Argentorat.



CASPARUS CRUCIGER.
Theol. Witteberg.



VITUS THEODORUS
Theol. Noricus.



PAULUS FAGIUS.
Theol. Argentorat.



MARTINUS BUCERUS
Theol. Argentor. & Cantabrig.



IOH. COCHLÆUS
Canon: Wormat. & Decanus Francof.



CASPARUS HEDIO.
Theol. Argentorat.



ANDREAS OSIANDER
Theol. Regiomont.



FRANCISC. XAVERIUS
Soc. Ieſu Theol.



FRANCISC. TITELMAN.
Monachus Capucinus Ital.



IOHAN: ÆPINUS.
Theol. Hamburgens.



ADAMUS SASBOUTIUS
Monachus Francisc. Lovan.



IOHAN: ROGERSIUS
Theol. Londin.



LAURENTI. SANDEER,
Theol. Londin.



IUSTUS IONAS.
Theol. Eiſfed. & Inſpect. Coburg.

Poſtea *Lipſiæ* Scholæ ad *S. Thomam* operam ſuam addixit, cui 18. annis præfuit.

Et Theologia Doctor. Indè ad Theologiæ ſtudium animum adjecit, & Doctoris inſignibus ornatus, cum *Alexandro Aleſio Scoto* Sacra publicè docuit.

Labore ſuo & interceſſione effecit, ut *Ædes Pauline* Academiæ accederent, & in Collegium id converterentur, in quo Theologi & Philoſophi docerent. *Collegium Paulinum Lipſiæ.*

Petrum Moſellanum Lipſiam vocat. Eodem autore *Petrus Schadus, Moſellanus* dictus A. 1514. *Lipſiam* vocatus, Græcas ibi literas excoluit.

Obiit peſte. 3. Maji A. 1547. *Lipſiâ* obſeſsâ, peſte correptus & extinctus eſt annis nondum gravis, nec ætate effœtus.

Cum *Melanchthone* vetus ei & ſingularis neceſſitudo interceſſit.

Monumentum ejus memoriæ ſacrum in *Paulino* legitur ejusmodi:

Epitaphium.

CASPARUS BORNERUS BENE DE STUDIIS, OPTIME DE ACADEMIA MERITUS, HIC CONDITUR, VIR GRAVIS, DILIGENS, MALIS NIHIL LARGIENS, IN MATHEMATICIS EXCELLENS SCIENTIIS, ET THEOLOGIÆ DOCTOR. HIC MOSELLANUM IN HOC GYMNASIUM PRIMUS ADDUXIT. D. THOMÆ LUDUM MODERATUS EST ANNOS OCTO ET DECEM, QUEM SUIS SUMTIBUS COLLABENTEM IN MELIOREM FORMAM RESTITUIT: PAULINUM COLLEGIUM PRINCIPIS BENEFICIO ACCEPTUM, ÆDIFICIIS, BIBLIOTHECA AUXIT; SEMPER PUBLICÆ QUAM PRIVATÆ REI SERVIENS MAGIS IN GRAVISSIMA URBIS OBSIDIONE, DOLORE ANIMI ET LUE CONFECTUS VITAM CADUCAM DEPOSUIT, IMMORTALI DIGNISSIMUS.

Plangite Pierides, lugubria carmina cantet
Parnaſſus quicquid, quicquid & orbis habet:
Occidit heu fatum! Bornerus veſter alumnus,
Bornerus, Clarii gloria ſumma chori.
Is parat exilio ſedem dum tectaq; veſtro,
Heu non perfectum concidit inter opus!

Poſteritati ſcripta reliquit: *Ejus Scripta.*

Analogiam ſæpius apud ſuos recuſam.

Libellum de ſtellis.

Indices in Ptolomæi Geographiam & Sabellici Hiſtoriam.

Inchoaſſe etiam dicitur *Hiſtoriam*, qualem *Johannes Sleidanus* edidit, ſed quam mors interrupit.

* *Ex Melch. Adam. de vitis Germ. Theol.*

Obiit A.C. 1547. JACOBUS FABER STAPULENSIS.

AD *Stapulas*, maritimum *Picardiæ* pagum, ex ignobili familiâ natus, ingenii cultum, quem illa tempora ferebant, inter aniles Sophiſtarum nugas & ineptias apud *Pariſios* accepit. *Pariſiis literas didicit.*

Cum verò pro ſolerti, quo pollebat, judicio aliquid in literis majus & præclarius eſſe ſentiret, quàm quod antè â Barbaris illis præſtitum eſſet, partim ſuo impulſu, partim Virorum eruditorum, qui tum in *Italiâ* florebant, exemplo accenſus, totum ſe in illius boni cognitione collocavit, eo eventu, ut & ipſe doctiſſimus evaderet, & alios aptiſſimâ methodo doceret, non voce tantùm & prælectionibus, ſed etiam ſcriptis, quibus ad univerſam *Ariſtotelis* doctrinam, Matheſeosq; partes omnes facilem poſteris aditum patefecit. *Philoſophiam à Barbaris vindicavit.* *Philoſophus & Mathematicus.*

In Metaphyſicis quoque ea, quæ Philoſophiæ Chriſtianæ conſona, diſcipulis ſuis, quos frequentes habuit, inculcavit. Theologus etiam cum fuiſſet *Sorbonicus*, Libros ſacros liberiore cenſurâ caſtigavit. *Theologus Sorbonicus ſingularis, à cæteris vim patitur.*

Hanc ob cauſam *Sorbonici* eum in urbe Regiâ *Pariſiorum* ferre non potuêre, depravatæ Religionis reum identidem poſtulantes, & ſacræ ſuæ Traditionum officinæ metuentes.

Opportunam autem *Fabri* opprimendi occaſionem ſibi offerri judicarunt, cum A. 1525. Rex *Galliæ Franciſcus* ad *Ticinum* captus, & in *Hiſpaniam* abductus fuiſſet, cujus autoritas & perpetuus in literatos amor non ſemel eum antea protexerat. *A Rege Franciſco I. defenſus.*

Sed Rex, intercedente ſorore *Margarethâ* Reginâ *Navarræ*, quæ hunc *Fabrum* propter virtutem amabat, cœcas iſtorum artes & conſilia eluſit, datis ex cuſtodiâ *Hiſpanicâ* literis ad Senatum *Pariſienſem*, quibus cauſæ totius cognitionem ad ſe transferebat. Illè autem ſpontè urbe diſcedens, invidiæ ſe ſubduxit, & *Neracum Navarræ* ditionis urbem *Albretiorum* olim Regiam, in *Margarethæ* Reginæ clientelam ſe recepit. Ibi ad longiſſimam ætatem tranquillè vixit. *Neracum ad Reginam Navarræ Margaretham diſceſſit.*

Vir fuit ſtaturâ ſupra modum humili, vultu modeſto, & moribus planè aureis, ſed animo ab omni avaritiæ labe alieno.

Ex ejus ſcholâ plurimi viri eruditi & pietatis amantes prodierunt, atque inter cæteros *Guil. Farellus* & *Johannes Calvinus*. Hic *Neraci* eum officii causâ A. 1533. ſalutans juvenis adhûc, ab eo tunc ſene, magnâ animi voluptate exceptus eſt, futurum augurante *Calvinum* inſigne cœleſtis in Galliâ inſtaurandi Regni Inſtrumentum fore. *Augurium ejus de Calvino.*

A Paulo Jovio in Elogiis ſuis Virorum doctorum hæreſeos notatus eſt his verbis: *Ætate jam confectus Faber, cum ſacras literas attigiſſet, â Lutheranæ hæreſis veneno non procul abfuit, ita ut in eâ ſuſpicione ſenex parùm feliciter moreretur.* *Pro Lutherano habitus à Jovio.*

De obitu ejus hanc Hiſtoriam memorabilem ſcripſit *Hubertus Thomas Leodius Annalium de vitâ Friderici II. Elect. Palat. Lib. XI.* Quâdam die miſit ad eum Regina *Margaretha*, & ſe velle cum eo prandere ſignificavit, convocatis aliquot Viris doctis, quorum ſermonibus mirè oblectabatur. Inter prandendum autem cœpit Faber vehementer contriſtari, & ſubindè lachrymari. Cum accuſaretur â Reginâ, quod pranſum ad eum veniſſet, ut læta fieret, ipſe verò triſtaretur, *Qui poſſem*, inquit, ô Regina Sereniſſima, *læ-* *Hiſtoria de ejus morte ex Huberto Thoma Leodio.*

tus eſſe, aut alios exhilarare, omnium quos terra ſuſtinet ſceleratiſſimus? Et quod tantum admiſiſſe potuiſti ſcelus, inquit illa, qui viſus es ſemper ſanctiſſimè vixiſſe? *Ego*, reſpondit, *ſum ætatis centum & unius anni, purus ab omni contagione muliebri, & nihil recordor me admiſiſſe, quo conſcientiam ſauciârim, niſi unum, quod expiari poſſe non confido.* Cumque Regina urgeret, ut apertè diceret, vix præ lachrymis tandem dixit: *Quomodo ante ſummum DEI tribunal conſiſtere potero, qui S. filii ſui Jeſu Chriſti Evangelium purè & ſincerè multos docui, & cum alii doctrinam meam ſecuti mille tormenta ac mortem ipſam conſtanter pertulerint, ego malè conſtans Doctor effugi, & cum ætatis tam provectæ mortem non reformidare ſed exoptare debuiſſem, clanculùm me ſubduxi, & DEI præceptum turpiter deſerui.* Ad quæ cum Regina, ut erat eloquentiſſima & plena ſermonum divinorum, multa diſſeruiſſet, aliis quoque viris ſanctis idem obtigiſſe, nec idcircò de DEI bonitate deſperandum eſſe: confortatus tandem ait: *Ergò nihil reſtat, niſi ut hinc ad DEUM migrem, condito teſtamento meo.* Deinde intentis in Reginam oculis, *Ego*, inquit, *Te hæredem meam inſtituo, Concionatori Tuo M. Gerardo libros meos omnes lego; Veſtes, & quicquid inſuper habeo, relinquo pauperibus, animam DEO commendo.* Ad hæc ſubridens Regina, *Jacobe*, inquit, quid ad me de tuâ hæreditate perveniet? *Negotium*, reſpondit ille, *diſtribuendi bona inter pauperes.* Eſto, inquit illa, juro hanc hæreditatem mihi fore gratiorem, quàm ſi frater, *Francorum* Rex, me ſuam hæredem nominâſſet. Lætior deinde viſus is ait: *Opus habeo aliquâ quiete, eſtote læti interim & benè valete*: declinavitque in lectum proximum. Cum verò putarent illum dormire, nullis malæ valetudinis ſignis editis obdormivit in Domino.

[*Pervenit ad 101. ætatis annum.*]

[*Ultimum ejus Teſtamentum.*]

Mortuum Regina honorificè ſepulchro marmoreo tumulari fecit, ſolennemque funeris pompam ipſa mœrens præſentiâ ſuâ honoravit. Obiit circa A. C. 1547.

[*Obitus ſomno ſimilis.*]

Cudit nobis *Faber* libros hos:

[*Ejus Scripta.*]

Commentarios initiatorios in 4. Evangelia.

In omnes Pauli Epiſtolas, cum translatione ſuâ ex Græco ſermone.

Apologiam, quod vetus & vulgata Interpretatio Epiſtolar. Pauli non ſit Hieronymi.

Argumenta in Epiſtolas 11. Ignatii, Antiocheni Antiſtitis, & unam Polycarpi.

De tribus Magdalenis, & de unicâ Magdalenâ.

Scholia in Opera Dionyſii Areopagitæ.

Canones, ſive Tabulas Argumentorum in omnes Epiſtolas Pauli.

Ad articulos Fidei ex Epiſtolis Pauli confirmandos.

Contra Hæreſes.

Commentar. in Epiſtolas Catholicas.

In Eccleſiaſten.

In Hugonem de S. Victore.

In Richardum de Trinitate.

Contemplationes Idiotæ.

De ornatu Spiritualium Nuptiarum.

Quintuplex Pſalterium, Gallicum, Romanum, Hebraicum, Vetus, Conciliatum.

Damaſceni de Orthodoxâ Fide Libros 4. in Latinum tranſtulit.

In Artibus liberalibus edidit:

Grammaticam, & Grammatographiam.

Arithmeticam X. Libris demonſtratam.

Rithmimachiæ ludum, qui & *Pugna Numerorum* appellatur.

Introductionem in Arithmeticam ſpeculativam Boëtii, cum Libro Aſtronomico.

Epitomen in libros Arithmeticos Boëtii.

Comment. in Sphæram Johannis de Sacro Buſto.

Omnes Libros Logicorum Ariſtotelis, cum Introductione Porphyrii ad Archetypos recognitos, cum novis ad literam Commentariis.

Introductionem in Ethicam.

Hecatonomiarum Libr. VIII.

Oeconomicorum publicor. Lib.

Philoſophiæ Naturalis totius Paraphraſin, cum introductionibus in Phyſicam, & Metaphyſicam.

Comment. in 8. libros Politicor. & 2. Oeconomicorum Ariſtot.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

Et ex Elogiis Jacobi Verheiden Theologor. qui contra Papat. ſcripſerunt.

AMBROSIUS QUISTELLIUS.

[Obiit A.C. 1548.]

Patavii natus, cum in Philoſophiâ & Theologiâ præclaros feciſſet progreſſûs, Ordini Eremitano *S. Auguſtini* ſe addixit, & Concionatorem in Patriâ egit egregium, qui S. Pauli Epiſtolas & Evangelia ſummâ cum eloquentiâ ſermoniſque ſecuritate ſuis auditoribus, magno numero concurrentibus, concionando declaravit.

[*Monachus S. Auguſtini.*]

Romæ Cardinalis *Nicolaus Ridolphus* Secretarium ſibi conſtituit eum. *Paulus III.* Pontifex Maximus Legatum in Germaniam ad Pacis compoſitionem inter Provincias religione diſſidentes elegit, ſed podagricis doloribus afflictus, munus hoc exequi non potuit. *Romæ* tadem obiit A. C. 1548.

[*Legatus Papæ.*]

Libros edidit:

[*Scripta.*]

Opuſculum adversùs Philoſophos, qui aſſerunt, Divinam Scripturam nequaquàm percipi poſſe niſi ab his, qui bonam vitæ partem in Ariſtotelis & aliorum Philoſophorum lectione contriverint.

Expoſitionem ſuper 4. Sententiar. lib. 4.

De modo prædicandi Evangelium.

De veritate Alchimiæ Libellum.

* *Ex Theatro virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

GEORGIUS SOPHOCARDIUS.

[Obiit A.C. 1548.]

Cum in *Scotiâ* Cardinalis *Santandreanus* in *Lutheri* doctrinæ ſuſpectos, quorum tunc magnus erat numerus, A. C. 1547. in

Concionator Evang. in Scotiâ.

inquireret, immiſſis ex ſacro Ordine accuſatoribus, imprimis contra *Georgium Sophocardium*, Concionatorem populo acceptum, invectus eſt, qui 8. ab *Edimburgo* milliaribus apud *Johannem Cocburnum* diverſabatur. Sed cum *Cocburnus* de eo tradendo â Cardinale ſolicitatus moras necteret, Cardinalis cum *Jacobo Hamiltonio* Prorege intempeſtâ nocte improviſus eò venit, omnibusque aditibus obſeſſis, nihil tamen efficere potuit, donec *Jacobus Heburnus, Botuelia* Comes, è propinquâ villâ â Cardinale evocatus, â *Cocburno* impetravit, ut *Georgius* ipſi dederetur, fide datâ, ſe ab omni damno & injuriâ eum defenſurum. Id actum M. Januario anni ſeq.

A Cardinali Santandreano contra fidem datam captus.

Sed mox tamen contra fidem datam *Georgius* in manus Eccleſiaſticorum traditur, & *Edimburgo* Fanum *Andreæ* transfertur.

Prorex â *Davide Hamiltonio Preſtoniano* monitus, ut *Georgio* fidem ſervaret, eumque è manibus Cardinalis eriperet, ad Cardinalem ſcribit, mandatque, ne judicium præcipitaret, ſed rem integram ſervaret usque in ſuum adventum.

Quo reſponſo accepto Cardinalis, cum non dubitaret, ſi diutius cunctaretur, virum vulgo gratioſum judicio ereptum iri, *Georgium* è carcere educit, & feſtinato judicio ad mortem damnandum curat.

Ad ignem damnatur.

Cum Johannes *Viniramus*, *Georgio* æquior, Cardinalem ejus nomine rogaret, ut Sacri Corporis & Sanguinis communio reo permitteretur, re cum Epiſcopis conſultatâ, ex eorum ſententiâ reſpondit: Non videri æquum, ut pertinax hæreticus ab Eccleſiâ damnatus ullis Eccleſiæ beneficiis frueretur.

His ad eum perlatis, cum Præfecti Arcis familiares ad jentaculum manè horâ nonâ conveniſſent, & ille ab iis ad cibum unà ſumendum invitatus eſſet, occaſionem captans, factâ audientiâ circumſtantes de uſu Cœnæ Dominicæ ex doctrinâ *Lutheri* commonefacit, & panem ac vinum comedendum ac propinandum, cum prius ipſe ſumpſiſſet, porrexit, deindè convivis valedixit.

Ignis combuſti vaticinium de morte Cardinalis Santandreani.

Ad ſupplicium ductus, cum in pyrâ extructâ ad palum ſtaret, & Cardinalis ex adverſâ feneſtrâ tapetibus ornatâ ſpectaculo frueretur, jam ardente flammâ, hortante *Georgium* præfecto, ut bono animo eſſet, *hæc quidem flamma*, inquit, *corpori moleſta eſt, cæterùm animum minimè frangit. At, qui nos ex ſuperiore loco tam ſuperbè deſpicit, intra paucos dies, quàm nunc arroganter ſedet, tàm ignominioſè jacebit.* Hæc loquenti, fune aſtricto, vox incluſa eſt.

Nec vaticinio exitus defuit. Nam Cardinalis quàm Eccleſiaſticis charus, tam Nobilitati & populo odioſus, cum *Normano Leslio, Rotuſæ* Comitis filio, viro de ſe multis officiis optimè merito, ob rem levem tunc fortè in contentionem incidit, cumque re litigioſâ ægrè ceſſiſſet *Leslius*, ac poſt aliquot menſes promiſſa repeteret, è ſermone in altercationem, ac poſtremò, convicia inciderunt, infeſtisque animis utrinque diſceſſum eſt. *Leslius*, qui ſe fraude circumſcriptum dolebat, de injuriâ apud ſuos expoſtulans, facilè eos induxit, ut in Cardinalis cædem conjurarent.

Igitur circiter Non. Maji Fanum *Andreæ* cum quinq; tantùm comitibus venit, ne ſuſpicionem de ſe excitaret, præmiſſis antè decem conſciis, qui alii alio in loco diverſabantur. Muniendæ arci intentus erat Cardinalis tantâ feſtinatione, ut diei noctem continuaret.

Cum diluculo ad operas intromittendas aperiretur porta, duo in inſidiis in domunculâ propinquâ collocati janitorem comprehendunt, ſignoque ſociis dato, ut convenerat, ſine tumultu omnes ingrediuntur. Quatuor miſſi, qui Cardinalis cubiculi oſtium obſervarent, alii excitatis famulis, & reliquo comitatu, ſemiſomnes ſingulos carpunt, & mortem, ſi mutirent, comminati, extra arcem inviolatos emittunt.

Tum demùm ad Cardinalem redeunt, & oſtio pulſato, editisque nominibus, incolumitate etiam promiſsâ, introducti, trementem multis vulneribus confodiunt.

Ultionis Divinæ exemplum.

Amici, qui in civitate erant, ad famam vix excitati, cum tumultuosè ad arma clamantes accurrerent, *Leslius*, ut tumultum ſedaret, corpus Cardinalis exanime omnium oculis exponi jubet in illâ ipsâ feneſtrâ, ex quâ nuper *Sophocardii* ſupplicium lætus ſpectaverat. Ita verum illius vaticinium fuiſſe eventu comprobatum eſt. *Thuan. lib. 3.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

MATTHIAS ZELLIUS.

Obiit A.C. 1548.

NAtus eſt in oppido *Alſatiæ Kaiſersberg* A. 1477. Primus vero linguarum & artium rudimentis perceptis, ad publica Gymnaſia ſe contulit, Magiſteriique Philoſophici gradum promeruit.

Magiſter Philoſophiæ Concionator Argentoratenſis.

A Philoſophicis ad divinarum literarum ſtudium progreſſus, *Argentoratum* venit & A. 1522. in æde *D. Laurentii* concionator factus eſt.

Lutheri ſcripta legit. Quæ defendit. Religionis Argentorati mutatio.

Cùm vero tunc *Lutheri* paſſim doctrina increbeſceret, *Zellius* hanc cum ſuâ contulit, collatam approbavit, approbatam publicè defendit, & edito adverſus 24. ab Epiſcopo prolatos Articulos libro, id effecit, ut *Argentorati* anno 1529. ſecundùm alios 1523. religionis fieret inſtauratio. Huic verò brevi poſt ſe adjunxére *Symphorianus Pollio*, presbyter in æde *S. Martini* ſenex, *Antonius Firnius*, paſtor ad *D. Thomam*, qui primus ibi ſacerdos uxorem duxit. *Martinus Bucerus*, *Capito*, & *Caſparus Hedio*.

Obiit.

Docuit ibi *Zellius* verò non theoreticus tantùm, ſed & Practicus Theologus, qui ea, quæ docuit, ipſe primus fecit, annos 26. & obiit 1548. die 9. Januar. ætat. 71.

Seq.

Seq. comprehenſo verſic.

PhœbVs VbI rVtILans CaprICornI ſIgna reLIqVIt,
ZeLLI Chare, qVIes Mors tIbI VIta ſVIt. 1548.
OCCVbVIt CeLebrIs feLICI *ſorte MatthIas,*
VIX *tantVs noſtra PresbIter Vrbe ſVIt. 1548.*

Succeſſor. Succeſſit huic *M. Ludovicus Rabus*, aliis *Gyncer, Memmingenſis.*

Aliquando *Zellius* à ſymmiſta quodam ad cœnam invitatus, cum nulli alii hoſpites adeſſent, & ille pocula aurata & argentea protuliſſet, in concionatore divitias admiratus, imò indignatus, diſceſſit incœnatus, poſteà illum ſolus officii admonuit, & ut, ſuperfluis poculis divenditis, erga egenos liberaliorem ſe præberet, effecit.

Scripſit multa, ſed quæ, ut gloriæ minimè cupidus, in vulgus exire non paſſus eſt; Publico tamen bono hæc evulgavit:

Scripta.

Catecheſin Germanicam.
Explicationem quorundam capitum Religionis
Orationem, in qua conjugium ſacerdotum defendit.
Explicationem decalogi, Orationis Dominicæ & Articul. fidei.

* *Ex Melch. Adam. de Vit. Germ. Theol. & aliis.*

CASPARUS CRUCIGER.

Obiit A.C. 1548.

Lipſiæ natus eſt A. 1504. 1. Januarii Patre *Georgio*, cive honeſto, & Evangelicæ religioni addicto, qui ob. Ann. 1544. Temperamentum nactus melancholicum & ferè ſocraticum. Condiſcipulus *Joachimi Camerarii* ſub Præceptoribus *Petro Moſellano*, *Richardo Croco*, *Britano*, *Wittebergæ* Theologiæ Linguarum Græcæ & Hebrææ ſtudium conjunxit, quas ita didicit, ac ſi nativæ ipſi eſſent; & quamvis, ut *Camerarius* de *Crucigero* dixit, tunc quoque in ſpeciem viſus eſſet cœteris ſegniorem, plus tamen eum didiciſſe, quàm alios commilitones.

Temperamentum Crucigeri. Condiſcipulus. Studioſus linguarum & Theologiæ.

In Schola Magdeburgi docet. Cum verò A. 1524. ſcholæ cum Religione reſtaurarentur *Magdeburgi*, ad eas vocatus, in ſcholâ *Johannitanâ* & æde *D. Stephani* cum laude docuit, usque ad A. 1527.

Wittebergenſis poſtea concionator & Theologiæ Doctor. *Wittebergam* dein revocato, mandatum eſt munus in templo arci vicino interpretandi Apoſtolica & Prophetica monumenta, teſtimoniumque Doctoratûs ipſi fuit exhibitum.

Medicum inchoat ſtudium. Theologiæ tunc artis medicæ ſtudium conjunxit, horotosque duos ſtirpium variâ adornavit varietate, medicamentaque ipſe ſingulari apparavit induſtria.

Bibliorum adjuvat translationem. *Luthero* verò cum ob eruditionem vitæque integritatem chariſſimus eſſet, in Bibliorum translatione ſtrenuè ipſum juvit.

Notarius in colloquio Wormatienſi. A. 1540. In colloquio *Wormatienſi* inter diſſidentes in Religione inſtituto, Notarii loco fuit adhibitus, eò, quòd in ſcribendo mirâ polleret celeritate, ut multas etiam *Lutheri* conciones in templis exceperit totas: Unde & *Granvellanus*, qui, Cæſaris loco, colloquio illi præfuit, dixiſſe fertur: *Lutherani ſcribam habent omnibus Pontificiis doctiorem.* *Ejus inſcribendo celeritas.*

Matheſi deditus. Ad cœteras autem artes Mathematum ſtudia adjunxit, & aſſiduus in *Euclidis* demonſtrationibus inveſtigandis, Inſtrumenta ipſe mathematica confecit multa, quibus loca ſtellarum fixarum & æquinoctia obſervavit: ad æquinoctium quidem autumnale parùm à calculo diſcrepare, vernum verò penè 26. horis tardiùs fieri, quàm computationes uſitatæ ferunt, deprehendit.

Rector Academiæ Wittebergenſis. Ultimo ante mortẽ biennio ab A. 1546. ad 1548. Academiæ *Wittebergenſis* Rectoratum geſſit, ſolusq; ferè publica ſcholæ negotia ſingulari prudentiâ animique ſuſtinuit magnitudine, quibus negotiis fractus, cum tribus amplius menſibus morbo melancholico decubuiſſet, *Moritur.* ſine ullâ recuperandæ valetudinis ſpe, morte diſceſſit beata *Wittebergæ* A. 1548. 16. Nov. cum decimo ante mortem tam die, quàm nocte in cœlo chaſma, flammam ſcilicet ab ortu occaſum verſùs, in terram delabentem, rurſus in aëra evolantem, æger decumbens vidiſſet, Eccleſiæque hinc diſſipationes, & venturos motûs deploraſſet. *Chasma in cœlo.*

Ingenium autem in hoc viro fuit excellens, cœleſtis doctrinæ cognitione uberrimè imbutum, & linguarum peritiâ inſtructum. In docendo vis & elegantia ſumma, quibus tamen ingenii viribus corporis non reſponderunt. Symboli loco crebrò ſolitus eſt uſurpare verſum: *Symbolum.*

Omnia prætereunt præter amare Deum.

Epitaphium ejus in Templo Parochiali, quod *Wittebergæ* eſt, reperitur.

Epitaphium. M D XLVIII. XV. NOVEMBRIS, CASPAR CRUCIGER, THEOLOGIÆ DOCTOR, MAGNA INGENII PRÆSTANTIA ORNATUS, LINGUARUM, MATHEMATUM ET UNIVERSÆ PHILOSOPHIÆ COGNITIONE INSTRUCTUS, EX HAC MORTALI VITA PIE DECESSIT ÆTATIS SUÆ XLV.

Edidit:

Scripta.

Commentarium in Evangel. Johann.
Epiſtolam Pauli ad Timoth. prior.
Pſalmos Davidis.
Enarrationes in duos Articulos Symboli Niceni.
Orationem de ordine diſcendi.

* *Ex Melch. Adam. de Vitis German. Theol. & Biblioth. Academ. Witteb. Andreæ Sennerti.*

MARCUS HEILANDUS.

Obiit A.C. 1549.

Vabingæ, Ducatûs *Wirtembergici* oppido, natus eſt, Patre *Johanne.*

Puer *Pfortzemium*, ut lanei panni tonſuræ operam daret, ablegatus, poſteà *Baſi-*

Baſileam venit, ubi, deſerto illo opificio, ad Scripturæ Sacræ ſtudium animum applicuit, & cuidam Officinæ Typographicæ operam ſuam ad errores corrigendos obtulit: diligentiâ verò ſuâ tantum profecit, ut ad Miniſterium Verbi Divini primùm *Baſileæ*, poſteà extra Urbem, & tandem in Patriâ fuerit evectus.

Fit Miniſter Eccleſ. Baſileæ, & Vabingæ.

A. 1532. Feriis Paſchalibus uxorem duxit *Mariam*, filiam *Matthiæ Iſelini*, Mercatoris *Baſileenſis*, ex quâ, præter alios liberos, filium ſuſcepit *Samuelem Heilandum*, Philoſophum & Theologum celebrem in Academiâ *Tubingenſi*.

Gamartingæ. A. 1535. *Gamartingam*, ab *Ulrico* Duce *Würtenbergico* vocatus, cum familiâ conceſſit, ibi cùm biennio Evangelium docuiſſet, *Et Calvæ.* *Calvam*, pervetuſtum oppidum, ad *Sylvam Hercyniam* acceſſit, ubi, licèt Præfectus & Senatores plerique fidei Pontificiæ addicti ipſi adverſarentur, annos 11. cum fructu egit, & ſcholam inſtauravit.

A. 1540. & ſeq. *Wormatiam*, *Hagenoam*, & *Ratisbonam* ad Conventûs de Religionis negotio inſtitutos cum aliis miſſus eſt.

A. 1548. Cum Sphinx Auguſtana, *Interim*, graſſaretur, cum aliis loco ceſſit, & *Argentinam* cum ſuis diſcedens, ibi Verbi Divini miniſterio præfectus, in Urbe docuit. Ibidem paulò poſt fatis conceſſit A. C. 1549.

Exul Argentinam venit. *Moritur.*

* *Ex Concione fun.*

VITUS THEODORUS.

Obiit A. C. 1549.

Natus eſt *Noribergæ* A. C. 1507. Primis literarum elementis imbutus, Academiæque dein *Wittebergenſis* alumnus non paucis annis humaniorum artium ſtudium amplexus, Magiſter ibidem Philoſophiæ publicè eſt renuntiatus; in Theologia verò, etſi non Doctoris inſignia, doctrinam certè atque merita eſt conſecutus.

Alumnus Witteberg. *Magiſter Philoſophiæ*

Chariſſimus autem *Luthero* & *Melanchthoni*, ob animi dotes vitæque ſanctitatem, ab eorum latere non diſceſſit: Adfuit enim *Luthero* A. 1530. durantibus *Auguſtæ* Comitiis, *Coburgi*, quem ibidem, (ut ad *Melanchthonem* ſcribit,) tunc temporis quotidiè tres horas precibus ad Deum ardentibus inſumpſiſſe, & pro Evangelii curſu oraſſe, ſingulisque 14. diebus S. Cœnam ſumſiſſe, vidit.

Charus Luthero.

Adjuvit inſuper *Lutherum* in Commentariis expoliendis in priora undecim Geneſeos capita, & Prophetam Micheam.

Paſtor Norribergenſ. Docuit autem in patriâ in æde *Sebaldinâ* permultos annos, magnâque eloquii vi, & auditorum fructu maximo verbum Dei, donec ex hac vita evocatus eſt A. 1549. die 26. Martii. Ubi ſequenti Epitaphio ſepulchrum fuit ornatum.

Moritur.

Epitaphium. M. Vitus Theodorus, fidelis Doctor Ecclesiæ Christi apud Noribergenses, cum vixisset annos XLII. Obiit in vera invocatione filii Dei, ac certa spe futuræ resurrectionis et vitæ æternæ, A. C. MD. XLIX. nocte, quæ secuta est VIII. Cal. April. cui moesta uxor grataque posteritas M. F. C.

Ingenio Theodorus eras vitaq; miniſter
Vitâ, animo vivens, Corpore tectus humo.

Edidit

Annotationes breves in tota Biblia Germanica. *Scripta.*

Agend-Büchlein für die Pfarrherrn auf dem Land in 4.

Kinder-Poſtill in fol.

* *Ex Vitis Germanorum Theolog. Melch. Adami.*

PETRUS CASTELLANUS.

Clar. A. C. 1550.

Patriâ *Lingonenſis*, cum apud Regem *Galliæ Franciſcum I.* gratiâ & auctoritate plurimùm valeret, hâc ſortis benignitate non ad ſua ipſius commoda, ſed ad communem Reipublicæ utilitatem uſus eſt. Hoc enim potiſſimùm ſuaſore Rex ille, qui quotidie illum de literis diſſerentem libenter audiebat, celebre illud Profeſſorum Collegium *Lutetiæ* fovit & auxit, quod optimarum artium in *Galliâ* ſeminarium extitiſſe nemo eſt, qui neſciat.

Philologus. *Collegium Regium Lutetiæ fovit.*

Pium verò iſtud mortales juvandi ſtudium ne in ipſâ quidem morte omiſit, cum *Aureliæ*, cujus Pontificatum *Matisconenſe* abdicato ſuſceperat, inter concionandum, repentino ſanguinis ictu perculſus, animam de grege ſuo benè meritam Deo reddiderit.

Concionator Aureliæ.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

* * *

Fuit etiam alius *Petrus Caſtellanus*, in Academiâ *Lovanienſi* Græcarum Literarum Profeſſor, qui An. 1658 *Vitas* edidit *illuſtrium Medicorum*, qui toto orbe ad hæc uſque tempora floruerunt.

CORNELIUS CROCUS.

Obiit A. C. 1550.

Patriâ *Amſtelodamus*, Sacerdos. *Adriano Barlando Lovanii* operam dedit, & in juventute piè inſtituendâ gnaviter occupatus, dum matrem vetulam aluit, Societati Jeſu, ut optârat, juvenis adſcribi non potuit: quâ defunctâ nihil duxit antiquius, quàm ut *Romam* pedibus contenderet, & ab *Ignatio Lojolâ*, etſi quinquagenarius, Clericis cœteris adſcriberetur.

Pædagogus Lovanienſ. *Societatis Jeſu Clericus.*

Romæ ſanctè in Domino quievit A. C. 1550.

Extant ejus ſcripta:

Opuſcula quædam adversùs hæreticos, ac potiſſimum Anabaptiſtas, in Bataviâ graſſantes. *Scripta.*

Diſputatio contra Anabaptiſtas.

De Eccleſiâ, ſeu de Notis & Signis Eccleſiæ.

U De

De fide & operibus Epiſtola.
In Decalogum.
Oratio de Chriſti Vitâ.
Comœdia, Joſephus caſtus.
Meditationes piæ in Paſſionem Dominicam.
Colloquiorum puerilium formulæ.
Farrago ſordidorum Verborum, ſeu, *Lima Barbarici.*

Vitam ejus conſcripſit *Nicolaus Camius*, teſte *Petro Opmeero, Batavo.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

Obiit A.C. 1550.

FRIDERICUS NAUSEA.

Theologiæ & Juris Doctor. *Concionator egregius.*

IN omni pæne ſtudiorum genere, in jure tamen ac Theologiâ, cujus utriusq; facultatis Doctor erat, præſertim, tantos progreſſus, quantos ipſius tot egregia monſtrant opera, fecerat. Concionum ſummam in principe apud *Moguntinos* Eccleſiâ cathedram, magnâ *cum Moguntinorum* ipſorum utilitate, ſuâque ipſius laude annos tenuit aliquos.

Epiſcopus Viennenſis.

Ad idem in aulâ Cæſareâ fungendum munus â Cæſare accerſitus, ita ſeſe omnibus probavit, ut præfato Cæſare ipſo volente ac annitente, poſt *Joh. Fabrum*, *Viennenſis* Epiſcopus conſtitutus ſit. In eâque paſtorali curâ & dignitate contra omnigenos hæreticorum impetus & fraudes, prudenter & conſtanter ad mortem usque perſtitit. Ea verò illi annis laboribusque feſſo contigit A.C. 1550.

Magnus ejus librorum Catalogus eſt, quem *Simleriana* recenſet *Bibliotheca.*

Edidit

A. 1532. *Homiliarum centurias 4. quas & Ferdinando Imperatori & Alberto Moguntino Archiepiſcopo, Cardinali, conſecravit.*

* *Ex Nicolai Serarii de Moguntinenſibus rebus tractatu.*

Obiit A.C. 1550.

JOHANNES SPANGENBERGIUS.

NAtus eſt *Northuſi*, *Thuringiæ* Oppido, A. 1484. Quamvis verò hujus adoleſcentia, in ſeculum incidat adhuc barbarum, eò tamen pervenit eruditionis, ut & Philoſophus elegans & Theologus haud indoctus audiret.

Conjungit Philoſophiam cum Theologiâ. *Præeſt ſacris in patriâ.* *Et in Comitatu Mansfeldico.* *Moritur.*

In patriâ itaque munus Eccleſiaſticum aliquot annis obivit.

Gubernavit deinde etiam Eccleſias in Comitatu *Mansfeldenſi*, egitque paſtorem & vicinatum Eccleſiarum inſpectorem annis multis in Oppido *Islebio*, ubi finem vivendi fecit 13. Junii A. 1550. ætatis 66.

Filium reliquit *Cyriacum*, Theologum celebrem. Johannes verò, *Melanchthonis* judicio, fuit vir eruditione, pietate & virtute præſtans, quemque Deus protectione dignatus eſt ſingulari: Cum liberis ſuis enim aliquando per horas aliquot in balneo lavans, inde egreſſis, totum illud ædificium corruit, omnibus illæſis, teſte *Jac. Manlio* in ſuis memorabilibus.

Scripta.

Scripta reliquit utiliſſima ſequentia:
Pſalterium elegiacè redditum.
Margaritam Theologicam, quæ præcipuos doctrinæ Chriſtianæ locos per quæſtiones ordine explicat.
Catechiſmum Lutheri majorem.
Librum de Matrimonio.
Sermones de tempore & Sanctis per circulum totius anni.
Conciones funebres.
Poſtillam Germanicam.
Explicationem Evangeliorum & Epiſtolarum Dominicalium.
Artificioſæ memoriæ libellum.
Themata 60. V.T. quibus conciones applicari poſſunt.
Erotemata trivii Grammaticæ, Rhetoricæ, & Dialecticæ.
Quæſtiones Muſicas.
Computum Eccleſiaſticum in pueriles quæſtiones redactum.

* *Ex Melch. Adami Vitis Germ. Theol.*

Obiit A.C. 1550.

PAULUS FAGIUS.

NAtus eſt in oppido *Palatino*, Rhein-Zabern dicto, A. 1504. *Paulus Fagius*, Germanis Büchlein vocatus, patre *Petro* Büchlein/ oppidi Ludimoderatore & Grammateo, Matre *Margaretha* Hirnin *Heidelbergenſi*, Avo materno *Henrico* Jäger/ cui *Fridericus* Elect. *Palat.* ob virtutes bellicas cognomen Hirn dedit.

Heidelbergam mittitur.

Primis literarum fundamentis in ſcholâ patriâ jactis, A. ætatis 11. à patre, pro more illius ſæculi, inſtructus 8. baciorum viatico, *Heidelbergam* miſſus eſt, ubi præceptores habuit *Joh. Brentium* & *Martinum Frechtum.*

Dein Argentinam. *Ludimagiſter Isnenſis.*

Argentinam vero 18. ætatis anno ſe contulit, pædagogum ibi agens, & Hebraicæ linguæ ſtudio ſe mancipavit, in quâ, Præceptore *Wolffgango Capitone*, ſummam adeptus eſt cognitionem. A. 1527. *Isnæ*, *Algaviæ* oppido, ludimagiſter factus, uxorem ibi duxit, verùm *Argentoratum* rediens, ſtudioſis Hebraicas literas ſingulari felicitate tradidit, non tamen à ſtudio deſiſtens Theologiæ, *Isnam* rediit, ubi A. 1537. Eccleſiæ Miniſter conſtitutus eſt.

Hebraica & Theol. tractat.

Isnæ verò cum eſſet, quicquid negotii nactus eſt, ſtudio impendit linguæ Hebrææ, uſus enim ibi eſt operâ *Eliæ Levitæ* Judæi doctiſſimi, *Venetiis* ad ſe accerſiti. Summum inſuper ibi ſtudiorum habuit Patronum *Petrum Buflerum* Senatorem, qui *Isnæ* ſumtibus ſuis officinam exſtruxit Typographicam.

Edoctus autem experientiâ, ad inſtitutum ſuum, præſertim ubi in Hebraicis ſummoperè excelleret, & edendis in publicum libris utilibus vacaret, parùm aptam *Isnam*, de mutandâ ſede cogitavit.

Miniſter Eccleſiæ Argentoratenſis.

Argentinam igitur A. 1544. vocatus, (cum interea *Isnæ* lues peſtifera A. 1541. ſævo graſſaretur modo,) miniſterium obiit ſacrum, ſacramque extraordinariè profeſſus eſt Theologiam.

A. 1549.

Angliam petit. A. 1549. verò cum *Bucero* & *Fagio* concionandi munus ob *Interim* eſſet interdictum, in *Angliam* à *Thoma Cramero*, Archi-Epiſcopo *Cantuarienſi* vocati ambo venére, & *Fagius Cantabrigiæ*, ubi docendi provincia ipſi deſignata fuit, mortuus eſt, non ſine veneni ſuſpicione 13. Nov. A. 1550. ætat. 45. & poſtridiè in æde *S. Michaëlis* ſepultus.

Moritur.

Corpus crematum. A. 1556. verò cum à *Mariâ* Reginâ hæreſeos damnatus eſſet, cadaver ejus effoſum eſt & crematum.

Staturâ fuit *Fagius* procerâ, facie ſubnigrâ, ſub ſpecie tamen ſeverâ humaniſſimus, & in concionando eloquentiſſimus.

Ex Hebraica lingua, quæ impreſſa ſunt, translatâ à *Fagio* hæc:

Scripta. *Thisbites Eliæ*, qui liber ab Authore *Thisbi* vocatus eſt.

Sententiæ morales.

Tobias Hebraicus.

Precationes Hebraicæ.

Expoſitio dictionum Hebraicarum in 4. capita Geneſeos. Et alia.

* *Ex Vitis Germanorum Theolog. Melch. Adami.*

Obiit A. C. 1551.

MARTINUS BUCERUS.

Natus eſt *Seleſtadii*, *Alſatiæ* oppido. A. 1491. Jactis verò artium & literarum in patriâ fundamentis, puer etiam Dominicanorum ſodalitio ibidem ſe addixit. *Adjungit ſe Dominicanis.* A. 1506. *Heidelbergæ*, quorſum ex Prioris voluntate ſe contulerat, linguæ incubuit Græcæ & Hebrææ præſertim vero Philoſophiæ, dein & Theologiæ, ubi ex *Eraſmi* quoque & *Lutheri* ſcriptis, quæ tum prodiére in lucem, cum ſacris collatis literis, Evangelicæ doctrinæ fontes hauſit. *Lutheri ſcripta cum Sacrâ Scripturâ confert.*

A *Friderico* deinde *Palatino* evocatus, ut à ſacris ſibi eſſet, *Heidelbergæ* docuit, cum quo verò in *Belgium* profectus, liberè ſuperſtitiones in concionibus taxavit, cumque de ordine ſuo deſerendo cogitaret, monachorum inſidias meritò metuens, apud *Franciſcum à Sickingen*, nobilem in arce *Nanſtallenſi*, aliquandiu vixit & ſacra tractavit. *De Ordine deſerendo cogitat.*

A Franc. à Sickingen, & Wiſſenburgum venit. Bello dein inter *Sickingenſem* & *Trevirenſem* orto, veniâ *Bucerus* impetratâ, à vicino paſtore *Wiſſenburgico* invitatus, ſemeſtre ibi ſubſtitit. Cum autem eodem tempore *Argentorati Zellius*, *Hedio*, & alii, ſemina Evangelii ſpargere cepiſſent, & *Bucerus* ſe illis aſſociavit, ſacraque publicè A. 1523. docere cœpit, ubi expoſitis prius cum nominatis & reliquis mutationis cauſis, eò tandem res eſt deducta, ut rituum reformatio integra fuerit ſuſcepta. *Zellio & Hedioni ſe aſſociat. Evangelium docet Argentorati.*

Ad Colloquium Marpurgenſe venit. A. 1529. Ad Colloquium *Marpurgenſe* cum *Hedione* miſſus eſt, ubi cum *Luthero* & *Zwinglio* multa eſt collocutus, concluſumque tandem, ab omni impoſterum contentione abſtinendum utrinque eſſe, Deumq; orandum, ut ſpiritu ſuo erudiat ducatq;.

Et Comitia Auguſtana. A. 1530. Ad Comitia *Auguſtana Bucerus* venit in Religionis negotio, verùm ex voluntate Magiſtratûs reconciliationis cauſâ *Lutherum Coburgi* tum commorantem acceſſit. *Lutherum Coburgi accedit.*

A. 1531. Ab *Ulmenſibus* ad Eccleſiæ ſuæ reformationem accerſitus, cum *Oecolampadio* fideliter, quod petebatur, præſtitit. *Ulmenſes reformant Eccleſias operâ Buceri.*

Cum verò videret, verbum diſſidio illo Euchariſtico impediri, ex voluntate Senatûs anno 1536. ad *Lutherum Wittebergam* cum *Capitone* profectus, de concordiâ tractavit, cui & *Bucerus* cum aliis ſubſcripſit, qui tamen quædam retractavit in ſententiâ ſuâ de Domini cœnâ; cum verò capita hæc *Baſileenſibus* non probata fuiſſent, ad *Bucerum* miſſi ſunt *Caroloſtadius* & *Grynæus*, hac re uberiorem declarationem reportaturi. *Wittebergam proficiſcitur.* *Capita Concordiæ Baſileenſibus declarat.*

A. 1537. Ad *Smalcaldiæ* venit Conventum, ubi rurſus quædam in articulo de S. Cæna retractavit, in gratiam, ut dicebant, *Lutheri*, hincque non parùm abalienâſſe à ſe *Tigurinos*, quos antè plurimùm coluerat, viſus eſt. Hinc quidam ei, conciliandæ pacis & concordiæ cum *Luthero* ſtudio, idem accidiſſe præferunt, quod illis, qui præ nimiâ vini aviditate etiam feces haurirent. *Conventui Smalcald. intereſt.* *In Bucerum dicterium.*

Cumque eo ipſo tempore ſchola *Argentorati* eſſet aperta, *Bucerus* tum concionando, tum docendo, tàm Eccleſiam, quàm Scholam plurimùm illuſtravit. *In Scholâ Argentoratenſi docet.*

A. 1541. Ad Colloquium *Ratisbonenſe* ab Imperatore *Carolo V.* Religionis cauſa conciliandæ inſtitutum acceſſit, ibique ſociis *Melanchthone* & *Johanne Piſtorio* diſputavit cum Pontificiis *Julio Pflugio*, *Johanne Eccio*, & *Joh. Groppero*, fuitque ibi *Buceri* lenitas gravitate decenti mixta, plurimùm probata. *Ad Colloquium Ratisbonenſe venit.*

A. 1543. *Ab Hermanno, Archiepiſcopo Colonienſi*, cui à *Johanne Gropero* commendatus erat, rogatus, *Bonnæ* Evangelium docere cepit. Deindè cum *Melanchthone Wittebergâ* accerſito, formulam inſtruendarum Eccleſiarum conſcripſit, quæ licet ab ordinibus probaretur, à Theologis tamen *Colonienſibus*, *Joh. Groppero* inprimis, qui ſe poſtea totum à *Bucero* avertit, conviciis impugnata fuit, tandem verò Archiepiſcopus à Papâ excommunicatus, & à Cæſare ditione privatus, ſecedere coactus fuit, perque totam Regionem, quicquid *Bucerus* inſtituit, abolitum eſt. *Bonnæ docet.* *Conſcribit formulam Emendationis.*

A. 1546. Alterum Colloquium *Ratisbonenſe* acceſſit *Bucerus*, cum *Joh. Brentio*, *Erhardo Snepfio*, & *Joh. Diazio Hiſpano*, à fratre *Alphonſo* poſt Cainico planè exemplo trucidato. E Pontificiis autem ibi fuerunt *Petrus Malvenda, Hiſpanus*, *Eberhardus Billicus* Carmelita, *Joh. Hofmeiſterus, Auguſtinianus*, & *Joh. Cochlæus*. Ibi cum *Bucerus Malvendam* diſputando longè ſuperaſſet, quidam ad nomen ejus alludens, dixit: Er heiſt wol Butzer/ ich meine/er hat ihn auch gebutzt. *Aliud Colloquium Ratisbonæ.* *In eo cum Malvendâ diſputat Bucerus.*

Cum Cardinalis *Contarenus*, à *Petro Martyre* in *Germaniam* proficiſcente, è Conventu *Ratisbonenſi* rediens A. 1546. interrogatus *Buceri à Cardinale Contareno elogium.*

tus eſſet de doctis *Germanorum* viris, reſpondit ille: Nihil attinet de *Philippo*, qui notus, dicere, habent *Germani Martinum Bucerum*, qui eâ ubertate doctrinæ Theologicæ & Philoſophicæ, eâ etiam in diſputando ſubtilitate felicitateque eſt inſtructus, ut unus ille omnibus noſtris Doctoribus poſſit opponi.

Auguſtam venit. *Interim improbat.*

A. 1548. *Auguſtam Vindelicorum* venit, ab Electore *Brandenburg. Joachimo II.* eò vocatus, ut libro *Interim*, vel *Interreligio* vocato, paulò ante à *Joh. Agricolâ Islebio, Julio Pflug*, Epiſcopo *Numburgico*, & *Michaële Heldingo Sidonio* fabricato, ſubſcriberet. Cum verò *Bucerus* in eo libro Pontificiam confirmari vidiſſet doctrinam, ſubſcriptionem, quantumvis acriter ſuccenſente Electore & *Granvellano* urgente, abnuit, magnoque vitæ diſcrimine per *Wittebergicum* agrum, qui ab *Hiſpanis* tùm obſidebatur, ſeſe *Argentinam* recepit. Liber is *Interim*, Decretum Religionis vocatus, poſteà ab utrâque parte ſcriptis contrariis impugnatus eſt, hinc à *Bucero, Calvino, Caſp. Aquila* &c. Indè à Pontificiis *Roberto Cenali*, *Abrincarum* Epiſcopo, & *Romæ* à quodam ordinis Dominicani Generali.

In Angliam vocatus venit. *N. Teſt. explicationem incipit.* *Moritur.*

Cum verò libellus *Interim* dictus, omnia ferè Pontificiæ Religioni capita conſentientia complectens, & *Argentinenſibus* obtruderetur, Proteſtantiumque Theologi in ſat evidenti verſarentur periculo, *Thomas Cramerus*, *Cantuarienſis* Archiepiſcopus, in *Angliam*, unà cum *Paulo Fagio* literis honorificè ſcriptis invitavit *Bucerum*, quo etiam A. 1549. venit modò laudatus, inque Academiâ *Cantabrigienſi* N. Teſtam. *Fagius* verò vetus explicare cœpit. Mox verò morbo correptus eſt *Bucerus* graviſſimo, qui recidivâ intercedente, (cum paulò melius habere viſus eſſet,) vires ejus fregit adeò, ut ſæpius verba hæc proferens: *Ne abjicias me Domine in tempore ſenectutis meæ, cum defecerit virtus mea!* inter pia vota animam Deo reddiderit 27. Febr. A. 1551. ætat. 61.

Funus ejus frequentiſſ.

Elatus eſt funere frequentiſſimo omnium Ordinum, quippè quod vel duo vel tria hominum millia reduxerunt in Templum D. Mariæ, Epitaphium ipſi ſeq. ſcribente *Henrico* Duce *Suffolcienſi*:

Vita Suavis erat multis, vivente Bucero:
Vita peracris erit multis, moriente Bucero:
Voce Dei docuit delectavitq; Bucerus.
Morte docet, vitâ docuit, Chriſtum eſſe ſequendum:
Talia diſcenti, nec mors, nec vita nocebit.
Hæc pius hic docuit vitâq; & Morte Bucerus.
Plangite tam charum patrem, vitamq; ſequendo
Fingite: Sic Cœlum capiet, quos terra tenebat.

Corpus ejus igne conſumitur.

A. 1556. verò juſſu Reginæ *Mariæ*, *Buceri*, ut & *Fagii*, tanquam hæreticorum, oſſa effoſa, capſulis novis incluſa, in medium forum per bajulos translata, ibi erecti capuli cum cadaveribus palo cum catenâ ferreâ alligati, & igne ſuppoſito, unà cum magno librorum ab iis ſcriptorum numero combuſti fuére.

Fama verò tandem in integrum reſtituitur.

A. 1560. verò, cum *Eliſabetha Mariæ* ſorori ſucceſſiſſet, & Evangelii doctrina *Anglis* reddita eſſet, uterque *Bucerus* & *Fagius*, Reginæ juſſu, judicio adverſus innocentes publicè reſciſſo, in integrum reſtituti ſunt.

* *Ex Vitis Germ. Theol. Melch. Adami.*

TILEMANNUS de HUSEN.

Obiit A.C. 1551.

CLivenſis, Religionis ergò patriâ relictâ, primùm *Hamburgum* ſeſe recipit. Indè *Vitebergam* profectus, ibidemque ſumtibus & impenſis Regis *Daniæ Chriſtiani III.* Doctor Theologiæ creatus eſt. Hinc aliquot annos *Hafniæ* vixit, & concionando ſeſe exercuit, *Annamque* filiam Regis, quæ poſtea *Auguſto Saxoniæ* Electori nuptui data, erudivit ac inſtituit.

Doctor Theologiæ. *Concionator Hafniæ.*

Theologiam in Academiâ docuit, & Rectoratum geſſit A. 1539. Poſteà verò, cum de Epiſcopo in locum *Gotſcalci de Alevelde* ſubſtituendo ageretur, hic, re deliberatâ, Epiſcopus *Slesvicenſis* electus, & à *D. Bugenbagio*, Canonicis, & reliquis Ducatûs Verbi Miniſtris in ædem D. Petri ſolenniter introductus eſt A. 1541.

Theologiæ Profeſſor. *Epiſcopus Slesvicenſ.*

Occupatâ ſede Epiſcopali, juſſu ac conſilio Regis, concionando, viſitando, controverſias de nuptiis dirimendo, & in choro *Slesvicenſi* publicè prælegendo ſeſe exercuit.

Pſalterium poſtremò enarrare cœpit, in eoque explicando occupatus animam exhalavit, pleuritide conſumtus prid. Id. Maji Anno 1551. *Slesvici* ſepultus.

Pleuritide obiit.

* *Ex Acad. Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Virdingio.*

JOHANNES COCHLÆUS.

Obiit A.C. 1552.

WEndelſtenii, oppido *Norimbergæ* vicino, natus circa A. C. 1503. felici ingenio & vigilanti ſtudio literis operam dedit, imprimis verò Theologiæ incubuit, undè multijugâ inſtructus eruditione Doctoratûs in eâ facultate inſignia conſecutus eſt.

Theologiæ Doctor.

Hic ab adoleſcentiâ *Luthero* & *Melanchthoni* reſtitit, Catholicorum partes acerrimè defendens. *Moguntiæ* primùm ad S. Victorem, pòſt *Wormatiæ* Canonicus factus eſt A. 1521. *Wormatiæ* ſuâ ſponte *Lutherum* acceſſit, atque ei ad ignem usque diſputationem obtulit. Huic cum *Lutherus* reſpondere vellet, Comes quidam aſſidens, ſuam autoritatem interpoſuit.

Lutheri adverſarius. *Canonicus Wormatienſis.*

Poſteà *Auguſtæ Vindelicorum* in Comitiis A. 1530. fuit, & cum *Eccio* contra Proteſtantes diſputavit. Hinc factum, ut *Francofurdienſis* Decanus in monte B. Mariæ Virginis conſtitutus ſit. *Eraſmo Roterodamo* fuit

Decanus Francofurdienſis.

fuit familiariſſimus. *Ratisbonæ* A. 1546. cum *Malvendo* & *Bilickio* contra *Bucerum* & ſocios in Colloquio diſputavit.

Tandem *Uratislaviæ*, vel, ut alii volunt, *Viennæ* obiit A. C. 1552. æt. 49.

Scripſit & edidit:

Ejus Scripta.

Rudimenta Grammaticæ.

Commentationem in Meteora Ariſtotelis.

Rudimenta Muſicæ, & Geometriæ, in quibus Urbis *Norimbergenſis* laus continetur.

Adversùs novam apud Bernenſes Reformationem.

De Canonicæ Scripturæ & Catholicæ Eccleſiæ autoritate.

De animarum Purgatorio.

De poteſtate Generalis Concilii.

Sacrificii & Sacerdotii novæ Legis defenſionem, adversùs Wolffgangi Muſculi arroſiones.

In 4. Andreæ Oſiandri conjecturas, de fine mundi, Velitationem.

Philippicas VII. contra Melanchthonem.

De novis Hebræorum translationibus S. Scripturæ diſceptationem.

Refutationem 30. articulorum, qui Wittenbergæ diſputati ſunt.

De factis ac dictis Martini Lutheri Lib. aliquot ab A. C. 1517. ad A. 1546.

De Petro & Româ contra Velenum.

Lutherum ſepticipitem.

Breves Confutationes contra 50. articulos Lutheri ex 36. Sermonibus.

Commentarium in libellum Lutheri contra ſeditionem ruſticorum.

Catalogum ſeditionum per diverſas Germaniæ partes exortarum.

De Seditioſis, Appendices III. ad Librum Bruni.

Ad Bernenſes, contra Diſputationem ne fieret.

Apologiam pro Duce Georgio ad Saxoniæ Electorem.

Reſponſionem ad mendacia Lutheri pro Duce Georgio.

De Miſsâ & conſecratione Sacerdotum contra Lutherum.

Speculum antiquæ devotionis circa Miſſam.

De 21. Articulis Anabaptiſtarum.

Contra Catechiſmum Moibani.

Contra Melanchthonis apologiam, & confutationem Didymi Faventini.

De matrimonio Regis Angliæ Defenſionem Epiſcopi Roffenſis & Thomæ Mori.

Propoſitiones 153. ad 70. Propoſitiones Lutheri contra Antinomos.

Colloquium cum Luthero habitum Wormatiæ.

Libellum, utrum is, qui non eſt ab Epiſcopo aliquo conſecratus, Euchariſtiam per verba conſecrationis conficere queat.

De verâ Eccleſiâ: de ordinatione Epiſcoporum & Presbyterorum, & de Euchariſtiæ conſecratione.

De modo & uſu orandi antiquo.

Contra 18. articulos Wittenbergenſium, de peccato originali, & 21. de fide juſtificante.

Defenſionem Cæremoniarum Eccleſiæ contra Libellos III. Ambroſii Moibani.

Quadruplicem rationem concordiæ ſuper Confeſſione Auguſtanâ.

De Invocatione Sanctorum, eorumque interceſſione, & de reliquiis imaginibusque eorundem, contra Bullingerum.

De Veneratione Reliquiarum, contra Calvinum.

De Interim, contra eundem.

Miſcellaneorum Libros III. qui diverſos continent Tractatûs XXX.

Conſiderationem de Concordiæ Tractatu, contra duo Scripta Lutheranorum.

Replicam in Muſculi Anticochlæum, & Antibolem Bullingeri: atque in quædam Scripta Buceri.

In Nyctocoracem novi Evangelii.

Exhortationem ad Germaniæ Principes de Invocatione Sanctorum.

Reſponſionem ad ſingula puncta Confeſſionis Proteſtantium Principum Auguſtæ exhibitam.

Diſcuſſionem omnium Confeſſionis Auguſtanæ Articulorum.

Hiſtoriam Huſſitarum Lib. XII. contin.

De Reſolutione Imp. Caroli V. ratione Interim.

Ex Vitis 50. Viror. doctor. Jani Jacobi Boiſſardi.

* * *

* *Ex Dialogo de Patriis Viror. doctor. Joh. Andr. Quenſtedt.*

Johannes Cochlæus Norimbergenſis, Romanarum ſuperſtitionum propugnator acerrimus, præter alia virulenta in *Lutherum* Scripta *Librum* edidit *de actis & ſcriptis Lutheri*, quem valdè utilem, ad confundendos *Lutheranos* vocat *Robertus Bellarminus Lib. de Scriptorib. Eccl.*

OSWALDUS MYCONIUS.

Obiit A. C. 1552.

E *Lucernæ, Helvetiorum* oppido, natus eſt A. 1488. Germ. Geißheuſer.

Baſileæ ſtudiis operam dedit, & *Eraſmum Roterodamum* ac *Henricum Glareanum* diligenter audivit circa Annum 1514. *Eraſmi & Glareani auditor.*

Ibidem deinde ludo literario ad *S. Theodorum*, poſtea ad *S. Petrum* præfectus eſt. *Ludimoderator Baſilienſis.*

Interjectis aliquot annis *Tigurum* vocatus, cum ibi quoque triennium ſcholam moderàtus eſſet, in patriam *Lucernam* vocatus, & ejus loci Scholæ primariæ præfectus eſt. *Tigurinus. Lucernenſis.* Cum autem ſub id tempus doctrinam Evangelii paſſim clareſcentem amplecteretur, eamque juventuti inſtillare conaretur, à *Lucernatibus* Pontifici adhærentibus dimiſſus eſt A. 1523.

Tigurum ergò reverſus, denuò ibi Ludimoderatorem egit.

A. 1532. *Baſileam* repetiit, ibi Diaconus ad *S. Albanum* declaratus, & *Oecolampadio* paulò ante defuncto, ſub finem A. 1531. Paſtor primarius deſignatus, inque eâ vocatione annos 20. verſatus eſt. *Paſtor Eccleſiæ Baſilienſis.* Cum autem in certamine Euchariſtico ſententiam *Lutheri* *Luthero favens.*

theri haud obſcurè approbaret, nonnihil ſimultatis ei cum *Academiâ Baſilienſi* interceſſit.

Privatam degit vitam. Tandem ultrò Profeſſione abdicatâ, ſuâ ſorte contentus, ad exitum vitæ ſuæ vixit, qui ei contigit 15. Octob. A. 1552. cum vixiſſet Annos 64.

Sepultus eſt *Baſileæ* in Templo Cathedrali, ſuccedente ipſi in Paſtoratu *Simone Sulcero*.

Scripſit

Ejus Scripta. *Expoſitionem Evangelii Matthæi, Marci, Lucæ* & *Johannis*.
Enarrationes in Pſ. 101.
Oecolampadii Cathechismum è Germ. in Lat. translatum.
Narrationem de vitâ & obitu Zwinglii.
Orationes de liberis rectè educandis, de crapulâ, de fœnore &c.
Suaſoriam ad ſacerdotes Helvetiæ, ut malè loqui deſinant.
Comment. in Jeſaiam, Jeremiam & Jonam.
Commentarium in Glareani poëma.
* *Ex Melch. Adami vitis de Germ. Theol.* & aliis.

CASPARUS HEDIO.

Obiit A.C. 1552.

Natus eſt *Etlingæ*, in *Badenſi Marchionatu*, honeſtis parentibus, ac primùm *Friburgi Briſgoviæ*, dein *Baſileæ* literis humanioribus excultus, Philoſophiæ, dein & Theologiæ Doctor creatus eſt A. 1520. *Philoſophiæ & Theologiæ Doctor.*

Moguntinus verò Eccleſiaſtes factus eodem 1520. anno, ſummo ibidem templo præfectus eſt, cumque Evangelii luce eſſet colluſtratus, hincque à Clero varias ſuſtinuiſſet perſecutiones, *Argentoratum* abiit anno 1523. quo paſtor Eccleſiæ cum *Mart. Bucero* conſtitutus, juſſu Senatus dein Eccleſiæ Reformationem incepit, eodemque anno uxorem duxit. *Moguntinus Eccleſiaſtes. Et Argentinenſis. Reformationem adjuvat.*

Cum An. 1524. Theologi *Argentinenſes* cauſas à ſe ſuſceptæ mutationis in Religione ex ſacris literis, libro edito, reddidiſſent, *Hedio* non ſolùm ei libro cum aliis ſubſcripſit, ſed etiam theſes aliquot *Conradi Tregeri* Paradoxis oppoſuit.

Templi ſummi concionator. Templi ſummi verò Concionator per annos 29. Theologus & Hiſtoricus, & Chronographus eximius obiit *Argentorati*: 17. Octob. A. 1552.

Teſtamentum ejus. Teſtamentum manu ejus ſcriptum, repertum eſt tale: GOtt hat mich ohne meine Sorg leben laſſen/ bis auf dieſe Stund/ dazu mir ſeinen lieben Sohn JEſum Chriſtum zum gewiſſen theuren Pfand des ewigen Lebens geſchencket: Darum fahr nun hin meine liebe Seele/ du haſt einen treuen Heiland/ der dich zu ſeinen Händen aufgenommen hat.

Succeſſit ei in Profeſſione *Hieronymus Zanchius*.

Ejus Scripta. Libri, quos ſcripſit & edidit Hedio, ſunt ſequentes:
Sermo de Decimis.
Smaragdi Abbatis commentarii in Evangelia & Epiſtolas per totum annum.
Hiſtorica Synopſis, qua Sabellici inſtitutum proſequitur ab A. 1504. ad 1538.
Chronicon Abbatis Urſpergenſis correctum.
Paralipomena illi addita ab A. 1230. ad A. 1537.
Chronicon Germanicum.

In Germanicam tranſtulit linguam libros, *Euſebii, Egeſippi, Joſephi.*
Chronicon Abbatis Urſpergenſis.
Cuſpiniani Cæſares.
Lutheri commentarios in Pſalmos graduum.
Chryſoſtomi Homilias in Matth. & Johannem.
Auguſtini quædam opuſcula.
Ambroſii libros officiorum.
Smaragdi Abbatis poſtillam.
Demegorias Oecolampadii in Epiſt. Joannis.
Ludovici Vivis de eleemoſyna.
Philippi Cominei hiſtorias.
Eraſmi Roterodami de præparatione ad mortem.
Hermanni Bodii unionem diſſidentium.
Ex Melch. Adamo de Vitis Germ. Theol.

ANDREAS OSIANDER.

Obiit A.C. 1552.

In *Bavariâ* natus eſt 19. Dec. A. 1498. *Guntzenhuſæ* 6. milliar. à *Norimbergâ*.

Nomen familiæ Hoſmann mutavit in *Oſiandri*, parens enim ejus Hoſen-Enderlein dictus fuit, faber ferrarius. *Nomen Oſiandri Germ.*

Wittenbergæ verò linguis & Theologiæ operam cum dediſſet, *Norimbergam* venit, ubi ob ingenii præſtantiam eruditis, præcipuè *Bilibaldo Pirckeymero*, charus fuit. Deindè propter facundiam concionibus in æde *Laurentianâ* præfectus, ibi primam concionem habuit 23. Febr. A. 1522. *Wittebergæ ſtudioſus. Noribergenſis paſtor.*

Monachorum deindè ſuperſtitionibus cum acriter reſtitiſſet, autoritatem conſecutus eſt.

Intereſt Colloquio Marpurgenſi. A. 1529. Ad Colloquium *Marpurgi* inter *Lutherum* & *Helvetios* inſtitutum miſſus, ibi cum, petente *Landgravio Haſſiæ*, ſinguli Theologi concionem habuiſſent, & *Lutherus* de Juſtitiâ coràm DEO diſſeruiſſet, *Oſiander* eundem textum ſumens de Juſtitiâ, tam ſublimia philoſophatus eſt, ut omnes illum monſtri aliquid alere præſenſerint.

Et Comitiis Auguſtan. A. 1530. Fuit in Comitiis *Auguſtanis*.

A. 1548. Cùm ob librum *Interim* dictum, Theologi paſſim in *Germaniâ* loco moverentur, hic invitatus ab *Alberto March. Brandenb. Boruſſiæ Duce*, (qui A. 1522. *Norimbergæ* ex ipſius Concionibus Evangelii lucem agnoverat,) in *Boruſſiam* ſe contulit, & in Academiâ *Regiomontanâ* à Principe non ſolùm Paſtor veteris oppidi, & poſt obitum *D. Georgii à Polentis* Epiſcopus *Sambienſis*, ſed etiam primarius Academiæ, quinquennio ante inſtitutæ, Profeſſor conſtitutus eſt, gradu ſcilicet etſi nullo ornatus, tamen non ſolum in Theologiâ & Hebræâ linguâ, ſed Mathematicis etiam diſciplinis præclarè excultus. *Regiomontium ſe confert. Ubi Profeſſor eſt conſtitutus.*

Hujus doctrina. Ibi cum docuiſſet, aſſeruit, Viſibilem Chriſtum

ſtum imaginem eſſe inviſibilis DEI, ad cujus imaginem homo conditus ſit, & libello edito Sententiam ſuam de imagine DEI expoſuit.

Statuit præterea, nos non tantùm propter remiſſionem peccatorum reputari juſtos, ſed etiam propter juſtitiam Chriſti eſſentialem & Divinam per fidem in nobis habitantis.

Bellum Martini cum Oſiandro. A. 1551. Cum *Joachimus Morlinus* Theol. D. ab *Erico juniore*, *Duce Brunſuicenſi*, *Gottingâ* ejectus *Regiomontii* Cathedrali Eccleſiæ à Duce *Boruſſiæ* præfectus fuiſſet, linguâ calamoq; bellum adversus *Oſiandrum* geſſit. Sed cum hic in opionibus ſuis perſeveràſſet, Princeps Confeſſionem ipſius typis editam Theologorum *Auguſtanæ Confeſſionis* in Imperio præcipuorum judicio ſubjecit, qui *Oſiandri* dogmata unanimiter improbàrunt, ſolo *Brentio* & *Wittenbergenſibus* exceptis, inter quos moderatiſſima fuit *Melanchthonis* reſponſio, quem tamen hic calumnioſe traduxit.

Inter alios librum edidit, cui titulum Schmalbier fecit, & alium cum tit. Abclaſſen *Philippi*.

Tandem in medio certaminum paroxyſmo epileplico proſtratus, poſt paucos dies ex hâc vitâ diſceſſit *Regiomontii* 17. Octob. A. 1552. ætatis 54. *Moritur.*

Singulare Oſiandri vitæ genus. *Philippus Melanchthon* in *enarrat. Evangel.* ita de eo ſcribit: *Oſiander* ita ſibi abrupit vitã: Solebat incumbere ſtudiis circa horã nonam noctis, & continuabat ea ad ſecundam usq; Auguſtæ in Conventu manè ſurgebat, quando cibus menſæ appoſitus erat: tum deſcendebat de ſcalis caligas repoſitas habens in brachiis. Solebam ego dicere ad eum: *Domine Andrea*, Ihr hättet die Suppen ſchier verſchlaffen! reſpondebat: Ich weiß die Zeit wol zu treffen: & hilariter prandebat ac bibebat. Pòſt ibat deambulatum, horâ tertiâ legebat aut ſcribebat aliquid, poſtea cœnabat, & circa horam noctis nonam iterum ad ſtudia redibat: ex quibus cauſis factus eſt tandem hydropicus.

Conradus Schlüſſelburgius ſcribit, quòd, cum *Lutherus* cum 1529. Marpurgi concionantem exaudiviſſet, ad *Phil. Melanchthonem* dixerit: *O Philippe*, *Oſiander ſpiritum habet ſublimem*, *videbis*, *quod poſt mortem meam magnas in Eccleſia tumultus excitabit:* quod etiam factum; Oſiandrum, mortuo Luthero enim, exultantem dixiſſe feruntur: *Leone nunc mortuo, pro meo arbitrio cum vulpeculis & leporibus agam.*

Scripta. Edidit:

Harmoniam 4. Evangeliſtarum in 8.

* *Ex Melch. Adam. Vitis German. Theol.*

FRANCISCUS XAVERIUS.

Obiit A. C. 1552.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Navarrus*, natus ex nobili familiâ Patre *Joh. Xaverio*, Matre *Mariâ ab Aſpilcuetâ*. Adoleſcens ſtudiorum gratiâ à parentibus *Pariſienſem* in Academiam miſſus eſt, ubi Philoſophicas & Theologicas diſciplinas egregiè didicit, Philoſophicas etiam publicè profeſſus eſt. *Philoſophi Profeſſor Pariſienſis.*

Eo tempore *Ignatio Lojolâ*, ejusdem cubiculi ſocio, familiariter uſus, hujus virtutis & ſanctimoniæ admiratione ita captus eſt, ut ſe illius poteſtati permiſerit, & ad conſtituendam Societatem Collegam adjunxerit. *Collega Ignatii Lojolæ ad conſtituendam Societatem Jeſu.*

Deinde exactis ſtudiis, *Galliâ* relictâ, peragratâ *Italiâ*, ubique humilitatis ſuique victoriæ impreſſis veſtigiis, â *Paulo III.* Pontifice Maximo *Johannis III. Luſitaniæ* Regis rogatu, in orientis Solis *Indiam* ablegatus eſt: ubi incredibile eſt, quos labores tulerit, quas moleſtias devoràrit, quot populos Evangelii luce perfuderit, quàm multos filios Chriſto pepererit, quàm turbulentis tempeſtatibus jactatus, quantis miraculis nobilitatus ſit. *Ablegatur in Indiam Orientalem.*

Goënſi in civitate, (quæ Regia & Luſitanici in Oriente caput Imperii eſt,) Religionem Chriſtianam, Collegio Societatis exædificato, ſtabilivit.

In *Commorini* orâ 140. Eccleſias conſtituit.

Malacam ad pietatem erudivit, & precibus tutatus eſt. *Moluccas* inſulas perluſtravit. Truculentos *Mori* inſulæ habitatores ac Barbaros manſuefecit.

In *Japonem* primus cœleſtis Doctrinæ lumen invexit. Multos Reges idololatras Chriſti jugo ſubjecit.

Denique latiſſimi *Chinenſis* regni, (quod Chriſti armis expugnare parabat,) aditu ſanctè vitam profudit, febri ardente correptus, 2. Dec. A. C. 1552. ſecundum alios 1556. æt. 55. à Pontifice *Gregorio XV.* unà cum *Ignatio Lojolà* in Sanctorum numerum relatus 12. Martii 1622. *In aditu regni Chinæ obiit.*

Horatius Turſellinus Societatis Jeſu, 6. libris editis, *Xaverii* mores, vitam, obitum, miracula luculenter literarum monumentis commendavit; idque poſteà præſtitit *Joannes Lucena, Luſitanus*, itidem ex Societate 10. libris maternâ linguâ ſcriptis.

Scripſit

Epiſtolarum libros IV. cœleſtem ſpirantes ſpiritum, qui ab eodem *Horatio Turſellino* in Latinam linguam ex *Hiſpanâ* converſi in manibus ſunt. *Ejus Scripta.*

* *Ex Catalogo Scriptorum Societ. Jeſu P. Petri Ribadeneiræ.*

FRANCISCUS TITELMANNUS.

Obiit A. C. 1553.

HAſſeleti apud *Leodicenſes* natus. Ordinis Minorum *Lovanii* Theologus ac Philoſophus, apud quem nulla temporis horula lectione vacavit.

Lutetiam profectus A. 1537. à *Bernardino Aſtio*, Capucinorum Præfecto, in ſuorum numerum receptus eſt. *Monachus Capucinus.*

Pòſt *Romanæ* Provinciæ Præfectus ipſe datus optimè rem geſſit, & cum laude præfuit,

fuit, ſeque totum contemplationi & leproſorum curæ dedit.

Mortuus eſt *Anticoli* in agro *Romano* A. C. 1553. æt. 45. cum ſanctitatis opinione.

Cardinalis Bellarminus ſcribit, obiiſſe eum A. C. 1550. ætatis 40. aut circiter.

Scripſit & edidit:

Ejus Scripta.

De conſideratione Dialecticâ Lib. VI.

Compendium naturalis Philoſophiæ. in 8.

Apologeticum pro editione vulgatæ Scripturæ.

Collationem ſuper Epiſtolam ad Romanos, contra Eraſmum Roterodamum & Jacobum Fabrum.

Paraphraſticas elucubrationes in Pſalmos, Cantica Canticorum, Job, Eccleſiaſten, Mathæum, Johannem, & in omnes D. Pauli Epiſtolas Canonicas.

Expoſitionem Miſſæ Cæremoniarum.

De autoritate Apocalypſis Lib. II. ad Eraſmũ.

Epiſtolam Apologeticam pro opere Collationum ſuarum ad Eraſmum.

Summam Myſteriorũ Chriſtianæ Fidei. in 16.

Meditationes Sacras.

De Superbenedictâ Trinitate.

De prœmaturâ morte bonorum.

Commentar. in Tractatum de 7. Verbis Domini, Arnoldi Carnetenſis Abbatis D. Bernardo familiaris.

Tractatûs plures de Sacramentis.

Expoſitionem officii Eccleſiaſtici. in 8.

Exercitia intimæ devotionis & piiſſimarum animæ fidelis contemplationum.

De fide, religione, & moribus Æthiopum.

De Conſideratione rerum Naturalium, earumque ad Creatorem ſuum reductione, Lib. XII. in 8.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A. C. 1553.

JOHANNES ÆPINUS.

Diſcipulus Lutheri.

JOhannes Æpinus natus eſt *Hamburgi*, civitate celeberrima A. C. 1499. *Wittebergæ* verò ſub præceptore *Luthero*, ad Theologiam animum ſummo applicavit conatu, linguarum, atque humaniorum literarum ſtudio minimè neglecto.

Paſtor Hamburgi.

A. 1522. Paſtor *Hamburgi* ad *D. Petri* ac biennio pòſt, totius Eccleſiæ *Hamburgenſis* Superintendens conſtitutus eſt.

Primus Evangelicus Doct. Theol.

Primus verò ex Evangelicis unà cum *Caſp. Crucigero* & *Job. Bugenhagio* Theologiæ Doctor ſalutatus eſt *Wittebergæ* A. 1530.

In Angliam mittitur. Interim, Libellum, reprebendit.

A. 1534. Cum *Henricus VIII. Angliæ* Rex, Papatu abdicato, auxilia ab Urbibus maritimis petiiſſet, *Hamburgenſes Æpinum* cum Senatoribus in *Angliam* miſerunt. Librum autem *Interim* vocatum A. 1548. refutavit, & *Wittebergenſium* animi mollitiem apertè notavit cum *Flaccio Illyrico*.

Obiit *Hamburgi* 13. Maji 1553. ætat. 54.

Scripſit

Scripta.

Commentar. in Pſalmum quendam Davidis.

Librum de Sacris concionibus formandis.

De Juſtificatione hominis, de operibus legis, de fidei Juſtitia, & origine, de fidei diſcrimine & virtute.

De notis & ſignis Juſtificationis fidei.

De imbecillitate & peccatis Sanctorum.

De prœmiis fidei & bonorum operum.

Enarrationem in Pſalm. 69.

Brevem explicationem articuli de deſcenſu Chriſti ad inferos.

Cur afflictionibus eccleſia Dei exerceatur?

Epitomen Hiſtoriæ de Judaici Regni excidio. in 8.

* *Ex Vitis Melch. Adam. Germ. Theol.*

Obiit A. C. 1553.

ADAMUS SASBOLDUS.

VUlgò *Sasbouth* vocatus, *Delphis Batavorum* ex familiâ Patriciâ natus eſt 21. Dec. A. C. 1516.

Philologus.

Ultrajecti à *Georgio Macropedio* Poëtar. Rhethorumq; præcepta hauſit, à quo Græcè doctus adoleſcens *primum lib. Homeri Iliados* totidem convertit verſibus.

Memoriâ Divinâ præditus.

Tam erat tenax fidâque memoriâ, ut *XII. Libros Æneidos* ſine monitore recitaret.

Monachus S. Franciſci, & Theologus exemplaris.

Theologus inſignis, Hebraicarum literarum benè peritus, habitum *S. Franciſci* amplexus, Theologiam ſuos docuit.

Vixit in Ordine annos 9. & magnam apud omnes ſui æſtimationem peperit ob vitæ ſanctimoniam.

Vivere tandem deſiit *Lovanii* 1. Dec. A. C. 1553. æt. 37.

Sepultus jacet in æde *Franciſcanorum.*

Edidit, ut quidam opinantur, quæ antea à *Johanne Heſſelio*, Theologo *Lovanienſi*, Præceptore ſuo acceperat:

Commentaria in Eſaiam Prophetam, quibus præmiſit *Tractatum de Scripturarum ſenſibus.*

Explicationes in omnes D. Pauli Epiſtolas, & quorundam aliorum Apoſtolorum, hæreticorum noſtri temporis errores refutantes.

Ipſe verò conſcripſit:

Scripta.

Homiliarum opus egregium, quas variis in Collegiis habuit.

Orationem quodlibeticam de verâ Chriſti Eccleſiâ.

Conciones III. in illud Levitici, Eritis mibi Sancti.

Orationem funebrem in obitum Tilmanni Geldropii, Collegii Pontificii in Academiâ Lovanienſi Præſidis.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A. C. 1554.

AMBROSIUS MOIBANUS.

URatislaviæ, patre calceario, natus eſt A. 1494.

Induſtria Moibani.

Cracoviæ ſtudiis deditus, lucubrationes quotidie in multam noctem produxit, ita ut famulo lucernam obſervare juſſo ipſe in libris obdormiverit. Cumque ita in omni diſciplinarum genere eſſet exercitatis, *Viennæ* Auſtriæ Magiſter Artium, poſtea *Wittebergæ*, ubi & Philoſophiæ Profeſſorem ali-

Phil. Magiſter & Profeſſ.

aliquantiſper egiſſe dicitur, S. Theol. Doctor renuntiatus eſt A. 1525.

Uratiſlaviæ reformationem incipit. Paulò poſt *Uratiſlaviam*, *Joh. Heſſi* conſilio, vocatus, templum *Eliſabethanum* à fermento Pontificio repurgavit, & munus Eccleſiam docendi ſubivit anno ætatis 31.

Adjuvit autem hanc emendationem Epiſcopi *Jacobi à Saltza* moderatio, qui licèt à Sacerdotibus ad vim faciendam ſollicitaretur, à violentiâ tamen abſtinuit, ſequentibus verò *Moibanum* allocutus eſt verbis: Ito, & doceto Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.

Scholarum etiam Inſpectionem ſibi cum *Joh. Morenbergio* demandatam fideliter obivit, & ipſe in Scholâ docuit.

Nuptiæ Moibani. A. 1525. Nuptias celebravit *Suidnitii* cum *Annâ*, Virgine ex *Bonicorum* familiâ, ex quâ filium natu maximum *Johannem*, Medicum & Pictorem peritum, reliquit.

Obiit. Cum in officio miniſterii Eccleſiaſtici Annis 29. vixiſſet, obiit *Uratislaviæ* 16. Jan. A. 1554. ætatis 60. Ibidem in æde *S. Eliſabethæ* ſepultus cum effigie ſuâ ad parietem poſitâ.

Fuit autem *Moibanus* cœterùm inſignis vir pietate, doctrina & ingenii moderatione, charus *Luthero*, *Melanchthoni*, *Camerario* & aliis ejus ætatis omnibus viris piis & doctis.

Georgii Logi jactantia. Jocus Moibani. Cum aliquando in convivio *Georgius Logus*, Canonicus *Uratiſlav.* genus ſuum nobile ab *Achille* deduceret, *Moibanus* hominis arrogantiâ offenſus, *eſt ſanè*, inquit, *ut dicis, Logorum familia vetuſta, nam & Terentio logi noti ſunt.*

Scripta. Exſtant ab eo elucubrata hæc: *Liber Germ. an Communio infantum, quæ apud quosdam ſervatur, probetur eccleſiæ?*

Catechiſmi capita, decem colloquiis illuſtrata, unà cum oratiuncula Latina puellæ de nativitate Jeſu Chriſti.

Enarratio Pſ. 29. de voce Dei.

Explicatio dicti Chriſti Matth. 18. Ite in mundum univerſum &c.

* *Ex Melch. Adam. Vitis Theol. Germ.*

JOHANNES FERUS.

Obiit A. C. 1554.

VOcatus aliàs *Wild*, Monachus *Franciſcanus*, & Concionator Eccleſiæ Metropolitanæ *Moguntinenſis*, vir doctus fuit, & eloquentiâ ſingulari præditus.

Theologus Moguntinus. Scripta ejus. Scripſit Latino & culto Sermone pias & eruditas *Lucubrationes*, ſcilicet *Annotationes in Pentateuchum*, in *Job*, *Eccleſiaſten*, *Threnos*, *Jonam*, *Matthæum*, *Johannem*, *Acta Apoſtolorum*, & *Epiſtolam ad Romanos*, in quibus tam Veterum quàm recentiorum Expoſitorum labores veluti in Compendium redegit, teſte *Sixto Senenſi lib. IV. Bibl. S.*

Scripta ejus non ſolùm apud Romano-Catholicos, ſed etiam apud Evangelicos quosdam in ſummo habentur precio, inquit *Abr. Bucholcerus in Ind. Chronolog.*

Thuani de eo judicium. *Thuanus Hiſtor. lib. XIII. Johannes Ferus*, ait, multa ſcripſit tantâ moderatione, ut, ſciſſâ ob religionis cauſam Germaniâ, ab utrâque parte gratiam meruerit.

Nicol. Serarius in ſuâ Moguntiâ lib. 1. cap. 40. inquit, *Salmeron* ex fontibus *Feri* areolas ſuas ita irrigavit, ut pagellas integras in Commentarios ſuos ex eo transtulerit.

Obiit 8. Sept. A. C. 1554. *Obiit.*

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quendſtedt.*

PAULUS SPERATUS.

Obiit A. C. 1554.

EX nobili *Sprettorum* familiâ *Suevicâ* natus eſt 13. Dec. A. 1484.

Lutetiæ & in *Italicis* Academiis diu verſatus Theologiæ totum ſe dedidit.

Circa annum 1522. *Auguſtæ*, *Herbipoli*, *Salisburgæ* & *Viennæ Auſtriæ* intrepidè ſuperſtitiones taxavit. *Docet variis in locis.*

Tandem in *Moraviam* veniens, *Iglaviæ* aliquantiſper ſubſtitit, unde Epiſcopus *Olomucenſis* eum in carcerem tetrum, ad cauſam dicendam, compegit. Inde Divinâ ope elapſus A. 1524. *Wittenbergam* ad *Lutherum* venit, à quo ſtatim in *Boruſſiam* miſſus, & Principi *Alberto*, ac *Johanni Briſmanno*, Theol. Doctori in Academiâ *Regiomontana*, commendatus, paucos poſt annos Eccleſiæ *Pomezanenſis* Epiſcopus factus eſt. *In carcerem conjicitur. Lutherum accedit. In Boruſſiam mittitur.*

A. 1525. *Johannes Poliander* in *Boruſſiam* appulit, qui tum in Eccleſiæ gubernatione conjunctis ſtudiis *Speratum* adjuvit, tum in Scholâ Sacra docuit ad Annum usque 1540. quo apoplecticus obiit, quem 1546. *Briſmannus* ſecutus eſt. *Ubi ſacra docet.*

Hi duo cum *Sperato* primi Ducatûs *Boruſſiæ* fuerunt Evangeliſtæ, & annis amplius 20. Eccleſias illas rexerunt. *Primi Doctores Boruſſiæ.*

Speratus, paulò longiùs producto vitæ ſpatio, ex hujus vitæ ſtatione vocatus eſt 17. Sept. A. 1554. ætatis 70. *Moritur.*

Excelluit autem *Speratus* ingenio & eloquentiâ admirabili, perpetuâ item ac conſtanti *Auguſtanæ Confeſſionis* adverſus contrariorum opiniones defenſione, Pietate ac doctrina Theologica, non hypocritica, ſed ſpirituali, cujus indices ſunt *odæ ſacræ* ab ipſo compoſitæ, quibus Doctrinam Evangelii eſt complexus: *Hymni ab ipſo compoſiti.*

Es iſt das Heil uns kommen her / von Gnad und lauter Güte.

In GOtt glaub ich:

Hilff GOtt wie iſt der Menſchen Noth / &c.

* *Ex Vitis Germ. Theol. Melch. Adam.*

RICHARDUS SAMPSON.

Obiit A. C. 1554.

Legum Doctor. RIchardus Sampſon, Legum Doctor & Capellæ Regiæ Decanus, in Epiſcopum *Ciceſtrenſem* conſecratus eſt A. 1537. Inde Martii 12. 1543. *Lichfeldiam* transfertur. *Epiſcopus Ciceſtrenſis.*

Dum adulator pro aſſerendo *Henrici* Regis ſui primatu pauca voluit ſcriptitare, *Cochlæum* in ſe concitavit.

Scripſit etiam in quosdam *Pſalmos*, & *Epiſtolas Pauli ad Romanos, Corinthiosq;* commentarios. *Sacros ſcribit commentarios.*

X A. 1539.

A. 1539. in arcem *Londinenſem* conjectus eſt, quod pecuniâ juviſſet vinctos quoſdam, & eam ob cauſam carceri mancipatos, quod de primatu Regis haud rectè ſentirent.

Statim ut huc translatus eſt, *Walliæ* factus eſt Præſes, eoque functus eſt munere ad ſecundum *Edwardi VI.* annum, quo tempore, (licet antea Pontificem impugnarat,) Pontificiis partibus ſe addictum non diſſimulavit.

Moritur. Obiit apud *Ecclesfale* Sept. 25. A. 1554.

* *Ex Commentario de Præſulibus Angliæ Franciſci Godwini.*

Obiit A.C. 1555.

BARTHOLOMÆUS de CASA.

SEvilliæ, urbe *Hiſpaniæ* primariâ, natus, & â juventute ſtudio Theologico deditus, eximius evaſit Theologus, quem Frater *Builius*, Nuntiatus Apoſtolicus, in Inſulam *Hiſpaniolam Indiæ Occid.* ſibi comitem adſcivit. *In Indias Occid. venit.* Ibi cum *Hiſpanorum* crudelitatem erga miſeros *Indianos* videre coactus eſſet, gravibus concionibus iram illis DEI prædicavit, avaritiâ verò inſatiabili laborantibus *Hiſpanis* fruſtrà ſeſe concionari videns, ut miſeris hiſce populis vivendi libertatem â Rege *Ferdinando Catholico* impetraret, in *Hiſpaniam* rediit. *Hiſpanorum crudelitati reſiſtit.*

Rege verò jam tunc vitâ defuncto, in *Indias* rediit, & finem deſideratum aſſequi ſe non poſſe clarè perſpiciens, Religioni *Dominicanorum* nomen dedit, & cum ſummo animi fervore Theologiæ ſeſe addixit, ideò commotus Imp. *Carolus V.* Epiſcopum eum *Chiapenſem* in *Indiâ* Occidentali nominavit, ſub cujus dignitatis ſpecie *Indianos* defendere ſperavit, ſed ſpe ſuâ fruſtratus, Epiſcopatu ſuo in manus Summi Pontificis reſignato, reverſus in *Hiſpaniam*, ab Imperatore literas impetravit, quibus *Indianis*, ſervituti *Hiſpanorum* ſubditis, libertas conceſſa eſt. *Monachus Dominicanus. Epiſcopus Chiapenſis. Indis libertatem impetrat.*

Inde libris aliquot contra tyrannidem *Hiſpanorum* editis, & *Seviliæ* impreſſis effecit, ut â Rege *Philippo*, *Caroli* filio, mandatum fuerit, ut in Conſilio *Indico Caſa* quotidiè duabus horis præſens *Indianorum* oppreſſorum ſaluti conſuleret.

Moritur. Ex vitâ tandem hâc integerrimè peractâ cœleſtem patriam acceſſit A.C. 1555.

Edidit:

Scripta. *Brevem relationem deſtructionis Indiarum.*

Controverſiam inter Epiſcopum Bartol. de Caſa & DoctoremGives de Sepulveda, Hiſtoricum Cæſareum, Validoleti, de Indiis agitatam, quâ Doctor acquiſitionem Indiarum licitam, Epiſcopus verò illicitam, iniquam & tyrannicam eſſe affirmavit.

De ſummo Imperio Regis Caſtiliæ & Legionis ſupra Indias.

Præcepta & Regulas pro Confeſſionibus, qui Hiſpanos, in Indiâ habitantes, confitentes audiverunt.

* *Ex Theatro virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

* * *

Bartholomeus Caſa, Hiſpalenſis, Epiſcopus *Chapæ Indiæ Occidentalis*, Ordinis S. *Dominici*, non minus Legum & Canonum peritiâ quàm Theologiâ excelluit, ut è Libris *Indorum* gratiâ conſcriptis ſatis liquet, quamque fuerit in Sanctorum Patrum Scriptis diu multumque verſatus, aliorum eſto judicium. Floruit A.C. 1560.

Diſputabat *Valiſoleti* cum *Joh. Geneſio Sepulvedâ* ſuper *Hiſpanorum* in *Indias* jure & officio.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum auctorum Francofurti editâ.*

JOHANNES HASSELIUS.

Obiit A.C. 1555.

IN oppido *Haſſel* terræ *Leodicenſis* editus, præter exactam trium Linguarum, Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ, peritiam, ingenio admirabili & Prudentiâ ſingulari præditus fuit. *Philologus.*

Lovanii Theologiæ Profeſſor, & Majoris Collegii Theologici Præſes, ad *Tridentinum* Concilium â *Carolo V.* Cæſare miſſus, *Tridenti* diem extremum A.C. 1555. procul â Patriâ, & magno Patrum luctu, clauſit. *Theol. Profeſſor Lovan. Obiit in Concilio Tridentino.*

Tridenti in *D. Marci* hoc ejus extat Epitaphium: *Epitaphium.*

D. O. M.

Siſte gradum, & tumulo flores inſperge, Viator,
Fauſtaque ter cineri verba precare ſacro.
Tridentum Gradiis à Cæſare miſſus Athenis
Hîc procul â patriâ conditus Haſſelius.
Ah! fera mors, reducem potius ſtatuiſſe decebat,
Aut prius Alpinus quàm peteretur apex.
DIEM ET LOCUM NATALEM SCIMUS, FATALEM NESCIMUS.

Prodiit â morte:

Scripta. *Sententia Haſſelii ſuper facto Nectarii Patriarchæ Conſtantinopolitani circa ſublationem Confeſſionis in Concilio Trident. Patribus exhibita.*

Commentaria in Eſaiam Prophetam, & in omnes D. Pauli Epiſtolas, præterquam ad Corinthios.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

JOHANNES ROGERSIUS.

Obiit A.C. 1555.

POſtquam in Academiâ *Cantuarienſi* literis operam dediſſet, â Mercatoribus quibuſdam *Antuerpiam* deductus, ibi per tempus aliquod, miſſas celebrans, Sacerdotem egit. *Sacerdos Antverpienſis.*

Tunc eò venit ex *Angliâ Wilhelmus Tyndalus*, ex cujus côverſatione familiari, Evangelii lucem agnovit, & Papatum deſeruit.

A. 1536. *Antuerpiæ* duxit uxorem, cum quâ *Wittenbergam* profectus eſt, ubi linguam Germanicam brevi didicit, & Eccleſiæ Miniſter ordinatus, Evangelium per tempus aliquod docuit. *Duxit uxorem. Eccleſ. Paſtor Wittenbergæ.*

Sub

Londini Concionator ad S. Paulum. Sub regno poſteà *Edoardi VI. Londinum* reverſus, per Epiſcopum *Nicolaum Ridleum* Concionator in Templo ad *S. Paulum* conſtitutus, Verbum DEI fideliter docuit.

Cum verò poſt obitum Regis, contra Reginæ *Mariæ* mandatum, Eccleſiam ſuam docere plebemque ad conſtantiam in fide Evangelicâ admonere perrexiſſet, in domo ſuâ cuſtoditus primùm, ita ut facilè ſuaſu amicorum evadere, inque *Germaniam* reverti potuiſſet, paulò pòſt in carcerem latronibus & furibus communem conjectus eſt, in quo triplici colloquio cum Archicancellario *Stephano Gardinero*, Epiſcopo *Winceſtrienſi*, fidei ſuæ confeſſionem egit. *In carcerem conjectur.*

Intereà Uxor ejus gravida, cum 8. matronis, & *Gosmoldo*, Juris Conſulto *Londino*, ad Cancellarium profecta, libellos illi ſupplices prò marito, ſed fruſtrà, exhibuit. Is enim, à *Gardinero*, condemnatus ad ignem, primus martyrium ſub Reginæ *Mariæ* tyrannide paſſus eſt *Londini* in campo *Smidfyld* vocato 4. Febr. A. C. 1555. Cum uxore liberos 10. vivos relinquens. *Primus martyr crematur Londini.*

* *Ex Heroologiâ Anglicâ, & ex Martyrologio magno Germ. D. Pauli Crocii.*

Caſp. Cunradus inProſopographiâ melicâ hoc eum honoravit diſticho:

Pro Chriſto pugnans conſtante Rogerius ore
Martyr habet fidei præmia digna, rogum.

JOHANNES HOOPERUS.

Ob martyr A. 1555.

CUm *Oxoniæ*, regni *Anglici* Univerſitate, ſtudia liberalium artium tractâſſet, ad Theologiam animum applicuit, & veritatem Evangelicam agnoſcere cœpit. Ideò Theologorum Pontificiorum odium incurrens, ex *Angliâ* in *Germaniam* ſeceſſit. *In Germaniam ex Angliâ ſecedit.*

Cum verò poſt obitum Regis *Henrici VIII.* ſub Regno *Edoardi VI.* Evangelium liberè prædicaretur, cum conjuge, quam *Baſileæ* duxerat, in *Angliam* reverſus, *Londini* verbum DEI concionari cœpit, & ob facundiam zelo junctam auditores maximâ frequentiâ attraxit, adeò enim ſedulus fuit in officio ſuo, ut ſæpiùs bis terve unâ die conciones ad populum habuerit. *Uxorem ducit Baſileæ.*

Succeſſu temporis coràm Rege *Edoardo* concionari juſſus eſt, cujus autoritate *Gloceſtrienſis* primùm, deinde *Wigornienſis* Epiſcopus conſtitutus fuit. *Fit Epiſcopus Gloceſtrienſis & Wigornienſis.*

Cum verò veſtitum Epiſcopalem induere detrectâſſet, obortâ propterea gravi inter Epiſcopos contentione, perſuaderi tandem ſe paſſus eſt, ut ſemel *Londini* eo veſtitu indutus Cathedram conſcendens concionatus fuerit.

Ad Eccleſiam ſuam *Wigornienſem* reverſus, ultra biennium Paſtoris fidelis munere functus eſt, & quotidiè pauperes multos paſſim convocatos in ædibus ſuis cibavit.

Poſt obitum Regis *Edoardi* A. 1553. Reginæ *Mariæ* juſſu, *Londinum* citatus & in carcerem deductus eſt 1. Sept. 19. Mart. A. 1554. Ab Epiſcopatu remotus, & coràm Epiſcopis aliquot cauſam ſuam dicere juſſus, cum fidem ſuam revocare nollet, in tetrum & fœtidum carcerem ſubterrnaneum conjectus, in eo per 18. menſes delituit. *In carcerem conjicitur Londini.*

29. Jan. A. 1555. Unà cum *Joh. Rogerſio* protomartyre, coràm judicibus ſuis iterum comparuit, cumque de conſtantiâ fidei ſuæ nihil vellet remittere, ab iis excommunicatus, degradatus & ad mortem condemnatus eſt. 4. Febr. *Londino Gloceſtriam* eques deductus eſt, comitantibus eum nobilibus aliquot â Reginâ deputatis, & multis militibus armatis. Ibi die ſeq. Commiſſarii Regii *Johannes & Edmundus Brigdes*, *Antonius Kyngſton*, in carcere *Hooperum* accedentes, ut ad mortem ſe pararet, juſſerunt. Quo facto deductus eſt â militibus ad Templum, in quo conciones antea habuerat, pallio indutus oblongo, quod hoſpes ipſi dederat, & baculo innixus ob malum iſchiadicum in carceris diuturni fœtore contractum. Ibi ad 7000. ſpectatorum aderant, cumque veniſſet juxta palum, cui alligandus erat, in genua prolapſus, altâ voce precatus eſt ad ſemihoram. *Ad mortem condemnatur.*

Adoleſcens interea miſſus â Reginâ accedens, literas gratiam, ſi revocaret, promittentes ſcabello juxta palum poſito impoſuit: Sed *Hooperus* dixit aſtantibus: *Si vobis ſalus mea curæ eſt, auferte literas has.* *Gratiam Reginæ detrectat.*

Finitis itaque precibus, cum veſtes, ad induſium usque, depoſuiſſet, cum catenâ ferreâ ventrem circumdante ad palum alligatus eſt, poſtquam ſcabellum aſcendiſſet. Tunc arundinibus & lignis, nimis tamen paucis, circumdatus & ignis accenſus eſt, qui bis â vento extinctus, & iterum accenſus partes corporis inferioris cum abdomine ſenſim exuſſit, ſuperioribus cum capite manentibus intactis: unde miſerrimè excruciatus adſtantes per DEI miſericordiam rogavit, ut ligna afferrent. Igne tandem tertiâ vice accenſo, cum ſubinde nomen Jeſu invocâſſet, & brachium, quo pectus percuſſerat, delapſum eſſet in ignem, inter ſuſpiria & lachrymas adſtantium exſpiravit, per horæ ferè ſpatium ignis martyrium paſſus 5. Febr. A. C. 1555. *Lento igne excruciatus martyrium patitur.*

* *Ex Martyrologio Germ. D. Pauli Crocii.*

LAURENTIUS SANDEERUS.

Obiit A.C. 1555.

EX honeſtâ familiâ natus, patrem nactus prædivitem, adoleſcens ingenii & memoriæ felicis in Collegio *Ætonienſi* ſtudiis literarum incubuit, & exindè in Collegium Regale apud *Cantabrigienſes* cooptatus eſt, in quo triennium exegit. Poſteà, matris inſtinctu, tyrocinium apud Mercatorem quendam *Londinenſem* exercuit: Sed cum literas humaniores præguſtâſſet, & in lectione S. Scripturæ verſatus eſſet, amicis in conſilium adhibitis, Mercatoris exercitium de-

deſeruit, & *Cantabrigiam* reverſus, Theologiæ operam impendit.

Cum verò aliquandiu Linguam Græcam cum Hebraicâ excoluiſſet, A. 1547. ſub initium Regni *Edoardi VI.* Paſtor Eccleſiæ conſtitutus, miniſterio ſuo utplurimùm *Lichfeldiæ* in Provinciâ *Staffordienſi*, & *Coventriæ*, Comitatûs *Warvicenſis* civitate, fideliter functus eſt.

Eccleſiæ Paſtor.

Theologiæ Profeſſor.

Profeſſor etiam fuit Theologiæ in Collegio primùm *Fodrigali*, deinde *Lichfeldiæ*. Abindè *Londinum* ad Eccleſiæ Miniſterium accerſitus, cum in *Urbe Nordhamtono*, contra Reginæ *Mariæ* mandatum, alacriter Verbum DEI docuiſſet, in Urbe quoque *Londinenſi* Paſtoris fidelis munere fungi deſideravit, quam urbem accedenti 14. Oct. A. 1553. nobilis quidam & Conſiliarius Regius, *Johannes Mordant* nomine, factus eſt obviam, qui cùm inter alios ſermones ab eo percepiſſet, quod in Urbe, pro more ſuo, concionari vellet, ne faceret illud ſeriò hortatus, cum eoque *Londinum* ingreſſus, mox Epiſcopo *Bonero* ſignificavit, *Sandeerum* die ſeq. Dominicâ concionem habiturum, quod etiam ab ipſo factum eſt. Sed cum poſt meridiem iterum concionari voluiſſet, ad Epiſcopum accerſitus comparuit, &, præſente proditore ſuo *Mordanto*, fidei ſuæ rationem reddidit.

Mox ad Cancellarium Regium *Winceſtrienſem* Epiſcopum traductus eſt, qui ſtatim eum objurgavit, quod, contra Reginæ *Mariæ* edictum paulò ante promulgatum, publicè conciones habuerit, eumque in carcerem conjecit, in quo 15. menſes delituit, ex eoque diverſas epiſtolas conſolationibus piis repletas ad amicos *Cramerum*, *Ridleium*, *Latimerum*, uxoremque ſuam ſcripſit.

In carcerem conjicitur.

In eo carcere cum eum uxor aliquando cuperet inviſere, carceri præfectus non intromiſit eam, ſed filiolum *Samuelem*, quem brachio geſtaverat, ſuſceptum patri ſuo attulit, qui ſummo cum gaudio ſuſcepit eum matrique remiſit.

Iterum poſteà coram Epiſcopo examinatus, cum fidei ſuæ conſtantiam apertè declarâſſet, ab eo tandem excommunicatus, degradatus, & Magiſtratui Politico traditus, in aliam carcerem incluſus eſt.

Degradatur.

Cum degradatus fuiſſet, *Gratias ago DEO*, dixit, *quod jam à tali ſim ſeparatus Eccleſiâ, cui non ſine animæ meæ pernitie potuiſſem unitus eſſe.*

Ex eo carcere literis ultimis ad uxorem ita ſcripſit: *Ut verum fatear, ſcias, quod Dominus Jeſus meus hactenus omnem timorem & ſenſum mortis mihi ſurripuerit, ut nullatenus mortem expaveſcam.*

Coventriam abductus.

Londino tandem *Conventriam* eques abductus, eò tertiâ die, nocte ingruente, pervenit, & in carcerem maleficius communem conjectus eſt, in quo totam noctem precibus ad DEUM & ſermonibus piis ad captivos inſumpſit.

Sequenti manè capite pedibusque nudis, pallio tantùm veteri & oblongo ſuper induſium contectus, extra Urbem ad martyrium ductus, cum palum, cui alligandus mox erat, conſpiceret, hunc ambabus amplexus ulnis exclamavit: *O Crux dilecta, Jeſu dilecti mei!* Palo alligatus, & flammis corpus ejus corripientibus, verba emiſit ultima: *Salve ô vita optata, venis?* Sic Martyr in Chriſto exſpiravit 8. Febr. A.C. 1555. *Obiit.*

* *Ex Martyrologio magno Germ. D. Pauli Crocii.*

Et ex Heroologiâ Anglicâ.

MARTINUS LIPSIUS.

Obiit A.C. 1555.

Ex nobili familiâ *Bruxellæ* in *Brabantiâ* natus, avunculus fuit Philologi illius celeberrimi *Juſti Lipſii*, & Religioſus Canonicorum Regularium ad *S. Martinum Lovanii*, ſtudiis Theologicis & humanioribus per omnem vitam deditus.

Canonicus Regularis.

Præfectus Monialium.

Feſſus tandem annis, Monialibus in Monaſterio *Crucilenſico* ditionis *Leodienſis* præfectus, in eo vivendi finem fecit. Sepultus in Templo Monaſterii cum hoc Epitaphio:

Epitaphium.

FRATER MARTINUS LIPSIUS BRUXELLENSIS

VIR EGREGIE DOCTUS, ET QUI PERPETUO STUDIIS, QUIBUS ET IMMORTUUS EST, INCUBUIT. IN CASTIGANDIS VETERIBUS AUCTORIBUS USQUE AD SUPREMUM SPIRITUM INSUDANS. TESTANTUR ID OPERA AUGUSTINI, HILARII, ET ALIORUM MULTORUM EX IPSIUS RECOGNITIONE EDITA. TESTIS EST ET IPSE MACROBIUS, CUM SYMMACHO AB ILLO CASTIGATUS. FUIT PRÆTEREA VIR ISTE ERASMI ROTEROD. AMICITIA ET SCRIPTIS EPIST. SATIS CLARUS. PRÆFUIT MONASTERIO CRUCILENSICO CUM MULTO IPSIUS COENOBII FRUCTU. MORITUR ANNO CIƆ IƆ LV. MARTII XXVI. DIE, IBI HONESTE SEPULTUS.

Canonici Regulares in Conventu *S. Martini* hoc ſodali dilecto ſcripſerunt Elogium:

Elogium.

Squallida multa ſitu veterum monumenta jacebant,
Abdebatque ſuo Bibliotheca ſinu.
Eruit hæc tenebris, & caſtigavit uterque
Lipſius, antiquum reſtituitque decus.
Sic par conditio eſt, Martinum ſacra decebant,
Juſtus Romanam reddidit hiſtoriam.

Edidit

Scripta.

Opera S. Auguſtini, Hilarii & aliorum Eccleſiaſticorum Autorum correcta.

Grammaticam Johannis Cuſtodis renovatam.

Homilias Cromatii in lucem editas.

Opera Macrobii & Symmachi, gravium Scriptorum, ſtylo Latino eleganti correcta.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

ISI-



IOHANNES BRADEFORT
Theol. Londin.



NICOLAUS RIDLEIUS.
Epiſcopus Londin.



HUGO LATIMERUS
Epiſcopus Wigornienſis



CONRAD. PELLICAN.
Theol. Tigurinus



IGNATIUS DE LOIOLA
Societatis Jeſu fundator



IOHANNES CASA.
deſignat, Archiepiſc. Beneventanus.



IOHANNES FORSTERUS
Theol. Witteberg.



IOHANNES BALÆUS
Epiſcopus Oſorienſis



IOHANNES BUGENHAGI.
Theol. Witteberg.



IOHANNES FABRICIUS.
Theol. Noricus.



ADAMUS CRATO.
Theol. Marpurg.



RUARDUS TAPPERUS
Theol. Lovanienſis.



ERASMUS SARCERIUS.
Theol. Iſſlebienſis.



IOHANNES À LASCO.
Theol. Polonus.



PHILIPP. MELANCHTHON
Theol. Witteberg.



CONRAD. LYCOSTHENE.
Theol. Baſileenſis.

Digitized by Google

Obiit A.C. 1555.

ISIDORUS CLARIUS.

NAtus *Clarii*, Caſtello in ditione *Brixienſi*, cum adoleſcens monachis *Benedictinis* ſeſe aſſociâſſet, & Philoſophiæ cum Theologiâ ſummo cum ſtudio operam impendiſſet, Orator evaſit eloquentiſſimus.

Epiſcopus Fulginea. Ideò Pontifex *Paulus III.* Epiſcopatum ei *Fulginenſem* in *Umbriâ* detulit. Ad quem ex urbe *Româ* ſe conferens, poſtquàm eum ſummâ cum prudentiâ & vitæ integritate 7. annis gubernâſſet, obiit 28. Maji A.C. 1555. æt. 60. Sepultus ibi jacet in Templo Cathedrali, cum hoc Epitaphio:

Ejus Epitaphium. ISIDORUS CLARIUS BRIXIENSIS, FULGINEÆ JAM VII. ANNIS EPISCOPUS, VITA ET MORIBUS INTEGERRIMUS, EXEMPLO ET VERBIS ADMIRABILIS, DOCTRINA CLARISS. CHRISTIANA, GRÆCAQUE, HEBRAICA, LATINA: MIRA IN PAUPERES CHARITATE IGNITUS, ANNUM SUÆ ÆTATIS CIRCITER LX. AGENS: ACUTISSIMA CORREPTUS FEBRE PATIENTISSIME PLACIDEQUE OBDORMIVIT, AC XL. POST MORTEM HORIS, OB ASSIDUAM POPULI DEOSCULATIONEM, MAXIMIS CUM LACHRYMIS EJUSDEM, NON FOETENS CERTE, PROH MIRUM! SED REDOLENS HIC SITUS EST, DIE XXVIII. MAJI MDLV.

Scripta. Opera ingenii emiſit:

Scholia in Canticum Canticorum.

In Sermonem Domini in monte habitum Orationes 69.

In Evangelium Lucæ Orationes 59.

Orationum extraordinariarum Volumina II. in quibus Sacri Inſtrumenti inſigniores quique loci explicantur.

Tranſlationem vulgatæ editionis Novi Teſtamenti.

Adhortationem ad concordiam, ad eos qui à communi Eccleſiæ ſententiâ diſceſſerunt.

Orationes duas habitas in Concilio Tridentino de Juſtificatione hominis & de Gloriâ.

Orationem de modo in divitiis adhibendo ab homine Chriſtiano.

* *Ex Theatro Virorum doctorum Italico Hieronymi Ghilini.*

In Scriptis ſuis retulit, ſe 8000. errata annotaſſe, quæ in Bibliis Latinis repererit.

Obiit A.C. 1555.

JOHANNES BRADEFORT.

MAnceſtriæ, in *Angliæ* Regno, natus, adoleſcens apud *Johannem Haringtonium*, Equitem auratum, & Regis *Henrici VIII.* Theſaurarium, Miniſtrum fidelem egit, eique charus fuit.

Studio Juris primùm, deinde Theologiæ dat operam. Succeſſu verò temporis, miniſterii Politici pertæſus, honeſteque à Domino ſuo dimiſſus, Juris ſtudium amplexus eſt, quod tamen brevi pòſt deſeruit, & in Academiam *Cantabrigienſem* ſe conferens, Theologiæ operam dedit tanto cum animi fervore, ut anno elapſo Theologiæ Doctor creatus, & Rector Collegii Reginei factus fuerit. *Theologiæ Doctor.*

Deinde ſub Regno *Edoardi VI.* cum *Martinus Bucerus*, in *Angliâ* tunc degens, eum, ut Verbum DEI publicè doceret, admonuiſſet, brevi pòſt à *Nicolao Ridleio*, Epiſcopo *Londinenſi*, Diaconus, nec multò pòſt in Templo Cathedrali ad *S. Paulum*, *Londini* Concionator conſtitutus, Verbum DEI fideliter docuit. *Diaconus & Concionator ad S. Paulum Londini.*

13. Aug. A. 1553. Cum *Londini* Theologus quidam Pontificius, *Burnus* nomine, factus poſtea Epiſcopus *Badenſis*, in Templo *S. Pauli* pro concione plurima contumelioſa contra Regem defunctum *Edoardum*, & Evangelii doctrinam, protuliſſet, ſuſcitato poſt concionem finitam à plebe tumultu, *Bradefort* cathedram illius loco conſcendit, & ſeditioſos ſermone manſueto compeſcuit, *Burnum* deinde comitatus è Templo, ſecurum in domum ſuam deduxit. A meridie verò *Londini* in foro, ſermone ad populum habito, graviter eum propter tumultum in Templo ſuſcitatum objurgavit.

Triduò pòſt ab Epiſcopo & Senatu *Londinenſi* vocatus, cum comparuiſſet, ſeditionis & hæreſeos, quarum fuiſſet accuſatus, rationem reddere juſſus eſt. Tunc in carcerem conjectus, in eo biennium integrum delituit, ex eoque varias Epiſtolas Conſolatorias ſcripſit ad Cives *Londinenſes*, ad Univerſitatem *Cantuarienſem*, ad Cives *Manceſtriæ*, duos fratres ſuos, eorumque uxores ac liberos, quibus omnibus zelum ſuum & conſtantiam in fide Evangelicâ teſtatus eſt. *In carcere biennio detentus.*

Tandem unà cum *Johanne Lieſe*, juvene 18. annorum, combuſtus, & martyrium paſſus eſt *Londini* in campo ſeu areâ *Smidfild* vocatâ, 1. Julii A.C. 1555. Ubi ultima ejus verba fuerunt: *Anglia reſipiſce!* *Martyr comburitur.*

Scripta & edita ſunt ab eo linguâ vernaculâ. *Scripta.*

Conciones duæ de Reſipiſcentiâ, & de Cœnâ Domini.

Literæ ad Symmartyres.

Examinatio ejus coràm Judicibus.

Piæ Meditationes ejus in carcere.

Quàm periculoſum ſit Miſſas audire.

Veritatis querimonia.

* *Ex Herologiâ Anglicâ, & ex Martyrologio magno Germ. D. Pauli Crocii.*

Caſp. Cunradus Med. in Millenario II. Proſopographiæ Melicæ hoc ei ſcripſit diſtichon:

Hoc Bradeforte tibi potuit prædicere nomen,
Flamma vorat corpus relligioſa tuum.

Obiit A.C. 1555.

JOHANNES DRIEDO.

TUrnboutanus *Brabantus*, Doctor Theologus *Lovanienſis*, Eccleſiaſtes ad *D. Jacobi*. Huic *Adrianus Florentius*, poſteà Pontifex ejus nominis VI. Lauream Doctoralem contulit 17. Aug. A. 1512. *Doctor Theologiæ creatus ab Adriano VI. S.P.*

Ex corporis ſui domicilio emigravit *Lovanii*, conditus verò eſt in *D. Jacobi*, hoc Epitaphio ſepulchro addito:

Ejus Epitaphium.

VENERABILIS VIR
D. JOANNES DRIEDO A TURNHOUT,
DUM VIXIT HUJUS ECCLESIÆ PASTOR,
D. PETRI LOVANIENSIS CANONICUS,
ARTIUM ET S. THEOL. PROFESSOR
CELEBERR. QUI HÆRESES CONTRA
CATHOL. FIDEM INGRASSANTES MULTIS DOCTISS. LIBRIS A SE SCRIPTIS
ET EDITIS PROFLIGAVIT. VIR SANE
MULTIJUGÆ ERUDITIONIS ET PIETATIS, HUMANITATIS AC MODESTIÆ
SINGULARIS. OBIIT ATQUE HIC SEPULTUS EST A NATIVIT. DOMINI
CIↃ IↃ LV. IV. MENS. AUGUSTI.
ORATE PRO EO.

Scripta.

Scripſit

De libertate Chriſtianâ Lib. III.

De Gratiâ & libero Arbitrio Lib. II.

De Scripturis & Dogmatibus Eccleſiaſticis Lib. IV.

De concordiâ Liberi Arbitrii & Prædeſtinationis.

De captivitate & redemptione generis humani.

Tractat. de Temporibus, ad illuſtrandas obſcuritates in S. Scripturâ emergentes.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

Obiit A.C. 1555.

JUSTUS JONAS.

NAtus eſt *Northuſæ*, *Cheruſcorum* oppido. 5 Junii A. 1493. Patrem habuit ejus loci Conſulem, qui cum peſte laboraſſet, & cœpam abſceſſui impoſitam removiſſet, inque ſcamnum depoſuiſſet, supervenit hic *Juſtus* filiolus admodùm puer, & cœpam totam devoravit avidè, citra ullam tamen contagionem.

A peſte præſervatur.

Genus mutat ſtudiorum.

AdScholam miſſus publicam, juri ſe dedit civili, in quo progreſſus fecit non pœnitendos, mutato poſteà conſilio, ex conſulto humani juris, factus eſt ſacræ Theologiæ Doctor clariſſimus *Witteberge* A. 1521. 14 Octobr. Abindè verò non Eccleſiæ ſolùm paſtor, ſed & in Academiâ Profeſſor ſacras publicè docuit literas.

Profeſſor & Doctor Theologiæ.

Anno 1533. Electore præſente *Joh. Friderico*, Doctorales honores in Theologiâ ſolenniter contulit *Caſparo Crucigero*, Academiæ tum Rectori, *Joh. Bugenhagio* & *Johanni Æpino*.

Eccleſias reformat.

Cum verò A. 1539. *Henricus*, Dux *Saxoniæ*, fratris *Georgii* ditionum gubernationem in *Misniâ* & *Thuringiâ* adiiſſet, ad Eccleſiarum in iis Reformationem cum *Georgio Spalatino* & *Nicolao Ambsdorfio* miſſus eſt. *Halam* verò *Saxonum* eodem A. 1539. evocatus migravit, ibique Eccleſiæ inſpectioni præfuit, profuitque. Ibidem cum aliquando *Lutherum* tranſeuntem excepiſſet hoſpitio, in menſâ *Lutherus* ei ex vitro eleganti propinans, hos ex tempore verſus dixit:

Lutheri Diſtichon ad Jonam.

Dat vitrum vitro Jonæ vitrum ipſe Lutherus,
Ut vitro fragili ſimilem ſe noſcat uterq;.

Teſtis inſuper fuit *Jonas* optimus laborum *Lutheri*, quem morientem cum dolore vidit cùm eum *Halâ Islebium* comitatus eſſet. A. 1546.

Adeſt Luthero morienti.

Eisfeldiæ tandem, oppido in *Thuringiæ* & *Franconiæ* finibus ſito, præfectus Eccleſiæ & unà Inſpector conſtitutus Eccleſiarum in ditione *Coburgenſi*, vitam ibi clauſit 9. Octob. A. 1555. ætat. 63. cum in agone mortis, animo prius puſillo, ſolatiique ferè nullius capaci, â famulo conſolante erectus, victor Sp. S. auxilio inluctâ evaſiſſet.

Moritur ipſe.

Vir cœterùm fuit Jonas ſummi Ingenii, ſummæ induſtriæ, ſummæque vitæ innocentiæ. *Lutheri*, *Eraſmi*, doctiſſimorumque tunc virorum amiciſſimus, qui pleriſque, qui religionis causâ inſtituti erant, Conventibus interfuit, cum, præter ſacrarum literarum, Juris etiam peritus, negotia Eccleſiaſtica, quibus Politica ſæpè ſunt immixta, dexteriùs aliis adminiſtravit.

Edita à *Juſto Jonâ* ſunt hæc:

Scripta.

Defenſio pro conjugio Sacerdotali.

Oratio de ſtudiis Theologicis.

Annotationes in acta Apoſtolorum.

De miſſâ privatâ & unctione Sacerdotum libellus Lutheri in Latin. tanslatus:

De morte Lutheri.

Unterricht vom Türken über das VII. Capitel Danielis. Legitur *Tom. II. Oper. Witteb. Germ. Lutheri.*

Hiſtori / wie D. Martin Luther in hohen Anfechtungen Geiſtlich und Leiblich in GOttes Willen zu leben und zu ſterben ſich ergeben. *Tom. 9. Oper. Witteb. Germ. Lutheri.*

* *Ex Vitis German. Theologorum Melch. Adami.*

Obiit A.C. 1555.

NICOLAUS RIDLEIUS.

GEnere nobilis, in Epiſcopatu *Dunelmenſi* natus eſt.

In Academiâ *Cantabrigienſi* Baccalaureus creatus, Aulæ poſteà *Pembrockianæ* fuit præfectus.

Regnante demùm *Edoardo VI.* factus eſt Epiſcopus *Londinenſis*, cum anteà *Roffenſis* fuiſſet Epiſcopus.

Epiſcopus Londinenſ.

Sed poſt obitum hujus Regis *Stephanus Gardinerus*, Epiſcopus *Winceſtrienſis*, in carcerem obſcurum eum conjecit, ex quo poſteà *Oxonium*, unà cum *Thoma Crammero*, Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, & *Hugone Latimero*, Epiſcopo *Wigornienſi*, fuit abductus.

Ibi ad mortem damnatus, & degradatus, martyrii coronam adeptus eſt, flammis conſumptus eâdem die & horâ cum *Hugone Latimero* 16. Octob. A.C. 1555.

Martyr cremātur Oxoniæ.

Scripſit

Scripta.

Tractatum de Cœnâ Domini.

Amicam valedictionem Oxoniæ in carcere ad amicos ſcriptam.

Lugubrem Lamentationem de miſerâ conditione Eccleſiæ Anglicæ propter recentem Evangelii Apoſtaſiam.

* *Ex Heroologiâ Anglicâ, & ex Martyrologio magno D. Pauli Crocii.*

HU-

Obiit A.C. 1555.

HUGO LATIMERUS.

NAtus eſt in Comitatu *Leiceſtrienſi* circa A.C. 1475.

Theologiæ Doctor & Profeſſor. Epiſcopus Wigornienſis.

Cum in Academiâ *Cantuarienſi* Theol. Doctor & Profeſſor per aliquod tempus fuiſſet, Epiſcopus poſteà *Wigornienſis* factus eſt, regnante *Edoardo VI.*

Tempore verò perſecutionis ſub Reginâ *Mariâ*, unà cum *Nicolao Ridlejo* Epiſcopo *Londinenſi*, propter fidei Evangelicæ confeſſionem, in carcerem conjectus, & ad ignis mortem condemnatus eſt.

Cum verò coram judicibus ſuis judicium ſibi prælectum audiviſſet, *Gratias ago Deo meo*, dixit, *quod eum hàc morte in ſenectute meâ decrepitâ celebrare debeam.*

Martyr crematus Oxoniæ.

Oxoniæ tandem unà cum *Nicolao Ridlejo*, amico ſuo, degradatus, palo eodem alligatus & crematus eſt 16. Octob. A.C. 1555. ætatis 80.

Scripta.

Reliquit, tanquàm animæ ſuæ exemplar, *Concionum Volumen*, è quibus multæ fuerunt habitæ coràm Rege *Edoardo VI.* & *Catharinâ* Duciſsâ *Suffolcienſi*, quæ ſæpius Anglico idiomate excuſæ ſunt.

* *Ex Herologiâ Angl. & ex Martyrologio magno D. Pauli Crocii.*

Obiit A.C. 1556.

MARTINUS CLAVIUS.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Cantaber*, ex oppido *Victoriâ*. Vir fuit ingenio, judicio, doctrinâ, eloquentiâ, diſputandi vi, argumentorum robore & efficaciâ cum paucis comparandus.

Theologiæ Doctor.

In Academiâ *Pariſienſi* ſapientiæ laude floruit, & inter Doctores Theologos primas omnium opinione tenuit.

Societati Jeſu nomen dedit in Concilio Tridentino

Curiam deinceps *Caroli V.* Imperatoris ſecutus eſt. In Concilio *Tridentino Othonis Trachſeſii*, Cardinalis & Epiſcopi *Auguſtani*, nomine ſententias dixit: Eo tempore Societati Jeſu nomen dedit.

Concilio autem ſub *Julio III.* Pontifice Maximo propter varia impedimenta ſuſpenſo, *Romam* venit A. 1552. ſeque totum *P. Ignatii Lojolæ* permiſit poteſtati, à quo & ad Religionis normam inſtitutus, & ad perfectionem accenſus eſt.

Theologiæ Profeſſor primus Romæ.

Primus fuit, qui S. Theologiam *Thomæ Aquinatis* in Collegio *Rom.* publicè profeſſus eſt, ejusque prælectioni initium dedit A. 1553.

Obiit.

Triennio poſt A. 1556. cum patri *Ignatio* parentâſſet, 18. poſt die Patrem ſuum ſequens, in cœlum vocatus, terram reliquit.

Scripſit

Scripta.

Aſſertiones de conditione, lapſu, & reparatione hominis: & alias itidem collectas ex lectionibus, quæ in Collegio Societ. Jeſu Romano habitæ ſunt.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societ. Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1556.

JOHANNES PHILPOTUS.

EX equeſtri familiâ natus in ditione *Anglicâ Hamptonenſi*, *Petri Philpoti* filius, *Winceſtriæ* puer Scholam frequentavit. Poſteà in Univerſitate *Oxonienſi* ſtudiis humanioribus, Juridicis, Theologicis, Linguæ cumprimis Hebrææ operam dedit, ac Theologiæ Doctor creatus eſt.

Theologiæ Doctor.

In *Italiam* deinde iter ſuſcipiens, cum *Venetiis Patavium* proficiſceretur, in viâ Monachus eum *Franciſcanus* hæreticum vocavit, ut itaque vitæ periculum declinaret, aliò mox conceſſit.

Archidiaconus Winceſtriæ.

In Patriam tandem reverſus, *Winceſtriæ*, ſub Johanne *Poneto*, Urbis Epiſcopo, Archidiaconi munus obtinuit.

Poſt obitum verò Regis *Edoardi* A.C. 1553. cum *Angliæ* Epiſcopi Synodum contra Evangelicos inſtituiſſent, *Philpotus* hic inter primos à *Stephano Gardinero*, *Winceſtrienſi* Epiſcopo, carceri incluſus, & poſteà *Bonero*, Epiſcopo *Londinenſi*, tranſmiſſus eſt.

Carceri incluſus eſt.

Abindè 9. Examinibus coràm Epiſcopis & Conſiliariis Regiis fidem & conſtantiam ſuam egregiè declaravit, easque Diſputationes pleraſque, quas cum adverſariis ſuis habuit, ſcriptas, amicis reliquit.

Vivus combuſtus eſt.

Ad mortem tandem condemnatus, *Londini* vivus poſt biennalem captivitatem exuſtus eſt 18. Jan. A.C. 1556. æt. 44.

Johannes Balæus, in libro ſuo *de Viris Illuſtribus in Angliâ & Scotiâ* refert, eum *Libros multos ſcripſiſſe*, ideoque multos ex nobilitate vivum eum conſervare, & ad ſummos honores promovere deſideràſſe.

* *Ex Martyrologio Magno Germ. D. Pauli Crocii.*

Obiit A.C. 1556. Evangelii Miniſter.

THOMAS WITLÆUS.

ECcleſiæ miniſter *Kyrbienſis* in *Angliâ*, cum poſt obitum Regis *Edoardi* ab Epiſcopis opprimeretur, nihilominus Verbum DEI, quoties occaſio ſe obtulit, concionatus eſt, donec Sacerdos quidam Pontificius, *Alabaſter* vocatus, per fraudes ad munus Eccleſiaſticum contendens, eum carceri mancipavit, & ad Cancellarium *Gardinerum*, Epiſcopum *Winceſtriæ*, deduxit, qui cum paulò antè morbo lethali fuiſſet correptus, adulatorem hanc *Alabaſtrum* benevolentiæ loco graviter objurgavit, & cum captivo ſuo diſcedere juſſit.

Captivus.

Hic itaque ſpe ſuâ fruſtratus, *Witlæum* Epiſcopo *Londinenſi* adduxit, qui mox eum ad *Johannem Philpotum* carceri incluſit, & poſt dies aliquot ad ſe vocatum blanditiis ac promiſſionibus eò adegit, ut à fide Evangelicâ deficiens, adverſariorum opinionibus ſubſcripſerit.

A fide Evangelicâ defecit.

Cum itaque dies deſtinata fuiſſet, quâ publicè doctrinam, quam concionatus erat, revocaret, *Witlæus* brevi poſt errorem ſuum agnoſcens, & deflens, Notarium *Jonſonum*, qui revocationem ſcripſerat, acceſſit &, ut hanc

hanc ſibi relegendam oſtenderet, rogavit: hoc facto, Revocationis ſuæ ſchedam, in manus ſibi traditam, in plurimas particulas dilaceravit.

Revocationis ſuæ ſchedam dilaceravit.

Notarius verò comprehenſum *Witleum* ad Epiſcopum *Londinenſem Bonerum* deduci curavit, qui, re cognitâ, converſus in rabiem, unâ manu barbam captivi arripuit, alterâque faciem ejus percuſſit, ut è naribus ſanguis copioſè manaverit, ſicque colaphis cæſum in terram projecit, ad ſeſe verò reverſum iterum carceri mancipavit.

Ab Epiſcopo Londinenſi colaphis cæditur.

Iterum carceri incluſus.

In eo 10. ſeptimanis detentus cœteros captivos ad conſtantiam hortatus eſt, & inter cœteros unum hæreſi *Arianâ* infectum ad veritatem fidei reduxit.

Arianum convertit.

Non multò pòſt veſte ſacerdotali indutus ex carcere protractus, in locum publicum veſtibus iis mox exutus, & pro more Eccleſiæ *Romanæ* degradatus eſt.

Degradatur.

Cum poſteà mortis ipſi judicium fuiſſet prælectum, in carcerem reductus eſt, in quo tempus breve vitæ ſuæ reſiduum precibus conſumpſit, & *Epiſtolas conſolatorias* ad duos fratres ſuos biduo ante martyrium ſcripſit.

Tandem unà cum *Ariano* à ſe converſo, & quinque aliis martyribus, inter quos virgo fuit formoſa, & ſponſa, veſtibus nuptialibus induta, vivus combuſtus martyrio vitam finiit 27. Jan. A. C. 1556.

Cum 6. aliis martyribus crematur.

* *Ex Martyrologio magno Germ. D. Pauli Crocii.*

Obiit A. C. 1556.

CONRADUS PELLICANUS.

Rubeaci in *Alſatiâ* natus eſt 8. Januarii A. 1478.

Pater ei fuit *Conradus Kürsner*, ex opp. *Suevico Wylâ* ortus, filius *Conradi Pellionis*.

Mater *Eliſabetha*, *Johannis Galli*, Civis *Rubeacenſis*, filia.

A. 1484. Cœpit Scholam frequentare ſub *Stephano Klegero*, *Tigurino*, & *Michaele Klet*, *Suevo*, quo ipſo tempore peſte decubuit aliquot ſeptimanis.

Verùm cum peſtis remiſiſſet, A. 1491. Vocatus ab avunculo *Jodoco Gallo*, *Burſæ* novæ Rectore, & Theologiæ Licentiato, *Heidelbergam* venit. Ibi cum matriculæ Rectoris nomen inſcribere vellet *Kürsner*, *Jodocus Gallus* adſtans dixit: *Tu non pellio es, nec pellionis filius, igitur Pellicanus cognominaberis*. Atque ſic inſcriptus eſt, & abindè nomen mutavit.

Heidelbergam venit.

Seq. A. 1492. Ab avunculo in patriam remiſſus, vixit apud parentes pauperes, & Ludimagiſtro anteà ſuo in Scholâ gratis auxilio fuit.

Ludimagiſter.

A. 1493. æt. 15. Parentibus ignorantibus, vel diſſimulantibus, in Ordinem fratrum Minorum aſſumptus, & ſub finem anni probationis peſte correptus eſt, unde poſt ſanguinis miſſionem convaleſcens, profeſſionem, pro more Ordinis, fecit in manus *Caſpari Bruni*.

Ordinem fratrum minorum ingreditur.

Sequenti A. 1494. Ordinatus eſt Acoluthus *Baſileæ*.

A. 1496. *Tubingam*, ſtudiorum causâ, ab avunculo miſſus, ibi commendatus eſt *Paulo Scriptoris Guardiano*, qui ſuo Marte artes liberales omnes didicit, easque fratribus prælegit, tandem verò fratribus exoſus redditus, quod de Votis, Indulgentiis & Sacramentis ſecundùm S. Scripturam docuiſſet, ab officio remotus eſt.

Tubingam venit.

Ibi linguam Hebræam ſuo Marte didicit *Pellicanus*, multum adjutus à *Johanne Capnione*, qui A. 1500. *Tubingam* venit, & Grammaticam Hebr. multo labore confecit A. 1501.

Linguam diſcit Hebræam.

Eodem anno *Pfortzhemii* ſacerdos ordinatus eſt, ab Ordinis Generali *Olivero Maylandi*. Inde reverſus in Monaſterium *Rubeacenſe*, in eo primam Miſſam cecinit die *S. Franciſci*.

Sacerdos Pfortzheimenſis.

A. 1502. Ordinatus eſt Lector Theologiæ pro fratribus ſtudioſis in Conventu *Baſilienſi*, quo pervenit menſe Auguſto. Ubi & 1504. Licentiatus Theologiæ creatus eſt, hac tamen lege, (egrè ſc. hoc ferente Gardiano, verùm *Raymundo Gallo*, Cardinale, urgente) ut ubi 30. ætatis annum expleverit, ſine aliâ promotione Doctor ſit & habeatur, licet *Pellicanus* annis 40. amplius nunquam vel Licentiati vel Doctoris titulo uſus, qui in comitatu Cardinalis tum *Romam* abiit, redux verò indè in itinere febri correptus *Baſileam* repetiit, ubi *Summam* ſcripſit *Catholicæ doctrinæ*, ſuſpecta verò habere cepit, indulgentias, purgatorium, confeſſionem, Euchariſtiam & Papiſticam poteſtatem.

Theologiæ lector.

A. 1508. Verò indè vocatus *Rubeacum*, denuò docuit, & inter alios diſcipulum habuit *Sebaſtianum Münſterum*.

A. 1511. Ordinatus eſt Gardianus *Pfortzheimenſis*.

Gardianus Pfortzheimenſis.

A. 1514. A Caſparo *Satzgero*, *Landshutenſi*, electo paulò ante Provinciali in capitulo *Haidelbergenſi*, rogatus, ipſius Secretarius factus eſt, eique multos libros Hebr. Theologicos & Philoſophicos deſcripſit.

A. 1516. Totius provinciæ nomine miſſus eſt ad Capitulum Generale *Rotomagi* in *Galliâ* celebratum. Eo finito *Baſileam* reverſus, apud *Joh. Frobenium*, Typographum, tres menſes commoratus, Correctorem librorum egit.

Ad Capitulum generale Rotomagum mittitur.

A. 1517. Cum paulò ante *Româ*, ubi capitulum à *Leone X.* habebatur generaliſſimum, reverſus eſſet 1. Sept. factus eſt Guardianus *Rubeacenſis*.

Romam venit.

A. 1519. In Capitulo generali *Oppenhemii* ordinatus eſt Guardianus conventûs *Baſilienſis*. Tum *Baſileæ* legere cœpit opuſcula *Lutheri* tum edita, de pœnitentia, *Eraſmi* lucubrationes, quæ approbavit omnia.

A. 1523. *Satzgerus*, *Baſileam* veniens, *Pellica-*

Digitized by Google

licanum, *Joh. Kreis*, Viceguardianum, & *Joh. Luthart* prædicatorem, accuſatos, quod *Lutherani* eſſent, & promotores librorum *Lutheri*, loco movere decrevit, ſed Senatu autoritatem ſuam interponente manſit, & cum *Oecolampadio* Lector Theologiæ factus eſt.

Tigurum venit. 20. Febr. A. 1526. *Tigurum* diſceſſit, cum intra fratres diſſentientes tutus non eſſet, à *Zwinglio* Senatûs nomine vocatus, ut *Jacobo Ceponico* in linguæ Sanctæ Profeſſione ſuccederet. Ibi cucullum depoſuit, communibusq; veſtibus eſt uſus, & M. Aug. Uxorem duxit *Annam Friſiam*, *Joh. Friſii*, Ludimagiſtri, Sororem, quæ obiit M. Oct. A. 1536. *Profeſſor Theologiæ cucullum deponit. Uxorem ducit.*

A. 1527. Ex eâ filium ſuſcepit *Samuelem vocatum*.

A. 1528. Diſputationi *Bernenſi* interfuit, & conciones ibi habitas in lucem dedit.

A. 1529. *Tiguri libros Veteris Teſtamenti* publicè enarrare cœpit, quos A. 1539. abſolvit.

Biblia transfert. * Deinde tota *Biblia è Chaldaico in Latinum tranſtulit*.

M. Jan. A. 1538. alteram uxorem duxit *Eliſabetham*, ex quâ nullos liberos habuit.

21. Sept. A. 1541. Jus Civitatis *Tigurinæ* conſecutus eſt.

A. 1542. Cum Epiſcopus *Argentinenſis* eum, ob opus *Eraſmi Roterodami* dono miſſum argenteo poculo donâſſet, id remiſit, quia Cives *Tigurini* juramento aſtricti ſunt, ne quis ullum munus ab ullo Principe accipiat. Ideò poculum id Epiſcopus Sorori *Pellicani* unicæ *Rubeaci* dono dari curavit.

A. 1545. Johannes *Friſius*, cum *Grebeliis* Nobilibus in *Italiam* profectus, *Bononiæ* & *Venetiis* totum *Thalmud* & *Majamonem*, alioſque multos libros attulit, quos 120. florenis emtos omnes ferè *Pellicanus* convertit.

Tandem, poſtquam calculo & aliis morbis diu vexatus eſſet, ex hâc vitâ migravit. 5. April. ipſo Paſchatos die A. 1556. ætatis 78. *Moritur.*

Succeſſit ipſi *Petrus Martyr Vermilius*, *Argentorato* à Senatu *Tigurino* accerſitus.

Filius ipſius *Samuel Pellicanus*, Pædagogus inferioris Collegii, peſte obiit A. 1564. æt. 37. relictis tribus filiis, quorum duo Miniſtri Eccleſiæ, & unicâ filiâ.

Scribit *Ludovicus Lavaterus*, ſe ex ſene *Pellicano* non ſemel audiviſſe, quod nullum Græcum Teſtamentum per *Germaniam* reperiri potuerit (primum enim ex Italiâ allatum fuiſſe) quantumvis quis magnam vim auri pro unico exemplari voluiſſet exponere.

Edidit

Commentarios in Libros Apocryphos, vel potius Eccleſiaſticos, Tobiam, Judith &c. in fol.

* *Ex Melch. Adamo de Vitis Germ. Theol.*

JOHANNES POYNETUS.

Obiit A.C. 1556.

GArdinero ſuffectus eſt *Johannes Poynetus* in Epiſcopatu *Wintonienſi*, S. Theologiæ Doctor, qui Epiſcopus *Roffenſis* in *Anglia* nuper creatus fuerat. *Epiſcopus Wintonienſis. Theologiæ Doctor. Epiſcopus Roffenſis.*

Hic in *Cantia* natus, & in Collegio Regio *Cantabrigiæ* educatus eſt.

Rerum potitâ *Mariâ*, in *Angliâ* nihil tuti ſibi reliquum exiſtimans, profugit in *Germaniam*, ubi Juvenis diem obiit *Argentorati*, nondum quadragenarius 11. April. 1556. Vir egregiè doctus, quod abundè teſtantur opera ab illo tàm Latinè quàm Anglicè edita. *Exul in Germania moritur. Vir egregiè doctus.*

Græcam verò etiam linguam callebat ad amuſſim, Italicam quoque & Germanicam mediocriter. Mathematicarum porrò ſcientiarum ad miraculum uſque peritus, *Henrico Octavo* Horologium dicitur fabricâſſe ſciotericum, quod non ſolùm horas oſtenderet vulgares, ſed diem etiam menſis, mutationes Lunares, & fluxus atque refluxus maris tempora. *Mathematicus excellens. Horologium ſciotericum ſingulare.*

Ad hæc magna vi dicendi præditus, per conciones aliquot egregias innotuit Regi etiamnum puero, cujus tamen ſingulari favore ad has dignitates provectus fuit.

* *Ex Commentario de Præſul. Angl. Franciſci Godwini.*

IGNATIUS LOJOLA.

Obiit A.C. 1556.

PEtrus *Antonius Caraſa*, qui Cardinalis, ac poſtremò Pontifex fuit, & *Paulus IV.* dici voluit, Collegium Sacerdotum inſtituerat, qui à conſortio hominum ſegregati in ſolitudine contemplationi vacarent, iique à loco, ubi vitam in *Japygiâ* degebant, *Theatini*, ſive *Quietini*, appellabantur. Hujus exemplo *Ignatius Lojola*, *Cantaber*, Filius Baronis, natus A. 1491. in *Biſcaya Hiſpaniæ*, militiæ, (ex quâ nullum aliud decus aut emolumentum, quàm membrorum mutilationem reportârat) pertæſus, vitæ quietæ ſe addixit, & poſt profectionem in *Italiam* ac in *Palæſtinam* in patriâ *Barcinone* A. C. 1524. ætatis 33. literis operam dare cœpit. *Miles. Studioſus Barcinonenſis.*

Ibi vitæ aſtrictioris jam tum comites habuit *Calliſtum* quendam *Hieroſolymitanæ* peregrinationis ſocium, *Artiagam* & *Cazetem*, *Hiſpanos*, & *Johannem*, adoleſcentem *Gallum*.

Poſtea *Barcinone*, *Compluti*, ac *Salamanticæ* feſtinato ſtudio infeliciter in literis laborâſſe ſe ſentiens, quadriennio pòſt *Lutetiam* migrare conſtituit, ubi, damnatâ priore feſtinatione, & omiſſis compendiis, regiâ viâ incedere, & ſtudiorum ſuorum novum initium ordiri decrevit, & poſt repetita Latinæ linguæ rudimenta, Philoſophiæ operam dedit ſub *Johanne Penâ*, celebri Philoſopho ſimùl, ac Mathematico, ac demùm Theologiæ in *Dominicani* cœnobii Gymnaſio, adſcitis ſtudiorum ac vitæ ſeverioris ſociis *Petro Fabro*, *Allobroge*, doctrinæ *Ariſtotelicæ* perito, *Franciſco Xaverio Cantabro*, *Jacobo Laine Saguntino*, *Alfonſo Salmerone Toletano*, *Nicolao Bobadilla Palentino*, *Simone Roderico Luſitano*, *Claudio Graccho* & *Johanne* *Compluti & Salamanticæ. Lutetiæ Philoſophiæ ſtudioſus. Et Theologiæ.*

Codurio Gebennenſibus, denique *Paſchaſio Broëtio Ebrodunenſi*.

Hi omnes cum eo *Lutetiæ* communibus ſtudiorum & pietatis ſacris initiati, tandem conſpirantibus animis in æde ſuburbanâ, quæ *Mons Martyrum* vulgò appellatur, poſt confeſſionem & ſumtum Chriſtianum viaticum, voto ſeſe ſinguli obſtrinxère, emenſis Theologiæ ſpatiis, continuò mortalibus rebus nuntium remittendi, atque in paupertate perpetuâ gloriæ divinæ ſalutique animæ ſerviendi, & nominatim *Hieroſolymam* ad conſtitutam diem eo conſilio navigandi, ut Infidelium inſtructioni toto pectore incumberent, palmamque martyrii ſtudiosè captarent. Quod ſi facere prohiberentur, anni circumacto ſpatio *Romam* adirent, ſuamque operam Pontifici, Chriſti vicario, ſine ullâ pactione, vel temporum aut locorum exceptione, deferrent. Id actum 17. Sept. A. C. 1534.

Ejus & 9. Sociorum, prima vota.

Anno ſeq. *Hiſpaniam Lojola* æger repetiit, indè mox *Venetias* ad exſolvendum votum profectus eſt, ibique primùm ſacris initiatus, collectis hùc illùc diſperſis ſociis, omiſſo *Hieroſolymam* proficiſcendi conſilio, *Romam* cum *Fabro* & *Laine* petiit.

Romam profectus.

Ei in ædem non longè ab urbe in viâ militari ingreſſo, ut preces faceret, & â ſenſibus abſtracto memorant, qui ejus acta ſcripsêre, Deum Patrem viſum, qui Jeſu Filio crucem bajulanti *Ignatium* ac ſocios commendaret, & ſe iis *Romæ* propitium fore ultrò reciperet: Atque indè *Ignatium* poſteà Societati â ſe inſtitutæ *Jeſu nomen* induiſſe.

Nominis Societatis Jeſu origo.

Ita *Romam* conveniunt *Ignatius* ac ſocii, tecto recepti â *Quirino Garzonio*, Cive *Romano*, ad villam Minimorum fratrum cœnobio proximam.

Ibi conſtituta Societas, quæ initio *Romæ* exagitata, & â *Bartolomæo Guidicione Lucenſi* Cardinali (novis religionibus non adeò amico, ut librum de iis ad numerum certum redigendis ſcripſerit) improbata, poſtremò â S. P. *Paulo III.* approbata eſt, promulgato diplomate 5. Non. Oct. A. C. 1540. cum miſſi anteà Pontificis juſſu ab *Ignatio* operarii in varias agri Chriſtiani vineas eſſent, quod Societati illi peregrinationis Apoſtolicæ exordium fuit.

Societas Jeſu Romæ conſtituta.

Confirmata â S. P. Paulo III.

Addita lex fuerat, *ne plures 60. in univerſum Socii numerarentur*, quæ triennio pòſt, diplomate dato, ſublata eſt, præpoſito Societati ipſo *Ignatio*.

Societati ſuæ Præpoſitus.

Aucto numero, diſtributi mox per provincias Socii, relictus in *Italiâ Laines*, miſſi *Broetus* in *Galliam*, *Petrus Caniſius* in *Germaniam*, *Antonius Araozius Cantaber* in *Hiſpaniam*, *S. Rodericus* in *Luſitaniam*, *Franciſcus Xaverius* in *Indiam*.

Cum verò *Eliſabetha Roſella*, quæ *Ignatii* ſtudia initiò *Barcinone* foverat, *Romam* cum aliquot mulierculis veniſſet, ut ad normam ac præſcriptum Societatis nuper inſtitutæ vitam ipſæ agerent; *Ignatius* curam ſe fœminarum ſuſcipere poſſe negavit, & tandem â Pontifice impetravit, ut Societati, quæ ſe ad omnium gentium beneficium ſine ullâ regionum aut temporum exceptione Vicario Chriſti mancipâſſet, ab ejusmodi munere vacatio in perpetuum daretur.

Ita in ſpeciem omni ambitionis & divitiarum ſuſpicione â novo Ordine amotâ, alia deindè â Sodalibus ab eodem *Paulo III.* anno ante mortem Privilegia conceſſa ſunt, quæ *Julius III.* deindè firmavit.

Poſteà *Paulo IV.* ad Pontificatum evecto, qui *Ignatio* adverſaturus ob nonnullas offenſiones putabatur, Societas multum crevit, ſub eoque ipſe *Ignatius* vigiliis & jejuniis maceratus, cum 65. ætatis annum ageret, die 31. Julii A.C. 1556. poſt confirmatam Societatem 16. vitâ deceſſit.

Obiit.

In ejus jecoris venâ, quæ porta dicitur, *Rinaldus Columbus*, qui ejus corpus ſecuit, tres lapillos reperiſſe ſe ſcriptis prodidit. Hic finis *Ignatii* fuit, Societatis (quæ poſteà in tantum crevit, ut Principibus ipſis formidoloſa eſſe cœperit) fundatoris. *Thuan. lib. 37.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi â Stöcken.*

Caſp. Cunradus Med. D. in *Millenar. II. Proſopographiæ Melicæ*, hoc ei ſcripſit diſtichon:

Quid mirere meos gaudentes cæde Sodales?
Qui pater hos genui Martis alumnus eram.

* * *

In vico *Hiſpaniæ Manſerâ*, non procul *Serrato Monte* B. Virgini ſacro, *B. Ignatius Lojola*, *Cantaber*, Dei inflammatus amore collegit primùm ſe, ac ſeculo nuntium remiſit: ut hâc, quæ ibidem ſpectatur, tabulâ literis inciſâ *Joh. Bapt. Cardona*, Antiſtes Dertuſanus, teſtatum poſteris reliquit:

IGNATIO LOJOLÆ BERTRANI F. CANTABRO FAMILLÆ SACERDOTUM SOCIETATIS JESU CONDITORI, QUI PRO SALUTE PATRIÆ ANNOS TRIGINTA NATUS, IN POMPÆLONIS ARCE FORTITER CUM GALLIS PUGNAVIT, ET ACCEPTIS MORTIFERIS VULNERIBUS, SINGULARIQUE DEI BENEFICIO SANATIS, DESIDERIO VISENDI LOCA HIEROSOLYMORUM SACRA INFLAMMATUS ITER COEPIT FACERE CASTITATEM VOVENS, ATQUE ITA ORNAMENTIS MILITARIBUS ABJECTIS ET REPOSITIS IN TEMPLO DEI GENETRICIS MARIÆ SERRATI MONTIS INDUTUS SACCO ET CILICIO PENE NUDUS RELICTUS HIC INDE PRIMUM JEJUNIIS, LACHRYMIS, ET ORATIONIBUS FLERE ANTE ACTÆ VITÆ CRIMINA MERUIT, ET VINDICTAM DE EIS TIRO CHRISTI MILES SUMERE INCHOAVIT. TANTÆ REI MEMORIÆ CONSERVANDÆ ERGO AD DEI GLORIAM ET SPLENDOREM CLARITATIS SOCIETATIS SUÆ JOAN. BAPT. CARDONA VALENTINUS AUSETANUS ANTISTES DERTUSANUS DESIGN. SANCTITATI SOCIETATIQUE

EJUS

EJUS DICATISSIMUS VIRO PIISSIMO OPTIME DE PUBLICA RE CHRISTIANA MERITO FIERI CURAVIT. QUINCTO XYSTO PONT. ET PHILIPPO II. REGUM MAX.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum auctorum in vitâ Jo. Bapt. Cardonæ.*

Obiit A.C. 1556.

MARTINUS FRECHTUS.

Natus eſt in *Sueviâ*. Jactis verò literarum & linguarum primis rudimentis, cum *Heidelbergæ* Theologiæ ſtudio operam navâſſet, Licentiatus in eâ renunciatus, mox in Profeſſorum numerum cooptatus, literas Sacras publicè docere cepit A. 1526. Collegas tunc inter alios habuit *Simonem Grynæum*.

Licentiatus & Profeſſor Theologiæ Heidelbergenſis.

A. 1528. A Republicâ *Ulmenſi* ſtatim poſt Eccleſiæ Reformationem, auctore *Conrado Somio*, invitatus eò venit, & primarium Eccleſiaſten egit omnibus acceptus.

Ulmam vocatur.

Cum autem ſub id tempus in S. Cœnæ negotio contentio quædam inter Evangelicos incidiſſet, *Frechtus* cum *Bucero* & *Muſculo* in *Saxoniam* ad *Lutherum* profectus eſt anno 1536. & ſententiæ ejus ferè ſubſcripſit.

A. 1540. *Wormatiæ*, & A. 1546. in Colloquio *Ratisbonæ* habito, cum adverſariis diſputavit.

Diſputat Wormatiæ. Ratisbonæ.

A. 1548. Cum *Carolus V.* Imperator Victor *Auguſtâ Ulmam* veniſſet, & Senatum abrogâſſet, *Frechtum* cum aliis Eccleſiæ Miniſtris, eò quòd *Religionis Decretum* vel *Interim* repudiarent, cuſtodiæ mandari juſſit.

In cuſtodiam rapitur.

Juſſus deindè ſententiam ſuam de libro *Interim* ſcripto complecti, errores & ſuperſtitiones ejus libri refutavit.

Mox 16. Aug. Catenis vincti in carcerem publicum ducti ſunt *Hiſpanorum* & *Germanorum* præſidio, quibus *Johannes*, Comes *Naſſovius* præfuit, cumque domum *Frechti* præterirent, frater ejus *Georgius* ſalutem ei ſociiſque precatus bono animo eſſe juſſit.

Ob hanc vocem & ipſe in carcerem ductus eſt, è quo quintâ poſt die revincti catenis & currui impoſiti divecti ſunt *Kirchemum*, ſtipati 200. *Hiſpanis*.

3. Martii A. 1549. cum ſociis liber ſine mulctâ dimiſſus eſt, poſtquam pro victu ſolviſſent.

Liber dimittitur.

Cumque *Ulmæ* nova Religionis formula recepta eſſet, *Frechtus* â Duce *Wirtenberg. Chriſtophoro* vocatus *Tubingam* venit, ubi Sacram Theologiam docuit, & illuſtri ſtipendio Ephorus datus eſt.

Obiit tandem Senex *Tubingæ* 14. Sept. A. 1556. in *S. Georgii* Templo ſepultus.

Moritur.

Scripta.

Edidit, præter alia *Theologica*, in *Witekindi Saxonis rerum ab Henrico & Ottone Imperatoribus geſtarum libr. III.*

* *Ex Melch. Adami Vitis Theol. Germ.*

Obiit A.C. 1556.

Theologus Lovanienſis.

GERARDUS MORINGUS.

Noviomagus, aliis *Bommelanus*, *Gelder*, Theologus *Lovanienſis*, primùm ibidem ad *S. Gertrudem* Paſtor & Lector ad *S. Trudonem* in ditione *Leodicenſi*, vir multâ lectione exercitatus, & Latinâ eloquentiâ ſpectabilis. *Adrianum Barlandum* Præceptorem habuit. *Trudonopoli* ex corporis vinculis, tanquam è carcere, evolavit 9. Oct. A. C. 1556.

Moritur.

Scripſit

Ejus Scripta.

Commentarium in Eccleſiaſten, partim paraphraſticè, partim fuſiore explanatione, ab allegoriis abſtinens, & in ſenſu literali hærens.

Orationes II. quodlibeticas, de Paupertate Eccleſiaſticâ, in laudem Temperantiæ, & vituperium Intemperantiæ.

Precepta vitæ boneſtæ, ad Robertum Comitem Arenbergium M. SS.

Vitam S. Auguſtini, S. Trudonis, S. Liberii, & S. Eucherii.

Vitam Hadriani VI. Pontificis Maximi.

Martyrium Thomæ Mori Angliæ Cancellarii M. S. in Collegio Trilingui.

Chronicon Trudonenſe ab Anno CIↃ CCCCX.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

JOHANNES de CASA.

Obiit A.C. 1556.

Patritio apud *Florentinos* genere ortus, politioris literaturæ faſtigio eminuit, nec tantùm patrio Latinoque carmine ſuaviſſimè cecinit, ſed etiam ſolutâ utriusque idiomatis oratione ſic excelluit, ut puræ ſcriptionis exemplar ex ejus opuſculis deſumatur.

Poëta. Cardinalium aliquot Secretarius & Prælatus.

Hoc intuitu â Summis Pontificibus *Paulo III.* & *Marcello II.* egregia munificentiæ retulit ornamenta, collato ſibi Archiepiſcopatu *Beneventano*, indeque graviſſimarum Legationum munere â *Paulo IV.* pluries injuncto.

In Curiâ Romanâ Nuntium Apoſtolicum ad Rempublicam Venetam agit. Archiepiſcopus Beneventanus, & Cardinalis deſignatus.

Conſtans apud illius ævi Criticos fuit opinio, *Caſam Pauli III.* gratiam præ cœteris egregiè aucupatum, ſibi ad decus patrum purpuratorum aditum paraviſſe, quorum in cœtu clam â Pontifice deſignatus cum eſſet, invidâ mox ſuggerentium exprobratione turpi laſciviæ notâ culpatus, fuerit expunctus.

Ita nec forſan mentiuntur alii, perhibentes, cum â puberibus usque annis plurimùm luxui deditum extitiſſe, â quo vel ſacro etiam indutus Archiepiſcopi ſyrmate non deſciverit.

Verùm elato animo ut ſe palàm dignitatum profitebatur oſorem, ita privatis amicorum conventibus addictus inſitâ quâdam hilaritatis dulcedine animo curis vacuo blandiebatur.

Exacto tandem vitæ curriculo *Romæ* occubuit A. C. 1556. 14. Nov.

Moritur.

Hoc autem monumento honoratus eſt in Sacello Eccleſiæ *D. Andreæ de Valle*:

D. O. M.

Ejus Epitaphium.

JOHANNI CASÆ, ARCHIEPISCOPO BENEVENTANO, CUJUS SINGULAREM IN OMNI VIRTUTUM AC DISCIPLINARUM GENE-

Digitized by Google

GENERE EXCELLENTIAM IMMORTALIBUS ILLUSTREM MONUMENTIS ÆMULA NE QUIDQUAM POSTERITAS ADMIRATUR. HORATIUS ORICELLARIUS AVUNCULO OPTIME MERITO P.

Edidit

Scripta. *Trattato de gli uffici communi.*

Orationi, & Lettere.

Lodi del forno in verſi piace volmente ſpiegati.

Rime belliſſime.

Vitam de Cardinali Bembo & Caſparo Contareno.

Libellum, Galathei nomine, in quo *luculentam morum edocuit rationem*.

Hunc *Thuanus* veterum longè præſtantiſſimis æquandum exiſtimavit.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Joh. Imperialis Phil. & Med. Vicent. Et ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A. C. 1556.

JOHANNES FORSTERUS.

NAtus eſt *Auguſtæ Vindelicorum* 10. Julii A. 1495. ab honeſtis parentibus. A puero ad bonas literas adhibitus, è patriâ Scholâ *Ingolſtadium* miſſus, *Joh. Capnionis* auditor fuit ſolertiſſimus. *(Auditor Capnionis.)*

Lipſiam deinde progreſſus, audivit *Petrum Moſellanum*, *Wittebergæ* verò Doctor creatus eſt Theologiæ, ubi & Profeſſor linguæ Hebrææ conſtitutus, *Lutherum* in verſione Bibliorum adjuvit. *(Et Moſellani. Doctor & Profeſſor Theologiæ.)*

A. 1554. Cum *Philippo Melanchthone* ad Conventum *Neoburgi* in *Thuringia* propter rixas *Borruſſiacas* inſtitutum venit, paulò verò pòſt morbo correptus eſt diuturniore, unde vitam cum morte commutavit A. 1556. ætat. 61. *Wittebergæ* autem in templo parochiali ſepultus eſt, ubi hæc verba leguntur: *(Moritur.)*

Epitaphium. JOHANNES FORSTERUS S. THEOLOGIÆ DOCTOR ET EBRÆÆ LINGUÆ PROFESSOR IN ACADEMIA WITTEBERGENSI, IN CHRISTI INVOCATIONE PLACIDE MORTUUS EST ANNO M D LVI. VIII. DECEMBR.

Vivus ſalui pars
Et celebris Sacra Doctor
Quisq; Paleſtinæ docuit
Forſterus ſancta vir pietate
Hac moriens corpus poſuit ſed Sp
Perpetua gaudens luc rſt t

Quia verò inſcriptio hæc admodùm contrita & corrupta, liquidò ſatis cognoſci nequit, ideò fragmenta ſaltem, qualia hodie extant, hîc appoſita ſunt.

Scripſit

Scriptum. *Dictionarium Hebraicum novum.*

* *Ex Melch. Adam. Vitis German. Theol. Et Bibliothecâ Academiæ Witteb. Andr. Sennerti.*

Clar. A. C. 1557.

JOHANNES CHRISTOFERSONUS.

SAnctæ Theologiæ Doctor, Collegii S. Trinitatis *Cantabrigiæ* Præſes, & *Norwicenſis* Decanus, *Dayo* Succeſſor deſignatus eſt â *Mariâ* Reginâ. *(S.S. Theol. Doctor.)*

Patriâ *Lancaſtrenſis* fuit, & in Collegio *S. Johannis Cantabrigiæ* educatus.

Homo certè doctiſſimus, qui inter cœtera opera ejus quamplurima tam Latinâ linguâ edita quàm vernaculâ, in Reip. Chriſtianæ uſum multa *Euſebii* & *Philonis*, *è Græco in Latinum ſermonem* fideliſſimè *tranſtulit*. *(Scripta.)*

Unà cum cœteris ſui Ordinis authoritate Parliamentari exauthoratus eſt ſub initium Principatûs *Elizabethæ* Reginæ, cum interim ædes Præſidis Collegii antedicti novis ædificiis multum auxiſſet; & Bibliothecæ itidem libros contuliſſet non paucos, Græcos, Latinos, & Hebræos.

* *Ex Commentario de Præſulibus Angliæ Franciſci Godwini.*

Obiit A. C. 1557.

JANUS ANDREÆ SYNNINGIUS.

MAgiſter Artium, Theologiæ Baccalaureus, in album Univerſitatis *Hafnienſis* relatus eſt ann. 1538. Profeſſor primum fuit Dialecticæ, deinde Theologiæ A. 1544. quo etiam â *D. Palladio* Theologiæ Doctor renuntiatus eſt. *(Theologiæ Doctor & Profeſſor.)*

Rectoratum geſſit A. 1545. A. 1547. Vocatus eſt ad Paſtoratum Eccleſiæ S. Hoſpit. *Hafniens.* Sed conſtituit Univerſitas, ne munus illud tanquam Paſtor ſuſciperet, quod utrique muneri Profeſſorio & Paſtorali par eſſe non poſſet, itaque ſuam operam ad tempus Eccleſiæ tantùm promitteret. *(Paſtor Eccleſiæ Hafnienſis.)*

Uxorem duxit, quæ ex alio ante nuptias concepiſſe deprehenſa eſt, concluſum itaque in Conſiſtorio, ut eam ante ſecundum Solis occaſum ablegaret, vel ipſe numero Profeſſorum excluderetur. Itaque vir pius & innocens, ſpatio deliberandi accepto, Senatus Conſulto Academico paruit. *(Uxorem ablegare coactus.)*

Obiit eodem anno 1557. *(Moritur.)*

Scripſit

Orationem de jungendo ſtudio Theologico & Philoſophico. Ripis. *(Scriptum.)*

* *Ex Acad. Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

Obiit A. C. 1557.

JOHANNES VERGARA.

C*Ortonâ, Hetruriæ* oppido, originem *Vergaræ* repetunt, quorum majores *Gibellinorum* factionibus, ut *Guelfarum* partiû ſtudioſi, *Italiâ* profugi in *Hiſpaniam* veluti coloniam duxerunt. Avus *Metthymæ* Campi emporio ſedem fixit. Parens verò *Georgius Vergara*, *Toleti* ductâ uxore, claruit liberis, quorum tres eruditi admodùm fratres extiterunt. *(Ortu Florentinus.)*

In his *Joannes* cum puer in Græcis Latinisque

niſque & Philoſophiâ profectus feciſſet, ut æqualium nulli conceſſerit. Verſus enim, faventibus Muſis, pangebat, ac Latinè de re quâque diſertè diſſerebat.

Theologiæ Doctor Compluti, & Canonicus.

His ornamentis inſtructus ſtudio Theologiæ ſe dedidit, in quâ Lauream apud *Complutenſes* meritò tulit. Collega *S. Ildefonſi* & *Complutenſis* Canonicus ſacerdotio eſt â Card. *Ximenio* ornatus.

Laboravit in Bibliis Complutenſibus.

In Bibliis Complutenſibus trium linguarum ab hoc elaborare juſſus *Salomonis libros* & *Jeſus Sirach*, qui illi in partem ceſſerant, convertit.

Cumque prodeſſe *Ximenius* vellet etiam Academiis omnibus per *Complutenſem* recens â ſe excitatam, *Ariſtotelem* â manuſcriptis undique conquiſitis, & PhiloſophisLinguarum peritis adhibitis, emendatiorem dare decreverat: Sed mors optimi Præſulis conatus præcidit.

Libros Ariſtotelis Phyſicos Latinè vertit.

Vergara autem, juſſu illius, libros φυσικῶν ἀκροαμάτων περὶ ψυχῆς Latinitate donaverat, quos hodieque manu ipſius ſcriptos in archivis *Complutenſis* Bibliothecæ videre licet.

Cardinalis Ximenii vitam ſcripſit.

Ejuſdem *Cardinalis Ximenii* Hiſtoriam â ſe inchoatam, *Alvaro Gometio*, in eodem curriculo verſanti, tanquam lampada tradidit, quaſi rerum ab illo domi foriſque geſtarum Commentarios, carmine elogium tumulo inſcripſiſſe contentus. Tantus enim

Gloriæ contemtor.

popularis auræ gloriæque contemtor extitit, nihil ut elaboratum ingenio diligentiâque perfectum edi ſuo nomine pateretur.

Poſt ad *Johannem Croyum, Belgam*, cui poſtea *Carolus V.* Imp. *Toletanæ* ſedis clavum, ob parentis erga ſe educandi officia, commendârat, in *Belgium* profectus eſt, ut, rerum Eccleſiaſticarum in *Carpetanis* probè gnarus, de re omni, præſulem deſignatum doceret. Is animi gratiâ venatum profectus, & equo delapſus, ruptâ venâ, nondum viſâ *Hiſpaniâ*, interiit.

Vergara domum ad ſuos rediens, ſuffectoque in *Croy* locum *Alfonſo Fonſecâ*, reliquum vitæ in ſtudiis, ut optabat, conſumere minimè potuit. Huic enim usque eò fuit acceptus, ut ab otio ad negotia vel invitus tra-

Secretar. Hiſp. Sacerdos Tolet.

ductus â Secretis etiam fuerit. *Toletano* hic opimo *Sacerdotio Vergaram* ornavit, menſæq; frequenter adhibuit, gloriari etiam ſolitus, *Vergaram* ſe, ut doctiſſimum virum, omnibus opibus & cenſibus anteferre, quæ de laude eloquentiæ cum æqualibus, *Bembo* & *Sadoleto* contendere poſſet.

Habebat domi *Alphonſum Cortonam*, patruelem *Vergaræ*, virum apprimè doctum, qui & *Plutarchi* libellum, *quomodo ſe quis citra invidiam laudet*, Latinè redditum aſſiduè preſſit.

Moritur.

Senex tandem cum podagrâ conflictatus, & veſicæ dolore extinctus eſt, bonis omnibus amentium Collegio, quod *Toleti* inſtitutum viſitur, ex Teſtamento relictis.

Obitum ejus *Alvarus Gometius* Eclogâ quâdam in Eydilliis Poëmatum deflevit. Situs eſt *Toleti* in æde Sacrâ Deiparæ Virginis cum hac inſcriptione:

Epitaphium.

D. O. M. S.

JO. VERGARÆ DOCT. THEOL. HUJUSCE TEMPLI SACERDOTI CANONICO, VIRO IN OMNI DISCIPLINARUM GENERE EXIMIO, QUO VIVENTE NATURA DECLARAVIT, SE ADHUC MINIME EFFOETAM ESSE AD PRÆSTANTISS. VIROS PRODUCENDOS: DEC. CAPITUL. Q. HONORIS VIRTUTISQUE CAUSA TOLET. SODALI B. M. L. D. D. VIXIT ANN. LXIV. MENS. V. DIES XVII. OBIIT XX. FEBR. MDLVII. JOAN. CERDA CAN. TOLET. PROPIUS SOBRINO DECESSORIQ. SUO INDULGENTISS. P. C.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ diverſorum Auctorum.*

GEORGIUS RORARIUS.

Obiit A. C. 1557.

Natus eſt 1. Octob. A. C. 1492.

Academiæ *Wittenbergenſis* alumnus & *D. Martini Lutheri* amanuenſis: omnium primus ritu Apoſtolico Sacris in eâdem ab eodem A. 1525. Dominicâ Cantate 14. Maji initiatus, & ad S. Miniſterium Eccleſiaſticum ordinatus eſt.

Primus ordinatur Eccleſiæ Paſtor.

Reviſioni *S. Bibliorum* Germanicè anteà editorum interfuit Amanuenſis & Corrector induſtrius: imò *Gloſſarum* in margine, quas ex ore *D. Lutheri* aliorumque Interpretum perceperat, Collector & Annotator devotiſſimus.

Scripta D. Lutheri in Tomos diſtribuit.

Scripta *D. Lutheri* diſtribuit in *Tomos* cum *Wittenbergenſes*, cum *D. Caſp. Crucigero* ſeniore *Wittenb.* Prof. Publ. A. 1544. d. Bartholomæi; tum *Jenenſes*, cum *Nicolao Amsdorfio* A. 1555. 8. Febr. & ſic Theologicum ſtudium in utrâque Univerſitate promovit, meritò inter Theologos utrobique numerandus.

Primus Bibliothecarius Jenenſis.

Bibliothecâ *Wittenbergâ Jenam* translatâ Præfectus omnium primus obiit in hâc 24. April. A. C. 1557. æt. 65.

* *Ex Nomenclatura Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc ei adſcripſit Epigramma honorarium:

Epigramma honorarium.

Cuncta revidiſti Lutheri Scripta Georgi
Rorari, ſacri Ros adamate ſoli:
Atque notaviſti ſacras in margine gloſſas,
Quas hodie nobis Biblia ſacra ferunt.

Caſpar Cunradus Med. in Millenar. I. Proſopographiæ Melicæ hoc eum diſticho honoravit:

Ordo mihi primus datus, inſtituente Luthero,
Papa quid inſultas? ad Sacra juſſus eo.

HENRICUS STOLO.

Obiit A. C. 1557.

Dirbachli, Palatinatûs inferioris oppido, vivendi fecit initium M. April. A. 1489.

A parentibus honeſtis, ſed mediocris fortunæ, puer *Monaſterium Weſtphaliæ* ad

Monaſterium mittitur.

ad amicum quendam miſſus, ſtudiis operam dare cepit, & æquales brevi anteivit.

Oppenheimium abit & Daventriam.

Domum verò revocatus, *Oppenhemium*, & indè *Daventriam* ivit, ubi, literarum amore, multos annos cum egeſtate conflictatus tranſegit, & ſæpè noctu ad lunam ſtudiis incubuit.

Deinde Erphordiam. Magiſter renunciatus.

Deinde *Erphordiam* profectus eſt, ubi brevi pòſt Anno ætatis 20. Magiſter renuntiatus, abindè publicè docendi munus ſuſcepit.

In eo cum quadriennium inſumpſiſſet, *Dirbachii* ſtipendium Eccleſiaſticum adeptus eſt. Et cum ei tunc mercator quidam prædives cum dote non parvâ filiam obtuliſſet, gratiis actis modeſtè abnuit, ætatis & ſtudiorum immaturitatem excuſans.

Nactus poſteà comites idoneos, partem magnam *Bohemiæ*, *Boruſſiæ* & oræ maritimæ perluſtravit. Cum autem pecuniâ deſtituti domum reverti mediâ hyeme cogerentur, & per nivem altam triduum jam eſſent emenſi, *Stolo*, comitibus præmiſſis, diverſorio ſubſiſtens, cum poſtridiè, locorum ignarus, ſylvam denſam ingreſſus eſſet, duos urſos obviam habuit. Itaque cum DEO ſe commendaſſet, in faciem procidit, & anhelitum quantum potuit, attraxit, Urſi verò accedentes, & cadaver eſſe exiſtimantes, abierunt. Eo periculo liberatus totam noctem in ſylvâ oberravit, tandemque ad ſuos perveniens, cum iis ſalvus *Erfordiam* appulit.

Itinera Stolonis. Aberrat à via. In urſos incidit.

Fit ſacrificulus.

Cum ita octennium domo abfuiſſet, ad ſuos reverſus, relicto Juris ſtudio, cui ante ſe dederat, patris precibus victus ſacerdotium ſuſcepit, & primam Miſſam in pago quodam, ut omnem pompam declinaret, celebravit. Tum ſtudio Theologiæ totum ſe dedidit, & etiam in concione populum docuit.

Paſtor Wormatiæ.

Poſtea *Wormatiam* vocatus, aliquot annos ibi Paſtorem egit. Legens autem 1517. *Lutheri* libros, veritati ceſſit, & populum erudiens, Chriſti ei beneficia diligenter inculcavit, quæque opera DEO placerent, ex verbo DEI monſtravit.

Lutheri libros legit.

Pontificiorum odium incurrit.

Ibi Pontificiorum irritatorum inſidias metuens, *Neapolin*, *Palatinatûs* inferioris oppidum, ſe contulit.

Sed idem ibi expertus, ad patrem abiit, ibique aliquantiſper in otio vixit.

Heidelbergam vocatur.

Tandem A. 1526. A nobili viro *Fleckenſtenio* Curiæ præfecto, *Heidelbergam* acceerſitus, ibi munus in ſcholâ & templo docendi ſuſcepit, & pro concione nihil intermiſit, quod ad impios abuſus tollendos, & populum in verâ doctrinâ inſtituendum faceret.

Moritur.

In eo munere cum 30. annos fideliter verſatus eſſet, laboribus exhauſtus placidè obdormivit *Heidelbergæ* 28. Sept. A. 1557. æt. 68. Sepultus in Templo Spiritûs Sancti, ubi Epitaphium legitur ejuſmodi:

Epitaphium.

REVERENDO VIRO DN. HENRICO STOLONI A DIERBACH, ECCLESIÆ ATQUE SCHOLÆ HEIDELB. CONCIONATORI AC PROFESSORI ORDINARIO CONSTANTISS. ET DOCTISS. QUI VIXIT ANNOS LXVIII. MENSES VI. OBIIT VERO ANNO SALUTIS HUMANÆ M DLVII. MENSE SEPTEMBRI, DIE XXVII. ANNA UXOR, JACOBUS, BERNHARDUS, ET CHRISTOPHORUS, FILII SUPERSTITES, HOC MONUMENTUM POSUERUNT.

Diſtichon continens annum ætatis & obitûs ejuſdem.

BIs seX Vt LVſtrIs StoLo IaM ConIVnXerat annos,
BIs qVatVor LætVs CæLICa regna petIt. 1557.

Cœlebs ad annum 50. vixit, pòſt maritus factus, filios ex uxore *Anna* ſuſcepit, ac poſt ſe reliquit *Jacobum, Bernhardum*, & *Chriſtophorum*.

Vir cœterùm fuit humanitate præditus ſingulari, in actionibus non ſolùm ſuavis, ſed & gravis, qui Doctrinæ Evangelicæ veritatem non ſine vitæ diſcrimine defendit: cum enim in Comitiis *Auguſtanis*, Principibus Proteſtantium liber ille emendationis eccleſiaſticæ ad tempus obſervandus, (Interim aliàs,) offerretur: *Stolo* apertè dixit: *Eum ſe non probare, nec per conſcientiam probare poſſe, imò malle ſe cum aliis piis doctiſq; viris ſolum vertere, quàm tali libro ſubſcribere.*

* *Ex Melch. Adami Vitis Germ. Theol.*

JOHANNES MACHABÆUS.

Obiit A. C. 1557.

GEneroſâ & perveteri *Macalpinorum* familiâ in Regno *Scotiæ* oriundus, in *Angliâ*, Religionis causâ, exulavit.

Uxorem ibi duxit *Agnetam Machiſoniam*, ex præcipuâ *Scotiæ* Nobilitate ortam, quæ pio Religionis zelo Patriæ exilium etiam antepoſuerat, & in *Angliam* ſe contulerat.

Verùm conjugalem felicitatem parùm diuturnam Pontificia Tyrannis permiſit. Etenim cum denuò ad Religionem priſtinam relaberetur *Anglia*, proſcripti in *Germaniam* conceſſerunt, & poſt varia itinerum exhauſta tædia *Witebergæ* quieverunt, intimâ familiaritate ſanctæ memoriæ Viris *Luthero* & *Philippo*, aliiſque bonis & doctis conjuncti.

Exul Witebergæ Luthero charus.

Unde â laudatiſſimo Rege Danorum *Chriſtiano III.* Vir ſummus *Machabæus*, jam creatus Theologiæ Doctor, *Wittenbergâ Hafniam* vocatus eſt ad docendam Theologiam A. 1542.

Hafniæ Theologiæ Profeſſor.

Die 15. Sept. A. 1544. Theologiæ Baccalaureos creavit *M. Nicol. Kragium, Germanum*, Concionatorem Regium, *M. Georgium Boëthium*, Profeſſorem Pædagogicum, *M. Andream Matthiæ*, Provinciæ Præpoſitum, *M. Laurentium Ripenſem*, Paſtorem ad S. Nicolai.

A. 1547. 27. Sept. Doctorem Theologiæ renuntiavit *M. Nicolaum Hemmingium* Theol. Profeſſorem.

Nicolaum Hemmingium Theologiæ Doctorem creavit.

Rectoratum geſſit A. 1544. & 1549.

Ex uxore habuit filium *Chriſtianum*, qui in

in Academiâ Hafnienſi etiam Profeſſor fuit.

Obiit 5. Dec. A. 1557. Sepultus in Templi Choro D. Virginis, Rege *Chriſtiano III.* funus deducente.

Monumentum filius Parentibus poſuit, quod loco ſuo dejectum, & inter lignorum lapidumque fruſta repertum A. 1663. *Eraſmus Pauli f. Vindingius*, tum Procurator D. Virginis, commodo & honeſto loco propè chorum reponi curavit. Eſt verò Tabula lignea cum hâc Inſcriptione, Gentilitiis Inſignibus utrinque depictis:

Monumentum. JOHANNES MACHABÆUS ALPINAS EX NOBILI MACALPINORUM FAMILIA ORIUNDUS IN SCOTIA, RELIGIONIS CAUSA IN EXILIUM ACTUS, HINC VICISSIM PSEUDO-PONTIFICATUM ROMANUM EXEGIT. CUMQUE ANNIS PLUS MINUS XV. IN HAC ACADEMIA SALUTIS DOCTRINAM PROPAGASSET, ET ILLUSTRISS. REGIS D. CHRISTIANI III. ET OMNIUM BONORUM FAVOREM MERUISSET, IN COELESTEM PATRIAM TRANSLATUS EST ANNO MDLVII. DECEMB. DIE V. HUNC AGNETA MACHISONA EX GENEROSA STIRPE SCOTORUM PROGNATA, EXILII ET THALAMI ILLIUS SOCIA, CUM LXXXVI. ANNOS ÆTATIS, VIDUITATIS VERO XXXII. INNOCENTER ET PIE ADMODUM COMPLEVISSET, AD ÆTERNÆ VITÆ CONTUBERNIUM SUBSEQUUTA EST ANNO MDLXXXIX. DIE FEBRUARII XVI. IN SPEM FUTURÆ RESSURRECTIONIS HOC GRATISSIMI ANIMI MONUMENTUM PARENTIBUS SUIS DULCISSIMIS CHRISTIANUS MACHABÆUS ALPINAS. F.C.

* *Ex Academiâ Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Pauli f. Vindingio.*

ALBERTUS NOVICAMPIANUS.

Obiit A.C. 1558.

Præceptor Regis Hungariæ. *Theologiæ Doctor.*

VIrum hunc eruditum *Johannes Sigismundus, Johannis, Hungariæ* Regis, filius Præceptorem agnovit, qui ſacrâ Theologiæ laureâ in Academiâ *Cracovienſi* inſignitus tum Concionando ad populum, tum pangendo Carmina domi, ſcribendoque Orationes ad Proceres & populum *Hungariæ* clarus extitit. Sed præmatura mors eum mundo ſuſtulit A. C. 1558. in quem *Benedictus Herbeſtus* his verſiculis luſit:

Qui legitis nitidos puro de gramine flores,
Carpite de campo lilia ſacra novo.

Cracoviæ humatus jacet in æde S. S. Trinit. cum hâc Epigraphe:

Epitaphium. ALBERTO NOVICAMPIANO DOCTRINA ET INTEGRITATE CONSPICUO, PROFESSORI PUBLICO AC PRÆCEPTORI ILLUSTRISS. JOHANNIS SIGISMUNDI REGIS UNGARIÆ DESIGNATI, FAMILIARES MOESTI POSUERUNT. MORTUUS ANNO MDLVIII. ÆTATIS VERO SUÆ L.

Scripſit & edidit:

Scripta. *Orationem de corruptiſſimis hujus ſeculi moribus, variiſque ac turbulentis in Religione Chriſtianâ doctrinis: quidve in his pio homini agendum ſit.*

Orationem de duabus perſonis, quibus regitur mundus, ſpirituali videlicet ac Regiâ, tum quæ illarum officia ſint.

Scopum Biblicum, in quo Summam doctrinæ Chriſtianæ præſcripſit.

Apologiam pro Catholicâ fide.

Fuit etiam alius *Albertus Novicampianus*, Med. Doctor, qui ſcripſit de *fabricatione hominis*, de *Accentibus*, de *formatione fœtus Diſſertationem, utrum cor, an jecur in formatione fœtus conſiſtat prius?* déque *Laudibus Phyſices Orationem.*

* *Ex Elogiis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii.*

JOHANNES BALÆUS.

Obiit A.C. 1558.

NAtus eſt in Comitatu *Suffolcienſi* A. C. 1491.

Fit Monachus Carmelitanus. Cum anno ætatis 12. â Parentibus *Nordovici* in Carmelitani Ordinis monaſterium detruſus fuiſſet, indè, ortâ Evangelii luce, egreſſus, Ordini valedixit, & poſteà *Cantabrigiæ* literis excultus Chriſtum prædicavit. *Eccleſiæ Miniſter.*

Per tyrannidem poſtmodùm Epiſcoporum exul in *Germaniâ inferiori* per octennium manſit, donec ab *Edoardo VI.* Rege revocatus, *Oſorienſis* in *Hiberniâ* Epiſcopus conſtitutus eſt. *Epiſcopus Oſorienſis.*

Sublato per mortem Rege A. 1553. *Mariana* hyems illum *Hiberniâ* expulit, qui poſt plurima pericula captus â piratis & venditus, tandemque ſoluto precio dimiſſus, *Baſileam* in *Germaniam* ſe recepit. *Exul degit in Germaniâ.*

In *Hiberniam* tandem reverſus, obiit A.C. 1558. ætatis 67.

Edidit:

Ejus Scripta. *Comœdias Sacras multas.*

Acta Pontificum Romanorum.

Catalogum Scriptorum illuſtrium Magnæ Britanniæ.

* *Ex Heroologiâ Anglicâ.*

JOHANNES BUGENHAGIUS.

Obiit A.C. 1558.

JUlini, *Pomeraniæ* oppido, non procul â *Stetino*, è familiâ Senatoriâ natus eſt 24. Jun. A. 1485.

In pueritiâ cum Grammaticam & Muſicam didiciſſet, in Academiam *Gryphiswaldenſem* miſſus, Philoſophiam didicit, poſtea 20. ætatis annum ingreſſus A. 1505. in oppido *Treptæ* juventutem docere, paulò pòſt verò Presbyter factus, ſacra explicare cepit, quo tempore conſcripſit *hiſtoriam Pomeraniæ*, ſumtibus Principis *Bogislai*, bienni ſpatio, *In Academiam Gryphiswaldenſem mittitur.* *Presbyter.* *Hiſtoriam ſcribit Pomeraniæ.*

tio, qui liber in aulâ Principum aſſervatus eſt.

Libros Lutheri legit. Judicium Bugenhagii de iis.

A. 1520. verò, cum *Otto Slutovius*, hoſpes *Bugenhagii, librum Lutheri de captivitate Babylonicâ* recens *Lipſiâ* miſſum in cœnâ *Bugenhagio* legendum dediſſet, hic mox, paginis aliquot perluſtratis, *nullum à Chriſti paſſione peſtilentiorem extitiſſe hæreticum ejus libri autore* pronuntiavit. Poſt aliquot verò dies, libro attentiùs relecto, ad ſodales reverſus, *quid ego vobis*, inquit, *multa dicam? univerſus mundus cæcutit, hic vir unus & ſolus verum videt.*

Quod revocat.

Abindè ſcripta *Lutheri* approbavit, cumque in miniſterio ſociis Papatum oppugnare, & ad unicum Chriſti meritum auditores traducere magno zelo inſtituit. A. 1521. verò perſecutione eâ de causâ *Treptæ* ortâ, *Wittebergam* venit, & *Lutherum* acceſſit.

Wittebergam ad Lutherum venit.

Luthero autem paulò pòſt in Pathmo degente, cum à *Caroloſtadio* ſtatuarum everſio eſſet introducta, oppoſuit ſe *Bugenhagius*, & A. 1522. Eccleſiæ ibidem paſtor deſignatus eſt, quam ann. 36. pie & fideliter gubernavit, ſuccedens *Simoni Benckio* vel *Heinſio*.

Eccleſiarum variarum ordinationem ſuſcipit. Theologiæ Doctor. Moritur.

Wittebergâ evocatus A. 1522. *Hamburgi*, 1530. *Lubecæ* 1537. in *Dania*, ſub auſpiciis *Chriſtiani III.* 1542. in Ducatu *Brunſuicenſi* Eccleſias ordinavit. Interea verò 1533. cum *Caſparo Crucigero* & *Joh. Æpino* Theologiæ Doctor creatus eſt à *Juſto Jonâ*.

Wittebergæ verò placidè ex hac vita exceſſit 20. April. A. 1558. ætat. 73.

Doctor *Bugenhagius* fuit Eccleſiarum fidelis, Juſtus, beneficus erga omnes, in objurgationibus ſeverus & intrepidus, in veræ Doctrinæ defenſione acer, pietatem erga Deum luculenter tum doctrinâ tum ipsâ vitâ exprimens.

Feſtum translationis Bibliorum.

Cum *Lutherum* in Bibliorum translatione juviſſet, quot annis eo die, quo opus abſolutum erat, ſolenni amicos convivio excepit, eo Feſto translationis Bibliorum vocato.

Epitaphium.

Epitaphium ejus in Templo Parochiali, quæ *Wittebergæ* eſt, legitur tale:

ANNO DOMINI M.D.LVIII. XX. DIE APRILIS, ÆTATIS SUÆ ANNO LXXIII. MORTUUS EST REVERENDUS VIR DOCTOR JOHANNES BUGENHAGIUS POMERANUS, PASTOR ECCLESIÆ WITTEBERGENSIS ANNOS XXXVIII.

Oſſa ſub hoc tumulo Doctoris ſunt Pomerani
Condita, ſed ſuperas incolit umbra domos.
Paſtor in hoc templo multas per-fidus in annos,
Eximiâ pavit ſedulitate gregem.
Bis duo luſtra ſuo ſol jam perfecit in orbe,
Octoq; annorum prætериére dies:
Leucoream quando hanc peregrinus venit in urbem,
Arx quæ naſcentis relligionis erat:
At nunc grandævus multo fractusq; labore
Abſolvit vitæ fata ſuprema ſuæ.
Quando ſenex decies ſeptem & tres vixerat annos,
Jamq; erat ingratum vivere, dulce mori.
Debita ſi capiti eſt unquam reverentia cano,
Ille ſenex certè dignus honore fuit.
Non ſibi divitias, ſibi non quæſivit honores,
Propoſitum, Chriſte, ut te celebraret, erat.
Ore ſtiloq; tuum, Chriſte, illuſtravit honorem,
Detexit Satanæ Pontificumque dolos.
Errorum tenebras quoque te ductore fugavit,
Et Templis cultus reſtituitq; tuos.
Magnaq; ut hoc fieret, ſubiiſſe pericula vitæ
Illum, Saxonici littoris ora probat.
Illud teſtatur patriæ, Pomerania, tellus,
Dania idem meminit rege beata ſuo.
In qua Evangelii naſcentis ſemina primùm
Non parvo ſparſit ſacra labore ſuo.
Quanta animi integritas fuerit, probitasq; fidesq;,
Quantum doctrinæ cum pietate decus:
Illius hoc ſemper poſt fata fatebitur ætas,
Si quis adhuc candor poſteritatis erit.
Oderat ex animo cauſſantes jurgia lites,
Et ſemper pacis mens ſtudioſa fuit.
Ingenii lux recta fuit, verumq; colebat,
Pectore in ipſius non mica fraudis erat.
Juſtitiâ nulli, nulli pietate ſecundus,
Vitaq; non ullâ labe notata fuit.
Non læſit quenquam, non obtrectabat amicis,
Protulit ingenio ſcommata nulla ſuo.
Non illum tenuit dominandi ſæva cupido,
Gloria nec, ſtultis quæ ſolet eſſe comes.
Vir ſapiens, gravis & doctus, caſtusq; piusque,
In quo candoris laus celebranda fuit.
Magnanimus primum Chriſto auxiliante Lutherus
Auſonii fregit vimq; dolumq; lupi.
Contulit hic mox ſe Doctor Pomeranus ad ipſum,
Ut citius cœptum proveheretur opus.
Lux Evangelii eſt terrarum ſparſa per orbem,
Sedulus ut doctos ſcripſit uterq; libros,
Ceu David Jonathan fidum dilexit amicum,
Sic fuit hos inter non ſimulatus amor.
Sedibus æthereis vivunt nunc ambo recepti,
Præmia quisq; ſuo & digna labore capit.

* *Ex Inſcriptionibus Witteb. Andreæ Sennerti.*

Scripſit: *Scripta.*

Explicationem Pſalmorum.

Annotationes in Epiſtolas Pauli ad Galatas, Epheſios, Philippenſes, Coloſſenſes & Theſſalonicenſes.

Ad Timotheum, Titum, ad philemonem, ad Hebræos.

Confeſſionem publicam de Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti.

Epiſtolam ad fideles in Anglia.

Epiſtolam contra novum errorem Corporis & Sanguinis Chriſti.

Annotationes in Samuelem, & Johannem.

Hiſtoriam paſſi Chriſti & glorificati.

Hiſto-

Hiſtori/ wie D. Luther in hohen Anfechtungen Geiſtl. und Leibl. in Gottes Willen zu leben und zu ſterben ſich ergeben. *Vid. Tom. 9. Witteb. Germ. op. Lutheri.*

Auslegung deß 29. Pſ. Tom. 12.

Von der Tauff im Hauſe. ib.

* *Ex Melch. Adami Vitis Theol. German.*

Obiit A.C. 1558.

JUSTUS MENIUS.

Fuldæ, oppido in *Buchoniâ*, ad *Franconiæ* fines, natus eſt 13. Dec. A. 1499.

Diſcit Wittebergæ. *Docet Gothæ.*

Wittenbergæ literis Philoſophicis & Theologicis excultus, poſtea multis annis *Gothæ* in *Thuringiâ* Eccleſiæ præfuit, commendatus illius oppidi Senatui à *Melanchthone*.

Lipſiam contendit. *Moritur.*

A. 1557. Poſt nonnullas cum *Flacianis* coràm Principibus habitas diſputationes, *Lipſiam* profugus venit, & ibi diutius anno integro ſacras Conciones habuit, donec mortalitatem exuit 11. Aug. Ann. 1558. ætatis 59.

Monumenta ingenii poſteritati reliquit:

Commentarium in Samuelem.

Libellum Germ. de Exorciſmo, qui in Baptiſmo uſurpatur.

Tractatum de vi repellendâ, ſeu, defenſione neceſſariâ.

Poſt obitum prodierunt *Conciones* ejus *Lipſiæ habitæ*.

Scripta.

Der Wiedertäuffer Lehr und Geheimnüs. *Vid. Tom. 2. Witteb. Script. Germ. Lutheri.*

Von dem Geiſt der Wiedertauffer. ib.

Unterricht/ wie ein jeder Chriſt gegen allerley Lehre/ gut und böſe/ nach Gottes Befehl/ ſich gebührlich halten ſoll. ib.

Filium reliquit *Euſebium*, Profeſſorem Philoſophicum *Wittenbergæ*.

Obiit A.C. 1558.

JOHANNES FABRICIUS.

Norimbergæ natus eſt A. C. 1496.

Factus *Stutgardiæ*, in Ducatu *Würtenbergico*, Eccleſiæ Diaconus A. 1538.

Paſtor Schorndorfenſis. *Concionator Nor. ad S. Laurent.*

Paſtor Eccleſiæ *Schorndorfenſis* A. 1544. *Norimbergæ* in Patriâ *Andreæ Oſiandro*, primo poſt Reformationem ad *D. Laurentium* Concionatori, ſucceſſit A. 1548. Filiis relictis *Andreâ*, *M. Johanne Baptiſtâ*, Eccleſ. *Fürtenſis* Paſtore, & *Davide*, obiit *Norimbergæ* 8. Sept. A. C. 1558. æt. 62. miniſterii 33.

* *Hæc iconi ejus æri inſculptæ videntur ſubſcripta.*

Obiit A.C. 1558.

ADAMUS CRATO,
Fuldenſis.

Ad Lanum Epiſcopus. Profeſſor Theologiæ.

Primus *Haſſiæ*, poſt ritus Eccleſiaſticos à Pontificio fermento repurgatos, Antiſtes, Eccleſiarumq; *Haſſiacarum* ad *Lanum* Epiſcopus, & Profeſſor Theologiæ Marpurgenſis Academiæ primus conſtitutus eſt, homo non doctrinâ ſolùm, verùm & Chriſtianis virtutibus, ac præſertim modeſtiâ, temperantiâ & charitate in pauperes inſignis.

Rectoratum ter geſſit.

Rectoratum ter in Academiâ geſſit, & quidem primum poſt *Johannem Ferrarium Montanum* Anno M. D. XXIX. quo *Philippus*, *Heſſorum* Princeps, Legibus & Privilegiis, ceu ſanctioris cujuſdam neceſſitudinis vinculis arctiſſimis, Academiam aſtrinxit.

Vices Rectoris Reinhardo Lorichio tradidit.

Sed cum ad res Eccleſiaſticas pro muneris ratione inſpiciendas in agrum ad *Lanum* excurrere cogeretur ſæpius, ſecundò Rector deſignatus, vices ſuas *Reinhardo Lorichio tradidit*.

Moritur. *Sepultus juxta cathedram templi cathedralis.* *Elogium.*

Obiit Anno M. D. LIIX. nono Septembris die, quum Eccleſiis *Haſſiacis*, initio reluceſcentis veræ Evangelii doctrinæ, in eadem annuncianda fortem & fidelem prorſus navâſſet operam, atque XI. Sept. die, juxta cathedram templi cathedralis, ſepultus eſt, concionem habente *D. Rodingo*, de quo Paganus:

Vegetii cernens vultum, pie Lector, Adami
Dulce decus verbi, præſidiumq; vides.
Papali pulſo lux hæc fulgebat Adamo,
Cum ſtreperet bellis ruſtica turba novis.
Luxit & Haſſiacas jam plurima luſtra per oras
Nominis ad laudes optime Chriſte, tui,
Æthercam donec placide revocatus ad aulam
Autori ſolvit debita penſa ſuo.
Atque utinam tales felix ferat aura miniſtros,
Æqua quibus verbi cura ſit atque gregis.

* *Ex MSS. Marpurgenſibus.*

Obiit A.C. 1558.

ERHARDUS SNEPFFIUS.

Heilbrunnæ, *Sueviæ* urbe, ad *Neccarum*, natus eſt Patre Conſulari An. 1495. 1. Nov.

Erfordiæ literis dat operam, & Heidelbergæ. *In Juris ſtudio Snepffii peritia.* *Ad Theologicum tranſit ſtudium.* *Subſcribit ſententiæ Lutheri.*

Cum *Erfordiæ* artium & linguarum cognitionem mediocrem comparâſſet, *Heidelbergam* profectus, ibi brevi tantum in Juriſprudentiæ ſtudio profecit, ut cum laude Doctoris honores conſequi potuiſſet. Sed matris cohortationibus victus, Theologiæ ſtudium complexus, cum in eo ſexennium exegiſſet, *Lutheri* ſententiæ ſubſcripſit, & docendi initium *Weinſpergæ* fecit.

Docet Greichgoæ, Guttenbergæ & Wimpinæ.

Indè mox depulſum, *Theodoricus* à *Gemmingen*, nobilis *Suevus*, accerſivit, in cujus ditionis oppidis *Greichgoæ* & *Guttenbergæ* primus Evangelium docuit.

Exacto ibi biennio, *Wimpinam* vocatus, ad officium docendi abiit A. 1522.

Snepffius vocationem à ruſticis ſeditioſis recuſat, & ducit uxorem.

A. 1525. Cum Ruſtici ſeditioſi eum ob facundiam, & quod cœlebs eſſet, concionatorem ſibi dari petiiſſent, reclamantibus civibus, *Snepffius* quoque, ut periculum amoliretur, confeſtim Conjugem ſibi elegit virginem *Margaretham*, *Wurcelmanni* Conſulis ibi filiam, ex quâ filium ſuſcepit *Theodoricum* Theologum, Prof. poſteà Tubingæ, & filiam *Blandinam*, *Jvoni Strigelio*, Medico, elocatam.

Vocatur à Philippo Naſſovio.

A. 1527. A *Philippo*, Comite *Naſſovio*,

Saræpontum evocatus, fidelem ibidem in Evangelii veritate propagandâ navavit operam. Nec multo poſt *Philippus*, *Haſſiæ* Landgravius, in Academiam *Marpurgenſem* A. 1526. à ſe fundatam eum accerſivit, ubi & ordinarium Scholæ Profeſſorem, & Eccleſiæ Paſtorem egit & inter primos Academiæ Proceres Rectoratum geſſit anno 1531. primâ, ac ſecundâ vice 1534. Doctoremq; Theologiæ in hac Academiâ primum renunciavit *Lonicerum*. A. 1529. *Spiræ*, ſequenti verò 1530. *Auguſtæ Vindelicorum*, in *Comitiis* maſculè adverſariis reſtitit.

Marpurgum accerſitus.

Intereſt Conventibus.

A. 1535. Ab *Ulrico* Duce *Wirtenbergico* vocatus, primùm Stutgardiæ Eccleſiam docuit, Eccleſiasque in illo Ducatu reformavit. Deinde

Commigrat Stutgardiam.

An. 1543. *Paulo Conſtantino Phrygioni* 1. Aug. defuncto ſucceſſit, *Tubingæ* non ſolùm Eccleſiæ paſtor, ſed etiam Theologiæ Profeſſor factus.

Dein Tubingam. Theologiæ Profeſſor & Doctor.

9. Febr. Ann. 1544. Ibidem ſolenniter Theologiæ Doctor renunciatus eſt.

A. 1546. In Colloquio *Ratisbonenſi* cum *Brentio* comparuit, partesque *Buceri* acriter defendit.

Intereſt Conventui Ratisbonenſi.

A. 1548. verò cum ob *Interim* loco cedere coactus eſſet, ingens eum civium multitudo cum lachrymis eſt proſecuta. Exul itaque in *Saxoniam* veniens, ab Electore *Johanne Friderico* in Academiâ *Jenenſi* non ita pridem conſtitutâ Theologiæ Profeſſor factus eſt, quod munus per decennium cum laude obivit. Cum interea A. 1549. *Jenæ* ſtatuta facultatis Theol. condidiſſet, quæ poſtea D. *Georgius Mylius* ampliavit A. C. 1591.

Ob Interim pellitur.

Jenæ Profeſſor conſtituitur.

Tandem cum Evangelii doctrinam 34. annis fideliter propagâſſet, morbo fractus, ex his terris in cœleſtem Eccleſiam tranſlatus eſt *Jenæ* 1. Nov. A. 1558. æt. 63.

Moritur.

Facundiâ mirandâ præditus fuit, adeò, ut verba faciens omnium in ſe oculos & animos converterit, auditores quaſi attonitos reddiderit, & plerunque ſatis prolixas habens conciones, auditorium tamen ſine tædio detinuerit.

Scripſit

Scripta.

Confeſſionem Cœnæ Dominicæ de præcipuis Articulis.

Commentarios plures.

* *Ex Melch. Adam. Vitis Theol.*

ObiitA.C. 1559.

ALOYSIUS LIPPOMANUS.

NAtione *Venetus*, ſtirpe nobilis, vitæ genere Eccleſiaſticus, triplicem Epiſcopatum, *Mutinæ* primùm, deindè *Veronæ*, tandemque *Bergami* cum laude & honore adminiſtravit.

Epiſcopus

Multis etiam Legationibus, & imprimis ad Concilium *Tridentinum* obitis, nominis ſibi famam præclaram conciliavit.

Legatus ad Concilium Tridentinum.

Vitam tandem finiit A. C. 1559.

Moritur.

Eruditionis monumenta reliquit:

Scripta.

Catenam in Geneſin ex Latinis & Græcis Auctoribus contextam:

In Exodum.

In Pſalmos.

Vitas Sanctorum.

Sermones Sanctorum totius anni.

Expoſitionem Symboli Apoſtolorum.

Orationis Dominicæ.

Salutationis Angelicæ.

Decem Præceptorum Catalogum.

Conſtitutiones Synodales ſuper Reformatione Cleri.

In Apocalypſin.

Confermazione de i dogmi di tutti i Catolici.

* *Ex Theatro Virorum doctorum Italico Hieronymi Ghilini.*

RUARDUS TAPPERUS.

Obiit A.C. 1559.

ENchuſanus *Batavus*, non de Theologis duntaxat, ſed de Rep. Chriſtianâ meritus optimè.

Lovanii primùm Philoſophicis, dein Theologicis ſtudiis operam poſuit, & *Adrianum Florentium*, (qui poſt ad Pontificatum evectus eſt,) diligenter audivit.

Doctor Theologiæ renunciatus, & Academiæ Cancellarius, & ſummæ ædis Decanus creatus eſt.

Theologiæ Doctor. Cancellarius Academiæ Lovanienſis.

Ad Synodum *Tridentinam* miſſus, apud Concilii Præſides, & univerſos omnium Provinciarum Antiſtites, tanto in honore ac veneratione fuit, ut ſelectus ac honoratior ei locus tribueretur.

Legatus in Concilio Tridentino.

Tandem ætatis, pietatis ac ſapientiæ faſtigium adeptus *Bruxellis*, quò cum *Philippus II. Hiſpaniarum* Rex evocârat, apoplectico correptus morbo vitæ finem impoſuit, & in beatorum ſedes evolavit 2. Martii A. C. 1559. ætatis 71.

Obiit apoplexiâ.

Supremæ ſuæ voluntatis executores conſtituit *Viglium Zuichemum* J. C. & *Jodocum Tiletanum* Theologum.

Bibliothecam Libris multis optimisque inſtructam majori Theologorum Collegio moriens reliquit, ibi hæc honori ejus poſita eſt Inſcriptio:

Inſcriptio Bibliothecæ.

BIBLIOTHECA D. RUARDI TAPPERI AB ENCHUSIA, ARTIUM MAGISTRI, S. THEOL. PROFESSORIS CELEBERRIMI, ECCLESIÆ COLLEGIATÆ D. PETRI LOVANII ANNOS PLUS MINUS XXIV. DECANI, NEC NON ET HUJUS ACADEMIÆ FLORENTISSIMÆ CANCELLARII QUONDAM DIGNISSIMI. QUI UT IN VIVIS VIVA VOCE, ET INCOMPARABILI ERUDITIONE THEOLOGIÆ STUDIOSOS ANNOS XXXIX. INSTRUXIT: ITA MORTUUS IISDEM HAC INSTRUCTISSIMA BIBLIOTHECA RELICTA ETIAMNUM PRODESSE VOLUIT. VIR SANE IMMORTALI PERPETUAQUE MEMORIA DIGNUS, NON DE THEOLOGIS DUNTAXAT, SED DE REPUB. CHRISTIANA MERITUS OPTIME. VIXIT ILLI NON SUIS COMMODIS, SED ECCLESIÆ CHRISTI: CUJUS NOMINE CONTINUIS SE LABORIBUS CONFECIT: MA-

Digitized by Google

malorum odiis, multisque periculis exposuit, seipsum denique curis et molestiis exhausit. Latere siquidem non potuit, quantumcunque dignitates refugerit. Hujus operam atque industriam sæpe Carolus V. Imper. sæpe Hispaniar. Rex Philippus, non nunquam Pontifex ipse requisivit. Hinc repurgandæ ab hæresibus patriæ provincia demandata. In hac quam strenue se gesserit, quamque ei cordi res illa fuerit, testari possunt Ecclesiæ proceres, testabuntur, dum steterit Christiana Religio Expositiones Articulor. Lovaniensium, ut magno cum labore, ita cum singulari laude et omnium exspectatione in lucem editæ. Hic edicto Reginæ Mariæ harum Regionum inferiorum Moderatricis compulsus, Lovanio Tridentum accitus, e Belgis facile primum locum obtinens, Concilium non modo plurimum exornavit, sed et strenue promovit. In quo quantum Fidei Catholicæ atque Orthodoxæ ardorem declararit, noverunt, qui ei adstipulati sunt, sanctissimi doctissimique patres. Tandem ætatis, pietatis ac sapientiæ fastigium adeptus vere Christo, sponsæque ejus Ecclesiæ est immortuus. Nam gravissimorum, quibus Hispaniarum Rex distinebatur, negotiorum causa Bruxellam Lovanio evocatus, frustratus omnium bonorum suspiriis, vitæ ac molestiis finem imponens, misso facto Hispaniar. Rege, lubens in supremi DEI Regis æterni Senatum subvectus est Anno Domini cIↄ Iↄ LIX. Martii II. ætatis vero suæ LXXI. pauperibus omnium bonorum suorum hæredibus institutis.

Corpus *Lovanium* relatum conditumque in Baſilicâ D. Petri hoc Epitaphio laminæ inciſo:

Epitaphium. D. Ruardo Tapper ab Enchusa, Theologiæ Professori celeberrimo, Decano, Cancellario, quod sua incomparabili doctrina auctoritate hunc Chorum ann. XXIV. Scholam XXXIX. docuerit, rexerit, quod supremus *Supremus fidei Inquiſitor.* fidei Inquisitor Patriam Sectis purgare, salutaribus doctrinis etiam Libris ad hoc editis complere studuerit, quod Catholicam Religionem hæresibus vexatam ad Tridentinum Concilium e Belgio primus evocatus constanter defenderit, quod sui temporis Pontificib. Carolo V. Cæs. Philippo Hispaniar. Regi non immerito carissimus fuerit. Memoriæ ergo positum. Obiit Bruxellæ Ann. cIↄ Iↄ LIX. Martii II. ætatis LXXI. Pauperibus omnium bonor. hæredd. institutis. Ejus animæ pacem precemur.

Honorarium.

Defunctus vitæ longique laboribus ævi,
Hac Batavum ſitus eſt ille Ruardus humo:
Quem licèt in ſerâ Parcæ rapuere ſenectâ,
Et vitæ ſaturum ſopiit alta quies;
Lovanium velut immaturo funere raptum
Deflet, & effuſis conqueritur lacrymis:
Ingeniúmque ſagax & amans virtutis & æqui,
Et pectus purum condita ſunt tumulo.
Nunc igitur lugete viri, lugete Juventa,
Quæ pia pandebat dogmata lingua tacet.

Pro funere dixit *Matthæus Galenus Weſtcapellius.*

Scripſit

Expoſitiones Articulorum in Religione controverſor. juſſu Caroli V. Imp. Tom. II. compr. *Scripta.*

Reſponſionem ad Declarationem Articulorum Lovanienſium.

Catechiſmum Chriſtianæ juventuti formandæ.

Corollarium de veris calamitatibus Belgii, cauſis atque remediis.

Quodlibeticam quæſtionem de obligatione humanæ legis in conſcientiâ.

Orationes Theologicas poſt mortem evulgavit *Guilielmus Lindanus*, ejus auditor, qui ejus quoque vitam deſcripſit, in 8.

Fama Tridentinæ Synodi mihi dat quoque famam:
Forſan & hæc potior quam dedit alma ſuis.

Sic de *Ruardo Tappero* ſcribit *Caſp. Cunr. Proſopogr. Melic. mill. 3.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

GARSIAS ARIAS. *Obiit A. C. 1559.*

Beati *Iſidori* cœnobii Monachus *Hiſpanus*, primus in illud *Iſidori* ſodalitium purioris doctrinæ, ut jactabant, ſcintillas intulit, aſſiduis ſuis monitis, & concionibus, ex quibus ingens ille rogus *Hiſpali* accenſus eſt, & cœnobium ipſum ac bona pars Urbis opulentiſſimæ pænè conflagravit. *Purioris doctrinæ author Hiſpali.*

Is raræ eruditionis vir, ſed parùm conſtantis ſibi ingenii, plerumque mutabat, & quæ ſuis perſuaſerat ac præſcripſerat, cum ex eo illis ab Inquiſitoribus periculum creabatur, ipſe acitus in diſputando diſceptator refellebat & evertebat.

His artibus cum multos in errorem inductos manifeſto periculo objeciſſet, ſe verò deteſtando fidei violatæ periculo obligâſſet, à *Johanne Ægidio, Conſtantino Pontio, & Varquio* monitus, quod parùm ſincerè in amicorum, atque adeò idem cum ipſo ſentientium causâ verſaretur; ille, *prævidere ſe*, reſpondit, *brevi fore, ut tauros in ſublime ſpectaculum productos cernere cogeretur:* Inquiſitorium Theatrum hoc ſermone ſignificans.

Ad quæ verba retulit *Conſtantinus: ſi ita Deo placeret, non eum è ſublimi ludos ſpectaturum, ſed ipſum in arenâ futurum.*

Ab Inquiſitoribus ad ignem damnatur.

Nec *Conſtantini* augurio eventus defuit. Nam *Arias* mox poſtulatus eſt, & ſive ſenectute ſuâ audacior, ſive repentinâ mutatione ex meticuloſo, qui hactenus fuerat, jam fortior effectus: inexſpectatâ conſtantiâ Inquiſitorii tribunalis Aſſeſſores verbis acerbisſimis objurgavit, *Aptiores eſſe*, aſſerens, *qui vili agaſonum munere fungerentur, quàm qui fidei, quam turpiter ignorabant, cenſuram impudenter ſibi ſumerent.* Præterea *vehementer dolere ſe teſtabatur, quod veritatem, quam tunc tueri ſe ajebat, ſciens ac volens adversùs pios illius defenſores ſæpè coram ipſis oppugnâſſet, quam pœnitentiam, quàm diu in vivis eſſet, ex animo nunquam deponeret.*

Vivus flammis exuſtus.

Ita in triumphum ductus, & vivus flammis uſtulatus *Conſtantini* augurium firmavit 8. Kal. Octob. A. C. 1559. *Thuan. lib. 23.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

Obiit A.C. 1559.

JOH. BAPTISTA FOLENGIUS.

Monachus religioſus.

Mantuanus, profesſione *Benedictinus*, vir inſigni pietate ac charitate præditus, & moribus ut ſcriptis politisſimus, quæ neminem unquàm legiſſe pœnitebit.

De Eccleſiæ emendatione cogitavit.

Virum optimum de emendatione Eccleſiæ & ſciſſurâ tollendâ ſeriò cogitantem, & *Iſidori Clarii*, Epiſcopi *Fulginatis*, veſtigiis eo in negotio inſiſtentem mors placida in eodem, in quo profeſſus erat, cœnobio ad meliorem vitam tranſtulit *Mantuæ* 3. Non. Octob. A. C. 1559. ætatis 60.

Moritur.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1559.

ERASMUS SARCERIUS.

Natus eſt A.C. 1501. *Annabergæ, Misniæ* oppido, vocato prius Schreckenberg. Patrem habuit è re metallica, in lautâ & benè auctâ parte conſtitutum.

Theologiæ operam dat.

Lipſiæ & *Wittebergæ* Theologiæ operam dedit *Sarcerius*, interq; primos exſtitit, qui Evangelii Doctrinam voce ſcriptisq́, propagârunt.

Ludimoderator.

Lubecæ primùm, deindè *Roſtochii*, *Viennæ Auſtriæ* & *Græciæ* in *Styriâ* Scholas rexit. è *Styriâ* verò *Lubecam* regreſſus, ludo iterum literario præfuit.

Paſtor Eccleſiæ.

Poſtea à *Guilielmo*, Comite *Naſſoviæ*, invitatus, in *Naſſovicâ* ditione ad *Rhenum* Eccleſias rexit ad A. usque 1548. quo dimiſſus *Lipſiæ* ad *D. Thomam* aliquantiſper, poſtea & *Islebiæ* in Comitatu *Mansfeldico* Evangelium docuit.

Wormatiam venit.

Religionis verò causâ 1557. *Wormatiam* cum *Snepffio*, *Victorino Strigello*, *Joh. Stöſſelio*, & *Joachimo Morlino*, ad Colloquium conceſſit, unde mox re infectâ domum venit.

A. 1559. *Islebiâ Magdeburgum* evocatus, ad Eccleſiæ gubernationem ſuſcipiendam abiit, ſed 4. duntaxat ibi concionibus habitis, calculi doloribus confectus, ad Chriſtum migravit. 28. Nov. Ætat. 59. concionem funebrem habente *Joh. Wigando*, quæ & typis ſcripta exſtat.

Moritur.

Edidit:

Scripta.

Corpus Juris Matrimonialis. Vom Urſprung deß Heil. Eheſtands.

De diſciplina Eccleſiaſtica.

* *Ex Melch. Adami Vitis Theolog. Germ.*

Clar. A.C. 1560.

STEPHANUS d' AVILA.

Natione *Hiſpanus*, patriâ *Abulenſis*, in eâ *Hiſpaniæ* Provinciâ, quæ vulgò *Caſtella* vetus dicitur. Societatem Jeſu tenerâ adhùc ætate ingreſſus, poſt abſolutum ſpiritualis tyrocinii tempus, Theologicis literis applicuit animum, & vix diſcipulus eſſe deſiit, cum aliorum Magiſter & Doctor renuntiatus eſt: tunc eruditio ejus ſingularis Præpoſitos movit, ut eum ad *Peruani* Regni incolas olim transmitterent.

Puer Societatem Jeſu ingreſſus.

In Regnum Peru miſſus.

Excepit *America* tantum virum, ut par erat, cùmque tacente ipſo, quantus eſſet, prædicaret fama, Theologiam in Academiâ *Limenſi* profiteri publicè juſſus eſt.

Theologiæ Profeſſor Limenſis.

Credi vix poteſt, quàm plauſibilis omnibus fuerit ejus docendi ratio: admirationi erat acumen ingenii, in indagandis rebus ſolertia, in tradendis exquiſita methodus, in evolvendis auctoribus indefeſſum ſtudium, præſertim in re morali. Hæc ſic eum commendârunt omnibus, ut *Doctor Doctorum* vulgò diceretur. Illum Regni Proceres, tribunalia ſumma, ut abſolutum Theologum, & Utriusque Juris peritum, conſulebant.

Doctor Doctorum vocatus.

Omnes hominum ſtatûs, Civitates & Provinciæ, quod *Avila* dixiſſet, verum & ſecurum; quod reticuiſſet, ſuſpectum & incertum recuſabant.

Reſpondebat doctrinæ, Probitas morum, vir enim fuit incredibili ſui deſpicientiâ, honoris perpetuus contemptor, abjectionis cupidisſimus, quiq;, cum in ore omnium eſſet, ſolus ſeipſum ignorabat.

Obiit poſt illuſtratas ferè omnes 4. Summæ Theologiæ Doctoris Angelici partes, cujus acerrimus ſemper defenſor fuit, daturusque forſan fuiſſet in lucem quamplurima, niſi ſatis immatura mors pios conatûs hominis unà cum vitâ abſtuliſſet.

Reliquit:

Scripta.

Opus de Cenſuris Eccleſiaſticis abſolutum.

Conciones in Evangelia.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societ. Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Clar. A.C. 1560.

BARTHOLOMÆUS BRAVUS.

Natione *Hiſpanus*, patriâ ex oppido *Martin Mumoz*, Diœceſis *Abulenſis*, 18. annos natus in numerum Sociorum Jeſu adſcriptus eſt: vir ad humaniores literas docendas, & pietate pueros informandos

In Societ. Jeſu adſcriptus.

Præſes Collegii Caſtellæ & Philoſ. dos aptiſſimus, ſingulari modeſtiâ & dexteritate Provinciæ *Caſtellæ* ſeminario præfuit, & diſcipulis erudiendis utilem navavit operam.

Scripſit

Scripta.

De conſcribendis epiſtolis.
De arte Rhetoricâ.
De Syntaxi.
De Proſodiâ.
Progymnaſmata.
Theſaurum Ciceronis.
Poëmata varia.

* *Ex Cathalogo Scriptorum Societatis Jeſu P. Petri Ribademiræ.*

Clar. A. C. 1560.

HANNIBAL FIRMANUS.

Societati Jeſu additus.

NAtione *Italus*, patriâ *Fanenſis*, vir jam maturus, inſtitutum Societatis Jeſu ſecutus eſt, & quamvis adverſâ valetudine ſemper conflictatus, aliquorum Collegiorum tamen Rector fuit.

Italicè ſcripſit

Scripta.

De jucunditate animæ opus elegans.
De verâ animi magnitudine ad Urbinatem Ducem.

* *Ex Catalogo Scriptorum Soc. Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Clar. A. C. 1560.

MARTINUS de CORDUBA.

Theologiæ Profeſſor Tholoſæ & Salmanticæ.

DOctrinæ & vitæ honeſtate celebris, primùm in *Galliâ Tholoſanum*, deindè *Salmanticenſe* in *Hiſpaniâ* Gymnaſia, ſummâ auditorum frequentiâ, annis plurimis rexit & gubernavit. Quo tempore cum Epiſcopatu *Pacenſi* cohoneſtaretur, humilitate oblatam renuit dignitatem.

Renuit Epiſcopatum Pacenſem.

Concionibus ad populum habendis ita excelluit, ut, quocunque vellet, facilè auditorum animos impelleret.

Obiit *Valliſoleti* in Sodalium templo conditus.

Ingenii ſui ſpecimina literis conſignata foràs dedit:

Scripta.

Expoſitionem in tria prima capita Geneſeos.
Commentaria in omnes D. Pauli Epiſtolas.
Expoſitionem in Apocalypſin B. Joannis.
Hortum nobilium Virginum Iſabellæ Reginæ.
De laude Virginitatis Lib. religioſis Virginibus dedicatum.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum Auctorum.*

Obiit A. C. 1560.

PETRUS PALLADIUS.

R*Ipis Cimbrorum* natus, cum *Viteberga* degeret, & Theologiæ Candidatus eſſet, literis Regis *Chriſtiani III.* jam inſtaurationem Eccleſiæ meditantis, A. 1535. in patriam revocatus, juſſu & ſumtibus Regiis, nam pauper erat, A. æt. 33. Doctoris Theologiæ titulum ibidem accepit, ut fidelis *Lutheri* diſcipulus, & ſequenti anno 1537. conſtitutus jam Hafniæ Theol. Profeſſor, ſimul *Sedlandiæ* Superintendens primus, ſeu Epiſcopus, ordinatus eſt à *D. Bugenbagio.*

Doctor Theologiæ. *Et Profeſſor Hafniæ.* *Epiſcopus Sedlandiæ.*

Rectoratum Academiæ geſſit A. 1538. quadrimeſtrem, poſtquam à *D. Chriſtiano Morſiano* matriculæ Univerſitatis inſcriptus eſſet eodem anno. Iterum A. 1553. cujus anni Rectoratum ut ſuſciperet, precibus Profeſſorum adactus eſt.

A. 1544. *M. Olaum Chryſoſtomum*, Theologiæ Profeſſorem, *M. Nicolaum Kragium, Germanum*, Concionatorem Regium, & *M. Johannem Synningium*, Theologiæ Profeſſorem, Doctores Theologiæ creavit. *Tres Doctores Theologiæ creavit.*

A. 1545. Reſignavit Univerſitati ſuam Theologicam Profeſſionem & ſtipendium: Profeſſores verò omnes illi gratias egerunt de diligentiâ præſtitâ, voluerúntque, ut Univerſitati in gravibus cauſis auxilio eſſet, & membrum porrò Univerſitatis. *Profeſſionem Theologicam reſignavit.*

A. 1555. in principio Comitiorum, quæ tum habebantur, ſtans in ſuggeſtu, concionemque ad Populum *Hafnienſem* habens, paralyſi tactus eſt in toto ſiniſtro corporis ſui latere. *Hemiplexiâ tactus.*

A. 1559. Coadjutorem in Epiſcopatu accepit *M. Johannem Albertium*, Theologiæ Licentiatum & Profeſſorem.

Virum ſolidioris doctrinæ laude clarum vocat *Pontanus Chorogr. Dan. Deſcript.*

Obiit A. 1560. d. 3. Jan. Sepultus eſt in ſummo choro Templi Academici D. Virginis, lapiſque ſepulcralis hæc legenda exhibet: *Moritur.*

Noſtra Converſatio in cœlis. Philip. 3.

Epitaphium.

PETRUS PALLADIUS RIPENSIS, SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR, ACADEMIÆ HAFNIENSIS PROFESSOR, ET SÆDLANDICARUM ECCLESIARUM SUPERINTENDENS VIGILANTISSIMUS, VIR PIETATE, ERUDITIONE, COMITATE, ET VERA VIRTUTE ORNATISSIMUS, IN INVOCATIONE FILII DEI OBDORMIVIT III. DIE JAN. A. DOM. MDLX. ÆT. LVII.

Scripta:

Scripta.

Parvus Catechiſmus Lutheri Hafn. 1527.
De verâ Invocatione.
Iſagoge ad libros Propheticos & Apoſtolicos edita *Witteberga* ann. 1564. & poſteà à *D. Cramero* in Quæſtiones redacta, & obſervationibus atque additamentis adaucta. Eodem *D. Cramero* reſtauratore, *Iſagoge* illa & *Methodus Concionandi* edita eſt *Witteberga* ann. 1605.
Librorum Moſis explicatio brevis Wittebergæ. ann. 1559.
De Pœnitentiâ & Juſtificatione libellus edit. *Wittebergæ* A. 1559. & poſtea à *D. Joh. Paul. Reſenio Hafniæ* A. 1638.
De novis Hæreſibus, ſeu Swermeriis ſuæ ætatis commonefactio Wittebergæ 1557.
Caſtigatio juramenti & Ebrietatis Haf. 1556.
Narratio de exceſſu Chriſtiani III. Hafniæ ann. 1559.
Brevis ſeu luculenta explicatio Orationis Chriſti Job. 17.

Forma Viſitationis.

De Chriſti Transfiguratione in monte Thabor. Hafn. 1555.

Precationes domeſticæ & Eccleſiaſticæ, Magdeb. 1558.

* *Ex Academiâ Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Pauli f. Vindingio.*

Obiit A.C. 1560.

JOHANNES LASCUS, LASCIUS vel à LASCO.

ILluſtri apud *Polonos* familiâ natus *Johannes Laſcus*, frater fuit *Hieronymi Laſci*, Cæſaris *Ferdinandi* ad *Turcarum* Imperatorem Legati.

Hic autem *Johannes* à puero ad humaniorum literarum ſtudia adhibitus, cum *Tiguro Helvet.* iter in *Galliam* haberet, per *Huldricum Zwinglium* ad ſacrarum literarum lectionem inductus, & abinde religionem Proteſtantium amplexus eſt.

A Zwinglio ad ſacra invitatur.

De hujus ex patriâ diſceſſu ita ſcribit Hiſtoricus *Polonus*: A. 1540. *Johannes à Laſco*, Præpoſitus *Gneſnenſis*, nominatus jam in *Hungariâ* Epiſcopus *Veſprinenſis*, in *Belgium*, indeq; in *Angliam* profectus, uxorem duxit.

Epiſcopus Veſprinenſis.

A. 1542. *Embdam* vocatus, in *Friſiâ Orientali* Eccleſias reformavit, & verbum Dei in Eccleſiâ illâ docuit.

Embdam vocatur.

A. 1544. ab *Alberto*, *Pruſſiæ* Duce, in *Pruſſiam* invitatus eſt: Sed cum Principi Confeſſionem de Cœna Domini miſiſſet, res non ſucceſſit.

A. 1549. in *Angliam* à Rege *Edoardo VI.* vocatus, *Londini* Eccleſiam rexit legibusq; inſtruxit.

In Angliam mittitur.

A. 1553. verò mutatâ ſub *Mariæ* Reginæ Imperio religione, cum bonâ eccleſiæ ſuæ parte in *Daniam* conceſſit, ſed ob diverſam de Cœnâ Domini ſententiam, nec ibi urbibus *Saxoniæ* maritimis admiſſus, tandem *Embdam* reverſus, humaniter exceptus eſt ab *Annâ Oldenburgicâ*, Comitis *Friſiæ Orientalis* viduâ.

Embdam redit.

A. 1555. *Francofurtum* ad *Mœnum* conceſſit, ibiq; Eccleſiæ *Belgarum* erigendæ poteſtatem à Senatu impetravit.

Francofurtum venit.

Francofurto ad *Sigismundum*, *Poloniæ* Regem, literas miſit, quibus ſe excuſat ac defendit contra adverſarios.

Tandem in Patriam, à quâ 20. amplius annis abfuit, reverſus, exoſus licet Pontificiis, verbum docuit divinum, Regiq;, ob ingenii dexteritatem, charus fuit, qui in arduis negotiis *Johannis* operâ ſæpe uſus eſt.

In Patriâ docet.

Regi charus.

Cumq; in Comitiis *Warſovienſibus* ab Epiſcopis & Clero rogaretur, ne *Laſcum*, hæreticum, ad Colloquium admitteret, reſpondit: *Fuiſſe illum talem quidem ab Epiſcopis pronuntiatum, ſed non à Regni Senatu, & Laſcum paratum probare, ſe non hæreticum, ſed Catholicum eſſe.*

E Terreno exilio in patriam cœleſtem evocatus eſt A. 1560. 13. Jan.

Moritur.

Edidit:

Scripta.

De Cœnâ Domini librum.

Epiſtolam, continentem ſummam controverſiæ de Cœna Domini.

Confeſſionem de noſtra cum Chriſto Domino communione.

Epiſtolam ad Bremenſis Eccleſiæ Miniſtros.

Contra Mennonem Catabaptiſtarum Principem.

De rectâ Eccleſiarum inſtituendarum ratione Epiſt. III.

Epiſtolam ad Regem Poloniæ Sigismundum.

Purgationem Miniſtrorum in Eccleſiis peregrinis Francofurti.

Reſponſionem ad Joachimi Weſtphali Epiſtolam.

Formam ac rationem totius Eccleſiaſtici Miniſterii Eduardi VI. in peregrinorum maximè Germanorum Eccleſia.

* *Ex Melch. Adami Vitis Theolog. exter.*

Extat, quod *Johanni à Laſco* tribuitur, Melos retrogradum, ad *Carolum Sudermanniæ Ducem*, ſequens:

Ad Carolum Ducem Sudermanniæ.

Melos retrogradum.

Aſpice, nam raro mittit timor arma, nec ipſa
Si ſe mente reget non tegeret Nemeſis.
Me tum animat recte, me dem, & certamina mutem,
Si res una velit utile, vanaq; eris.
Sumere fatali vis ſi vi, lata feremus:
Seu temere regnum emungere re metues.
Ire diu, & timide tete dimitte videri,
Sevo Marte palam tot mala petra movet.
Se ledi feret ira pede, parit ere fideles
Seva pedes animos, omina ſede paves.
Ire ut & ratibus ſi vis ſubit arte tueri
Si repetis jures ſervis ite peris.
Servus ubi vane ſedes è navibus ures;
Seu rata vel agili liga levata rues.
Angere re tua res ſedes ſera utere regna
Sera animo ſubice ſecibus omina Ares.
Irato ne geras unus à rege notari,
Seu leder caute ne tua crede lues.
Angis ad illa coi, (tua cautio callida,) ſigna,
Ære ullo parcas tot ſacra polluere.
Ut ſatis atroci ſolo ſic orta ſit aſtu,
Seu ratio cœca pace coita, rues.
An jures ſero Ruſi furor eſſe ruina?
Telo ſat celer & ſiſtere lecta ſolet.
Et penis inopes jus vi ſeponis ineptè,
Si repares? ubi vi civibus æra, peris.
At ſi re id ullâ ſua laus alludier iſtâ,
Tete pœna malum æmula mane petet
Id ne per atra palam ſedes mala parta rependi,
Jure decet imo fomite cede rui.
At caderet utri vis ſi virtute redacta,
Si utar vi e pactis, ſit cape jura tuis.
Soſpite rege ſine vi ſi venis æger, & ipſos
Enitere i cives ſevicie retine.
Sic ima lux es ita ſatis exul amicis,
Jura viden imo nomine diva rui?
Obruta i reſtaures, ſervat ſeria turbo:
Te nam (an jurares?) ſera ruina manet.

At

Digitized by Google

At cape re deſer ſedes re fœdere pacta,
Omina ſi vere dedere vis animo.
En operam ratibus des, ſed ſubit, arma repone:
Aut aræ ſubige legibus æra tua.
Sana vel ora cave ſi ſeva, Carole, vanas
Res i morte pete perpete petro miſer.
At parere decet, tedet te cedere rapta,
Seu leves animi limina, ſeve lues.
Ingeret ille pedes, à ſede pellite regni:
Sera pares ubi de ſedibus æra pares.
En operata lues, ſedes ſeu lata repone,
Auſa vel è regno congere leva ſua.
Et ſi ſe retro feret utere forte reſiſte,
Te uret, at i ludes, ſedulitate ruet.
Ire vacet at ſe jam Majeſtate caveri,
Si levata feret, ſiſtere fata velis.
At ſemel ora cito vi voti, Carole, meſta,
Seve latro, tacito Gotica torta leves.
Sic i demiſſe patiens ne ita peſſime dicis,
Jure miſer, & vi utere ſi merui.

Obiit A. C. 1560.

PHILIPPUS MELANCHTHON.

Natales Melanchthonis.

NAtus eſt *Brettæ*, *Philippus Melanchthon*, *Palatinatûs inferioris* oppido, 16. Febr. 1497. quod Epigraphe ædium avitarum hodie adhuc his indicat:

DEI PIETATE NATUS EST IN HAC DOMO DOCTISSIMUS DN. PHILIPPUS MELANCHTHON D. XVI. FEBR. A. M. CCCC. XCVII.

Parentes. Patrem habuit *Georgium* Schwartz-Erd / Magiſtrum armorum, apud Principes *Palatinos, Philippum & Rupertum, Maximilianum* item Imperatorem clarum, qui obiit A. 1508. Matrem verò *Barbaram, Joh. Reuteri*, Præfecti *Brettani* filiam, mortuam 1529.

Preceptores. Puer *Philippus* Grammaticam didicit Latinam à *Johanne Hungaro*, Præceptore Domeſtico, qui poſtea, ingraveſcente ætate, verbi Divini concionator factus *Pfortzhemii, March. Badenſis* oppido, obiit An. 1553. Græcam verò in ſcholâ *Hercyniæ portæ* â *Georgio Simlero*, Juris poſteà Profeſſore.

Cumq; in ſcholâ ibidem apud agnatam, *D. Joh. Capnionis* ſororem, per biennium vixiſſet, *Capnio* aliquando, ingenium ipſius admiratus, Bibliorum codice *Philippum* donavit, quem abindè ſecum circumferens diligenter legit.

Bibliorum codice donatur, quem legit.

Heidelbergæ Philoſophiæ operam dat. A. 1509. ætatis ſuæ 12. in Scholam *Heidelbergenſem* miſſus eſt publicam, ubi cum jam connectere didiciſſet verſus, legere cœpit Poëtas, docentemque audivit *Guntherum* Rhetorem, familiariterque cum *Petro Sturmio, Jacobi* fratre, converſatus eſt. *Ludovicus*, Comes *Leoſtenius*, ibidem inſuper liberos ſuos illi erudiendos tradidit.

Baccalaureus. A. 1511. Baccalaureus creatus eſt, Decano *M. Laurentio Kleinkla*, *Heidelbergæ*, convictuque uſus *Pallantis Spangelii* Theol. D.

Triennio autem *Heidelbergæ* exacto, cum interea Rudimenta conſcripſiſſet Linguæ Græcæ, typis poſtea edita, A. 1512. *Tubingam* profectus, ſexennium ibi transegit. *Tubingam venit.*

Audiit ibidem *Braſſicanum* & *Bebelium* Poëtas, *Johannem Stöflerum* Mathematicum, *Franciſcum Stadianum*, Ariſtotelis interpretem; in Theologia verò *D. Lempum*, & in Jure *Simlerum*, quo puer adhuc uſus erat; Nec medicam inſuper neglexit artem, ſed & docentes eam audivit.

Errores tamen ejus ſeculi cùm in ſacris, tùm in profanis & ipſe habuit cum reliquis, quos agnoſcens, *cohorreſco*, inquit, *quando cogito, quomodo ipſe acceſſerim ad ſtatuas in Papatu.* *Errores ſeculi ejusdem.*

Cumque, quod 40. diebus latitarent Plejades, legiſſet, neminem in magnâ frequentiâ fuiſſe, præter unum *Stöflerum*, qui explicare hæc potuiſſet, teſtatur; diu item ignoravit *Ariſtotelis* accommodationes Geometricæ proportionis ad juſtitiam diſtributivam.

Præfuit quoque ibidem aliquandiu Officinæ typographicæ *Anshelmi*, in quâ *Naucleri* opus Hiſtoricum, tunc excuſum, multum emendavit.

Monachum quoq; eodem in loco quendam pro concione, miſſâ Evangeliorum doctrinâ, Ethica *Ariſtotelis* explicantem audiviſſe *Philippum* ſcribunt. *Monachus Ethica Ariſtotelis pro concione explicans.*

A. 1513. 15. Januar. *Tubingæ* Philoſophiæ Magiſter ſive Doctor declaratus, inter 11. Competitores primum tenuit locum, Decano *M. Joh. Kreſs*, Philoſopho. *Philoſophiæ Magiſter.*

Poſt *Virgilium* primùm, & *Terentium*, ob ſummam hominum imperitiam, inſtar orationis proſæ excuſum, dein & *Livium* auditoribus ſuis, (Oratoria enim lectio ibi ei erat demandata,) propoſuit. *Oratores & Poëtas varios explicat.*

Wittebergam dein A. 1518. venit, vocatus ab Electore *Saxoniæ*, *Friderico III.* ex conſilio *Capnionis*, ubi per annos 42. authores tum Græcos tum Latinos, Sacros & Profanos, in omnibus Philoſophiæ partibus publicè explicuit, artiumque liberalium præcepta confuſa antea, methodo perſpicuâ tradidit.

Statim verò ac *Wittebergam* venit, *Luthero* familiariter conjunctus, Anno 1519. cum ipſo *Lipſiam* diſceſſit, qui Diſputationem tum cum *Eccio* habuit, quod primum *Philippi* in controverſiis Theologicis fuit ſpecimen. *Wittebergam venit. Cum Luthero Lipſiam proficiſcitur.*

Explicavit autem anno ſeq. *Epiſtolam ad Romanos*, cumque anno 1521. Theologi *Pariſienſes Lutheri* ſcripta, ſcripto damnâſſent, *Melanchthon* aliud oppoſuit, *Apologiam* ſc. *pro Luthero*.

Prodiit item tum *Philippi* liber ſcriptus titulo *Didymi Faventini*, quo reſpondit *Thomæ Placentino* i. e. *Emſero*. Item: *Reſponſio* ad *inſtructionem ex aulâ Saxonicâ*, & *propoſitiones de Miſſa ac vero uſu Cœnæ Dominicæ*; *Loci communes*, ſive *Hypotheſes Theologicæ*, *Epitome renovatæ Doctrinæ Eccleſiaſticæ*; *Quid intermundi & Chriſti juſtitiam interſit*; *Præfatio in Thren. Jeremiæ*, in *Pſalterium Pomerani*: vertitque Latinè *Proverbia Sa-* *Libros conſcribit varios.*

Salomonis; refutavit item *Articulos ruſticorum*.

Noribergam venit.

A. 1526. *Noribergam*, à Senatu vocatus, venit, & in Scholâ, tum recenter conſtitutâ, inauguralem habuit orationem, docentibus in eâ, cum *Melanchthone*, *Eobano Heſſo*, *Michaële Rotingo*: *Joachimo Camerario*, & *Johanne Schonero*, Mathematico.

Viſitationes Eccleſiarum Saxonicarum. Summam Doctrinæ ſcribit.

A. 1527. Præfectus eſt, cum aliis, primæ viſitationi Eccleſiarum in ditionibus *Johannis*, *Saxoniæ* Electoris, quæ res occaſionem ipſi tum præbuit edendi *Doctrinæ ſummam*, ut ſcirent docentes, quid ſequendum eſſet, neve diverſa & diſſentanea ab illis traderentur.

Venit ad Comitia, & Colloquium Spirenſe.

A. 1529. Cum Electore *Johanne* ad Conventum venit *Spirenſem*, cum antea poſtremùm vidiſſet matrem ſuam *Melanchthon*, à quâ interrogatus, *quid ſibi in ejusmodi controverſiis credendum?* reſpondit: *ut pergeret hoc credere & orare, quod credidiſſet & oraſſet hactenus, nec pateretur ſe turbari conflictibus Diſputationum*: edidit inſuper tum *Patrum de Cœna Domini ſententias* à ſe collectas.

Et Marpurgenſe.

Paulò pòſt ad Colloquium *Marpurgenſe* inter Theol. *Saxon.* & *Helvet.* inſtitutum venit.

Auguſtanam exhibet Confeſſionem Carolo V.

A. ſeq. 1530. In Comitiis *Auguſtæ Vindelicorum* habitis, cum, ex voluntate antea Principum Proteſtantium, *ſumma* quædam *doctrinæ* eſſet conſcripta, (*Confeſſio* vocata hinc *Auguſtana*,) oblata eſt hæc Imperatori *Carolo V.* 25. Junii, cumque prolatum & recitatum eſſet reſponſum quoddam coram Imperatore, quo confeſſio illa refelleretur, ejus autem exemplum haberi non poſſet, *Apologiam Melanchthon* ſcripſit ex præcipuis, inter prælegendû, exceptis capitibus.

Adverſarios compellit.

Non dubitavit autem hoc in loco quoscunque etiam adverſarios accedere, & quid de rebus controverſis ſentirent cognoſcere, quod ejus factum variis fuit obnoxium judiciis, præſertim cum Epiſcopis ſuam poteſtatem, modò & ipſi Evangelio locum, auctore tamen *Luthero*, reliquiſſet. Poſtridiè verò cum, ut dictum, oblata eſſet Proteſtantium Confeſſio, in συνέδριον vocatus, intrepidè ingreſſus eſt. Tum interrogatus, *num cedere vellet?* reſpondit: *Cedere non poſſumus, nec veritatem deſerere*: *Oramus autem propter Deum & Chriſtum, ut nobis Adverſarii concedant, quæ bonâ cum conſcientiâ relinquere non poſſumus*: *Deo & cauſam & nos committimus. Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

Egregium Melanchthonis dictum.

A. 1535. Expetitus eſt ab *Angliæ* Rege, *Henrico VIII.* quam modeſtè recuſavit vocationem.

De ſcalis labitur.

A. 1536. Cum in viſitandis amicis, valetudinis causâ, occupatus eſſet, de ſcalis lapſus, os ſacrum dorſi graviter afflixit, feliciter tamen, cum cruciatus pertuliſſet graviſſimos, reſtitutus fuit.

Francofurt de defenſione librum ſcribit.

An. 1539. Cum Proteſtantes Principes *Francofurti ad Mœnum* conveniſſent, juſſus eſt *Melanchthon* Principem ſuum ſequi, ubi ſcriptum de legitimâ defenſione compoſuit.

In Conventu Smalcaldico ſcribit reſponſum.

A. 1540. Cum ad Conventum miſſus eſſet *Hagenoam*, in via *Vinariæ* morbo decubuit lethali, à quo operâ *Georgii Stürciadæ*, Medici celeberrimi, non tam convaluit, quàm revixit, reſponſum verò eodem anno in Conventu *Smalcaldico* ſcripſit nomine Electoris *Saxoniæ* & *Landgrafii Haſſiæ* in negotio Religionis ad Imperatorem *Carolum V.* quod datum eſt Legatis Cæſareis *Theodorico à Manderſcheid* & *Guilielmo de novâ Aquilâ*.

A. 1541. Conventui interfuit *Ratisbonenſi*, cujus fuit exitus, ut negotium totum ad Concilii dijudicationem fuerit rejectum.

Bonnam accerſitus.

A. 1543. *Bonnam* accerſitus ab *Hermanno*, Archiepiſcopo *Colonienſi*, cum *Martino Bucero*, *Argentorato* vocato, in ditione ipſius Reformationem molitus eſt, cumque ibidem contra *Bucerum* nomine quidem, ſed contra omnes Proteſtantes reverà, ſcriptus eſſet plenus conviciorum liber, *Melanchthon* ſcripto, quod unum eſt ex ejus optimis, reſpondit.

Scriptum edit.

Inſpector Eccleſiarum.

Rediit verò ad ſuos Menſe Auguſto, Reformationem Eccleſiæ Eccleſiaſticis nullatenus ferre volentibus.

A. 1545. Eccleſiarum in Epiſcopatu *Merſburgenſi* interfuit inſpectioni.

Serveſtam abit & Vinariam.

A. 1546. verò mortuo *Luthero*, bellisq; tum Theologicis tum civilibus tunc exardeſcentibus, *Serveſtam* abiit *Melanchthon*, breviq; pòſt *Wittebergam* ſe recepit. A. 1547. Capto ad *Mülbergam* Electore *Saxoniæ Joh. Friderico*, & Muſis diſſipatis, *Wittebergâ Vinariam* profectus, & à Conſiliariis aulicis Theol. & Philoſ. Profeſſor Publ. in Gymnaſio novo *Jenæ*, ubi binis anteà vicibus: A. 1527. 1528. & 1535. & 1536. docuerat, quam primùm erigendo deſtinatus, ſpartam hanc initiò accepit, poſteà verò meticuloſus ſub finem anni reſignavit. Natum autem inter ſtudioſos hoc tempore eſt proverbium: *Ubi Philippus, ibi Witteberga*;

Eodem quoque anno, *Mauritio* jam Electore *Saxoniæ*, *Lipſiam* ad primum poſt *Lutheri* obitum Conventum eſt evocatus; *Mauritius* ſcil. ob famoſum Interim anno 1549. octo egit Conventus, quibus omnibus, excepto primo, *Melanchthon* interfuit, ſcripta item omnia, in illis Conventibus exhibita, compoſuit.

A. 1550. Cum *Synodus Oecumenica* eſſet indicta, ex Mandato *Mauricii*, *Melanchthon Synopſin Doctrinæ* conſcripſit *Chriſtianæ*, ſive *repetitionem Confeſſionis Auguſtanæ*.

A. 1552. Ad Concilium abivit *Tridentinum*, verùm *Noribergæ*, ubi publicæ ei ædes fuerunt aſſignatæ, ſubſtitit, incertus, quid faciendum ſibi eſſet? Rediit verò mox, ob Peſtem *Wittebergenſem*, *Torgam*, ubi (Academiâ ſcil. huc tranſlatâ) libellum *de Unione perſonali*, dictavit.

Aluerat *Melanchthon* hactenus in familiâ ſua *Johannem* quendam ad *Neccarum* natum, hominem pium, cujus miniſterio in familiæ gubernatione, & liberorum inſtitutione, 34. annis uſus eſt, cùmque apud ipſum obiiſſet

3. Apr.

3. Apr. hujus anni, Epitaphium ei ſcripſit ſequens:

Johannes patrii Nicri diſceſſit ab undis,
Huc accerſitus voce, Philippe, tua.
Quem comes exilii juvit precibusq; fideq;,
Nam verè Gnato credidit ille Dei.
Ipſius hic Dominus ſepelivit corpus inane;
Vivit, conſpectu mens fruiturq; Dei.

Conventui intereſt Naumburgico.

A. 1554. Conventui interfuit *Naumburgico*, in quo renovatum eſt à Principibus fœdus hæreditarium, quod eſt inter *Saxonicam, Brandeburgicam* & *Haſſiacam* Familiam, edi ditque librum de *Serveto*.

A. 1555. Vocatus eſt *Noribergam Melanchthon*, ubi controverſiam *Oſiandricam* tunc ſedavit.

Ad Quæſtiones Maximiliani reſpondet.

Cum verò A. 1556. *Quæſtiones à Maximiliano undecim* eſſent propoſitæ, *Melanchthon* ad eas *Reſponſiones* ſcripſit & edidit.

Colloquio Wormatienſi intereſt.

A. 1557. Colloquio interfuit *Wormatienſi*, in quo *Melanchthon* postremò cum Pontificiis eſt congreſſus.

Ad *Italum* quendam hoc in loco dixiſſe fertur: *Vos Itali Deum vultis habere in pane, quem non creditis eſſe in cœlis.*

Uxoris Mors.

Interrupto verò hoc Colloquio, *Heidelbergam* evocatus eſt *Melanchthon*, ubi de uxoris chariſſimæ obitu, 11. Octobr. A. 1557. demortuæ, poſtquam cum Marito vixiſſet annos 37. certior à *Joachimo Camerario*, amico ſingulari, factus, reſpondit, *ſeſe brevi ſubſecuturum.*

Fuerat autem cum ipſo nupta hæc nomine *Catharina Crappia*, matrona pia, & erga pauperes admodùm benefica. Ipſo *Catharinæ* die A. 1520. quo auditoribus ſeq. diſticho ſignificavit, ſe non eſſe prælecturum:

A ſtudiis hodie facit ocia grata Philippus:
Nec vobis Pauli dogmata ſacra leget.

Ex qua pater factus eſt *Philippus* duûm filiorum, totidemque filiarum, quarum altera *Sabino*, altera *Peucero* elocata.

Sequens autem uxori deſideratiſſimæ ſcriptum eſt Epitaphium:

Epitaphium Uxoris.

Proximus hic tumulus Catharinæ contegit oſſa,
Quæ Crappo quondam Conſule nata fuit.
Conjugio caſto fuerat quæ nupta Philippo:
Ex ſcriptis cujus nomina nota manent.
Virtutes habuit donatas Numine Chriſti;
Matronæ Paulus quas docet eſſe decus.
Hic abſente viro ſepelivit filia corpus,
Vivit, conſpectu mens fruiturq; Dei.

Ultima Oratio & Epiſtola.

Vixit dein ad finem usque vitæ, tum in Schola juventutem erudiens, tum ſcripta elaborans, ut *Chronicon, Epiſtolam ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, Orationem* item *ultimam de verbis Davidis: Aſpicis me in forma hominis, qui in excelſis es Jehovah Deus*; *ultimam* item *Epiſtolam ad Joh. Aurifabrum.*

Moritur.

Colicis verò & Hypochondriacis doloribus tandem fractus, placidè obdormivit *Witteberga* 19. April. A. 1560. ætatis 63. hoc diſticho expreſſo:

PVbLICa res, VIrtVtIs honos, eCCLesIa
VIVaX
LVget In InterItV, Magne PhILIppe
tVo.

Seq. 21. April. Exuviæ ipſius primùm in ſandapilam plumbeam, deindè ligneam incluſæ ad ſepulturam delatæ ſunt, frequentiâ tum ſtudioſorum tum civium maximâ.

Concionem funebrem in templo Parochiali habuit *D. Paulus Eberus*, inde funus in Templum ad arcem *Wittebergæ* delatum eſt, & propè corpus *Lutheri* ſepultum; ubi ante ſepulchrum Oratione Latinâ Defunctum laudavit *Vitus Ortbelius, Winsbemius*, Med. D. & Græc. Linguæ Profeſſor.

Epitaphium unà cum effigie ejus è regione *Lutheri*, laminæ æneæ inſcriptum, eſt ejusmodi:

Epitaphium.

Vitam, fortunasq; ſuas, ſtudiúmq; laboris,
Quiq; operæ ſanctam conſiliiq; fidem
Impendit divina tuis, Eccleſia, rebus,
Seq; pius variâ juvit & auxit ope:
Hac in parte ſibi poſt mortem ſtructa Melanchthon
Communi in luctu buſta Philippus habet.
Quæ templi foribus magni vicina Lutheri,
E regione ſolum, quod tegit oſſa, videt.
Bretta hunc vitales natum produxit in oras,
Bretta Palatini limes amœnus agri.
Unde propinqua petens adiit bonitate ſuorum
Diverſo Aonidum templa ſacrata loco.
Ludus enim puerum accepit Phorcenidos urbis;
Eytelbergiaci mox Schola Gymnaſii.
Doctrinæ hinc fecit juvenem alma Tubinga Magiſtrum,
Eximium laudis geſſit ubi ille decus.
Inde triumphator Monachorum Capnio juſſit
Albidos hunc ripam viſere Saxonici.
Tunc nova Dux Fridericus ubi collegia Muſis
Romani fundans enſifer Imperii,
Undique conductis præſtanti laude parabat
Artis & ingenii reddere clara viris.
Hic ſocio ipſo annis viginti octoq; Lutheri
Wittembergiacæ res fuit ampla Scholæ.
Quam ſeptem bis adhuc provexit deindè gubernans,
Fluctivagam ut vaſtum per mare nauta ratem.
Has tempeſtates, quas hic perpeſſus, & ad quam
Sævos hæc ſcopulos acta carina fuit!
Quantum externi odii, quantum invidiæque ſuorum
Ingratorum hominum, quæ maledicta tulit!
Ipſe tamen, quamvis reſtantibus undique ventis,
Directum eſt, retinens vera, ſecutus iter.
Fortia nec clamor latrantis pectora turbæ,
Nec vulgus ſtrepitu movit inane ſuo.
Summa petit livor. Nemo hunc ſuperare niſi ipſe
Poſſet, ſi ſtudiis otia ſuppeterent.

Iſta ſub obliquo nôrunt quoque ſole locati,
Quique ſub oppoſito forſitan axe jacent.
Scripta ſed illius memorabilia inter & acta
Plurima, quæ ſolidæ nomina laudis habent:
Unum opus eximium eſt, Fidei confeſſio ſanctæ,
Ante tuos, Cæſar Carole, lecta pedes.
Languida qua Chriſti jam dudum Eccleſia nitens,
Rurſum oculos audet tollere læta ſuos.
Concurrant inimici omnes licet undique; hic unus
Confutare poteſt improba dicta liber.
Ac tua nunc terris floret bona fama, Philippe,
Vivit & æternam Spiritus ante Deum.
Corpus at exanimum tumulo hoc requieſcit humatum,
Condecorant gratæ quem monumenta ſcholæ:
Ille quod expletis, ſenio curisque gravatum,
Sexaginta annis, exuit atque tribus.
Sic, morbo ut paucis niſi debilitante diebus
Muneris officium fecerit omne ſui.
Atque olim æthereas venies revocatus in auras
Integer, & mortis liber abindè metu.
Sancte vir, & ſalve pater optime, Te tua ſemper
Nos ſoboles meritâ relligione colet.
Doctrinæ nobis veræ tu Doctor & Author:
Hæc tua, clare, ætas munera laudis habet.
Salve iterum atque iterum. Tua nos immota manebit
Semper apud memores gloria, nomen, honos.
Acad. Witteb. Phil. Mel. parenti & præcept. optimè merito poſ. Joach. Cam. S. S. M. F.

Epitaphium initio ipſi ſcriptum in laminâ æneâ, eſt ſequens:

PHILIPPO MELANCHTHONI SACRARUM LITERARUM SOLERTISS. ET FIDELISS. EXPLICATORI, VERITATIS COELESTIS PATRONO, ET PROPUGNATORI INPRIMIS STRENUO. OPT. DISCIPLINARUM ET ARTIUM CUM INSTAURATORI, TUM CONSERVATORI: QUI OMNEM DOCTRINAM QUASI VAGAM, AC DISSIPATAM COLLEGIT, ET AD CERTAM RATIONEM REVOCAVIT: VIRO PIETATE, STUDIO PURÆ, CASTÆQUE RELIGIONIS, SAPIENTIA, VIRTUTE, HUMANITATE, BENIGNITATE ERGA OMNES PRÆSTANTI, FELICITER ET SANCTE IN TERRIS MORTUO XIII. CAL. MAJI. C. V. ANNO LXIII. M. II. D. II. H. I. ACADEM. WITTEBER. CUI ILLE TOTIS ANNIS XLII. OPERAM NAVASSET H. M. P. C.

Epitaphium hoc (ut ſupra monuimus) ad ſiniſtram januæ majoris muro ſeptentrionali eſt affixum. Eſtque lamina ænea cœrulei coloris, parergis columnis ligneis inauratisque incluſa. Addita eidem ſunt ſuperiori quidem parte ſerpens in cruce pendens, quo *Philippus* pro inſigni uſus eſt: In inferiori verò parte, arma *Melanchthonis* gentilitia, patri ſuo à *Maximiliano I.* Imperatore data, Leo ſcilicet, qui in clypeo atri coloris, & galeâ coronæ aureæ ſedens, capite diadema, dextro verò pede malleum, ſiniſtro forficem tenet.

A dextris adſcriptum legitur:

NATUS EST DOMINUS PHILIPPUS MELANCHTHON ANNO CHRISTI M. CCCC XCVII. MENSIS FEBR. DIE XVI. POST VI. HOR. VESPERT. IN OPPIDO PALATINATUS BRETTA.

A ſiniſtris verò:

MORTUUS EST D. PHILIPPUS MELANCHTHON ANNO CHRISTI M. D. LX. MENSIS APRILIS DIE XIX. DODRANTE HORÆ POST VI. VESPERTINAM WITEBERGÆ.

Humi in ære:

PHILIPPI MELANCHTHONIS S. V. CORPUS H. L. S. QUI ANNO CHRISTI M. D. LX. XIII. CALEND. MAJI IN HAC URBE M. O. C. V. ANNO LXIII. M. II. D. II.

Cœterum viro hoc celeberrimo *Lutherus* ſocium fideliorem tutioremque tum in Bibliis transferendis, tum in diffundendo Evangelii lumine habuit neminem: *Lutherus* enim vehementior erat & aſperior, *Melanchthon* autem lenior, & in omnibus moderatior; ille animoſior, hic timidior; ille voce & oratione, hic ſcriptis & ratione; ille concionando, hic in Scholis docendo multum potuit: Ille adverſarios contemnendo, hic cum iisdem diſputando nomen ſibi peperit: Ille Theologiâ, ut Dominâ, contentus, hic eandem Philoſophiâ, ut famulâ, ornatam petiit, quocirca hic apud omnes, ille apud eos, qui Religionis zelo ardebant, laudem conſecutus eſt ſummam. *Elogium Melanchthonis.*

Tanta inſuper Miniſtrorum Eccleſiæ & Ludimagiſtrorum multitudo ex unâ *Melanchthonis* Scholâ progreſſa eſt, ut ampliſſima *Germania* eorum ſat multos paſſim habuerit.

Nunquam affectavit titulos, nunquam honores ambiit, aut opes, imò negligentiuſculè aliquibus viſus eſt rem curare domeſticam; *Epiſtolam ad Romanos* ſæpè dixit *Confeſſionem eſſe Eccleſiarum Proteſtantium.*

Breviter *Eraſmus Roterodamus* tria *Melanchthoni* tribuit encomia: *Inſignem Eruditionem, raram Eloquentiam,* & *fatalem gratiam, ut ne hoſtibus quidem inviſus eſſet.*

Ad mortem ſe maturè paravit, & aliquot ante obitum annis, à poëtâ familiari ſuo petiit, cum *Lipſiæ* eſſet, ut ſibi mortuo Epitaphium ſcriberet breve quidem & ſimplex, atque exempli loco hoc pronunciavit diſtichon:

Iſte brevis tumulus miſeri tenet oſſa Philippi:
Quiqualis fuerit neſcio: talis erat.

Ibi alter: *unum tantùm verbum in tuis verſibus mutare liceat,* & *habebo Epitaphium ſepulchro tuo non indignum:* ut pro *talis,* ſcribatur *magnus.* *Magnus vocatur.*

Staturâ tandem fuit breviore *Melanchthon,* non tamen brevitate notabili, membro- *Proſopographia Melanchthonis.*

brorumque ipſi compoſitio planè elegans, frons explicata, capillus rarior, collum procerum, jugula inſigniter concava, oculi pulchri, & acies horum mirabiliter clara, pectus ſatis amplum, omniumque partium corporis integra atque vera figura, ſenſus omnes acres, vox in principio balba, quam tamen ætas ingraveſcens emendavit, Vires corporis imbecilles & tenues, quas tamen ſobrietate, ac optimo vivendi ordine roboravit, ut maximis etiam laboribus ſufficerent. Veſtitus unum retinebat modum, tunicam enim ſemper geſtabat domi, caputque pilo tegebat lineo. In publico veſte ad pedes cum manicis demiſſa utebatur. Potus ei neceſſarius erat gratus, eſca qualibet ſine faſtidio veſcebatur.

Scripta Latina. Scripta ejus *Latina*, hinc inde *Tomis Lutheri* Witteb. & Jenenſ. inſerta, ſunt ſequentia:

Epiſtola de Lipſiaca diſputatione. Tom. 1. Witteb. & Tomo. 1. Jen.

Defenſio contra Joh. Eckium. Tom. 1. Witteb. & Tom. 1. Jen.

Diſputationes. Tom. I. & II. Witteb.

Apologia pro Luthero. Tom. II. Witteb. & Tom. II. Jen.

Epiſtola ad Theologiæ Studioſos. Tom. III. Witteb.

Explicatio Proverbiorum Salomonis Tom. IV. Witteb.

Enarratio brevis in Eccleſiaſten. ib.

Argumentum in Cantica Canticorum. ib.

Argumentum in Eſaiam. ib.

Argumenta in quatuor priora capita Eſaiæ. ib.

Argumentum in Jeremiam. ib.

In Threnos Jeremiæ. ib.

Commentarius in Danielem. ib.

Enarratio in Prophetam Zachariam. Tom. V. Witteb.

Extant etiam ejus *Declamationes*, *Orationes & Epiſtolæ*.

Scripta Germanica. Scripta *Germanica* itidem hinc indè *Tomis Witteb. Jenenſ. & Isleb.* inſerta, ſunt ſequentia:

Schrifft wider die Artickel der Bauerſchafft. Tom. II. Witteb.

Hiſtori Thomæ Müntzers/deß Anfängers der Thüringiſchen Auffruhr. ib.

Etliche Propoſitiones wider die Lehre der Widertauffer. ib.

Widerlegung etlicher unchriſtlicher Artickel der Widertauffer. ib.

Unterricht wider die Lehre der Widertauffer. ib.

Daß weltliche Obrigkeit den Widertauffern mit leiblicher Straffe zu wehren ſchuldig ſey. ib.

Kurze Summa der Diſputation vom Sacrament zu Marpurg gehalten. Tom. IX. Witteb.

Artickul der Augſpurgiſchen Confeſſion. ib.

Warhafftige Beſchreibung und Bericht deß ganzen Lebens Lutheri. Tom. XII. Witteb.

Deutung deß Pabſt Eſels zu Rom. Tom. II. Jen.

Bedenken/daß man nach Moſe Recht nicht urtheilen noch richten ſolle. Tom. I. Isleb.

Von der Wahl eines neuen Römiſchen Königs/daß dieſelbe zuvor auch gebräuchlich. Tom. II. Isleb.

* *Ex Vitis Melch. Adami Germ. Theolog. & Philoſoph. & aliis.*

DOMINICUS SOTUS.

Obiit A.C. 1560.

SEgoviæ in *Caſtiliâ* veteri, *Hiſpaniæ Tarraconenſis* provinciâ, natus, cum adoleſcens *Pariſiis* ſtudiis bonarum diſciplinarum operam dediſſet, in *Hiſpaniam* reverſus, Religionis *Dominicanæ* Ordinem aſſumpſit in *Burgos*, *Caſtiliæ* Metropoli, & Philoſophiam cum Theologiâ magis excoluit. *Monachus Dominicanus.*

Salamancæ in Univerſitate Theologiam publicè profeſſus & Imp. *Carolo V.* â Confeſſionibus ſacris, ab eodem ad Concilium *Tridentinum* ablegatus eſt loco Generalis *Dominicanorum*. *Theologiæ Profeſſor Salamancæ.*

Epiſcopatum Patriæ ſuæ ab eodem Cæſare *Carolo V.* ſibi oblatum recuſans, ad Lecturam priſtinam *Salamancæ* rediit, & obiit 15. Nov. A. C. 1560. *Epiſcopatum recuſavit.* *Moritur.*

Scripſit & edidit: *Scripta.*

Dialecticæ libros V.

In Porphyrium & Organum Ariſtotelis, & in ejusdem Phyſicam Auſcultationes octo cum Quæſtionibus.

In librum IV. Magiſtri Sententiarum Tomos II.

De Juſtitiâ & Jure Libros X.

De Naturâ & Gratiâ, item de Juſtificatione ad Concilium Tridentinum Lib. III.

De tegendis ſecretis.

Lectiones de Inſtitutione Sacerdotum.

Deliberationem in causâ pauperum.

Apologiam contra Ambroſium Politum, ſeu Catharinum Senenſem.

Tractat. de Juramento & Perjurio.

Comment. in S. Pauli Epiſtolam ad Romanos.

* *Ex Theatro virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

* * *

De eo *Alphonſus Garſias* hoc reliquit judiciū in *Comment. de doctis Hiſp. Viris: Dominicus de Soto, Secobienſis*, unicum ingenuarū artium columen, totius *Hiſpaniæ* conſenſu, cœteris ſtudio & doctrinâ præſtitit Doctoribus, ſi ſuo *Thomâ* & *Ariſtotele* contentus, præclaram illam ad *Romanos Epiſtolam* Commentariis non attigiſſet.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quendſtedt.*

MICHAEL HELDINGUS.

Obiit A.C. 1561.

ALiàs *Sidonius*, aut *Mersburgenſis*, ob cauſas jam dicendas: E *Sueviæ* vico *Enslingen*, obſcuris natus eſt parentibus, ſed qui Catholicæ Religionis ergo in voluntarium ſe dederunt exilium. Eos pius *Parentum exilium.*

Ludimagiſter. imitans filius, *Moguntiam* venit: Ludimagiſtrum in ſummo templo, deinde Parochum, ac una cum *Joh. Fero* Eccleſiaſten diu egit: in ſtudia interim ſtudioſisſime incubuit, in ſacram præſertim Theologiam, cujus ibi Doctor publico ſolennique ritu renunciatus eſt Anno Domini 1543. Suffraganeus ab ipſo Reverendisſimo & Illuſtriſſ. Archiepiſcopo expetitus, titulum *Sidonienſis* geſſit Epiſcopi. *Eccleſiaſtes. Doctor Theologiæ. Epiſcopus Sidonienſis &*

Anno autem 1547. à *Carolo V. Auguſtam*, ut ſibi à concionibus eſſet, vocatus, interfuit illis ſanctionibus, quæ *Interim* vocatæ ſunt, una cum *Julio Phlugio, Johanneq; Islebio*, concinnandis. Poſtea verò, ad *Merſeburgenſem* Epiſcopalem ſedem, Cæſaris ipſius operâ, evectus: ab ejus deniq; fratre *Ferdinando* Imperatore pòſt in *Spirenſi* Camerâ primò Aſſeſſor, tandem verò etiam Præſes & Gubernator ſummus conſtitutus eſt. *Merſeburgenſis. Cameræ Spirenſis Præſes.*

De hoc illud præclarum ſcribunt: Fuiſſe ipſum in egentiores Scholaſticos propenſisſimum, eorumque mendicis ad oſtia cantibus, quodam veluti acroamate vehementer oblectatum: adeò ut jam Epiſcopus, Princeps, ac Præſes, cum in Magnifico amicorum epulo puerum hujusmodi ad januam cantantem audiret, eum ad ſe introduci juſſerit: tumque ad convivas omnes dixerit: *En domini mei! Bonum eſt, adoleſcentulis opitulari talibus; Bona ingenia, bonæq; in his latent indoles. Hujus & ſortis ego quondam fui.* *Beneficentia hujus ſingularis.*

Moritur. E mortali terræ hujus domicilio, ad cœleſte, uti benè ſperandum, demigravit A. C. 1561. aut, ut alii ſcribunt, 62. Extat, quod *Concionum* ipſius *tomo* præfixum, *Cypriani Vomelii* in illum Epitaphium, ex quo hæc:

Epitaphium.

Infima tu Juvenis pueros elementa docebas.
Fræna Scholæ Moguni ſumma moderatus in æde,
Mox verbi præco divini factus ibidem,
Præſulis officium mitra redimitus obibas.
Pòſt paulò Cæſar laudum rumore tuarum
Carolus incenſus, te fecit Epiſcopon eſſe
In Merſburgenſi latè ditione patente.
Quem Ferdinandus frater ſuperare laborans
Imperii Cameræ tibi committebat habenas
Auſpice Juſtitiâ, gravitate fideq; regendas,
Et mox Auſtriacam juſſus concedis in aulam,
Concilia ut Præſes, præſensq; auguſta gubernes,
Pax quibus Europæ conſtat tranquilla ſalusq;.
At tu quæ ſtudiis Germana juventa dicata es,
Hujus ad exemplum caſtis operare Camœnis
Magno animo: nec te rerum penuria tardet,
Ardua cuncta labor ſuperat: ſua præmia nec dum
Virtuti deſunt, famamq; decusq; paranti,
Si quis eam toto ſectetur pectore ſolers.

Scripſit

Scripta.

Tomum Concionum Germanicè.

Catechiſmum.

Canonis Miſſæ paraphraſticam Explicationem cum ceremoniarum declaratione.

Commentarium in Salomonis proverbia German.

De *Miſſa* 15. *Conciones*, quas Latinas reddidit *Surius*.

Unum de Euchariſtia Sermonem.

* *Ex Nicolai Serarii de rebus Moguntinis tractatu.*

JOHANNES STURIO.

Obiit A. C. 1561.

NAtus eſt 13. April. A. C. 1525. *Curiæ Nariſcorum*, ſeu *Voitlandinorum*, zu Hoff/ ut ea urbs Germanis vocatur, ex honeſtis parentibus.

Ingenio ad omne diſciplinæ genus idoneo prædıtus, præter Linguæ Sanctæ Scientiam, & Eccleſiæ doctrinam, tôtius Philoſophiæ cognitionem, ſummumq; in eâ Gradum ſibi comparavit, operum naturæ ſcrutator diligens. Inprimis *Wittenbergenſi* Academiæ & Civitati ſpectata pietas & fides ejus eſt, cum ibi 8. annos continuos in Eccleſiâ docuerit, inferiore quidem & Diaconi loco, ſed nihilominus inſtructus omnibus, quæ in Eccleſiæ miniſtro deſiderantur donis, ut inter primarios, ex judicio *Melanchthonis*, locum tueri facilè potuiſſet. *Philoſ. Magiſter. Diaconus Eccleſiæ Wittenbergenſis.*

Suâ conditione contentus, altiora non affectavit, ſuperiores ſuos omni reverentiâ & ſubmisſione coluit, & vicisſim ab iis dilectus eſt.

Induſtriæ in laboribus perferendis hoc etiam argumentum eſſe poteſt, quod cum in poſtremum morbum incideret, non tam de corporis doloribus ad amicos quereretur, quàm quod Homiliam de verbis Pauli 1. Cor. 4. de miniſterio continuare, & ad diem poſtridianam explicare non poſſet. *Hanc conſtitueram*, dicebat adſtantibus, *docere Theologiam diſcipulos noſtros, quomodo in hoc ſtudio verſari eos oporteret.*

Uxorem habuit *Eſteram*, filiam *Nicolai Medleri*, Theol. Doctoris, qui multas Scholas & Eccleſias in Germaniâ rexit. *Uxor ejus.*

Ophthalmiæ vel oculorum inflammationi frequenter obnoxius, poſtquàm ab eâ convaluiſſet, ſubitò cerebro & corde afflictus eſt, ut natura tandem ſuccumberet, & ex hâc vitâ migraret vir pius, tunc temporis Collegii Philoſophici Decanus, *Wittenbergæ* A. C. 1561. ætatis ſuæ 36. *Philoſ. Decanus obiit.*

Lapidi ſepulchrali in Choro ædis primariæ *Witteberg.* hoc Epitaphium inciſum legitur:

Epitaphium.

Urbe Nariſcorum natus, quæ Curia fertur,
Hîc poſitus tenui Sturio dormit humo.
Ingenium, virtus, pietas, doctrina, fidesq;
Spectata eſt urbi, Leucoreæq; Scholæ.
Doctrinæ vocem ſonuit bis quatuor annos,
In templo ſacras juſſus obire vices.
Hîc fidei ad normam Scripturæ ſenſa referre,
Et rectè potuit verba ſecare Dei.
Nec pia libertas, quam poſcit lingua docentis,
Facundisve aberat lucidus ordo ſonis.
Arte potens variâ, naturæque abdita ſcrutans
Ægrotis medicam ſæpè ferebat opem. *Medicus.*
Integritas, candórque animi, ſtudiumque juvandi
Nota fuêre aliis, nota fuêre ſuis.

Deni-

Digitized by Google

Denique cum Præſes ſtudiorum publicus eſſet,
Sublatum immiti funere Parca tulit.
Sed merita & pietas, quâ Chriſtum hominesque colebat,
Hunc terris faciunt & ſupereſſe polo.
Uxor & liberi F. F. MDLXI.

Edidit

Scripta. *Homilias*, quas *Joh. Schneidewinus J. C.* commendat.

* *Ex vitis Theologorum Wittebergenſium Johannis Bismarci Eccleſiaſt. Ammenslebii.*

Obiit A. C. 1561.

CONRADUS LYCOSTHENES.

Natus eſt *Rubeaci* in *Alſatiâ Superiori* A. 1518. patre *Theobaldo* Wolffhart in patriâ Conſule, Matre *Eliſabethâ*, ſorore *Conradi Pellicani.*

Puer, bonâ indole & rarâ induſtriâ, prima literarum rudimenta maturè imbibit, hæcque adeò avidè, ut An. 1539. ætat. 21. *Heidelbergæ* Philoſophiæ Magiſter creatus eſſet. *Philoſophiæ Magiſter.*

Theologiæ dat operam. Deindè ad Theologiam animum adjecit, eique Hiſtoriarum adjunxit cognitionem, quâ etiam de causâ *Henrico Stoloni*, Concionatori tunc *Heidelbergenſi*, fuit amiciſſimus, quocum etiam An. 1541. *Ratisbonam* ad Theologorum conventum profectus eſt. *Henrico Stoloni charus.*

Reverſus autem *Heidelbergam*, mox conſilia mutavit, Annoque 1542. *Baſileam* cum *Henrico Pantaleone* venit, ſtatimque inter Profeſſores artium locum nactus, Grammaticam & Dialecticam auditoribus tradidit. *Baſileam abit. Profeſſor deſignatur.*

Paſtor ad D. Leonhardi. A. 1545. Ibidem Diaconus ad *D. Leonhardum* factus, Eccleſiam ad exitum usque vitæ fideliter docuit.

A. 1554. ſubitâ paralyſi dextri lateris tactus, linguæ etiam officio ſublato, ratione ſalva, memoriam aliquot diebus amiſit. Priſtinæ tamen valetudini utcunque reſtitutus, ſeptennium ferè pôſt integrâ vixit memoriâ, cumque manus dextra officium non faceret, ſiniſtrâ uſus, libros aliquot abſolvit, *Theatrum* ſc. *vitæ humanæ* per hos & quosdam prægreſſos valetudinariæ ætatis annos commentatus, quod poſt mortem ipſius à privigno *Theodoro Zwingero*, Medico & Philoſopho eximio locupletatum eſt. *Librum* item *prodigiorum à condito mundo, ad ſuam usq; ætatem* deduxit. *Paralyſi corripitur. Siniſtrâ loco dextræ utitur. Theatrum vitæ humanæ orditur.*

Tandem apoplexiâ abreptus eſt A. 1561. ætat. 43. die 25. Martii, ſepultus autem *Baſileæ* ad *D. Leonhardi* tali cum Epigraphe: *Moritur.*

Epitaphium. SISTE GRADUM VIATOR: SI BONUS ES, MORERE VICTURUS: SIN MALUS ES, VIVE MORITURUS, HOCCE CONRADUS EGO LYCOSTHENES RUBEACENSIS, PHILOSOPHIÆ PERENNIS COMPENDIUM ÆT. LUMINUM DATORIS BENIG. PER XLII. VALETUDINARIÆ ÆT. ANN. M. VII. D. VII. SEDULO SERIOQUE COMMENTATUS; IIX. CAL. APRILIS NON IMPROVISO APOPLEXIÆ TURBINE AD CERTAM IMMORTALIT. ANNO EJUSDEM REPAR. MDLXI. PRÆTER VOTUM METUMQUE ABREPTUS, SORTIS LIT. MULTAM SALTEM, SI NON MAGNAM RELIQUI USURAM POSTERIS. QUI POTES MELIORA, DEBES: ATQUE UT PRÆSTES IN REM TUAM, ABI.

Quatuor Lycoſthenes erga ſe Dei prædicavit beneficia:

1. *Quod Chriſtianus natus:*
2. *Quod in literarum ſtudiis educatus:*
3. *Quod ad S. Theol. Profeſſionem vocatus:*
4. *Quod opportunitate Remp. Scriptis ſuis juvandi non eſſet deſtitutus.*

Monumenta ingenii reliquit:

Commentaria in Plinium juniorem de Viris illuſtribus. *Scripta.*

De Rubeacenſium primordiis, incrementis devaſtationibus.

Julii Obſequentis prodigiorum librum reſtitutum & auctum.

De mulierum præclarè dictis & factis.

De priſcis Romanorum legibus.

De ſimilibus factis & eventis.

Calendarium hiſtoricum.

Illuſtrium Virorum apophthegmata.

Similitudinum & parabolarum locos communes.

Virtutum & vitiorum exempla.

Annotationes in Juſtinum, Val. Maximum & Feneſtellam.

Compendium Bibliothecæ Geſnerianæ.

Theatrum vitæ humanæ ut plurimùm congeſſit.

* *Ex Melch. Adami Vitis Theol. German.*

JACOBUS BEURLINUS.

Obiit A. C. 1561.

Dornſtadii, Hercyniæ Sylvæ oppido, natus eſt A. 1520. Domi primis literis imbutus *Tubingam* venit, ubi Theologiæ Doctor renuntiatus, deindè in Profeſſorum Theol. Ordinem cooptatus eſt. *Theologiæ Doctor.*

A. 1551. A Duce *Würtenbergico* cum *Joh. Brentio, Jacobo Heerbrando* & *Valentino Vannio*, Abbate *Maulbrunnenſi, Tridentum* ad Patres Concilii inſtituti miſſus eſt. *Tridentum mittitur.*

Indè reverſus, in *Boruſſiam*, ad componendam controverſiam, in Juſtificationis articulo exortam, juſſu Principis abiit, & alias multas periculoſas profectiones magnâ cum dexteritate obivit. *Et in Boruſſiam.*

Tandem *Tubingenſis* Eccleſiæ Præpoſitus & Univerſitatis Cancellarius electus eſt. *Cancellarius Tubingenſis.*

A. 1561. In *Galliam* ad Colloquium *Poſſiacenſe*, Religionis causâ inſtitutum, juſſu Principis, cum Collegis quibusdam abiit. Ibi dum *Pariſiis* in *Sorbonæ* Collegio Bibliothecam perluſtravit, peſte tum graſſante correptus deceſſit 28. Octobr. An. 1561. æt. 41. *Moritur Pariſiis.*

Fuit ominis loco habitum, quod, ipſis *Stutgardiâ* egredientibus, equus cœteris generoſior ſub curru exanimis concidiſſet.

Chriſtophorus autem Dux *Wirtenbergicus* ejus non tantùm viduæ paternam curam

 ges-

geſſit, ſed & filias, quas reliquit plurimas, viris honeſtis cum honeſtiſſimâ dote omnes elocandas curavit.

Ut autem Academia *Tubingenſis* ſuo Cancellario, in negotio publico defuncto, ſeſe gratam declararet, Epitaphium ei in templo erigendum curavit ejusmodi:

Epitaphium.

CLARISSIMO VIRO JACOBO BEURLINO, DOCTORI THEOLOGO, ECCLESIÆ HUJUS PRÆPOSITO, ET INCLYTÆ UNIVERSITATIS CANCELLARIO, IN LEGATIONE LUTETIÆ PARISIENSI V. CALEND. NOVEMBR. ANNO SALUTIS M D LXI. ÆTATIS VERO SUÆ XLI. MORTUO SENATUS ACADEMIÆ TUBINGENSIS OPTIME MERITO F.F.

Quisquis in hanc oculos defigis & ora figuram,
Sis memor, hoc firmum ſit, quod in orbe nihil.
Sic cecidit quondam Martinus Frechtius arte
Maximus, hic cujus molliter oſſa cubant.
Sic cadit heu fatis æternum vivere dignus,
Beurlinus, noſtræ nomen honorq; ſcholæ.
E patrio inprimis huc qui ſe contulit annis,
*Cui polis * & nomen ſpina dedere ſolo.*
Ingenioq; potens, linguas induſtrius omnes,
Atq; artes hauſit, cum pietate, ſacras:
Donec ad officium templiq; ſcholæq; vocatus,
Præfectusque ſimul ſummo in honore fuit.
Quid grave judicium & ſapientis fulmina linguæ,
Virtutesque viri, donaque mille canam?
Non tantùm populo fuit obſervatus ab omni:
Wirtenbergiaco ſed quoque cura Duci.
Quo mandante abiit per mille pericla Tridentum,
Ut veram aſſereret, quo decet ore, fidem.
Inde Boruſſiacas ſeſe commovit in oras,
Componens litem, quæ fuit orta, gravem.
Tandem etiam fatis, dolor heu! volventibus atris
Adſcitus, Galli ſub regione cadit.
Vir magnus magnâ celebrique ſepultus in urbe,
Pariſiis celſæ ſtant ubi tecta Scholæ.
Ne tamen omne viri nomen ſine honore periret:
Struxerunt patres hæc monumenta Scholæ:
Spiritus in Cœlis à carnis mole ſolutus
Virtutesque Dei, juſtitiamque canit.

* Dornſtatt.

Scripſit

Scripta.

Enarrationem Epiſtolæ Canonicæ Johannis Apoſtoli & Evangeliſtæ.

Librum contra Petrum à Soto.

Orationem de myſteriis incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

* *Ex Melch. Adam. Vitis Germ. Theol.*

Obiit A.C. 1561.

CASPAR SCHWENCKFELDIUS.

OSſingâ *Sileſius* ex nobili familiâ natus eſt A. C. 1490.

Theologus ſingularis A.C. 1524. Librum edidit inſcriptum *Jacobo* Epiſcopo *Uratislavienſi*, quem hortatur, ut puram Evangelii doctrinam amplectatur. Sed eo tempore ſenſit adhùc cum *Luthero*.

Dogmata in Theologiâ ſingularia fovet.

A. 1526. Dogmata ſua contra *Pontificiam* & *Lutheranam* religionem diſſeminare cœpit in *Sileſiâ* primùm, deindè in *Sueviâ* quoque, idque clàm, quod ſcripta ejus edicto Imperii prohibita eſſent.

Argentinæ Lutherum oppugnat.

A. 1527. Relictâ *Sileſiâ*, contulit ſe *Argentinam*, ibique doctrinam *Martini Lutheri* ſcriptis publicis oppugnavit, & de Religione ſuprà 80. libros Germanica lingua divulgavit: Symbolo uſus: *Nil Chriſto triſte recepto.*

Ejus Dogmata.

Statuit, *Chriſtum non habere verum corpus & animam, ut alius homo, ſed habere corpus humanum conjunctum cum DEO, eſſeque hominem Deificatum.*

Negavit humanam Chriſti naturam eſſe creaturam, adeoque Chriſtum ſecundùm humanam naturam naturalem DEI filium eſſe, patrique per omnia æqualem contendit.

Miniſterium Eccleſiæ & Sacramenta non rejecit, ſed media eſſe, per quæ DEUS efficax ſit ad ſalutem & vitam credentibus impertiendam negavit.

Obiit in *Sueviâ* 10. Dec. A.C. 1561. æt. 71. *Moritur.*

Caſp. Cunradus Med. D. in *Proſopograph. Melicæ Millenario I.* hoc ei diſtichon ſcripſit:

Natus Eques pia ſacra colo, ſed voce Jehovæ
Edita, non Verbi voce miniſterii.

* *Ex diverſis authoribus.*

* * *

Caſparus Schwenckfeldius, ab *Oſſing*, nobilis *Sileſius*, cum ſe fidei propagandæ veluti Numine divinitùs deſtinatum cenſeret, *Eutychetis* errores renovans, dogma ſingulare arripuit, undè pro Sacro Verbi Divini Miniſterio Enthuſiaſmum, ac neſcio quem divinum motum ſomniavit. Dogma ejus longè lateque deinde diſſeminatum in *Germaniâ* multos paſſim ex equeſtri & plebejo ordine ſectatores habuit: cœteroquin corporis dignitate ac vitæ ſanctimoniâ vir fuit venerabilis.

Scripta ejus hæc ſunt: *Scripta.*

Confeſſio & ratio præcipuorum Capitum Fidei Chriſtianæ.

Confeſſio & expoſitio agnitionis Chriſti & divinæ ejus Majeſtatis tribus Partibus conſtans.

De divinâ filiatione & gloriâ integri filii Dei Jeſu Chriſti.

De æternâ Dei ſubſtantiâ, & quantùm à creatâ ſubſtantiâ Creaturar. differat.

De libertate fidei, Chriſtianæ doctrinæ, judicii, & conſcientiæ.

Brevis Confeſſio de Chriſto filio Dei, & Sacramento Corporis & Sanguinis Chriſti, additâ proteſtatione contra omnes errores.

Epiſtolarum Volumen primum.

Ratio Vocationis ſuæ ac Doctrinæ.

De Evangelio & ejus abuſu.

Epi-



Digitized by Google

Epiſtola de fide & agnitione S. Trinitatis.
Alia de Juſtificatione peccatoris.
Exhortatio ad veram & ſalvificam Chriſti agnitionem.
De peccato & gratiâ: Adamo & Chriſto.
De pugnâ Chriſtianorum.
Teſtimonia ex Novo Teſtamento de divinâ majeſtate Jeſu Chriſti, & carne ejus.
Epiſtola de ſalvificâ agnitione Chriſti, de duabus in ipſo Naturis, & præcipuè de gloriâ carnis Chriſti.
De remiſſione peccatorum.
Summarium de duplici ſtatu, officio, & agnitione Chriſti, tam in Cruce, quàm in Majeſtate.
Summarium de Chriſtiano Certamine, & de Conſcientiâ.
Catechiſmus de Verbo Crucis & de diſcrimine Verbi, Spiritûs, & literæ.
Theologia Germanica de triplici vitâ hominis, & quænam ſit vera Chriſtiana vita?
De cœleſti Medicinâ Chriſti veri Medici ad ſalutem æternam miſeri perditiq; hominis.
De Chriſtiano homine, illius naturâ & origine.

* *Ex parte IV. Vitarum Virorum doctorum Jani Jacobi Boiſſardi.*

Obiit A. C. 1562.

AUGUSTINUS MARLORATUS.

IN *Lotharingiâ* natus eſt circa A. C. 1506. Anno ætatis octavo, ab agnatis, bonis ipſius inhiantibus, in Clauſtrum Monachorum *Auguſtinianorum* detruſus eſt.

Inde erutus, poſtquam Evangelium *Biturigibus*, *Pictavis*, & *Andegavis* annuntiâſſet, *Lauſannam*, Reipublicæ *Bernenſis* Academiam, venit.

Paſtor Eccleſiæ Viviacenſis. Eccleſiæ deindè *Viviacenſis* ad *Lacum Lemanum* paſtor deſignatus eſt.

Inde *Rotomagum* evocatus, Eccleſiam illam tunc renaſcentem erudiit.

Menſ. Sept. A. 1561. Colloquio *Poſſiaceno* interfuit.

Rotomagenſis. A. ſeq. Exorto in *Galliâ* civili bello, & Urbe *Rotomagenſi* poſt duriſſimam obſidionem oppugnatâ, cum aliis 4. Principibus viris captus, &, inſtinctu *Franciſci Guiſii* ac *Annæ Mommerantii* Coneſtabilis, laqueo ſuffocatus eſt 30. Octob, A. 1562. ætatis 56. *Laqueo ſuffocatus moritur.*

Scripſit

Scripta. *Commentarios in plures S. Scripturæ libros*, ut:

Novi Teſtam. Catholicam expoſitionem Eccleſiaſticam:

Geneſin cum Catholicâ expoſitione Eccleſiaſticâ.

Commentarium in Pſalmos, Cantica, Iſaiam &c.

Theſaurum Propheticæ & Apoſtolicæ doctrinæ in locos communes rerum, dogmatum & Phraſium, ordine alphabetico digeſtum, qui abſolutus prodiit operâ *Guilielmi Feuguerai*.

* *Ex Melch. Adami Vit. Theol. exter.*

PETRUS MARTYR VERMILIUS.

Obiit A. C. 1562.

NAtus eſt *Florentiæ* A. C. 1500. 8. Sept. Patre *Stephano Vermilio*, Matre *Mariâ Fumantinâ*, cujus majores plerique in urbe Magiſtratum geſſerunt. Ab his puero filio unico impoſitum eſt nomen *Martyris*, ex voto, quod fecerunt *Petro Martyri Mediolanenſi* ob fidem ab *Arrianis* occiſo. *Parentes. Martyris nomen unde.*

Mater Linguæ Latinæ perita, in eâdem filium puerum inſtituit, *Terentiiq;ue Comœdias* illi interpretata eſt. *A Matre in linguâ Latinâ inſtituitur.*

A domeſticâ verò Diſciplinâ deductus eſt ad *Marcellum Virgilium*, qui juventutem tum nobilem latinas literas de pulpito magnâ cum laude docebat, Socios tum habuit: *Franciſcum Medicéam*, *Alexandrum Caponium*, *Franciſcum & Raphaëlem Riccios*, & *Petrum Victorium*; Studium verò diſcendi in *Petro* tum adeò fuit ardens, ut nulla unquam moleſtia, nullum audiendi, nullum legendi faſtidium appareret. *Marcellus Virgilius Præceptor Vermilii, Hujusq; ſocii.*

A. 1516. In Collegium *Feſulanum*, quod in antiquæ *Feſularum* urbis ruinis exſtructum, non procul à *Florentiâ* diſtans, ſe conferens, Canonicorum Regularium *D. Auguſtini* ordinem ſuſcepit. Allectus imprimis à Bibliothecâ celebri, à veteribus *Medicæis* maximo collecta ſumtu & Collegio huic inſerta. *Collegium Feſulanum Ord. Auguſt. ingreditur.*

Fratris hujus conſilium ſoror quoq; unica *Felicitas* imitata, ſocia facta eſt earum virginum, quæ Monaſterium *D. Petri Martyris* incolunt.

Factum verò hoc Patri moleſtum ſummè fuit, tum quod familiam *Vermiliam* à filio voluiſſet propagari, tum, quod multos in Eccleſia abuſus reprehendiſſent *Dantes* & *Petrarcha*, & ante paucos annos *Savanarola*, teſtamento hinc bona ſua Xenodochio, quàm Collegio cedere maluit, hac tamen conditione, ut filio, quoad viveret, ſolverentur aurei quinquaginta quotannis. *Teſtamentum patris.*

Vixit in hoc Collegio *Vermilius* per triennium, quo in Sacrarum literarum lectione ſe exercuit ad annum ſcil. 1519. quo *Patavium* miſſus, in Cœnobio *S. Johannis de Verdara* ann. 8. vixit, & ſtudia Philoſophica cum Græcâ linguâ, ſtudio privato, præceptoribus ſc. deſtitutus, diligentiſſimè tractavit. *Patavium mittitur.*

Cum verò ad annum perveniſſet 26. publicè ipſi concionandi munus demandatum eſt, & ob id Doctor ſalutatus, non tantùm in celeberrimis *Italiæ* Urbibus conciones publicè habuit, ſed & in ſuæ familiæ Collegiis Philoſophiam & ſacras literas interpretatus eſt. *Concionandi munus ipſi defertur. Doctor ſalutatur.*

Ipſo verò hoc tempore exercitio concionandi excitatus, diligentius quàm antehac ipſos Theologiæ fontes, ſacras ſcil. literas, perſcrutari cœpit, hincque neceſſariam linguæ ſanctæ cognitionem exiſtimans; *Bononiæ*, ubi Vicarius erat Prioris, nactus præceptorem *Iſaacum Hebræum* Medicum, has ſummo cognoſcendi ardore didicit. *Literas ſacras diligentius legit. Hebræam linguam diſcit.*

Abbas

Abbas Spoletanus.

Abbas poſtea *Spoletanus* factus, Officium id, collapſa inprimis Virginum collegia reſtaurando, hortando & ſeverius caſtigando, Reipublicæque *Spoletanæ* factiones componendo, egregiè adminiſtravit.

Agnoſcit veritatem.

Triennio verò Collegio *Neapolitano S. Petri* ad aram præfectus eſt, comitibus conſiliorum omnium, de quibus in ſeq. *Johanne Valdeſio Hiſpano*, Equite, *Benedicto Cuſano* & *M. Antonio Flamminio*.

Docendi munus Vermilio interdictum.

In eâ urbe cum in patribus multum diuq; verſatus eſſet, hosque ad ipſos fontes contuliſſet, magis magisque in Eccleſiâ abuſus incepit agnoſcere; animum itaque adjecit ad Proteſtantium ſcripta cognoſcenda, atq; nactus *Buceri*, *Zwinglii* & *Eraſmi* ſcripta quædam, multum ſe horum lectione profeciſſe confeſſus eſt, quam verò veram Doctrinam eſſe nôrat, ſtatim aliis quoque annunciavit, ideò cum ab adverſariis ipſi docendi munus fuiſſet interdictum, cauſæ bonitate fretus, ad *Romanum* provocavit *Pontificem*, amicorumque *Reginaldi* ſc. *Poli*, *Petri Bembi*, aliorumque, qui reformationem aliquam Eccleſiæ deſiderabant, ope obtinuit, ut priſtina ſibi docendi libertas concederetur.

Generalis Viſitator Auguſt.

Generalis deindè Viſitator Ordinis ſui declaratus, & demum Prior *Lucenſis*, in eâ urbe Verbum Dei plantavit, ſingulisque Diebus Dominicis concionatus eſt, idque tanto cum fructu, ut intra annum magnus Patritiorum *Lucenſium* numerus ſponte diſceſſerit, & 18. ejus collegii ſocii ad Orthodoxos profecti ſint, inter quos fuêre *Immanuel Tremellius*, *Maximilianus Celſus*, *Martinengus*, Miniſter poſtea Eccleſiæ *Genevenſis*, *Hieronymus Zanchius*, *Paulus Laſicius*.

Fructus concionum Vermilii.

Piſas venit.

Ut itaque varias inſidias effugeret *Vermilius*, *Lucâ* clam diſcedens, *Piſas* adiit, (cum multa jam de Proteſtantium Confeſſione fidei, rationibus etiam & argumentis eorum cognoviſſet,) ubi cum Nobilibus aliquot Cœnam Domini ritu celebravit Chriſtiano, cauſasque ſui diſceſſus, per literas poſt menſem demùm *Reginaldo Polo* tradendas, reddidit.

Sacram Cœnam adminiſtrat.

Florentiam redit.

Florentiam deindè veniens, cum *Bernardino Ochino*, (qui ante *Vermilium* adhuc *Genevam* adiit) conſilia ſui diſceſſûs ex *Italia* contulit; *Tigurum* itaque clam veniens, â *Bullingero*, *Pellicano*, *Gualthero*, Miniſtris ibi Eccleſiæ, humaniter exceptus eſt A. 1542.

Tigurum venit.

Cum verò *Tiguri* nullus docendi vacaret locus, indè diſcedens, & *Baſileam* tranſiens, *Argentinam* venit, ibique quinque annis literas publicè docuit ſacras.

Et Argentinam, ubi ſacra docet.

Et Uxorem ducit.

A. 1546. *Argentinæ* duxit uxorem *Catharinam Dampmartinam*, natione *Italam*, quæ obiit poſtea in *Angliâ* abſque ullâ prole, cum annos 8. cum marito vixiſſet, & juſſu Cardinalis *Reginaldi Poli*, triennio pòſt, è ſepulchro effoſſa, & in locum cœnoſum conjecta eſt, ſub prætextu, quod juxta corpus *S. Fridesvidæ* humata & hæretici uxor fuiſſet: Poſtea tamen hujus oſſa, ſub Reginâ *Eliſabethâ*, fimo eruta honorificè ſepulta ſunt.

In Angliam venit. Oxonii docet.

A. 1547. In *Angliam* cum *Bernardino Ochino* vocatus, *Oxonii* Theologiam docuit ad annum usque 1555. Verùm variæ tum diſputationibus, tum clandeſtinis ipſi ſtructæ ſunt interea inſidiæ â Pontificiis, quorum ingens adhuc *Oxonii* erat numerus, qui apud vulgus eum traduxêre, quod Majorum doctrinam impugnaret, & Altaris Sacramentum profanaret, & poſt diſputationem captivum *Vermilium Londinum* duxerunt. Hiſce autem ſuperatis periculis rediit *Oxonium*, ubi denuò Theologiæ Doctor creatus eſt, legesque ibi *Anglicanæ* Eccleſiæ, juſſu Regis, cum aliis conſcripſit.

Theologiæ Doctor denuò creatur.

Necem evadit.

Ortâ verò brevi pòſt tempeſtate *Marianâ*, religioneque rurſus in Angliâ mutatâ, ad necem cum aliis ferè multis Epiſcopis quæſitus, cuncta tamen (cum à Reginâ jam, quod non privatâ in *Angliam* veniſſet voluntate, ſed ab *Eduardo* Rege vocatus, miſſusque â Republicâ *Argentinenſi* eſſet, dimiſſorias nactus eſſet literas) pericula evaſit naucleri cujusdam, hominis pii, beneficio, qui clam *Vermilium* domi ſuæ 14. diebus detinuit, (amicis intereà & inimicis eum cum reliquis peregrinis aliò migraſſe credentibus) & tutò *Antverpiam* deduxit.

Antverpiam, & inde Argentoratum redit.

A. 1555. *Antverpiæ* curruî ante lucem impoſitus, per regiones ſibi infeſtiſſimas incolumis Divino auxilio *Argentoratum* pervenit magnâ cum amicorum lætitiâ, & Senatûs decreto priſtino docendi muneri reſtitutus eſt.

Tigurum venit.

Cum verò multorum ibi calumniis, quaſi de Domini Cœnâ diverſum ab *Auguſtana Confeſſione* ſentiret, perſtringeretur, M. Jul. 1556. *Tigurum* eò vocatus diſceſſit, ubi civitate à Senatu donatus eſt, & *Conrado Pellicano* ſucceſſit.

Alteram ducit Uxorem.

A. 1558. Duxit *Tiguri* alteram uxorem virginem *Italam*, *Catharinam Merendam*, Religionis ibi causâ viventem, ex quâ filiolum ſuſcepit *Eliperium*, & filiam *Gerodoram*, in infantia mortuos; peperit autem & poſthumam *Mariam*.

Cumque A. 1557. *Genevæ* obiiſſet *Maximilianus Celſus* Comes *Martinenghus* Eccleſiæ paſtor *Italicæ*, eò fuit invitatus *Vermilius*, ut illi ſuccederet, Senatus verò & Miniſtri *Tigurini* vocationem hanc cum ratam non haberent, eorum voluntati paruit, quod & poſteà, cum à Reginâ *Angliæ Eliſabethâ* revocaretur, factum.

Ad Colloquium Poſſiacenſe mittitur.

A. 1561. Menſ. Auguſt. ad Colloquium *Poſſiacenſe*, Senatûs *Tigurini* juſſu, cum *Theodoro Bezâ* profectus eſt, deductus â *Matthæo Coguetio*, Regis *Galliæ* apud *Helvetios* Legato.

Redit Tigurum.

In Colloquio verò hoc, poſt tradita, de componendis Religionis diſſidiis, conſilia, multa contra Cardinalem *Lotharingiæ* egit, cumque poſt diſputationem de præſentiâ Corporis Chriſti in S. Cœnâ, ſe nihil ibi amplius agere poſſe videret, humaniter indè dimiſſus eſt *Tigurum*, ubi morbo Epidemico correptus, ſeptimo morbi die, placidè in Chri-

Ubi moritur. Chriſto Spiritum exhalavit Anni ſeq. 1562. 12. Nov.

Bezæ Epigramma ſequens eſt in *Vermilium:*

Epigramma in eum.

Tuſcia te pepulit, *Germania* & *Anglia* fovit,
Martyr, quem extinctum nunc tegit *Helvetia.*
Dicere quæ ſi vera volent, re & nomine dicent;
Hic fidus Chriſti, (credite!) Martyr erat.
Utque iſtæ taceant, ſatis hoc tua ſcripta loquuntur;
Plus ſatis hoc Italis exprobrat exilium.

Tum ſcripſit, tum edidit:

Ejus Scripta.

Expoſitionem Symboli Apoſtolici.

De Cœna Domini quæſtiones.

Commentarium in priorem Pauli Epiſtolam ad Corinthios.

Comment. in Epiſt. Pauli ad Romanos. Defenſionem Doctrinæ veteris & Apoſtolicæ de ſacroſanctoEucharistiæ Sacramento adverſus Stephani librum, de Cœlibatu, & votis monaſticis.

Defenſionem contra RichardiSmithæi libros.

Commentarium in libr. Judicum.

Dialogum contra Brentii librum de perſonali unione naturarum duarum in Chriſto.

Imperfecta verò reliquit ſeq. Comment. in *Samuelis* & *Regum libros;* in *Geneſin, Exodum* & *Levitic.* in *Prophetas minores*, in *Jeremiæ Lamentationes.*

* *Ex Melch. Adami Vitis Theolog. exter.*

Obiit A.C. 1563.

JOHANNES MARIA VERRATUS.

Monachus Carmelitanus & Concionator.

FErrarienſis, Ordinis *Carmelitani* Religioſus, Orator fuit, Philoſophus, Theologus, & Concionator inſignis, charus Papæ *Paulo III.* ab eoque cum aliis ad Concilium *Tridentinum* deſtinatus, quam tamen commiſſionem ſenio gravis & morbis oppreſſus exequi non potuit.

Bibliothecam inſtituit.

Ferrariæ, in Conventu ſuo, Bibliothecam libris variis refertam ſumptibus ſuis inſtituit, & Sacellum in honorem *S. Jacobi* extruxit; in quo vitâ defunctus ſepeliri voluit, cum hoc Epitaphio:

Epitaphium.

JOHANNES MARIA VERRATUS FERRARIENSIS CARMELITA THEOLOG. POST MULTOS LABORES IN SACRIS SCRIPTURIS INTERPRETANDIS, POPULOQUE CHRISTIANO PUBLICE AC PIIS CONCIONIBUS ERUDIENDO, IMPIORUMQUE DOGMATIBUS CUM SCRIBENDO TUM DICENDO EXPELLENDIS BIBLIOTHECAM, COLLECTIS UNDIQUAQUE OMNIBUS OMNIUM GENERUM AC ORDINUM OPTIMORUM AUTORUM SCRIPTIS, SUO SUMPTU HIS IN ÆDIBUS INSTRUXIT; HOC D. JACOBO SACELLUM EREXIT, HONESTOQUE REDITU PRO STUDIIS EORUM, QUI CARMELIT. FAMILIÆ ADDICTI SUNT, ERUNTQUE, JUVANDIS AUXIT, ET EANDEM MORTALITATIS SUÆ MEMOR HANC URNAM, QUA, CUM FATO FUNCTUS FUERIT, OSSA SUA TEGERENTUR, SIBI VIVENS P. C. OBIIT A. M. D. LXIII.

Opera multa ſcripſit, 6. *Voluminibus* comprehenſa, quibus *Pauli III.* Pont. nomen præfixum. *Scripta.*

In *primo Volumine* continentur:

Diſputationes adversùs Lutheranos.

De Fide, Operibus & Meritis.

De libero Arbitrio.

De Prædeſtinatione.

De Cultu Dei & Sanctorum.

De orando Deum & Sanctos.

De auriculari & Sacramentali Confeſſione.

De Pœnitentiæ Sacramento.

De Eccleſiâ, & ejus autoritate.

De Primatu Petri & Sedis Apoſtolicæ.

De Euchariſtiæ Sacramento.

De Communione ſub utrâque ſpecie.

De Matrimonii Sacramento.

De Purgatorio.

De Indulgentiis.

De Mendicantibus & Concionantibus.

In *II. Volumine:*

De Incarnatione Verbi Domini.

Conſonantia 4. Evangeliſtarum cum his, quæ acta ſunt erga puerum Jeſum, ipſiuſque geſta usque ad Sermonem Domini in monte peractum.

In *III. Volumine:*

Super Sermonem Domini in monte Enarrationes in 15. libros digeſtæ, quæ totam Evangelicam Legem miraculis approbatam complectuntur, contra Lutheranorum dogmata.

In *IV. Volumine:*

Commentaria ſuper Evangeliis ab Adventu Domini usque ad Dominicam Reſurrectionis.

In *V. Volumine:*

Comment. ſuper omnibus Evangeliis à Dom. Reſurrectionis usque ad prim. Dom. Adventûs.

In *VI. Volumine:*

De magnâ univerſalis Eccleſiæ Chriſti autoritate.

De modo vivendi ſecundùm Spiritum, & de Chriſtianâ militiâ adversùs Carnem, Diabolum, & Mundum.

De Juſtificatione.

De Dignitate & excellentiâ Intellectûs & Voluntatis.

De Gratiâ & Libero arbitrio.

De Suffragiis annuis pro legatis Defunctorum.

De duplici Purgatorio in hoc ſeculo, & in futuro.

Commentarii ſuper omnibus Præceptis & Documentis Catonis.

Contra Reſponſiones & Proteſtationes eorum, qui ad Generale Concilium venire contemnunt.

* *Ex Theatro Italico Virorum doctorum Hieronymi Ghilini.*

Digitized by Google

GEORGIUS WICELIUS.

Obiit A.C. 1563.

CIrca A. C. 1521. *Wittenbergam* veniens, Theologiæ ſtudiis operam dedit. Factus poſtea ſeditioſorum in *Thuringiâ* coryphæus, ideoque captus, & ad capitis pœnam damnatus eſt: Sed ad interceſſionem *D. Gregorii Pontani*, Cancellarii *Saxonici*, vitam conſervavit.

Paſtor Eccleſiæ Nimecci. *Wittebergam* poſtea reverſus Paſtor Eccleſiæ in pago vicino *Nimecco* â *D. Luthero* conſtitutus eſt.

A. 1631. Propter doctrinam hæreticam de Divinitate Chriſti, quam unà cum *Campano* impugnavit, juſſu Electoris *Joh. Friderici*, ſuadente *Philippo Melanchthone*, carceri fuit incluſus, nec multò pòſt emiſſus, ex regione Electoris diſcedere juſſus eſt. *Ob hæreſin captivus.*

Lipſiam tunc veniens, â Duce *Saxoniæ Georgio* in clientelam ſuſceptus, & Concionator factus, mox â *Lutheri* fide ad Pontificios defecit, & abinde 34. amplius annis Evangelicos ſcriptis publicis impugnavit, & A. 1534. in librum *Lutheri* de Bonis Operibus acriter invectus eſt. *Lutheranorum hoſtis.*

Poſt obitum Ducis *Georgii*, *Lipſiâ* pulſus, *Moguntiæ* & *Coloniæ* vitæ ſuæ tempus reſiduum, *Lutheranorum* hoſtis acerrimus, exegit, & obiit A. C. 1563. ætatis 62. *Moritur.*

* *Ex Catologo Germ. mille virorum illuſtrium M. Wolfgangi Krügeri Theol. Turnav. Et ex Colloquiis D. Mart. Lutheri cap. 33. de Antichriſto.*

Scripta ab eo ſunt & edita:

Ejus Scripta. *Via Regia, ſive de Controverſis Religionis capitibus conciliandis Sententiæ, juſſu Imp. Ferdinandi I. conſcriptæ.*

Enarrationes Evangeliorum & Epiſtolarum per totum annum, cum Concionibus Quadrageſimalibus.

Annotationes in Biblia Wittenbergenſium.

Enarrationes in Haggæum Prophetam.

Expoſitio 7. Pſalmorum.

Conciones 30.

Prophetici Sermones 100.

Catechiſmus Eccleſiæ.

Onomaſticon Eccleſiæ.

Quæſtiones Catecheticæ.

Von den Begräbnuſſen der Chriſtglaubigen auf den Kirchhof/ wider den neuen und Jüdiſchen Gebrauch der Feld-Begräbnüs/ welches man den Gotts-Acker nennet.

Teſſaratheca, quâ Papam cum Luthero reconciliare ſtuduit.

De bonorum operum ad juſtitiam ſimùl ac ſalutem æternam neceſſitate Libellus.

De verâ Juſtificatione Libellus.

Commentariolus de Arbore bonâ, interceſſione Divorum, & Jejunio.

Syllabarium ſive Comprehenſio locorum ex utroque Teſtamento de bonis Operibus.

De voluntate Chriſtiani hominis.

De Oratione, Jejunio, Eleemoſynâ Libellus.

De moribus veterum hæreticorum.

De Polygamiâ Libri III.

Præconium Evangelicæ gratiæ.

Libellus Precationum.

Divorum ex veteri Teſtamento Hypodeigmata.

Adhortatiuncula ad Congregationem Concilii.

Reſponſio ad Articulos Lutheri de Concilio.

Dialogus de Concilio.

Dialogus de Eccleſiæ ſtatu.

De Dialogorum & Religionis diſſidio Libri III.

Tabulæ Cebetis expoſitio.

De igne purgatorio.

Apologia contra Calumniatores.

Typus Eccleſiæ prioris.

De Euchariſtiâ juxta ſenſum Scripturæ & S. Patrum.

De Eccleſiâ Chriſtianorum contra Juſtum Jonam.

Expoſtulatio cum hoſte Jonâ.

Expoſtulatio verbi Credendi, & quot modis in S. literis accipiatur.

De Pœnitentiâ, Confeſſione, & Poteſtate Clavium Libelli II.

Libellus de Evangelio Mart. Lutheri, & ejus Eccleſiâ.

Rejectio Lutheraniſmi.

Querela Evangelii contempti.

De obdormitione Chriſtianorum.

Conqueſtio de calamitoſo Chriſtianorum Statu.

Gratiarum actiones ob Dei beneficia.

Methodus Concordiæ Eccleſiaſticæ.

Martyrologium Chriſti.

Acta Eislebienſia de Remiſſione peccatorum.

Hagiologium, ſive, de Sanctis Eccleſiæ, Examen Catechiſticum.

De Miſsâ veteris Eccleſiæ ex Johanne Chryſoſtomo.

Diſticha in omnes totius anni Dominicas.

Verſuum aliquot Centuriæ.

PAULUS RHODA.

Obiit A.C. 1563.

QUedlenburgi natus 4. Jan. A. C. 1489. Primus fuit in *Pomeraniâ* Concionator Evangelicus â *D. Martino Luthero* in eam regionem ablegatus, & *Stetini* Superintendens factus. *Superintend. Stetini.*

D. Dan. Cramerus de eo refert, quod dicere ſolitus fuerit, Paſtores Eccleſiarum in pagis tres plerumque ſecum habere dæmones, â quibus preces diſcerent, 1. Pædagogum, 2. Sculterum, 3. Pagi Dominum ipſum.

Obiit *Stetini* 12. Jan. A. C. 1563. æt. 74. *Moritur.*

Juxta ſepulchrum ejus in Templo *S. Nicolai*, & effigiem *D. Lutheri* effigiei vicinum hoc Epigramma legitur ſcriptum:

Quàm bene juncta tibi divi ſtat imago Lutheri,
Paulus qui â Rotâ nomine dictus eras.
Nam quantùm debet Germania clara Luthero,
Tantum equidem debet gens Pomerana tibi.
Quod vacat hæc regio ſectis & fraude Papatûs,
Tale tibi acceptum patria, Paule, refert.

* *Ex Catalogo Germ. mille virorum arte & Marte illuſtrium M. Wolffgangi Krügeri Eccleſ. Turnav. Paſt.*

Caſp.

* * *

Paulus Rhoda B. Lutheri, & *Pommerani* auditor primus *Pommeraniæ* fuit Evangeliſta, quippè quam, *Stetinum* â *Luthero* miſſus, primus â fermento Papiſtico, illato ſincero Dei Verbo, repurgavit, primusque fuit Generalis Superintendens *Pommeraniæ* ulterioris, vir doctiſſ. piiſſimus, animi conſtantis, & eloquii ſingularis, qui non vivâ voce tantùm, ſed & ſcriptis contra Pontificios ſtrenuè decertavit, teſte *Dan. Cramero Hiſt. Eccleſiaſt. Pomeran. Lib. III.*

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

Obiit A.C. 1563.

PETRUS SOTUS.

Multos tulit *Corduba* inſignes viros, variarum artium cognitione, rei etiam militaris præditos: quos inter doctos *Petrus Soto* Theologiâ cœteris præſtitit, ut Concilio *Tridenti* habito interfuerit, ibique, vitam cum morte commutans, â labore quieverit in Domino 20. April. A.C. 1563.

Theol. Obiit in Concilio Trident.

Sunt qui contendant, ſacras eum literas *Salmanticenſi* in Academiâ pomeridianis Scholis interpretatum, ſed nominis affinitate decepti errant: Is enim alter *Ludovicus Soto, Major* cognomento fuit, cujus *in Cantica Canticorum Salom.* exiit *Commentarius* ingens A. 1606. Ille verò *Dillingæ Suevorum* Theologiam docuit unà cum *Martino Olavio Victoriano Cantabro*, qui mox Societati Jeſu ſpontè ſe addixit.

Error nominis.

Scripſit *Petrus*

Ejus Scripta.

Libr. de Sacerdotum inſtitutione.
Chriſtianam inſtitutionem.
Doctrinæ Catholicæ compendium.
Confitendi methodum.
Adversùs Luteranam Confeſſionem Wittenbergenſem.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum Auctorum.*

Obiit A.C. 1563.

RICHARDUS SMITHÆUS.

Worceſtriæ in *Angliâ* natus, Theologiæ Doctor & Profeſſor Regius in Academiâ *Oxonienſi*, ſub Regno *Edoardi VI.* poſt religio[illegible] *Angliâ* mutatam, loco motus, cum Rex ei *Petrum Martyrem* Theologum *Helvetium* ſubſtituiſſet, in *Flandriam* migravit, & *Lovanii* Theol. Profeſſionem obtinuit.

Theol. Profeſſor Oxonii.

Lovanii.

Cum verò non multò pòſt Rex *Edoardus* obiiſſet, eique Regina *Maria*, fidei Catholicæ addicta, unà cum Rege *Hiſp. Philippo II.* marito ſuo in throno Regio ſucceſſiſſet, regreſſus in patriam, hujus Reginæ Confeſſor conſtitutus eſt.

Confeſſor Reginæ Mariæ.

Quinquennio pòſt, cum Regina *Maria* facto functa eſſet, iterum Religione in *Angliâ* mutatâ, voluntarium exilium eligere coactus, alterâ vice *Flandriam* petiit, & â Rege *Hiſp. Philippo II. Duaci* Decanus ad *S. Petrum* factus eſt; cumque eodem tempore Rex Academiam *Duaci* introduxiſſet, primam *Smithæus* in eâ Theologiæ Cathedram obtinuit.

Decanus & Theol. Profeſſor Duaci.

Ibidem mortuus eſt 9. Julii A. C. 1563. ætatis 63. Sepultus fuit in Sacello S. Mariæ ad S. Petrum, cum hoc Epitaphio tabulæ ad Sepulchrum appenſæ inſcripto:

Moritur.

Epitaphium.

RICHARDUS SMITHÆUS ANGLUS THEOLOGIÆ DOCTOR, REGII SACRARUM LITTERARUM PROFESSORIS MUNERE OXONII IN ANGLIA MULTIS JAM ANNIS SUMMA CUM LAUDE FUNCTUS, DUM FIDEI TANDEM CATHOLICÆ CAUSA PATRIA ITERUM EXULAT, AB OPTIMO VEREQUE CATHOLICO PRINCIPE PHILLIPPO HISPANIARUM REGE PRÆPOSITURA COLLEGII D. PETRI DUACENSIS ORNATUR, PUBLICÆQUE IBI INSTITUTÆ SCHOLÆ PROPENSISSIMIS OPTIMORUM CIVIUM STUDIIS PRIMUS SACRAR. LITERARUM PUBLICUS PRÆLECTOR CREATUR. QUO IN MUNERE CUM ANNUM JAM PAULO MINUS FELICISSIME VERSATUS ESSET, PRÆCLARAQUE INGENII MONUMENTA CONTRA GRASSANTES SUI TEMPORIS HÆRESES PUBLICIS MANDATA LITERIS RELIQUISSET, VII. IDUS JULIAS ANNO A PARTU VIRGINEO M D LXIII. ÆTATIS VERO SUÆ LXIII. MAGNO OMNIUM ORDINUM MOERORE FATO CONCESSIT, PUBLICOQUE ELATUS FUNERE HOC VIRGINIS MATRIS SACELLO SEPULTUS EST. CUJUS ANIMÆ, UT DEUS OPT. MAX. PRO SUA CLEMENTIA MISERICORS ESSE VELIT, PIAS CANDIDE LECTOR AD COMMUNEM DOMINUM PRECES FUNDITO, FELIXQUE AGE.

Scripta ejus ſunt:

Ejus Scripta.

Collatio doctrinæ Catholicæ & Proteſtantium.
Diſcuſſio Aſſertionum Kelliſoni de Hierarchiâ Eccleſiaſticâ.
De Baptiſmo Parvulorum.
De Conſiliis Evangelicis & operibus ſupererogationis.
Defenſorium Sacrificii Miſſæ.
Contra libertatem Jejunii.
Aſſertio Sacramenti Altaris Lib. V. compr.
In Apocalypſin.
De veritatibus non ſcriptis, ſeu de ſacris traditionibus.
Diatriba de hominis juſtificatione.
Enarratio ſuccincta de Sacrificio Miſſæ.
De votis Monaſticis contra Petrum Martyrem.
De libero hominis arbitrio.
De cœlibatu Epiſcoporum, & Sacerdotum contra Petrum Martyrem.

Confutatio eorum, quæ Philippus Melanchthon objicit contra Miſſæ ſacrificium.

Contra Thomam Crammerum hæreticum Anglum.

Contra varias Hæreſes Lib. II.

De primatu Romani Pontificis.

Confutatio Locorum communium Phil. Melanchthonis & Mart. Lutheri.

Confutatio hæreticorum, qui ſcripſerunt contra Canonem Miſſæ, & Purgatorium.

De Sacerdotio Chriſti externo, & de ſacris Eccleſiæ Catholicæ Altaribus Lib. II.

De merito mortis Chriſti contra Calvinum.

Retractatio errorum Calvini.

* *Ex Theatro Italico virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A. C. 1563.

WOLFGANGUS MUSCULUS.

Parentes.

NAtus eſt *Duſæ, Lotharingiæ* oppido, *Alſatiæ* finitimo A. 1497. 8. Sept. Obſcuræ & tenuis fortunæ parentibus, Patre ſcil. *Antonio Muſculo* doliario, Matre *Angela Sartoria.*

Puer *Wolfgangus*, è Schola patria ad alias Scholas à patre dimiſſus, *Rappersvillam* in *Alſatia* venit, ubi Scholam frequentavit, indè *Coloniam* & *Seleſtadium* veniens, literis operam dedit, & Poëtarum inprimis lectione delectatus eſt.

Monaſterium ingreditur. Theologiæ operam dat.

Ætatis verò Anno 15. parentes inviſurus, in oppido *Weſtrichæ*, ſub Dominio *Lützelſteinio Monaſterium* cum invitatus prius eſſet ab hujus Præpoſito, ingreſſus & ſacris initiatus eſt, ubi ad S. Theologiam appulit animum; cumq; reliquos eruditione monachos & facundiâ antecelleret, ſtatim illi publicè concionandi munus demandatum eſt, & docuit primùm in Eccleſia *Lixheimenſi*, & aliis tribus ad cœnobii juriſdictionem pertinentibus, *Prauwiller, Flensheim* & *Helgingen*; poſteà verò, cum ejus in Concionibus fervor & eloquentia vicinis innotuiſſet, ad varias Eccleſias docendi gratiâ vocatus eſt.

Lutheri libros veros agnoſcit. *Lutheranus Monachus.*

A. 1518. Cum libros legiſſet Lutheri, non ſolùm cœnobii ſui ſociis, ſed etiam Eccleſiis, in quibus docebat, doctrinam, quam veram eſſe cognôrat, publicè prædicavit, ut vulgò etiam *Lutheranus* diceretur monachus.

Ratione hac pleroſque non ſolùm collegii ſui ſocios lucrifecit, ſed nobiles etiam quoſdam, inter quos fuit *Reinhardus à Rotenburg*, Præfectus arcis *Lützelſteinicæ*, ac tutor Cœnobii ſui, qui ſua illum protectione contra collegii monachos ſeniores, Epiſcopos item *Metenſem* & *Argentoratenſem*, eorumque harpyias tutatus eſt.

Singulare conſtantiæ Muſculi exemplum.

Reinhardus verò comitatus aliquando equitibus aliquot, & alio aſſumto habitu, ad templi fores in pago *Litzheimio* accurrens, *Muſculum* concionantem minitabundus evocavit, qui Epiſcopi *Metenſis* Equites eſſe ratus, ut ſibi priùs concionem finire liceret, oravit: quod cum conceſſiſſent, in docendo tanta cum animi præſentiâ perrexit, ut ne minimum quidem timoris ſignum ederet.

Finitâ concione, populum ad conſtantiam & preces pro ſe fundendas hortatus, intrepidus illos acceſſit, *Reinhardus*, nil amplius diſſimulans, ſe illi aperuit, cumque amplexus, ad eam conſtantiam retinendam hortatus eſt.

Argentinam venit, & uxorem ducit.

Cum verò A. 1527. pericula neque minui, neque Evangelii Profeſſionem eo loco liberam eſſe poſſe cerneret, de relinquendo monachatu communicato cum ſociis collegii conſilio cogitare cœpit, cumque in locum præpoſiti *Werneri* mortui fuiſſet lectus, honorem illum in alium *Briſacium* nomine rejecit, & cum ſibi Virginem *Margaretham Andreæ Barth, Briſacio* Priori cognatam deſpondiſſet, *Argentinam* noctu diſceſſit, ibique nuptias celebravit 27. Decembr. hoſpitio primùm uſus *M. Theobaldi Nigri*, Eccleſiæ ad *D. Petrum* miniſtri.

Textor Muſculus.

Veritate itaque Proteſtantium ulterius agnitâ, cum multis doctis aditum ad functionem aliquam Eccleſiaſticam occluſum videret, ſequens Apoſtoli Pauli exemplum, victum aliquandiu textor opere manuario quæſivit, *Argentinæ* apud textorem quendam Anabaptiſtam 2. menſes laborans. In hoc verò inſtituto ſuo, alieno à priſtinâ vitæ conſuetudine, ſeſe hoc diſticho conſolabatur:

Eſt Deus in cœlo, qui providus omnia curat,
Credentes nusquam deſeruiſſe poteſt.

Eccleſiæ Paſtor.

A Textore verò, homine miram ſanctimoniam ſimulante, qui odiſſe Muſculum ceperat, dimiſſus, *Bucerum* convenit, quocum aliquandiu vixit, quem deſcribendo juvit: Factus deinde Eccleſiæ in pago *Dorlitzheimii* paſtor, exivit aliquando in cœnobium vicinum *S. Johannis* diœceſeos Epiſc. *Argentin.* ut monachum pro concione verba Pauli, ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, explicantem audiret.

Cum verò ille magnâ acerbitate in *Argentinenſes*, tanquam fidei catholicæ deſertores inveheretur, de cathedra deſcendentem Muſculus aggreſſus eſt: *Heus tu nequam*, inquiens, *conſiſte, & nunc me viciſſim audi, oſtendam enim toti huic Eccleſiæ nequitiam tuam.*

Explicat dictum: ſine fide impoſſibile placere Deo.

Conſcenſo deindè ſuggeſtu, eadem Pauli verba populo enarrans, genuinum illorum ſenſum de ſalvificâ in Chriſtum fide explicavit, & *Argentinenſes* nequaquem deſertores, ſed aſſertores fidei hujus eſſe demonſtravit.

Hebraica diſcit.

Cum verò annum in eo pago verbum Dei docuiſſet, in Urbem *Argentinam* revocatus *D. Matthiæ Zellii* Diaconum in ſummo templo per biennium egit, & linguæ Hebr. operam dedit, ut ſacra non ſolùm Biblia, ſed & Rabbinorum obſcuriſſimos commentarios, & Chaldaicos etiam interpretes, perfectè intelligeret; Lexicon inſuper in hac lingua manu ſua ibi conſcripſit elegantiſſimè.

A. 1531.

Digitized by Google

Auguſtæ Vindelicorum docet, & Reformationem incipit. A. 1531. Cum *Auguſtam Vindel.* vocatus eſſet, Evangelium ibi docendo, effecit, ut A. 1534. die Magdalenæ ſacro, Senatus Pontificiam abrogaret concionem, relictis octo tantùm templis Pontificiæ Religioni addictis, quæ & ipſa 17. Januar. A. 1537. Senatûs decreto, Evangelicæ doctrinæ ſunt conſecrata, urbe expulſis ſacrificulis & Monachis.

Tum *Muſculo* eodem anno parochia majoris templi, quod D. Virgini nuncupatum eſt, demandata fuit, in quâ primam concionem habuit 15. Jul. ultimam verò 31. Julii Anni 1547.

In hac verò ſtatione non honores ſolùm, ſed & ſtudia *Muſculi* creverunt: Siquidem *Græca didicit, quæ Latinè vertit.* Græcas tum exactiſſimè didicit literas, Latinèque vertit: *Chryſoſtomi Commentarios in Epiſtolas Pauli ad Romanos, Epheſios, Philippenſes, Coloſſenſes, Theſſalonicenſes*, item *Baſilii Tomum ſecundum, Cyrilli Epiſtolas 39. Apologiam ad Theodoſium Imperatorem*, aliaque plurima.

Addendum & hoc, quod eodem tempore Arabicas etiam literas, absque ullo præceptore, ſummo ingenio & ſtudio perdidicerit.

Conventibus interest. Interfuit quoque interea A. 1536. Conventui *Iſenacenſi*, & A. 1540. & 41. Conventui *Wormatienſi* & *Ratisbonenſi*.

Donawerthæ docet. A. 1544. Cum *Donawerdenſes* Doctrinam Evangelicam amplexi, ab *Auguſtanis* peterent, ut aliquem ex ſuis Theologis ad ſe mitterent, qui Eccleſiam apud ipſos conſtitueret, *Muſculus* Senatûs juſſu, ad eos profectus, primam ibi habuit concionem 28. Dec. & cùm poſtea quadrante anni quotidie ibi docuiſſet, *Auguſtam* reverſus eſt 25. Martii A. 1545.

Ex templo ejicitur. A. 1547. verò, cum templum primarium D. Virginis Cæſari *Carolo V.* eſſet redditum, *Muſculus* verò templo ſuo careret, à prædicandi tamen munere non deſtitit, maximoque ſanè periculo, nihil in docendo remiſit.

Auguſtâ pellitur. A. 1548. 26. Jun. ob Librum Interim dictum migrare *Auguſta Muſculus* eſt coactus, mutatis hinc veſtibus *Tigurum* primùm venit, ibique diebus aliquot apud *Henricum Bullingerum* commoratus, *Baſileam* ad *Job. Herwagium* profectus eſt.

Conſtantiæ docet. Deindè *Conſtantiam* veniens, ibi 5. Auguſti cives pro concione ad conſtantiam hortatus eſt; ſed cum ſequenti die urbs ab *Hiſpanis* Duce *Alphonſo Vive* expugnata fuiſſet, ſuadentibus amicis, *S. Gallum*, & inde *Tigurum* migravit.

Tigurum venit. Cum autem à *Thoma Crammero*, Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, in *Angliam* vocatus eſſet, vocationem hanc varias ob cauſas modeſtè recuſavit.

Bernæ docet. A. 1549. Vocatus eſt *Bernam* ad Eccleſiæ miniſterium, rurſusq; ibi vocationes alias ad *Auguſtanos* A. 1552. libertati priſtinæ reſtitutos, ad *Argentinenſes*, ad Electores *Palatinos*, *Ottonem Henricum*, & *Fridericum* eâ potiſſimùm cauſâ renuit, quod Reipubl. *Bernenſi*, quæ exulè ipſum benignè foverat, ad finem vitæ grato animo inſervire decreverat. Vivendi ibi finem fecit 30. Aug. 1663. cum ſequentibus ſe ad mortem præparâſſet paucis ante obitum conſcriptis verſiculis: *Præparatio ad mortem.*

Nil ſupereſt vitæ, frigus præcordia captat:
Sed tu Chriſte mihi vita perennis ades.
Quid trepidas anima? ad ſedes abitura quietis,
En tibi ductor adeſt Angelus ille tuus.
Linque domum hanc miſeram, nunc in ſua fata ruentem,
Quam tibi fida Dei dextera reſtituet:
Peccaſti? Scio: ſed Chriſtus credentibus in ſe
Peccata expurgat ſanguine cuncta ſuo.
Horribilis mors eſt, fateor! ſed proxima vita eſt
Ad quam te Chriſti gratia certè vocat.
Præſto eſt de Satana, peccato & morte triumphans
Chriſtus: ad hunc igitur, læta alacrisq; migra.

Corpus *Muſculi* verò ad ſepulturam delatum eſt ſequenti die, & in publico cœmiterio conditum, funere frequentiſſimo.

Epitaphium inſculptum eſt parieti ſepulchro imminenti, ejusmodi: *Epitaphium.*

Muſculus hîc ſitus eſt, Doctrinâ clarus & ingens:
Nomen in orbe manet, ſpiritus aſtra tenet.

OBIIT IN DOMINO A. CHR. MDLXIII.
D. III. CAL. SEPT. ÆTAT. SUÆ LXVI.

Libros edidit:

Commentaria in Geneſin, Pſalmos, Matthæum, Johannem & Epiſtolas Pauli. *Scripta.*
Locos Communes.
Explicationem Decalogi.
Contra miſſam Papiſticam conciones aliquot.
Liceat ne homini Chriſtiano Evangelicæ Doctrinæ gnaro Papiſticis ſuperſtitionibus ac falſis cultibus externâ ſocietate communicare, Dialogos V.
De Conſilio Tridentino Dialogos III.
De bello Germanico A. 1546. exorto, Dialogos VI.
De juramento contra Errorem Anabaptiſtarum Dialogum.

* *Ex Melchioris Adami Vitis German. Theol.*

JOHANNES COGLERUS. *Clar. A.C. 1564.*

Superintend. Pomer. *Theologiæ Doctor.* Stetinenſis Paſtor primarius & Superintendens *Pomeraniæ* ulter. *Wittenbergæ* gradum Theologiæ ſupremum adeptus eſt, ſub Decanatu *D. Georgii Majoris* A. 1559. & claruit circa A. C. 1564.

Scripſit

Explicationem Objectionum, quæ in Epiſtolis Dominicalibus occurrere poſſunt. *Scripta.*
Objectiones & Solutiones in Epiſtolam Pauli ad Galatas.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

Obiit A.C. 1564.

ANDREAS GERARDUS HYPERIUS.

Parentes. NAtus eſt *Hyperis*, *Flandriæ* oppido, 16. Maj. A. 1511. Patre *Andrea Gerardo Hyperio* JCto clariſſimo, qui obiit 12. Jun. A. 1525. Matre *Catharinâ Coëts*: ex nobiliſſima patritiorum *Gandavenſium* familiâ. Hi puerum ætatis anno 11. *Jacobo Papæ*,

Præceptor. Poëtæ non incelebri, erudiendum commendârunt.

Lutetiam Pariſiorum venit. A. 1528. *Pariſios* ſtudiorum gratiâ venit, cumq; triennium ibi ſtudiis Philoſophiæ incubuiſſet, ad Theologiam animum appulit, Medicorum quoque ſcholas animi causâ ingreſſus eſt nonnunquam.

A. 1535. *Galliâ* & *Italiâ* perluſtratâ, in patriam reverſus, *Lovanium* perrexit.

Itinera. A. 1537. Cum totam ferè Germaniam peragrâſſet inferiorem, ad viſendam etiam ſuperiorem animum adjecit, eoque anno *Coloniam*, *Marpurgum*, *Erfordiam*, *Lipſiam* & *Wittebergam* acceſſit.

M. verò Auguſto anni dicti in patriam re-

Accuſatur. verſus, accuſatusque apud *Job. Charondiletum* Cancellar. Cæſar. & Archiepiſcopum *Panormitanum*, quod in Germania ſuperiori tunc temporis doctrinæ purioris odio contemta fuiſſet, in *Britanniam* navigavit, ubi

Angliam petit. cum Barone *Carolo Monticio* amicè vixit, hujusque ſumtibus A. 1540. Academias *Cantabrigienſem* & *Oxonienſem* inviſit.

A. 1541. *Marpurgum* regreſſus, cum promulgata aliqua adverſus peregrinos edicta eſſent in *Anglia*, anno ſeq. *Gerardo Noviomago* in Profeſſione Theologicâ ſucceſſit, in quo munere 22. annos verſatus eſt.

Profeſſor Theologiæ Marpurg.

Uxorem ducit. A. 1544. Uxorem duxit *Catharinam Orthiam*, *Ludovici Orthii* quondam Quæſtoris *Marpurgenſis* filiam, *Johannis Happelii* viduam, ex qua filios 6. & filias quatuor ſuſcepit.

Moritur. 1. Febr. 1564. A. ætatis 53. Spiritum Deo reddidit *Marpurgi*. Ubi elatus eſt funere frequentiſſimo, & tumulo juxta *Geldenhaurii Noviomagi* ſepulchrum illatus, addito tali Epitaphio:

Epitaphium. ANNO DOMINI M D LXIV. KAL. FEBRUAR. PIE IN CHRISTO OBIIT CLARISSIMUS VIR D. ANDREAS HYPERIUS THEOLOGIÆ DOCTOR AC PROFESSOR IN HAC SCHOLA CELEBERRIMUS.

Annus emortualis Hyperii eſt hoc diſticho expreſſus:

FLanDrIa qVeM genVIt, HaſſIa noſtra tegIt.

Monumenta ingenii ac doctrinæ ab ipſo elucubrata partim *Philoſophica* ſunt, partim *Theologica*:

Philoſophica ſunt hæc:

Scripta. *De ratione ſtudii Dialectica.*
Rhetorica.
Arithmetica quædam.
Geometrica.
Coſmographica, Optica, Aſtronomica, Phyſica.
In Ethica Ariſtotelis Scholia.
De ſtudioſorum vita & moribus.

Theologica:

De ratione ſtudii Theologici libellus.
De formandis concionibus libr. II.
De Theologo libr. IV.
De quotidiana lectione & meditatione ſacrarum literarum libr. IV.
De Catecheſi.
De publicâ in pauperes beneficentiâ.
De Scholis Eccleſiaſticis.
De Conjugio miniſtrorum Eccleſiæ.
De probatione ſui ipſius.
De providentia Dei.
Exegemata in Epiſtolas Paulinas omnes.
Commentarius de honorandis Magiſtratibus, in quo Pſal. 20. enarratur.
In Pſalm. 12. & in epiſtolas Paulinas diſpoſitiones.
Topica Theologica & Catecheſis.
De Sacrarum literarum ſtudiis non differendis.
De inſtitutione novorum collegiorum, in quibus juventus eruditur ad ſuſcipiendam Eccleſiæ gubernationem.
De publico ſtudiorum in Scholâ Theologicâ examine.
De fide hominis juſtificandi, ac de fide & operibus hominis juſtificati quæſtiones: Chriſtum non inſtrumentalem modò eſſe ſalutis noſtræ cauſam, verùm etiam efficientem & principem: Non eſſe aliam juſtificationis viam, quàm qua Abraham juſtificatus eſt, per fidem ſcilicet abſque operibus.
De Spiritu & litera.
Conciliatio horum locorum, qui legem factis exprimunt, juſti habentur, ad Rom. 2. & ex operibus legis nemo juſtificatur, ad Rom. 3. & ſimilium.
De hominis merito apud Deum.
Hiſtoriam, quæ 2. Macc. legitur de donariis Hieroſolymam miſſis ad ſacrificium pro expiandis mortuorum peccatis, parum eſſe efficacem: mortuis ad ſalutem prodeſſe miſſarum celebrationem.
Verba Pauli 1. Cor. 15. de his, qui baptizantur pro mortuis, paulò aliter quam à nonnullis hactenus, diſtincta & expoſita.
De Synodis annuis.
De Feriis Bacchanaliorum.
De piorum videlicet auditorum in dijudicandis doctrinis officio.
Utrum Babylon in Apocalypſi ſignificet Romam.
De his, qui filium conſtituunt inferiorem Deo, atq; Patri æqualem.
Præcepta Decalogi aliter olim digeri ſolita atq; nunc.
Ad verba Apoſtoli 2. Cor. 3. Epiſtola mea vos eſtis, & Deus idoneos nos facit miniſtros Novi Teſtamenti.
De veris Apoſtolatûs, Doctoratûs & ſimilium graduum inſigniis propoſita quædam.
De Sacramentis in genere.
Super verba Apoſtoli ad Roman. 1. homines à Deo in reprobam mentem trahi.
Obſervationes locorum in eas Evangeliorum parti-

particulas, quæ ſingulis Dominicis in Eccleſiis recitari conſueverunt.

Feriarum Scholaſticarum lib. 12.

De ordinanda Eccleſia. lib. 6.

* *Ex Melch. Adami Vitis Theol. German. & MSS. Marpurgenſibus.*

Obiit A.C. 1564.

FRIDERICUS STAPHYLUS.

OSnabruggæ in *Weſtphalia* natus eſt A.C. 1514.

Diſcipulus Lutheri. *Lutherum* & *Melanchthonem Wittenbergæ* per 16. annos docentes audivit.

Theologiæ Profeſſor. Factus *Regiomontii* Theologiæ Profeſſor, *Andreæ Oſiandri* errores inter primos refutavit.

Pontificius. A. 1552. Ad Pontificios, *Lutheri* doctrinâ abnegatâ, tranſivit *Ingolſtadii*, factus ibi Academiæ Superattendens, inſuper *Alberti Bavariæ* Ducis, & Imperat. Rom. *Ferdinandi I.* Conſiliarius. *Conſil. Caſ.* Tunc uxorem ſuam *D. Johannis Heſſi* Superintend. *Uratislavienſis* filiam, ſe pro concubinâ habere dixit, quæ apud *Lutheranos* uxor ſua fuiſſet.

Phthiſi tandem periit *Ingolſtadii*, 5. Maji A.C. 1564. ætat. 50. *Moritur.*

Cadaver ejus in Cœnobio *Franciſcanor.* terræ mandatum, ſepulchri camerâ lapideâ collapsâ contuſum fuit.

Verſus de ejus Inconſtantiâ. Ob inconſtantiam tales ei facti ſunt Rhythmi Germanici:

Staphyl war erſtlich ein Luthriſch Mann/
Darnach nahm er das Pabſtthum an/
Belog darzu die wahre Religion/
Damit er nur hätt Gunſt und Lohn/
Macht ihm auch ſelbſt ein Staffel ſein
Dadurch tieff in die Höll hinein.

* *Ex Catalogo Germ. mille viror. illuſtrium M. Wolffgangi Krügeri Paſtoris Eccleſ. Turnav.*

* * *

Ex Dialogo de Patriis Viror. doctor. Joh. Andr. Quenſtedt.

Fridericus Staphilus primis annis Theologiæ Evangelicæ Profeſſor in Academiâ *Regiomantanâ Pruſſiæ* fuit, poſteà ad Pontificios defecit, & multa virulenta ſcripta calumniis & conviciis turgida adversùs *Lutheranos* edidit,

Caſp. Cunradus Med. D. *in Proſopographiâ Melicâ Millenar. III.* hoc ei compoſuit Diſtichon:

Græcaprius Breslæ docui, ſed apoſtata factus
Defendi Papæ dogmata priſca mei.

Obiit A.C. 1564.

JOHANNES CALVINUS.

Parentes. NAtus eſt *Novioduni*, *Veromanduorum* oppido, A. 1509. 10. Jul. Patre *Gerardo Calvino*, matre *Johanna Franca*, utroque honeſtæ famæ & mediocribus facultatibus parente.

Puer adhuc *Johannes Calvinus* à patre *Gerardo* ad ſtudia deſtinabatur, eò quòd in tenerâ illa ætate, mirè eſſet religioſus & ſeverus vitiorum in ſodalibus ſuis cenſor.

Lutetiam mittitur. *Lutetiam* itaque petiit, ſtudiorum gratiâ præceptorem obtinens *Maturinum Corderium*, translatus deinde in Gymnaſium ab acuto monte cognominatum, *Hiſpanum* habuit Doctorem & Ductorem.

Beneficia impetrantur eccleſiaſtica. Rebus autem quaſi ſacris deſtinato *Johanni*, pater *Gerardus* beneficium ab Epiſcopo *Noviod.* in Eccleſia cathedrali impetravit, & deinde Parochiæ curationem in pago urbi vicino, *Pons Epiſcopi* dicto, in quo aliquot ad populum, nullis alioqui Pontificiis ordinibus initiatus, conciones habuit.

Juri civili mancipatur. Aureliam abit. Brevi verò pòſt, ex patris conſilio, animum mutans, juris diſcendi causâ *Aureliam*, ubi tum *Petrus Stella* docebat, profectus eſt, in quo brevi adeò profecit, ut ei diſcenti Doctoratûs inſignia abſque ullo pretio, quaſi optimè de Academiâ merito offerrentur.

In *Bituricenſi* deindè Academia ſub *Andrea Alciato* juris continuavit ſtudia, ita tamen, ut ſacras unà literas continuò tereret.

Lutetias redit. A. 1533. *Lutetias* poſt patris mortem cum veniſſet, Commentariumque illum egregium in *Senecæ* libellum de Clementia ſcripſiſſet, reliquis relictis ſtudiis, Deo ſe conſecravit, & puriori religioni addictis docendo operam dedit, cumq; puriùs & apertiùs de religione in oratione quadam diſſeruiſſet, ob inſidias quaſdam A. 1534. *Baſileam* venit, ubi ſub Præceptoribus *Simone Gryneo* & *Wolfgango Capitone* Hebraicis operam dedit literis, & inſtitutiones edidit Religionis Chriſtianæ. *Theologiæ operam dat. Baſileam venit.*

Ferrariam abit. Deinde *Ferrariam* in *Italiam* abiit, viſendæ Duciſſæ *Ferrarienſis Ludovici XII. Gall.* Regis filiæ, gratiâ, cujus tum pietas celebrabatur quam & vidit, & quantum temporis anguſtia permiſit, in vero pietatis ſtudio, confirmavit.

Hinc Genevam. A. 1536. ex *Italiâ Baſileam* reverti cogitâns, cum *Genevam* veniſſet, *Guilielmum Farellum* & *Petrum Viretum*, (quorum operâ paulò antè Evangelium Chriſti mirabiliter introductum erat,) ſalutavit; horum verò hortatu, accedente Magiſtratus & plebis conſenſu, ſtatim ibi Concionator & ſacrarum literarum Profeſſor deſignatus eſt, horum ibi inſuper induſtriâ factum, ut A. 1537. 20. Julii palàm, præeunte publico ſcribâ, à Senatu populoque *Genevenſi* in Chriſtianæ Religionis & diſciplinæ capita juraretur, cum *Calvinus* prius Chriſtianæ doctrinæ formulam & Catechiſmum edidiſſet. *Concionator & Profeſſor Theol.*

Urbe excedere juſſus, Tigurum migrat. Cum verò paulò pòſt orto inter cives, Eccleſiaſticam diſciplinam rejicientes ſeditionis tumultu, Cœnam ſeſe Domini ritè celebrare non poſſe teſtarentur *Calvinus*, *Farellus* & *Coraldus*, à Magiſtratu urbe excedere juſſi, *Tigurum* migrârunt, ibiq; *Bernenſium* interceſſione fruſtra *Genevenſium* animos tentârunt.

Argentinæ docet. *Calvinus* verò indè *Argentinam* ſe contulit, ibique Senatu jubente Theologiam profeſſus, & Gallicam Eccleſiam, conſtitutâ etiam diſciplinâ Eccleſiaſticâ, plantavit; cumque

que interea Genevæ in S. Cœnâ panis communis in azymum verſus eſſet, cum ſcandalo multorum, hos *Calvinus* Epiſtolis erudiit.

E[..]idit inſuper tum *Inſtitutionem Chriſtianam* multò auctiorem, *Commentarios in Epiſtolam ad Romanos*, libellumque aureum *de Domini Cœnâ*. Multos inſuper ex Anabaptiſtis in viam revocavit, inter quos præcipui fuerunt *Paulus Volſius*, quo paſtore poſtea uſa eſt Eccleſia *Argentinenſis*, & *Job. Storder Leodienſis*, cujus poſtea peſte extincti viduam, *Idelletam* nomine, *Calvinus* uxorem duxit, quæ obiit *Genevæ* 1548.

Comitiis intereſt. A. 1541. Conventui interfuit ſive Comitiis *Wormatienſibus* & *Ratisbonenſibus*, *Melanchthone* & *Crucigero* inprimis gratus.

Genevam redit. 13. Septembris verò ejusdem anni *Genevam* regreſſus eſt, per legatos ab *Argentinenſibus* repetitus ægrèque dimiſſus. Tum Eccleſiæ ſuæ reſtitutus *Calvinus*, nihil habuit antiquius, quàm ut leges Eccleſiaſticæ verbo Dei conſentaneæ, Senatûs conſenſu, perſcriberentur, quæ deindè 20. Novembris populi ſuffragiis receptæ ſunt. *Ubi Eccleſiam inſtaurat.*

Labores Calvini. Scripſit tum *Catechiſmum Gallicè* & *Latinè* multo auctiorem: Alternis autem ibi hebdomatibus totis concionabatur, triduo verò docebat, ſingulis diebus Jovis Presbyterii cognitionem regebat, diebus Veneris in communi collatione ſcripturæ juſtam penè lectionem habebat.

Certamina inſuper cũ multis ipſi acerbiora erant, præſcriptos à *Sorbonenſi* Collegio articulos fidei refutabat ſolertiſſimè: foris Eccleſiarum hoſtes reprimebat fortiſſimè editis præſertim *libr. IV. de liberi arbitrii controverſia* adverſus *Albertum Pighium Campenſem*, *de neceſſitate reformandæ Eccleſiæ*, & in *Anabaptiſtas* & *Libertinos*, *Epiſtolis* item ad *Philippum Melanchthonem* contra *Oſiandrum*.

Dictis acerbis petitur. A. 1546. Cum quidam ex Senatoribus, à duobus ex Paſtorum collegio impulſus, *Calvinum*, ut falſa docentem, in frequenti cœtu corripuiſſet, latratum hunc nihil moratus, in concione perrexit. Ille verò in Jus vocatus, ex Senatus decreto infamiæ damnatus eſt, conjunctique illi duo Paſtores exauctorati ſunt.

Edidit anno ſeq. Antidotum adverſus *Tridentini* conciliabuli ſeſſiones ſeptem, librumque *Interim* dictum refutavit.

Cumque exorta eſſet in *Saxonicis* Eccleſiis contentio de rebus adiaphoris, ſententiam hac de re ſuam liberè *Melanchthoni* expoſuit, Conſenſionemque inter Eccleſias *Helveticas*, *Rhæticas* & *Genevenſem*, unà cum *Farello* ſcripſit & ſancivit.

Decreta ſociorum Calvini. A. 1550. A Miniſtris Eccleſiæ decretum eſt, *Calvino* Auctore, ut Miniſtri non tantum in Concionibus, ſed etiam ſigillatim per domos & familias, certo anni tempore, plebem inſtituerent; item ut nulli, præter Dominicas dies feſti celebrentur.

Exortâ verò hoc tempore factioſorum improbitate, *Calvinus* ipſe ex concione trans *Rhodanum* habita rediens, ludibrio habitus eſt ſummo, multorum convitiis, quaſi faceret *Calvinus* Deum authorem peccati tùm gliſcentibus petitus.

A. 1553. *Michaël Servetus*, poſtquam aliquot annis huc illuc medicinam faciens oberraſſet, tectusque *Michaëlis Villanovani* nomine blaſphemias hæreticas ſparſiſſet, *Genevam* tranſiens, cum à *Calvino* mox agnitus eſſet, eo Magiſtratum admonente, in carcerem conjectus eſt; Tandem blaſphemus ille *Helveticarum* etiam Eccleſiarum ſententia damnatus, nullo edito pœnitentiæ ſigno vivus crematus eſt 27. Octobr. *Calvino* doctrinam *Serveti* ſcriptis refutante. *Michaëlis Serveti doctrina.*

Cumque rurſus *Calvinus* iſtorum maledicentia coactus eſſet cauſam agere, impetravit à Senatu A. 1555. ut unà cum Legatis *Bernam* proficiſcentibus cauſam ibi agere liceret, quod & ſtrenuè peregit.

A. 1556. Tertiana *Calvinum* in Concione invaſit, ac tandem invitum ex ſuggeſtu coëgit deſcendere, multis inde ſecutis falſis rumoribus; mox verò ſanus *Francofurtum* ad pacandas Eccleſiæ *Gallicæ* diſſidias profectus eſt. *Tertiana corripitur.*

A. 1558. quartanâ correptus eſt, qui morbus octimeſtris licet tantum fuerit, ſic tamen corpus ipſius macilentum & laboribus attritum confecit, ut nunquam poſteà penitus convaluerit, otioſus tamen nunquam inter hæc *Calvinus* edidit *Chriſtianæ inſtitutionis* ultimam editionem, & *Commentarios in Jeſaiam*.

A. 1559. Gymnaſium *Genevæ*, *Calvino* hortatore, ex fundamento exſtructum, & in 8. claſſes diſtributum eſt. Cumque *Stancarus* quidam nomine hoc tempore aſſeruerit, Chriſtum non eſſe niſi ſecundùm carnem Mediatorem, *Calvinus* doctrinam hanc, perbreviter quidem, ſed nervoſè admodùm refutavit. *Gymnaſium de novo fundatur.*

A. 1562. ſcripſit, miſitque pulcherrimam fidei confeſſionem ad Status Imperii *Francofurti* tunc congregatos nomine Principis *Condenſis*.

A. 1564. 6. Febr. cum ultimam, aſthmate vocem præpediente, habuiſſet Concionem, oculosque in cœlum attollens, ſæpiùs exclamâſſet Symbolum uſitatum: *Usque quò Domine!* à ſcribendo tamen, morbo licet jam fractus, non abſtinuit, admonentibus hinc & obteſtantibus fratribus, ut ægrotus ſaltem ab omni dictandi aut ſaltem ſcribendi labore abſtineret, reſpondit: *quid ergo? vultis me otioſum à Domino deprehendi.* *Ultima Concio.*

Die 27. ſeq. Febr. ad Curiæ fores delatus pedibus in Senatoriam usque aulam, comitibus duobus innixus, aſcendit, ibique pro acceptis antè beneficiis aperto capite gratias egit, ac nominatim, quod in hoc ſuo ultimo morbo tantam ſui Senatus rationem habuiſſet: *Nam, ſentio*, inquit, *me poſtremum in hunc locum veniſſe;* Quæ vix deficiente voce effatus, mœſtus lacrymantibus valedixit. *In curiam deportatus Senatui gratias agit.*

25. Verò April. ſeq. teſtamentum condidit: cumque ob hemicraniam ſibi familiarem totis annis abhinc 10. prandio abſti-

nuiſ-

ſet, nonnunquam in 36. horas inediam paſſus eſſet, variis præterea morbis fractus dormienti ſimilis animam exſpiravit. 27.
Moritur. Maji A. 1564. Ætat. 55.

Seq. die communi cœmiterio terræ mandatus eſt, nullâ penitus extraordinariâ pompâ nulloque addito cippo, cum id ante obitum mandaſſet.

Staturâ fuit mediocri, corpore ſubpallido, & nigricante, oculis ad mortem usque limpidis, cultu corporis neque culto neque ſordido, victu, ut ſupra dictum, temperato, ſomni pænè nullius, memoriæ incredibilis, ut quos ſemel aſpexiſſet, multis pòſt annis ſtatim agnoſceret, Judicii puri & exacti, facundiæ contemtor & verborum parcus, ſed minimè ineptus ſcriptor, cum tamen tàm multa ſcripſerit, quàm nemo vel noſtra vel patrum memoria.

Proſopographia Calvini.

In doctrinâ, quam initio tradidit, ad extremum conſtans, nihil prorſus immutavit.

Ejus Scripta. Scripſit & edidit *Calvinus* ſequentes libros, quamvis adulterina plurima ſcripta, quæ *Calvini* perhibentur, hic non recenſeantur.

Commentarium in Geneſin. In 4. libr. Moyſis. in libr. Joſuæ. In omnes Pſalm.

In Iſaiam. In Jeremiam. In 20. prima capita Ezechielis.

In Danielem. In minores Prophetas.

In Novum Teſtamentum.

In 3. Evangeliſtas.

In Johannem.

In Acta Apoſtolorum.

In Omnes Pauli Epiſtolas.

In Epiſt. ad Hebræos.

In Canonicas Petri, Johannis, Jacobi, Judæ.

Conciones, quæ extant, exceptæ, dum ipſe concionaretur.

In Deuteronomion.

In 10. legis præcepta.

In libr. Jobi.

In Pſalm. 119.

In Canticum Ezechiæ ex Eſaia 38.

In poſteriora 8. capita in Daniel.

In quatuor priora capita, & quod excurrit, Harmoniæ trium Evangeliſtarum.

In 10. & 11. caput prior. ad Corinth.

In Epiſt. Galatar. In Ep. ad Epheſios.

In Epiſt. ad Timoth. & Titum.

Item Conciones aliquot de Chriſti nativitate, paſſione, morte, reſurrectione, aſcenſione.

Conciones 4. noſtris temporibus perutiles.

Concio in cœtu, quem congregationem vocant, habita de Providentia & æternâ Dei electione.

Item Concio in congregatione ad certum locum Epiſtolæ ad Galatas cum conciuncula vel exegeſi particulæ Catechiſmi ad extremum articulum Dominicæ orationis.

Conciones aliæ, quæ nondum extant, in *vetus Teſtamentum.*

In Geneſin. In duos Samuelis libros.

In prior. Reg. 18. Capita.

In complures Pſalm.

In libr. Joſuæ. In Iſaiam, in Jeremiam, in Ezechielem.

In 7. ex 12. minor. Proph.

In Novum Teſtamentum.

Conciones aliquot in Harmoniam 3. Evangeliſtarum.

In acta Apoſtolorum.

In 1. ad Corinth. Epiſtol.

In 2. ad Theſſalon. Epiſtol.

In aliquot Capita Epiſt. ad Hebr.

Prælectiones in Pſalmos à 37. ad finem.

Libri autem, quos ſeorſim aliis temporibus ſcripſit, ſunt hi:

Commentarius in Senecam de Clementiâ.

Inſtitutio Chriſtianæ Religionis Latin & Gall.

Pſychopannychia Latin. & Gall.

Epiſtolæ 2. una de fugiendis Pontificiorum illicitis ſacris, altera de Chriſtiani hominis officio.

Reſponſio ad Epiſtol. Sadoleti Cardinalis.

De Cœnâ Domini libellus.

Epinikion Chriſto cantatum.

Catechiſmus Eccleſiæ Genevenſis, cum formula adminiſtrandorum Sacramentorum, & publicis precibus.

Adverſus Pighium Campenſem liberi arbitrii aſſertorem.

Scholia in admonitionem paternam Pauli III.

Antidotus adverſus articulos Facultatis Theolog. Sorbonicæ.

De neceſſitate reformandæ Eccleſiæ.

Inſtructio adverſus errores Anabaptiſtarum, Libertinorum &c.

Admonitio appoſitiſſima de perquirendis reliquiarum, quas vocant, fruſtulis & fide Pontificiorum.

De vitandis ſuperſtitionibus judicium piorum virorum.

Excuſatio adverſus acta Tridentinæ Synodi.

Vera Chriſtianæ pacificationis & Eccleſiæ reformandæ ratio.

Admonitio adverſus Aſtrologiam, quam Judiciariam vocant.

Conſenſio mutua in re Sacramentariâ.

Ejusdem conſenſionis defenſio.

De ſcandalis.

De æterna Dei prædeſtinatione & providentiâ.

Defenſio orthodoxæ fidei ſacræ Trinitatis adverſùs prodigioſos errores Michaël. Serveti Hiſpani.

Admonitiones ad Weſtphalum 3.

Adverſùs Hesbuſium & Stancari errorem.

Adverſùs Valentinum Gentilem.

Ad nebulonis cujusdam calumnias reſponſio.

Altera ejusdem argumenti.

Ad Verſipellem Mediatorem.

Brevis admonitio ad fratres Polonos.

Epiſtola quæ fidem hujus ad Polonos admonitionem confirmat.

Ad Balduini convitia reſponſio.

Congratulatio ad venerabilem Presbyterum Gabrielem Saconæum.

Ad Hollandum quendam reſponſio.

Cenſura, quâ Silentium imponitur nebuloni cuidam.

Duæ fidei Confeſſiones, Literæ plurimæ, Conſilia, Admonitiones, Reſponſa varia, quorum partem amici varii ediderunt.

* *Ex Melch. Adam. Vitis Theolog. exteror.*

Obiit A.C. 1564.

MATTHÆUS JUDEX.

Centuriator Magdeburg.

DIppolswaldiâ Miſnicus, Magdeburgi ad D. Ulrici Eccleſiaſtes, ibi Centurias, ut vocant, Magdeburgenſes, cum M. Johanne Wigando, M. Matthiâ Flacio, D. Martino Copo, Ebelingo Alemanno, Baſilio Fabro, Marco Wagnero, & aliis, elaboravit.

Theologiæ Profeſſor Jenæ.

Exindè vocatus Jenam A. 1560. in Facultate Theologicâ Collegas habuit D. Simon. Muſæum, M. Matthiam Flacium, & M. Johannem Wigandum, quibus cum Colloquio Vinarienſi per ſeptimanam à die 2. usque ad 8. Aug. inter M. Matthiam Flacium Theologum & M. Victorinum Strigelium Philoſophum, in Salanâ Profeſſores Publ. de Libero Arbitrio & Peccato contra Synergiſmum habito interfuit.

Anteà, ſcilicet A. 1559. cum M. Johanne Wigando ſubſcripſit Supplicationi quorundam in totâ Germaniâ Theologorum, qui poſt obitum D. Lutheri corruptelis & ſectis voce aut ſcriptis contradixerunt, pro liberâ Chriſtianâ & legitimâ Synodo, ad Illuſtr. Principes & Status omnium Ordinum Auguſtanam Confeſſionem amplectentes, eamque A. 1561. cum eodem nec non D. Simone Muſæo & D. Matthiâ Flacio, ſuis in Salanâ Collegis reiteravit, & novâ præfatione ad Principes Naumburgi ad Salam eo convenientes tempore, auctam transmiſit.

Ob Synergiſmum exul. Roſtochii mor.

Ob Synergiſmi Strigeliani improbationem cum aliis remotus A. 1562. Roſtochii, ad Promotionis actum Wismariâ revocatus, vitæ hujus pauſam fecit 11. Junii A. C. 1564. Sepultus in æde D. Jacobi.

Filium reliquit cognominem Philoſ. & Med. Doctorem.

* Ex Nomenclatore Profeſſor. Jenenſ. M. Adriani Beyeri, qui hoc adſcripſit Epigramma.

Thejologus verus, Chriſti fidusque Miniſter,
Veris Thejologis Chriſtopheroque venit
Matthæus Judex: Libri teſtantur id ejus,
Qui Zeli & veræ mel Pietatis habent.

Obiit A.C. 1564.

THOMAS GRYNÆUS.

VEringæ Sueviæ oppido natus eſt A. 1512.

Puer à Patruo Simone Grynæo Haidelbergam vocatus, & in bonis literis informatus eſt.

Baſileam venit.

A. 1529. Eundem Patruum Baſileam, comitatus, ejusque convictu uſus eſt, donec à Rep. Bernenſi juvenis admodùm expetitus, ibi alumnos in literis Græcis ac Latinis erudivit.

Exactis in eo officio annis undecim, Baſileam repetiit.

Profeſſor & Magiſter.

Ibi A. 1547. Inter Profeſſores cooptatus, mox pro more Academiæ Magiſter artium liberalium ſalutatus eſt.

A. 1556. Cum Carolus Marchio Badenſis Evangelii doctrinam amplexus, ditionis ſuæ Eccleſias reformâſſet, ab eo vocatus & Eccleſiæ Paſtor ad Arcem Rætelenſem uno milliari Baſilea diſtantem deſignatus, &

Eccleſiæ Rætelenſis paſtor. Moritur.

ibi peſte extinctus eſt 2. Aug. A. 1564. æt. 52.

Corpus ejus terræ ibidem mandatum eſt, tali monumento addito.

Epitaphium.

D. O. M. S.
D. THOMAS GRYNÆUS, FIDE AC VITA THEOLOGUS, UT SUPRESTES VIVA VOCE ET EXEMPLO SUO AUDITORES, SIC IN CHRISTO QUIESCENS, SYMBOLIS OBEDIENTIÆ, FIDEI, ET PRUDENTIÆ, POSTEROS IN DOMINO ADMONITOS VOLENS, IN MONUMENTO HOC JUSTORUM RESURRECTIONEM PRÆSTOLATUR. OBIIT, ANNO DEI IN CARNE PATEFACTI M. D. LXIV. POSTRID. CALEND. SEXTILIS.

Filios reliquit 4. Theophilum, Simonem, Joh. Jacobum, & Tobiam, omnes literis eximiè excultos.

* Ex Meclb. Adam. Vit. Theol. Germ.

JACOBUS TRUCKENBROTUS.

Obiit A.C. 1564.

Theologus Baſil.

THeologus fuit Baſilienſis, qui cum annis ferè 40. atque inter eos non minùs 25. in templo S. Theodori gregem Chriſti paviſſet, cano capite peſtilentiæ ſævitiâ victus, 19. Kal. Sept. A. C. 1564. ætatis 74. occubuit.

Ejus Sepulchrum quidam amicorum hisce verſiculis ornavit:

Epitaphium.

Quisquis ad hunc venias tumulum ſubſiſte, viator!
Fortè quid hîc cernes quod meminiſſe juvet.
Hîc jacet, & fruitur tranquillâ morte Jacobus
Truckenbrot, cujus fama perennis erit.
Nam quod in Chriſti vero Præcone requiras
Omne velut propriam noverat ipſe domum.
Cumque Dei verbum docuiſſet luſtra per octo,
Ivit in æternæ limina celſa domûs,
Incola ubi cœli velut aſtra micantia fulget,
Qui multis fidei lumina clara dedit.

* Ex Epitome Hiſtoriæ Baſil. Chriſtiani Urſtiſii Math. Prof.

MARTINUS BORRHAUS, vel CELLARIUS.

Obiit A.C. 1564.

STutgardiæ natus eſt A. 1499.

Tubingæ Reuchlinum.

Cum in Juventute Tubingæ Reuchlinum aliquandiu docentem audiviſſet, Haidelbergæ Magiſterii gradum conſecutus eſt.

Et Wittenbergæ Melanchthonem audit.

Inde Wittenbergam venienti Melanchthon diſcipulos in Scholâ privatâ tradidit inſtituendos.

Partes Anabaptiſtarum ſectatur.

Ibi Marcus Stubnerus in partes Anabaptiſtarum eum attraxit, quibus diu adhæſit.

In Boruſſiam venit.

A. 1525. In Boruſſiam venit, & multa de doctri-

Sententiam mutat. doctrinâ illâ ſcripſit. Sed cum labaſcere partes & ſpe ſe fruſtrari videret, ſententiam mutavit. Itaque

Baſileæ docet. A. 1536. *Baſileam* veniens Philoſophicis Profeſſoribus adſcriptus Rhetoricam docuit, donec

A. 1544. Theologiam publicè docere juſſus *Moſis Pentateuchum, Joſuæ, Judicum & Regum Libros* interpretatus, &

Theol. D. M. Jul. A. 1549. Doctor Theol. renunciatus eſt.

Tandem peſte tum graſſante correptus, quarto â decubitu die exſpiravit 11. Octob.

Moritur. A. 1564. ætatis 65. Sepultus eſt *Baſileæ* in circuitu templi cathedralis ejuſmodi appoſito monumento.

Epitaphium. TRIUNI ET UNI SACRUM
MARTINO BORRHAO STUTGARD. S. THEOL. PROFESS. EXIMIO, ET NUNQUAM INTERMORITURIS IN OMNI LITERARUM GENERE LUCUBR. CELEBERRIMO, POST MULTA ET VITÆ ET ERUDIT. PRÆCLARA EXEMPLA, MORTE PLACIDISSIMA HUMANIS EXEMPTO, ANNA SCHMIDIN UXOR TERTIA MARITO DESIDERATISSIMO. S. S. Q. R. MON. F. C. MILITAVIT ANNIS LXV. MISSIONEM OBTINUIT EPIDEMIALEM ANNO SALUTIS M D LXIV. AD. V. ID OCTOBR.

Proſopographia Borrhai. Homo fuit ſtaturæ puſillæ, corpore autem robuſto & obeſo, linguæ Hebraicæ, Syriacæ, Chaldaicæ peritiſſimus in Theologicis apprimè verſatus, & judicio præclaro inſignis, in politicis tamen ingenio ſimplici & minimè exercitato.

In fatali religionis motu, cum literarum omnis autoritas peritura videretur, feneſtrario opificio ſeſe addixit, ſed non multò pòſt, cum ſua dignitas literis reſtitueretur, ad intermiſſa ſtudia reverſus eſt.

Scripta. Edidit Librum, *De veteris & novi hominis ortu ac naturâ, de operibus DEI.*

De ortu, naturâ, uſu & diſcrimine Jubilæorum, quos DEUS inſtituit:

De uſu, quem Franciſci Spiræ deſperabundi exemplum afferat.

De Cenſurâ veri & falſi libr. III. quibus Ariſtotelis logica egregiè illuſtravit.

Annotationes in Politica Ariſtotelis.

In Salomonis Eccleſiaſten Commentarium.

In 5. libros Moſis, Joſuæ, Judicum, Ruth, Samuelis & Regum Commentaria;

In Jeſaiam, item Jobum & Apocalypſin.

* *Ex Melch. Adami Vitis Theolog. Germ.*

THEODORUS BIBLIANDER.

ObiitA.C. 1564.

NAtus eſt in *Helvetiâ* ſub annum 1514. Juvenis Scholas publicas accedens juxta linguarum cognitionem totum ſe S. Theologiæ ſtudio mancipavit, in quâ, divinâ aſpirante gratiâ, tantos fecit progreſſus, ut illâ ætate & loco, eruditione, eloquentiâ & linguarum peritiâ, vix parem habuiſſe judicatum ſit.

Theologiæ operam dat.

Profeſſor Theologiæ. *Tiguri* itaque S. Literas profeſſus eſt tanto cum applauſu, ut etiam Doctores ad eum audiendum confluxerint.

Moritur. Tandem valdè ſenex & jam rude donatus, peſte populariter graſſante *Tiguri* extinctus eſt 26. Nov. A. 1564.

Succeſſit ipſi in officio *Joh. Gulielmus Stuckius.*

Pantaleon ſcribit, ante obitum motas ab ipſo fuiſſe quæſtiones quaſdam novas & inſolentes, ſed quales illæ fuerint, non addit.

Cum ſenex ex nimiis ſtudiis viſum debilitâſſet, aliquando manè hypocauſtum ingreſſus feli in menſâ geſticulanti, ancillam ſuam eſſe ratus, fauſtum diem precatus eſt, quem felis, ut potuit, reſalutavit.

Librum hic *Alcorani, Turcarum* religionem comprehendentem, â *Richardo* Monacho *Dominicano* A.C. 1210. *Latinè* editum, in linguam *Vernaculam* converſum emiſit, cum refutatione Scriptorum aliquot *Arabum*, *Græcorum*, & *Latinorum*, & cum Hiſtoriâ *Turcicâ*.

Hunc librum poſteà *Joh. Albertus Witmeſtadius* in Epitomen reduxit, & notas breves ſub finem addidit.

* *Ex Melch. Adam. Vitis German. Theol. & aliis.*

JOHANNES GABRIEL BISCIOLA.

Clar. A.C. 1565.

NAtione *Italus*, patriâ *Mutinenſis*, annum agens 17. cum fratre *Lælio Biſciolâ*, natu minore, *Romæ* â *P. Ignatio Lojolâ* in Societatem Jeſu admiſſus eſt circa A.C. 1555. Poſtea humanioribus, Philoſophicis & Theologicis literis excultus, & aliquot Collegiis præfectus, præclara religionis, modeſtiæ, & prudentiæ ubique documenta præbuit.

In Societ. Jeſu admiſſus.

Scripſit

Scripta. **Epitomen X. Tomorum Annalium Cardinalis Baronii**, magno labore, judicio, & Reip. bono. Nam cum brevitate perſpicuitatem conjunxit, & ſelectiſſima quæque, & ad Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cognitionem utiliſſima ita decerpſit, collegit, & in unum opus redegit, ut viri eruditi, qui â lectione Annalium *Card. Baronii*, propter eorum immenſitatem, penè deterrebantur, facillimè poſſint opus ingens in compendium contractum, absque temporis jacturâ percurrere.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societ. Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

FRANCISCUS ZAMORA.

ObiitA.C. 1565.

AQuilæ Generalis A.C. 1559. creatus ſub *Paulo IV.* & *Pio V.* Ordinem Minorum annos 6. moderatus eſt. In *ſingulos Verſus Pſalmi* 50. ſingulas *ſcripſit* pulcherrimas *Homilias N.* 25. Edidit & *parva* B. Bo-

Monachus Ord. Minor. Scripſit Homilias 25. in Pſalm. 50.

Digitized by Google

B. Bonaventuræ Opuſcula à ſe emendata. Viſitandis Provinciis pro Officii ratione occupatus humanis ſublatus eſt A. C. 1565. *Moritur.*

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ diverſor. Auctorum.*

JACOBUS LAYNEZ.

Obiit A. C. 1565.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ ex oppido *Caſtellæ Almazan.* Vir fuit omnibus numeris abſolutus, ingenio magno, judicio acri, excellenti memoriâ, prudentiâ ſingulari, innocentiâ & vitæ ſanctimoniâ admirandus, modeſtiâ, affabilitate, manſuetudine, morum ſuavitate ſupra quàm dici poteſt, amabilis.

Primis literis *Seguntiæ* & *Soriæ* imbutus eſt, Dialecticis & Philoſophicis *Compluti*, ubi lauream etiam Magiſtralem eſt adeptus, *Lutetiæ Pariſiorum* ſeſe reformandum ac veluti recoquendum aliis Præceptoribus & Philoſophis tradidit; ut, quæ inchoata & minùs perfecta ſibi videbantur, expoliret ac perficeret. *Philoſ. Magiſter Compluti.*

His ſtudiis abſolutis, ad Divinas ſe ſcientias penitùs dedit, & in S. Theologiam incumbens, Summus Theologus evaſit. *Theologus Summus.*

P. Ignatii Lojolæ conſtituendæ Societatis Socius inter primos & adjutor fuit. *Societ. Jeſu conſtituendæ adjutor.*

Per *Italiam* penè totam, Dei Verbum ingenti auditorum concurſu & fructu diſſeminavit: utque multa præcipuis in Civitatibus *Italiæ* erigerentur Collegia, ejus potiſſimùm operâ perfectum. *Collegia varia fundavit.*

Cardinalitiam dignitatem ei à *Paulo IV.* Pont. Max. oblatam repudiavit. Illo verò Pontifice mortuo, ac ſede Apoſtolicâ vacante, 12. Cardinales ex Sacro Collegio in ipſum extra Conclave *Romæ* agentem ſua ſuffragia contulerunt, quò Pontifex Max. fieret. *Cardinalis dignitatem repudiavit.*

Patre Ignatio ad meliorem vitam tranſlato tum Vicarius tum Præpoſitus Generalis Societatem ultra 8. annos rexit, quo tempore mirabiliter eſt propagata. *Præpoſitus Generalis Soc. Jeſu.*

In *Galliam* A. 1561. à *Pio IV.* Pont. Max. cum *Hippolyto Eſtenſi*, Cardinale Legato amandatus, in publico totius Regni conventu *Theodorum Bezam*, *Petrum Martyrem*, aliosque adverſarios oppugnavit. *Cum Theod. Bezâ diſputavit.*

Ad Synodum *Tridentinam* ter profectus eſt, à *Paulo III. Julio* item *III.* & *Paulo IV.* miſſus, & tanquam Sedis Apoſtolicæ Theologus, quid in quæſtionibus propoſitis videretur, graviter diſputavit, & primum inter Theologos locum tenuit. *Ablegatus ad Concil. Trident.*

Sub *Pio* verò *IV.* cum Præpoſitus Societatis eſſet Generalis, inter Patres, qui non ſolùm cenſendi jus haberent, ſed etiam definiendi, ſedit & ſententiam tulit, tantâ illius ſacri Conſeſſus approbatione, admiratione, acclamatione, ut omnium judicio & conſenſu Theologorum Princeps judicaretur.

Concilio Tridentino feliciter abſoluto, *Romam* revertit, ubi morbo ex immoderatis ſtudiis, vigiliis, laboribus contracto curſum ſuum conſummavit, & magno ſui deſiderio relicto mortuus eſt 19. Jan. A. C. 1565. ætatis 53. *Obiit Romæ.*

Scripſit, vel potiùs ſcribere aggreſſus eſt: *Scripta.*

De Providentiâ Lib. XII. quos inexpolitos reliquit.
De uſu Calicis.
Prolegomenon in univerſam Scripturam Lib. I.
De Regno Dei.
De Trinitate Lib. III.
Indicem illuſtrium Sententiarum.
De Cambiis.
De Uſuris.
De pluralitate beneficiorum.
De fuco & ornatu mulierum.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societ. Jeſu Petri Ribadeneiræ, qui librum ſingularem de ejus vitâ ſcripſit.*

NICOLAUS AMSDORFIUS.

Obiit A. C. 1565.

IN *Miſniâ* propè *Wurcenam* ex nobili familiâ natus eſt 3. Dec. A. 1483.

A. 1502. Scholam publicam *Wittenbergæ Friderici III.* Elect. Sax. auſpiciis recens plantatam acceſſit, & ad Theologiæ ſtudium animum adjecit. *Theologiæ operam dat.*

A. 1504. Ibi Philoſophiæ Magiſter, & paucis annis pòſt Theologiæ Licentiatus renunciatus eſt. *Theol. Licentiatus.*

Deinde cum veritatem Evangelii agnoviſſet, A. 1521. *Lutherum* ad cauſam ſuam defendendam *Wormatiam* comitatus eſt cum *Hieron. Schurffio* J. C. & *Juſto Jonâ* Theologo. *Cum Luthero ſentit.*

A. 1524. Cum *Lutherus Magdeburgi* Eccleſiam reformare cœpiſſet, de hujus ſententiâ *Magdeburgum* profectus, Eccleſias ibi cum Collegâ Doct. *Eberhardo Windeſeio* 18. annos rexit. *Magdeburgi docet.*

Intereà *Goslariam* evocatus ordinem ibi rituum & doctrinæ ad normam Eccleſiæ *Wittenberg.* inſtituit, Inſpectione Eccleſiæ *Johanni Amando* commendatâ, & *Mich. Volmetio* literario ludo præfecto.

A. 1541. *Mortuo Philippo* Comite *Palat.* Epiſcopo *Naumburgenſi*, cum à Collegio *Julius Pflugius* ſurrogatus eſſet, à *Friderico* Electore, non licere hoc collegio, niſi ſuus accedat conſenſus contendente, *Ambsdorffius* Succeſſor datus eſt, qui cœlebs adhùc, præſente *Joh. Friderico Elect.* & *Joh. Erneſto*, fratribus, Epiſcopus ordinatus eſt à *Luthero*, ſimul manum imponentibus *Nicolao Medlero*, Paſtore *Naoburgenſi*, *Georgio Spalatino Aldenburgenſi*, & *Wolffg. Steinio Weiſſenfelſenſi*, 20. Jan. A. 1542. *Epiſcopus Naumburg.*

A. 1548. Cum ab Imp. *Carolo V. Victore Pflugius* reſtitutus eſſet, *Ambsdorffius Magdenburgum* profugit, ubi Evangelium obſidionis tempore periculoſo docuit, mox verò *Jenam* acceſſit, ubi 19. Martii ejuſdem anni interfuit Academiæ fundationi, poſteà ejuſdem inaugurationi ſolenniori 2. Febr. A. C. 1558. *Secedere cogitur. Jenæ docet.*

In-

Et Scripta Lutheri edit. Intereà *Jenæ* Scripta D. *Mart. Lutheri* unà cum *M. Georgio*, *Rorario* veterano illius Amanuenſi ex Autographo reviſit, & in Tomos diſtribuit Germanicos VIII. & Latinos IV. propterea *Jenenſes* appellatos, & à *Wittenbergenſibus* ac *Islebienſibus* diſtinctos.

De bonis operibus ſententid. A. 1551. Moto bello Theologico, de bonorum operum neceſſitate ad ſalutem, quam propoſitionem *Georg. Major* defendendam ſuſceperat, *Amsdorffius* ad partem contrariam delapſus ſcripſit: *Bona opera ſunt ad ſalutem noxia & pernitioſa.* Eam propoſitionem deindè, cum multis non orthodoxa videretur, ad excludendum meritum bonorum operum detorſit.

Moritur. Ad ſenectam pervenit ſummam, mortuus ſcil. eſt *Iſenaci* ad *Wartburgum* oppido 14. Maji A. C. 1565. ætatis 82.

Adrianus Bejer in Nomencl. Prof. Jenenſ. ſeq. cum honorat verſibus.

Theologi cœtûs Nicolaus plantat ab Ambsdorff
Hortum, & Lutheri Scripta reviſit item.
Hic in Salana celebratur nomine primi
Theologi, primi Theoſophiq; Schola.

Edidit quædam

Scripta. *De Sacra Cœna.*

Epitomen Chronicorum Naucleri de Paparum perfidia in Romanos Imperatores.

Strenam ſive novi anni votum, Principibus viris oblatum.

Subſcriptionem cenſuræ & ſententiæ Saxon. Eccleſiarum adverſus Georgii Majoris doctrinam.

Scriptum Polemicum contra Nemanum Heshuſium.

* *Ex Melch. Adam. Vitis Theol. German. & aliis.*

HENRICUS ORTHIUS CALERNIUS.

Obiit A.C. 1565.

Philoſophiam tractavit. NAturalem Philoſophiam è reconditis atque abditis fontibus hauſtam inter Philoſophorum ſubſellia tractavit primùm, eoque in munere conſtitutus, primo, qui ſtudiis deferri ſolet, honore affecit *Fridericum Reisnerum*, Mathematicorum in *Europâ* Principem, Profeſſorem poſteà *Pariſienſem* Regium, *Rami* Præceptorem, ac *Petrum Paganum* anno 1550. Mart. 14.

Profeſſor Theologiæ. Stipendiariorum Præfectus. Moritur. Anno dein 1556. in agnati ſui *Wigandi Orthii* locum ſurrogatus omne ſtudium ad ſacras literas impetrandas traduxit, ſtipendiariisque præfuit, donec anno 1565. Junii 22. vitam cum morte commutavit, in parochiali templo ad tumulum ſoceri *Adami Vegetii* ſepultus. Honorificæ mentioni hæc addidit *Nigidius Senior.*

Elogium.

Hic Ephorus multos toleravit ſæpè labores,
Quos tulit infractus tædia multa ferens.
Interpres ſacræ Scripturæ fidus amavit
Sincero purè tradere quæque modo.
A Chriſti hereticos ſolitus depellere ovili,
In ſævos acuit ſpicula dira lupos.
Tandem ærumnoſæ pertæſus munia vitæ
Incola cœleſtis maluit eſſe plagæ.
Depoſuit corpus, ſed liber ſpiritus aſtris
Æthereis fruitur perpetuisque bonis.

* *Ex MSS. Marpurgenſibus.*

GUILIELMUS FARELLUS.

Obiit A.C. 1565.

IN *Delphinatu* familiâ nobili natus eſt ſub A. 1489.

Studia Farelli. Diſcendis artibus *Lutetiæ*, hortatu *Jacobi Fabri Stapulenſis*, in Collegio, quod Cardinalis vocant, ſeſe exercuit, publicèque inter primos *Galliæ* doctrinam Evangelicam profeſſus eſt.

Profugit in Helvetiam. Exortâ autem contra *Meldenſes* in urbe *Meaulx* perſecutione, in vicinam *Helvetiam* profugit, ubi amicitiam inivit cum *Ulrico Zwinglio*, *Joh. Oecolampadio* & *Bertholdo Hallero.*

Venit Baſileam. Diſputandi poteſtatem impetrat. Docet in Monte Bellicardi. A. 1524. *Baſileam* venit, & ad diſputationem publicam cum illius Urbis Theologis ſe obtulit, qui licèt graviter ſe oppoſuiſſent, Senatu tamen volente diſputatio habita eſt in magnâ Clericorum & Politicorum frequentiâ 15. Febr. Sed paulò pòſt à Pontificiis *Baſileâ* expulſus in *Monte Bellicardi* Evangelium aliquandiu docuit.

A. 1527. Iterum annunciandi verbi Divini locum invenit in oppido quodam, cui *Ælin* nomen.

A. 1528. *Aquilejæ Bernenſium* Chriſtum annuntiavit.

Eodem Anno diſputationi *Bernenſium* interfuit.

Eccleſia Genev. reformata per Farellum & Viretum. *Fareli* inſuper & *Petri Vireti* miniſterio plantata eſt Eccleſia *Genevenſis.*

Calvinum ibidem detinuerunt, & hortatu ſuo ut S. literas tàm in Templo quàm Schola doceret, effecerunt, cum verò ibi pro concione liberiùs mores populi reprehendiſſet, *Genevenſes* tanto in eum furore exarſerunt, ut capitale ei judicium intentare non ſint veriti:

Metim venit. Docet ibi obſtrepentibus Monachis. A. 1541. *Metim* venit, & primam concionem in cœmiterio *Dominicanorum* habuit quam cum Monachi campanæ impulſu conarentur impedire, *Farellus* ad ravim, usque vocem intendit.

Poſtridie 3000. hominum confluxerunt Evangelium audituri. Tum in conſilium vocatus *Farellus* & interrogatus, *quo jubente & petente concionatus eſſet?* reſpondit: *Jubente Chriſto*, *petentibus autem ejus membris.* Dum autem Senatus, quid eo faciendum deliberâſſet, Evangelici quendam ſtaturâ & facie *Farello* ſimilem equo impoſitum eduxerunt, ipſum verò ſecum detinuerunt.

Novocomi ſedem figit. Inde digreſſus, *Novocomenſi* Eccleſiæ in urbe *Neufchaſtel* dictâ ſe addixit, & fidi paſtoris officium obivit.

A. 1564. *Genevam* excurrens *Calvinum* morti proximum inviſit, & extremum vale amicò veteri dixit.

Moritur. Eundem morte placidâ ſecutus eſt 13. Sept. A. 1565. ætatis 76.

Digitized by Google

Fuit in eo præter pietatem, doctrinam, & modeſtiam ſermo vehemens, ut tonare potiùs quàm dicere videretur, & ardor in precando tantus, ut auditores in cœlum usque quaſi ſubveheret.

Scripſit:

Scripta.

Themata quædam Baſileæ Latinè & Germanicè edita.

Diſputationem habitam Bernæ A. 1528.

* *Ex Melch. Adami Vitis Theolog. exter.*

Obiit A.C. 1565.

PETRUS PAULUS VERGERIUS.

DUo fuêre cognomines, prior *Juſtinopoli* in *Iſtriâ* natus, *Chryſoloræ Byzantini* Philoſophi *Venetiis* Græcas literas docentis quondam auditor, claruit in Concilio *Conſtantienſi* A. 1420. teſte *Trithemio in libr. de ſcript. Eccleſiæ.*

Junior autem hic Vir fuit non ſolùm in Theologia Pontificiâ, ſed & Jurisprudentiâ eruditiſſimus.

Mittitur à Pont. ad Comitia Auguſtana.

A. 1530. Legatus in Germaniam ad Comitia *Auguſtana* à Pontifice *Clemente VII.* cum plena poteſtate miſſus eſt, in quibus, quâ ratione potuit, *Lutheranis* incommodavit, primipilares verò Pontificios, *Fabrum, Eccium, Nauſeam*, ut ſtrenuè rem agerent, muneribus ornavit.

A. 1533. *Ferdinando* Regi *Romano* filiam *Catharinam* unà cum *Georgio Marchione Brandenburgico* è S. Baptiſmo ſuſcepit.

A. 1535. Iterum Juſſu Pontificis *Pauli III.* in *Germaniam* reverſus, & ad omnes Principes Proteſtantes profectus, Concilium illis *Mantuæ* futurum indixit: Eâdem in Legatione *Lutherum* convenit *Wittebergæ*, eumque ab inſtituto ſuo dimovere fruſtrâ tentavit.

Lutherum fruſtra ab inſtituto dimovere tentat.

A. 1536. Cum Principes & Ordines Proteſtantium per literas ipſi reſpondiſſent, liberum poſtulantes Concilium intra Imperii fines loco opportuno, quod Cæſar ipſis ſit pollicitus, magnâ celeritate *Romam* reverſus eſt *Vergerius*, legationem Pontifici renuntians, qui celeriter eum *Neapolin*, ut eam Cæſari commemoret, miſit. Reverſus indè, Epiſcopus *Madruſienſis*, & non multò pòſt *Juſtinopolitanus* factus eſt.

Epiſcopus Madruſienſis & Juſtinopolitanus.
Cardinalem de Statu Germaniæ informat.
Ad Comitia Wormatienſia mittitur.

A. 1537. Cardinalem *Aquenſem*, Legatum in *Germaniam* miſſum, juſſu Pontificis, (cum & ipſe ſeriò res Pontificis ageret,) ſtatum *Germaniæ* edocuit, quomodo ſcil. quisque prenſandus & appellandus eſſet.

A. 1541. Ad Comitia *Wormatienſia*, tanquam *Galliæ* Regis causâ, ſed reverâ, ut Pontificis rebus eò rectiùs inſervire poſſet, à Pontifice miſſus, compoſuit ibi typisque edidit *Orationem, de unitate & pace Eccleſiæ*, & ut re infectâ, ducendo enim tempus & nectendo moram, diverticula Pontificii quærebant, concilium id finiretur, effecit.

Occaſio deficiendi à Pontifice qua?

Sicque longo tempore utilis ejus opera fuit Pontifici Romano. Verùm ab hoc tandem defecit mirabili hac occaſione:

A Concilio *Wormatienſi Romam* venientem *Vergerium* Pontifex inter alios Cardinales creandos aſſignavit: Sed cum eſſent, qui inſuſurrarent, multa *Vergerium* conſuetudine *Germanorum* factum eſſe *Lutheranum*, Conſilium Pontifex mutavit.

Inter Cardinales non aſſumitur Vergerius, Lutheranus dicitur.

Hoc ubi *Vergerius* ex Cardinale *Ginutio* audiiſſet, ut ſe purgaret, librum conſcribere cepit, cui titulum dedit: *Adverſus apoſtatas Germaniæ.*

Dum autem confutandi causâ libros Adverſariorum diligenter perluſtrâſſet, victum ipſe ſe ſenſit, & ad fratrem *Joh. Baptiſtam Vergerium*, *Polæ* Civitatis Epiſcopum profectus, rem ipſi totam commemoravit, inq; ſententiam ſuam pertraxit; Mutuoque ita ſibi congratulantes, populum per *Iſtriam* in verâ Evangelii doctrinâ erudierunt.

Veritatem agnoſcit.

Ortâ verò deindè ab Inquiſitoribus, (inter quos primas tenuit *Amibal Griſonius*,) gravi contra *Lutheranos* perſecutione, horum violentiâ coactus, *Mantuam* ad Cardinalem *Herculum Gonzagam*, cui familiariter notus erat, divertit.

Mantuam venit.

Inde *Tridentum* ad Concilium, purgandi ſui causâ, profectus, à Legatis Pontificiis diſcedere juſſus, *Venetias*, & indè *Patavium* ſe contulit A. 1548. Ubi cum aliis Spectator fuit miſerabilis Exempli deſperantis *Franciſci Spieræ*, quo magis magisque confirmatus & ſpontaneum exilium eligens, (cum jam frater Epiſcopus *Polæ*, non ſine ſuſpicione veneni eſſet mortuus,) ad vicinos *Rhætos* pervenit, apud quos cum annis aliquot docuiſſet Evangelium à *Chriſtophoro* Principe *Würtenbergico Tubingam* acceſſitus venit, ibique fatis conceſſit 4. Octobr. A. 1565. Funebrem concionem habente *D. Jacobo Andreæ.*

Patavium adit.
Evangelium docet.
Moritur Tubingæ.

* *Ex Vitis Melch. Adam. Theolog. exteror.*

Obiit A.C. 1565.

JOHANNES MATHESIUS.

ROchlitiis *Misniæ* oppido, natus eſt d. 24. Junii A. 1504. Puer elementa prima literarum, ut & Cathecheſios præcipua capita maturè percepit.

Cum verò A. 1526. in arce *Bavariæ Odelshauſenſi* liberos *Sabinæ Averinæ* inſtituiſſet, incidit in librum *Lutheri* de bonis operibus, è cujus lectione prima hauſit Chriſtianismi veri initia.

Libros Lutheri legit.

Hinc A. 1529. *Wittebergam* venit, ubi convictu primùm popularis cujusdam ſui *Wolfgangi Johannis*, deinde *D. Lutheri* uſus eſt; cujus Colloquia & Sermones ſuper menſam obſervavit permultos.

Lutheri convictor.

Wittebergâ in *Vallem Joachimicam* evocatus, munus primùm Scholaſticum, dein & paſtorale ſuſcepit, & in utroque nominis ſui memoriam reliquit ſempiternam.

Paſtor Eccleſiæ Vallis Joachimicæ.

7. Oct. A. 1565. Cùm manè Concionem de filio Viduæ *Nainiticæ* habuiſſet, & in futurâ vitâ quemque piorum ſuorum matri & amicis

amicis reſtitutum iri, ſeque mutuo ſingulos agnituros docuiſſet, tribus poſt concionem horis apoplecticus obdormivit, cum Annos 62. vixiſſet, & 50. in *Valle Joachimica* Eccleſiam docuiſſet.

Moritur.

In agone mortis cum adſtantes ei quædam ſolatii cauſâ prælegerent, dixit: Es will nicht ins Herz! collegit tamen ſe brevi, pieque exſpiravit:

Epitaphium.

Epitaphium ipſi, quod vivens dicitur compoſuiſſe, additum eſt ſeq.

Securus recubo hic, mundi pertæſus iniqui
Et didici & docui vulnera, Chriſte tua.

Scripſit

Scripta.

Sareptam: hoc eſt, *expoſitionem omnium locorum S. Scripturæ*, in quibus aliqua rei metallicæ mentio fit.

Chronicon Vallis Joachimicæ.

Vitam Chriſti.

Vitam Lutheri concionibus aliquot enarratam.

Explicationes Evangeliorum.

XXV. Buß-Predigten über den 51. Pſalm.

Hymnum matutinum: Aus meines Herzens Grunde/ ſag ich dir Lob und Dank.

* *Ex Melch. Adam. Vitis German. Theol.*

Obiit A.C. 1566.

COSMAS DAMIANUS HORTOLANUS.

Natus eſt *Perpiniani*, oppido Comitatûs *Ruſſelionis* in *Cataloniâ*, educatus verò *Gerundæ*, quo parentes belli metu â finitimis *Gallis* commigrârunt: liberaliter verò, cum pietatis ſtudio, tùm primis linguæ Latinæ elementis inſtitutus, cùm parentibus magnam ſpem bonâ indole dediſſet, fore, ut & pius & eruditus evaderet, ad uberiorem ingenii cultum *Complutum*, quæ urbs cum Academiâ â *Franciſco Ximenio* Cardinali inſtaurata, ablegatus eſt, ubi Linguam Latinam excoluit, Græcas etiam literas imbibit.

Compluti ſtudia inchoavit.

Hinc ad artes liberales gradu facto, tantò cœteris in Magiſterii laureâ præſtitit, quantò inſtructior humanioribus diſciplinis ad Philoſophandum acceſſerat. Nec his titulis contentus aut turgens, *Lutetiam Pariſiorum* adiens, optimis ſe Doctoribus recoquendum tradidit, ut ſi quas in artium tractatione ſordes, multaque dediſcenda & ſupervacanea hauſiſſet, elueret atque expoliret.

Philoſ. Magiſter.

Franciſcum itaque *Vatablum*, qui & *Ariſtotelis* libros aliquot â ſe vivâ voce interpretatos convertit, mox Hebraicam linguam publicè docuit, aſſiduè ſectabatur.

Lutetiæ linguam Græcam & Hebræam didicit.

Mathematicas etiam diſciplinas attigit, & Medicinam, quod eâ ex gravi paralyſeos morbo operâ *D. Johannis Sylvii* Medici Regii convaluiſſet.

Matheſeos & Medicinæ cultor.

Hinc maturè ad Theologiam animum convertit, in quâ dici non poteſt, quantos brevi tempore cùm diſcendo & explicando, tùm acutè diſputando progreſſus fecerit, ut omnes ferè æquales longo poſt ſe intervallo relinqueret, & inter *Sorbonæ* Theologos non poſtremus haberetur.

Theologiæ Studioſus. *Theologus Sorbonicus.*

Hinc relictâ *Lutetiâ*, *Bononiam* profectus, Jus etiam Pontificium didicit ſuſceptâque Laureâ & Theologiæ Doctor, & Juris Canonici meritò appellatus eſt.

Theologiæ & Juris Canonici Doctor.

Hic, rogante Cardinale *Caſparo Contareno*, Philoſopho ac Mathematico inſigni, qui tunc Pontificis Maximi Legatum *Bononiæ* agebat, ut monacho cuidam Paradoxa quædam fidei Chriſtianæ repugnantia defendenti ſe opponeret, publicè ſingulari diſputandi felicitate cum eo congreſſus ſingulaque diluens & faſtum retudit, & nomen ſibi præſtantis Theologi in magnâ bonorum ingeniorum frequentiâ uno congreſſu comparavit.

Contarenus itaque admiratione ſtupens, gaudensque veritatem viciſſe, falſum verò victum fuiſſe, *Hortolanum* in ipſis ſubſelliis amplexus, in domum ſuam deduxit, ad ſeq; propoſito honorario ſtipendio, invitavit: quod ille, cum viri auctoritate fractus, tum *Romæ* videndi deſiderio incenſus, minimè recuſaturus videbatur, niſi per literas patris ex *Hiſpaniâ* domum fuiſſet revocatus.

Bononiæ Caſp. Contareno charus.

Quare *Gerundam* verſus in viam ſe dedit, ſed patrios lares ingreſſus parentem paulò ante elatum triſtis audivit.

Juſtis itaque peractis, ne quam ex tàm longinquâ peregrinatione ſpem doctrinæ ſuſtinebat, feſelliſſe videretur, *Barcinonem*, quò â Senatu invitabatur, profectus, in Academiâ libros *Ariſtotelis* interpretari publicè in frequenti Auditorum concurſu cœpit: quod eruditionis ſpecimen & illi honori, & aliis emolumento fuit.

Barcinon. Philoſ. docuit.

Conſules itaque cenſuerunt, artes, quas vocant, liberales *Hortolanus* profiteri ſtipendio honorario propoſito triennio â principio vellet, quibus Academiæ novis fundamentis jactis ſuperſtruere ipſe poſſet, & Theologiæ ſtudium augere, quæ Academiæ recens conſtituendæ, auctore *Coſma*, optima ratio prudentibus viris viſa eſt.

Anno igitur 1543. quo tempore Scholæ præfectus creatus eſt, per annos 17. optimis Legibus Academiam rexit, & literas, quas humanitatum appellant, artesque liberales partim ipſe docuit per annos 7. partim ab aliis doctoribus prælegi curavit.

Rector Academiæ Barcinonenſis.

Poſt A. 1560. cum Senatus Ordinesque Regni graviores diſciplinas *Barcinonæ* doceri vellent, quod tum præter *Ilerdam* nulla in *Cataloniâ* Academia floreret, rogatus leges iterum dictavit, quibus ſtudia *Barcinonenſium* mirificè aucta ſunt.

Mox *Metaphyſicorum Libros Ariſtotelis* â paucis intellectos ſummo acumine interpretatus eſt: hinc *D. Thomæ Concluſiones*, denique S. Scripturæ Libros aſſiduè interpretatus eſt, adhibitis fontibus Hebraicarum literarum, & 70. Interpretum Græco exemplari.

Domus illius ob ſimilem prudentiam ſingularemque doctrinam Oraculum erat civitatis.

Senatui

Digitized by Google

Senatui populoque gratioſus, quod de omni dubiâ in fide controverſiâ acutè reſponderet.

Jacobus & *Guilielmus Caſſadores Barcinonenſium* ordine Epiſcopi ſano illius conſilio in rebus arduis adminiſtrandâque Eccleſiâ uſi ſunt.

Legatus ad Concilium Tridentinum. Tunc Regis *Philippi* juſſu *Tridentum* ad Concilium profectus eſt, in quo ſumma ejus doctrina eluxit, & conſtantia.

Abbas Hiſp. Reverſum Rex *B. Mariæ villæ Bertrandi* Abbatum eſſe juſſit, in quo ſacerdotio ſenex conquieſceret.

In eo ita continenter vixit, ut nec operibus ad *Luxum* abuteretur, nec, ut ante eum alii, abſens reditûs pauperum eleemoſynis deſtinatos abſumeret, ſed monachis modeſtiæ, continentiæ & pietatis exemplum extiterit. Nec diu poſt tot exhauſtos labores vitæ ſatur animam Deo reddidit A.C. 1566.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum Auctorum.*

Obiit A.C. 1566.

LUDOVICUS BLOSIUS.

HAnno, ex nobili *Bloſiorum* ſtemmate natus, ab ingenuâ educatione, & *Nicolai Clenardi* inſtitutione bonas Artes, *Philologus.* Hebræam, Græcam, & Latinam Linguam, imbibit.

Adoleſcens in Cæſaris aulam miſſus ſtatim illam reliquit, atque in *Lætienſe*, vetus *Hannoniæ* Monaſterium *Benedictinorum* ſe contulit.

Lovanii ſtudiorum gratiâ agens, anno *Abbas Cœnobii Lætienſis.* ætatis 22. *Ægidii Gippi* Abbatis decrepiti, Vicarius, omnium ſodalium ſuffragiis delectus; & hoc biennio pòſt mortuo, ad Cœnobii Regimen ordinatus eſt.

Eleemoſynarius Imperatoris Caroli V. Collapſam apud ſuos veterem diſciplinam inſtauravit, & revocavit.

Cameracenſem Archiepiſcopatum â *Carolo V.* Cæſare, cui & ab Eleemoſynis olim fuerat, oblatum, conſtanter repudiavit.

Erat comis & ſuavis in moribus, in lectione, ſcriptione, ac rerum ſacrarum meditatione aſſiduus.

Ex corporis tandem vinculis, tanquam ex carcere, evolavit in Beatorum ſedes 7. Id. Jan. A.C. 1566. ætatis 59. regiminis 35. Magno ſui deſiderio bonis omnibus relicto.

Tumulum hoc carmine honorârunt.

Qui tres exactè linguas callebat ab ipsâ
Ephebiâ, virtutum & omnium Narthecium,
Bloſius, heu cecidit, tumbâque reconditur iſtâ,
Noſtri decus miraculumque ſeculi.
Huic age fac Lector, felicia cuncta precare,
Et te para ad ſummi tribunal Judicis.

Scripta ab eo edita ſunt:

Scripta. *Conſolatio Puſillanimium, ex antiquis Patribus collecta.*

Margarita ſpiritualis, Monile, atque hujusmodi.

Dominicæ Paſſionis Explicatio ex Johanne Thaulero.

Inſtitutiones Spirituales.

Theologia Myſtica.

Farrago utiliſſimarum Inſtitutionum ex Johanne Ruisbrochio.

Expoſtulatio Jeſu Chriſti de ingratitudine philocænopoleos.

Epitome vitæ Chriſti ex Evangeliſtis concinnata.

Canon Vitæ Chriſtianæ, Euchologiæ, Preces ac Meditationes diebus Hebdomadæ VII. accommodatæ.

Pſychagogia ex D. Auguſtini Comment. in Pſalmos.

Conclave Animæ fidelis.

Exercitia pia in gratiam Novitiorum Cœnobii ſui.

Opera ejus in unum Corpus redegit & edidit Jac. Froius ipſius diſcipulus.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

* * *

Caſp Cunradus Med. in Proſopographiâ Medicâ Millenario III.

Hoc ei conſcripſit diſtichon:

Bloſius exacto tres linguas calluit ore,
Stemmate par cuivis, nec pietate minor.

Scripſit *Aſcetica*, quibus nihil ad homines â curâ mortalium rerum abducendos & ad cœleſtis patriæ amorem inflammandos inveniri poteſt ardentius, teſte *Poſſevino*.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

GEORGIUS CASSANDER.

Obiit A.C. 1566.

IN Inſulâ *Flandriæ Caſſant* natus A.C. 1515. inde cognomen accepit, Vir Græcè Latinèque doctus, Grammaticus & Rhetor inſignis, Hiſtoricus & Theologus eximius, *Theologus Pontificius.* quem hæreſeos quidam inſimulant.

Vitam clauſit *Coloniæ* A. C. 1566. & ſepultus eſt ad ſummum altare in *D. Franciſci*, hoc Epitaphio:

Epitaphium.

QUANDO? TANDEM.
DEO OPT. MAX. SACR.

GEORGIO CASSANDRO BELGÆ, THEOLOGO IN PERSCRUTANDIS SACRIS BIBLIIS, ET EXPENDENDIS S. S. PATRUM MONUM. ATQUE SENTENTIIS DILIGENTISS. QUI HOC NOMINE, TUM PIETATE ANIMIQUE MODERATIONE CLARUS, AB INVICTISSIMIS IMPP. FERDINANDO I. ET MAX. II. DE CONCILIANDIS ARTICULIS IN RELIGIONE CONTROVERSIS CONSULTUS, ET IN AULAM ADSCITUS FUIT. ITER AUTEM EO PROPTER PODAGRAM, CUJUS POST DOLORIBUS OCCUBUIT, SUSCIPERE PROHIBITUS LIBRUM DE EA CONCILIATIONE PERUTILEM PACIS AMANTIBUS ECCLESIIS, EX EORUNDEM CÆSARUM AUCTORITATE, JUSSU, MANDATOQUE CONFECIT. VIRO ITAQUE VARIÆ DOCTRINÆ GENERE PRÆSTANTI CORNELIUS GUALTERUS GANDAV. STUDIORUM

EJUS

jus Atque Peregrinationum Socius, individuusque comes Populari suo posuit. Vixit ann. LII. M. V. D. X. H. V. Obiit III. Non. Febr. MDLXVI. Te vivente mihi gratissima, docte Georgi, vita fuit, liceat te moriente mori. Mors meta malorum. Absit gloriari nisi in Cruce Domini.

Scripta. Extant hæc ejus Scripta, ſed pleraque Eccleſiaſticæ Cenſuræ ſubjecta:

Litburgica de ritu & ordine Dominicæ Cœnæ celebrandæ.

Ordo Romanus de Officio Miſſæ, Libelli aliquot pervetuſti, continentes ordinem, quem Pontifex, præſertim Romanus, jam olim in celebrando Officio Miſſæ obſervare conſuevit.

Hymni Eccleſiaſtici, præſertim qui Ambroſiani dicuntur, multis in locis recogniti, cum Scholiis.

Appendix de Spiritu Sancto nominatim invocando.

Preces Eccleſiaſticæ, quæ Collectæ vulgò dicuntur, ex variis libris Eccleſiaſticorum Officiorum conquiſitæ, cum aliis nonnullis Precationibus Collectarum ſpeciem referentibus.

B. Viglii, Martyris & Epiſcopi Tridentini Opera, ſcilicet Diſputatio inter Sabellium, Folinum, Arrium, & Athanaſium.

Ejusdem adverſus Eutychen, & alios hæreticos de Chriſto Domino noſtro malè ſentientes Lib. V. integrè editi ex Bibliotheca P. Pithœi Galli, cum Præfatione Caſſandri.

Comment. de duabus Chriſti naturis & unicâ hypoſtaſi, adverſus hujus ætatis hæreſes.

Honorii Auguſtodonenſis Eccleſiæ Presbyteri de Prædeſtinatione, & Libero arbitrio Dialogus, quem poſtea *Johannes Conen* Theol. Licentiatus, & Cœnobii S. Mariæ in *Tungerlo* Ordinis Præmonſtratenſis Prior, correctiorem evulgavit, præmiſsâ eleganti Præfatione.

Epiſtolæ duæ, una Proſperi, altera Hilarii Arelatenſis Epiſcopi, de reliquiis Pelagianæ hæreſeos, cum Præfatione Caſſandri.

De Baptiſmo Infant. teſtimonia veterum, qui intra 300. circiter annos à temporibus Apoſtolorum floruerunt.

De Baptiſmo Infant. Doctrina Catholicæ Eccleſiæ, Divinarum literarum teſtimoniis explicata.

De officio pii ac publicæ tranquillitatis verè amantis viri in hoc Religionis diſſidio. In quem, ut malum libellum, ſcripſit *Johannes Heſſelius*, & *Johannes Calvinus*, at neutris ferè placent, qui ſe medios profitentur. *Calvinus*, ratus, ejus auctorem eſſe *Franciſcum Balduinum*, qui à ſe ad Catholicos defecerat, velitationem ſcriptis ſuſcepit: & *Caſſander* defenſionem ejus Libelli edidit, ſub nomine *Veranii Modeſti Pacimontani.*

Traditionum veteris Eccleſiæ, & S. Patrum Defenſio adverſus Calvini Criminationes.

Item Reſponſio ad calumnias, quibus Caſſander in Germanico quodam Libello petulanter impetitur.

De Arte Concionandi Liber.

De Articulis Religionis inter Catholicos & Proteſtantes controverſis Conſultatio, cum Præfatione ad Ferdinandum, & Maximilianum II. Impp.

De S. Communione Chriſtiani populi in utrâque ſpecie, Conſultatio.

De Viris illuſtribus Liber, continens vitam eorum, qui commemorantur in S. Bibliis, usque ad Regum Hiſtoriam.

Epiſtolæ ad diverſos CXVII.

Acta Colloquii habiti à Georgio Caſſandro cum Johanne Kremer à Caſtorp, Anabaptiſmi causâ captivo.

Acta Colloquii inter Caſſandrum & Matthiam Anabaptiſtam habiti A. C. 1565.

Scripta ejus, quæ adhuc juvenis edidit, ſunt ſequentia:

Viri aliquot illuſtres, qui ante Procam in Latio fuère.

Oratio Panegyrica in laudem Urbis Brugarum habita anno 1541.

Tabulæ breves & expeditæ in præceptiones Rhetoricæ.

Tabulæ Præceptionum Dialecticarum, & Locorum Dialecticorum.

Supputatio rei nummariæ ac Græcorum ad Monetam Flandricam.

Plauti Sententiæ & loquendi formulæ venuſtiores ex omnibus Comœdiis decerptæ, adjectis Scholiis in ſingulas Comœdias.

Sententiæ ex libris S. Auguſtini de Prædeſtinatione Sanctorum, & de Bono Perſeverantiæ.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

* * *

Jacobus Auguſtus Thuanus hæc de eo ſcripſit: *Georgius Caſſander*, vir utriusque linguæ peritiâ & antiquitatis cognitione ac rerum poſtremò ſacrarum diligenti ſcrutatione præcellens, rarâ hoc ævo modeſtiâ, & iis, qui ingenium hoc ævo contentionibus exercent ad vitandam acerbitatem in exemplum proponendus. Nam tot dotibus inſtructus, ille nunquam faſtu intumuit, contumeliis petitus, nunquam paria reddidit, nullumque arrogantiæ ullius veſtigium vel in moribus, vel in ſcriptis ejus deprehenſum fuit.

* *Ex Elogiis Thuaneis Viror. doctor. C. B.*

Poſtquam *Brugis* diu docuit, in *Cliviam* à *Wilhelmo* Principe vocatus, ad diſcutiendam Anabaptiſtarum cauſam, *Duisburgi* aliquandiu hæſit, indè in *Germaniam* perrexit, & cum *Cornelio Gualtero*, ſtudiorum munifico comite, *Coloniæ* in *Ubiis* larem fixit, ubi arthritidis doloribus confectus defecit anno ætatis 52.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

MARCUS BERSIUS.

Obiit A.C. 1566.

R*oſchachienſis* de *Lacu Acronio*, Divina oracula ſummâ fide, junctâ vitæ integritate plebi recludens interpretatus eſt, cœterasque pii Paſtoris partes diutiſſimè peregit. *Eccleſiæ Paſtor Baſileenſis.*

Nam & naſcenti in urbe *Baſileâ* Evangelio inter-

interfuit, & adoleſcenti 43. annis continuis præfuit, ut in ætate etiam decrepitâ univerſis, qui eum audiverant, ob ſingulare docendi donum, gratus permanſerit.

Summi denique boni, quod fide apprehenderat, ſpe conceperat, oreque docuerat, contemplandi & perfruendi deſiderio, ad Kal. Aprilis, A. C. 1566. ætatis 84. vinculis mortalitatis placidè exſolutus eſt.

* *Ex Epitome Hiſtoriæ Baſileenſis Chriſtiani Urſtiſii.*

Obiit A. C. 1566.

JOHANNES DRACONITES.

Natus eſt *Caroloſtadii, Franconiæ* oppido A. 1494.

Puer, cum indolem præ ſe ferret bonam, in ludum literarium miſſus eſt, ubi feliciter jactis fundamentis *Erphordiæ* Magiſterii titulo, ſive Doctoris Philoſophiæ ornatus eſt, pro familiaribus agnoſcens *Juſtum Menium, Euricium Cordum, Eobanum Heſſum,* & *Joachimum Camerarium*; propter Hebrææ linguæ ſtudium verò *Paulum Fagium* ſectatus eſt. *Magiſter Philoſophiæ.*

Totum ſe deindè Theologiæ dedidit, idq́; tanto cum ſucceſſu, ut cum *Wittebergam* veniſſet, inter initia doctrinæ Evangelicæ inſtauratæ, Theologiæ Doctor fuerit ſalutatus. *Theologiæ operam dat. Theologiæ Doctor.*

Marpurgi poſt annos complures ſacram explicavit ſcripturam, eique anno 1544. Rectoris delata fuit dignitas, quo ſub Rectoratu à *Wittebergenſibus* Theologicæ Facultatis petitum eſt ſigillum & impetratum, ut id perpetui conſenſus eſſet Symbolum. Anno quoque 1545. Decani perfunctus eſt munere. *Docet Marpurgi.*

Synodis etiam atque Colloquiis, Religionis cauſa inſtitutis, interfuit, ut & A. 1530. in *Comitiis Auguſtanis.* *Intereſt Conventibus.*

Roſtochianæ deindè Scholæ docendo inſervivit. *Roſtochio* verò in *Boruſſiam* evocatum, *Albertus* Dux Eccleſiis in ditione *Sambienſi* Epiſcopum præfecit. *Roſtochii docet. Epiſcopus Sambienſis.*

Poſt plures autem annos *Wittebergam* regreſſus eſt, ut *opus Biblicum quintuplex* componeret, (textum ſc. Hebraicum, Chaldaicum, Græcum, Latinum & Germanicum) ad quod Elector *Saxoniæ Auguſtus* ſumptus ipſi decreverat neceſſarios, verùm morte præventus obiit *Wittebergæ* ſeptuagenario major. A. 1566. ætat. 72. 18. April. *Opus quintuplex Bibliorum. Moritur Wittebergæ.*

Sepultus autem eſt ibidem, ubi in ingreſſu chori templi parochialis ſaxo inſculptum tale legitur monumentum: *Epitaphium.*

Qui vatum in foliis Chriſtum & velamine Moſis
Quæſiit, Iſaclis fontibus ora lavans,
Luce, Draconites, clara jam conſpicit ipſum
Plenius, è vivo ſacraq; fonte bibit.

PLACIDE IN CHRISTO OBDORMIVIT JOH. DRACONITES S. THEOL. D. DIE XVIII. APR. A. MDLXVI. ÆGRESSUS LXXII. ÆTATIS ANNUM.

Paulus Meliſſus defunctum tali celebravit Epigramate:

Hos cineres, hæc buſta fides innoxia ſervat,
Dulcisque Spes & Charitas,
Filiæ Jovis inclyti ſorores.
Prima ſacras lauri frondes, at proxima palmæ
Sparſit virentes ramulos,
Mitis ultima gemmulas olivæ.
Salve chare Senex! tu nunc ceu ſtellula fulges,
Celſo micans in æthere:
Hoc tui pretium laboris eſto.

Theologus hic eruditionis copia & quatuor linguarum Hebrææ, Chaldææ, Græcæ & Latinæ peritiâ inſtructiſſimus, Operis dicti quintuplicis ſpecimina quædam edidit, quæ exſtant: tranſtulit item *aliquos V. T. libros*, cum Scholiis ſeorſim adjunctis. Edidit & *Commentar. in Prophetas aliquot.*

Item ſcripſit *Scripta.*

Commentarium in Pſalmos aliquot & Capitula Geneſeos de Chriſti Regno.

Pſalterium ex Hebræo verſum cùm Scholiis ſeorſim adjunctis.

Commentarium in Danielem ex Hebræo cum Oratione & indice.

In Pſalm. CXII. Enarrationes.

Commentaria in Evangelia ab Adventu, usque ad Aſcenſionem Chriſti, & hinc ad Adventum, quibus adjectus eſt Catechismus.

Commentaria in Joëlem, Obadiam & 137. Pſal. inq; diverſos Prophetas interpretationes, atq; Amos Prophetam ex Hebræo convertit in Latinum.

Noviomagi Martini Lutheri ac Eliſabethæ Blandenheimiæ obitum edidit.

Orationem in peſte ſuper illud Jobi 19. Scio quod Redemptor. &c.

De Catechiſmo ſuper Evangelium Marci X.

De Evangelico Concionatore.

De Officio Principis & Concionatoris.

De Victoria Principis ex 149. Pſal.

De Chriſtiana fide, ad Bremenſes.

Defenſionem conjugii Sacerdotalis ac Concionatorum Evangelicorum ad Colonienſes.

De numeris Oratoriis librum.

Poſtillam per annum 1545. atque Conciones, quibus Meſſiæ nomina interpretatus eſt.

Præter hæc ſubjecit etiam textui Hebraico *Proverbiorum Salomonis* quatuor aliarum linguarum verſiones & annotationes: idemque præſtitit in aliquot *Prophetas.*

* *Ex Melch. Adam. Vitis German. Theol. & MSS. Marpurgenſibus.*

WIGANDUS ORTHIUS.

Obiit A. C. 1566.

Wettræ, Haſſiæ oppidulo inter *Marpurgum* & *Francobergam*, honeſtâ familiâ natus eſt A. 1517.

Ingenio verò felici cum eſſet & in Academiâ Marpurgenſium artium & linguarum, maximè Hebrææ, fundamenta jeciſſet, ad S. Theologiam animum appulit, in quâ Doctorales honores aſſecutus eſt; cum omnes æquales ingenio & doctrinâ longè ſupe- *Doctor Theologiæ.*

Digitized by Google


IOH. DRACONITES
Epiſc. Sambiens.
WIGANDUS ORTHIUS
Theol. Marpurg.
IOH. AGRICOLA
Theol. Berolin.
AMBROS. BLAURERUS
Theol. Conſtant.
IOH. LONICERUS
Theol. Marpurg.
IOH. SEBAS. PRAUSERUS.
Antiſt. Lauing.
PAULUS EBERUS
Theol. D. Witteb.
IOH. BRENTIUS
Theol. Stutgard.
THOMAS BECONUS
Præbend. Cantuar.
NICOLAUS GALLUS
Theol. Ratiſb.
SEBAST. FROSCHELIUS
Eccleſ. Witteb.
PETRUS VIRETUS
Theol. Bearnens.
DAVID WHITEHET
Theol. Oxonienſis.
IOH. GARETIUS
Theol. Antverp.
IOH. IVELLUS
Epiſc. Sariſb.
STEPHAN SZEGEDIN,
Theol. Laſcovienſis.

Digitized by Google

ſuperaret, & ſermonis puritate uteretur vere Latinâ.

A. 1564. Cum *Andreas Hyperius*, quo Præceptore feliciter uſus erat, deceſſiſſet, in ejus locum ſubrogatus, & S. Theol. Profeſſor in Academiâ *Marpurgenſi* declaratus eſt.

Theologiæ Profeſſor Marpurgenſis.

Vix autem elapſo biennio 28. Aprilis anno 1566. *Goſfeldiæ* apud *Balthaſarem* patrem peſte extinctus eſt fato præmaturo, eoque ſingulari. Peſtis enim tum erat *Marpurgi* nullibi, & tamen ædes *Wigandi* ita infectæ erant contagio, ut intra octiduum præter famulam omnes ex *Orthianâ* illâ obierint familiâ.

Moritur.

Peſtis ſingularis.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Theol. German. & MSS. Marpurgenſibus.*

Obiit A.C. 1566.

JOHANNES AGRICOLA, ISLEBIUS DICTUS.

NAtus eſt *Islebiæ*, Comitatûs *Mansfeldici* oppido, undè cognomen ei adhæſit, 20. April. A. 1492.

Jactis primis literarum fundamentis, *Wittebergam* venit, ubi Philoſophicis diſciplinis Theologiæ ſtudium felici quadam temperaturâ conjunxit.

Theologiæ operam dat.

A. 1526. Cum Electore Saxoniæ ad Conventum *Spirenſem* veniens, cauſam Evangelii ſuſcepit, ſimili modo, quo A. 1530. *Auguſtæ* Confeſſioni eo nomine celebratæ cum aliis Theologis ſubſcripſit, à quâ tamen poſteà in pleriſque ſeſe disjunxit.

Venit Spiram.
Auguſtanæ Confeſſioni ſubſcribit.

A. 1538. Sectæ *Antinomorum* ſe adjunxit, ſtatuentium, quantumvis hominis vita eſſet impura, juſtificari tamen eum, modò crederet Evangelii promiſſionibus. Tum verò à *Luthero* commonefactus & rectiùs inſtitutus errorem ſuum publico ſcripto confeſſus eſt.

Sectæ Antinomorum ſe adjungit, à quâ revocatur.

Paulò poſt *Wittenbergâ* diſceſſit in *Marchionatum Brandenburgenſem* & *Berlini* à concionibus fuit.

Berlini docet.

A. 1548. Bello *Germanico* finito, cum Principes Religionis cauſam Cæſari victori commiſiſſent, hic *Agricolam*, qui tunc Pontificiis ſeſe adjunxerat, duodeviginti autē ante annos pro *Saxonica* Confeſſione cum *Melanchthone* & *Brentio* ſteterat, vocavit, eique, ut & *Julio Pflugio* Epiſcopo *Naumburgico*, ac *Michaëli Sidonio* Suffraganeo *Moguntino* id negotii dedit, ut doctrinæ Cæremoniarum & emendationis Eccleſiaſticæ Formulam conſcriberent, quæ deinde *Interim*, *Interreligio*, & *Decretum Religionis*, Religions-Ordnung/ dicta fuit.

Adjungit ſe Pontificiis.

Interim librum cudit.

Pro eo labore liberaliter à Cæſare donatus, & *Mich. Sidonius* Epiſcopus *Merſburgenſis* conſtitutus eſt A. 1550. poſſeſſionem ſibi traditam tenuit ad A. 1561. ætatis 55. *Julius Pflug* præced. A. 1547. ab Imperatore in Epiſcopatum *Naumburgenſem*, à quo ante ſexennium à *Johanne Friderico* rejectus erat, reſtitutus eſt, eumque ad finem vitæ deinceps gubernavit.

Authores libri donati.

Licet autem *Agricola* Electori ſuo *Joachimo* perſuaſiſſet librum hunc eſſe moderatè ſcriptum, & ob id à Proteſtantibus non repudiandum, tantū tamē abfuit, ut Evangelicis ſatisfecerit, ut ne ipſis Pontificiis placuerit.

Interim & Pontificiis non uſque quaque placet.

Exarſit deindè in *Saxoniâ*, & latè ſe diffudit Bellum Theologicum de *Adiaphoris*, ad cujus compoſitionem *Islebiæ*, juſſu Principis ſui, Colloquiis Theologorum ſæpè interfuit, ſed irrito ſatis conatu.

Controverſiam de Adiaphoris componere conatur.

Finem tandem vivendi fecit *Agricola Berlini* 22. Sept. A. 1566. ætatis 74.

Moritur.

Scripſit

Commentaria in Evangelium Lucæ.
Adagia 300. Germanica.

Scripta.

Refutavit item *explicationem Pſalmi 19. à Thoma Müncero vernaculè editam.*

* *Ex Melchioris Adami Vitis German. Theol.*

JOHANNES HENTENIUS.

Obiit A.C. 1566.

NEchliniæ, ſive *Nalinæ*, ditionis *Leodicenſis* vico, honeſtè natus, adoleſcens in *Luſitaniâ* religioſæ *D. Hieronymi* familiæ ſe aggregavit, poſt *Dominicanorum Lovanii* inſtitutum amplexus Doctorque Theologus ſalutatus, *Johanne Heſſelio Trid.* in Synodo agente, vices ejus obivit, & Theologiam de ſupremo loco explanavit.

Dominicanus.
Theologiæ Doctor.

Studiis & calculi doloribus exhauſtus, *Lovanii* vivere deſiit 13. Octob. A.C. 1566. æt. 67.

Theologiæ Profeſſor Lovanii.

Petrus Bacherius, ejuſdem Ordinis Theologus, hos verſiculos amico

Epitaphii loco luſit:

Prætulit Hentenius privatis publica rebus
Commoda, cœnobio dives inopſque ſibi.
Jactet Ariſtidem præclarum Græcia, Roma
Publicolam, Hentenio dum ſit uterque minor.

Epitaphium.

Oecumenium in Acta Apoſtolorum, D. Pauli Epiſtolas, & Canonicas è Græco vertit.

Scripta.

Item *Euthymium Zigabenum in 4. Evangelia*, ſubjecitque eidem *Refutationem libelli de Legali Chriſti Sacerdotio.*

Aretham in Apocalypſin, & Remigium Altiſſodorenſem Epiſcopum in 12. Prophetas primò è tenebris eruit.

Biblia ſacra, juſſu *Caroli V.* Imperatoris, cum exemplaribus manuſcriptis, ſummo labore ac fide contulit, & contextum ex Græcis ac Hebræis fontibus emendavit, quæ *Lovanienſia* hodiè dicuntur.

De verâ Deo aptè inſerviendi methodo Libellum aureum & pium, auctore *Alfonſo Madritienſi* ex Hiſp. Latinum fecit, cui acceſſit *ſpeculum illuſtrium Perſonarum.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

JOHANNES FUNCCIUS.

Obiit A.C. 1566.

NAtus eſt *Werdæ*, in Suburbio *Norimbergenſi*, 7. vel, ut alii volunt, 25. Febr. A. 1518.

Diſciplinis humanioribus à puero deditus, non proletariam ſibi comparavit eruditionem. Poſteà ad ſacrarum etiam lite-

Digitized by Google

rarum ſtudia animum convertit, Concionibusque eſt præfectus.

Docet in Boruſſiâ. In *Boruſſiâ* ſcil. Concionator aulicus factus, *Alberto* Principi fuit acceptus.

Oſiandri gener. Fuit autem *Oſiandri* tum gener, tum pravarum opinionum defenſor usque ad annum 1556. quo per *Megapolenſis* Ducis Miniſtros meliora edoctus recantavit, & principem locum in gratiâ Principis tenuit.

Ex Concionatore Politicus. Ex Concionatore poſteà factus Conſiliarius Politicus, ex ambitione munere ſibi mandato relicto, ad civilia munia obeunda ſe contulit. Habuit enim Princeps in aulâ quendam *Paulum Scalichium*, qui cum ſe paulatim in gratiam Principis nimium creduli vanâ doctrinæ & pietatis opinione inſinuaſſet, ei perſuaſit, ut remotis Conſiliariis *Boruſſis* ſuſpectis, *Germanos* ſibi acceptos, nempè *Matthiam Horſtium*, ſcurrilitate ferè ſolâ gratum, *Steinbachium, Snellium*, & hunc *Funccium* ſubſtituerit: ſed *Scalichius*, tempeſtatem præſagiens, maturè ſe ſubduxit.

Paulò pòſt *Albertus*, Dux *Megapol.* Principem *Albertum* ſocerum ſuum accedens, ei perſuaſit, ut teſtamentum, quod fecerat, reſciderit, & *Scalichium* totâ *Borruſſiâ* exegerit, ac donationes ipſi factas aboleverit.

Funccius accuſatur. Poſteà *Funccius*, *Horſtius*, *Steinbachius*, & *Snellius* in vincula conjecti, tanquam publicæ pacis perturbatores, ad mortem damnati ſunt. *Steinbachio* vitæ gratia facta.

Et capite plectitur. De *Funccio* in foro *Regii montis* ſupplicium ſumtum, eique caput amputatum eſt 28. Octob. A. 1566. æt. 48.

Ante ſupplicium fertur hoc Diſtichon pronuntiâſſe:

Diſce meo exemplo mandato munere fungi,
Et fuge, ceu peſtem, τὴν πολυπραγμοσύνην.

Crimen ei objectum. Crimini autem inter alia datum eſt *Funccio*, quod ſeni Principi Conſilii pernitioſi autor fuiſſet, ut quando neminem in *Boruſſiâ* fidum ſubditum haberet, ad gentiles ſuos in *Germaniâ* ſe reciperet.

De Republicâ cœterùm benè meritus eſt *Opere Chronologico*, quod, tanquam exactiſſimè putatum, maximè probatum, & ad quod ipſi ſubſidia ſunt ſuppeditata â Socero *Oſiandro*, Hiſtorico non contemnendo.

Scripta. Scripſit præterea *Vitam Viti Theodori, Theologi Noribergenſis.*

Commentaria in Apocalypſin Johannis.

Et, quam promiſit, *vitam ſoceri Andreæ Oſiandri.*

Verùm an lucem hæc omnia viderint, dubitatur.

* *Ex Melchioris Adami Vitis German. Theol.*

JOHANNES HESSELIUS.

Obiit A.C. 1566.

Patriâ *Lovanienſis*, Theologiæ Doctor & Profeſſor eximius, *S. Auguſtini* & *Hieronymi* ſcripta præ cœteris ſibi familiaria reddidit.

Theologiæ Profeſſor Lovanii. Collegii minoris Theologorum *Lovanii* ſuo tempore inſtituti Præſes conſtitutus, & ad *Concilium Tridentinum*, *Johanne Haſſetio* extincto, ablegatus, eruditionem ſuam profundam in eâ Congregatione manifeſtavit. *Legatur ad Concilium Tridentinum.*

In patriâ tandem calculi doloribus oppreſſus, & apoplexiâ accedente extinctus eſt 7. Nov. A. C. 1566. æt. 44. In Templo *S. Petri* ſepultus jacet cum hoc Epitaphio: *Epitaphium.*

HIC E REGIONE SEPULTUS EST D. JOANNES HESSELS A LOVANIO, SACERDOS, HUJUS ECCLESIÆ CANONICUS, ET REGIUS S. THEOLOGIÆ PROFESSOR. VIR CELEBERR. ET PIETATE AC ERUDITIONE INCOMPARABILIS. QUI HÆRESES SUO TEMPORE GRASSANTES TUM VIVA VOCE, TUM EDITIS LIBRIS STRENUE PROFLIGAVIT. ET MORIENS LOVANII VII. IDUS NOV. ANNO INCARNATI VERBI MDLXVI. ÆTATIS VERO SUÆ XLIV. PIIS DOCTISQUE OMNIBUS, ET THEOLOGIÆ INPRIMIS SCHOLÆ MAX. SUI DESIDERIUM RELIQUIT. ORATE PRO EO.

Opera ejus ſunt ſequentia: *Scripta.*

Probatio corporalis præſentiæ Chriſti in Sacramento Eccleſiæ.

Confutatio novitiæ fidei, quam ſpecialem vocant, adversùs Joannem Mouchemium.

Explicatio in Symbolum Apoſtolorum.

Precationis Dominicæ & Salutationis Angelicæ Explicatio.

De perpetuitate Cathedræ D. Petri.

Commentar. in priorem S. Pauli Epiſtolam ad Timotheum, & in priorem S. Petri Canonicam.

Comment. in Matthæum.

Catechiſmus Latinus.

Declaratio quod Euchariſtiæ ſumtio ſub unicâ Panis ſpecie neque Chriſti inſtitutioni adverſetur, nec minus fructuoſa ſit, quàm communio ſub utrâque Panis & Vini ſpecie, cum diſſolutione eorum, quæ contrà afferuntur.

Comment. in Epiſtolas Canonicas S. Johannis.

De Miſsâ & Officio vulgari linguâ non celebrandis.

Decalogi brevis & Catholica explicatio.

De Officio pii viri & veræ pacis amantis, exſurgente & vigente hæreſi, adversùs Caſſandrum.

De Invocatione Sanctorum, & eorum Vitis atque Legendis Cenſura.

Commentar. in Jeſu Chriſti Paſſionem, Reſurrectionem, Aſcenſionem, & Spiritûs Sancti Miſſionem.

Explicatio trium Sacramentorum, Baptiſmi, Confirmationis, & Euchariſtiæ.

Ad quid teneantur Religioſi vi voti ſui?

De Schiſmaticis Templis Judæorum, & vero Dei Templo ex Hiſtoriâ Flavii Joſephi.

* *Ex Theatro Italico Virorum doctorum Hieronymi Ghilini.*

GEORGIUS VENETUS.

Obiit A.C. 1567.

Nobilis *Boruſſus*, *Boruſſiæ Ducalis* non vulgare decus A. 1550. *Wittebergæ* pro Licentiâ diſputavit, & â *Johanne*

Digitized by Google

Johanne *Forſtero* Theologiæ Doctor creatus eſt.

Theologiæ Profeſſor Regiomonti. Primùm is Theologiæ Profeſſor fuit in *Academia Regiomontanâ*, ſed cum *Andreæ Oſiandro* acerrimè contradiceret, in exilium actus, primus *Pomeraniæ* Epiſcopalis ſive *Caminenſis* Superintendens conſtitutus eſt; ibique Sacra apud Ducem *Pomeraniæ* obivit, donec revocatus in *Boruſſiam* A. 1567. Epiſcopus *Pomezanienſis* crearetur. *Epiſcopus Pomezanienſis.*

Scripta. Edidit

Commentarium in Epiſtolam ad Romanos.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

AMBROSIUS BLAURERUS.

Obiit A.C. 1567.

Conſtantiæ ex nobili familiâ natus eſt 4. April. A. 1492.

Vitam eligit monaſticam. Primùm vitam monaſticam in Cœnobio *Albersbacenſi* in finibus agri *Wirtenbergici* zelo Religionis profeſſus eſt.

Lutheri libros legit, hincq; commotus ad ſuos redit. Deinde lectis *Lutheri* libris cum ingenio valeret, alium induit animum & ſodalitio relicto, in patriam ad parentes ac propinquos reverſus eſt. Cum autem A. 1523. Abbas monaſterii per ejus Regionis Præfectum Senatum *Conſtantienſem* de eo remittendo interpellaſſet, *Blaurerus* contrà edito ſcripto conditiones propoſuit, quibus redire vellet, ſed tales, ut eas repudiante Abbate *Conſtantiæ* permaneret. Docuit ergò *Conſtantiæ* Evangelium, fruſtrà ringentibus Canonicis, quibus jam à Magiſtratu frenum erat injectum. *Devocatur Blaurerus. Docet Conſtantiæ.*

Intereſt Diſputationi Bernenſi. A. 1528. Conventui ac diſputationi *Bernenſi* cum *Zwinglio, Oecolampadio, Capitone, Bucero*, & aliis interfuit, poſt cujus exitum ſicut *Bernæ*, ita & *Conſtantiæ*, jubente Magiſtratu, Papiſtarum ritus aboliti ſunt.

Venit Auguſtam. Docet ibi. A. 1539. *Auguſtam Conſtantiâ* venit Religionis conformandæ causâ, autore *Conrado Stierlino* plebejo Eccleſiæ Præpoſito. Ubi Conciones habuit vehementes in Templo *Mauritiano* contra luxum: Verùm *Wolffgangi Rechlingeri* Conſulis tunc juſſu præter exſpectationem diſceſſit. *Diſcedit.*

Interim Conſtantienſibus obtruſum. Abit Blaurerus. Inde fidelis Paſtoris munere in patriâ functus eſt usque ad A. 1548. quo *Conſtantienſes* nolentes volentes *Interim* receperunt: quod cum non poſſet approbare, patriam reliquit, & tum *Biennæ*, tum *Vituduri*, & alibi Eccleſiis operâ ſuâ inſervivit.

Moritur. Curſum vitæ ſuæ abſolvit A. 1567. ætatis 75.

Scripta. Edidit:

Epiſtolam exhortatoriam ad Eccleſiam Conſtantienſem.

Theſaurum ſpiritualem, quâ ratione homo Chriſtianus ad mortem ſe parare debeat.

Concionem Bernæ habitam, cum actis diſputationis Bernenſis.

* *Ex Melch. Adami Vit. Germ. Theol.*

PETRUS LOTICHIUS.

Obiit A.C. 1567.

Natus eſt A. C. 1501.

Fit Monachus. M. Jan. A. 1516. A parentibus è ludo literario *Lipſienſi* evocatus in Monaſterium, quod eſt *Solitariis*, adductus, & Sacris Monaſticis ritè initiatus eſt, Abbate tunc ejus loci *Chriſtiano Happone Windeccenſi*, qui II. alios Sacerdotes Conventuales dictos juxta ſe in Cœnobio habuit.

Sacerdos. A. 1523. Sacerdos ritè inauguratus abindè quotidiè Miſſæ Sacra peregit.

A. 1525. Exortis in Germaniâ turbis ruſticorum inſanientium, unà cum Abbate ſuo & cœteris Conventualibus ad *Hanoviæ Comites* confugit.

Inſpector Eccleſiæ Solitarienſis. Furoribus iis ſedatis, cum ad Sacra patria regreſſi eſſent, Abbas *Lotichium* hunc Eccleſiæ *Solitarienſi* ut Inſpectorem præfecit, licèt tunc minus S. Theologiæ myſteriis imbutus eſſet. Poſtquàm verò libellos à *Luthero* & *Melanchthone* tunc temporis editos legiſſet, multùm indè in munere ſibi demandato adjutus, tùm è ſuggeſtu publicè concionatus eſt, tùm cœtera munia Eccleſiaſtica ſtrenuè obivit.

Abbas Evangelicus. A. 1534. Abbate *Chriſtiano Happone* rebus humanis exempto, ritè electus Abbas ſucceſſit, & de Eccleſiæ ſuæ Reformatione cogitare cœpit.

Scholam aperit. Eo tempore novam Solitariis Scholam aperuit, ad quam brevi numeroſa juvenum cohors confluxit. Ex eâ deindè multos adoleſcentes in *Wittenbergenſem* & *Marpurgenſem* Academiam miſit, qui variis in Eccleſiis Verbum DEI deinceps docuerunt.

A. 1543. Eccleſiæ Reformationem in Monaſterio ſuo ejusque diœceſi audacter ſuſcepit, quam etiam Epiſtolâ eruditâ Latinè ad Abbatem *Fuldenſem* ſcriptâ egregiè tutatus eſt. In eo negotio multùm adjutus eſt ab *Enneobolo* Paſt. Eccleſiæ *Hanovienſis*, *Johanne Gaſſio* Paſtore tunc *Steinavienſi*, & *Matthia Limpergio* Paſtore Francofurtenſi: Comites verò *Hanoviæ* nactus eſt Patronos.

Interim amplecti recuſat. A. 1549. Cum Paſtores Superioris Comitatûs *Hanovici* ſuper amplectendo Axiomate Interimiſtico mandatum accepiſſent, præeunte *Lotichio*, cordatè reſponderunt: *Se illud illæsâ conſcientiâ præſtare non poſſe, & malle potius omnes emigrare, quàm tali facto conſcientiam lædere.*

Moritur Hanoviæ. Cum ita cœlebs per multos annos pietatem erga DEUM, charitatem Chriſtianam erga proximum, benignitatem erga pauperes, munificentiam in Eccleſiam & Scholam exercuiſſet, tandem cum *Hanoviæ* apud Comitem, animi recreandi causâ in canicularibus ſubſiſteret, placidè in Chriſto obdormiſcens, animam Creatori tradidit 23. Junii A. 1567. cum in Cœnobio annos 50. in Abbatiâ 33. transegiſſet, & vixiſſet annos 66.

Corpus ejus *Solitariam* curru reportatum, ibi ſepultum eſt 25. Junii ſeq. Sepultu-

ram publicæ Concionis Elogio honoravit *Nicolaus Steinienſis.*

* *Ex Bibliotheca Poëtica Johannis Petri Lotichii Med. D.*

PETRUS CURTIUS.

Obiit A.C. 1567.

Theologiæ Profeſſor. *Epiſcopus Brugenſis.* BRugenſis S. Theol. Doctor, & in Academia *Lovanienſi* Profeſſor; & ibidem in D. Petri æde primariâ Paſtor. Primus *Brugenſium* Epiſcopus Succeſſorem habuit *Remigium Druitium.*

Scripſit, teſte *Dionyſio Harduyno, in ſuo eruditorum Flandriæ Virorum MS. Catalogo, Homilias* quaſdam *ineditas*, apud hæredes latentes.

Moritur. Fati munus implevit *Brugis*, & ſepultus in *D. Donatiani* hoc Epitaphio:

Epitaphium. REVER. DNO D. PETRO CURTIO BRUGENSI, PRIMO HUJUS CIVITATIS INSTITUTO EPISCOPO, PERPETUO FLANDRIÆ CANCELLARIO, QUONDAM APUD LOVANIENSES THEOLOGIÆ PROFESSORI ORDINARIO, HOC MONUMENTUM EXTREMÆ VOLUNTATIS DESIDERIO POSITUM EST. SEDIT IN EPISCOPATU ANN. V. MENS. VIII. D. IX. VIXIT ANNOS LXXVI. OBIIT XVI. KAL. NOVEMB. cIↄ Iↄ LXVII.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

CHRISTIANUS LOTICHIUS.

Obiit A.C. 1568.

SOlitarienſis Theologus & Poëta, paucis annis minor fuit fratre germano *Petro Lotichio Secundo*, Poëtâ celeberrimo, cum quo à Parente ſuo patrocinio *Petri Lotichii*, Abbatis *Solitarienſis*, puer commendatus eſt, qui perſpectâ eximiâ indole eum quoque, velut adoptatum, in patriâ Scholâ Præceptoribus erudiendum commiſit.

Wittenbergæ ſtudet Theol. Cum verò ad altiora ſtudia videretur idoneus, *Wittenbergam* miſſus eſt, ut ibi, *Philippo Melanchthoni*, & Viris aliis clariſſimis, commendatus, in ſtudiis Philoſophicis, inprimis verò in S. Theologiâ fructûs minimè pœnitendos faceret.

Et Poëſi. Cum verò laudabili præeuntis ſibi fratris *Petri Lotichii Secundi* exemplo haud modicùm incitaretur, ſtudium etiam poëticum ſibi elegit, in quo licet non omninò fratrem æquaret, eum tamen feliciter æmulatus eſt.

Magiſter Philoſophiæ. Intereà inſignes etiam in Philoſophiâ & Artibus humanioribus fecit progreſsûs, ut poſtmodùm ab Academiâ *Heidelbergenſi* Philoſophiæ Magiſter ſolenniter inauguratus fuerit 13. Cal. Septemb. A. C. 1549. Quibus ornamentis inſignitus à D. Patruo Abbate ad gubernationem Eccleſiæ & Scholæ patriæ vocatus fuit. *Paſtor Eccleſiæ Solitarienſis.*

Non multò pòſt Uxorem duxit, ex quâ filios ſuſcepit, *Nicolaum, Johannis Petri Lotichii*, Medici & Poëtæ celebris, patrem, & *Petrum*, unicam verò filiam *Catharinam*, quæ poſtmodùm *Adamo Muſculo* Theologo nupſit.

Intereà autem dum ſub patruo Regimen Eccleſiæ & Scholæ patriæ adminiſtrat, adeoque Vice-Abbatis munere fungitur, præmaturâ morte extinguitur *Heidelbergæ* frater ejus dilectus *Petrus Secundus Lotichius*, Poëta totius Germaniæ, *Jacobi Auguſti Thuani* judicio, præſtantiſſimus A. 1560.

A cujus obitu luctuoſo multi eum Viri Clariſſimi, ut poſthuma defuncti fratris Poëmata colligeret, unàque vitam & curſum ſtudiorum fraternorum pertexeret, per literas frequentes *Solitariam* emiſſas interpellârunt. Hos inter anteſignani fuerunt *Eraſmus Neuſtetter, Sturmerus* dictus, Canonicus *Herbipolitanus*, eruditionis famâ illuſtris, & *Germaniæ* decus illud *Joachimus Camerarius.*

Intereà dum tantorum Virorum votis ſatisfacere ſtudet, non multò pòſt Parcæ invidæ etiam minimè parcunt Dom. Abbati patruo *Petro Lotichio*, quem *Hanoviæ* apud ejus loci Comitem animi gratiâ, frangendi Caniculares igitur, ſubſiſtentem, de mortali hâc vitâ in immortalem tranſponunt A. 1567. Hujus corpus defuncti *Hanoviâ Solitariam* rhedis deportatum, ſolennibus cæremoniis humandum ſepulturæ tradidit in Baſilicâ Cœnobii *Solitarienſis*, in quâ effigies hujus Abbatis marmorea ad vivum expreſſa ſpectatur.

Poſt peracta Sepulturæ ſolennia, Conventuales de novo Abbate eligendo convenerunt, quos inter *Chriſtianus* hic prærogativam tenuit dignitatis & voti. Is verò modeſtiæ causâ ſuo juri cedens, votum & ſuffragium dedit Sororio ſuo *Sigfrido Hetteno*, Eccleſiæ *Gröningenſis* patriæ Paſtori, cui mox omnes Conventuales aſſenſum dederunt. *Abbatiam Solitarienſem recuſat.*

Paucis elapſis menſibus *Chriſtianus* patruum inſecutus animam DEO placidâ morte tradidit A. C. 1568. *Moritur.*

Poëmata varia edidit.

Fratris *Petri Lotichii Secundi Poëmata* poſtmodùm collegit & edidit *Johannes Hagius* Medicus *Francus*, amicus *Lotichii* vetus. *Scripta.*

* *Ex Bibliothecæ Poëticæ parte III. Joh. Petri Lotichii Med. & Poetæ*, qui hoc ei præmiſit *Epigramma* honorarium:

Nomine par fratri, par carmine penè, Secundo
Lotichius Vates hic quoque clarus ovat.
Sic felix Patruus, Vates hic ecce Nepotes
Aoniâ celebres educat arte duos.

ANDREAS AUGELIUS.

Clar. A.C. 1568. *Paſtor Eccleſiæ.*

WItteberga Saxon. à Diaconatu ad Paſtoratum pervenit & A. C. 1558. 2. Februar. in ipſo Purificationis *B. Mariæ* [illegible] Feſto, Concionem ex Joh. 1. v. 15. 18. habuit inauguralem, & ſolenniorem Univerſitatis *Jenenſis* introductionem eâdem celebravit.

Obiit

Superintendens Orlamundenſis.

Obiit *Orlamundæ* Eccleſiaſtes & Superintendens circa A. C. 1568.

Andreas Hugel felici ſidere ſpartam
Paſtoris quintus ſuſcipit, ornat, amat.
Atq; ſub auſpiciis Salanæ ritè perorat
In templo, Michaël Angele ſancte, tuo.
Strigelii partes ſequitur, cauſamq; ſevere
Arrodit Flacii perſequiturq; bonam.

* *Ex Nomencl. Paſtor. Jenenſ. Adriani Bejeri.*

Obiit A. C. 1568.

JOHANNES AURIFABER.

PEriochen vitæ hujus complectitur Epitaphium ſeq. memoriæ ejus poſitum:

JUSTIFICANTES MULTOS, UT STELLÆ IN SEMPITERNA SECULA ERUNT.

Eccleſiæ apud D. Mar. Magd. miniſter Uratiſlav.

JOHANN. AURIFABRO URATISLAV. S. THEOL. DOCT. ET ECCLESIÆ HUJUS PASTORI, ACADEM. WITTEBERG. ET ROSTOCH. QUONDAM PROFESSORI: ANTE REDITUM VERO IN PATRIAM SAMLANDIÆ POMESSANIÆQUE IN BORUSSIA PER PLURES ANNOS PRÆSIDI, VIRO PURÆ RELIGIONIS STUDIO ET TOTIUS PHILOSOPHIÆ, IMPRIMIS VERO MATHESEOS AC LINGG. PRÆCIPP. COGNITIONE CL. VITA IN HIS TERRIS ANN. LI. M. VII. D. XVII. HONESTE ET LAUDABILITER ACTA: ANNO VERO MDLXVIII. DIE. M. OCTOB. XIX. SUPERSTITE CONJUGE SARA, JOHANNIS HESSI THEOL. DOCT. FILIA: QUÆ QUADRIENN. POST RELICTIS QUATUOR FILIIS ET DUABUS FILIABUS DIEM SUUM OBIIT FELICITER ET SANCTE MORTUO.

LAURENTIUS SCHOLTZIUS URATISL. PHIL. ET MED. D. SOCERO ET SOCRUI OPT. HIC CONDITIS OFFICIOSÆ PIETATIS ERGO P. M. D. XC.

Obiit A. C. 1568.

ERASMUS, EPISCOPUS ARGENTINENSIS.

EX Comitum *Limpurgenſium* familiâ, vir fuit pietate & eruditione prædicandus, qui puer *Tubingæ* â *Johanne Stoflero* in Mathematicis, in Juris ſcientiâ â *Conrado Bruno*, & *Johanne Marquardo* inſtitutus, *Lutetiæ Pariſiorum Johanni Sturmio*, quò ſe tunc ille contulerat, operam dedit; cumque poſteà *Argentinam* evocatum Scholæ præfecit dum vixit, Pacis, quam & religioſè coluit, ſtudioſus, ut qui concordiam Eccleſiæ ex Patrum autoritate, abjectis, quæ pravâ conſuetudine irrepſerant, ſarciendam cenſebat. Fato conceſſit 3. Kal. Dec. A. C. 1568.

Mathematicus. Juris peritus. Johannis Sturmii patronus. Pacis Eccleſiæ cultor.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi â Stöcken Holſati.*

SIXTUS SINENSIS.

Obiit A. C. 1569.

Ordinis Dominicani Curator

MOnachus eruditæ diligentiæ, qui â Summo Pontifice *Pio V.* cùm Ordinis *Dominicani* ſupremus Curator eſſet, è tenebris errorum, ut ipſe dicere ſolebat, & quaſi ab inferis revocatus, huic ſacræ militiæ nomen dedit, & inſigni *Opere, libb. VIII.* diſtincto, gratum animum erga ipſum teſtatus eſt, quo ſacrorum librorum cenſuram fecit, & eorum explanandorum â falſisque ſectariorum interpretationibus aſſerendorum, repetitis & antiquitate Patrum teſtimoniis, rationes explicavit. *Thuan. lib. 46.*

Edidit Opus Theologicum.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi â Stöcken.*

JOHANNES d' AVILA.

Obiit A. C. 1569.

THeologus & ſæculi ſui Eccleſiaſtes ſummus, natus eſt *Almodonari*, vico ignobili diœceſeos *Toletanæ*.

Philoſophiæ operam dedit *Compluti, Dominico Soto*, ſummo eâ tempeſtate ex *Dominicanâ* familiâ Philoſopho & Theologo.

Diſcipulus Dominici Soti.

Nondum abſoluto Philoſophiæ curſu, parentem utrumque amiſit, quibus cum primùm ſacris initiatus eſt ſacrorum offerens primitias parentavit, ut quibus vitam ſecundùm Deum deberet his, ſi poſſet, pius ſacerdos redderet.

Artium curriculo æquales omnes facilè ſuperârat, cum acumine ingenii tum morum honeſtate Præceptori unicè charus.

Commilitonem habuit *Petrum Guerreram*, qui pòſt Archiepiſcopus *Illiberitanus* ejus amicitiam non faſtidivit.

Commilito Petri Guerreræ, Archiepiſc. Hiſp.

Verbi divini præco innumerabiles vel â peccatis retrahebat ad mentis ſanitatem, vel nutantes firmabat, triſtes conſolabatur, cadentes erigebat; nimiùm ſibi fidentes terrebat, metu mortis, extremique judicii, quibus omnes impellebat, & tanquam reti pleno naviculam Petri implebat.

Concionator ſingularis.

Paulum Apoſtolum ſemper ad imitandum ſibi propoſuit, quem nunquam manibus depoſuit, & edidicit.

Virtutes ejus & ſanctimoniam *Ludovicus Granatenſis* cumulatè propoſuit, quo, dum vixit, uſus eſt familiari.

Vitam ejus deſcripſit Ludovicus Granatenſis.

In vitâ autem comitas illi modeſtiaque aderant, in ſermone riſus diſſolutus & dicteria aberant.

Aſſiduè hoc prædicandi officio fungens, nullâque ſpe quæſtûs aut gloriæ, in ſummâ rerum omnium indigentiâ, *Bæticam* omnem, Dei verbo, tanquam tuba perſonuit, ut *Bæticus Concionator* appellaretur, hocque nomine notior eſſet *Hiſpanis*.

Bæticus Concionator dictus.

Sacerdotes aliquot pietati dediti huic ſe adjunxerant, quos ille Theologiam vitæque ſanctitatem docuit, & cum paupertate Chriſtum ſequi.

Multa opera pia in xenodochiis aſſiduè præſtitit.

Jam 50. ætatis annum exceſſerat, ecce ſenectu-

nectutis comes, morbus dolorque, quibus ad 18. annos excruciatus, patientiæ ſingulare exemplum dedit.

Variis morbis 18. annos afflictus.

Stomachi imbecillitate ex ſtudiis concionibusque contractâ, partim hepatis, partim articulari, nephritico, aliisque doloribus acutis cruciatus.

Tandem acceſſit his omnibus dirior febris, quæ eò illi moleſtior erat, ut ajebat, quod nullum tempus amicorum officiis conſiliisque, ut reliqui morbi, relinqueret.

Vincula pertulit, & carceres, æmulorum calumniis circumventus, ſed innocens ſuffragiis Cenſorum fidei declaratus *Hiſpali* ad dicendum conſcendit.

Concionator Hiſpali.

Ibi concionatus eſt 9. annis, juſſus ab Archiepiſcopo *Alfonſo Mantique* ibi hærere, cum in *Indiam* cogitaret, animo colligendi magnam meſſem.

Concionari cœpit ab anno ætatis 28. *Cordubæ*, ubi præſtantium eſt ingeniorum copia, ibique & Theologiæ Scholas habuit.

Hinc *Granatæ* annos aliquot gratus *Caſpari Avalo* Archiepiſcopo. Mox *Aſtigi* & *Baëſæ*, ubi Sacerdotum Collegium inſtituit.

Concionando nobiles Matronas ita ad pietatem movit, ut virginitatis florem Deo ſponte conſecrârint. *Anton. Cordubæ*, Marchionis *Pliegi* filio, & *Jacobo Gutzmanno*, *Baileni* Comitis filio, ſuaſor fuit, ut Societatis Jeſu inſtitutum ſequerentur.

Mortis metâ inſtante, cum Rector Collegii Societatis Jeſu tum fortè præſens diceret: *Multas jam, Pater, conſolationes divinas moribundus experiris: quin imò timores*, inquit, *pro peccatis idque mirum videri non debet, ſi Hilarion apud Hieronymum, ſi Arſenius, & Agathon, viri ſanctiſſimi, & in eremo aſperrimæ vitæ cultores in mortis agone trepidârunt.*

Ultima ejus verba.

Tunc Deum perpetuò invocans, ſpiritum reddidit 10. Maji A. C. 1569. ætatis ferè 70. Elatus omnium Ordinum & Religioſorum lacrymis, ſepultusque *Montillæ* in *Beticâ* in Societ. Jeſu æde Sacrâ, ubi hoc ejus Epitaphium legitur:

Moritur.

Epitaphium.

MAGISTRO JOHANNI AVILÆ PATRI OPTIMO, VIRO INTEGERRIMO, DEIQUE AMANTISS. FILII EJUS IN CHRISTO POS.

Edita ab eo ſunt:

Scripta.

Commentar. in Pſalmi 44. Verſum illum: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui.

Epiſtolæ plurimæ pietatis plenæ.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum Auctorum.*

1550. Unumq; Magiſtrum creavit. Iterum A. 1555. quo Magiſtros 4. renuntiavit. Eodem anno Rectoratum ſuſcepit.

Theologicæ Profeſſioni adhibitus & Baccalaureus Theologiæ creatus eſt A. 1558. â *D. Hemmingio*.

Theologiæ Baccalaureus & Profeſſor.

A. 1559. datus & *D. Palladio* in Epiſcopatu Coadjutor, & defuncto Succeſſor deſtinatus, Epiſcopatum *Sedlandiæ* ſuſcepit A. 1560. Theologiæ Doctor creatus A. 1563. â *D. Hemmingio*.

Epiſcopus Sedlandiæ. Theologiæ Doctor.

Iterum Rectoratum geſſit ab anno 1567. usque ad obitum, qui contigit A. 1569.

Vir fuit acutus ingenio, acer judicio, exactus diligentiâ, magnus eruditione, comis converſatione, affabilis in convictu: ideoque facilè ſibi, dum vixit, bonorum amicitias conciliavit.

Theologus exemplaris.

In omni vitâ primas ſemper Religioni tribuit partes: Eccleſiam Chriſti, cujus conſtans & fidelis civis fuit, pietate & exemplo ornavit. Familiam ut blandus pater rexit: Uxorem non ſecus quàm coſtam propriam adamavit: liberos in diſciplinâ & correptione Domini ſanctè inſtituit.

Sed liberorum, poſt obitum Patris, diverſa fuêre fata: *Albertus*, Magiſter Artium, per varia honorata in Scholâ & Eccleſiâ munia tandem ad Epiſcopatum *Arhuſienſem* evectus eſt. *Andreas* vagabundus, & nullius frugis homo fuit.

Filius Albertus fuit Epiſcopus Arhuſienſis.

Seniores ut Patres, Pares ut Fratres, Juniores tanquam Filios complexus eſt. Semper ſtuduit, ut & doctrinâ & vitâ vocationem ſuam ornaret. Non ſolùm liber vixit â crimine, quod rarum eſt; verùm etiam ab omni ſuſpicione criminis, quod divinum videtur.

Hujus piiſſimi viri vitæ reſpondit exitus: nam cum compleviſſet annum ætatis 44. in verâ confeſſione & invocatione filii Dei cum gaudio & ſummâ quiete obdormivit, & ex ærumnis hujus vitæ ad Angelorum & piarum Mentium cœtum vocatus eſt, d. 25. Maji A. C. 1569.

Obitus.

Funus civibus Academicis â Vice-Rectore Academiæ indictum eſt: corpus conditum in ſummo Choro Templi D. Virginis. Sepulcrali lapidi hoc inſcriptum Tetraſtichon:

Epitaphium.

Hunc lapidem caſto poſuit Catharina marito
Johanni Alberto fœmina caſta ſuo.
Ipſe Scholæ Rector, Doctorque & Epiſcopus, acris
Judicio valuit cum pietate pari.

* *Ex Academiâ Hafnienſi, repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

JOHANNES ALBERTIUS.

Obiit A. C. 1569.

NAtus A. C. 1525. Baccalaureus Philoſophiæ creatus â Decano Facultatis *M. Nic. Hemmingio* A. 1545. Magiſter Artium, Profeſſor primùm fuit Græcæ Linguæ, deindè Dialecticæ.

Hafniæ Græcæ Linguæ & Logices Profeſſor.

Decanus fuit Facultatis Philoſophicæ A.

JOHANNES SEBASTIANUS PFAUSERUS.

Obiit A. C. 1569.

COnſtantiæ ad *Lacum Bodamicum* natus eſt A. 1520. Cumque ingenium ipſi eſſet acre, ac eruditio polita, eloquentia item ſumma, *Maximiliano* Regi *Bohemiæ*, pòſt Imperatori Rom. veritatem Evangelicam

Eſt à Sacris Maximiliano.

Digitized by Google

licam amplexo à ſacris Concionibus aliquantiſper fuit. Sed cum ubique variæ Evangelio remoræ objicerentur, dimiſſus inde *Laugingæ*, Sup. *Palat.* oppido, Antiſtes Eccleſiæ factus eſt A. 1560. Cumque ibidem ad annum usque 1569. fideliter Verbum Dei docuiſſet, d. 6. Junii, apoplexiâ correptus, ad vitam abiit meliorem anno æt. 49.

Dimittitur ex aula. Laugingæ Eccleſiæ præficitur.

Nicolaus Remnerus defunctum hiſce laudavit Phaleucis, loco Epitaphii.

Epitaphium.

Johannes cubat hic Sebaſtianus
Pfauſerus placida ſepultus urna:
Quo vix ſanctior his, Deiq; vixit
In terris reverentior, piarum
Plenus pectore cogitationum:
Præco, Chriſte, tuus: tui Profeſſor
Invictus meriti ſacriq; verbi.
Pro quo mille tulit volens labores,
Caſus mille: Simul minas potentum
Forti pectore temſit, ac pericla
Pro Chriſti decore & fide paratus
Pulcram ſi ſit opus, necem paciſci.
Inculpata fuit graviſq; vita:
Virtus ardua: Splendor eruditus:
Mores ingenui: fides probata:
Pectus mite: cor altum & os diſertum.
Magno, maximus hunc favore, Cæſar
Complexus, ſibi Præſidem ſacrorum
Legit, Conſiliariumq; fidum.
Nunc Eccleſiæ Præſulem Laugingæ
Triſti funere mœret interemtum.
* *Ex Melch. Adami Vitis Theol. Germ.*

Obiit A. C. 1569.

VICTORINUS STRIGELIUS.

Pater Victorini.

Natus eſt in *Sueviæ* oppido *Kauffbeurn* 26. Dec. A. C. 1524.

Pater ei fuit *Ivo Strigelius, Memmingenſis*, qui in Academiâ *Heidelbergenſi* Philoſophiæ Magiſter, & *Ticini* Medicinæ Doctor renuntiatus, *Georgii Fronsbergii* militiæ Ducis Medicus fuit, & obiit A. 1527.

Friburgum mittitur Victorinus.

A. C. 1538. *Friburgum Briſgojæ Victorinus* ſtudiorum causâ miſſus, audivit ibi inter alios *Johannem Zinckium* Philoſophum & Medicum, *Ariſtotelem* enarrantem.

Wittebergæ Lutherum & Melanchthonem audit.

A. 1542. *Wittenbergam* veniens, præter alios *Lutherum* & *Melanchthonem* diligenter audivit. Sicque divino quodam inſtinctu inſtigatus fuit ad ardens ſtudium cognoſcendæ Doctrinæ integræ Eccleſiarum Evangelicarum.

Magiſter Philoſophiæ.

Ibidem A. 1544. Magiſter Philoſophiæ renuntiatus inter 34. Competitores ſextum locum habuit, quorum præcipui fuêre, *Theodoricus Winshemius*, poſteà Mathematum Profeſſor, & Medicinæ D. *Juſtus Jonas junior*, *Demetrius Palladius, Matthæus Blochinger*, & *Michaël Teuberus J. C.* Ibidem, *Melanchthone* ſuaſore, ſcholas privatas inſtituit.

Erfurtum venit.

A. 1546. Bello flagrante, *Magdeburgum* primò, deinde Anno ſeq. *Erfurtum* venit, ubi publicè docuit, & aliquot orationes habuit.

Jenam accedit, ubi Profeſſor conſtituitur.

A. 1548. *Jenam* venit ad Theologiæ Profeſſionem, cùm ibi paulò antè 25. Jan. Academia fuiſſet introducta. Ibi prælegit alternatim Theologica & Philoſophica.

Nubit bis.

A. 1549. Ibidem duxit uxorem *Barbaram, Franciſci Burckhardi* J.C. filiam, quâ defunctâ A. 1552. Anno ſeq. alteram duxit *Blandinam, D. Erhardi Snepffii* filiam.

Certamen cum Flacio.

A. 1557. Litem ipſi *Jenæ* movit *Matthias Flacius Illyricus*, crimen hæreſeos ipſi objiciens, quod malè ſentiret de *Libero Arbitrio.* Ab aliis aliorum etiam inſimulatus eſt errorum. Idcircò A. 1559. 27. Martii noctu *Leuchtenbergam* in carcerem abductus eſt, unà cum collegis *Aquilâ*, Eccleſiæ *Jenenſis* Paſtore, & *M. Henrico Hugelio* Seniore.

In carcerem ducitur.

Ægrotus reducitur.

Ibi paulò pòſt morbo correptum reduci quidem Princeps paſſus eſt ad uxorem, ſed ita, ut tanquam captivus domi eſſet, donec tandem autoritate Imperatoris *Maximiliani II.* liberatus menſe Majo A. 1562. iterum *Jenæ* per 4. menſes docuit, quibus elapſis, ob varias ſibi ſtructas inſidias, *Lipſiam* ſpontè diſceſſit, ac Theologiæ Profeſſionem ſuſcepit. Ibidem etiam Ethica & Dialectica, Electoris juſſu, docuit.

Docet rurſus Jenæ & Lipſiæ.

25. Febr. 1566. Cum Theologis *Lipſienſibus* ob doctrinam de Cœnâ Domini exoſus fuiſſet redditus, inde *Ambergam* diſceſſit, & paulò pòſt *Heidelbergam* vocatus, Ethices ibi primùm Profeſſionem, deindè Theol. quoque fideliter peregit.

Heidelbergam venit, ubi Profeſſor Theol.

Cumque ibi labores ad finem perduxiſſet 3. ſc. *Bibliorum opus Hypomnematibus illuſtratum, Enarrationem & converſionem Ethicorum Nicomachiorum Ariſtotelis, Chronicon à condito mundo, ad natum usque Chriſtum*, manum quidem admovit adhuc aliis, verùm 26. Junii A. C. 1569. ætatis 45. apoplecticus deceſſit *Heidelbergæ*, cum eâ die adhùc docuiſſet, voti ſui compos factus, quod frequenter in ore habuit: Ach HErr/ beſchere mir einen Reiteriſchen Tod!

Moritur.

Funus ei factum eſt honorificum die ſeq. 27. Jun. humatumque corpus ejus in ſacello Academiæ ad *D. Petri*: ubi lapidi inciſum ſepulchrali tale monumentum legitur

Epitaphium.

HIC QUIESCIT CORPUS CLARISS. ET DOCTISSIMI VIRI DE ECCLESIA ET LITERIS PRÆCLARE MERITI D. VICTORINI STRIGELII KAUFBEIRENSIS PIE DEFUNCTI D. XXVI. JUN. A. C. M D LXIX.

Pſalm 17. Ego in Juſtitia videbo faciem tuam: Satiabor cum evigilavero ad ſimilitudinem tuam.

Vir fuit procerus & robuſtus, ideò cum aliquando quidam per jocum illi dixiſſet: Ihr hättet einen guten Dreſcher geben; illum manu prehendens reſpondit: Da hätte ich den Flegel ſchon bey der Hand!

Ingenue ſæpe *Victorinus* faſſus eſt: ſc. cum in Academias Saxonicas primùm veniſſet, & *Melanchthonem* ex puero aliquo parvo audiſſet quærentem: quid eſt Deus? quid ſignificat λόγος apud Johannem? miratum ſe à pueris audire: quæ in Papatu magnis Doctoribus eſſent ignota.

Digitized by Google

Jenæ, quod memorabile, *Strigelius* Decanus erat ſuæ Facultatis, Pro-Cancellarius & Brabeuta primus, Senior ſecundus, primusque Univerſitatis Pro-Rector *Philippi Comitis Naſſovio-Sarbruccenſis* Rectoris in Salanâ ſecundi quaſi Vicarius.

Edidit:

Scripta. *Dialecticam, Ethicam, libellum Arithmeticum, Orationes, Epiſtolas.*

Locos communes Theologicos.

Hypomnemata in utriusque Teſtamenti libros.

* *Ex Melchioris Adami Vitis German. Theol.*

Obiit A.C. 1569.

JOHANNES LONICERUS.

ORthemio, Comitatus *Mansfeldenſis* oriundus oppido anno 1499. poſt prima ſtudiorum tyrocinia, quæ in Scholâ patriâ pari & celeritate & felicitate poſuerat, cum injuſti Vitrici moroſos imprimis mores fugeret, *Islebiæ*, paupertati quamvis proximus, ſtudia tamen ſedulò eſt perſecutus, aliisque honeſtis adoleſcentibus operam locavit, ut hac ratione, quæ ad victum eſſent neceſſaria, emereretur.

Cœteroquin ex illis pulveribus ſcholarum & fortunæ adverſis procellis eluctatus, portum tenuit quietiorem, Academiam nimirum *Erfurdianam*, tum temporis non ingloriam. *Academiam Erfurdianam viſitavit.*

Hinc diſcedens, *Wittebergam* appulit, *Lutheri* motus fama; ubi non ſolùm acuit procuditque linguam, ſed pectus quoque ipſum maximarum rerum & plurimarum ſuavitate, copiâ & varietate ita complevit, ut dignus fuerit habitus, cui cum magno illo *Cornario* Philoſophici honores ſummi, qui Magiſtri vulgò titulo cenſentur, decreti ſunt anno S. 1521. Jan. 24. *Wittebergam profectus.* *Magiſter creatur.*

Poſtmodùm quoque rara hominis & exquiſita prorſus, quâ præcellebat vel maximè linguarum cognitio, ita innotuit doctis Viris, ut *Philippus Melanchthon*, & *Joachimus Camerarius*, ejus operâ in augendo *Lexico Græco-Latino* uterentur.

Atque hinc *Friburgum Brisgoiæ* evocatus, per annum ſanctam linguam ibidem docuit, quo exacto circa annum 1523. *Argentoratum* abiit, & rei typographicæ in corrigendis prælorum operis vacans, *Philippi Melanchthonis* hortatu, Græcos nonnullos codices ſummâ curâ reſtituit, familiamque inibi, uxore anno 1524. ductâ, (qua cum 46. annos conjunctiſſimè vixit, liberos verò, præter filias, filios ſuſcepit quinque, Viros omnes poſtea eruditione ac virtute eminentes,) collocavit. *Friburgi Linguam S. docuit.* *Uxorem duxit.*

Atque hunc in modum in Philoſophicis & Theologicis ſtudiis verſatus, quum eruditionis & doctrinæ collegiſſet ſibi famam, in novam Scholam *Marpurgenſem* ex *Argentoratenſi*, quo ſe *Francofurto ad Oderam* exul receperat, inter primos unà cum *Ferrario* accitus eſt 1527. curante id *Johanne Ficino*, *Haſſiæ* Cancellario, ut in ea Græcas literas, additâ poſteà etiam S. Linguæ lectione, publicè doceret. *Græcæ, Latinæ & Linguæ S. Profeſſor declaratur Marpurgi.*

Magiſtros in hac Academia, item Baccalaureos anno 1530. communi conſenſu & ſuffragiis, renunciavit omnium primus, undecies Philoſophiæ, bis Theologiæ Decurio, quartumque Rector Magnificus.

Cœterùm anno 1554. ad Theologorum traductus ſubſellia, operam *in explicando Matthæo Evangeliſta* poſuit, & decennio pòſt, anno nimirum 1564. jubente ita Principe, primus in eâdem Academiâ Theologiæ Doctor ſalutatus eſt. *Theologiæ Doctor ſalutatur.*

Sic ab anno 1527. nuſpiam interrupta ſerie Græcam Linguam profeſſus eſt per quadraginta duos annos cum primariis Academiæ Profeſſoribus, ita, ut etiam ab anno 1536. usque ad annum 1546. Hebræam ſimul linguam docuerit.

Tandem Theologorum adſcriptus claſſi, 21. annos in hac unâ ratione tractanda habitavit.

Anno 1539. A Republ. *Lüneburgenſi*, ut illius urbis Superintendens eſſet, vocatum, *Haſſiæ* Princeps dimittere noluit, ſed literis promiſſionum plenis *Marpurgi* detinuit.

Anno 1541. â patria ibidem ad Eccleſiarum inſpectionis munus invitatus, ſpartam tamen, quam nactus erat, ornare maluit, donec demùm mors piiſſima & placidiſſima 20. die Julii anno Ch. 1569. ætatis 70. ſecuta eſt, cum paulò antè quàm exſpiraret, omnem prorſus diſſimulans dolorem, interrogantibus, *num dormire vellet? Jam indormiſcam!* reſpondiſſet. *Moritur.*

Edidit:

Scripta. *Cœleſyriæ Epiſcopi Enarrationem epiſtolæ ad Romanos è Græco in Latinum vertit.*

Theophylacti Enarrationes in omnes Pauli Epiſtolas & Prophetas aliquot minores Latinitate donavit.

Nicandri Theriacam & Alexipharmacam adjectis Scholiis.

Sophoclis Ajacem flagelliferum.

Callimachi hymnos in Jovem & Apollinem.

Lycurgi adverſus Leocratem Orationes.

Pindari Olympia, Pythia, Nemea, Iſthmia & Lycurgi adverſus Leocratem orationem, addito Philoſophiæ Encomio.

Catecheſin de bona Dei voluntate erga quemvis Chriſtianum, deque ſanctorum cultu & invocatione.

Methodum Græcæ Grammatices & Rhetorices Latinæ.

Artes docendi Methodum.

Demoſthenis Orationem funebrem.

Græcæ linguæ Encomium.

Concionem Cyri Perſarum Regis.

Concionem Cleocriti.

Scholia in Dioſcoridis libros de materia Medica cum Nomenclaturis Græcis, Latinis, Germanicis & Hebraicis.

Compendia librorum aliquot Ariſtotelis, & Ethicorum ad Nicomachum compendium.

Epi-

Epithalamium Græcum in Juſti Studaci Orationem.

Galeni libros de uſu partium humani corporis in quæſtiones dilucidas & ſuccinctas redegit.

Orationem ad Imperatorem Carolum V. pro impetrandis privilegiis Univerſitatis Haſſiacæ.

Genethliacon Principis Wilhelmi Heſſi.

Orationem funebrem & Epicedia in Joannis Ficini Cancellarii obitum.

Orationem in mortem Johannis Ferrarii Montani.

Luctus & Epitaphia in funus Caſparis Rudolphi.

Orationem de Verbo incarnato.

Orationem de meliori literatura amplectenda ad ſtudioſam juventutem.

Epithalamia, Epicedia, Epigrammata moralia innumera.

Ex MSS. Marpurgenſibus & Melch. Adami Vitis Theol. Germ.

Obiit A.C. 1569.

MELCHIOR SPECCERUS.

Paſtor in Inſulâ Rupertinâ Argent.

Patriâ *Iſnenſis*, poſt impetratum artium ac Philoſophiæ Magiſterium, Paſtor apud *Argentoratenſes*, in *Inſulâ Rupertinâ*, factus eſt A. 1553. Surrogatus *Flinnero*, in Electoralem *Palatinatum* ad Reformationem Eccleſiæ evocato, in Diaconatu Aureliano, A. 1556.

Canonicus & Paſtor Thomanus. *Theologiæ Profeſſor.*

Paſtor & Canonicus *Thomanus* electus eſt A. 1557. d. 27. Junii, in locum *M. Beati Geringi*, qui ab officio remotus. Sacrarum dein literarum & Organi Ariſtotelici explicator in Scholâ: â quo tamen poſteriore labore liberatus tandem fuit, ob quotidianas occupationes Eccleſiaſticas.

Moritur. Ab hâc luce ſubtractus eſt A. 1569. d. 12. Novemb. graſſante peſte.

Obiit A.C. 1569.

PAULUS EBERUS.

Kitzingæ, *Franconiæ* oppido vetuſto, natus eſt 8. Nov. A. 1511.

Parentes. *Prima Eberi inſtitutio.* *Onolzbachium abducitur.* *In morbum incidit.*

Pater ei fuit *Johannes*, vir prudens & honeſtus; Mater *Margaretha Pſeumia*. Cum verò filius hic *Paulus* ab ipſo ineuntis ætatis primordio honeſtè vixiſſet â parentibus educatus, exercitationumque puerilium rudimenta percepiſſet, A. 1523 *Onoltzbachium* â patre abductus, & ejus ſcholæ magiſtris in diſciplinam traditus, cum vix annum ibi exegiſſet, in morbum incidit.

Unde calamitas corporis.

Ideò â patre, per fratrem ſuum *Johannem*, domum revocatus, cum in viâ laſſus, lanii cujuſdam equum conſcendiſſet, ab eo excuſſus, & per quartam ferè milliaris partem raptatus, vulnus in capite accepit, quod cum domum veniens patri occultaſſet, poſt aliquot dies collum ipſi intumuit, & licèt omnia tentata eſſent â patre remedia, gibboſus tamen factus eſt.

Abducitur Norimbergam.

A. 1525. In Scholam *Noribergenſem* recenter erectam miſſus, in eâ ſub Præceptoribus *Johanne Ketzmanno* & *Joachimo Camerario* felices adeò progreſſus fecit, ut ex condiſcipulis nullum ei anteferre liceret.

Wittebergam mittitur. *Magiſter Philoſophiæ.*

A. 1532. A Senatu *Noribergenſi* ſumptibus neceſſariis inſtructus, Academiam *Wittenbergenſem* adiit, ubi A. 1536. Decano *Jacobo Milichio* Magiſter creatus & A. ſeq. Decano *Philippo Melanchthone* in Collegium facultatis artium adſcriptus eſt. Cum autem eleganter ſcriberet, ejus opera in deſcribendis ſuis materiis *Melanchthon* uti conſuevit, & deinceps tanta crevit inter ipſos familiaritas, ut nihil ferè ſolitus ſit aggredi *Melanchthon*, de quo non prius cum *Ebero* ſuo communicâſſet, ut etiam vulgari joco *Philippi repertorium Eberus* diceretur.

Melanchthonis repertorium.

Habet Scholam domeſticam. Ejuſdem inſtinctu domi Scholam inſtituit, multosq; nobiles adoleſcentes, & alios honeſtiſſimis natos familiis erudivit.

Matrimonium conciliat. A. 1541. Matrimonio junctus eſt cum virgine *Lipſienſi Helena*, cum quâ in annum uſque viceſimum octavum ſuaviſſimè vixit, & numeroſam ſobolem ex eâ procreavit.

Profeſſor. A. 1544. In Senatum Profeſſorum cooptatus, primò Grammaticam publicè docuit, deindè omnes ferè Philoſophiæ partes, Mathemata, Logicam, Phyſicam, & Ethicam explicavit.

Bello Germanico ſubſiſtit Wittebergæ. A. 1547. Cum *Wittenberga* poſt aliquot Durante dierum obſidionem in Cæſaris *Caroli V.* veniſſet poteſtatem, ipſe cum *Caſparo Crucigero* & *Johanne Bugenhagio* imperterritus in oppido manſit, & obſidionis pericula fortiter pertulit.

Succedit Forſtero. *Wormatiam venit.* A. 1556. *D. Johanni Forſtero* vitâ defuncto, in profeſſione linguæ Hebrææ, & concionandi munere ſucceſſit, pauloque pòſt ad colloquium *Wormatienſe* unà cum *Melanchthone* miſſus eſt.

Bugenhagio datur Succeſſor. *Theologiæ Doctor.* A. 1558. Mortuo *D. Johanne Bugenhagio*, Paſtor Eccleſiæ *Wittenbergenſis* primarius creatus eſt, & A. ſeq. Decano *Georgio Majore* Theologiæ Doctor renuntiatus, competitoribus *Paulo Crellio Islebienſi*, *Eraſmo Læto Cimbro*, & *Johanne Coglero Quedlinburgenſi*.

A. 1564. *Jenam* â Profeſſoribus evocatus ibi *Johannem Stöſſelium* Theol. D. renuntiavit.

Onolsbachium venit. A. 1568. Cum *Paulo Crellio Onolsbachium* abiit, ad componendas controverſias inter Superintendentem *Onoldinum*, & Miniſtros reliquos ortas, ubi ſtudium ſuum Principi *Georgio Friderico* adeò probavit, ut & ipſi *Ebero* honorarium ampliſſimum, & uni de filiis ejus ſtipendium ad vitæ annos decreverit.

Ex itinere morbum contrahit, quo extinguitur. Tandem ex *Colloquio Altenburgenſi* domum reverſus, in morbum incidit, â quo paulò pòſt extinctus eſt 10. Dec. A. 1569. æt. 58. ſequenti Epitaphio relicto, quod in templo oppidano *Witteb.* apparet:

Epitaphium.

D. PAULO EBERO, PATRI CHARISSIMO, QUI OBIIT IV. ID. DECEMBR. ANNO MDLXIX. IV. QUADR. ANTE HORAM X. PRAND. CUM VIXISSET ANNOS LIIX. D. XXXII. WITTEB. FUISSET ANNOS XXXIIX. ECCLESIÆ HUJUS PASTOR ANNOS X. LIBERI MOESTI P.

Jacet Pauli hic contractum corpus Eberi,
Qui ſtuduit facere & dicere recta aliis.

Poſtridiè in templo Parochiali ſepultus eſt, Concionem habente *Chriſtophoro Pezelio.*

Fuit autem *Eberus* vir exiguæ quidem ſtaturæ, ſed ingenio & eruditione præſtans, cujus fideli opera Eccleſia *Wittebergenſis* magno ſuo cum fructu ad complures annos eſt uſa. Quæ enim in Eccleſiæ Doctore potiſſimùm requiruntur virtutes, eloquentiæ ſacræ ſcripturæ peritia, & fervor, eæ in *Ebero* egregiæ fuére.

Edidit

Scripta.

Expoſitionem Evangelior. Dominicalium.
Calendarium Hiſtoricum.
Hiſtoriam populi Judaici à reditu Babylonico ad Hieroſolymæ excidium.
Hymnos ſacros vernaculè editos.

* *Ex Melch. Adami Vitis German. Theol. & Inſcriptionibus Witteb. Andr. Sennerti.*

Obiit A.C. 1570.

JOHANNES BRENTIUS.

Parentes.

Natus eſt *Wilæ*, oppido Sueviæ Imperiali, A. 1499. 24. Junii, patre *Martino Brentio*, oppidi illius annis 24. Prætore, Matre *Catharina Henichia.*

Heidelbergam mittitur.

Ætatis hic *Johannes* anno undecimo *Heidelbergam* in Scholam trivialem eſt miſſus, poſteà *Vabingam* conceſſit, ubi Scholam regebat Magiſter *Johannes Schmidlinus* famâ clariſſimus.

Baccalaureus creatur. Præceptores.

A. æt. 13. *Heidelbergam* rediit, ubi biennio pòſt Baccalaureus creatus eſt, & Præceptoribus uſus in artibus liberalibus *Theobaldo Billicano*, *Johanne Knellero*, Imperatoris poſteà *Caroli V.* Conſiliario; in Græcis *Johanne Oecolampadio*; in Hebræâ *Judæo* quodam *Hiſpano Mattha*, qui baptizatus, & Medicinæ poſteà Doctor renuntiatus fuit; in Theologiâ *D. Petro Scheibenhard*, *D. Georgio Nigri* & alio quodam *D. Marco.*

Commilitones.

Æquales in ſtudiis habuit *Melanchthonem*, *Bucerum*, *Snepfium*, *Frechtum* alioſque. Ibi autem eximiis ſtudiis nocturnis malum ſibi contraxit, quod per omnem adhæſit vitam, ut poſt noctem mediam parùm aut nihil ampliùs dormire potuerit; unde horas poſteà illas inſomnes piis attribuit meditationibus, quas, poſtquam ſurrexit, in chartas conjecit.

Inſomn. contrahit.

Magiſter Philoſophiæ. Quodlibetariam habet diſputationem.

Creatus igitur, ob omnium ferè diſciplinarum capacitatem, eſt Magiſter *Heidelbergæ* A. 1517. ætat. 18. nec multo pòſt contubernii Rector illic electus, quodlibetariam, ut vocant, propoſuit diſputationem, & *Summulas Petri Hiſpani*, *Suetonium*, *Græcam Grammaticam*, *Dialecticam* & *Homerum* triennio profeſſus eſt.

Legit libros Lutheri.

Deindè, lectis *Lutheri* libris, veritatem tum denſiſſimis tenebris involutam agnoſcere, & hinc ulterius motus, licet juvenis adhuc, cum *Luthero* conferre, ac publicè docere incepit, undè Theologorum ſibi odium contraxit.

In Collegium Canonicorum cooptatur.

Ut autem in ſuſcepto exercitio abſque impedimento poſſet pergere, ibidem in Collegium Canonicorum ad Spiritum Sanctum eſt adſcitus, & ſacris initiatus in patriâ primitias celebravit, poſteà *Heidelbergam* reverſus, aliquoties vices alterius pro Concione populari obivit, auditoribus gratiſſimus.

Halæ Suevorum Eccleſiam reformat.

In Patriam verò revocatus A. 1522. *Halæ Suevorum* Eccleſiaſtes conſtitutus, ætatis anno 23. docuit maximo cum fructu, reformationiſque eâ in urbe auctor fuit.

Comitiis Auguſtanis intereſt.

A. 1530. Comitiis interfuit Auguſtanis, ubi ſtrenuè *Lutheri* doctrinam defendit. Cum autem utriusque partis Theologi familiariter inter ſe de Religionis controverſiis conferrent, à quodam magni nominis Epiſcopo invitati, *Cochleus* aliquando ſanctorum Invocationem hoc argumento adſtruere conatus eſt, *quod Mater Eccleſia hac in parte ſit audienda, cui hoc viſum eſſet:* Ibi cum *Brentius* ſubjiceret, *quid ſi Pater diverſum præcipiat?* ille indignatus, cum aliter refutare non poſſet, aliquoties cum nauſeâ repetivit: *Pater, Pater, Pater!*

Colloquium de ſanctorum invocatione.

Ducit uxorem.

A. 1531. E Comitiis domum reverſus, Uxorem duxit *Margaritam Græterinam* viduam, ex quâ ſex ſuſcepit liberos, de quibus ſuperſtites relicti 3. *Sophia*, nupta *D. Eberhardo Bidenbachio*, Abbati *Bebenhuſano*, *Barbara*, quam duxit *D. Theodoricus Snepffius*, & filius Patri cognominis, Profeſſor in Scholâ *Tubingenſi.*

Liberi ejus.

Tubingenſis Academiæ reformatio.

A. 1534. Ab *Ulrico* Duce *Würtenbergico*, Ducatu avito recuperato, ad Academiæ *Tubingenſis* reſtaurationem ad annum unum à Senatu *Hallenſi* conceſſus, & Commiſſarius Scholæ conſtitutus, cum *Joachimo Camerario*, *Leonhardo Fuchſio*, & aliis Profeſſoribus Academiæ ſtatuta diſpoſuit, in Scholâ Theologiam, in templo pro Concione populum docens.

In mathematicis etiam, tunc occaſionem nactus, multa didicit, donec elapſo tempore, de quo convenerat, ad ſuos rediit.

Conventibus intereſt.

Interfuit præterea A. 1540. & 1541. &c. *Brentius* colloquiis Theologorum Religionis causâ inſtitutis *Hagenoæ*, *Wormatiæ* & *Ratisbonæ.*

Fruſtra in locum Phrygionis vocatur.

Cumque eodem ferè tempore *Paulus Conſtantinus Phrygio* in Academiâ *Tubingenſi* Profeſſor ex hac vitâ migrâſſet, *Brentius* in ejus locum vocatus eſt, ſed fruſtrà; Senatores enim negârunt *Hallenſes*, ſe ejus poſſe operâ carere, neque ipſe gregem fidei ſuæ commiſſum deſerere, ſibi integrum reſpondit.

A. 1547. Cum Imperator *Carolus V. Halam Suevorum* cum exercitu veniſſet, non ſolùm à militibus ædes ejus direptæ, ſed etiam literæ de rebus bellicis ad amicos ſcriptæ, & Conciones ejus ad Cæſarem delatæ ſunt. Unde cum in periculo verſaretur maximo, in altiſſimâ turri aliquantiſper latuit, tandem urbe egreſſus Die *S. Thomæ*, alienis indutus veſtibus, per medios *Hiſpanos* ſalvus evaſit, & totâ nocte uno ſaltem comite in agris oberravit. Paulò pòſt, Cæſare digreſſo,

ſo, *Halam* rediit, & officium, ſicut antea, fecit.

Summa vitæ pericula.

A. 1548. Extremum vitæ periculum adiit *Brentius*, nam cum librum *Interim* dictum, ceu impium, damnâſſet, datum à *Granvellano* Legatis *Hallenſibus* negotium fuerat, ſi Cæſari gratificari vellent, curarent, ut *Brentius* vinctus *Auguſtam* deduceretur: quod cum ille reſciviſſet, acceptâ per Senatorum quendam ſcriptâ ſchedâ tali: *Fuge, Brenti, citò, citiùs, citiſſimè!* in agrum vicinum ſubitò ſeceſſit, & ibi per ſylvas latitans, diuq; incertis errans ſedibus, à militibus etiam ſæpius quæſitus, amiſsâ interim Baſileæ uxore, tandem apud *Ulricum* Ducem *Würtenbergicum* refugium invénit, & *Hornbergæ*, oppido in ſylvâ *Hercynia* ſito, vicem Præfecti aliquandiu ſuſtinuit, nomine mutato in alium Huldrich Engſter.

Cumque aliquando concionantem virum pium & honeſtum in vicino pago audiviſſet, conciones ne in longum protraheret admonuit, ille moleſtè hæc ferens reſpondit: *Vobis Præfectis omnis in templis mora eſt moleſta, ſed non æquè in Sympoſiis.*

A. 1550. Poſtquam biennium in exilio variâ fortunâ vagatus eſſet, *Tubingam* propiùs acceſſit, & ſub autumnum ad *Johannem Molitorem*, Paſtorem *Megerkingenſem*, in locum ab hominum commercio remotum, ſe contulit. Inde *Chriſtophorus* Dux *Würtenbergenſis*, Patris *Ulrici* M. Nov. defuncti ſucceſſor, ad ſe vocatum *Stutgardiæ* palàm fovit.

Deindè à *Brentio* Confeſſionem conſcribi voluit de præcipuis doctrinæ Chriſtianæ controverſiis *Concilio Tridentino* offerendam, quam præcipui ditionis Theologi ſuâ ſubſcriptione approbârunt A. 1551.

Nuptiæ ſecundæ.

Eodem anno ad ſecundas nuptias tranſiit cum *Catharinâ Iſenmannâ*, ex quâ 12. liberos ſuſcepit, & 10. ſuperſtites reliquit.

A. 1552. Cum Legatis *Würtenbergicis*, & aliis tribus Theologis, *Tridentum* profectus, Confeſſionem à ſe ſcriptam Concilio publicè exhibuit, paratus eam defendere, ſed nec auditus, nec reſponſo à Patribus accepto domum reverti coacti ſunt, non ſine periculo.

Hyeme ſequenti, cum Præpoſitus Eccleſiæ *Stutgardienſis* è vivis exceſſiſſet, in ejus locum ſuffectus, eique ſimùl Academiæ *Tubingenſis* inſpectio commendata eſt.

Cumq; hoc ipſo tempore *Petrus à Soto*, *Hiſpanus*, Evangelicos ſcriptis oppugnaſſet, *Brentius* huic è ſacrâ ſcripturâ apologiam oppoſuit.

A. 1557. Ad Colloquium *Wormatienſe*, Præſide *Julio Pflugio*, Epiſcopo *Naoburgico*, inſtitutum â Duce *Chriſtophoro* miſſus venit. Id abruptum eſt, quod Evangelici S. Scripturam, adverſarii verò Conſenſum perpetuum Controverſiarum in Eccleſiâ Judicem eſſe contenderent.

Cumque bellum Sacramentarium tum recrudiuſſet, confeſſionem ea de re *Brentius* edidit, Monaſteria item ipſo authore Monachorum olim latibula, in ſcholas converſa, & harum cura, à *Chriſtophoro Würtenbergico*, *Brentio* concredita.

Tandem exhauſtus, laboribusque confectus, ardore febrili correptus eſt 17. Aug. A. 1570. quo & obiit ſeq. 11. Sept. ingenti ſui relicto deſiderio. *Moritur.*

Sepultus eſt *Stutgardiæ* in templo collegiato, medius inter duos Comites, non procul à Cathedrâ, ubi appoſita tumulo Elogia hæc leguntur: primum ſub Imagine ipſius *Brentii*:

Epitaphium.

Voce, ſtylo, pietate, fide, candore probatus
Johannes tali Brentius ore fuit.

Deindè in Tabula:

JOHANNES BRENTIUS NATIONE SUEVUS, PATRIA WILENSIS, THEOLOGUS CLARISSIMUS, DUCUM WÜRTENBERGENSIUM CONSILIARIUS INTER PRIMOS REPURGATÆ ECCLESIÆ INSTAURATORES FUIT. SCRIPTURAS PROPHETICAS ET APOSTOLICAS IN SCHOLIS, SACRIS CONCIONIBUS, COMITIIS IMPERII ROMANI, ET LUCUBRATIONIBUS SUIS ILLUSTRAVIT ET PROPUGNAVIT: CONFESSIONIS CAUSA EXILIUM CONSTANTER TULIT: CONSILIIS ECCLESIAM ET COMMUNEM PATRIAM JUVIT, VITÆ INNOCENTIA PROFESSIONEM ORNAVIT. ET CUM IN HOC SUO CURRICULO QUINQUAGINTA ET AMPLIUS ANNOS MAGNO ECCLESIÆ COMMODO ELABORASSET, PLACIDE IN CHRISTO OBDORMIVIT, ET SUMMO PIORUM OMNIUM LUCTU HIC SEPULTUS EST AN. DOMINI MDLXX. MENS. SEPT. DIE XI. CUM VIXISSET ANNOS LXXI. MENSES II. DIES III.

Scripta ejus in 8. Tomos diſtributa ſunt.

* *Ex Vitis Melch. Adami Germ. Theol. & aliis.*

FRANCISCUS ANTONIUS.

Clar. A.C. 1570.

NAtione *Luſitanus*, patriâ *Olyſſiponenſis*, 23. annos natus, Juris Civilis ſcientiâ inſtructus, (quam duobus annis in Academiâ *Conimbricenſi* profeſſus fuerat,) atque aliis etiam ingenuis artibus expolitus, in Societatem Jeſu ſe tradidit A. C. 1558. *Juris Profeſſor Conimbricenſis. Societati Jeſu additus.*

Exinde ex *Hiſpania* in *Sardiniam* navigavit, ut *Sacerenſis* Societatis Collegii, (quod omnium primum in eâ Inſulâ eſt conſtitutum,) jaceret fundamenta: quo in munere præclarè ſe geſſit. *Collegii Sacerenſis in Sardinia fundator.*

Ex *Sardinia* in ſuperiorem *Germaniam* trajecit, ubi plures annos multum poſuit operæ ſtudiique in Catholicâ fide conſervandâ tuendâque.

Docuit in Societate Theologiam moralem duobus annis, fuitque Magiſter tironum in Collegio *Madritano*. *Theologiæ moralis Profeſſor.*

Scripſit

Comment. in Edmundi Augerii Catechiſmum, ex S. Scripturæ & S. Patrum ſententiis. *Scripta.*

De milite Chriſtiano Lib. II.

De Miſſæ ſacrificio Lib. IV. Hiſpanicè.

Convertit ex Latino in Hiſpanicum Sermonem Sixti Papæ Sententias XXX. Dorothei, Nil, Iſaiæ Abbatum libros ad Spiritualia documenta.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

PETRUS JOHANNES PERPINIANUS.

Clar. A. C. 1570.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Valentinus*, ex oppido *Elche*, vir fuit ad eloquentiam natus.

Societatis Jeſu additus.

Ab incunabulis ſe Deo in Societate Jeſu dicavit, & cùm Scientias alias tùm Artem dicendi mirabiliter complexus eſt.

Orator ſingularis. Theologiæ Profeſſor Conimbr. Rom. & Lutet.

In Academiis, *Conimbricenſi, Romanâ, Pariſienſi*, cum ingenti plauſu & admiratione auditus eſt, omnium virorum ejus æqualium conſenſu primæ illi eloquentiæ partes deferebantur.

Moritur.

Lutetiæ tandem *Pariſiorum* par ingenio & virtuti ſuæ theatrum nactus, annos nondum 40. natus morte prœmaturâ ſpiritum effudit circa A. C. 1570.

Habuit & ſcripſit *Orationes XVIII.*

Ejus Scripta.

De laudibus S. Eliſabethæ Luſitaniæ Reginæ Orationes III.
De Societatis Jeſu Gymnaſiis.
De Rhetoricâ diſcendâ.
In funere Ludovici Principis Luſitaniæ.
Ad Carolum Borromæum Cardinalem.
Ad Pium IV. Pont. Max. cum Gymnaſium Societ. Romæ inviſeret.
De Deo Trino & Uno ad eundem.
De avitâ docendi laude recuperandâ.
De retinendâ veteri religione ad Lugdunenſes, & aliam ad Pariſienſes.
Alias tres Orationes ad eoſdem de eodem argumento.
De Humanâ & Divinâ Philoſophiâ.
De retinendâ veteri Religione iterum ad Pariſienſes.
De perfectâ Doctoris Chriſtiani formâ.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

* * *

Illicis Conteſtanorum in *Valentinâ* diœceſi natus, mirâ fuit indole ad eloquentiam, ejuſque periculum cum in primâ adoleſcentiâ *Conimbricæ* in *Luſitania* feciſſet, indè in Italiam venit, & ſumma illa lumina *Marcum Antonium Muretum* & *Paulum Manutium* in ſui admirationem traxit.

Lutetiam miſſus, ut Jeſuiticæ Societati (cui nomen dederat) dignitatem conciliaret, habitis aliquot ad *Pariſienſes* Orationibus, præmaturâ morte, cum vix 40. annum æt. attigiſſet, ſub Anni 1566. exitum in *Claromontanâ* Scholâ obiit, magno ſui deſiderio ſtudioſis relicto, ad S. *Benedicti* tumulatus.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stücken.*

JULIUS FACIUS.

Clar. A. C. 1570.

NAtione *Italus*, patriâ *Neapolitanus*, à primâ ætate ſæculi inanitate rejectâ, inſtitutum Societatis Jeſu amplexus, in *Luſitaniâ* diu vixit, & literis eruditus eſt.

Societ. Jeſu amplexus puer.

In Italiam reverſus, Domui probationis S. Andreæ *Romæ* præfuit. Patri *Everhardo Mercuriano*, Præpoſito Generali, à Secretis fuit. Poſtremò *Siciliæ* Provincialis piè vitam cum morte commutavit.

Romæ præfuit Domui probationis S. Andreæ. Provincialis Siciliæ.

Scripſit Italicè.

Scriptum.

De Mortificatione.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

MICHAEL COYSSARDUS.

Clar. A. C. 1570.

NAtione *Gallus*, patriâ *Beſſanus*, vir ex Jeſu Societate, tùm ad humaniores literas docendas, tùm etiam ad gubernationem aptiſſimus: itaque artem dicendi perdiu profeſſus eſt.

Soc. Jeſu. Rhetoricæ Profeſſor.

Et ut rem literariam amplificaret, *Theſaurum in Virgilium* & *Locos communes* edidit Poëticæ ſtudioſis perutiles.

Edidit Theſaurum Virgilii.

Prætereà ut, turpibus cantilenis abrogatis, honeſtæ ſuccederent, Verſibus *Gallicis* facilibus, leniter fluentibus & ad modulos aptis *Catechiſmum*, totamque *Doctrinam Chriſtianam* complexus eſt, quem *Antverpiæ Trognæſius* excudit.

Et Catechiſmum Carminicè.

Præfuit Rector Collegio *Lugdunenſi, Turonenſi* & *Biſantino*.

Rector 4. Collegiorum.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

JULIUS MAZARINUS.

Clar. A. C. 1570.

NAtione *Siculus*, patriâ *Panormitanus*, ſed *Genuâ* oriundus. Adoleſcens in *Siciliâ* Societati Jeſu ſe dicavit, in quâ & excultus ad pietatem & humanis atque Divinis diſciplinis expolitus eſt.

Societati Jeſu puer addictus.

Vir fuit acuto, prompto & facili ad omnia ingenio, ſed ad concionandum, & populum verborum copiâ & elegantiâ retinendum apto.

Concionator.

Itaque in præcipuis *Siciliæ* & *Italiæ* civitatibus de loco ſuperiore verba faciens, magno auditorum concurſu & plauſu auditus eſt.

Tandem *Panormitanæ* domûs Profeſſæ Societatis Jeſu Præpoſitus vitam finiit.

Scripſit Italicè.

Scripta.

In Pſalmum L. Davidis Diſcurſûs 100. in quibus ipſius Davidis lapſi, pœnitentis & ſanctè efflorescentis ſtatus ac formas depinxit, & ad vivum expreſſit.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

THO-

THOMAS BECONUS.

Obiit A.C. 1570.

Profeſſor Theologiæ Oxonienſ. IN *Oxonienſi* Academiâ Profeſſor Theologiæ fuit ſub Regno *Edoardi VI.*

Regnante poſtea *Mariâ* Martyricidâ, in *Germaniâ* exulavit.

Eccleſiæ Paſtor. Defunctâ Reginâ, rediit, & ſpectatus cùm Paſtor tùm Scriptor claruit.

Præbendarius Cantuarienſis. Moritur. Cooptatus tandem in numerum Præbendariorum *Cantuarienſium*, ibidem exſpiravit ſexagenarius circa A.C. 1570.

Edidit:

Scripta. *Comparationem Cœnæ Domini & Miſſæ Papiſticæ. in 8.*

Anglicè multos Tractatus Theologicos tribus Voluminibus comprehenſos.

* *Ex Heroologiâ Anglicâ.*

NICOLAUS GALLUS.

Obiit A.C. 1570.

COtæ in *Saxoniâ* natus A. 1516. cumque ex ephebis exceſſiſſet, *Wittebergæ Lutheri* & *Melanchthonis* auditor Theologiam cum Philoſophiâ per decennium didicit; deindè in ludo literario *Mansfeldenſi* aliquantiſper adoleſcentes informavit. *Audit Lutherum & Melanchthonem. Præficitur Ludo Mansfeldico.*

Docet Ratisbonæ. Poſteà cum Reſpublica *Ratisbonenſis* Evangelii doctrinam amplexa eſſet, & â *Wittenbergenſibus* idoneos Eccleſiæ Miniſtros petiviſſet, â *Luthero* cum *Hieronymo Copo* eò miſſus, A. 1542. Eccleſiam docuit.

Wittenbergam profugit. Verùm A. 1547. *Ratisbonâ* pulſus ob *Interim*, *Wittenbergam* profugit, ubi in templo arci contiguo *Caſp. Crucigeri* Paſtoris vices aliquandiu ſupplevit. Ubi ſtatim *Flacio Illyrico* conjunctus *Melanchthonem* oppugnavit. *Conjungit ſe Flacio.*

Magdeburgum venit. Anno 1550. *Magdeburgum* diſceſſit, & ibi Evangelium docuit. Cùm verò eodem & *Flacius* veniſſet, uterque turbulento illius Reipublicæ ſtatu factioſè declamârunt, & libellos contumelioſos evulgârunt.

Ratisbonam redit. A. 1552. Pace *Paſſavienſi* reſtitutâ, *Ratisbonam* revocatus, etiam vicinæ Auſtriæ Eccleſias doctrinâ gubernavit.

Moritur. A. 1570. verò mortuus eſt in thermis *Cellenſibus* Ducatûs *Würtenbergici. Ratisbonæ* ſepultus.

Edidit:

Scripta. *Conciones duas contra uſuram ex Pſ. 15.*

Annotationes in Epiſtolam Pauli ad Galatas.

Diſputationem de Adiaphoris & Mutatione Status Eccleſiarum.

Catechiſmum Homiliis Germanicè explicatum.

* *Ex Vitis Melch. Adami German. Theol.*

JODOCUS RAVESTEYN.

Obiit A.C. 1570.

TIletanus *Flander*, Theologiæ Doctor *Lovanienſis*, ac Privilegiorum Conſervator. Præpoſiturâ *Walcurienſi*, in diœceſi *Namurcenſi*, & Canonicâ dignitate *Lovanii* ornatus. *Præpoſitus & Canonicus.*

Theologus Lovanienſ. Vir eruditus, nec Græcè ignarus: Theologicæ Scholæ ſplendor, & Catholicæ Eccleſiæ incrementum imprimis illi curæ erant. Quò factum, ut, cum A. 1557. *Wormatiæ* Colloquium de Controverſiis Eccleſiaſticis fuiſſet inſtitutum, eò cum *Franciſco Sonnio* miſſus fuerit.

Senem tandem abſumpſit apoplexia. Corpus terræ mandatum in æde majoris Xenodochii *Lovanienſis*, ubi Sacris Virginibus multis annis præfuerat, hoc Epitaphio: *Moritur.*

Epitaphium.

EXIMIUS AC REVER. D. AC M. N.
JODOCUS RAVENSTEYN TILETANUS,
ECCLESIÆ COLLEGIATÆ S. PETRI LOVANII CANONICUS,
PRÆPOSITUS WALCURIENSIS,
HUJUS ALMÆ UNIVERSIT. PRIVILEG. CONSERVATOR,
ARTIUM ET S. THEOLOGIÆ PROFESSOR CLARISS.
QUI HÆRESES CONTRA CATHOLICAM FIDEM SUO TEMPORE INSURGENTES DOCTRINA ET LIBRIS SCRIPTIS PROFLIGAVIT.
HUJUS XENODOCHII PRÆPOSITUS.
VIR CERTE MULTÆ ERUDITIONIS, PIETATIS AC MODESTIÆ,
HIC SEPULTUS EST.
OBIIT ANNO DOMINI MDLXX. DIE VII. FEBR.
R. I. S. P.

Ingenii ejus monumenta hæc ſunt: *Scripta.*

Propugnaculum Concilii Tridentini contra Chemnitii Examen.

Confutatio Confeſſionis, quæ edita fuit â Miniſtris, qui in Eccleſiam Antuerpienſem irrepſerunt, Auguſtanæ verò Confeſſioni adhærent.

Apologia confutationis profanæ Confeſſionis, quam Antuerpienſem vocant, contra Matthiæ Flacii Illyrici Cavillationes.

Apologia Decretorum Concilii Tridentini de Sacramentis pars altera, contra Examen Chemnitii:

Contra Molinæum pro Concilio Tridentino.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

SEBASTIANUS FROSCHELIUS.

Obiit A.C. 1570.

VItam ejus breviter exhibet hæc Inſcriptio Sepulchralis, quam videre licet in Templo Parochiali *Wittebergæ*: *Eccleſiæ Paſtor Wittebergenſis.*

Hoc ſita FROSCHELII *recubant ſenis oſſa ſepulchro,*
Qui docuit cœtus ter tria luſtra pios,
Et vitæ ſeptem atque octo propè luſtra peregit,
Deque fide & Chriſto publica ſcripta dedit.
Mortuus in Domino hîc quod erat mortale reliquit,
Viveret ut melior pars meliore loco.
Sancta ubi ſemper habent animæ commercia lætæ
Cum Chriſto, vivis agminibusque patrum,

ANNO CHRISTI MDLXX. DIE XX. DECEMB. M. SEBASTIANUS FROSCHEL AMBERGENSIS, CUM FIDELITER HUIC ECCLESIÆ PER ANNOS XLV. DIACONI

Digitized by Google

NI LOCO INSERVIISSET, EX HAC MORTALI VITA PIE DECESSIT.

* *Ex Academiâ Wittebergenſi â Gotfrido Suevo J. C. editâ.*

Obiit A. C. 1571.

JOACHIMUS MORLINUS.

Witteberga literis operam dat. Docet variis in locis.

NAtus eſt 6. April. A. 1514. Juvenis ſtudiorum gratiâ *Wittenbergæ* vixit.

Sacra deindè *Lutheri* ſcil. ſectator, & acer doctrinæ ejus cuſtos, docuit *Wittenbergæ* primùm, poſteà *Islebii* & *Julini* in *Pomerania* Diaconi munere functus.

Idem deindè fecit *Arnſtadii* & *Gottingæ*, vetuſto *Saxoniæ* oppido, A. 1540. Collegâ *Bartolomæo Wolffharto*: poſteà *Schleuſingæ*, Comitatûs *Hennenbergici* oppido, Principum ſede & ludo celebri.

Vocatur in Boruſſiam. Dimittitur invitâ plebe.

A. 1551. *Regiomontium* in *Boruſſiam* vocatus venit, & *Andreæ Oſiandri* dogmata nova tum Concionibus, tum ſcriptis, coarguit. Sed cum neutra pars de ſententiâ remittere quicquam vellet, A. 1552. â Principe *Alberto*, cujus animum Oſiander occupârat, dimiſſus invitâ licet plebe in Germaniam reverſus, & Eccleſiæ *Brunſuicenſi* regendæ fuit præfectus, Collegâ *Martino Chemnitio*.

Revocatur. Epiſcopus Sambienſis. Moritur.

A. 1566. In *Boruſſiam* revocatus & *Sambienſis* Eccleſiæ Epiſcopus creatus eſt, quo in officio ad vitæ uſque exitum manſit, qui ipſi obtigit initio Anni 1571. æt. 57. cum fruſtrà reclamantibus Medicis ſectionem in calculo veſicæ ſenex attentâſſet.

Ingenii monumenta reliquit:

Scripta.

Pſalmorum Davidis enarrationem.

Catechiſmum Germanicum.

Poſtillam Evangeliorum Dominicalium.

Refutationem Mendacii Theologorum Heidelbergenſium de Luthero.

De Vocatione Miniſtrorum.

Defenſionem adverſus accuſationem novorum Wittenbergenſium Theologorum.

De Peccato Originis contra Manichæorum deliria.

Epiſtolas ad Oſiandrum & Reſponſiones.

* *Ex Melch. Adami Vitis German. Theol.*

Flor. A. C. 1571.

PETRUS SANCTIUS.

Rector & Philoſophiæ Profeſſor Compluti. Compluti Societatem Jeſu ingreſſus. Rector Complutenſis.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ ex oppido *S. Martini* Diœceſis *Toletanæ*, cum Academiæ *Complutenſis* Rector fuiſſet, & *Ariſtotelicas* diſciplinas publicè explanaret, magnâ probitatis atque eruditionis opinione, rebus omnibus ſæculi contemptis in Societatis Jeſu numerum aggregatus eſt *Compluti* A. C. 1558. magnâ cum Academiæ admiratione & ædificatione deducentibus illum in Collegium Præceptoribus & diſcipulis multas lachrymas profundentibus. Rectoris poſteà munere functus in *Indiam Occidentalem*, Superiorum juſſu, navigavit A. 1571. primusque *Hiſpaniæ novæ* Provinciam laudabiliter adminiſtravit.

Scripſit Hiſpanicè Volumen *De Regno Dei in VIII. libros diviſum*, in quibus omnium pænè virtutum Sanctorum adducit exempla Eccleſiaſticâ ex Hiſtoriâ deprompta, ut doceat virtutis cujusque objectum, modum, finem, & calcaribus quaſi legentium animos per Sanctorum exempla magis ad pietatem accendat. *Scripta.*

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A. C. 1571.

CHRISTOPHORUS WIRSUNGUS.

AUguſtæ Vindelicorum Patritiâ familiâ natus eſt A. 1500.

Diaconus Auguſtanus. Heidelbergæ degit. Libros ſcribit & vertit.

Bonis literis â puero imbutus evaſit Diaconus, ſive Senior, in Eccleſiâ *Auguſtanâ* multos per annos.

Poſteà ſedem ſuam & ſenectutis domicilium *Heidelbergam* elegit.

Eo in otio minimè tamen otioſus fuit, ſed *Auguſtini Marlorati Commentarios in novum Teſtamentum Germanicè è Latino convertit.*

Tunc etiam in lucem dedit *De Medicinâ librum Germanicum*, in quo primùm omnia corporis humani membra deſcribuntur, deindè ſingulorum morbi, & eorum remedia uſu obſervata proponuntur.

Edidit prætereà *Marcelli Palingenii Stellatenſis*, (cujus cadaver propter pietatis doctrinam in *Italiâ* exhumatum crematumque fuit,) *Poëmata, Commentariis adjectis.*

Vertit, ex *Italico, Conciones & Apologos Bernhardi Ochini.*

Cum & *Homilias Ludovici Lavateri in Joſuam* è Latinis Germanicas reddere cœpiſſet, inter ipſos labores, nullo ferè morbo laborans, poſt editam fidei confeſſionem placidè obdormivit 25. Januar. A. 1571. æt. 71. *Moritur.*

Vir fuit pietatis veræ ſtudioſus, vitæ integerrimæ, literarum & literatorum amantiſſimus. Amicos colens *Beatum Rhenanum*, & *Conradum Geſnerum.*

Filium reliquit *Philippum* Medicinæ Doctorem, filiam verò *Mariam* elocavit *Chriſtophoro Ehemio* Patritio *Auguſtano*, & Cancellario *Palat.* quæ paulò poſt patrem obiit, cum eodem ſepulta *Heidelbergæ* ad *S. Petrum* in Choro. *Liberi.*

* *Ex Vitis Philoſ. Melchioris Adami.*

Obiit A. C. 1571.

PETRUS VIRETUS.

NAtus eſt *Orbæ*, ditionis *Bernenſis* oppido, *Friburgenſibus* ſubdito A. C. 1511. *Lutetiæ* literis operam dans, *Farellum* cognoſcere cœpit, quem poſtmodùm in variis Eccleſiis conſtituendis præclarè juvit.

Miniſter Eccleſiæ Lauſannenſis, & Genevenſis.

Lauſannæ, in Eccleſiâ docens, multos annos conſumpſit: & cum A. C. 1541. *Calvinus* ad Colloquium *Ratisbonenſe* abiiſſet, intereà *Genevenſis* Eccleſiæ curam ſuſcepit.

Eo reverſo & *Viretum* ſuum *Genevæ* detinere ſtudente, ad *Lauſannenſes* tamen regredi maluit.

Inde *Lugdunum* acceſſitus, Eccleſiam ibi inter *Lugdunenſis.*

Digitized by Google

inter belli civilis tempeſtates gubernavit; donec A. 1563. Edictum in *Gallia* factum, ne cui indigenæ & in Regno nato fas eſſet Religionis Proteſtantium Miniſterium exercere, *Lugduno Arauſionem*, & indè *Johannæ* Reginæ *Navarræ* rogatu *Bearnum* venit, & aliquandiu *Orteſii* docuit.

Et Bearnenſis.

Cum verò admodum eſſet eloquens & ſuavis in dicendo, tanta fuit in verbis ipſius vis, aures animosque auditorum demulcens, ut etiam minus addictos Religioni, vel moræ aliàs impatientes blandiloquentiâ ſuâ faciles obſequentesque habuerit, qui ab ejus concionantis ore pendentes, orationem deſiderare longiorem videbantur.

Hunc virum nec minæ, nec pericula, nec crudelia bella *Gallica* â ſtudio ſuo deterrebant, ſed per medios hoſtes operi inſtans Regnum Chriſti propagabat: ſic, ut Eccleſia *Lugdunenſis*, aliæque vicinæ cum, ob egregiam, quam præſtitit, operam maximè coluerint, ſcriptaque tempore tum ingeniis riſu Papiſmum excipientibus, ſummâ cum voluptate legerint.

Moritur. Vitam tandem clauſit *Orteſii* in Regno *Navarreo* A. C. 1571. æt. 60.

Corpore fuit imbecillo præditus, partim ob venenum ipſi â *Genevenſis* cujusdam Canonici ſervo clàm propinatum, partim ob vulnera in agro *Bernenſi* â Sacrificulo quodam ipſi per inſidias inflicta tàm gravia, ut jacentem pro mortuo reliquerit.

De eo *Theodorus Beza* hoc Epigramma compoſuit, cum *Genevæ* â vulgo laus Eruditionis *Calvino*, vehementiæ *Farello*, & Facundiæ *Vireto* tribueretur:

Bezæ Epigramma.

Gallica mirata eſt Calvinum Eccleſia nuper,
quo nemo docuit doctius.
Eſt quoque Te nuper mirata, Farelle, tonantem,
quo nemo tonuit fortius.
Et miratur adhùc fundentem mella Viretum,
quo nemo fatur dulcius.
Scilicet aut tribus his ſervabere teſtibus olim,
aut interibis, Gallia.

Scripta edita, & relicta ab ipſo ſunt ſequentia:

Scripta.

Commentarii in Acta Apoſtolor.
De Origine veteris & novæ Idololatriæ.
Epiſtolæ conſolatoriæ.
De Origine, continuatione, uſu, autoritate, & præſtantiâ Miniſterii Verbi DEI & Sacramentorum, & de Controverſiis eâ de re excitatis, iisque componendis lib. 18.
De vero Verbi DEI, & Sacramentorum Eccleſiæ Miniſterio Libri 2.
De adulterinis Sacramentis lib. 1.
Expoſitio familiaris Orat. Dominicæ.
De Communicatione Fidelium.
De naturâ & varietate Votorum atque Legum Divinarum.
Conformitas & differentia S. Cœnæ ac Miſſæ.
Acta verorum & falſorum Succeſſorum Jeſu Chriſti in Eccleſiâ Papali.
Epiſtolæ ad Fideles agentes inter Papiſtas.
Dialogi de Confuſione Mundi.
Inſtructio Chriſtiana & Summa doctrinæ S. literar. per Dialogos.
Cento de Theatricâ Miſſæ ſaltatione ex veteribus Poëtis conſarcinatus.
Tractatus de uſu Salutationis Angelicæ, & de origine Capellarum, earumque abuſu.
Demonſtratio facta fidelibus agentibus inter Papiſtas, præcipuè aulicis.
De Officio hominis, & neceſſitate inquirendi de Voluntate DEI ex ejus verbo.
Phyſicæ Papalis Dialogi V. 1. *Medicina ſive Mercurius.* 2. *Balneæ ſive Charon.* 3. *Aqua benedicta.* 4. *Ignis ſacer.* 5. *Alchymia ſive Pluton.*
Chriſtianarum Diſputationum Dialogi VI. 1. *Alchymia Purgatorii.* 2. *Officia pro mortuis.* 3. *Anniverſaria,* 4. *Adoleſcentia Miſſæ.* 5. *Infernus.* 6. *Requieſcant in Pace, ſive de Purgatorio.*
Diſputationes Chriſtianæ de ſtatu Defunctorum.

* *Ex libro Jacobi Verheiden Theologor. qui Pontifice impugnarunt.*

DAVID WITEHET.

Obiit A. C. 1571.

IN Academiâ *Oxonienſi* Theologiæ Baccalaureus creatus, Verbum DEI ſincerè prædicavit.

Paſtor Eccleſiæ Oxonienſis.

Cum aliquando ipſi Regina *Eliſabetha* Archiepiſcopatum *Cantuarienſem*, & alio tempore Xenodochii publici propè *Weſtmonaſterium* Præfecturam detuliſſet, utramque dignitatem modeſtè recuſavit hiſce verbis: *Sibi ſatis eſſe de vivendi præſidiis proſpectum, ſeque ſuâ ſorte contentum velle in vocatione Divinitùs ſibi impoſitâ*, id eſt, *Evangelii annunciatione acquieſcere.*

Archiepiſcopatum Cantuarienſem recuſat.

Ita voti compos emigravit ex hâc vitâ A. C. 1571. ætatis 70. *Moritur.*

* *Ex Heroologiâ Anglicâ.*

JOHANNES GARETIUS.

Obiit A. C. 1571.

LOvanienſis Ordinis Canonicorum Regularium *S. Auguſtini*, in *Martiniano* Cœnobio, multæ Vir lectionis, in Patribus aſſiduus. *Mishagenſibus* agri *Antverpiæ* Virginibus ſacris præfectus fuit, & diſertè ad populum de Verbo Dei diſſeruit. *A Roberto Bellarmino & Franciſco Turriano* doctrinæ atque induſtriæ nomine apprimè laudatus. Calculi doloribus Lovanii extinctus, & apud ſuos ſepultus eſt, hoc Epitaphio:

Concionator. Sacris Virginibus Antverpiæ præfectus.

Epitaphium.

MEMORIÆ
F. JOANNIS GARETII CANONICI REGUL.
ORD. D. AUGUSTINI,
ECCLESIASTÆ CELEBERRIMI,
ET S. S. LITERAR. STUDIOSISSIMI,
QUI MORTEM OBIIT IPSO D. AGNETIS
ANNO
CIϽ IϽ LXXI.
SUPERIS REFLORESCAT.

Scripſit:

Scripta. *Claſſes IX. De verâ præſentiâ corporis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento, ex omnibus omnium ætatum Patribus ſanctiſſ.*

Aſſertionem ex ſanctorum Patribus, quod mortui vivorum precibus adjuventur.

De Sacrificio Miſſæ.

De Sanctorum invocatione.

Huic *Symbolum* fuit:

Symbolum. *Proſis non obſis.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1571.

CUNMANNUS FLINSCHBACHIUS.

NAtus eſt *Tabernis Montanis* inferioris *Alſatiæ* ad *Vogeſi* ripas oppido. 24. Junii A. 1527.

Pater & Avus. Pater ei fuit *Jacobus*, vir ſapiens & literatus, Avus *Petrus* ludi *Tabernæmontani* Magiſter.

Argentorati literis operam dat. Primis rudimentis in patriâ poſitis, *Cunmannus Argentoratum* profectus, artium fundamenta jecit ſub *Johanne Guintherio Andernaco*, & *Johanne Sturmio*.

Wittebergæ Melanchthonem audit. Deindè *Wittebergam* veniens, Theologiæ dedit operam, & â *Melanchthone* affine ſuo totus pependit. Biennium etiam in linguarum ſtudio, Phyſices, Mathematum, & Hiſtoriarum inſumpſit.

Magiſter Philoſophiæ. A. 1549. Ibidem Magiſterii titulo ornatus, biennium privatim docuit.

Ad Theologiam animum adjicit. Academiâ deindè ob peſtem diſſipatâ, *Argentoratum* venit, ubi concionando aliquandiu ſe exercuit, & Theologiæ ſe totum addixit.

A. 1552. Vocante *Wolffgango* Principe *Palatino*, cujus munificentiâ aliquot annos in literis vixerat, Eccleſiæ *Bipontinæ* Diaconatus & reliquarum illius Ducatûs Eccleſiarum gubernatio illi fuit demandata. In quâ provinciâ annis 19. fideliter verſatus eſt.

Eccleſiæ Bipontinæ Diaconus & Inſpector.

Peſte corripitur. A. 1564. Peſte correptus lethaliter decubuit M. Octobri, nec ſolùm corporis, ſed animi etiam graves ſenſit dolores, quos ope DEI ſuperavit.

Eccleſias reformat. *Montpelgardenſem* etiam & *Hanovienſem* Eccleſiam reformavit, & cum *Argentorati* graves diſſenſiones inter Theologos exarſiſſent, eas cum aliis viris doctis reſtinxit.

Ex tractu tandem *Moſellano*, Eccleſiis ex animi voto compoſitis, domum reverſus, ſubitò graviter ægrotare cœpit ex toxico, ut ſuſpicio fuit, â quodam Paſtore Pontificio clàm propinato, quartoque pòſt die placidè

Moritur. obdormivit *Biponti* 11. Sept. A. 1571. æt. 44. miniſterii 20.

Elatus autem eſt honeſto funere *Biponti*, ac in monaſterio Virginum monumento tali honoratus:

D. O. M. S.

Epitaphium. CUNMANNO FLINSBACHIO TABERNÆMONTANO DIACONO ET SUPERINTENDENTI VIGILANTISSIMO, CUM EVANGELIUM PER ANNOS XIX. HIC POSTREMIS ETIAM PASTOREM AGENS, PURE DOCUISSET: ALIBI REFORMATIONI ECCLESSIARUM INTERFUISSET, UTILIA SCRIPTA EDIDISSET. DIE XI. SEPT. A. MDLXXI. ÆTATIS XLIII. PIE CUM LACRYMIS BONORUM DEFUNCTO, MEMORIÆ ERGO HÆREDES POSUERUNT.

HODIE MIHI
CRAS TIBI.

Reliquit, præter filium *Johannem Gallum* *Scripta.* *Flinsbachium* Medicum, Monumenta:

Chronologiam.

Genealogiam Chriſti.

* *Ex Melchioris Adami Vit. Germ. Theol.*

JOHANNES IVELLUS.

Obiit A.C. 1571.

NAtus eſt in agro *Devonienſi Budenæ* A.C. 1523.

Oxoniæ gradum Baccalaurei Theologici ſuſcepit.

Concionator Evangelicus. Inſignis Evangelii Præco A. 1554. ſæviente Reginâ *Mariâ*, in *Germaniam* profugit. Eâ verò mortuâ A. 1558. reverſus in *Angliam*, *Oxoniæ* Theologiæ Doctor renuntiatus eſt. *Theologiæ Doctor.*

A. 1561. Epiſcopus *Sarisburgenſis* â Reginâ *Eliſabethâ* factus, exſpiravit in domo ſuâ *Monktenfarleæ*, & ſepultus eſt *Sarisburiæ* d. 23. Sept. A.C. 1571. æt. 50. *Epiſcopus Sarisburgenſis.* *Moritur.*

Vitæ finem anno mortem ſuam præcedente in binis literis ad Epiſcopum *Norivicenſem* miſſis prædixit.

Libros edidit:

Scripta. *Apologiam Eccleſiæ Anglicanæ.*

Antapologiam, oppoſitam confutationi â Thoma Hardingo contra Eccleſiæ Anglicanæ Apologiam.

Synopſin ſeditioſæ Bullæ in Angliam â Pio V. A. 1569. miſſæ, Anglicè.

Tract. de Sacramentis Anglicè.

Tract. de Scripturis Anglicè.

* *Ex Heroologiâ Anglicâ.*

Jacobo Auguſto Thuano teſte, Confeſſionem fidei ſub Rege *Edoardo VI.* receptam contra *Thomam Hardingum*, (qui eam aliquando probaverat, & poſteà recantaverat) Libris editis, qui magno in pretio inter eos habentur, tutatus eſt.

* *Ex Elogiis Thuaneis Virorum doctorum C. B.*

CLAUDIUS ESPENCÆUS.

Obiit A.C. 1571.

GEnere illuſtris, ſed pietate, candore, & omnium diſciplinarum cognitione illuſtrior, nobili ad *Catalaunum* in *Campaniâ* loco natus, per duos annos in *Pariſienſi* Academiâ humanioribus, Philoſophicis ac Theologicis ſtudiis cum omnium admiratione operam navavit. Theologus deindè *Pariſienſis Sorbonicus* magno omnium Ordinum concurſu frequentes de rebus Divinis ad populum Conciones habuit, cum delectis adverſæ *Theologus Pariſienſis Sorbonicus.*

Digitized by Google

verſæ partis Theologis ſummâ moderatione egit, & voce ac eruditis in complures Scripturæ Locos editis Commentariis religionis negotium promovit: tantiſper enim in eo munere verſatus eſt, donec viribus imminente ſenio diminutis ad commentandi ſcribendique laborem ſe contulit. *Religionis negotium promovit.*

Extant quamplurimæ de Religione quæſtiones ab eo Latinè Galliceque magnâ ſubtilitate & diligentiâ pertractatæ.

In Conventu Poſſiacenſi fuit. Quarum rerum exiſtimatione permota *Catharina*, Regis pueri Mater, inſtituto de rei Chriſtianæ controverſiis apud *Poſſiacum* Doctorum hominum congreſſu, hunc virum inter alios dignum cenſuit, cujus operâ & judicio res tanti momenti A. C. 1561. diſceptaretur.

Et in Concilio Tridentino. Cum & Chriſtianis illis Conventibus, qui *Tridenti* habebantur, maximâ cum *Gallici* nominis famâ jam interfuiſſet, nonnullâ ſpe ſacri etiam galeri à Summo Pontifice obtinendi lactatus eſt, quem ei nec *Italia* invidebat, homini videlicet ex *Apuliæ* finibus oriundo, maternumque genus ad illuſtrem *Urſinorum* familiam referenti. Sed occultus Collegarum livor hanc viro de Religione benè merito dignitatis occaſionem ademit.

Moritur. Sexagenarius vitâ functus eſt 5. Octob. A. C. 1571. *Lutetiæque* in *D. Coſmi* tumulatus, ubi ſaxea ejus effigies Theologi habitu columnæ impoſita cum Elogio conſpicitur.

** Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

Et ex Elogiis Thuaneis viror. doctor. C. B.

Edidit

Scripta. *Tractatum de Continentiâ.*

Commentar. in complures S. Scripturæ Locos.

* * *

Vir pietate, candore, & omnium diſciplinarum abſolutâ cognitione illuſtris, cum per 40. annos in *Pariſienſi* Academiâ Humanioribus, Philoſophicis, ac Theologicis ſtudiis operam navâſſet, à Rege *Franciſco I. Melodunum*, ab *Henrico II. Bononiam*, à *Franciſco II. Aurelianum*, & à *Carolo IX. Poſſiacum*, inter primarios Religionis Antiſtites, nunc Legatus, nunc Diſceptator, de controverſis rei Chriſtianæ capitibus cum delectis adverſæ partis Theologis ſummâ æquitate ac moderatione egit. Sacri etiam olim galeri decus potius meritus, quàm adeptus eſt.

Calculi doloribus extinctus. Tandem ex graviſſimis calculi doloribus, A. C. 1571. ætatis 60. extinctus eſt, cum unus è paucorum numero eſſet, qui de idoneis pacis in Eccleſiâ conſtituendæ rationibus ſeriò ſemper cogitaverit, atque adeò de tollendâ è domo Dei ſciſſurâ, quam multi hodiè, dum præpoſtero pietatis ardore ſtrenui in eâ causâ videri volunt, firmant magis ac oppugnant. *Thuan. lib.* 50.

** Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

JOHANNES ROSA.

Obiit A.C. 1571.

Hellingâ *Coburgenſis Francus*, natus eſt 12. Jan. A. C. 1532.

Fit Profeſſor Philoſ. Jenæ. & Theolog. Promotus Magiſter Philoſophiæ *Wittebergæ* A. 1554. *Jenam* A. 1556. vocatus, initiò Ethicam, Logicam, & Hiſtoricam ordinariè & alternatim prælegit, ſed poſtmodùm Theologiam extraordinariè, & quidem vice tum primâ A. 1558. quo *D. Erhardi Snepſii* Theologiæ Profeſſoris Publici ægrotantis juſſu, auream ad *Romanos Epiſtolam* explicuit: tum ſecundò A. 1568. quo *D. Johanne Stöſſelio* clam abeunte, *Locos Theologicos* interpretatus: & licet ex aulâ 9. Octob. conſilium daretur legendi *Confeſſionem Auguſtanam*, renuebat tamen humiliter, ne novitatis ſtudioſior quàm utilitatis videretur. *Succedit Johanni Stöſſelio.*

Obiit *Jenæ* in ſuo Rectoratu tertio omnium Rectorum primus 21. Nov. A. C. 1571. æt. 39. *Moritur.*

Ex Nomenclat. Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri, qui hoc ejus honori addidit Epigramma: *Epigramma in ejus honorem.*

Ut decus hortorum eſt Roſa: ſic viridaria Phœbi
Johannes decorat nomine reque Roſa.
Ut Roſa vi venti vel ſolis diſperit æſtu,
Sic is vi Mortis decidit ante diem.

Caſpar Cunradus Med. Proſopograph. Melicæ Millenar. II. hoc diſticho eum honoravit:

Es Roſa Panſophiæ, decorans Jenenſe Roſetum,
Cujus odore novum fert decus omne Sophos.

MARCUS GEORGIUS.

Obiit A.C. 1571.

Natione *Luſitanus*, patriâ *Conimbricenſis*, in ejuſdem Civitatis Collegio Societatem Jeſu complexus eſt 16. Martii A. C. 1548. cum jam egregiam Juri Canonico operam navâſſet, atque inter cœteros ejus Academiæ Scholaſticos ingenii ſcientiæque opinione excelleret. *Societ. Jeſu amplexus. Juris Canonici peritus.*

Poſteà Doctoris Theologi Gradum in Academiâ *Eborenſi* adeptus, S. Theologiam in eâdem Academiâ profeſſus eſt. *Theologiæ Doctor. Et Profeſſor Eboræ.*

In Collegio verò *S. Antonii Olyſſiponenſi* quæſtiones de Moribus ſapienter primus explicavit innumeris penè Sacerdotibus. Vi dicendi verboque Dei è ſuggeſtu enarrando emicuit.

Romam miſſus eſt, ut apud *P. Franciſcum Borgiam*, Præpoſitum Generalem, Procuratoris munus obiret, atque indè vertens, piè admodùm *Eboræ* exceſſit è vitâ M. Dec. A. C. 1571. *Concionator. Moritur.*

Scripſit

De Doctrinâ Chriſtianâ ad puerorum rudiumque inſtitutionem Libellum exiguum, ſed peregregium. *Scripta.*

** Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Clar. A.C. 1572.

JOHANNES FRIDERICUS COELESTINUS.

AD *Ephoriam Hagiæ* in *Bavariâ* evectus, Antiſtitis tum Aulici tum Provincialis perſonam ſuſtinuit. Poſteà in Academiâ *Salanâ* Profeſſor Theologiæ publicus A. 1568. conſtitutus.

Theologiæ Profeſſor Jenæ.

Interfuit Colloquio Altenburgenſi.

Colloquio *Altenburgi* in *Miſniâ* inter *D. Auguſti* Elect. *Saxoniæ* & *D. Joh. Wilhelmi I.* Ducis *Saxoniæ* Theologos interfuit, inchoato A. 1568. 21. Oct. & A. 1569. 9. Mart. abrupto: in quo nactus tum Paraſtatas *D. Joh. Wigandum*, *M. Chriſtoph. Irenæum*, *M. Timotheum Kirchnerum*, & nonnullos alios; tum Antagoniſtas, *D. Paulum Eberum*, *D. Heinricum Salmuth*, *D. Caſp. Crucigerum* juniorem. *Flacianiſmo* infectus *Jenâ* abiit in *Auſtriam* 25. Jan. A. C. 1572. & obiit in eâdem fortaſſis.

Flacianus.

* *Ex Nomenclat. Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beieri Theologi Jen.* qui hoc Epigramma adſcripſit:

Hagia te ſpartâ, Friderice, Antiſtitis ornat,
A Pace & Cœlo nomen & omen habens.
Jena Profeſſorem te nutrit: Et Auſtria tandem
Infectum Flacci dogmate terra fovet.

Obiit A.C. 1572.

STEPHANUS SZEGEDINUS.

COgnomine *Kis*, *Szegedini Hungariæ* opp. natus eſt A. 1505.

Cum adoleſcens *Lippaini*, deinde *Gyulæ* vel *Juliæ* literis operam dediſſet, indè *Cracoviam* ſe contulit A. 1540. Cum verò *Lutheri* & *Melanchthonis* fama in *Pannoniâ* quoque nonnihil percrebuiſſet, A. 1541. *Wittenbergam* petiit, ibique Dialecticam Locosque communes ex ore *Melanchthonis*, ſacras verò commentationes, prælegente *Luthero*, ſedulus excepit.

Literis operam dat.

Lutherum & Melanchthonem ſequitur Witteubergam.

A. 1544. Domum reverſus, *Thaſnyadini* â civitate conductus, in ſcholâ juventutem erudivit, & in Templo veritatem Evangelii plebi annuntiavit. Ob id Theſaurarii Regii juſſu plagis barbaricè tractatus, calceisque ferreis adeò vexatus, ut ſola reſpirandi facultas ſuperfuerit, libris dein omnibus ultra 200. cum ſupellectile ſpoliatus, urbe expulſus eſt.

Thaſnyadini Ludi moderator, crudeliter tractatur.

A. 1545. Dum in exilio ita vagaretur, legitimè vocato *Szegedino Gyulæ* Scholæ gubernatio demandata eſt.

Gyulæ pueros inſtituit.

A. 1546. Cum tranſiiſſet ad Eccleſiam *Cegledienſem*, literatorum quorundam hominum ſuaſu, ibi publico ſalario conductus, non ſolùm in Templo docere, ſed in Scholâ quoque Locos communes *Melanchthonis* enarrare cœpit.

A. 1548. Ibidem primam uxorem *Urſulam* duxit.

Poſteà *Temeswarium* â Comite & urbis Præfecto *Petro Petrovitio* ad ſcholam ibi tum celebrem gubernandam invitatus, conditionem eam acceptans, non ſolùm juventutem in ludo docuit, ſed etiam ad populum concionatus eſt, Collegâ *Chriſtophoro Lippenſi*.

Temeswarii docet.

Sed Comite illo è vivis ſublato, ab ejus ſucceſſore *Stephano Loſontio* cum plerisque aliis Orthodoxis exturbatus, iterum exul factus, *Thurinum* ad ripas, *Berechionis* oppidum A. 1551. migravit, ubi itidem in Templo & Scholâ docuit.

Thurinum venit.

A. 1553. *Bekeneſium* legitimè vocatus conceſſit, ubi præter Conciones publicas in Scholâ quoque more ſuo docuit. Sed brevi pòſt, exorto tumultu, cum captus & vinctus Duci *Camponio* adductus eſſet, â milite quodam, olim diſcipulo ſuo, liberatus, captivitate pariter & morte ſe expedivit, trajecto fluvio *Chryſio*.

Bekeneſii docet.

Captus abducitur, & liberatur.

Indè ſub finem A. 1553. *Tholnam* vocatus, in Scholâ maximè laboravit, deindè etiam *Michaelis Statini*, Paſtoris Eccleſiæ precibus adjutus, in Templo concionatus eſt.

Tholnam vocatur.

Ibidem alteram conjugem duxit *Eliſabetham*, *Johannis Beremenii*, Paſtoris Eccleſiæ, viduam.

Alteram ducit uxorem.

A. 1554. *Laſcovium* traductus, ſuſcepit ſuo more ſcholæ ſimùl & populi inſtitutionem, Generalis totius Baronatûs Superintendens declaratus.

Laſcovium venit.

A. 1558. *Calmantſemum* migravit. Ibi, â *Turcis*, captus, varias calamitates perpeſſus eſt, donec liberatus *Kevinam Hungariæ* oppidum perductus eſt, ibique ſedem fixit A. 1563. placideque exſpiravit 2. Maji A. 1572. ætatis 67.

Et Calmantſemum.

A Turcis capitur.

Liberatur.

Moritur.

Cadaver 3. ſeq. Maji honorificè terræ eſt mandatum, tumuloque hoc Epitaphium additum:

Epitaphium.

Eloquio rarus, mira gravitate verendus,
Ingenio felix & pietate ſacer:
Heu jacet eximius parvo ſub ceſpite Doctor!
Hic Stephanus requiem qui Szegedinus habet.
Hunc juvenem vidit Schola bis peregrina diſertum,
Dogma, Luthere, tuum, teq; Philippe, ſequi.
Poſt varios caſus & multa pericula vitæ,
Dum petit, aut dotes ſpargit ubiq; ſuas:
Senſit ad extremum plebs ſacra Kevina docentem,
Admirans ſenio multa notare gravi.
Unde quidem Chriſti cultor non fictus honoris,
Hunc ſua non ægrè per monumenta colet.

Pater hic fuit plurium liberorum, ſed quibus ipſe invitus ſupervixit.

Edidit:

Scripta.

Speculum Romanorum Pontificum Hiſtoricum. in 8.


Aſſertionem de Trinitate contra quorundam in Hungariâ deliramenta.

Tabulas analyticas de fide Chriſtianâ.


Locos communes Theologiæ ſinceræ, de Deo & homine, cum confeſſione de Trinitate.

* *Ex Melch. Adami Vitis Theolog. extet.*

HU-




FRANCISCVS BORGIA
Soc. Jesu Theologus.


IOHANNES EHINGERVS
Theologus Augustanus.


IOHANNES CNOXVS
Theologus Scotus.


IOHANNES WOLPHIVS
Theologus Tigurinus


MATTHÆVS GALENVS
Theologus Duacensis


IOHANNES PFEFFINGERVS
Theologus Lipsiensis.


HIERONYMVS WELLERVS
Theologus Friburgensis.


CORNELIVS MVSSVS
Episcopus Bitontinus


BENEDICT, ARETTVS
Theologus Bernensis.


FRANCISCVS RICHARDOTVS
Atrebatum Episcopus.


GEORGIVS MAIOR
Theologus Wittenberg.


MATTHIAS FLACCIVS
Theologus Ienensis.


HENRICVS BVLLINGERVS
Theologus Tigurinus.


PAVLVS TOMASINVS
Theologus Patavin.


CORNELIVS IANSENIVS
Episcopus Gandavensis.


HENRICVS SALMVTH
Theologus Lipsiensis.

Digitized by Google

Clar. A.C. 1572.

HUGO SORELLUS ROSARIUS.

ECcleſiæ *Aurelianenſis* Paſtor, magni nominis inter Proteſtantes Theologus in *Lanienâ Pariſienſi* comprehenſus, eodem, quo alii, metu territus, animum ad ſacra Majorum redeundi præ ſe ferens, habere quædam ſe dixerat, de quibus *Carolum IX.* Regem convenire vellet.

Metu â Proteſtantium doctrinâ ſe deficere ſimulavit.

Magna de Proteſtantibus victoria parta putabatur, ſi *Roſarius* eorum partes deſereret. Itaque ſtatim coram Rege ſiſtitur, & errorem ſuum deteſtatur, idque, quod nunc faciat, jam antè ſe facere paratum ſatis indicâſſe, dicit, cum in dirimendis controverſiis ſemper Antiquitatem & Patres appellandos cenſeret, alioquin nunquam diſſidiorum finem fore.

Cœterùm cunctationi ſuæ intempeſtivam vim & neceſſitatem Deum impoſuiſſe, ut quod facere conſtituerat, citiùs faceret. Verùm ſe operam daturum, ut damnum, morâ factum, diligentiâ ſuâ ſarciat, exemploque errantibus prælaturum, ut ad Eccleſiæ unionem maturiùs revertantur.

Eam occaſionem, ſibi veluti â Deo oblatam, Rex arripiens, hominem ad *Henricum Navarræ* Regem, *Catharinam* ejus Sororem, *Henricum Borbonium Condæum*, *Mariam Cliviam* ejus uxorem, *Franciſcam Aurelianam*, *Condæi* ſocrum, (his enim tum propter Regii ſanguinis cognationem, tum propter ſpem futuræ ejerationis parcitum fuerat,) introducit, qui illum de veræ Eccleſiæ notis, certâ ejus ſucceſſione, ac legitimâ Miniſtrorum vocatione diſputantem, eaque in ſolâ Eccleſiâ Cathol. Apoſtol. Rom. ſimul eſſe affirmantem, multis argumentis, & magnâ, quâ pollebat, ornatè dicendi facultate confirmantem, cum attentè diu ac coram *Sorbonicis* Doctoribus audiviſſent, omnes præter *Condæum* manus dederunt, metu potius coacti, quàm ab illo perſuaſi, ut eventus poſteà in *Navarro* & illius Sorore docuit, qui tamen cum honeſtam vitæ ſuæ conſulendi rationem quærerent, exemplum *Sorelli* pro excuſatione ſumpſerunt.

Proceres exemplo ſuo induxit

Condæus, cui publico illo Colloquio nondum ſatisfactum fuerat, ſeducto in arcano *Sorello*, *Itane eſt*, inquit, ut *palàm dicis*, an *præ metu ſic loqueris?* Illo affirmante, ſubjecit *Condæus: Si ita eſſet, quemadmodùm â puero in tuâ tuorumque Collegarum Scholâ edoctus accepi, veritatis defenſionem libenter capite ipſo redimerem, ſi verò erravi, & circumventus ſum, errore depoſito, veritati exploratæ credendum eſt.*

Ab eo tempore *Condæus* labare cœpit, & ſive ſuæ infirmitati alienam culpam prætexeret, (nam in *Baſtilliâ* arce cubiculum paratum intellexerat,) ſeu ita rem habere ab illo perſuaſus crederet: & tandem poſt *Navarrum* & alios errore ejerato, & interpoſitâ Pontificis nomine â *Carolo Borbonio* Cardinali patruo autoritate, â ſectario veneno expiatus, ſolenni ſacro interfuit.

Henricus Princeps Condæus, ab eo perſuaſus, fidem mutavit.

Sorellus verò, cum eandem operam *Lutetiæ* multis locis, nec ſine effectu, navâſſet, inde *Diviodunum Mediomatricum*, cum *Johanne Maldonato Luſitano*, ſummæ eruditionis & ingenii Viro, ex Jeſuitarum ſodalitio miſſus eſt, ut ſuo exemplo ac publicis Concionibus eos, qui permulti in eâ urbe â Summo Pontifice defecerant, in viam reduceret.

Diviodunum miſſus

Poſtremò, *Mompenſerii* Principis rogatu, *Sedanum* quoque profectus eſt, ut *Franciſcam*, filiam *Henrici Roberti, Marciani Bullionii* Ducis uxorem â Proteſtantium doctrinâ, quam illa amplectebatur, revocaret, quâ in re conatus ejus fruſtrà fuit.

Indeque mœrore contracto, & crebris literis ab amicis ê *Germaniâ* ſcriptis monitus & increpatus, jam metu liber ſe ingrato illo miniſterio extricat, & *Heidelbergam* confert, editoque Libello, quo priorem illam pœnitentiam recantat, culpam in eâ re ſuam graviſſimam rurſus deteſtatur, & diſertè â *Condæo* veniam petit, quod exitioſo ſuo & impio miniſterio illum in tantum conſcientiæ periculum præcipitâſſet.

Heidelbergæ errorem ſuum recantavit.

Sorellus â neutris gratiâ initâ, ſed ab utrâque parte levitatis inſimulatus, ab eo tempore ſe quietum in *Germaniâ* continuit. *Thuan. lib. 53.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi â Stöcken.*

FRANCISCUS BORGIA.

Clar. A.C. 1572.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Valentinus*, ſpreto *Gandiæ* ducatu, & honoribus, opibus, deliciis, clientelis, ac familiæ ſuæ ornamentis, Chriſti paupertate ditior, & ignominiâ honoratior in recens natæ & nondum cognitæ Societatis Jeſu obſequium ſe tradidit A. C. 1547. ætatis 37.

Dux Gandiæ.

Societati Jeſu recens natæ ſe mancipavit.

Cardinalitiam dignitatem â *Julio III.* Pontifice Maximo ſibi oblatam conſtanter repudiavit.

Cardinalitiam dignitatem repudiavit.

Societatis ſuæ in *Hiſpaniâ* Commiſſarius generalis fuit, *Romæ* bis Vicarius, ac demùm Præpoſitus ordine tertius generalis, quod munus officii 7. annos & 3. menſes ſanctè geſſit. *Gandiæ* Societatis ſuæ Collegium inſtituit.

Præpoſitus generalis Societatis.

Sed cum ex longâ & laborioſâ ad *Hiſpaniarum Luſitaniæ*, *Galliarum* Reges Legatione, (quâ juſſu *Pii V.* Pontificis Maximi cum Cardinale *Alexandrino* functus fuerat,) in Urbem itineris laboribus confectus æger ac penè exanimis rediiſſet, pridiè Kal. Octob. A. C. 1572. ætatis ſuæ 62. vitâ exceſſit.

Obiit.

Scripſit Hiſpanicè, antequàm ſæculo nuntium remitteret, Opuſcula quædam valdè utilia, ad formandos mores & profectum ſpiritus pertinentia, quæ typis excuſa hæc ſunt:

Scripta.

Sermo de verbis illis Lucæ 19. Cum appropinquaret Jeſus, vidit civitatem, & flevit ſuper illam.

Collyrium ſpirituale.

De præparatione ad S. Communionem.

Digitized by Google

Exercitatio ſpiritualis ad ſui cujusque cognitionem.

Tractatus de Cantico trium Puerorum, quod *incipit, Benedicite omnia opera Domini.*

Reliquit præterea in *Threnos Jeremiæ præclaras Lectiones*, ſed inexpolitas.

Meditationum item in Evangelia, quæ per annum Dominicis ac Feſtis diebus in Miſſâ leguntur, Tomos II.

Item, *Tractatum* egregium *de ratione concionandi*, quem *Andreas Schottus* cum ejuſdem *Borgiæ* vitâ Latinè reddidit; cœtera *Alphonſus Deza* Theologus.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1572.

JOHANNES EHINGERUS.

Concionator Evang. Auguſtæ.

LAuingæ A. C. 1488. natus, *Auguſtæ Vindelicorum* A. 1531. Evangelium ad *Martini Lutheri* mentem publicè docuit, & ob ejusdem Confeſſionem, teſte *Sleidano*, A. 1551. tempore Interimiſtico pulſus in exilium, â Comite *Palatino Ottone Henrico*, facto poſteà *Electore Heidelbergenſi*, vocatus *Neoburgum*, Generalis Superintendentis munus accepit, & *Palatinatum* cum aliis reformavit. A. 1555. *Auguſtam Vindelicorum* ad munus ſacra docendi priſtinum revocatus, in eo beatè obdormivit die Mecurii cinerum A. C. 1572. æt. 84.

Generalis Superintendens Neoburgi. Palatinatum reformavit. Mor. Auguſtæ.

Ex conjuge *Annâ Gemelichiâ* filium reliquit *Eliam Ebingerum*, Theologum, & Eccleſiæ Paſtorem primò *Chriſtgarti* in Comitatu *Oettingenſi*, poſteà ad Spiritum Sanctum *Auguſtæ Vindelicorum*, ubi obiit A. C. 1617. ætatis 72.

* *Ex Concione funebri habitâ Eliæ Ebingero Rectori Ratisbonenſi ab Andreâ Steinero, Miniſterii Ratisbon. Seniore A. 1653.*

Obiit A.C. 1572.

JOHANNES CNOXUS.

IN *Scotiâ* natus A. 1515.

Sectator Scoti.

Magiſtro *Johanne Majore Scoto* uſus *Sanctandreæ*, Theologiam Philoſophicam docuit, adeò, ut Magiſtro ſuo in quibusdam felicior videretur.

Abjicit Scholaſticam diſciplinam. Fidei confeſſionem edit.

Poſteaquàm verò *Auguſtini* & *Hieronymi* ſcripta ſtudioſè evolvere cœpit, rejectâ *Subtilitate Scoticâ*, Chriſtum agnovit, & fidei ſuæ Confeſſionem *Edenburgi* edidit, quam cum Patres Inſulati & Monachi ferre non poſſent, ab Archiepiſcopo *Davide Betono* captus, mortique deſtinatus eſt. Sed DEI providentiâ liberatus *Vervicum, Angliæ* urbem, *Scotiæ* finitimam, conceſſit, ubi veritatem Evangelii magno cum fructu propagavit.

Evangelium docet.

Epiſcopatum recuſat.

Tunc Epiſcopatum ab *Edoardo VI. Angliæ* Rege ſibi oblatum non ſolùm recuſavit, ſed etiam titulos illos, quaſi regni Papiſtici quiddam redolentes, graviter improbavit.

Genevam fugit.

A. 1553. Exortâ *Marianâ* tempeſtate, *Genevam* migravit, & ibi cives ſuos docuit, *Calvino* familiariter uſus.

Redit in Scotiam.

A. 1559. In *Scotiam* reverſus, in regno illo Evangelii doctrinam miro ſucceſſu propagavit.

Moritur.

Edenburgi placidè ex hâc vitâ migravit 24. Nov. A. 1572. æt. 57. Cum paulò ante *Jacobum Luſonium* è Collegio *Aberdonenſi Edenburgum* vocatum & ſibi ſubrogatum Eccleſiæ præſentâſſet.

Vir hic *Cnoxus*, cœterùm, fuit non minoris eruditionis, quàm virtutis & conſtantiæ, cujus ſpecimen illuſtre depoſuit A. 1550. cum coactus eſſet coram Epiſcopo *Tonſtallo* & ejus Doctoribus ſuper Miſsâ Pontificiâ opinionem ſuam exponere, hic pro Concione illius idololatrias tam ſolidis demonſtravit argumentis, ut adverſarii quòd verè opponerent, non haberent.

Reliquit libellos *Anglico* ſermone ſcriptos.

Scripta.

Ad Londinenſes & alios.
Ad Evangelii Profeſſores.
Qualiter ſit orandum.
In Pſalm. ad Matrem.
Contra Miſſam Papiſticam.
Doctrinale miſſaticum.
De fide Euchariſtiæ.
Ad Eccleſias afflictas.
Ad Scotiæ Reginam Mariam.
Conſilium in his anguſtiis.
Buccinæ afflatum primum.
Appellationem à ſententia Cleri.
Ad populares Scotiæ.
In Geneſin Conciones.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Theol. ext.*

JOHANNES WOLFIUS.

Obiit A.C. 1572.

Theologus Tigurinus.

Tigurinus, Senatoriâ familiâ natus, A. 1522. magni nominis & eruditionis inter ſuos Theologus, *Petri Martyris Vermilii* (qui *Tiguri* fixo domicilio docuerat) inchoata & imperfecta ſupplevit, & multa inſuper ſcripſit, ac tandem in patriâ cum A. 1564. Veteris Teſtam. Profeſſor deſignatus eſſet, non ita ſenex, (quippè cum tantùm 50. annos expleviſſet,) fatis conceſſit 15. Kal. Decembr. A. C. 1572.

Moritur.

Frater ejus Caſparus Medicinæ Profeſſor.

Fratrem reliquit ſuperſtitem *Caſparum*, Medicinæ in eâ Republicâ Profeſſorem, cujus diligentiæ multa *Conradi Gesneri*, quæ inedita reliquerat, publicata debemus. *Thuan. lib. 54.*

Edidit *Joh. Wolfius.*

De Chriſtianâ Perſeverantiâ ad captivos fratres. in 8.

Scripta.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi â Stöcken & aliis.*

LAMBERTUS AUER.

Obiit A.C. 1573.

Societ. Jeſu adoleſcens deditus.

NAtione *Germanus*, Patriâ *Papebergenſis*, ex Comitatu *Tirolenſi*, adoleſcens Chriſto ſe in Societate Jeſu conſecravit, & Philoſophicas ac Theologicas diſciplinas in Colle-

Digitized by Google

Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſor Moguntinus. Rector Collegii Moguntini.

Collegio *Romano* didicit, eaſque in Academiâ *Moguntinâ* egregiè profeſſus eſt, fuitque primus Collegii *Moguntini* Rector, *Danieli Brendelio* Archiepiſcopo mirum in modum gratus.

Sed dum nomine Provinciæ *Rheni* ad tertiam Congregationem Generalem proficiſcitur, quæ A.C. 1573. celebrata eſt, in eâ quę *P. Everhardus Mercurianus* quartus Præpoſitus Generalis electus, magno omnium dolore, vix finitâ electione extinctus eſt. *Moritur.*

Scripſit

Scripta.

Aſſertiones Theologicas eruditas *de Verbo Dei & de Sanctis.*

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1573.

MATTHÆUS GALENUS.

W*Eſtcapellius Zeelandus*, Theologus, qui in *Belgio*, & alibi, ſe virum præbuit.

Theologiæ Profeſſor Dillingæ.

Lovanii Theologiæ decurſo ſtudio â *Ruardo Tappero Dillingam Suevorum* ad publicam S. Literarum Profeſſionem eſt ablegatus, & *Guilielmo Lindano* ſuffectus.

Et Duaci.

Triennio ibi exacto, â Senatu *Duaceno* evocatus, Academiæ magnum lumen attulit.

Cancellar. Duac.

Rex Catholicus Præpoſitum in *D. Amati* & Cancellarium Academiæ eſſe juſſit.

Cameracum ad Synodum Provincialem miſſus, (ut & olim *Tridentinæ* interfuerat,) unà cum aliis Patribus utilia Eccleſiæ *Belgicæ* Decreta conſtituit.

Annos 10. *Duaci* profeſſus, migravit ex humanis A. C. 1573. Funebri laudatione â *Thoma Stapletono* Collegâ ornatus.

Scripſit

Scripta.

De Origine Monachorum, Votiſque Monaſticis.

Comment. de Chriſtiano & Catholico Sacerdotio.

De S. Miſſæ ſacrificio.

De ſeculi noſtri Choreis.

Opus Catechiſticum è SS. Patribus elaboratum.

In Epiſtolam D. Pauli ad Hebræos.

Orationes III. Funebres.

Homilias II. in quarum unâ Clerum & Senatum de periculis, in quibus verſantur, admonet. In ſecundâ plebem hortatur, ut ab hæreſibus gliſcentibus partim caveat, partim reſipiſcat.

Alcuini ad Carolum Magnum Rhetoricam è tenebris eruit, & *Hilduinum de Vitâ Dionyſii Areopagitæ.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1573.

ABDIAS, vel GODESCHALCUS PRÆTORIUS.

NAtus eſt *Soltwelle*, veteris *Marchiæ* oppido 28. Martii A. 1524.

Francofurti literis operam dat.

Cum ſtudia *Francofurti* ad *Viadrum* & *Wittenbergæ* diligenter tractâſſet, patriæ aliquandiu ludum gubernavit.

Magdeburgi Scholam regit.

A. 1553. *Magdeburgum* vocatus, Scholam ejus urbis reddidit celeberrimam.

Nomen mutat.

A. 1557. Cum ob diſputationes Scholaſticas Theologorum *Antinomorum* odium incurriſſet, pro *Godeſchalco Abdias* appellari voluit, & *Francofurtum* ad *Viadrum* conceſſit.

Oratoris munus obit.

A. 1560. Ab Electore *Brandenburgico* in aulam *Berlinenſem* evocatus, munus Oratoris ſæpè & feliciter tùm in legationibus tùm in conſiliis obivit.

Philoſophiæ Profeſſor.

Cum verò aulica vita ipſi minùs arrideret, *Wittenbergam* reverſus, privatim docuit. Deindè in Collegium Philoſophorum adſcitus, Decani munus A. 1571. obivit, & inter alios Magiſterii gradu *Georgium Sohnium* ornavit.

Ad vitam meliorem abiit 9. Januarii A. 1573. æt. 49. factumque ipſi ſequens Epitaphium additâ inſcriptione in Templo oppidano *Wittenbergenſi*. *Moritur.*

Epitaphium.

Epitaphium Reverendi & Clariſſ. Viri Dn. Abdiæ Prætorii Soltquellenſis Witteberge piè defuncti 9. die Januarii, Anno 1573. Anno verò ætatis ſuæ 49.

Quo duce Francfurti quondam præclara fuerunt
Cis Viadrum celebris docta lycea Scholæ:
Ejus in hoc tumulo jam molliter oſſa quieſcunt,
Mens ſubiit ſuperæ templa beata domûs.
Scire cupis, quisnam fuerit Prætorius ille,
Cui vivo Abdiæ nomen & omen erat?
Pugnando veræ pro relligionis amore
Non metuit curas ſuſtinuiſſe graves.
Ingenio quanto linguas vulgaverit, hujus
Aurea teſtantur publica ſcripta Viri.
Ergò volvetur donec vertigine cœlum,
Perpetuò illius fama ſuperſtes erit.

Scripta reliquit:

Scripta.

Libellum de Poëſi Græcorum.

De Phraſibus Hebræis.

De Diſcrimine Sententiarum Lutheri, Sacramentariorum & Pontificiorum in materiâ de Cœnâ Domini.

Analyſes Locorum Theologicorum Melanchthonis.

Armeniorum de Trinitate & Jeſu Chriſto confeſſionem, cum notis.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Philoſ. Germ. & aliis.*

Obiit A.C. 1573.

CHRISTOPHORUS MADRIDIUS.

Theol. Rom.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ ex oppido *Daimiel Toletanæ* diœceſis, peractis *Compluti* Philoſophiæ & Theologiæ ſtudiis, *Romam* A.C. 1540. profectus eſt, ubi apud *Johannem Dominicum* de *Cupis* S. Collegii Cardinalium Decanum Theologi officio perdiu functus, cognitâ tandem & rejectâ mundi vanitate, Patris *Ignatii Lojolæ* conſilio, Societatem Jeſu amplexus eſt.

Societ. Jeſu amplexus.

Deindè apud *P. Jacobum Laynem*, ſecundum Præpoſitum Generalem, Aſſiſtens fuit, & *Romanam* Profeſſorum domum per mul-

tos

tos annos gubernavit. Erat vir gravis & prudens, cujus conſilium magni faciebat *Pater Ignatius.*

Moritur. Ceſſit è vitâ *Romæ* ſexagenario major A.C. 1573.

Scripſit

Ejus Libellus. *Libellum De frequenti uſu Euchariſtiæ.*

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

ObiitA.C. 1573.

JOHANNES PFEFFINGERUS.

NAtus eſt in *Bavariâ*, 27. Decemb. A. 1494.

Presbyter Paſſavienſis. Ab adoleſcentiâ literis imbutus & ſacris zelo religionis addictus aliquandiu Presbyter fuit *Paſſavienſis.*

Wittebergam venit. Lutherum audit. Poſteà veritatem amplexus è Bavariâ *Wittenbergam* venit A. 1523. Ibi ad pedes *Lutheri* ac *Melanchthonis* Sacra coràm audivit, & alios docuit.

Lipſiæ docet, & Reformationem inducit. A. 1539. *Lipſiam* â Duce *Saxoniæ Henrico* vocatus, ibi ritibus Pontificiis abolitis, Præconii Evangelici lætum initium fecit, auſpiciis *Lutheri*, qui eodem vocatus, poſt mortem Ducis *Georgii*, tantâ celeritate reformavit Eccleſiam, ut cum Paſchatos tempore Pontificii fuiſſent *Lipſienſes*, Pentecoſtes Feſto Evangelium pleno ore profiterentur.

Moritur. In eo munere *Lipſiæ* manſit ad vitæ usque exitum per annos 34. fatiſque conceſſit ibi 3. Januarii A. 1573. ætatis 80. miniſterii 55.

Scripſit:

Scripta. *De gradibus & Vocatione Miniſtrorum Eccleſiæ.*

De Adiaphoris Germanicè.

Librum Conſolationum.

Methodicam enarrationem univerſæ hiſtoriæ Jeſu Chriſti.

Chriſtliches Büchlein wider die ſeltzame Tücke und Ränke/ dardurch etliche die Göttliche Warheit zu ſchwächen ſich unterſtehen. in 4.

Contra dolos & fraudes, quibus divinam veritatem labefactare quidam conantur.

* *Ex Vitis German. Theol. Melch. Adami.*

ObiitA.C. 1573.

HIERONYMUS WELLERUS.

PAtriam habuit *Freibergam*, aulâ Electorali & monumentis Electorum nobilitatam. *Theologus Freibergenſis.* Theologus fuit conſtans & heroicus, cujus Scripta Spiritum Chriſti, & *D. Lutheri* ſpirant, plena pietatis, veræ & ſolidæ conſolationis, quæ omnis generis tentationibus utiliter opponi poſſunt, ut inquit *Lucas Oſiander in Epit. Hiſt. Eccleſiaſt. Centur. 16. lib. 4. cap. 7.*

Obiit, apoplexiâ extinctus, *Freibergæ* in patriâ 20. Martii A. C. 1573. ætatis 74. Semel cum ſingulis menſibus S. Cœnâ fuiſſe uſum *Johannes Michaël Dilherrus* ſcribit in libro ſuo, Weeg zur Seeligkeit.

Inclaruit inprimis *Scripta.*

Poſtillâ.

Commentar. in Jobum.

Epiſt. ad Epheſ. Philippenſ. & Petrin.

Tract. de Officio Eccleſiaſtico:

De Paſſione Dom. Jeſu Chriſti.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

ObiitA.C. 1573.

VALENTINUS KUCBORSCIUS.

OB amabile ingenium, variam eruditionem, ſuaves mores, *Reſcio, Lilio, Cromero,* atque *Tretero* Cardinalis *Hoſii* alumnis perquàm familiaris, in Deum pietate, in amicos candore, & in rem literariam atque Eccleſiaſticam fide & amore vir fuit excellentiſſimus, Concionator ad populum egregius. *Theologus & Concionator.*

Vitâ defunctus, ſepulturæ locum ad Capellam *Dobrocieſcianam* in Cathedrali *Cracovienſi* Eccleſiâ obtinuit, cum tali Elogio:

R. D. VALENTINO KUCBORSKI ARCHIDIA. POMERANIÆ CRAC. VARMIEN. CANONICO, REGIO SECRETARIO, *Secretarius Regis Poloniæ.* CARDINALIS HOSII ALUMNO, VIRO PIETATE SINGULARI, INGENIO, SCIENTIA DICENDI SCRIBENDIQUE CLARISSIMO, INTEGRITATE VITÆ SACRISQUE TRACTANDIS RELIGIOSISSIMO, FRATRES COLL. CA. CR. F. F. OBIIT ANNO D. M D LXXIII. DIE III. OCT. ÆT. SUÆ XLVII.

Edidit:

Scripta. *Sermones linguâ patriâ conſcriptos.*

Catechiſmum Concilii Trident. in eandem linguam uſui publico converſum.

* *Ex Elogiis Centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii.*

ObiitA.C. 1573.

EUSTACHIUS LUCATELLUS.

BOnoniæ natus adoleſcens Ordini *S. Dominici* nomen dedit, & ob vitam religioſam celebris â Summo Pontifice *Pio V. Romam* vocatus, ei per aliquod tempus à Confeſſionibus fuit. *Confeſſionarius Pontificis Pii V.*

Epiſcopus Regienſis. Moritur. Ab eodem Epiſcopus *Regienſis* in *Lombardiâ* denominatus, in eo munere fideliter adminiſtrato vitam finiit 6. Oct. A.C. 1573. æt. 58.

Sepulchro ejus in Templo *S. Dominici* hæc inſcripta leguntur:

Epitaphium.

FRATRI EUSTACHIO LUCATELLO
CIVI BONON.
VIRO INTEGERRIMO, ET
OMNIUM SCIENTIAR. GENERE CUMULATISSIMO.
DEINDE PII QUINTI PIÆ MEMORIÆ PONT.
MAXIMI
A SECRETIS CONFESSIONIBUS,

Ac

AC POSTREMO EPISCOPO AC PRINCIPI REGIENSI,
VINCENTIUS REFERENDARIUS APOSTOLICUS,
JOH. BAPTISTA, ET AUGUSTINUS EQUES FRATRES MOESTISSIMI POSUERUNT.
VIXIT ANN. LVII. MENS. III. DIES XIII.
OBIIT MDLXXIII. PRID. NON. OCTOB.

Scripta typis edidit: *Scripta.*

Dell' Incarnatione di Dio.
Della Vergine Santiſſima.
Della Trinità.
L' Espoſitione ſopra i libri delle Sentenze.
Orationes varias.

* *Ex Theatro Italico Virorum doctorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C. 1573.

PETRUS TOSSANUS.

IN *Galliâ* natus eſt, A.C. 1499. Patre *Johanne*, Viro honorato in vico *S. Laurentii* propè *Marvillam*, Oppidum in confinibus *Lotharingiæ* ſitum, cui à corporis proceritate *Magni* cognomen fuit: Matre nobilis viri Domini de *Chevry*, Præfecti *Marvillani* filiâ.

Adoleſcens *Coloniæ*, *Lutetiæ*, & *Romæ* ſtudiis operam dedit, ſumtibus adjutus patrui *Nicolai Toſſani* Primicerii *Metenſis*, cujus ope Canonicus *Metenſis* factus eſt. *Fit Canonicus Metenſis.*

Eo mortuo, cum guſtum purioris Religionis hauſiſſet, ex conſuetudine cum *Jacobo Fabro Stapulenſi*, & *Eraſmo Roterodamo*, in aulam Reginæ *Navarææ Margaretæ*, quæ & ipſa veritati Evangelicæ addicta erat, receptus, ei ab Eleemoſynis & Conſiliis fuit. *Concionator Evang. Reginæ Navarrææ*

Inde *Baſiléam* veniens, ibi ſubſtitit, donec à *Martino Bucero*, *Thomâ Blaurero*, & *Simone Grynæo Mompelgartum* mitteretur, ubi 36. annos Paſtor Eccleſiæ, & ſupremus Antiſtes fuit. Ibi vitam clauſit M. Oct. A.C. 1573. æt. 74. *Paſtor Eccleſiæ Mompelgartenſis.*

Ex conjuge *Johannâ Trincottâ*, civis *Mompelgartenſis* filiâ, tres filios ſuſcepit, quorum unus in patriâ nefariè à vicino ſuo interfectus, alter *Lutetiæ* A. 1572. in funeſtâ illâ lanienâ fuit obtruncatus; tertius fuit Theologus ille *Heidelb.* celebris *Daniel Toſſanus.*

Obiit A.C. 1574.

JOHANNES RHETIUS.

NAtione *Germanus*, patriâ *Colonienſis*, ex familiâ Patritiâ Conſulari, *Romam* A.C. 1554. profectus eſt juvenis, vivente adhuc *P. Ignatio Lojolâ.* *Romæ in Societatem Jeſu aſſumtus.*

Deindè in Collegio *Romano* excultus, & gravioribus diſciplinis eruditus rediit in patriam, ubi Theologiam docuit, & Concionibus populum ad pietatem inflammavit, multumque Catholicæ Religioni attulit adjumenti. Sed vir maximè religioſus, ab homine inſano, (judicia Dei abyſſus multa,) miſerabili caſu interfectus eſt A. C. 1574. *Theologiæ Profeſſor & Concionator Coloniæ. Interfectus ab homine inſano.*

Scripſit ſuppreſſo nomine, *Scripta.*

Obſervationes in libr. I. Epiſtolar. M. Tullii Ciceronis ad T. Pomponium Atticum.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1574.

CORNELIUS MUSSUS.

PAtriam ſortitus *Placentiam*, matris ſæviſſimo partûs dolori ſuperſtitis voto, *Franciſcanorum Minoritarum* familiæ dicatus eſt. *Monachus Franciſcanus.*

Zimaræ deindè Philoſophi præceptis imbutus, *Patavii* Theologicas pariter hauſit ſanctiones, ita tamē ut mitiorum etiam literarū præſidia eâdem in luce diutius compararet.

Singulari & propè divinâ præditus fuit memoriæ vi, quâ perſæpè innixus docentium Lectiones verbo reddere, ſive ſacros Clauſtralium ſermones repetere ſibi reputabat in ludicris. *Concionator inſignis.*

Hinc factum, ut funebribus cujuſpiam encomiis inopinatò dicendis, vel Sanctorum facta ſtatis diebus præpropero Patrum ſuorum monitu celebrandis præter *Muſſum* ſufficeret nemo.

Semel quidem *Mediolani Franciſcus Sfortia* cum audiſſet orantem in *Pergamo*, *Ticini* mox voluit ſuſpicere docentem in exedrâ, diuque Divinæ Philoſophiæ dogmata explicantem. *Theologiæ Profeſſor Ticini.*

Eo verò demortuo, *Bononiam* ingenti honorario pertractum nepotis ad aulam *Farneſius* Pontifex *Paulus Romam* accivit. *Bononiæ. Romæ.*

Inibi quadriennio Theologi & Oratoris ſacri munere perfunctus, inde *Bertinori*, mox *Bitonti* Epiſcopus electus, *Germaniam* ad ſuadendum *Ferdinando* Imperatori Concilium tranſmiſſus, ad id porrò *Tridenti* illâ totius Orbis celebritate initum, *Julii III.* mox *Pii IV.* Pontificum nutu bis profectus, Diſputatoris, Arbitri, Examinatoris ſuſceptam acriter provinciam exercuit, quin etiam ſextæ Seſſionis de Juſtificatione Decreta hujus imprimis operâ excuſſa digeſtaque fuere. Optimè autem de his *Romanæ* Eccleſiæ rebus promeritus, Pontificum etiam diu quotidianum ferè adeptus convictum, cum *Romanâ* in Curiâ gratiâ & autoritate cœteris anteiret, communi literatorum fato livoris tetros expertus aculeos, deſtinata ſibi honorum faſtigia non attigit, bonorum inſuper invidæ mortis ſuperventu vivis ſurreptus A.C. 1574. Id. Jan. cum vixiſſet annos 64. *Epiſcopus Bitontinus. Legatus ad Concilium Tridentinum. Mortuus Romæ.*

* *Ex Muſæo Hiſtorico Johannis Imperialis Phil. & Med. Vicent.*

EPITAPHIUM CORNELII MUSSI
MDLXXIV.

CORNELIO MUSSO PLACENTINO, MINORITÆ BITONTINENSIUM EPISCOPO, VITÆ INNOCENTIA, MORUM INTEGRITATE ET SANCTITATE INSIGNI, DOCTRINA OMNIBUSQUE SCIENTIIS PRÆCLARO; CONCIONATORI FACUNDISSIMO ATQUE INCOMPARABILI, CATHOLICÆ FIDEI PROPUGNATORI ACERRIMO; CUJUS INGENII ET ELOQUENTIÆ PRÆSTANTIAM NUNQUAM INTERITURA MONUMENTA TESTANTUR. VIXIT ANNOS LXIII. OBIIT V. IDUS JANUARII MDLXXIV. *Epitaphium.*

* *Ex Academiâ ſcientiarum & artium Iſaaci Bullarti.*

Digitized by Google

Ingenii monumenta ab eo relicta, ſunt ſequentia:

Scripta. *Synodus Bitontina.*
Declaratio Pſalmi: De profundis &c.
De Hiſtoria Divina Libri V.
Homiliæ de modo viſitandi.
Quatro volumi di Prediche.
Un Quareſimale.
Una Oratione de perſecutori, & delle vittorie della Chieſa, che recitò nel Concilio di Trento per l' Impreſâ dell' Imperat. Carolo V.
Le Prediche del Regno di Chriſto, & della Beata Vergine.
Le Prediche ſopra il Symbolo de gli Apoſtoli.
Le due Dilettioni di Dio & del proſſimo.
Il ſacro Dialogo.
La Paſſione di Chriſto deſcritta da S. Giovanni.

Obiit A.C. 1574.

MARTINUS LESMUS.

Hiſpanus, Ordinis *Dominicani* religioſus, vir ſublimis ingenii, non tantum in Philoſophiâ *Ariſtotelicâ*, ſed etiam in Theologiâ *Thomæ Aquinatis* admodùm exercitatus, in Academiâ *Conimbricenſi*, â Rege *Portugalliæ Johanne III.* inſtitutâ, Theologiam ultra 30. annos ſummâ cum ſtudioſorum utilitate publicè profeſſus eſt. Ibidem fratrum *Dominicanorum* Cœnobium, â Rege *Johanne III.* fundatum, primus inhabitare cœpit, & obiit A. C. 1574.

Conimbricæ in Portugalliâ Theologiæ Profeſſor.

Typis emiſit:

Scripta. *Lecturas in Summam Theologicam D. Thomæ.*
Commentaria in lib. IV. Magiſtri Sententiarum.
Tractatum de Sacramento Matrimonii.

* *Ex Theatro Italico virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C. 1574.

BENEDICTUS ARETIUS.

Helvetius natione, patriâ *Bernas*, multijugæ & ſpectatæ eruditionis Vir, *Marpurgi* in *M. Rudolphi*, cùm is anno 1548. *Fridbergam* abiiſſet, locum ſuffectus, Philoſophiæ partem eam, quæ in ratione & diſſerendo poſita eſt, ita tractavit, ut ingenii acumen & hominis moderationem atq; ſapientiam admirarentur omnes.

Locus nativitatis. Oratoriæ Profeſſor Marpurgi.

Ideoque ſi viro pedem hîc figere libuiſſet, fortè an eidem, quod alicubi ait *Tibullus*, niveis Delius alitibus fulſiſſet.

At cùm majorem Patriæ rationem haberet, ejusdem amore hinc abſtractus domum rediit, tandemque verbi divini Doctor & Præco anno 1574. die 12. Aprilis iſthic occubuit.

Verbi Divini Doctor & Præco. Moritur.

Scripta plena prudentiæ & pietatis, quæ â Theologis etiamnum in precio habentur, ejusmodi ſunt:

Sacra Problemata tribus tomis comprehenſa.
Commentaria in ſacros codices & Methodum.

* *Ex MSS. Marpurgenſibus.*

* * *

Benedictus Aretius Bernæ Helvet. civitate natus eſt.

Cum *Marpurgi* aliquandiu literis operam dediſſet, in ordinem Profeſſorum Philoſophiæ adſcriptus, Logicam docuit. *Marpurgi docet Philoſophiam.*

Poſtea ad ſuos reverſus, Theologiam publicè docere juſſus, in eo munere fideliter ad finem vitæ ſuæ verſatus eſt. *Dein & Theologiam.*

A. 1571. Cum â *Bernatibus Heidelbergam* eo nomine miſſus eſſet, ut *Zachariam Urſinum* ad Profeſſionem Theologiæ in Academiâ *Lauſannenſi* accerſeret, dimiſſionem *Urſinus* non potuit impetrare ab Elect. *Friderico III.* qui ſuâ manu ſcriptis literis, ſeriò illum multis allatis cauſis ab eâ profectione retraxit, & detinuit.

Mortuus eſt tandem *Bernæ* 22. April. A. 1574. *Obiit.*

Scripta edita ab ipſo ſunt:

Scripta. *Commentarii in Novum Teſtamentum.*
Problemata Sacra, ſive Loci communes.
Examen Theologicum.

Caſpar Cunradus Med. D. Proſopographiæ Melicæ Millenar. III. hoc ei ſcripſit Epigramma:

Quêis Benedictus ovat ſacrato è Codice ſenſis,
Hæc Benedictus ei credo Jehova dedit.

* *Ex Vitis Melch. Adami German. Theol.*

Obiit A.C. 1574.

FRANCISCUS RICHARDOTUS.

IN *Burgundiâ* Regis *Hiſp.* Comitatu natus, cum in Philoſophiâ & Theologiâ fundamenta poſuiſſet, promeruit, ut anno ætatis 21. *Lutetiæ* Divinam ſcientiam publicè profiteretur, & cum magno Auditorum concurſu *S. Pauli Epiſtolas* declararet. *Theol. Profeſſor anno æt. 21. Lutet.*

Religionem deindè *S. Auguſtini* ſuſcepit, & in *Concilio Tridentino* cum aliis Theologis præſens Orationem gravem habuit. In *Flandriam* reverſus, cum eodem tempore Rex *Hiſp. Philippus II.* Academiam *Duaci* inſtituiſſet, A. 1564. in laudem Operis adeò fructuoſi peroravit, & mox publicam in hâc Academiâ S. Theologiæ Profeſſionem obtinuit. *Orator in Concilio Tridentino. Theol. Profeſſor Duaci.*

Epiſcopus deindè *Atrebatenſis* factus, in locum *Antonii Perrenotti* ad Cardinalatum promoti, cum Eccleſiam ſuam ſummâ cum Prudentiâ vitæque integritate, Paſtoris fidelis inſtar, rexiſſet 13. annis, vitam clauſit *Atrebati* 26. Julii A.C. 1574. ætatis 67. *Epiſcopus Atrebatenſis.*

Defunctum funebri Oratione apud *Duacenates* laudavit *Thomas Stapletonus*, Theologus *Anglus*.

Sepulto in Templo Cathedrali hoc ei poſuit Epitaphium *Johannes Richardotus* Nepos marmori inciſum:

D. O. M. S.

FRANCISCO RICHARDOTO BURGUNDO ATREBATIUM EPISCOPO, VIRO IN OMNI DISCIPLINAR. GENERE VERSATISS. ET CONCIONATORI ELOQUENTISS. QUI OB SINGUL. DOCTRINAM ET PRÆCLARAS ANIMI DOTES OMNIBUS ORDINIBUS UNICE CARUS. POSTQUAM *Epitaphium.*

MANC

HANC ECCLESIAM PERICULOSIS TEMPORIBUS INGENTI DEXTERITATE ET ASSIDUIS CONCIONIBUS ANNOS IPSOS XIII. FELICITER REXISSET, MAGNO SUI RELICTO DESIDERIO, ANNUM ÆT. AGENS LXVI. E VIVIS EXCESSIT.

JOHANNES RICHARDOTUS PHILIPPO II. HISPANIAR. REGI A RERUM STATUS SECRETISQUE CONSILIIS AC LIBELLIS, ET ARTESIÆ PRÆSES AVUNCULO OPT. NEPOS MOESTISS. POS. OBIIT VII. CAL. AUG. CIↃ IↃ LXXIV.

Ingenii monumenta in Linguâ Latinâ & Gallicâ, ſunt ſequentia:

Scripta.

De Euchariſtiæ Sacramento Sermones IV.

In Evangelium Lucæ: Miſſus eſt Gabriel. &c. Sermones VI.

In Orationem Dominicam Sermones IV.

De Sacris Divorum Imaginibus, & Indulgentiis Sermones II.

Orationes funebres in obitum Iſabellæ Reginæ Hiſp. Uxoris; Philippi II. & ejus filii Caroli Principis Hiſp. A. 1569.

Oratio in Senatu Duacenſi habita De Ortu Academiæ A. 1562.

Oratio in auſpiciis Academiæ.

Oratio de Veniâ Rebellibus à Rege & Pontifice conceſſâ A. 1570.

Oratio habita in Concilio Tridentino A. 1563.

Oratio in Synodo Cameracenſi dicta A. 1565.

Inſtitutio Paſtorum Atrebatenſis ditionis in fidei Capitibus controverſis.

Statuta Synodalia.

Ordo de Paſtorum Officiis.

Diſputatio cum Hæretico Duaci capto 1568.

* *Ex Theatro Italico Viror. Literator. Hieron. Ghilini.*

Caſparus Cunradus Med. Proſopogr. Mel. part. 3. hoc ei adſcribit diſtichon:

Fama Tridentinæ Synodi me nomine mactat,
Mactat & eloquii buccina clara mei.

GEORGIUS MAJOR.

Obiit A.C. 1574.

Natus eſt *Noribergæ*, A. 1502. 25. April. Puer hic admodùm elementis artium cognitis, *Wittebergam* A. 1511. miſſus eſt, ubi *Luthero* & *Melanchthone* præceptoribus uſus eſt, ſumtibusque Electoris *Saxoniæ* & Senatûs *Noribergenſis* Theologiæ operam dedit.

Witteberga literis operam dat. Lutherum audit.

A. 1528. Uxorem duxit Virginem nobilem *Margaretham à Mochau.*

Rector Scholæ Magdeburg.

A. 1529. In Schola *Magdeburgenſi* Rector factus, *Caſparo Crucigero* ſucceſſit.

Theologiæ Doctor.

A. 1536. verò factus eſt Superintendens *Islebienſis*, *Wittebergam* deindè abiens Theologiæ Doctor creatus eſt A. 1544. cum *Johanne Fabero.*

Colloquio Ratisbonenſi intereſt.

A. 1546. *Ratisbonæ* Colloquio, Religionis causâ inſtituto, interfuit cum *Martino Bucero, Johanne Brentio* & *Erhardo Snepffio*; brevi verò pòſt, Colloquio hoc interrupto, *Saxonico* exorto bello, in exilium cum conjuge & denis liberis oberrare coactus eſt.

A. 1551. Electoris *Saxoniæ* juſſu, regimen Eccleſiæ in Comitatu *Mansfeldenſi* obivit.

Wittebergam redit.

A. 1552. *Wittebergam* reverſus eſt ad priſtinum docendi munus, ubi multorum ſibi acquiſivit odium, quod aliquando docuerit, *bonorum operum ſtudium neceſſarium eſſe ad ſalutem*; Unde ſc. bellum Theologicum de bonorum operum neceſſitate ad ſalutem exortum. Contra hanc ſc. ſententiam *Nicolaus Ambsdorfius*, Epiſcopus *Naumburgenſis*, ſcripſit: *Bona opera eſſe ad ſalutem noxia & pernitioſa.*

Moritur.

Tandem ipſe *Major*, poſt triennii ferè decubitum, ſenio & morbis confectus obiit A. C. 1574. 28. Nov.

Corpus ejus terræ mandatum eſt *Wittebergæ* honorificè in templo Arci contiguo, ad ſiniſtrum latus *Johannis Schneidewini* JCti Clariſſimi, ubi Epitaphium hodiè adhùc viſitur ſequens, quod affixum eſt muro ſeptentrionali ſub organo. In tabula ſcil. quadam picta eſt hiſtoria Chriſti aſcendentis de monte Oliveti in Cœlum: Inter ſpectatores pictus eſt *Georgius Major* quaſi vivus, cum totâ familiâ & filiarum maritis, nepotibus & neptibus.

In lapide ſepulchrali ad ſiniſtrum *Schneidewini* latus ſic ſcriptum legitur.

Epitaphium.

REVERENDO ET CLARISS. VIRO D. GEORGIO MAJORI S. THEOL. DOCT. ET PROFESS. SUB HOC MARMORE IN CHRISTO QUIESCENTI, DEFUNCTO LABORIBUS, CURIS, DOLORIBUS ET MISERIIS HUJUS VITÆ, ANNO CHRISTI M.D LXXIV. DIE XXVIII. NOVEMBRIS, ÆTATIS LXXIII. CONJ. ET LIBERI SUPERSTITES H. M. P.

QUOD VIXI IN FIDE VIXI FILIO DEI, QUI DILEXIT ME ET SEMET IPSUM TRADIDIT PRO ME.

Scripſit & edidit:

Scripta.

Catalogum Doctorum Eccleſiæ à Mundi initio ad ſua tempora.

Præter opera ſeorſim edita, reliqua *tribus tomis* ſunt diſtincta: 1. *Continet enarrationem Epiſtolarum Pauli.* 2. *Homilias in Epiſtolas dierum Dominicorum & Feſtorum.* 3. *Homilias in Evangelia Dominicalia & dierum feſtorum.*

* *Ex Jubilæo Wittebergenſi D. Johan. Meiſneri & Melch. Adami Vitis German. Theol.*

JACOBUS LEDESMA.

Obiit A.C. 1575.

Natione *Hiſpanus*, patriâ ex *Cuellar*, *Caſtellæ* oppido. Vir fuit ingenii & doctrinæ magnitudine nobilis. In *Complutenſi* Academiâ Philoſophicas & Theologicas ſcientias didicit, in *Pariſienſi* expolivit, in *Lovanienſi* perfecit, & ad faſtigium perduxit, in omni literarum atque diſciplinarum genere exquiſitâ quâdam ratione excelluit.

Grammaticen, Rhethoricen, Dialecticen, Philoſophiam ſive de Naturâ ſive de Moribus, Mathematicas ſcientias, atque omnium reginam Theologiam planè comprehenderat.

Hâc rerum cognitione inſtructus, inſti-

Digitized by Google

tutum vitæ ſuæ curſum abrupit *Lovanii* A. C. 1556. Quas habebat honoris & dignitatis ſpes magnas abjecit, & ex ſæcularium ſapientium Academiis, in Chriſti ſeſe Scholam tranſtulit, diſcipulus Societatis Jeſu factus, ut ea diſceret myſteria, quæ Pater Cœleſtis prudentibus abſcondit & revelat parvulis.

Diſcipulus Societatis Jeſu.

Deindè *Romam* iter inſtituit, ubi vix credas, quanti fecerint eruditi Patres hujus Viri Ingenium, Judicium, Doctrinam, tum maximè Humilitatem, Obedientiam, Charitatem, ſui Contemptionem, aliorum æſtimationem, cœteraſque virtutes, quæ in illo eminebant.

Romæ Theologiæ Profeſſor.

Romæ controverſas de Fide Quæſtiones enodavit, *D. Thomam* explicavit, *Romani* Collegii ſtudiis præfuit, dubitationibus de moribus & Conſcientiæ quæſtionibus reſpondit, atque in ipſo Jubilæi anno, qui *Gregorio XIII.* Summo Pontifice celebratus eſt, cum ingens peregrinorum turba *Romam* confluеret, ne Confeſſarii â confeſſionibus audiendis diſtraherentur, & variis conſcientiæ quæſtionibus diſſolvendis implicarentur, unus hic conſtitutus eſt, qui omnium vices ſubiret, & ſingulorum peregrinorum dubitationibus ſatisfaceret: quod dum egregiè præſtat, & omnibus ſtuderet reſpondere, nullumque â ſe inauditum dimittere, nato in capite apoſtemate, brevi ad tranquilliorem vitam translatus eſt anno eodem Jubilæi 1575. ætatis 56.

Obiit ex apoſtemate capitis.

Scripſit

Scripta.

Lib. de Dialecticâ ejuſque tradendi Methodo.

Grammaticæ Inſtitutiones Latinè.

Ethicen, ſive Philoſophiam & Theologiam de Moribus.

Controverſarum quæſtionum adverſùs hæreticos Tom. I.

De Miſsâ vulgari linguâ non faciendâ.

Doctrinam Chriſtianam, & de modo Catechizandi linguâ vulgari.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A. C. 1575.

MATTHIAS FRANCOWITZIUS, cognomento FLACIUS.

NAtus eſt *Albonæ Illyrici*, (hodiè *Sclavonia* dictæ provinciæ,) oppido A. 1520. d. 3. Martii, è familiâ veteri & numeroſâ. Pater ſc. ei fuit *Andreas Flacius*, vir honeſtus & eruditus, Mater *Jacoba*, ex nobili *Luciorum* familiâ.

Parentes.

Puer hic *Matthias*, parente, (qui & ipſe filio prima linguarum rudimenta inſtillavit,) mortuo, *Franciſco Aſcerio Mediolanenſi*, Viro doctiſſimo, operam aliquandiu dedit.

Venetias deindè miſſus, *Johannem Baptiſtam Egnatium* juxta forum *S. Marci* literas humaniores celebri famâ profitentem audivit.

A. 1537. verò pietatis & Theologici ſtudii deſiderio Monachiſmum ſuſcipere cogitavit, communicato conſilio cum *Baldo Lupatino*, *Franciſcanorum* Provinciali poſtea, quod hæreſeos ſuſpectus eſſet, poſt carcerem 20. annorum mari ſubmerſo, qui cum monachatum ipſi diſuaſiſſet, & Theologiæ diſcendi gratiâ in Germaniam proficiſci ipſi conſuleret, hujus conſilium ſecutus, omni penè viatico deſtitutus *Baſileam* venit A. 1539. Ibi â *Simone Gryneo* hoſpitio exceptus, eo etiam Præceptore uſus eſt.

Monachiſmum ſuſcipere tentat.

Baſileam venit.

Indè, ſub exitum anni, *Tubingam* venit, hoſpitio uſus *Matthiæ Garbitii* popularis ſui linguæ Græcæ Profeſſoris.

Et Tubingam.

A. 1541. *Wittebergam* profectus, *Lutherum* & *Melanchthonem* audivit, vixitque in hoſpitio *Friderici Bachovii* Miniſtri Eccleſiæ, linguam Hebræam privatim docendo, & Græcam. Magiſter deindè ſalutatus ibi, & uxore ductâ Profeſſor Publicus conſtitutus eſt A. 1544.

Wittebergæ Lutherum & Melanchthon. audit. Profeſſor.

Wittebergæ cum literis operam daret A. 1541. graves tentationes ſuſtinuit de peccato, de irâ DEI, de prædeſtinatione &c. â quibus tandem, poſt preces etiam publicè pro ipſo habitas, Literarum Sacrarum auditis conſolationibus liberatus eſt. Ibidem quoque *Melanchthoni* ſingulariter acceptus fuit, quem tamen poſtea ſcriptis ſuis exagitavit.

Tentationes ſuſtinet.

A. 1546. Orto in Germaniâ bello, *Brunſuigam* â *Medlero* invitatus abiit, ibique docendo famam nominis ſui diſſeminavit.

Brunſuigam abit.

A. 1547. *Wittenbergam* ad munus docendi rediit, ubi paulò pòſt divulgato libro *Intermiſtico* cum aliis Theologis ſe illi oppoſuit.

Witteberġam redit.

A. C. 1548. *Wittenbergâ Magdeburgum* abiit, ubi Officinæ typographicæ præfectus *Hiſtoriam Eccleſiaſticam*, *Centurias* vulgò *Magdeburgenſes* adornare incepit, unà cum *Nicolao Amsdorffio*, *Nicolao Gallo*, *Martino Copo* Medicinæ *D. Johanne Wigando*, *Ebelingo Alemanno*, & *Matthæo Judice*. Papatum inſuper ibi, *Oſiandri* etiam & *Schwenckfeldii* dogmata oppugnavit.

Hinc A. 1557. *Jenam* ad Scholam novam excolendam vocatus venit, ſed quinquennio ibi exacto, cum inter ipſum & *Victorinum Strigelium* contentio de Libero Arbitrio eſſet orta, *Ratiſbonam* conceſſit, ubi varia Scripta edidit.

Jenam venit.

Et Ratiſbonam.

A. 1567. *Antverpiam* ad Eccleſias ibi conſtituendas cum *Cyriaco Spangenbergio* venit, ſed paulò pòſt indè dimiſſus, *Argentoratum*, & tandem *Francofurtum ad Mœnum* venit.

Francofurtum abit.

A. 1568. In *Colloquio Altenburgenſi*, quod inter Theologos *Miſnicos* at *Thuringicos* inchoatum 21. Octob. & finitum 9. Martii Anni ſequentis, cum de *Juſtificatione* diſputaretur, *Flacius* contendit, *peccatum eſſe ſubſtantiam, non accidens*. Abinde flacceſcere & ſuis fratribus ſordere cœpit, ac idem paſſus eſt â ſuis, quod *Philippus Melanchthon* ab ipſo A. 1548.

Peccatum ſubſtantiam ſcribit.

Fatis tandem *Francofurti* conceſſit 11. Martii A. 1575. æt. 55. Concionem funebrem ipſi habente *Caſp. Heldelino Cronbergenſi*,

Moritur.

genſi. Quanquam verò *Matthias* cum aliis tum inprimis paradoxo illo de peccati ſubſtantia non exiguas in Eccleſia Chriſti turbas dederit, laude tamen ſuâ defraudandus non eſt ob egregia reliqua ſcripta, ex quibus commendantur ſeq.

Scripta. *Clavis ſacræ ſcripturæ, ſive de Sermone Sacrarum Literarum.*

Centuriæ Eccleſiaſticæ hiſtoriæ.

Martyrologium.

Liber exponens cauſas, cur ab Antichriſto diſcedere Chriſtiani omnes debeant.

De Scriptura Sacra, ejusq; efficaciâ.

Confeſſio Chriſtiana de peccato originali.

Reſponſio ad ſcripta Chriſtophori Laſii de peccato originis.

De libero Arbitrio.

De Converſione hominis & Regeneratione.

* *Ex Melch. Adami Vitis Germ. Theol.*

Obiit A.C. 1575.

JOHANNES HOSPINIANUS.

Theologiæ & Philoſophiæ Profeſſor Baſil.

STeinanus ortu, *Baſileæ* in Chriſti Opt. Max. vineâ colendâ, juventuteque informandâ ſuâ laude non caruit. Epitaphium ejus tale legitur:

Epitaphium.

C. S.
JOHANNIS HOSPINIANI STEIN.
VIRI OPT. ATQ. DOCTISS.
QUI NON TAM IN GYMNASIO BASIL.
PHILOSOPHIÆ ARIST.
PROF. PERSPICAX:
QUAM IN ECCLESIA DOCTRINÆ
COELEST. PRÆCO SINCERUS
LUSTRIS SEX PROFUIT,
TUMBA HÆC CINERES CONTINET.
VITA LABOR FUIT, MORSQUE REQUIES.
FATO CONCESSIT SEXAG.
VII. Id. JUNII
ANNO SAL. M D LXXV.

* *Ex Epitome Hiſtoriæ Baſileenſis Chriſtiani Urſtiſii.*

Obiit A.C. 1575.

HENRICUS BULLINGERUS.

BRemogartæ, *Helvetiæ* oppido, natus eſt *Henricus Bullinger* 18. Julii A. 1504. è familia 200. annos ibi celebri. Bis hic in infantiâ de vitâ periclitatus, bis conſervatus eſt, primùm peſte correptus, præter opinionem eorum, qui funus curaturi venerant, revixit; Deindè cum parvulus inter currendum lapſus eſſet, fiſtulam, (puerili more ſc. ludens,) graviter gutturi impegit, ut exanimis jacuerit. *Bis periclitatur, bis conſervatur.*

A.1516. *Embricam*, oppidum ditionis *Clivenſis*, miſſus, triennium ibi ſtudiis incubuit, conſtituitque *Carthuſianorum* ſe Ordini addicere, victum verò tùm temporis oſtiatim canendo ac mendicando quærere coactus eſt, non quod patri opes deeſſent ad alendum filium, ſed quod vellet eum reipſa experiri, quæ mendicantium ſit miſeria. *Studiis operam dat.*

A. 1519. *Coloniam Agrippin.* venit, ibiq; Societati, quæ *Burſa Montis* vocatur, nomen dedit, Logicæ ſtuduit, Lauream que primam ætatis anno 16. reportavit. *Coloniæ Baccalaureus.*

Anno 1520. Lectis *Patrum* & *Lutheri* de *captivitate Babylonicâ* libris, iisque cum ſacrâ ſcripturâ collatis, paulatim à doctrinâ Pontificiâ cepit abhorrere, propoſitumque de *Carthuſianorum* vitâ amplectendâ abjicere. *Libros Patrum & Lutheri legit.*

A.1522. Cum Magiſterii gradum adeptus eſſet, domum rediit, & A. 1523. *Capellæ, Agni Tigurini* cœnobio, ludo literario præfectus, Monachos in Literis Sacris & profanis, quamvis Germanicè, quod exiguum linguæ Latinæ uſum haberent Monachi, per 6. annos erudivit. *Magiſter Philoſophiæ domum redit. Monachos informat.*

A. 1527. *Tigurum* ab Abbate miſſus, per menſes 5. *Zwinglium* concionantem & in Scholâ profitentem audivit, & Præceptore *Pellicano* Hebrææ linguæ operam dedit. Græcam etiam magis excoluit ſub *Johanne Rhellicano, J. Jacobo Ammiano* & *Rudolpho Collino*. *Zwinglium audit. Hebraica & Græca diſcit.*

Ut verò hoc tempore *Tiguri Zwinglius*, ſic A. 1526. *Capellæ Bullingerus* Evangelicorum propoſuit Doctrinam, hincque miſſa abrogata, Cœna verò Domini ab Abbate & Monachis celebrata fuit. *Capellæ Eccleſiam reformat.*

A.1528. Cum *Zwinglio* ad Diſputationem *Bernenſem* ſolennem abiit.

A. 1529. *Bremogartum* vocatus, ubi jam ante Pater Papiſtarum ceperat taxare ritus, die Pentecoſtes primam habuit Concionem, tantumque hîc effecit, ut juſſu poſtridiè Magiſtratûs, aræ & idola è templis ſublata fuerint: à *Capellanis* igitur, ſacrisque in patriâ præfectus, triennium docuit, *Anabaptiſtisq;* acriter reſtitit. *Ut in Patriâ.*

A. 1531. *A Pontificiis* cum patre, fratre, & Collega *Gervaſio* Scholaſtico patriâ pulſus *Tigurum* venit, M. Nov. ibique menſ. Dec. *Zwinglio* ſucceſſit, qui in caſtra profectus hunc, ſi occumberet, ſucceſſorem nominârat. *Urbe pulſus. Tigurum venit.*

Cumque A. 1532. referti calumniis libri varii in *Tigurinorum* cladem eſſent ſcripti, *Bullingerus* de Religione judicium non ferendum ex felici aut ſequiori ſucceſſu manifeſtè demonſtravit, *Zwingliumq;* Oratione de officio Prophetæ edita defendit: Bibliothecam inſuper publicam, eò uſque ferè neglectam, per *Conradum Pellicanum* in ordinem redigendam curavit, eamq; plurimum Bibliothecâ *Zwinglii* coemtâ additaque auxit. *Zwinglii Succeſſor. Bibliothecam auget.*

A. 1534. *Bullingerus*, nomine Miniſtrorum *Tigurinorum*, *Confeſſionem Fidei* conſcripſit, quæ *Conſtantiam* ad *Bucerum* miſſa, totius ſynodi judicio approbata eſt. *Scribit Confeſſionem fidei.*

Scripſit & tùm *Orationem de Teſtamento ſeu fœdere Dei*, item *aliam, quâ duas in Chriſto Naturas Divinam & Humanam adſerit.*

A. 1535. Conſilio *Bullingeri Georgius Comes Würtenbergicus* Eccleſias ditionis ſuæ in *Alſatia* reformavit, miſſo ad eum *Eraſmo Fabritio.*

A. 1538. *Bullingeri* ſuaſu, Senatus *Tigurinus*

Digitized by Google

Collegium Ludovici reſtituit. *rinæ* novum ſtudioſorum collegium inſtituerat, in quo 15. adoleſcentes cum Præceptore ſuſtentabantur. Id autem à *Ludovico Germanico*, *Pii* filio, exſtructum, virginibus nobilibus dicatum fuerat.

Venêre his Annis quoque *Angli* Nobiles, qui *Bullingerum*, ut ad Regem *Henricum VIII.* quo confirmare ſuos poſſet in inſtituto reformandæ Eccleſiæ, ſcriberet, de Scripturæ ſanctæ authoritate, certitudine & abſolutâ perfectione, hortati ſunt.

Libros edit. A. 1539. Edidit libros *Vigilii Martyris cum Vadiani Epiſtolâ*, libroſque de *origine erroris* recognitos & auctos denuò publicavit.

A. 1544. Cum brevi antea *Commentariorum in Evangelium Johannis libr. X.* edidiſſet, ſcripſit quoque *Refutationem Johannis Cochlæi*, qui de Scripturæ Canonicæ & Eccleſiæ Catholicæ authoritate librum evulgaverat, ut & *Commentarium in Evangelium Matthæi.*

A. 1545. Cum *Lutherus* paſſim in Sacramentarios invectus eſſet, edidit Apologiam *Bullingerus*, quâ crimen hæreſeos & alia convitia à *Tigurinis* ſepoſuit.

A. 1548. Libellum *Interim* dictum unà cum *Calvino* refutavit, quem tamen librum typographus, metu Cæſaris, evulgare noluit.

A. 1550. Editæ ſunt à *Bullingero decades Sermonum, Angliæ* Regi inſcriptæ.

A. 1551. *Concilium Tridentinum* negavit *Bullingerus* eſſe univerſale aut liberum.

Certamina cum variis varia. A. 1553. *Diſputationem* habuit cum *Crammero* quodam ſolemnem, qui ad Pontificios poſteà planè defecit.

Edidit inſuper *Bullingerus* ſcriptum ad conſolandos afflictos, & pœnitentiam excitandam.

Secuta ſunt deindè ab A. 1556. certamina *Bullingeri* varia cum *Joachimo Weſtphalo*, *Heshuſio*, *Brentio*, & aliis, ad annum uſque 1564. quo peſtis *Bullingerum* corripuit gravis, ut omnes de vitâ ejus deſperarent, ſed Eccleſiæ Piorum precibus donatus reſtitutuſque eſt tum temporis, amiſſâ uxore & duabus filiabus.

Peſte corripitur. Evadit. A. 1567. Edidit *Homilias in Jeſaiam Prophetam.* Cumque A. 1571. *Wilhelmus Bidenbachius* teſtamentum edidiſſet *Brentii*, quo exhortatur omnes, ne *Tigurinis* locum in Eccleſiâ Chriſti relinquant ullum, *Bullingerus* fratrum nomine reſpondit, ſuamque & ſuorum doctrinam adſeruit.

A. 1575. 17. Sept. diu jam ſtranguriâ cruciatus, cum Miniſtris Eccleſiæ prolixâ valedixiſſet Oratione, & literis ad Senatum valedictoriis *Rudolphum Gualtherum* nominâſſet ſucceſſorem, animam Deo reddidit Ætat. 71. *Moritur.*

Ex conjuge *Anna Adliſchvilerâ, Tigurinâ*, quinque ſuſcepit filias, quarum una *Huldrico Zwinglio*, altera *Ludovico Lavatero*, tertia *Joſiæ Simlero*, quarta *Henrico Trubio*, civi honeſto, nupſit, quinta patri domi familiam adminiſtravit. E filiis verò 6. duo Miniſterio Eccleſiæ functi ſunt.

Fuit autem *Bullingerus* cœterùm Theologorum ſummus, ingenio miti, in docendo perſpicuus, ſimplicitatis amans, oſor inutilium quæſtionum, Confeſſionis inſuper poſt *Zwinglium* & *Oecolampadium* propugnator acerrimus. In convictu frugalis & temperans, hilaris tamen & jucundus omnibus, quibuscum vivebat. Induſtria fuit ejus tanta, ut otioſus eſſe non poſſet, aut enim commentabatur, aut ſcribendis literis occupabatur, aut conſilium petentibus reſpondebat.

Scripta ipſe *Bullingerus* ſua in Tomos digeſſit 10.

* *Ex Melchioris Adami Vitis German. Theol.*

PETRUS PAULINUS.

Obiit A.C. 1575.

MAgiſter Artium, Theologiæ Baccalaureus, in album Univerſitatis inſcriptus A.C. 1538. Græcæ Linguæ Profeſſor fuit. Rectoratum geſſit A. 1541. *Hafniæ Græcæ linguæ Profeſſor.*

Poſteà A. 1545. *Roeskildiam* abiit, ibique unà cum *M. Andreâ Laurentio* literas & pietatem docuit: Paſtoris in Cathedrali Eccleſiâ, & Theologi in Scholâ munere fungens, obiit ibi A.C. 1575. 22. Septemb. *Paſtor Eccleſ. Roeskild.*

Sepultus eſt in Templo Cathedrali, ubi Epitaphium habet:

Epitaphium. MORTUUS VIVO. HIC POSITÆ SUNT EXUVIÆ CLARISSIMI VIRI MAGISTRI PETRI PAULINI, VERA PIETATE, DOCTRINA, GRAVITATE, FIDE, CONSTANTIA, ET VITÆ INNOCENTIA PRÆSTANTIS. QUI CUM XXX. ANNOS ET VI. MENSES PASTORIS FIDELISSIMI IN HAC ECCLESIA ET DOCTISSIMI THEOLOGI IN SCHOLA MUNUS OBIVIT, XXII. DIE SEPTEMB. ANNI CHRISTI M D LXXV. IN ARDENTI INVOCATIONE FILII DEI PLACIDISSIME EXSPIRAVIT.

* *Ex Academiâ Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Pauli f. Vindingio.*

CASPAR EBERHARDUS.

Obiit A.C. 1575.

EX honeſtis parentibus in urbe metallicâ *Schneebergâ* A. 1532. natus, & à primâ ætate literis imbutus Scholis & Eccleſiis adultior factus, operam ſuam addixit, quod ut cum majori autoritate & fructu facere poſſet, *Wittenbergæ* ad gradum Philoſophiæ ſupremum aſpiravit. *Philoſophiæ Magiſter Witteb.*

29. Maji A. 1570. Inſignia Doctoratûs, *D. Georgio Majore* Theologicæ Facultatis Decano conferente, nactus eſt, unà cum *Sigfrido Sacco, Jacobo Lechnero, Johanne Garcæo, Adamo Rothero*, & *Georgio Langevoito.* *Theologiæ Doctor.*

Factus deinde Conſiſtorialis *Miſnenſis* A. 1574. exindè *Wittebergam* vocatus, & in remoti *Friderici Widebrami* locum ſubrogatus eſt, conſentientibus omnium in Academiâ Profeſſorum, & in oppido Senatorum ſuffragiis, inque templo Parochiali ante aram *Conſiſtorialis Miſnenſis.*

Superintendens, generalis & Theologiæ Profeſſor Witteb.

aram Paſtor & Superintendens generalis, Profeſſor etiam Publicus confirmatus eſt.

De quâ re ſic ſcripſit *Balthaſar Mentzius*: Cum nobiles iſti Calviniſtæ, & turbatores Eccleſiarum *Saxonicarum, D. Fridericus Widebramus*, ejuſque Collegæ *Chriſtophorus Pezelius* in Arcis templo Præco, *Caſpar Cruciger* junior Theologiæ, & *Henricus Möllerus* Hebrææ Linguæ Profeſſores, duce & auſpice *D. Caſparo Peucero* Medico, poſt *D. Pauli Eberi* mortem, ab *Auguſtanâ Confeſſione* ſeceſſionem feciſſent, & hæc Sarepta noſtra ceu bello civili ac domeſtico turbata eſſet, Deus miſericors ducem militiæ hujus difficillimæ illi donavit Dn. *Caſparum Eberhardum* S. Theol. Doctorem, Paſtorem, Profeſſorem hujus Academiæ & Superattendentem &c.

Moritur febri ardente.

Febre tandem ardente conſumptus, inter preces ardentes' animam piam placidè exhalavit 21. Oct. A. C. 1575. ætatis 52. Poſtquàm Scholas & Eccleſias, *Joachimicam, Gotsgabienſem, Hallenſem, Wolckenſteniam, Misnenſem*, & *Wittenbergenſem* rexiſſet annos 30.

Epitaphium ejus in Templo *Witteb.* Oppidano hiſce verbis legitur:

Epitaphium.

CASPAR EBERHARDI SCHNEEBERGENSIS, SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR ET PROFESSOR, PASTOR ECCLESIÆ WITTEBERGENSIS, VERBI DIVINI AC LUTHERANÆ DOCTRINÆ DEFENSOR CONSTANTISSIMUS OBIIT XXI. OCTOBR. ANNO M D LXXV. CUM VIXISSET ANNOS LII. SCHOLAS VERO ET ECCLESIAS REXISSET AN. XXX.

Saxonicas cum Dux regeret Fridericus habenas,
Vindice quo ceoidit fraus ſcelerata Papæ,
Natales hauſi niveis in montibus auras,
Et Chriſto in ſacro nomina fonte dedi.
In regnum ut ſubiit Janus, Confeßio ſub quo
Tradita Dive tibi Carole ſacra fuit:
Obtulit Aonidum caſtris me cura parentum
E verbo agnovi ſalvificante Deum.
Tempore quo invictus fidei conſtantibus auſis
Verus eras patriæ, Jan-Friderice, parens:
Pierio ingenioſa choro me turba cooptans,
Ingenio juſsit liberiore frui.
Indè ubi Mauritius terror Regumque Ducumq;
Imperii ferret ſceptra potente manu;
Nomen honorificum accepi titulumque Magiſtri,
Tum poſita eſt capiti Laurea prima meo.
Felices tandem cum pace ſuperſtite gentes
Auguſto exciperent aurea ſecla Duce.
Fructum etiam merito pro mille laboribus hauſi,
Et fulſit noſtris purpura honeſta comis.
Hoc vivo morior que libens ſub vindice verbi
Salvifici: at Chriſto ſpes mea fixa Deo eſt.
Saxonicam æternùm ſervent pia numina ſtirpem,
O Auguſte Deus te ſobolemque tegat.

* *Ex Inſcriptionibus Witteb. Andreæ Sennerti. Et ex Vitis Profeſſ. Witteberg. Job. Bismarci, Eccleſiaſt. Ammenslebii.*

CHRISTOPHORUS HOFMANNUS.

Obiit A.C. 1576.

PAtri Eccleſiaſtæ in aulâ *Vinarienſi*, & in Templo *Jenenſi* cognominis, inter primos, licet non primarios, audiit in *Salanâ* nondum privilegiatâ Profeſſores Publicos A. C. 1547.

Rector Salveldenſis. Paſtor Hardislebienſis.

Poſteà Scholæ *Salveldenſi* Rector datus, è pulvere Scholaſtico extractus, ad Paſtoratum *Hardislebienſem*, exindè ad Ephoriam in oppido *Penig* ad *Muldam* ritè vocatus, Confeſſioni *Geranæ*, adverſus Heterodoxos imprimis *Flacianos*, comportatæ ſubſcripſit, & inſcripſit *Henrico medio*, & *Henrico juniori*, fratribus *Lib. Baronibus Ruthenis* Dominis in *Gerau*, unà cum *D. Simone Muſæo* tum *Gerano*, *Georgio Aulumno Graizenſi, Bartolomæo Roſino Waldenburgenſi*, & *M. Johanne Tettelbach Chemnitienſi* Paſtoribus & Antiſtitibus A. C. 1567.

Concionator Megapolitanus.

Tandem in aulâ *D. Joh. Alberti* Ducis *Megapolitani* Concionator conſenuit circiter A. C. 1576. mortuus.

* *Ex Nomenclat. Profeſſor Jenenſ. M. Adriani Beyeri*, qui hoc adſcripſit Epigramma:

Chriſtophorus primus ſed non primarius Hofmann,
Profeſſor ludi, docta Salana, tui eſt.
Nam felix Sophici fundamina prima Lycæi,
Auſpice Stigelio Strigelioque locat.

JOHANNES STEPHANUS LEINATIUS.

Obiit A.C. 1576.

Theologus & Sacerdos.

M*Ediolanenſis* & Religioſus ſecularis Sacerdos primùm, deindè Præpoſitus ad *S. Mariam Farcorinam Caſtagnolam* dictam, in Patriâ factus eſt. Ibi Templum cum ædibus vicinis temporum & bellorum civilium injuriâ deſtructum, nullis parcens ſumptibus, reſtauravit, omneque Patrimonium ſuum impendit.

Magnam habuit poteſtatem homines à dæmone obſeſſos ſaluti priſtinæ reſtituendi. In patriâ obiit A. C. 1576.

Scripſit & edidit:

Scripta.

Volumen Homiliarum è S. Ambroſii Epiſcopi & Doctoris Libris contentum, Carolo Borromæo Cardinali & Archiepiſcopo *Mediol.* dedicatum.

* *Ex Theatro Italico Virorum doctorum Hieronymi Ghilini.*

PAU-

Obiit A.C. 1576.

PAULUS TOMASINUS.

Filius *Marci Tomaſini*, *Patavii* natus eſt circa A. C. 1510.

Theol. Patavinus & Canonicus.

Eccleſiæ *Patavinæ* longâ fidelique operâ inſervivit, & Cardinali *Piſano*, Epiſcopo *Patavino*, charus fuit.

Ob pietatem Sacris Virginibus *D. Stephani* ad earum Confeſſiones expiandas datus, operam eis ſuam per plures annos præſtitit.

Rector Templi S. Laurentii.

A. 1565. Defuncto *Johanne de Benedictis*, *Veneto*, Eccleſiæ *S. Laurentii* Rectore, eo beneficio decoratus eſt.

Tandem ſenio confectus, animam Conditori ſuo reddidit A. C. 1576. ætatis 66. Sepultus in Eccleſiâ *S. Laurentii*.

Edidit

Scripta.

Tractatûs quosdam Spirituales pro ſacris Monaſterii ad S. Stephanum virginibus, *Hetruſco* idiomate conſcriptos, *De rectâ ipſarum vivendi inſtitutione.*

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Obiit A.C. 1576.

JOHANNES STOESSELIUS.

Kitzingâ Francus, *L. Antonii Muſæ* Antiſtitis *Jenenſis* gener, natus eſt 23. Junii A. C. 1524. Promotus *Wittenbergæ* Philoſ. Magiſter A. 1549.

Antiſtes Heltburgenſis.

A. 1560. Tunc Antiſtes *Heltburgenſis* interfuit Colloquio Theologico *Heidelbergæ* inſtituto.

Theologiæ Profeſſor Jenenſis.

A. 1561. *Vinariæ* Conſiſtorii Aſſeſſor, & A. 1562. In Academia *Jenenſi* Profeſſor Theologicus, Paſtor Eccleſiaſticus, & Adjunctus Philoſophicus eſt receptus.

Primus Doctor Theologiæ.

A. 1564. 3. Jan. Decanus Philoſophicus electus, eodem menſe 6. Magiſtros Philoſophiæ creavit. 13. Julii ſeq. Theologiæ Doctor omnium in *Salanâ* primus, à *Paulo Ebero* ad Panegyrin *Wittenbergâ Jenam* accerſito, in Templo *S. Michaëlis* renunciatus fuit.

Clam diſceſſit.

In causâ *Strigelianâ Synergiſmum* apertè, & *Calviniſmum* opertè promovens, malè ſibi conſcius clam abiit 16. Jan. A. C. 1568. Factus ab Electore *Saxoniæ Auguſto* Superintendens *Pirnenſis*.

Pirnæ tandem in ſuâ Ephoriâ exſpiravit 18. Martii A. C. 1576. ætatis 52. unâ die cum uxore ſepulchro illatus. Quidam eum *Senftenbergæ* in carcere obiiſſe ſcribunt.

* *Ex Nomenclat. Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Bayeri*, qui hoc ei appoſuit Epigramma:

Dat tibi, Johannes Stöſſeli, patria cunas
Kützinga: & Sophies fert Witeberga decus;
Jenaque Doctorem primum te noſtra ſalutat,
Curat & exequias Pirna vetuſta tuas.

* * *

Conradus Schlüſſelburgius ſcribit, viri hujus conſilio & inſtinctu A. 1562. 30. Paſtores Eccleſiæ cum uxoribus & liberis in exilium ex *Thuringia* fuiſſe pulſos, eò quod Synergiſmo nomina ſubſcribere detrectâſſent.

Etæoſtichon *M. Wolfgangi Krügeri* Theologi Turnav.

StoſſeLIVs DVbItat MIſerè atqVe Ita ſentIt obItqVe,
Senſtenberga tegens oſſa repoſta tenet.

* * *

Johannes Stöſſelius, der die reine Lehr wiſſentlich verfälſchet / und damit viel Leute eingenommen hatte / ſagte kurz vor ſeinem Tod:

Ich bin deß Teuffels eigen mit Leib und Seel / ein Gefäß deß Zorns / ein Kind deß ewigen Feurs und Verdamnis / dann ich habe das Wort Gottes wiſſentlich verfälſchet / GOtt geläſtert / und die allerheiligſte Geheimnus und Sacrament Chriſti geſchmähet. Es iſt unmöglich / daß ich hoffen und glauben ſolte / daß mir GOtt hinfürter könte gnädig ſeyn.

Da ihm der Pfarrherr aus Gottes Wort Troſt einſprach / und der Barmherzigkeit Gottes / ſo gröſſer als die Welt wäre / erinnerte / ſagte er: Ja lieber Herr / diß weiß ich alles wol / aber ich kan nicht glauben / daß es mich angehe / dann ich bin nunmehr deß Satans leibeigen.

Und kurz vor ſeinem Ende hat er geſchryen: Ach wie werde ich vom Teuffel geplagt! Und iſt alſo dahin gefahren.

Aus Herrn Johann Michael Dillherrn Weeg zu der Seeligkeit / *part. 1. cap. 11.*

* * *

M. Valentinus Apel, Ludimagiſter *Freibergenſis*, hoc ei ſcripſit Epitaphium:

Sit Dominus mundi benedictus, qui Benedicti
Feſto Stoſſelium ſuſtulit è medio.
Unâ Stoſſelius cum conjuge conditur urnâ,
Spira alter ſitus eſt hic, ſine crux, ſine lux.

CORNELIUS JANSENIUS.

Obiit A.C. 1576.

Hulſtenſis Flander, honeſtè natus, Theologus egregius, cui exacta trium Linguarum cognitio.

Lovanii in Gymnaſio Caſtrenſi Philoſophica, deindè ſacra ſtudia in majori Theologorum Collegio, (cui & poſtea cum laude præfuit,) ſectatus eſt.

Theologiæ Profeſſor Tungerloæ. Parochus Cortraci.

Iis decurſis, annos 12. in *Tungerloënſi Præmonſtratenſium* Abbatiâ Profeſſoris munere, totidemque Parochi Eccleſiæ *S. Martini Cortraci* functus eſt.

Indè *Lovanium* regreſſus, Doctoris Laureâ & Decani ad *D. Jacobi* dignitate cohoneſtatus eſt.

Ad Concilium *Tridentinum* à Rege Catholico *Philippo*, cum *Michaële Bayo* & *Johanne Heſſelio* miſſus, excellenti de ſe judicio abundè reſpondit.

Primus Epiſcopus Gandenſis.

Mox à reditu primus *Gandenſium* Epiſcopus conſtitutus eſt vir omnium Epiſcopalium virtutum genere cumulatus. Senex tandem *Gandavi* obiit 3. Id. April. A. C. 1576. ſepul-

Digitized by Google

ſepultus in æde Cathedrali, communi titulo cum amico & Collegâ *Guilielmo Lindano*, hâc Inſcriptione:

Unicus et Phœnix? cineres hæc tumba duorum
Phœnicum veræ Religionis habet.

D. O. M.

Epitaphium. REVEREND. IN CHRISTO PP. S. THEOLOGIÆ DD. CORNELIO JANSENIO, ET WILHELMO DAMASI LINDANO, PRIMO ET SECUNDO HUJUS URBIS EPISCOPIS, OB MULTOS IN SCRUTANDIS ET INTERPRETANDIS SACRIS SCRIPTURIS EXANTLATOS LABORES ET MERITA IN DEI ECCLESIAM ET REMP. CHRISTIANAM POSITUM.

OBIIT HIC II. NOVEMB. A. C. CIↃ IↃ LXXXVIII.
ILLE VERO XI. APRIL. AN. CIↃ IↃ LXXVI.

QUOMODO IN VITA SUA DILEXERUNT SE, ITA ET IN MORTE NON SUNT SEPARATI.

Scripſit perpetuò duratura Opera *Tomis II.*

Scripta. *Concordiam Evangelicam cum Commentariis.* Id opus in *Epitomen* redegit *F. Matthæus à Caſtro Inſulenſis.*

Paraphraſes & Annotationes in omnes Pſalmos Davidis.

Item in ea veteris Teſtamenti Cantica, quæ per ferias ſingulas uſus Eccleſiaſticus obſervat.

Commentarios in Proverbia, & Eccleſiaſticum Salomonis.

Annotationes in Librum Sapientiæ Salomonis.

Petrus Simonius Iprenſis poſteà Epiſcopus, funebri laudatione proſecutus eſt mortuum. Ejusdem operâ & diligentiâ, *Janſenii* Scripta limatiora prodiêrunt.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

HENRICUS SALMUTH.

Obiit A.C. 1576.

S*Uinfurti* natus eſt 2. Martii A. C. 1522. Patre *Georgio Bernigero*, Cive honeſto: Matre *Kunegundâ Dereſſerinâ.*

A. C. 1528. Scholam in patriâ frequentare cœpit ſub Præceptoribus *Johanne Altenfeltero, M. Johanne Bentzio, & M. Jacobo Wigando.* In eâ Scholâ *Salmuth* à condiſcipulis vocatus à vitrico ſuo *Sebaſtiano Salmuth*, nomen hoc deinceps retinuit. (Cognomen Salmuth in Scholâ accepit.)

A. 1536. *Lipſiam*, ſtudiorum gratiâ, ſe conferens, ibi paucis pòſt annis in Magiſtrum Philoſophiæ promotus, S. Theologiæ ſtudium aggreſſus, in eâdem facultate deinceps, Eccleſiæ *Lipſienſis* Diaconus, Paſtor, Doctor, Profeſſor, Superintendens, & Rector Academiæ ſucceſſivè factus eſt. (Fit Magiſter Philoſophiæ. Doctor Theologiæ & Profeſſor.)

Ab Electore *Auguſto* quoque Generalis Viſitator Eccleſiarum & Scholarum Saxonicarum conſtitutus, variis etiam Colloquiis, Religionis causâ inſtitutis, *Altenburgi, Dresdæ*, & *Torgaviæ* interfuit.

Nubit. A. 1550. Uxorem duxit *Eliſabetham, Johannis Pfeffingeri*, Theol. Doctoris & primi Paſtoris Evangelici *Lipſienſis* filiam unicam: ex quâ 16. ſuſcepit liberos, ex iisque 7. filios ac 5. filias reliquit ſuperſtites. Hæc ejus uxor anno æt. 70. vitâ defuncta, filios omnes literis excultos, & filias honeſtè elocatas vidit; & 55. nepotes.

A. 1557. Cum *Mulhuſæ Interim* dictum, eſſet introducendum, eò à Senatu vocatus, conſentiente Senatu *Lipſienſi* venit, & 5. menſium ſpatio ibi moratus, docendo & concionando abusûs Pontificios abrogavit, Eccleſiamque Miniſtris Evangelicis conſtituit. Obiit tandem *Lipſiæ* 20. Maji A. C. 1576. ætatis 55. (Eccleſiam Mulhuſæ reformat. Moritur.)

Libros edidit:

Scripta. Catechiſmum in 30. Predigten erklårt.

Erklårurg der Haustaffel in 15. Predigten.

47. Leichpredigten zu Leipzig gehalten.

Hochzeit-Predigten aus dem 24. Cap. deß erſten Buchs Moyſis von der Hochzeit Iſaac und Rebecca zu Leipzig gehalten.

8. Lehr- und Troſt-Predigten zu Leipzig im Sterben *A.* 1575. gehalten.

Viam Salutis, den rechten Weeg zur Seeligkeit.

* *Ex Concione Funebri Johanni Salmuth habitâ per Joh. Cunerum Theologum Ambergenſem.*

Caſpar Cunradus Med. in Millenario I. Proſopographiæ Melicæ hoc ei ſcripſit diſtichon:

Myſta prius Sophiæ, dic dein Præco Cathedræ
Et voce & calamo juſſa verenda dedi.

PHILIPPUS MONTANUS.

Obiit A.C. 1576.

A*Rmenterius*, Doctor Theologus *Pariſienſis, Eraſmo Roterodamo & Cornelio Schepperio* familiaris, linguæ utriusque peritus. Sexagenario major *Duacum* venit ad excitatam recens à Rege Catholico *Philippo II.* Academiam. (Theologiæ Profeſſor. Duaci.)

Primus in Collegio *Marchianenſi* tres Burſas reliquit Pauperibus ſtudioſis alendis.

Nepotem *Chriſtophorum Montanum* habuit *Viennæ* in *D. Stephani* Canonicum, *Ferdinando* Imperatori ab Eleemoſynis, quem *Rudolphus II.* Imperator Præceptorem habuit.

Duaci tandem obdormivit octogenario major, 11. Kal. Junii A. C. 1576. Conditus, in *D. Jacobi.* (Moritur.)

Recognovit, & reſtituit ex vetuſto Græco Codice, quo diu uſus fuerat *Eraſmus Roterodamus*:

Scripta. *D. Johannis Chryſoſtomi Opera, & Tranſlationem Latinam.* Item: *Enarrationes Theophylacti Archiepiſcopi Bulgariæ.*

In Evangelia, Epiſtolas Pauli, & Prophetas aliquot Minores.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1576.

EDOARDUS DERINGUS.

EX antiquâ & nobili familiâ natus eſt in *Cantio.*

Literis humanioribus & ſacris operam dedit *Cantabrigiæ* in Chriſti Collegio, ubi tantum profecit, ut induſtrius Verbi DEI Præco evaſerit. Solo verò Baccalaurei Theologici titulo & ſociali ſtipendio in Collegio Chriſti contentus Concionator fuit in Eccleſiâ Cathedrali *S. Pauli Londinenſi.* *Verbi DEI Præco.*

In lecto fatali decumbens, cum Sol faciei ejus illuxiſſet, ita loquendi occaſionem arripuit ad aſtantes: *Non eſt niſi unus Sol, qui orbem terrarum illuminat, ita non eſt niſi una juſtitia & una Sanctorum communio.*

Moritur. Mortuus eſt ad Tobianas ædes in Comitatu *Eſſexiæ* M. Jun. A. 1576.

Scripſit & edidit Anglicè: *Scripta.*

Prælectiones in Epiſtolam ad Hebræos.

Conciones quaſdam coram Reginâ & in Turri Londinenſi habitas.

Precationes privatis familiis deſtinatas.

Catechismum ſuccinctum.

* *Ex Heroologiâ Anglicâ.*

Obiit A.C. 1576.

FRANCISCUS SONNIUS.

IN *Campaniæ Brabantiæ* cognomine Pago *Son* editus primus *Antverpienſium* Epiſcopus, Vir fuit Epiſcopatu dignus, ut cui ad egregiam doctrinam miram Natura addiderat Eloquentiam. *Epiſcopus primus Antverpiæ.*

Lovanii ſacras literas hauſit in Collegio Pontificio. Mox ad *D. Jacobum* in eâdem Urbe Paſtor. Doctoris Laureâ ornato Canonici *Ultrajecti* in primariâ æde dignitas obtigit. *Canonicus Ultrajecti.*

Interfuit *Wormatienſi* Colloquio, & in Synodo *Tridentinâ* ſpecimen doctrinæ exhibuit.

Romæ apud *Paulum IV.* Pontificem Maximum res geſſit de Epiſcopis per *Belgium* creandis. Redux apud *Sylvæducenſes* primùm annos 4. pòſt *Antverpiæ* annos 6. Præſulem egit. Erat illi Symbolum: *Sine onere nihil.* *Epiſcopus Sylvæducenſis.*

Moritur. Naturæ ſenex conceſſit prid. Kal. Quint. A.C. 1576. Sepultus in Divæ *Mariæ* ad altare ſummum, hoc Epitaphio:

Epitaphium.

D. O. M.
A Sole Nomen mutuatus hic cecidit
FRANCISCUS SONNIUS,
Qui ab humili ortu, et per Sacri
Studii Gradus summosque
honores apud Sylvæducenses ann. IV.
Dein huic Urbi primus Antistes
illuxit: utque plures
per Belgium Antistites darentur
Legatus efecit.
Vim doctam mentis et styli Hæreses
senserunt, et
Wormatiense Colloquium.
Pependit ab ore docentis Lovan.
Sylvæd. et Urbis hujus
populus.
At sortem iniquam!
Vixit annis sex hic Præsul,
Dum ætate et meritis gravis
a Principe Pastorum
evocatus decessit anno Sal.
M D LXXVI.
Æternum ut vivat Lector precare.

Scripſit *Scripta.*

Demonſtrationem Religionis Chriſtianæ ex Verbo Dei.

De VII. Sacramentis.

Confutationem Calvinianæ Sectæ per Belgium ſparſæ Latinè & Belgicè.

Catechiſmum, ſeu Inſtitutionem vitæ Chriſtianæ.

Statuta Synodalia Diœceſis ſuæ.

Querelam adversùs novos Epiſcopos inferioris Germaniæ.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1576.

JOSIAS SIMLERUS.

C*Apellis, Helvetico* Cœnobio, natus eſt 6. Nov. A. C. 1530. Patre *Petro Simlero* à *Bullingero* ad veram religionem converſo, & deindè Eccleſiaſtico munere functo, anno verò 1557. defuncto ætatis 71. 9. Julii. *Parentes.*

Avus ei fuit *Rudolphus Simlerus*, qui *Rinovii* Magiſtratum geſſit, & obiit A. 1535. ætatis 85. Mater verò *Joſiæ Verena Huſera*, ex honeſtâ & antiquâ *Huſerorum* familiâ.

A. 1544. *Tigurum* ad *Bullingerum*, *Joſias Simlerus*, qui illum è ſacro fonte ſuſceperat, miſſus eſt, quem deinceps Præceptorem quoque & ſocerum nactus eſt.

A. 1546. *Baſilëam* profectus, per annum ibi Philoſophiæ & Matheſi operam dedit, ſub Præceptoribus *Borrhao*, *Amerbachio*, *Münſtero*, *Curione*, *Lycoſthene.* *Literis operam dat.*

A. 1547. *Argentoratum* venit, biennium ſtudiis inſumens.

A. 1549. *Tigurum* reverſus, Eccleſiæ Scholæque inſervire cepit. *Geſneri* etiam partes in docendis Mathematicis ſæpè obivit.

Mox autem A. 1552. Novi Teſtamenti explicandi munus ipſi impoſitum fuit, quod munus ſummâ cum laude non modò popularium, ſed & peregrinorum, adminiſtravit.

A. 1557. Eccleſiæ ad *D. Petrum* Diaconus factus, poſteà *Bibliandri* rude donati vices aliquandiu ſupplevit. *Diaconus Tigurinus.*

A. 1563. *Petro Martyri* vitâ defuncto in functione Eccleſiaſticâ ſucceſſit. *Martyri ſuccedit.*

Obiit tandem placidiſſimè *Tiguri* 2. Julii A.C. 1576. ætatis 45. *Moritur.*

Uxores habuit duas: *Eliſabetham Bullingeri*, & *Magdalenam Rudolphi Gwaltheri* filias, quarum prior ſine prole deceſſit A. 1563. ex alterâ tres filios, & unam filiam ſuperſtites reliquit. *Uxores.*

Meme-

Digitized by Google



EDOARDUS DERINGUS
Theol. Cantabrig.



FRANCISCUS SONNIUS
Epist. Sylvæduc.



IOSIAS SIMLERUS
Theol. Tigur.



HARTMANN BEYERUS
Theol. Francof.



MICHAEL BESLERUS
Theol. Norib.



NICOLAUS ESCHIUS
Past. Diestemÿ.



PAULUS CRELLIUS
Theol. Miſn.



NICOL. RHODINGUS
Theol. Marpurg.



IOH. MARBACHIUS
Theol. Argentorat.



HENRICUS VIETOR.
Theol. Marpurg.



PETRUS BOQUINUS
Theol. Lausanensis



ZACHARIAS URSINUS
Theol. Neustad.



LUCAS POLLIO
Theol. Vratislav.



MARTIN, RITHOVIUS
Episcop. Iprens.



GENTIAN, HERVETUS
Theol. Burdegal.



ABRAHAM BUCHOICER
Theol. Freistad.

Digitized by Google



Memoriæ & judicii felicitate fretus ex tempore ſæpè de rebus graviſſimis Latinè & Germanicè diſſeruit. Vagâ etiam & tumultuariâ tantùm librorum lectione uſus eſt, ut à poſtremâ ſæpè Libri parte exorſus, modò hanc, modò illam paginam perlegeret, nihilominus tamen totius libri ſummam teneret.

Podagrâ hæreditariâ ſæpè laborans, inter ipſos dolores memoriter è lecto amanuenſi ſuo dictavit, quæ poſteà typis edita Viris doctis admirationi fuerunt.

Scripta. Scripta ipſius partim *Theologica* ſunt, partim *Mathematica*, partim *Hiſtorica*.

Ex *Theologicis* ſunt:

De æterno Dei filio adverſus novos Arianos libr. III.

De Spiritu S. adverſus eosdem. lib. II.

Aſſertio orthodoxæ Doctrinæ de duabus Chriſti naturis.

Apologia Miniſtrorum Tigurinæ Eccleſiæ ad Confutationem Jacobi Andreæ.

Narratio veterum controverſiarum de unâ perſonâ & duabus Chriſti naturis, unà cum collatione controverſiarum noſtri temporis.

Orthodoxa & brevis expoſitio de verâ Chriſti in terris præſentiâ.

Reſponſio ad 2. Diſputationes Andreæ Muſculi de verâ & reali præſentiâ corporis Chriſti in Sacramento altaris.

Reſponſio de Chriſto Mediatore adverſus Franciſcum Stankarum.

E Germanicâ in Latinam tranſtulit Linguam:

Libr. Bullingeri 6. adverſus Anabaptiſtarum errores.

Ejusdem adhortationem ad Eccleſiæ Miniſtros.

Ejusdem libellum de perſecutionibus.

Ottonis Werdmülleri interpretationem paraphraſticam, Orationis Dominicæ, Symboli Apoſtolici.

Ex *Mathematicis* ſunt:

Aſtronomiæ libr. II. de principiis Aſtronomiæ.

Deſcriptio V. columnarum Joh. Blum cum Symmetricâ earum diſtributione ex Germ. in Lat. translata.

Ex *Hiſtoricis* ſunt:

Oratio de vitâ & obitu Petri Martyris, Henrici Bullingeri & Conr. Geſneri.

Bibliotheca Geſneri ſecundùm locupletata.

Notæ in Æthici Coſmographiam, qui vixiſſe videtur temp. Imp. *Theodoſii.*

Notæ in Antonini Auguſti Itinerarium, Rutilium & Sequeſtrem.

De Republ. Helvet. libr. II.

Valeſia: hoc eſt de *Viberis*, *Sedunis* & *Veragris* lib. II. quibus adjunctus eſt *Commentarius de Alpibus.*

Hiſtoria Helvetiæ, quam morte præventus non abſolvit.

Vocabula rei nummariæ Ponderum & Menſurarum, Græca, Latina, Hebraica, Arabica ex diverſis authoribus collecta, & in ordinem Alphabeticum diſpoſita.

Epitome Biblioth. omnium authorum usq. ad annum 1574. quæ poſtea per Joh. Jacobum Friſium amplificata eſt ad ann. 1583.

* *Ex Melchioris Adami Vit. Germ. Theol.*

SIMON MUSÆUS.

Obiit A.C. 1576.

Aliàs Meuſſel/ *Vetſchâ* pago, non procul ab oppido *Cotwitz*, in *Marchiæ* confinio oriundus, natus eſt triduo ante Paſcha A. C. 1521.

Informatus *Francofurti* ad *Viadrum*, & *Wittenbergæ* ad *Albim*, in hâc S. Theologiæ Doctor 8. Maji A. 1554. renuntiatus, Paſtorem *Fürſtenwaldiæ* & *Groſſenæ* in *Marchiâ*, Antiſtitem verò *Uratislaviæ* in *Sileſiâ*, *Gothæ* in *Thuringiâ*, & *Eisfeldiæ* in *Franconiâ* egit. *Fit Doctor Theologiæ.*

A. 1558. 1. Nov. *D. Erhardo Schnepfio* defuncto, *Jenæ* in Profeſſione Theologiæ ſucceſſit. Sed cothurno *Strigeliano* inviſus, & propterea abire juſſus, 9. Januarii A. 1562. ordine *Bremæ* apud *Saxones*, *Suerini* apud *Megapolitanos*, *Geræ* apud *Variſcos* docuit ad A. C. 1568. quo *Thorunium Boruſſorum* vocatus eſt. *Bremæ* ſuffectus eſt ei *D. Albertus Harderberger.* *Jenæ Profeſſor Theologiæ.* *Diſcedit.*

Redux *Suſati*, & tandem *Mansfeldiæ* concionatus, inque ſuo Decanatu obiit 11. Julii A. C. 1576. æt. 55. *Moritur.*

Filium reliquit *Johannem Muſæum I.* Decanum in Ober-Mansfeld: Nepotem, *Johannem Muſæum II.* in Langwieſen Paſtorem: & Pronepotem *Johannem Muſæum III.* S. Theol. Doctorem & Profeſſorem in Academiâ *Jenenſi*.

* *Ex Nomenclat. Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc ei addidit Programma honorarium:

Simon Muſæus Muſarum charus alumnus
Tradidit in multis dogmata pura locis.
Exilia expertus quamplurima: vivit in ore
Doctorum: inque piâ poſteritate viget.

Caſp. Cunrad. Med. Proſopographiæ Melicæ Lib. III. hoc ei ſcripſit diſtichon:

Braela prius ſedem tribuit mihi, Gotha deinceps:
Famam alit in ſcriptis vivere Muſa meis.

D. Daniel Hoffmannus Socero hoc *Epitaphium* ſcripſit: *Epitaphium.*

Anno terdecies revoluto à morte Lutheri,
Fervet ut auguſtum relligionis opus;
Simon Muſæus, quo multùm Eccleſia Chriſti
Uſa eſt, quo multum mundus abuſus, obit.

ANDREAS PANCRATIUS.

Obiit A.C. 1576.

Wonſidelii, *Voitlandiæ* oppido, juxta montem Fiechtelberg vocatum, natus A. C. 1531. Eccleſiæ primùm Paſtor fuit *Ambergæ*, *Palatinatûs Superioris* Metropoli, deinde Concionator & Superintendens *Curiæ*, urbe *Variſcorum* primariâ. *Paſtor Eccleſ. Amberg. Superintendens Curiæ.*

Theologus fuit pius & eruditus, ut Scri-

Moritur. pta, quæ edidit, teſtantur. Obiit 27. Sept. A. C. 1576. æt. 45.

OCtobrIs qVInto PanCratI DoCte KaLenDas
Ibas ſVneſtæ ſVb IVga fraCta neCIs.

Septennio ante obitum ſuum A. 1569. ipſe ſibi fecit hoc Epitaphium: *Epitaphium.*

Hie leit bey ſeiner Heerd der Hirt/
Und wart / bis ihn aufwecken wird
Am Jüngſten Tag der HErre Chriſt/
Der ſein getreuer Heiland iſt.
Schickt euch all recht / ihr müſt hernach/
Und wiſſt doch weder Stund noch Tag.
Was ihr itzt ſeyt/ bin ich geweſn/
Und wie ich bin/ müſt ihr verweſn.
Drum thut recht Buß/ und ſäumt euch nicht/
Ein harter Stand iſt's jüngſt' Gericht.

Fui ut es, eris ut ſum.

* *Ex Catalogo mille Virorum illuſtrium Germanico M. Wolfgangi Krügeri Paſtor. Turnav.*

De urbe *Voitlandiæ Curiâ*, Germ. Hoff vocatâ, hoc compoſuit diſtichon:

Curia, *ſi Chriſtum curas, qui te quoque curat,*
Tunc Chriſto curæ, Curia, *ſemper eris.*

Edidit:

Scripta. Catechiſmus=Predigten 5. Theil.

FRANCISCUS GOMETIUS.

Obiit A.C. 1576.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ ex oppido *Fregenal*, quod ad radices montium *Marianorum* ſitum, Provinciæ eſt, quam vulgò *Eſtremaduram* vocant.

Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſor Cordubæ. Poſtquàm eximio ingenio, excellenti memoriâ, indefeſſo ſtudio Philoſophicas & Theologicas literas feliciter didicit, hortatu *Johannis Avilæ*, ſanctitate & doctrinâ præſtantis viri, feliciùs *Cordubæ* profeſſus eſt.

Societati Jeſu adjunctus. A. C. 1559. Societati Jeſu adjunctus, vix dici poteſt, quantos in omni genere virtutis proceſsus fecerit, quo Spiritu ea inter ſe copulaverit, quæ maximè diverſa videntur: inſignem nimirum eruditionem, cum admirabili humilitate; ſingularem prudentiam, cum rarâ ſimplicitate; morum eximiam gravitatem, cum ſummâ lenitate; ſtudium orationis, cum operibus charitatis; ſui denique per omnia contemptum, cum præclarâ exiſtimatione, quam de illo omnes habebant, domeſtici, exteri, magni, parvi, docti, indoctique.

Multos annos in Collegio *Cordubenſi* magnâ cum laude *D. Thomam* interpretatus eſt, ad illumque, tanquam ad oraculum, non ſolùm ex univerſâ *Bœticâ*, ſed ex remotioribus etiam Provinciis quæſtiones de moribus, & variarum ac difficilium rerum conſultationes referebantur.

Denique cum ſanctitate & eruditione floreret, ac Rectoris munere fungeretur, immaturâ morte ereptus eſt 21. Dec. A. C. 1576. ætatis 52. magno omnium mœrore & luctu, proſequentibus ejus funus Epiſcopo, Clero, Inquiſitoribus, Religioſis, Nobilitate, & univerſâ *Cordubenſi* civitate. Reliquit multas *Lucubrationes*, quæ lucem non aſpexerunt, ſed in Bibliothecâ *Cordubenſi* aſſervantur. *Rector Cordubæ.*

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

JOHANNES POLANCUS.

Obiit A.C. 1577.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Burgenſis*, humanioribus literis excultus, & Philoſophicis etiam diſciplinis in *Pariſienſi* Academiâ eruditus, *Romam* venit, ubi Scriptor, (ut vocant,) Apoſtolicus factus, in ipſo juventutis flore animum ad Societatem Jeſu appulit A. C. 1542. Deindè *Patavii* S. Theologiæ dedit operam, magno ingenio, gravi judicio, labore aſſiduo. *Societati Jeſu juvenis addictus.*

Poſteà *Romam* â *P. Ignatio* revocatus, omnium per 9. annos conſiliorum, actionum, totius denique gubernationis præcipuus miniſter illius atque adjutor fuit. *Romæ Ignatii Lojolæ adjutor.*

Ignatio verò vitâ defuncto, apud *Jacobum Laynem*, (cujus etiam Aſſiſtens fuit,) & apud *Franciſcum Borgiam*, qui proximè in Generalatu *Ignatio* ſucceſſerant, eundem locum tenuit. In gubernandâ namque Societate *Polanco* plus utebantur nemine.

Ille â ſecretis erat, omnium literis ac conſultationibus reſpondebat, negotiorum rei familiaris curam gerebat, ut unus omnium fermè obire officia, & ſuis humeris univerſam quodammodò Societatem ſuſtinere videretur, exquiſitâ obedientiâ, diligentiâ ſingulari, rarâ patientiâ atque modeſtiâ.

Poſt obitum *P. Franciſci Borgiæ*, factus eſt Vicarius Generalis, & præfuit Congregationi Generali, quâ *P. Everhardus Mercurianus* creatus eſt Præpoſitus Generalis: â quo miſſus in *Siciliam*, ut Provinciam illam viſitaret, ſuo munere egregiè perfunctus *Romam* rediit, ubi haud multò poſt ex morbo decubuit, & optimè de Societate meritus ſexagenario major è vitâ deceſſit A. C. 1577. *Vicarius generalis.* *Moritur.*

Libellos ſcripſit: *Scripta.*

Directorium Confeſſariorum.
Methodum juvandi eos, qui animam agunt, & morti proximi ſunt.
De ſeptem Peccatis mortalibus.
De Humilitate.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

JOHANNES MAJERIUS.

Obiit A.C. 1577.

IN *Geldriâ* natus, Ordinis Carmelitani Monachus literatus & vitæ exemplaris, *Bruxellis* Prior in Monaſterio, & tandem Provincialis factus eſt. *Provincialis Carmelit.*

Con-

Digitized by Google

Theologus. Concionator fuit eximius, & Græcæ Linguæ tanto cum ſtudio deditus, ut in *Græciâ* potiùs quàm *Geldriâ* educatus fuiſſe videretur.

Moritur. Obiit tandem *Thienis* in *Flandriâ* circa A. C. 1577.

Opera edidit:

Scripta. *Commentaria in pleraſque D. Pauli Epiſtolas.*

Sermones de Tempore & Sanctis.

In X. Præcepta Conciones.

Orationes Latinas & Græcas Lovanii recitatas.

* *Ex Theatro Italico Virorum doctorum Hieronymi Ghilini.*

MICHAEL BESLERUS.

Obiit A.C. 1577.

Norimbergæ circa A. C. 1512. natus, in templo Patriæ ad *S. Mariam* Verbi Divini Paſtor fuit: ſub cujus effigie æri inſculptâ hoc legitur Epigramma, vitæ curriculum breviter exhibens:

Euſebiæ, Beslere, potens, teſtante Luthero,
Et Sophiæ: Laurum cui Witeberga dedit. A. 1541. *(Philoſ. Magiſter Witt.)*
Sprottavios cives dapibus cæleſtibus olim A. 1542. *(Paſtor Eccl. Sprottav.)*
Paviſti, expurgans ſtercora fœda Papæ.
Pòſt tua cura fuit Patriæ ſervire vocanti *(Norimbergæ ad S. Mariam.)*
Ad Verbum in Divæ Virginis æde Sacrum. A. 1544.
Te confutantem Chriſto contraria Secta
Extimuit, ſed eras gratus ubique Bonis.
Emeritum inde vocat tandem, fundatque Viennæ *(Fundator Scholæ Viennenſis.)*
Auſpiciisque tuis Conſiliisque Scholam. A. 1576.
Sicque redux, terram, (dum Sexageſima quinta
Editur hæc Meſſis,) linquis, ad aſtra volas.

Moritur. Obiit *Norimbergæ* in Patriâ A. C. 1577. æt. 65.

Filios reliquit *Hieronymum Beslerum* Med. Doctorem & Practicum in Patriâ celebrem, & *Baſilium*, Pharmacopœum ibidem.

CONRADUS WOLFFGANGUS PLACIUS.

Clar. A.C. 1577.

Rapperswilæ, pago *Wirtenbergico*, natus eſt circa A. 1531. parentibus honeſtis;

Tubingæ diſcit. In Academiâ *Tubingenſi* Principis alumnis adſcriptus, tantos in Philoſophicis brevi fecit progreſſus, ut teſtimonium eruditionis publicum cum laude fuerit adeptus.

Theologiæ Doctor. Abindè S. Literarum ſtudium amplexus, & ibidem Theologiæ Doctor creatus, Verbi Divini aliquandiu Præconem egit.

Biberaci docet. A. 1560. *Tubingâ Biberacum* accerſitus, accedente Ducis *Wirtenbergici* conſenſu, fidum ejus Eccleſiæ oppidi Paſtorem egit.

Tantâ felicitate memoriæ polluit, ut auditorum ſuorum nomina ad unum omnia in promptu habuerit.

Floruit ſub annum 1577.

Edidit:

Scripta. *Inquiſitionem Catholicam.*

Apologiam catholicam adverſus Caſp. Francum.

Explicationem cantionis cygneæ: Nunc dimittis &c.

Concionem de tribus virtutibus Magiſtratui neceſſariis, de timore DEI, amore veritatis, & odio avaritiæ.

Tractatum de ſpectris & lemuribus.

Artem moriendi, deque certâ vitæ & mortis horâ.

Reſponſ. ad Pontificior. Objectionem: Lutherani canunt. Nun bitten wir den H. Geiſt um den rechten Glauben: Darum haben ſie den rechten Glauben nicht.

HIERONYMUS OPITIUS.

Obiit A.C. 1577.

Roſbinenſis Miſnicus.

Ad *Salanum* profectus Athenæum *D. Johanni Avenario*, *Jenâ Wittenbergam* evocato, in Profeſſione Theologiæ & Linguæ Hebraicæ ſucceſſit A. C. 1574. 26. Dec. Lectiones auſpicatus. *(Fit Profeſſor Theologiæ & Linguæ Hebrææ Jenæ.)*

Moritur. In eâ ſpartâ placidè vitâ exceſſit 1. Jan. A.C. 1577. Sepultus in Templo *S. Michaëlis* Archangeli.

Filium reliquit cognominem *Wittenbergæ* Magiſterii Inſignibus A. C. 1565. ornatum, & poſteà ad Ephoriam in oppido *Biſchofswerdâ* evectum.

* *Ex Nomenclatore Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc Epigramma honori ejus adjunxit:

In noſtrâ ſacrum tractas, Hieronyme, dogma,
Opiti, Ebraicas literulasque Scholâ.
Exſpiras placidè, noſtro cineresque relinquis
Templo, cognomen quod Michaëlis habet.

HARTMANNUS BEYERUS.

Obiit A.C. 1577.

Francofurti ad Mœnum natus eſt patre *Gulielmo*, Matre *Eliſabethâ* civibus honeſtis 29. Sept. A. 1516.

Præceptores Hartmanni. Puer ſub Præceptoribus *Jacobo Micyllo*, & deindè *Joh. Moſero* literarum rudimenta didicit.

Wittebergæ Philoſoph. Magiſter. A. 1534. *Wittenbergam* profectus, paulò pòſt ibi Magiſterii gradum obtinuit. Deindè privatim diſcipulis varia prælegit.

Eo tempore conſcripſit *Quæſtiones Sphæricas*, quæ poſteà in multis *Germaniæ* Academiis propoſitæ fuerunt juventuti.

Uxorem primam ducit. M. Jan. A. 1542. Ibidem Uxorem duxit *Barbaram.*

A. 1545. In patriam reverſus, à Magiſtratu ad Evangelii Miniſterium vocatus eſt. *Wittenbergam* ſtatim ad *Lutherum* reverſus, eo, ut vocationem ſuſciperet, hortatore.

Miniſter Eccleſiæ in patriâ. A. 1546. In patriâ Miniſterium aggreſſus eſt, quod fideliter & cum laude ad finem vitæ ſuæ geſſit.

Loco movetur. A. 1548. Ob librum *Interim* loco ſuo motus.

Digitized by Google

Iterum in patriâ docet.

A. 1553. Cum dignitate & commodo in integrum reſtitutus eſt: poſtquam die præcedente *Barbaram* amiſiſſet.

Secunda & tertia Conjux.

Alteram itaque duxit *Agatham*, quâ & ipſâ cum geminâ prole morte ſublatâ, 22. Apr. A. 1562. tertiam ſibi matrimonio junxit *Catharinam* filiam *Sebaſtiani Ligarii, Moguntini*, fratris olim in eodem Monaſterio cum *Luthero*, deindè Reipublicæ Francofurtenſis Eccleſiaſtis, cui mortuo *Hartmannus* fuit ſurrogatus.

Ex hac inter alios liberos procreavit *Johannem Hartmannum Beyerum* Med. Doctorem, Chymicum libris editis clarum.

Moritur.

Obiit in Patriâ 11. Auguſti A. 1577. ætatis 61. miniſterii 31.

Libros, præter *libellum Sphæricum*, ſcripſit:

Scripta.

In omnes libros Sacros Bibliorum Commentaria.

Johannis Brentii Catecheſin in Germ. ling. verſ.

De Miſſâ contra Sidonium Epiſcopum.

Epitomen Bibliorum Germ.

Bibliſche Hiſtorien.

* *Ex Melch. Adami Vitis Germ. Theol.*

JOHANNES MAHUSIUS.

Obiit A.C. 1577.

Theologus Lovan. Epiſcopatum Daventrienſem recuſavit.

FLander *Aldenardenſis*, Ord. *Minorum*, *Lovanii* S. Literarum in Conventu Lector, primus Epiſcopus *Daventrienſis* denominatus fuit, propter ſingularem eruditionem, & concionandi facundiam: ſed ſenectute oppreſſus, onus tantum & honorem fugiens ad ruſculum ſe recepit, meditandæ mortis causâ.

Miſerè tractatus.

Aldenardo â *Geuſiis* occupato, ductore *Blommardo*, inclementer vulneratus, pedibus conculcatus, pluribusque aliis injuriis & opprobriis affectus inſtar putridi & abjecti cadaveris in plateis relictus eſt, teſte *Emanuele Meterano in Comment. Belgicis*, 4. Oct. A. C. 1572. In Patriâ tandem obiit 10. Maji A. C. 1577.

Moritur.

In Compendium contraxit:

Scripta.

Franciſci Titelmanni Comment. in Pſalmos.

Annotationes Eraſmi Roterod. in novum Teſtamentum.

Commentarior. Volumen in Epiſtolas Pauli.

D. Johannis Chryſoſtomi in Evangelium ſecundùm Matthæum Commentarios ab Arrianorum fece purgatos in lucem emiſit.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

NICOLAUS ESCHIUS.

Obiit A.C. 1578.

NObilis *Brabantus, Ooſterwycanus*, in viciniâ *Buſcoducenſis* Urbis habitans, ab uxoris morte Sacros Ordines ſuſcepit, & Paſtor fuit Beginarum *Dieſtemii*, Vir eruditione & pietate conſpicuus, omnibus charus & gratus.

Sacerdos.

Moritur.

Vitâ exceſſit *Dieſtemii* A. C. 1578.

Arnoldus Johannes Dieſtenſis vitam ejus conſcripſit.

Edidit:

Scripta.

Aurea Exercitia, quæ compendio hominem in Deum transformare queant.

Margaritæ Evangelicæ Lib. IV. Latinas reddidit.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

RICHARDUS CHEINEY.

Obiit A.C. 1578.

S. Theologiæ Baccalaureus.

SAnctæ Theologiæ *Baccalaureus* è *Cantabrigienſi* Academiâ, *Luthero* addictior, in Synodo, *Mariâ* Regnum auſpicante, Pontificiis tum Papiſmum reſtaurantibus, magno animo ſe oppoſuerat, quod ipſi perindè ac aliis non fuiſſe exitiali, miror. Conſecratus Aprilis 19. 1562. præfuit huic Eccleſiæ ſimul ac *Briſtolienſi*, (quam rexit Commendatarius per Reginæ diſpenſationem,) annos plus minus 16. & decedens anno 1578. in eâdem cryptâ conditus eſt, quâ *Parkerus, Gloceſtrenſis* Abbas poſtremus, cujus tumulum videmus in ſacello, quod à Septentrionali parte Presbyterii ſitum eſt, è regione ferè cathedræ Epiſcopalis.

Præeſt Eccleſiæ Briſtolienſi.

* *Ex Commentario de Præſulibus Angliæ Franciſci Godwini.*

JOHANNES MONLUCIUS.

Obiit A.C. 1578.

NObili apud *Condomenſes* loco in *Galliâ* natus, cum in literis primâ ætate educatus, ad Religionis & Reipublicæ curam pari ardore amplectendam peracre ingenium, & ſolidam eruditionem, cum eximiâ dicendi ubertate conjunctam attuliſſet, magnus omninò & admirabilis in utroque genere Vir evaſit, adeò ut Epiſcopatum *Valentiæ* promeruerit.

Epiſcopus Valentiæ.

Tunc ſacris Concionibus, nunc *Valentiæ*, nunc in Regis aulâ præclarè habitis, aulicorum animos deliciis & luxu diffluentes, ad ſeveriorem Chriſtianæ vitæ diſciplinam commodiſſimè omnium excitare viſus eſt, atque ob id efficaciùs, quod, præter eas, quibus eminebat, virtutes oratore dignas, ipſa ſibi perſonæ dignitas magnam auctoritatem conciliaret.

Concionator.

Nec in illâ diſputatione apud *Poſſiacum* inſtitutâ, ubi amicè de Religionis rebus tractatum, ullus inter cœteros *Galliæ* Præſules repertus eſt doctior, qui Catholicorum partes defendendas ſuſciperet.

Fuit in Colloquio Poſſiacenſi.

Multas intereà graves Legationes eodem eloquentiæ ſplendore geſſit. Nec enim apud *Europæ* ſolùm Principes quatuor ſummorum *Galliæ* Regum nomine ſubindè Oratorem agere eſt juſſus, ſed ipſum etiam *Turcarum* Imperatorem eo ſucceſſu adivit, ut rebus penè afflictis optatam in Orbe Chriſtiano pacem conſtitueret, ſi minùs ſtabilem, at certè pro temporum conditione maximè utilem.

Legatus Regis Galliarum.

Ad Imperatorem Turcarum.

Quare *Sigiſmundo Poloniæ* Rege vitâ functo, Dux *Andium Henricus, Caroli IX.* Regis frater, adipiſcendi illius Regni cupidus, huic potiſ-

Ad Poloniæ Regem.

potiſſimùm viro & *Lanſaco* juniori, quos ad promerenda *Polonorum* ſuffragia peridoneos eſſe ſentiebat, omnem hujus petitionis curam & ſolicitudinem commiſit.

Reverſus indè, aliquot poſt annos exceſſit è vitâ jam planè ſenex, nec â Republicâ tamen abſtinens, cùm & noviſſimè præclaram ad *Galliæ Narbonenſis* Ordines de pace inter ipſos ex Edicto Regio conſtituendâ peregiſſet Legationem. Vita defunctus eſt

Moritur. A. C. 1578.

Frater ejus Dux militaris. Fratrem habuit *Blaſium Monlucium*, qui propter res in *Galliâ* & *Italiâ* ſtrenuè geſtas Tribuni militum dignitatem promeruit, & ſui temporis hiſtoriam militari facundiâ exaravit, in eâque ſe ipſum ad vivum depinxit. Obiit is in *Agro Aginnenſi* A. C. 1577.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

* * *

Vir fuit doctrinâ & animo præſtans, & concordiæ in Eccleſiâ ſarciendæ perſtudioſus. Hic legatione *Polonicâ* præter omnium ſpem effecit, ut ad Regnum illud, *Sigismundo Auguſto* ſine prole defuncto, conſentientibus Comitiorum ſuffragiis, *Henricus Andium* Dux, aliis competitoribus rejectis, vocaretur.

Sed *Henricus*, qui aulæ *Gallicæ* delicias contra quodvis regnum externum amaret, electione illâ exilium ſibi â malevolis indictum interpretatus, malam gratiam tanti honoris conciliatori rependit, & ſe ſemper deinceps alienum ab eo præbuit.

Monlucius autem productâ ad decrepitam ſenectam vitâ cunctis deſpectus inter muliercularum greges in aulâ defecit A. C. 1579.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi â Stöcken.*

LAURENTIUS SURIUS.

Obiit A. C. 1578.

Lubecæ in *Germaniâ*, urbe *Hanſeaticâ*, natus ex parentibus *Lutheranis*, & puer *Coloniam* miſſus, ut ſtudiis bonarum literarum operam daret, fide Catholicâ imbutus, & ætate creſcens, mundum deſeruit, & Ordini Monaſtico *Carthuſianorum* nomen dedit.

Monachus Carthuſianus.

Tum variis ſcientiis animum oblectans, adhortante Patre *Gerbardo Hamontano*, in transferendis primùm variis Religioſorum Operibus ex Idiomate Germanico in Latinum ſeſe exercuit, ipſe deindè ingenii proprii fœtûs aliquot emiſit, & obiit 23. Maji

Moritur. die A. C. 1578. ætatis 52. Profeſſ. Eccleſiaſticæ 36. *Coloniæ.*

Edidit libros, quos ipſe compoſuit:

Scripta. *Collectanea de probatis Sanctorum Hiſtoriis.*

Commentar. rerum in orbe geſtarum, ac præſertim Caroli V. Imp. ab A. C. 1500. usque ad 1574.

In Linguam Latinam traduxit:

Conciones omnes Johannis Tauleri.

Conciones XV. de Miſſæ Sacrificio, Michaëlis Sidonii, Epiſcopi Merſburgenſis.

De Veritate Corporis & Sanguinis Chriſti in Sacramento, Johannis Gropperi.

Florentii Batavii Inſtitutionum Vitæ Chriſtianæ Lib. V.

De Hiſtoriâ contra Johannem Sleidanum.

Sermonem Martini Eiſengreinii, cur tam multi ad Lutheraniſmum hodiè deficiant?

Henrici Suſonis Opuſcula omnia.

Opera Johannis Ruisbrochii.

Compendium veræ Salutis.

Homilias Priſcorum Eccleſiæ Patrum in totius anni Evangelia.

Friderici Staphyli Apologiam 1. De vero Germanorum S. Scripturæ intellectu.

2. De Sacrorum Bibliorum in idioma vulgare translatione.

3. De Lutheranorum Concionatorum inter ſe diſſenſione.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

* * *

Laurentius Surius Lubecenſis Carthuſianus D. Luthero fuit infenſiſſimus, cujus hoſtilis animus in maledicentiam & convicia paſſim erumpit. Edidit *Commentar. quo res in Orbe ab A. C. 1517. geſtas* exponit. Scripſit etiam *Collectanea de probatis Sanctorum hiſtoriis*; itemque *Conciliorum* ſeu *Synodorum omnium*, cum *Generalium* tum *Provincialium Acta in unum opus coëgit*, & *in 4. Tomos* diſtinxit. Hæc fuit *ſecunda Conciliorum editio*, quam 30. ferè annis præceſſit *Crabbiana*, quæ Petrum *Crabben* Collectorem habuit, & A. C. 1538. lucem vidit, *Carolo V.* Imperatori inſcripta. Secuta verò *Surianam* primò eſt *Veneta* A. 1585. Huic ſucceſſit An. 1606. altera prioribus haud parùm locupletior, Scholiis quoque & annotationibus illuſtrata, autore *Severino Binio Coloniæ*, quam & ipſe poſt biennium ampliorem reddidit, & edidit, ita ut retineret diſtinctionem *Surianam in IV. Tomos*, ſed ſingulos ſubdivideret in duas partes. Hæc poſtrema *Biniana* editio A. 1636. iterata eſt *Pariſiis* â *Carolo Morello* Typographo Regio, & in 10. Tomos diviſa.

Acta Conciliorum edidit.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

PETRUS MONTANUS.

Obiit A. C. 1578.

Arnvetanus, quod eſt celebre municipium *Gallo-Brabantiæ*, juxta Comitatum *Namurcenſem*, *Ord. Minorum* Guardianus *Antverpienſis* & *Lovanienſis*.

Monachus Ord. Minorum.

Philoſophus fuit eximius, & Theologiæ Licentiatus, de quo celebratur, cum Academiæ *Lovan.* Rectorem ageret, pallio honorario indutum, eâ pompâ, quâ ſolent illius Præfecturæ Viri ad ſolemnes Conventûs deduci, præeuntibus de more Signiferis, ſive, (ut vocant,) Bedellis, *Franciſcanam* ædem petiiſſe, atque in ipſius limine Sigillum dignitatis inſigne uni illorum ad primores Academiæ referendum commiſiſſe, illos-

Rector Acad. Lovan.

Quem Pietas, Muſeq; dolent, bis vivere terris
Amplius in longos non potuiſſe dies.
Cui laudem, & gratam meruit Sapientia famam
Conſilii bonitas, judiciiq; nitor.
Nam ſtudiis florens, tredecim Witeberga per annos
Tradentem audivit cœlica verba Dei.
Conſiliis ejus lætata eſt Miſnica tellus;
Judicii Aſſeſſor dum fuit ille ſacri.
Ergò ſuis veluti meritis clariſſimus unus;
Sic etiam multo dignus honore fuit.
Nunc tandem poſt luſtra novem, tribus inſuper annis
Adjectis, mortem non moriturus abit.
Ille ſolutus enim fragilis de carcere vitæ
Ceſſit ad ætherei lucida tecta poli.
Hic Chriſti in gremio, moriens quem in vota vocavit,
Quem docuit, vitam cœpit habere novam.
Hic totus fulget cœlo velut Heſperus alto
Lætus in aſpectu colloquioq; Dei.
Prœmia tanta ferunt, Chriſti qui dogmata tradunt,
Tantus honos doctos, gloria tanta manet.

Scripta ab ipſo ſunt:

Commonefactio de verbis Symboli: Credo remiſſionem peccatorum.

Harmonia 4. Evangeliſtarum German.

* *Ex Vitis Theol. Germ. Melchioris Adami.*

Obiit A.C. 1580.

FRANCISCUS FORERIUS.

Theologiæ Profeſſor Conimbric.

Literarum peritiâ ac linguarum inclaruit in Academiâ *Conimbricenſi* apud *Luſitanos*, ubi Gymnaſium Regis *Johannis III.* beneficentiâ excitatum *Galli* aliquot Doctores, & in his *Nicolaus Gruchius*, ductu *Andreæ Goveani*, diſciplinis illuſtrârunt.

Monachus Dominicanus. Secretarius in Concilio Tridentino.

Familiæ adſcriptus *Prædicatorum*, Concilio *Tridenti* tum indicto non interfuit modò, ſed & â Secretis electus, Patrum juſſu, *Liturgica Canonicarum horarum Breviaria*, â *Pio V.* poſt approbata, *Damnatæ lectionis auctorum catalogum*, denique *Catechismum* concinnavit, unà cum ejuſdem Ordinis Epiſcopo *Leonardo Marino Laucianenſi*, & *Ægidio Fuſcario Mutinenſi*.

Moritur. Vitâ deceſſit A. C. 1580.

Scripſit prætereâ:

Scripta. *Erudita in Eſaiam ad Hebraicam veritatem Commentaria.*

In 12. Prophetas minores.
In Job.
In Pſalmos Davidis.
In Proverbia Salomonis.
In Eccleſiaſten.
In Cantica Canticorum.
In Sapientiam.
In Eccleſiaſticum.
In Jeremiam.
In Ezechielem, & Danielem.

* *Ex Bibliotheca Hiſpaniæ variorum Auctorum.*

* * * *

Olyſſiponenſis Luſitanus, Dominicanorum Ordinem profeſſus, magnæ eruditionis Theologus, & non ſolùm Scriptis editis, ſed Synodi *Tridentinæ*, cujus pars magna fuit, actione clarus, dum â *Caſtellenſium* partibus alienus, ex ſuperiori loco, tanquam ex ſpeculâ in Cœnobio colli ſuperſtrato, commiſſas inter *Antonium Regem Portugalliæ*, & *Ferdinandum Albanum, Philippi II. Hiſpaniæ Regis*, (qui ſibi jus in illud Regnum mortuo *Henrico* vendicabat) Ducem, acies ſpectat, & ſuos partim cæſos, partim in fugam verſos videt, tam vehementi ſeu pavore, ſeu mœrore correptus eſt, ut ſellâ, in quâ ſedebat, præ indignatione everſâ, retrò averſus ſupino corpore corruerit, & defixis in Cœlum oculis obrigeſcens, nullâ voce emiſsâ, ſubitò exſpiraverit, haud multùm ſexagenario major A. C. 1580. *Thuan. lib. 70.* *Pavore ſellà prolapſus exſpiravit.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi â Stöcken*

ANTONIUS MARIA PARENTUCELLUS.

Clar. A. C. 1580.

Natione *Italus*, patriâ *Sarzanenſis*, adoleſcens Chriſtum in Societate Jeſu ſecutus eſt: & poſtquàm bonarum Artium cognitione pectus explevit, ter Curriculum Philoſophicum docendo confecit, magnâ nominis celebritate. *Societ. Jeſu addictus. Philoſophiæ Profeſſor.*

Mortuus eſt *Romæ* anno ætatis ſupra 40. *Moritur.*

Reliquit:

Commentaria in Ariſtotelem, quæ ab eruditis valdè probantur. *Scripta.*

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu P. Petri Ribadeneiræ.*

FRANCISCUS REMONDUS.

Clar. A. C. 1580.

Natione *Gallus*, patriâ *Divionenſis*, parentem habuit Juriſconſultum & Senatorem Regium *Burdigalæ*, qui ſermone populari de *Antichriſto*, deque *fabulâ Papiſſæ Johannæ*, ac denique de *hæreſibus* noſtri ſæculi doctè ſcripſit. *Filius I. C.*

In *Italia* ſtudiis claruit, Societatique Jeſu aggregatus, Philoſophiam *Romæ*, Sacras verò literas *Patavii* profeſſus eſt, & Patris generalis Societatis Jeſu auctoritate curriculum Philoſophicum literis conſignandum ſuſcepit. *Soc. Jeſu aggregatur. Philoſophiæ Profeſſor.*

Scripſit:

Scripta. *Epigrammata venuſta.*
Orationes ſacras.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

HIERONYMUS TORRES.

Clar. A. C. 1580.

Natione *Hiſpanus*, patriâ *Catalaunus*, ex oppido *Momblanc*, ætatem vix primam egreſſus, Jeſu ſe obtulit Societati, moxque *Romam* miſſus eſt A. C. 1553. *Romæ* *Societ. Jeſu deditus.*

tantâ fuit ingenii vi, ut Ludimagiſter Latinè loquentem admiraretur.

Studioſ. Salmant. Anno ætatis 13. *Salmanticam* miſſus, egregiam ibi operam tum Græcis tum Latinis literis navavit. Mox Juri Civili, Parentis juſſu, ſic ſtuduit, ut optimos quoſque auctores è manibus nunquam dimitteret.

In *S. Stephani Dominicanorum* æde Sacrâ rei divinæ dum intereſſet, ſolenni aſſumptæ *Vovit perpetuam caſtitatem.* Virginis feſto, perpetuam corporis & animi caſtimoniam vovit, ſervavitque.

Lutetiam indè *Pariſiorum* ſe contulit 19. ætatis annum agens, ubi *Ariſtotelis* Dialecticam, & naturalem Philoſophiam ſummâ *Philoſ. Stud. Lutetiæ.* cum ingenii laude didicit. Hîc *Petri Fabri*, unius ex decem *B. Ignatii Lojolæ* primis ſociis familiaritate eſt uſus, adeoque dilexit, ut cum *Johannes III.* Rex *Luſitaniæ* de Societate recens natâ percunctaretur, multis eam laudibus ornârit, ac pro virili perſuaſerit, ut aliquot ex his in *Portugalliam* evocaret.

Et Bononiæ. *Bononiam* deindè ſe contulit, ubi ſacras literas & Hebræam linguam avidè arripuit. *Platonem* ſcientiæ, *M. Tullium* Latini ſermonis gratiâ, utrumque ob eloquentiam aſſiduè lectitabat.

Theologiæ Profeſſor Conimbric. *Bononiâ* in *Luſitaniam* reverſus, quia *Johanni* Regi id gratum erat, *Conimbricam* ſe contulit, ibi *Eſaiam* & *Pauli* Epiſtolam ad *Romanos* ſcriptam ſingulari cum laude explicuit.

Cum verò in Sermonis Latini elegantiâ excelleret, totis viribus in eo ſibi laborandum ſtatuit, ut damnum illud, quod ex *Ciceronis* de *Gloriâ*, de *Republicâ*, & de *Conſolatione* libris jam pridem temporum incuriâ amiſſis fuerat acceptum, reſarciret.

Quamobrem de *Gloriâ Conimbricæ*, multos verò poſt annos de *Regis Inſtitutione Libros* ſcripſit. De *Conſolatione* autem nihil poſſe â ſe vel ampliùs vel ſubtiliùs excogitari, quàm eſſet ſacer ille *Liber Hiob* exiſtimans, eum eleganti Paraphraſi explicavit.

Tavaræ Sacerdos. *Tavaræ* Eccleſiam *Ludovici* Principis beneficio ſacris initiatus regebat. Rogatus ab amicis, aulam cur fugeret, ubi plerique emergendo rem facerent? *Viles*, inquit, *merces habeo, quas in aulam mecum deducam: Veritatem* & *Fidem* innuebat, quæ ab Aulis ut inviſæ exularent, *Fraudem* contrà & *Adulationem* infinitis partibus præponi.

Integritatis ejus ſumma fuit etiam apud *Catharinam Luſitaniæ* Reginam Imperatoris *Caroli V.* Sororem opinio. Hinc ab *Henrico* *Archidiaconus Eborenſis.* Cardinali Archidiaconus *Eborenſis* creatus, Eccleſiam *Tavarenſem* alteri tradidit, ut â cupiditatis ſuſpicione in Sacerdotiis cumulandis longè ante Concilium *Tridentinum* fuerit alienior.

Epiſcopus Silvenſis. Paulò pòſt Epiſcopus *Silvenſis* creatus, rem divinam piè faciebat, doctos juxta ac probos domi alebat, in his *Antonium Lupium*, & *Edoardum Simonem*.

Scriptorum S. Bernhardi lectione delectatur. In menſâ Scriptorum *S. Bernhardi* lectione maximè delectabatur, quâ finitâ, omnibus licebat, ſi quod dubium occurrebat, proponere.

Decumas, quæ, more Chriſtiano, ei reddebantur, ita inter pauperes, viduas, pupillos, & ſuos dividebat, ut peracto anno illæ quoq; conſumerentur. Argenteos nummos ſecum deferebat, ne ſibi petenti egeno quod tribueret, deeſſet.

Judicia ita exercuit, ut æqualitatem erga omnes ſtudioſè ſervaret, quam ut faciliùs retineret, illud diligenter curavit, ut omnibus ad ſe aditus pateret, adeò ut, dum cibum caperet, pauperes & humiles homines ſatis benignè audiret.

Diœceſin ſuam tertio quoque anno peragrabat, & probis Sacerdotibus per vices luſtrare mandabat. Multos hic inſolentioris vitæ ad meliorem frugem monendo revocavit.

Sebaſtianum interim anno ætatis 14. Regni gubernaculis admotum & ad imperandum immaturum non rarò officii admonuit. *Regis Sebaſtiani minorennis curam geſſit.*

Cum is *Tingin* in *Africam* trajiceret, literis eum, ut in patriam redeat, vehementer eſt cohortatus. Cum nihil admonendo proficeret, & â paucorum hominum imperio Rex penderet, *Romam* profectus eſt, ut *Romam adivit.* voti reus limina Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* veneraretur.

Revocatus mox â Rege in patriam, feſtinandum ratus, quod annum jam â diœceſi abſuiſſet, & fama per urbem percrebuerat *S. P. Gregorio XIII.* eſſe in animo, eum in Collegium Cardinalium adſcribere.

Mox in *Portugalliam* opinione citiùs delatus cum eſſet, ſecuta eſt calamitas, cæſo ad internecionem cum Rege exercitu *Luſitanorum*, qui Regis acerbiſſimus caſus tanto *Oſorium* doloris ſenſu affecit, ut ejus valetudinem debilitârit.

In *Algarbiam* ſtatim abiit, miſeram patriæ vicem dolens, & nihil duxit antiquiùs, quàm *Algarbienſium* animos ab omni ſeditionis ſtudio abducere, dum alii ad libertatem armaque capeſſenda incenduntur.

Tumultuante hinc poſt obitum Regis *Henrici*, & arma plebe induente, ut Regem *Philippum*, ſi poſſent, arcerent, in toto tamen *Algarbio*, *Oſorii* operâ, nullus inventus ſacris initiatus, qui, ut alibi, ſeditionis nomine ſit accuſatus.

Tavaram deindè ad ſeditionem ſedandam dum properat, ulcus parvum in crure cum dolore gravi intumuit. In lectum igitur aſcendit in *Franciſcanorum* Cœnobio, ubi ſomno oppreſſus nullis vocibus potuit excitari. Febris ſubſecuta illum in 20. dies conſumpſit.

Cum deſperatâ jam valetudine familiaris quidam nuntiaret: *Scito, Præſul, te mori! Valdè mihi placet*, reſpondit, *Deoque perpetuò ſit laus & gloria.* *Ultima ejus verba.* Sic animam efflavit 20. Aug. A. C. 1580. ætatis 74. *Moritur.*

Operum ejus hæc eſt ſeries: *Scripta.*

De Nobilitate Civili Lib. II.

De Nobilitate Chriſtianâ Lib. III.

De Juſtitiâ Lib. X.
De Sapientiâ Lib. V.
Paraphraſis in Job Lib. III.
in Pſalmos.
In Epiſt. Pauli ad Romanos Lib. IV.
De Gloriâ Lib. V.
De Regis inſtitutione & diſciplinâ Lib. VIII.
De rebus geſtis Emanuelis Regis Luſitaniæ Lib. XII.
Defenſio ſui nominis.
Epiſtola ad Eliſabetham Reginam Angliæ.
In Gualtherum Haddonum Lib. III.
Epiſtolæ.

* *Ex vitâ ab Hieronymo Oſorio Canonico Eborenſi, fratris ejus filio, conſcriptâ.*

NICOLAUS RHODINGUS.

Obiit A.C. 1580.

Dreiſæ, Haſſiæ oppido, natus eſt A. 1519.

A. 1530. E ludo patrio *Marpurgum* traductus, ſub *Caſparo Rudolpho* Logicam didicit.

Ludo literario præficitur. A. 1537. In patriam revocatus, ludo erudiendo fuit præfectus.

Marpurgi Magiſter. A. 1538. *Marpurgum* reverſus, ſtudia urſit, & Magiſterii gradum adeptus eſt, promotore *Eobano Heſſo.*

Deindè Scholæ *Civicæ*, quam à Cœmiterio appellant, præfectus, eidem ad A. 1541. præfuit, ſimulque in Academiâ docentes audivit.

Lovanium & Dolam, indè Lutetiam venit. Adjunctis deindè ſibi Comitibus tribus juvenibus *Lovanium* profectus eſt, indè *Dolam Burgundiæ*, ubi in pædagogio Dialecticam & Grammaticam Græcam docuit. Poſt menſes duos verò *Lutetiam*, comite *Schimmelpfenningo*, adiit.

A. 1543. In patriam reverſus, à *Philippo* Landgravio, *Johanni Buchio* adjunctus, in erudiendis filiis Principibus annos aliquot præclaram navavit operam.

Nuptias celebrat. Profeſſor Rhetorices. A. 1549. Nuptias *Caſſelis* celebravit. Hincq; *Marpurgum* ad Profeſſionem Rhethorices vocatus, quinquennium eo munere functus eſt.

M. Oct. A. 1554. *Melſungam*, inferioris *Haſſiæ* oppidum, ad Miniſterium Eccleſiaſticum obeundum profectus, & A. 1555. *Marpurgum* reverſus, *Johanni Rhodophantæ*, Eccleſiæ paſtori, ſucceſſit. *Marpurgi docet.*

Deindè Inſpector Diſputationum Theologicarum factus eſt.

Theologiæ Doctor. A. 1576. *Henrico Victore*, Theologiæ Doctore & Profeſſore, vitâ defuncto, ei ſuffectus eſt, & Theologiæ Doctor creatus.

Moritur. Placidè tandem exſpiravit *Marpurgi* 23. Sept. A. 1580. ætatis 61. Miniſterii 25.

Lecto, in quo obdormivit, dudùm hunc verſum inſcripſerat:

Ut Somnus Mortis, ſic Lectus imago Sepulchri.

Ex unâ Conjuge XV. liberos ſuſcepit, quorum XIII. ſuperſtites reliquit, IX. filios & IV. filias.

Scripſit & edidit:

Scripta. *Exhortationem ad Germaniam, & Precationes aliquot carmine Elegiaco conſcriptas.*
Exhortationem ad Germaniam ut bellum extinguant:
Epithalamia, Epicedia, Gratulatoria, monitoria plurima.

* *Ex Melch. Adami Vitis Theol. German.*

EMANUEL TREMELLIUS.

Obiit A.C. 1580.

Gente *Judæus.*

Natione *Italus Ferrarienſis*, cum *Lucam, Italiæ* urbem, cum *Petro Martyre* & aliis Evangelicis conceſſiſſet, Linguam ibi Hebræam aliquandiu docuit. *Lucæ linguam Hebræam docet.*

Deindè cum *Martyre Argentoratum* veniens, domicilium ibi fixit. Exindè in *Angliam* venit, ubi tempore *Edoardi VI.* & poſteà in Academiâ *Heidelbergenſi* ſub Electore *Friderico III.* Linguam Sanctam, cum prius *Hornbaci* ſub *Wolffgango* Duce *Bipontino* in Scholâ aliquandiu docuiſſet, publicè interpretatus eſt. *Argentoratum venit. Heidelbergæ docet. Et in Anglia.*

Heidelbergæ verò cum eſſet, Syriacam Novi Teſtamenti interpretationem Latinitate donavit, & poſteà novam veteris fœderis ad Hebraicæ veritatis fontes examinatam translationem molitus eſt, ſocio tanti laboris *Franciſco Junio*: Poſtremò *Heidelbergâ Diviodurum* (ubi olim ex *Italiâ* veniens, uxorem duxerat) veniens, indè *Sedanum*, Principum *Bullionii* ſedem, evocatus, & in novâ Academiâ Linguam Hebræam profeſſus eſt. *Sedani obiit.*

Obiit tandem *Sedani* in *Galliâ* A. 1580. 9. Octob. Septuagenario proximus.

Scripſit & edidit:

Scripta. *Grammaticam Chaldæam & Syriacam.*
Biblia ſacra ſcholiis illuſtrata.
Novum Teſtamentum Græcè & Syriacè.
Martini Buceri prælectiones in Epiſtol. ad Epheſios.

* *Ex Melch. Adami Vitis Theol. exter.*

JOHANNES COVILLONIUS.

Obiit A.C. 1581.

Patria *Inſulenſis*, vir ſincerus, pius, & eruditus, qui A.C. 1543. *Lovanii* ſe Societatis Jeſu Clericis adjunxit, & in *Luſitaniam* profectus, in Collegio *Conimbricenſi* ac *Romano*, & *Ingolſtadii* in *Germaniâ* Philoſophicas ac Theologicas diſciplinas profeſſus eſt. Senex tandem *Romæ* piè defunctus eſt A.C. 1581. *Societatis Jeſu Clericus.*

Academia *Ingolſtadienſis* hoc Elogio eum ornavit.

Ejus Elogium. JOHANNES COVILLONIUS SOCIETATIS JESU, SS. THEOL. DOCTOR, NATUS INSULIS, NOBILI FLANDRIÆ CIVITATE, ET MAXIMOR. INGENIORUM MATRE. UNUS EX PRIMIS SOC. PATRIBUS FUIT, QUI CHRISTO INGOLSTADII SERVIERUNT. MULTA ILLI LAUS

EX

EX DILIGENTIA, ET DOCTRINA, EX CANDORE DICTI ET FACTI. MAJOR, QUOD QUI ALIIS FUIT MAXIMUS ET PRIMUS, ULTIMUS SIBI SEMPER VIDEBATUR ET MINIMUS. VIR IN SUMMA SIMPLICITATE SUMME PRUDENS. NIHIL IN VITA QUÆREBAT MAGIS, QUAM QUIETEM SOLITUDINIS, PACEM A TURBIS MUNDI. EMISSUS TAMEN A SUIS, ET QUASI DEI MANU IN DIVERSAS MESSES GALLIÆ, ITALIÆ, LUSITANIÆ, FLANDRIÆ CUM FRUCTU MAGNO PLURIMORUM: NEC MINORI CUM DIGNITATE AC LAUDE IN CONCILIO TRIDENTINO FUIT SERENISS. DUCIS BAVARIÆ LEGATUS. TANDEM SENEX MORITUR ROMÆ, CUM E POENITENTIARIIS, QUI AD D. PETRI OBEUNT SUMMI PONTIFICIS VICARIAM OPERAM, UNUS CENSERETUR. TAM SCITE CONSCIENTIAS HOMINUM TRACTARE NOVERAT, UT MAXIMUS PECCATOR DIXERIT, MALLE SE LANCINARI A COVILLONIO, QUAM SANARI AB ALIO.

Legatus in Concilio Tridentino. Pœnitentiarius Romæ.

Edidit:

Scripta.

Concluſiones è priori Pauli ad Corinthios deductas.

Aſſertiones in eandem Epiſtolam, quam Romæ interpretatus eſt.

Quæſtiones in Pſalmos manuſcriptas.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

HENRICUS VIETOR.

Obiit A.C. 1581.

E Patriâ *Fridbergenſi* evocatus, & *M. Caſparo Rudolphi*, Logices Profeſſori & Ephoro ſuffectus *Marpurgi*, ſub Decembris finem, undecimo Januarii an. 1561. more inſtitutisq; Academiæ Logicæ ipſius laudem proſecutus eſt, Decaniq́ue munus vel ſecundâ vice annô 1564. ſuſtinuit.

Logicæ Profeſſor. Decani munus ſecundâ vice ſuſtinuit.

Poſtmodùm ſuſceptis ſummis Theologiæ honoribus â Logicis concertationibus mentis exercitationem ad vim omnem ſacrarum literarum traducendam putavit, eamq́ue etiam ob cauſam Profeſſor ſimùl & Eccleſiaſtes conſtitutus, inter Theologos locum meruit, donec anno 1581. ipſo trium Regum feſto peſte extinctus conceſſit fatis, cum intereà temporis vel tertiâ vice in Academico Magiſtratu ſummum & dignitatis & gratiæ gradum meruiſſet.

Doctor Theologiæ creatus. Theologiæ Profeſſor & Eccleſiaſtes. Moritur.

Munus docendi in Eccleſiâ & Academiâ ceſſit Hunnio.

* *Ex MSS. Marpurgenſibus.*

CHRISTIANUS HALVERIUS.

Obiit A.C. 1581.

N Atione *Germanus*, Patriâ *Halverenſis*, *Romæ* Societatem Jeſu complexus eſt A.C. 1558. in quâ religioſè vixit, & piè mortuus eſt *Fuldæ* 10. Januar. A. C. 1581.

Societati Jeſu deditus.

Scripſit:

Scripta.

Diſputationes de fide Theologicâ, ejusque origine, & certiſſimâ formâ.

De unius Eccleſiæ Sanctæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ origine, & nunquam interrupto progreſſu.

De Domini noſtri Jeſu Chriſti Morte, Sepulturâ, Reſurrectione.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

BARTHOLOMÆUS MEDINA.

Obiit A.C. 1581.

M Onachus *Dominicanus*, *Medinæ*, Regni *Legionis* urbe in *Hiſpaniâ*, natus, ſacrum veſtitum induit *Salmanticæ Hiſpaniæ Tarraconenſis* Academiâ celebri urbe, in Cœnobio *S. Stephani*. Patriæ ſuæ nomine pro cognomine uſus, & Scholaſticæ Theologiæ peritus *Salmanticæ* in Univerſitate Theologiam primâ cathedrâ profesſus *S. Thomam* declaravit. Ibidem Prior in Conventu ſuo vitâ exceſſit 1. Febr. A. C. 1581.

Theologiæ Scholaſticæ Profeſſor Salamancæ. Moritur.

Edidit:

Scripta.

Expoſitionem Operum D. Thomæ Aquinatis.

Comment. in primam Secundæ, & Tertiam partem Theologiæ Scholaſticæ D. Thomæ Aquinatis.

Compendium Caſuum Conſcientiæ, in Linguâ Hiſpanicâ, in diverſas alias Linguas tranſlatum.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

* * *

Medinæ, quod â *ſicco rivo* cognominatur oppido natus, omnibus diſciplinis imbutus, in Theologiâ Scholaſticâ ac doctrinâ *S. Thomæ* primas tunc tenebat.

In Academiâ *Salmanticæ* primùm *Durandi*, pòſt *S. Thomæ* primarius eſt Profeſſor declaratus.

Tametſi verò firmis eſſet lateribus, validoq́ue corpore, aſſiduis tamen laboribus vigiliisq́ue fractus ſuccubuit, & deceſſit *Salmanticæ* ad *S. Stephanum*, (ubi Ordini *Prædicatorum* primus adſcriptus fuit,) ad Cal. Feb. A. C. 1581.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum auctorum Francofurti editâ.*

HIERONYMUS NATALIS.

Obiit A.C. 1581.

N Atione *Hiſpanus*, patriâ *Balearis*, ſive *Majoricâ Inſulâ* natus. Vir fuit omni diſciplinarum genere excultus, Latinæ, Græcæ, & Hebrææ Linguæ peritus: qui dum ad *Concilium Tridentinum* proficiſceretur, ætate jam provectâ A. C. 1546. *Romæ* ſe Societati Jeſu adjunxit.

Soc. Jeſu adjunctus.

Hujus operâ multum *Polgnatius*, & ſequentes Præpoſiti Generales in propagandâ & gubernandâ Societate uſi ſunt.

Erat enim Vir peracri judicio, perfectâ obedientiâ, rarâ prudentiâ, & ad res conficiendas vigilantiâ, diligentiâ, & efficacitate ſingulari: quam ob rem Provincialis, Aſſiſtentis, Commiſſarii, Vicarii Generalis officiis præclarè functus eſt: & demùm *Romæ* in Novitiorum domum *S. Andreæ* ſe contulit, ubi ſenectute confectus, pueris & adoleſcentibus Societatis ſuæ tyronibus magno exemplo & incitamento ad omnem virtutem fuit, & plenus dierum in glorioſo Domini noſtri die reſurrectionis vitam cum morte commutavit A.C. 1581. æt. 76.

Provincialis. Vicarius Generalis. Romæ Novitiorum Præceptor. Moritur.

Scripſit

Scripta.

Annotationes & Meditationes in Evangelia, quæ in S. Miſſæ officio per totum annum leguntur, quas Imaginibus, in æs artificioſè *Antverpiæ* inſculptis, rem totam præſentantibus, exornavit.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1581.

JOHANNES MARBACHIUS.

Lindaviæ natus eſt 24. April. A. 1521. Rudimenta literarum prima percepit ſub Præceptore *Caſparo Heldelino*.

Literis operam dat Argentorati. A. 1536. verò *Argentoratum* miſſus, triennium in Linguarum & Artium humaniorum ſtudiis poſuit, Præceptore uſus *Bedrotto*. Exindè

Magiſter Philoſophiæ Witteb. A. 1539. *Wittebergam* ſe contulit, ubi A. 1541. Magiſter creatus eſt.

Diaconus Jenenſis. A. 1542. *Jenam* vocatus, annum unum Diaconum Eccleſiæ egit. Mox verò

Theologiæ Doctor. A. 1543. 20. Febr. Decano *Luthero*, *Wittenbergæ* Theologiæ Doctor renuntiatus eſt.

Paulo Fagio ſuccedit. *Iſnam* deindè veniens, *Paulo Fagio* in Eccleſiaſtico munere ſucceſſor datus eſt.

Argentorati docet. A. 1545. *Argentoratum* evocatus, ibi Eccleſiæ ad *D. Nicolaum* præfectus eſt.

Ad Concilium Tridentinum mittitur. A. 1551. A Senatu *Argentoratenſi* cum *Johanne Sleidano Tridentum* ad Synodum miſſus, ut fidei Urbis ſuæ rationem redderet; Verùm Synodo hac diſturbatâ

Profeſſor Sacrarum Literarum. A. 1552. Menſ. Oct. domum reverſus, *Caſp. Hedioni* Eccleſiæ Miniſtro primario paulò antè defuncto ſubrogatus, Profeſſorque S. Literarum deſignatus eſt.

Eccleſias in Palatinatu reformat. A. 1556. Ab *Ottone Henrico*, Electore *Palatino*, *Heidelbergam* accerſitus, tum ibi, tum in toto *Palatinatu* Eccleſias reformavit, & re benè confectâ *Argentoratum* rediit.

A. 1557. Ad Conventum *Wormatiæ*, Religionis cauſâ inſtitutum, miſſus eſt.

Demùm Decanus Collegii *Thomani*, & Academiæ Ephorus perpetuus deſignatus, cum annos 36. munere ſuo fideliter functus eſſet, miſeram hanc vitam cum æternâ commutavit, 17. Martii A. 1581. ætatis 60. *Moritur.*

Scripſit

Scripta.

De Miraculis veris & falſis dijudicandis ex verbo Dei.

Tractationem interioris & exterioris hominis ex verbo Dei, Germanicè.

De Cœna Domini Volumina II.

Concionem de Officio Epiſcopi.

* *Ex Melchioris Adami Vit. Theol. Germ.*

JOHANNES GIGAS.

Obiit A.C. 1581.

Northuſæ, *Thuringiæ* oppido, natus eſt 22. Febr. A. 1514.

A puero primùm in Patriâ, deindè *Wittenbergæ* literis excultus, artes humaniores & linguas docuit in *Valle Joachimicâ*, *Marieburgi*, & in Scholâ *Portenſi*. *Docet in valle Joachimicâ.*

Exindè in *Sileſiam* evocatus, *Freiſtadii* annos 27. Sacra è ſuggeſtu docuit. *Et Freiſtadii.*

Poſteà, ætate ad ſenium inclinante, *Suidnitium Sileſiæ* opp. venit, ubi reliquum vitæ in Templo Sacra docendo tranſegit. *Et Suidnitii.*

Deceſſit *Suidnitii* 12. Julii. A. 1581. æt. 67. Epitaphioque honoratus eſt hujusmodi. *Moritur.*

Epitaphium.

Tumulus Johannis Gigantis Northuſani:
Hic jaceo mundi ſatur: aſt anima incolit aſtra:
Sanguis, Chriſte, tuus gloria ſpesque mea eſt.

Edidit:

Poëmata varia, ut:

Scripta.

Sylvarum lib. IV.

Epigrammatum innocuorum L. I.

Elegiam de duabus Eccliplibus Lunæ anni. 38.

Lugubre carmen in obitum Joh. Georg. Saxoniæ Ducis filii.

Item in mortem Eraſmi.

Encomium Lipſiæ.

Methodum ſcribendi Carmina.

Conciones de Miniſtris verbi Dei, de precibus, de Vitâ æternâ, de vero & falſo jejunio, de extremo judicio, de ſanctis vivis in his terris, de Paſſione Domini, de Baptiſmo, de certitudine Religionis Chriſtianæ.

Conciones Germanicas.

Catechiſmum homiliis explicatum.

* *Ex Melch. Adami Vitis Germ. Theol.*

CORNELIUS ADRIANI.

Obiit A.C. 1581.

Dordracenus, *Franciſcanus* & *Guardianus*, S. Theologiæ interpres, triumque Linguarum, Hebrææ, Græcæ & Latinæ callentiſſimus, *Brugenſem* populum 30. annos Divini verbi pavit alimento. Rebus humanis exemptus, *Brugis* A.C. 1581. æt. 60. 14. Julii, & ſepultus in xenodochio *S. Johannis*, cum Epitaphio: *Concionator Brugenſis. Moritur.*

Epitaphium.

Ecquis in obſcuro latitans, (dic parva tabella)
Tumulo hîc repoſtus conditur?
Quis fugiens adeò eſt & famæ & lucis & auræ
Umbris ut hîc velit obrui?
Tune Pater celebri condigno ex marmore cryptâ
Hîc DORDRACENE recubas?
Quem tam facundæ decoravit gratia linguæ,
Monita ſalutis cum dares.
Ut tua fama volet totum vulgata per orbem,
Stridente quamvis Zoilo.

Sed

Digitized by Google

Sed quia Seraphici placuit pia ſemita Patris,
Placuit Sepulchrum ignobile.
Nam tituli & Pario exciſæ de marmore tumbæ
Ætate longâ intercidunt.
Virtus ſola viget vivitque æterna, nec ævo
Labente longo extinguitur.
Hæc jam te æquavit Superis cœloque beavit
Sertis decorum fulgidis.
Quid juvat ignoto hunc igitur requieſcere buſto
Qui mente cœlo vixerit?

Quantus hic vir fuerit, docet inſcriptio, quæ extat *Brugis* in Conventu Fratrum *Minorum*, & in *Selectis Chriſtiani Orbis Deliciis Franciſci Sweertii.*

Scripta.

Scripſit, præter *Conciones doctiſſimas* ineditas,

Tract. de VII. Sacramentis.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1581.

JACOBUS BILLIUS PRUNÆUS.

ORtus ex nobilitate *Carnutenſi Guiſiæ* natus eſt, proximo *Atrebatum* & *Hannonum* finibus oppido, quod *Ludovicus* pater, Vir ſtrenuus & ſpectatæ in bello ſolertiæ Regis *Franciſci I.* nomine tum regebat.

Is autem diverſâ vitæ ratione & inſtituto inter Muſas educatus literarum ſtudiis inclareſcere maluit.

Erat *Ludovico* & filius major natu *Joannes* duobus in orâ *Santonicâ* Cœnobiis præfectus, qui cum præ nimio rerum humanarum tædio in Ordinem *Carthuſianum* receſſiſſet, utriusque Sacerdotii poſſeſſionem huic fratri ſuo reliquit. Quare ſtudioſus adoleſcens, qui ad literarium decus toto animo anhelabat, ex liberalitate fraternâ auctior, & Cœnobii *S. Michaëliani* in Eremo Antiſtes, habuit, undè optato in otio deſiderium ſuum expleret, eosque demùm produceret ingenii fœtûs, quibus & ſummo beneficio Rempublicam Chriſtianam affecit, & gloriam immortalem conſecutus eſt.

Cœnobii S. Michaëlis Antiſtes.

Plurima enim ex *Damaſceno*, *Chryſoſtomo*, *Baſilio*, & potiſſimùm ex *Nazianzeno*, qui Theologi cognomen eſt meritus, tranſtulit.

Veterum aliquot Patrum Interpres.

Plurima & ipſe ſuo ingenio meditatus eſt.

Cumque totus in ſcribendi labore ſemper fuerit, nullum tamen unquam argumentum attigit; ne tum quidem, cum verſibus *Gallicis* animi causâ luderet, quin ad Pietatem & Religionem pertineret.

Scriptor pius & religioſus.

Cætera omnia tanquam fluxa & caduca generoſo animi vigore contemnebat.

Utebatur familiariter *Gilberto Genebrardo*, cujus in ædibus dum *Lutetiæ* valetudine parùm firmâ hoſpitaretur, & *Gregorianæ* verſionis nuper à ſe recognitæ novam editionem urgeret 3. Non. Sept. A. C. 1581. poſt longa morborum tædia, ex phthiſi tandem 48. natus annos interiit, ſepultusque eſt ad *Severini* fanum, & piis eruditorum Epitaphiis conſecratus.

Phthiſi obiit Lutetiæ.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

Obiit A.C. 1581.

ADRIANUS ADRIANI.

NAtione *Belga*, patriâ *Antverpienſis*, Vir in Societate Jeſu valdè religioſus & pius, qui *Lovanii*, antequàm Societas haberet Collegium, ſuorum curam per multos annos adminiſtravit, & ſanctè vitam finivit ipſo Feſto *S. Lucæ* A. C. 1581. totius Academiæ *Lovanienſis* humeris elatus.

Soc. Jeſu additus.

Scripſit *Flandricè*:

Scripta.

In Orationem Dominicam, & libellum pium, qui Mons Spiritualis appellatur.

Item tres Tractatûs omnibus Eccleſiaſticis & ſecularibus perutiles, quorum primus eſt *De vitâ activâ*, ſecundus *De bonis temporalibus, & ipſo corpore mortali hominis*: tertius *De operibus miſericordiæ.*

Libellum de Confeſſione, & *De Inſpiratione*, ſeu, *Internâ locutione DEI.* Qui duo Latinè, interprete *G. Geneſio*, *Coloniæ* exierunt.

De Origine & Progreſſu vitæ monaſticæ.

De Obedientiâ, & quomodo ſubditus ſe gerere debeat erga Prælatum, & Prælatus erga ſubditum.

Libellum Adriani Candidi Societ. Jeſu, qui inſcribitur *Trajectus in Cœlum*, ſeu *Spirituale jucundum monaſteriolum* poſt mortem Auctoris evulgavit.

De Paupertate Evangelicâ.

De ſemel in anno, ſæpius & quotidiè communicando, & de *meritoriâ abſtinentiâ à Sacrâ communione.*

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1581.

PETRUS CIACCONIUS.

TOleti, *Caſtiliæ* in *novâ Hiſpaniâ* civitate A. 1527. ex Parentibus mediocris conditionis ſed honeſtis progenitus, iisque in primâ ætate orbatus, *Salmanticam* adiens, ibi diſciplinas Mathematicas & literas Græcas, *ſine Magiſtro*, didicit; & bienio præterlapſo ad publicam harum literarum Lectionem cum honeſto ſtipendio ab Univerſitate illâ invitatus eſt.

Sed ſtudium Theologicum Philologico præferens, Lecturam illam modeſtè recuſavit, & magnus Theologus evaſit.

Theologus.

Romam deindè profectus, à S. Pontifice *Gregorio XIII.* beneficium opulentum in Eccleſiâ *Seviliæ* obtinuit.

Ejusdem Papæ decreto, unà cum aliis Collegis ad id deſtinatis ſummâ cum diligentiâ Decreta Pontificalia per *Gratianum* collecta correxit.

Decreta Pontificalia correxit.

Ejusdem Papæ juſſu unà cum *Chriſtophoro Clavio* Soc. Jeſu Patre Mathematico eximio *Calendarii correctionem* ſuſcepit, in quo opere

Calendarii correctior.

Digitized by Google

opere Pontificis votis egregiè ſatisfecit. *Romæ* tandem vitâ defunctus eſt 26. Octob. A. C. 1581. æt. 57. *Moritur.*

Poſtquàm omnes facultates ſuas Templo *S. Jacobi* in *Hiſpaniâ* per Teſtamentum conſecrâſſet, in eodem Templo ſepultus fuit cum hoc Epitaphio: *Epitaphium.*

PIETRO CIACCONIO PRESBYTERO
TOLETANO,
IN QUO MULTIPLICIS DOCTRINÆ COPIA,
CUM VITÆ
AC MORUM INTEGRITATE CERTABAT.
QUI A GREGORIO XIII. PONT. MAX.
SANCTORUM PATRUM LIBRIS,
SACRISQUE CANONIBUS, ET SACROSANCTIS BIBLIIS PERPURGANDIS
PRÆPOSITUS
IN HOC MUNERE OBEUNDO
ERUDITIONE, JUDICIO, FIDE AC
DILIGENTIA PRÆSTITIT.
ECCLESIÆ S. JACOBI HISPANORUM,
QUI URBEM COLUNT
HÆRES AB EO INSTITUTÆ
MONUM. HOC P. VIXIT AN. LVI.
OBIIT ANN. CIↃ IↃ LXXXI.
VII. CAL. NOV.

Edidit: *Scripta.*

In Tertulliani Opera Conjecturas.

In Johannis Caſſiani Opera Annotationes.

Arnobii adverſus gentes lib. VII.

In Columnæ roſtratæ C. Duilii Inſcriptionem Commentarium.

De Triclinio, ſive de modo convivandi apud priſcos Romanos, & de Conviviorum apparatu.

De Ponderibus.

De Menſuris.

De Nummis.

In C. Julii Cæſaris Commentarios Scholia uberiora.

In C. Saluſtium Notas.

Calendarii Romani veteris Explanationem.

* *Ex Theatro Italico Virorum doctorum Hieronymi Ghilini.*

HIERONYMUS QUAINUS.

Obiit A.C. 1582.

SErvita *Patavinus* A. 1571. ad Sacram Scripturam interpretandam electus fuit, qui cum oſtendiſſet, ſe in concionando plurimùm valere, poſt duos graves S. Scripturæ Interpretes, *Adrianum Venetum*, factum poſteà *Juſtinopolitanæ* Eccleſiæ Epiſcopum, & *Hieronymum Guilielmum* Epiſcopum *Argolicenſem*, dum publico interpretandi munere fungeretur, incertum reddebat, quidnam in ipſo plus poſſet, Sacrarum ne literarum doctrina, an eloquentia. *Concionator Patav.*

Gratulatus fuerat ſuperiori proximo anno *Nicolai Ormaneti* Epiſcopi *Patavini* adventum, pro Theologorum Collegio, eleganti, quæ extat, Oratione. *Orator.*

Alteram habuit in Gymnaſio *Patavino*, cum Actus Apoſtolorum in ipſo principio Profeſſionis ſuæ inciperet explicare, quæ itidem Oratio in manibus ſtudioſorum verſatur. *Profeſſor Theologiæ.*

Diem ſuum obiit A. C. 1582. *Moritur.*

* *Ex Gymnaſio Patavino ab Antonio Riccobono edito.*

CASPAR LOARTE.

Obiit A.C. 1582.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Methymnenſis*, Vir pius juxta & doctus, grandis jam natu & Doctor Theologus, inque pietatis officiis benè verſatus, auctore *Johanne Avilâ*, cujus diſcipulus fuerat, Societatem Jeſu concupivit, & in eam admiſſus eſt A.C. 1552. *Doctor Theologiæ. Societatem Jeſu ingreſſus.*

Poſteà *Romam* profectus, & ab ipſo Patre *Ignatio* probè inſtitutus Collegiorum *Genuenſis* & *Meſſanenſis* regendorum provinciam ſuſtinuit. Denique in *Hiſpaniam* rediit, & *Valentiæ* annis gravis A. C. 1582. mortuus eſt. *Rector Collegii Genuenſis & Meſſanenſis.*

Scripſit: *Scripta.*

De Afflictorum conſolatione.

Meditationes in Paſſionem Domini, & Roſarium B. Mariæ.

Exhortationes vitæ Chriſtianæ.

Remedia contra VII. peccata mortalia.

Tractatum ſanctarum peregrinationum, & de ſtationibus & indulgentiis in eis.

Admonitiones Sacerdotum.

Hæc ejus Opera *Latino*, *Hiſpanico*, *Italico idiomate*, aliqua etiam *Germanico* excuſa circumferuntur.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

JOHANNES SKELDERUPIUS.

Obiit A.C. 1582.

BAccalaureus Philoſophiæ creatus eſt A.C. 1544. à Decano *M. Fabricio*.

Deindè Magiſter Artium ad Profeſſionem Phyſicæ A. 1551. receptus. Medicinæ Baccalaureus à Decano Facult. Medicæ D. Capitaneo A. 1553. renuntiatus, poſteà Doctoris titulum accepit. Indè ad Epiſcopatum *Bergenſem* A. 1557. vocatus, has literas impetravit ab Univerſitate: *Med. Baccalaureus Hafniæ & Doctor. Epiſcopus Bergenſis.*

Nos Rector, Doctores & Magiſtri Academiæ Havnienſis in noſtris patentibus literis atteſtatum vidimus, Venerandos Viros ac Dominos Mag. Henricum & Mag. Paulum Regiæ Majeſtatis Concionatores nobis in Conſiſtorio noſtro congregatis 28. die Maji propoſuiſſe, nomineque Regis petiiſſe, ut ſi aliquid impedimenti obſtiterit, quo minus Vir præclarus Dom. Doctor JOHANNES SKELDEROP Superintendens Bergenſis jam deſignatus conditiones illas, quas functio Epiſcopalis in Norvegiâ requirit, citra adverſam valetudinem, aut ob alia incommoda gravia, ſuccedente tempore, tolerare perferreque poſſit; liberum ei regreſſum ad hanc Univerſitatem habere noſtro favore liceat, lectionemque unà cum domo & integro ſtipendio recipere ſit integrum. Huic petitioni

Petitioni ut honeſtæ & juſtæ, ita benevolo animo omnes & ſinguli conſenſum præbuimus, dexteritatem ingenii ſingularemque Viri probitatem conſiderantes, ita ut prædictus Dom. Doctor Johannes ſemper in gratiâ & favore, & quaſi Collega Univerſitatis maneat, etiamſi modò à nobis, neceſſitate legitimæ vocationis id poſtulante, hinc abierit. In cujus rei fidem ac teſtimonium evidentiùs haſce literas Academiæ Sigillo inferiùs appenſo confirmavimus. Datum Haffniæ 28. die Menſis Maji, Anno Salutis noſtræ 1557.

Moritur. Obiit A. C. 1582. Filium habuit *M. Petrum Skelderupium*, Paſtorem Eccleſiæ D. Virginis *Havnienſis*, & poſteà Epiſcopum *Nidroſienſem*: nepotemque ex eo *M. Janum Skelderupium*, Paſtorem Eccleſiæ *S. Nicolai Havnienſis*, & poſteà Epiſcopum *Bergenſem*: & filiam nuptam *M. Georgio Erici* f. Epiſcopo *Stavangrienſi*.

Scriptum.

Scriptum. *Liber de Imaginibus & eorum abuſu.*

* *Ex Academiâ Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

Obiit A.C. 1582.

PETRUS BOQUINUS.

IN *Galliâ Aquitanicâ* natus eſt.

Monaſticam amplectitur vitam. Juvenis vitam monaſticam amplexus, Prioris munus obivit apud *Bituriges*.

Baſileam venit. Luce Evangelii illuſtratus aufugit, & *Baſileam* venit, ubi *Caroloſtadii* funus cum aliis Academicis eſt proſecutus.

Et Wittebergam. Cum Luthero & Melanchthone vivit. A. ſeq. 1542. *Lipſiam* appulit, & paulò pòſt *Wittenbergam*, ubi cum *Luthero* & *Melanchthone* familiariter vixit, ut & cum *Joh. Heinzelio*, Patritio *Auguſtano*.

Indè *Argentoratum* diſceſſit, & ibi docuit.

Apud Bituriges docet. Paulò pòſt in *Galliam* ad *Bituriges* reverſus, gratis docuit primò, deindè ſtipendio Reginæ *Navarræ*. Ejuſdem etiam mandato, aſſentiente Archiepiſcopo, munus concionandi in ſummo urbis *Bituricenſis* Templo eidem fuit commiſſum.

A. 1557. Varias ab hoſtibus Evangelii inſidias expertus, *Argentoratum* reverſus, ibi 4. menſibus Eccleſiam *Gallicam* docuit.

Et Heidelbergæ. Deindè *Heidelbergam* venit, vocatus ab Elect. *Ottone Henrico* Reformationem Eccleſiarum aggrediente, ibi Sacrarum literarum Profeſſionem Publicam ſuſcepit, quam annis 20. ſuſtinuit.

Colloquio Maulbrunnenſi intereſt. A. 1564. Interfuit Colloquio *Maulbrunnenſi*, quod inter Theologos *Friderici III.* Elect. & *Chriſtophori* Ducis *Würtenbergici* controverſiæ Euchariſticæ, (deque Ubiquitate,) componendæ causâ fuit inſtitutum.

Lauſannam venit. A. 1576. Mortuo Elect. *Friderico III.* cum aliis Theologis orthodoxis *Heidelbergâ* pulſus, *Lauſannam* vocatus, ibi ſacro publicè docendi munere functus eſt.

Moritur. A. 1582. Ibidem ſubitò eſt mortuus. Cum enim manè & â prandio ἀδιχηκώς concionatus eſſet, veſperi alterius concioni interfuiſſet, in cœnâ hilaris fuiſſet, & eâ finitâ deambulando ſe exhilaráſſet, domum regreſſus, dum familiarem quendam conſolaretur ægrotantem, malè habere cœpit, & cum dixiſſet: *Domine ſuſcipe Spiritum meum!* & ad ſervum accurrentem: *Ora!* placidè exſpiravit, nec mortem vidit. *Mortem non videt.*

Scripta ab ipſo relicta ſunt ſequentia:

Defenſio ad calumnias Doctoris cujuſdam Avii. *Scripta.*

Examen libri, quem *Tilemannus Heshuſius* inſcripſit *de præſentiâ Corporis Chriſti in S. Cœnâ.*

Theſes de Cœnâ Domini.

Exegeſis Divinæ communicationis.

Adſertio veteris ac veri Chriſtianiſmi, adversùs novum & fictum Jeſuitiſmum.

Brevis notatio præcipuarum cauſarum diuturnæ controverſiæ de S. Cœnâ.

Canones, quibus defenduntur verba Chriſti: Hoc eſt corpus meum.

Adſertio ritus frangendi & in manus ſumendi panis Euchariſtici.

* *Ex Variis Authoribus.*

ERASMUS CATHOLMIUS.

Obiit A.C. 1582.

HAfniæ Baccalaureus Philoſophiæ creatus eſt A.C. 1559. â Decano *M. Paulo Matthiæ*. Magiſter Artium, Profeſſor fuit primùm Pædagogicus, inde Dialecticæ A. 1562. Decanus Facultatis Philoſophicæ fuit A. 1567. A. 1570. loco Epiſcopi diebus Solis *Mercurii* & *Saturni* Theologiam docere juſſus eſt, acceptis è ſtipendio Epiſcopi 60. thaleris A. 1572. Baccalaureus Theol. creatus eſt â *D. Nicolao Hemmingio*. *Profeſſor Pædagogicus: Dialecticæ. Theologiæ Profeſſor. Baccalaureus.*

M. Johanni Thomæ Paſtori Eccleſiæ *D. Virginis* defuncto A. 1573. in munere Paſtorali ſucceſſit. *Paſtor Eccleſiæ D. Virginis.*

Uxorem habuit *Eliſabetham Haſebardam Lubecenſem, Jacobi Haſebardi* Chirurgi Regii filiam, quam amiſit A. 1575. Duxit poſteà *Magdalenam Matthiæ* f. *M. Johannis Thomæ* relictam viduam.

Obiit A. C. 1582. *Moritur.*

* *Ex Academiâ Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

ZACHARIAS URSINUS.

Obiit A.C. 1583.

NAtus eſt *Uratislaviæ* in *Sileſiâ* 29. Jun. A. 1534. Patre *Caſparo Beer*, Viro docto & Eleemoſynario, Matre *Annâ Rothâ*, ex Patritiâ familiâ. *Parentes.*

Indolem hic *Zacharias Urſinus* præclaram cum ingenii ſummâ felicitate, puer adhuc de ſe oſtendit, hinc

A. 1552. *Wittenbergam* profectus, quinquennium ibi moratus, in Poëſi, Linguis, Philoſophiâ & Theologiâ ſcientiam ſibi comparavit eximiam: *Melanchthoni* dilectiſſimus. *Wittebergæ Literis operam dat.*

A. 1557. Ad Colloquium *Wormatienſe Melanchthonem* ſecutus, indè per *Helvetiam Genevam* venit, & *Calvinum* ſalutavit. Pòſt per *Galliam* peregrinatus, *Tigurum* regreſſus, *Colloquio Wormatienſi intereſt.*

ſus, ibi aliquandiu ſubſtitit. Tandem, per *Sueviam* & *Franconiam*, *Wittebergam* ad *Melanchthonem* reverſus eſt, â cujus latere noluit avelli.

Ludo literario præeſt.

A. 1558. A Senatu *Uratislav.* literis ad Scholæ Patriæ *Eliſabethanæ* gubernationem vocatus, præter artium & linguarum lectiones, etiam librum *Melanchthonis* de Examine Ordinandorum ad Miniſterium explicare juſſus, cum in eo Locum de Cœna Domini ad *Philippi* Præceptoris ſui ſenſum germanum expoſuiſſet, ſtatim Sacramentarius audiit, & adverſarios expertus eſt, quos prius amicos & fautores habuerat.

Sacramentarius audit Urſinus.

Igitur ut fidei ſuæ rationem redderet, & Sacramentarii famam aut culpam amoliretur, doctrinam totam de Sacramentis, propoſitionibus nervoſis & accuratis complexus eſt. Quæ *Tom. I.* operum ejus inſertæ leguntur.

Propoſitiones edit de Sacramentis.

Cum verò â rixis abhorreret *Urſinus*, impetratâ â Senatu dimiſſione, è patriâ exceſſit 25. Junii 1560 & *Wittenbergam* primò, deindè *Tigurum* venit, ubi â *Petro Martyre* ſolidiorem Theologiæ ſcientiam hauſit.

Tigurum venit.

A. 1561. Ab Electore *Otthone Henrico Heidelbergam*, quæ Academia idoneo tùm Theologo deſtituebatur, vocatus, eò perveniens, ſtatim adhibitus eſt ad erudiendos ſtudioſos in Collegio Sapientiæ, ubi paulò pòſt additus eſt ei *Conradus Marius* J. C. pòſt Conſil. Eccleſiaſticus.

Heidelbergæ in Collegio Sapientiæ docet.

A. 1562. Doctor Theologiæ creatus, & non tàm lubitu ſuo, quàm imperio aliorum, ad Profeſſionem publicam Locorum Communium vocatus eſt, quo ad annum usque 1568. officio functus eſt, quo ſucceſſit ei *Hieronymus Zanchius.*

Theologiæ Doctor.

Eodem anno Catecheſin *Palatinam*, juſſu Electoris conſcripſit, anno verò ſequenti â *Matthia Flacio*, *Hesbuſio* & aliis hinc indè calumniis impugnatam, quibus *Urſinus* Apologiâ Germanicâ, juſſu Electoris *Friderici III.* reſpondit.

Catecheſin edit.

A. 1564. In Colloquio *Maulbrunnenſi Brentii* & *Smidlini* Ubiquitatem ore & calamo impugnavit. Sub idem tempus Electori *Friderico* Scholas *Ambergæ*, *Heidelbergæ*, & *Neubuſii* inſtituenti conſilio adfuit, formamque docendi & regendi præſcripſit. Undè pio Electori charus adeò fuit, ut cum â *Bernatibus*, A. 1571. ad Profeſſionem Theologiæ in Academiâ *Lauſannenſi* vocaretur, & miſſionem peteret *Urſinus*, eam impetrare haud potuerit.

Colloquio Maulbrunnenſi intereſt.

A. 1572. Conjugium iniit cum *Margarethâ Trautvintâ*, honeſtâ Matronâ, ex quâ unicum ſuſcepit filium *Johannem*, Eccleſiæ deindè Miniſtrum.

Conjugium init.

A: 1574. Ex mandato Electoris *Friderici*, compoſuit Confeſſionem fidei, de Deo, de Perſonâ Chriſti & Cœnâ Domini contra ſemina hæreſeos *Heidelbergæ* ſparſa.

Confeſſionem fidei edit.

A. 1577. Poſt mortem Electoris *Friderici III.* Religione *Heidelbergæ* mutatâ, indè dimiſſus, ad *Friderici* filium *Johannem Caſimirum* venit, qui cum *Neuſtadii* tunc novam Academiam conſtituiſſet, in eâ *Urſinum* Theologiæ Profeſſorem cum *Hieronymo Zanchio* conſtituit A. 1578.

Neuſtadium venit.

Theologiæ Profeſſor.

Ibidem verò *Admonitionem Neuſtadianam* edidit A. 1581. pluraque tùm poſt ſe relinquere cogitabat monumenta, ut refutationem *Jeſuitarum*, ſed morte fuit præventus, quâ obiit placidè, (cùm jam moriturus etiam, ubi per ſemeſtre decubuiſſet, ſæviſſimosque colicæ dolores ſuſtinuiſſet, nemo ab eo tamen impetrare potuiſſet, ut ſcriptiones & meditationes ſuas intermitteret) A. 1583. Ætat. 49. 6. Mart.

Moritur.

Sepultum eſt ejus corpus 8. Martii ſine pompâ *Neuſtadii* in choro templi â *Ruperto*, Academiæ *Heidelbergenſis* Fundatore, magnificè conditi: Ibidem etiam monumentum honoris ergò, in templi parte anteriore poſitum eſt â Scholarchis & Collegis hujusmodi:

Epitaphium.

CONDITUM HIC EST CORPUS ZACHARIÆ URSINI URATISLAVIENSIS, THEOLOGI SINCERI, PROPULSATORIS HÆRESIUM DE PERSONA ET COENA CHRISTI, VOCE ET STYLO ACERRIMI, PHILOSOPHI ACUTI, VIRI PRUDENTIS, MODERATORIS JUVENTUTIS SEVERI, EVOCATI EX HAC VITA ANNO DOMINI M D LXXXII. ÆTAT. S. XLIX. DIE XI. MARTII.

MEMORIÆ ET HONORI COLLEGÆ IN CHRISTO CARISSIMI ET OPTIME MERITI

NEAPOLITANA NEMETUM SCHOLA GRATITUDINIS ERGO P. C.

Mortuum Oratione funebri laudavit *Franciſcus Junius*, in Scholâ *Neapolitanâ* Theologiæ Profeſſor

Muſæo *Zacharias Urſinus* inſcripſit:

Amice! quisquis huc venis,
Aut agito paucis, aut abi,
Aut me laborantem adjuva.

Scripſit peculiariter præter opera *tribus* diſtincta *Tomis:*

Scripta.

Commentarium de mortalitate, & Conſolationibus Chriſtianis A. 1563.
Exegeſin veræ doctrinæ de Sacramentis.
Epigrammata.
Admonitionem Neoſtadianam.

* *Ex Melch. Adami Vitis Germ. Theol.*

HIERONYMUS VIELMUS.

Obiit A. C. 1582.

VEnetianus fuit, Ordinis *Dominicani* religioſus, in literis humanis & ſacris eruditus: Senatûs *Veneti* decreto in Academiâ *Patavinâ* largo ſtipendio triplicem Profeſſionem obiit, Theologiæ nimirum *Thomæ Aquinatis*, Sacræ Scripturæ, & Metaphyſicæ.

Monachus Dominicanus.

Theol. & Metaphyſ. Prof. Pat. & Romæ.

Poſteà *Romam* vocatus â Papâ *Pio IV.* mox publicam in eâ urbe Theologiæ Profeſſionem adeptus eſt.

Ab eodem Pontifice factus Epiſcopus *Argi* in *Achajâ*, & Suffraganeus Templi Ca-

Epiſcopus thedralis *Patavii*, poſteà à *Pio V.* ad Epiſcopatum Civitatis Novæ in *Iſtriâ* promotus eſt.

Moritur. In Patriâ tandem obiit 7. Martii A.C. 1582. æt. 63. Sepultus in Templo *S. Johannis* & *Pauli* cum hoc Epitaphio:

Epitaphium.

HIC JACET
REVERENDISS. EPISCOPUS ÆMONIÆ
MAG. F. HIERONYMUS VIELMUS VENETUS
ORDINIS PRÆD.
QUI IN OMNI SCIENTIARUM GENERE
EXCELLUIT.
OBIIT AN. D. M D LXXXII.
DIE VII. MARTII
ÆTATIS SUÆ AN. LXIII.

Libros edidit:

Scripta.

De ſex diebus conditi Orbis.
De Divi Thomæ doctrinâ lib. II.
Orationem apologeticam adversùs obtrectatores Theologiæ.
De optimo Epiſcopi munere.
De Epiſcopis, quos Tutelares appellant, Elucubrationem.
De Reſidentiâ Epiſcoporum.

* *Ex Theatro Italico Virorum litteratorum Hieronymi Ghilini.*

MARTINUS NERVICIUS.

Obiit A.C. 1582.

Theologiæ Profeſſor Cracov.

PRofeſſor Theologiæ fuit in Academiâ *Cracovienſi* celeberrimus, Præceptor optimi illius pientiſſimique Patris *Rochi Poſnanienſis*, & *Staniſlai Scarbimirienſis*; qui Sermones de Dominicis & Feſtivis per annum diebus ſtylo eleganti conſcripſit. Vir pietate in Deum, candore in amicos, fide & amore in rem Eccleſiaſticam ac literariam, dum vixit, excellentiſſimus, & docendi dicendique peritiſſimus.

Theologus & Orator perfectus.

Quæ enim tria *Marcus Tullius Cicero* in *Oratore* deſiderat, ſcilicet ut doceat, delectet, & moveat, ea ſummè *Nervicius* tenuit, ſic ut rem illuſtraret diſſerendo, animos audientium devinciret voluptate, eosdemque promoveret atque incitaret.

Quò factum, ut cum auditum eſſet, eum concionaturum, loca maturè in ſubſelliis occuparentur, & templa auditoribus complerentur.

Hoc in labore, ſed & morbo ex eo confectus, ſeptuagenario major extinctus eſt, humatusque in æde *D. Floriani Clepardiæ* ad *Cracoviam*.

Tumulum Executores hoc Sepulchrali Elogio exornârunt:

Epitaphium.

R. MARTINO NERVICIO CLODAVIEN. S. T. D. CANON. S. FLORIANI, IN PRÆCIPUIS HUJUS URBIS TEMPLIS ET SERENISS. QUONDAM SIGISM. AUGUSTI REGIS POLONIÆ CONCIONATORI, QUENTI, INCREDIBILI LABORE ATQUE VIRO MIRE FACUNDO ATQUE ELOINDUSTRIA, SUMMO INGENIO ET DOCTRINA, LEGUM ATQUE CONSUETUDINUM ACADEMIÆ OBSERVANTISSIMO, MORUM GRAVITATE, VITÆ INTEGRITATE INCREDIBILI, SUMMÆ DENIQUE APUD OMNES GRATIÆ ET AUTORITATIS, EXECUTORES MOESTI POSUERUNT.

OBIIT ANNO M D LXXXII. XXX. NOVEMB. HORA XVI.

* *Ex Elogiis centum illuſtrium Poloniæ Scriptor. Simonis Starovolscii.*

MAURITIUS PONCETUS.

Flor. A.C. 1583.

Theologi Dicterium in Reg. G. Henricum III.

THeologus *Pariſienſis*, homo doctus, ſed interdum ſcurrili dicacitate mordax. Cum *Henricus III.* Rex confirmando Flagellantium Ordini ſupplicationibus eorum ſacco indutus pluvioſo tempore interfuiſſet; in corruptos aulicorum mores, quos ſimulatâ pietate velabant, acriter invectus, eos, (ad pluvioſum Supplicationum tempus alludens,) *perinde facere* dixit, *atque ii, qui adversùs imbres ſe ſacco madido muniunt:* quod proverbiali ſermone de iis ſolet uſurpari, qui flagitia ſua ineptis & abſurdis commentis excuſant.

Dicterium illud, quod ex vero traheret, maximè Regem pupugit, veritum ne novum inſtitutum, (quo populi gratiam aucupabatur,) ex ejus occaſione in ludibrium verteret, quod & accidit: eâque de causâ *Poncetus Melodunum* relegatus, & in monaſterio *B. Petri*, (in quo olim profeſſus fuerat,) manere juſſus eſt, leviori caſtigatione, quàm ut acrem injuriæ ſenſum, qualem Rex præ ſe ferebat, dignè ulciſci potuerit. *Thuan. lib. 78.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

JOHANNES MALDONATUS.

Obiit A.C. 1583.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Bæticus*, vel potius ex eâ parte antiquâ *Luſitaniæ*, quæ *Eſtremadura* hodiè dicitur, ex oppido, quod vulgò vocatur *Fuente del Maëſtro*. Primam ætatem in Academiâ *Salmanticenſi* egit, doctiſſimis & celeberrimis uſus Præceptoribus, inter quos *Franciſcus Toletus* Cardinalis poſteà fuit.

Diſcipulus Franciſci Toleti Salmantica. Theologiæ Profeſſor Romæ. Et Lutetiæ.

Deindè ſtudiis confectis Societati ſe Jeſu conſecravit. Tum *Romam* evocatus in Collegio Theologiam docuit. Sed dum Collegii Societatis Jeſu Scholæ *Pariſiis* primùm aperirentur, eò miſſus, primus è Societate ſuâ Theologiam 10. annos in Scholâ *Claremontanâ* profeſſus eſt, ingenti auditorum concurſu, nec minore fructu, nam ejus è ludo prodierunt viri eruditi quàm plurimi, Epiſcopi, Doctores, Concionatores, Parochi: Fuit enim vir ingenii ſubtilis, judicii admirabilis, memoriæ excellentis, diligentiæ incredibilis, indefeſſi ſtudii, laboris ſupra vires patiens.

Atque hæc Dei dona aliis majoribus obſcurabantur: Magna enim in eo erat rerum deſpicientia, magna laudis & auræ popularis

ris contemtio, humilitas ac modeſtia eximia, ardens ac juge Orationis ac Meditationis ſtudium, ſumma in cibo potuque parcitas, paupertatis Evangelicæ rigida obſervatio: in ſummâ vir fuit mundo ſibique crucifixus: qui unus in causâ fuiſſe creditur, ut Sodalitium illud Academiæ *Pariſienſi* valdè inviſum, & alioquin jam prudentioribus ſuſpectum, ob tanti Viri gratiam & commendationem, â Senatu, apud quem lis adhûc indeciſa pendebat, tam diu toleraretur, teſte *Jacobo Auguſto Thuano in Elogiis ſuis virorum doctorum.*

Denique â *Gregorio XIII.* Pont. max. ê *Galliâ Romam* accerſitus, ut operam ſuam præſtaret ad Græcam editionem 70. Interpretum, quam parabat, haud multò pòſt ceſſit ê vitâ A. C. 1583. ineunte ætatis vix dum 50. morbo ex nimiis vigiliis contracto. *Moritur.*

Nihil vivens publicavit, ſed poſt mortem ejus prodiêrunt operâ *Cl. Puteani* Soc. Jeſu:

Scripta.

Commentaria in 4. Evangeliſtas Muſſiponti edita.

In Pſalmos.

Comment. in Prophet. Jeremiam, Ezechielem, Baruch, & Danielem.

Interpretationes in Acta & Epiſtolas Apoſtolorum.

Summ. Caſuum Conſcientiæ.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ. Et ex Elogiis Thuaneis Viror. doctor. C. B.*

* * *

Fuit & alter *Joh. Maldonatus*, Sacerdos *Burgenſis*, diſertus Latinæ Linguæ Scriptor, qui *Sanctorum Vitas* compendio ſcripſit: qui Libellus & *Lugduni* ſæpè typis evulgatus legitur, & â *Laurentio Surio* interdum adhibetur.

Scripſit & *Parænesin ad literas politiores Burgis*, ubi narrat, ſe adoleſcente, *Chriſtophorum Longolium Belgam in Hiſpaniam* veniſſe.

Floruit hic A. C. 1550.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum auctorum.*

LUCAS POLLIO.

Obiit A.C. 1583.

URatislaviæ *Sileſiorum* natus eſt A. C. 1536. *Francofurti ad Viadrum & Wittebergæ Melanchthonis* avidiſſimus auditor, ſumptu quoque Senatûs publico *Lipſiam* ablegatus Philoſophiæ, Theologiæ & Linguæ Hebrææ annis aliquot operam cum dediſſet, in patriam revocatus, Diaconus ad *S. Eliſabetham* conſtitutus eſt; & cum non niſi utilia, neceſſaria, & ad captum vulgi accommodata docuiſſet, conciones ſemper habuit frequentiſſimo auditorio, cum facundiâ polleret ſummâ. *Diaconus Uratislavienſis*

Vix autem biennium Diaconatûs officio functus, *Adamo Curæo*, Eccleſiæ *Uratislavienſis* Paſtori anno ætatis 39. febre malignâ ſublato, ſubrogatus eſt, ubi in omnibus ferè concionibus ultimæ horæ commonefecit auditores. *Et denique Paſtor.*

Morti verò tandem proximus filium has *Bernhardi* preces recitare juſſit:

Quocunq; loco fuero,
Jeſum meum deſidero:
Quàm lætus, cum invenero,
Quam felix, cum tenuero,

Item:

Qui jacuiſti mortuus
In petrâ Rex innocuus,
Regas me, quæſo, miſerum,
Pro quo dediſti pretium.
Ac per tuam Clementiam
Deducas nos ad Gloriam.

Item:

Ne, quæſo, more Judicis,
Quid egerim, quid dixerim,
Quid cogitârim, pondera:
Peccata ſed mea omnia
Tuo cruore deleas.

Paulò itaque antequàm moreretur, januâ apertâ dicebat: *O Domine! aperi mihi januam tuæ miſericordiæ.* Et paulò pòſt erectus alacri voce: *Jam ingredior in vitam æternam.* Ita inter vota & preces animam Deo reddidit 31. Julii A. 1583. ætat. 47. Sepultus in templo, in quo Chriſtum docuit, concionem habente *Franciſco Virlingo.* *Moritur.*

Edidit:

Conciones Germanicas ſeptem de Vitâ æternâ.

Engliſches Heerlager/oder 8. Predigten von den H. Engeln/zu Leipzig gehalten. *Scripta.*

Geiſtliches Bet-Glöcklein Chriſtlicher Kirchgänger. In 8.

Conciones Quadrageſimales de Judicio extremo.

Conciones duas de Inferno.

* *Ex Melchioris Adami Vit. Theol. Germ.*

Caſpar. Cunradus Med. D. in Proſopographiâ ſuâ Melicâ hoc eum honoravit diſticho:

Lucas, æternæ docuit qui gaudia vitæ,
Æternæ vitæ gaudia perpes agit.

IVARUS BARTHOLINUS.

Obiit: A.C. 1583.

NAtus eſt *Middelfarti* in *Fyoniâ*: *Wittebergæ Philippum Melanchthonem* ſtudioſè audivit, ibique Magiſter Artium creatus albo Univerſitatis *Havnienſis* inſcriptus eſt A. 1558. Rectore *D. Nicolao Hemmingio* Profeſſor Pædagogicus fuit: Sed cum Collegis Profeſſoribus non illi benè convenit, adeò ut poſt cauſam illius ſæpiùs & diligentiùs examinatam concluderent 3. April. A. 1561. illi denuntiandum eſſe, ut intra diem *Johannis Baptiſtæ* proximum ſibi de aliâ conditione proſpiceret. *Philoſophiæ Magiſter Witteberg.* *Profeſſor Pædagogicus Hafn.*

A. 1562. decreverunt illi Profeſſores 60. Joachimicos pro lectione *Virgilianâ*, ut ſi nollet eo ſtipendio docere, conferret ſe quocunque vellet. Lectionem Rhethoricam petiit,

petiit, quæ denegata eſt, prælato illi *Catholmio*.

Paſtor Eccleſiæ Stegenſis. Poſteà *Stegenſis* Eccleſiæ in Inſulâ *Monâ* Paſtor fuit. In eo munere accuſatur à Regio loci Præſide, cum ob non conſummatum cum de Sponſâ fœminâ conjugium, tum ob excluſa *Exorciſmi* verba in adminiſtrando Baptiſmi Sacramento. Utraque cauſa in Conſiſtorio Academico, quod die dictâ in Synodo *Roeskildenſi* non comparuiſſet, acta, & ſententia contra ipſum lata. *Exorciſmum in Bapt. omiſit.*

Soræ in cuſtodiam traditus. Poſteà *Soræ* in cuſtodiam traditus, & aſperiùs tractatus, ut etiam veſte, quâ hybernorum vim frigorum defenderet, egeret; quod crebris ipſe conqueſtus eſt literis ad *D. Hemmingium* & alios ſcriptis.

Lætiorem demum ſortem Regis *Friderici II.* clementiâ reperit: Cum enim Rex fortè *Soram* veniſſet, ac à quodam Aulico Viri, ut meliore fortunâ ac miſericordiâ digni, facta eſſet mentio, eum accerſi juſſit: is verò introductus, ſqualore ac ſordibus deformis, tam eruditè ac diſertè coràm Rege verba fecit, ut Rex judicaret, & veniâ, ſi quid peccâſſet, & meliore ſorte dignum: veſteque ſtatim novâ donatum A. 1572. *Sorenſi* ac *Ringſtadienſi* Cœnobiis præficeret. *Præfect. Cœnobii Sorenſis & Ringſtad.*

Fama eſt, eundem Regem, adſtantibus ſibi aliquando Cancellario & *Bartholino* dixiſſe, in Regni negotiis plurimum ſe fidei illius tribuere; ſed in pietatis ac conſcientiæ rebus hunc omnibus aliis præferre.

Uxor ejus & Liberi. Uxorem habuit *Eliſam Muleniam*, Nobilis Viri *Johannis Mule* filiam, ex quâ plures liberos ſuſcepit: *Johannem* Paſtorem Eccleſiæ *Boëslundenſis: Chriſtophorum* primarium Regii ærarii Scribam: *Margaritam M. Johanni Bangio*, Paſtori & Præpoſito *Samoënſi: Annam Hermanno Holſt*, Vectigalis *Oreſundici* Præfecto nuptas.

Moritur. Obiit *Ringſtadii* 28. Sept. A. C. 1583. Sepultus in Templo, ubi ei Epitaphium eſt poſitum hujus inſcriptionis:

Epitaphium. IVARO BARTHOLINO, VIRO DOCTRINA, PIETATE, ET OMNI VIRTUTUM GENERE LAUDATISSIMO, REGIO HUJUS LOCI PRÆSIDI, IN DOMINO SANCTE DEFUNCTO XXVIII. SEPT. A. SALUTIS M D LXXXIII. SACRUM.

Scripta.

Scripta. *Hypomneſis de extremo univerſali Dei judicio, & præparatione Chriſtianâ in inſtantem mundi finem. Witteberg. 1565.*

* *Ex Acad. Hafniæ repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

MARTINUS RITHOVIUS.

Obiit A.C. 1583.

A *Campaniæ*, *Brabantiæ* municipio, ſibi natali nomen induit.

Adoleſcens *Lovanii* Philoſophiæ ſtudiis in Gymnaſio *Falconenſi* ſatis imbutus, eidem mox præfectus eſt.

Theologiæ Profeſſor Dillingæ. Indè ad *Dillinganam* apud *Suevos* Academiam recens erectam evocatus, in eâ aliquot annis Theologiam, *Petro Soto Hiſpano* Collegâ explanavit.

Lovanium reverſus, ad *D. Petri* Decanus & Academiæ Cancellarius conſtitutus eſt. *Cancellarius Academiæ Lovanienſis.*

Antonio Cardinali *Granvellano*, Archiepiſcopo *Machlinienſi* abſente Synodo I. Provinciali *Machliniæ* A. 1570. præfuit.

Tandem à *Philippo II. Hiſp.* Rege primus *Iprenſibus* in *Flandria* Præſul eſt datus *Audomaropoli*, quo ſe receperat *Gandavo*, ibi lue epidemicâ ſæviente extinctus eſt. *Primus Epiſcopus Iprenſis.*

Ipris in Cathedrali *D. Martini* hoc viſitur Epitaphium:

Epitaphium.

SICUT IN ADAM OMNES MORIUNTUR,
ITA ET IN CHRISTO
OMNES VIVIFICABUNTUR.
ERO MORS TUA, O MORS, MORSUS
TUUS, O INFERNE.
MARTINO RYTHOVIO,
IPRENSIUM EPISCOPO,
QUI TRIDENTINO CONCILIO INTERFUIT,
GANDAVI
PRO FIDE CARCERES SUSTULIT,
AUDOMAROPOLI OBIIT IX. OCTOB.
CIƆ IƆ LXXXIII.
SEMINARIUM IPRENSE HÆRES POS.
CIƆ IƆ CVII.

Scripſit

Scripta.

Manuale Paſtorum.

Inſtructionem Paſtorum adversùs dæmonum infeſtationes, & incantationum moleſtias.

Decreta I. Synodi Machlinienſis.

Comment. in Lib. IV. Sententiarum.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.* *Caſpar Cunradus Proſopograph. Mel. mill. 3.* hoc eum honorat diſticho:

Iprenſis referor quod primus Epiſcopus ædis
Ingenii dotes promeruère mei.

GENTIANUS HERVETUS.

Obiit A.C. 1584.

Natus eſt in pago *Oliveti*, juxta *Aurelianum* A. C. 1499.

Claudii Albaſpinæi in *Galliâ*, & *Arturi Poli* in *Angliâ* Præceptor fuit, & poſteà Theologiæ Profeſſor *Burdegalenſis*, tandemque Collegii *Rhemenſis* ſodalis. *Theologiæ Profeſſor.*

Ejus ſtudio multa è Patribus Græcis tranſlata ſunt.

Obiit A. C. 1584. ætatis 85. *Moritur.*

* *Ex Indice Chronologico Abrahami Bucholtzeri.*

Edidit:

Orationes varias, inter quas una De Barbâ. *Scripta.*

* * *

A puero optimis artibus & utriusque Linguæ cognitione inſtructus, *Lutetiam* profectus, *Eduardo Lupſeto Anglo* in excudendo Galeno à *Thoma Linacro* Latinè verſo, deſudanti operam addixit, eumque in *Angliam* redeuntem ſecutus, *Arturo Polo* inſtituendo à *Sariſherienſi* matre appoſitus eſt, & poſteà à *Reginaldo Polo* Cardinale, communis matris permiſſu, in *Italiam* evocatus, ut Græcis

cis auctoribus aliquot in Linguam Latinam vertendis operam daret.

Ibi ille in tanti Viri familiâ, quæ virtutum & omnis civilis cultûs veluti officina erat, diu fuit, *Polo* ipſi chariſſimus, & ſummorum in *Italiâ* Virorum amicitiam ob raram eruditionem & morum ſuavitatem promeritus.

* *Ex Elogiis Thuaneis Viror. doctor. C. B.*

* * *

Theologus *Pariſienſis*, quem *Poſſevinus* Virum admodùm eruditum, & Linguarum Græcæ ac Latinæ peritum vocat. Celebris is fuit ob eruditam in *Tridentino* Concilio pro Honeſtate Matrimoniorum habitam Orationem. Scripſit idem *Orationes tres De alendâ & radendâ Barbâ.*

Fuit in Concilio Tridentino.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

Obiit A.C. 1584.

THEODORUS ANTONIUS PELTANUS.

EX inferioris *Germaniæ Peltâ* pago oriundus, Soc. Jeſu Theologus, A.C. 1556. cum aliis quibusdam Patribus de Soc. Jeſu, *Thoma Lentulio Noviomagenſi, Johanne Covillonio Inſulenſi*, & *Hermanno Tyræo Noveſienſi* Doctoribus Theologis *Ingolſtadienſem* acceſſit Academiam, & Græcæ Hebraicæque literaturæ Profeſſor ordinarius conſtitutus eſt.

Soc. Jeſu Theol.

Profeſſor Linguæ Græcæ & Hebraicæ. Theologiæ Doctor. Et Profeſſor Ingolſtad.

In Theologiâ omnes gradûs tam Baccalaureatûs, quàm ſupremos eſt adeptus. A. 1562. Doctoralia accepit inſignia, & in Lectione Theologicâ *D. Covillonio*, qui ad Concilium *Tridentinum* proficiſcebatur, ſucceſſit. Si quis vel propter ingenii candorem & acumen, vel in diſputando tàm in Philoſophiâ, quàm Theologiâ ſubtilitatem & promptitudinem meretur laudem, ampliſſimis hic dignus eſt encomiis.

Docuit Theologiam ab A. 1562. usque ad A. 1574. frequentibus in materiâ Theologicâ Diſputationibus habitis. Seceſſit poſteà *Auguſtam Vindelicorum*, ut ſe quieti ſenex traderet. Ibi diem clauſit extremum in Collegio Soc. Jeſu, quievitque in Domino 6. Nonas Majas A.C. 1584.

Auguſtam Vindelicorum ſeceſſit.

Scripſit:

Scripta.

Propoſitiones de Purgatorio igne, & de Animarum ſedibus.

Commentarium in Proverbia Salomonis.

De vitâ functorum Suffragiis.

De Chriſti Satisfactione & noſtrâ Lib. II.

De Chriſtianorum Sepulturis, exequiis, & anniverſariis.

De tribus bonorum operum generibus, Eleemoſynâ, Jejunio, & Oratione.

Theologiam Naturalem & Myſticam.

De Peccato Originis Tract. 18.

De Matrimonio.

Latinâ primus Civitate donavit, & periodis ac Notis illuſtravit,

Synodi Epheſinæ I. Acta Lib. IV.

XVII. Græcorum Patrum quoque Homilias in præcipua Chriſti Feſta.

Reliquit poſthumum partum, *Catenam Græcorum Patrum in Proverbia Salomonis Latinam factam:* in eademque *Proverbia Commentarios & Paraphraſin.*

Similiter, Victorem Antiochenum in Marci Evangelium: &

Titum Boſtrorum Epiſcopum in Lucam. Itemque

Andreæ Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopi Commentar. in Apocalypſin.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Et ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.

Obiit A.C. 1584.

ABRAHAMUS BUCHOLCERUS.

EX antiquâ & nobili familiâ natus eſt 28. Sept. A. 1529. *Schönavii* propè *Dabmam in Saxoniâ.*

Parentes Bucholceri.

Pater ejus fuit *Georgius*, Eccleſiæ *S. Nicolai Berlini* Præpoſitus, *Melanchthonis* amicus ſummus, mater *Anna Joreſia.*

Avum paternum habuit *Andream*, qui 7. linguarum cognitione pollens rem patriæ publicam multos annos adminiſtravit.

Fratres hic habuit *Georgium*, Theologum *Miſnicum* celebrem, â Monachis veneno ſublatum; & *Chriſtophorum Imp. Friderici III. & Maximiliani I.* Conſiliarium, *Oenipont*i habitantem.

Prima autem *Abrahamus* literarum fundamenta jecit in Gymnaſio *Colonienſi*, ad *Suevum* fluvium, ſub Præceptore *Paulo ab Eitzen.*

Deindè *Francofurtum* ad *Viadrum*, & indè *Wittenbergam* miſſus, *Melanchthonem* præ aliis ſibi delegit Præceptorem, commilitones inter alios habens *Thomam Hubnerum* pòſt Conſiliarium *Brandeburgicum* & *Johannem Sagerum* Medicum *Lubecenſem*. In literarum etiam Græc. & Hebr. cognitionem operam non levem impendit.

Melanchthonem audit.

A. 1555. ætatis autem 26. in *Sileſiam* amicorum viſendorum gratiâ contendit, & *Freiſtadii* ad *Joachimum Cureum* Medicum & Philoſ. divertit: cui roganti, vellet ne *Grünbergam* quoque oppidum *Freiſtadio* vicinum videre? animum ſibi eſſe reſpondit, non ſingula *Sileſia* oppidula, ſed celebriores tantum urbes obire, ſed ecce 23. Jan. A. 1556. *Grünbergam*, ut Scholam ibi inſtauratam moderaretur â Senatu vocatus, ex Conſilio venit, ad quam undique deindè diſcipuli famâ *Bucholtzeri* commoti confluxerunt.

Grünbergæ docet.

26. Julii A. 1559. Nuptias ibi celebravit cum virgine *Annâ Laurentii Calmanni*, Notarii *Grünberg.* filiâ. Verùm innotuerat jam eruditionis fama *Bucholtzeri Sileſiæ* univerſæ, hincque

Nuptias celebrat.

A. 1563. *Sprottaviam* ad Eccleſiæ miniſterium vocatus, ibi ſacra docuit ad Annum usque 1573. quo *Catharinæ, Henrici* Ducis *Brunſuicenſis* viduæ voluntate in aulam *Croſſenſem* migravit.

Sprottaviæ docet.

A. 1574.

Et Freiſta-dii. A. 1574. *Freiſtadium* eum pertraxit Uxor nobiliſſ. & hiſtorici ſcriptis clari *Fabiani à* **Schonaich** *Euphemia*, cujus Urbis Eccleſiam ſingulari amore complexus eſt, doctrinæ puritate, eloquentiâ naturali, & vitæ integritate conſpicuus: & licèt non niſi finitâ horâ alterâ pro concione perorâſſet, nemini tamen unquam audiendi tædium obrepſit. Humilitas præterea, candor, & divitiarum contemtus *Bucholcero* erat ſummus, hincque *Virtutes Bucholceri.*

Catharina Duciſſa *Brandenburgica* prædicare ſæpiùs ſolita fuit, *Bucholcerum* unum in aulâ ſuâ cœteris diſſimillimum eſſe, quod illi aſſiduè & importunè flagitarent, hic contrà ne teruntii quidem munus à ſe unquam accepiſſet, &, quæ eſſet ejus avaritia, ultrò etiam oblata munera non acciperet.

A. 1554. Cum *Thomas Hubnerus* in Aulam *Brandenburgicam* diſceſſurus, *Bucholcero* valedixiſſet, quandoquidem, ait, ex Scholaſtico aulicus futurus es, præcepto mihi inſtruendus es ad omnem vitam utili, *Fidem diabolorum tibi commendo.* Id cum mirum videretur *Hubnero*, ſubjecit, *Noſti diabolos credere & contremiſcere: hoc ergò tibi monitum ſemper in promptu ſit, promiſſionibus aulicis credere quidem, ſed c ute & timidè.*

Cum verò à Theologorum rixis abhorreret, ſæpè ad amicos dixit: *Deſii diſputare, cœpi ſupputare*; quoniam illud *diſſipationem, hoc collectionem ſignificat.*

Conjugem amittit. 12. Febr. A. 1583. Cum Conjugem novem liberorum matrem amiſiſſet, alteram uxorem deindè duxit, ex quâ nullam prolem ſuſcepit: cumque jam ſecundæ partis Chronologiæ editionem meditaretur, exſpiravit, 14. Junii A. 1584. ætatis 55. *Freiſtadii Sileſiorum.* Poſtquàm in veritate Chronologicâ inveſtigandâ 17. annorum labores exantlâſſet. *Moritur ipſe.*

Terræ mandatus eſt illo ipſo die, quo parabola Evangelica, *de ove perditâ*, Eccleſiæ explicari ſolet; quam diem quaſi Divinitùs edoctus attigit, dum *verſus hos ſepulchro ſuo incidendos* dudum anteà compoſuit:

Epitaphium.

Hic, pie Chriſte! tuo recubat quæſita cruore,
Inque tuo gremio parvula dormit ovis.
Reddidit hæc animam balanti voce fidelem:
Huic Paſtor dicas, Intret ovile meum.

Familiariſſimè à primâ adoleſcentiâ vixit cum *Caſp. Hoffmanno* Archiatro *Brandeburgico*, cum quo nativitatis & mortis annum habuit communem, cum *Joachimo Curæo* Medico, &, ut dictum, *Thoma Hubnero.*

Edidit:

Scripta.

Iſagogen Chronologicam ab initio mundi ad exilium Iſrëalitarum in Babylone.
Indicem Chronologicum.
Iſagogen Chronologicam de annorum ſerie in Sacris Bibliis.
Catalogum Conſulum Romanorum.
Admonitionem ad Chronologiæ ſtudioſos.
Epiſtolas Chronologicas ad D. Davidem Paræum & Eliam Reuſnerum.
De Conſolatione decumbentium.
De Ideâ boni Paſtoris.
Conciones funebres.
* *Ex Melchioris Adami Vitis Germ. Theol.*

JOHANNES SCHUTZIUS.

Obiit A. C. 1584.

Vitam ejus brevibus declarat epitaphium hoc *Wittebergenſe*, in Templo Cœnobii *Franciſcanorum* ipſi poſitum:

Epitaphium.

Anno Christi M D XXXI. Vices. Martii Matut. IV. in hanc lucem editus est Halæ Sax. R. et Cl. Vir Dn. Johann Schutz S. S. Theologiæ Doctor et Professor inclutæ Acad. Witeb. Cancel. hujus Ecclesiæ præpositus, cujus Corpus hic depositum gloriosam resusc. expectat. Decessit XXIV. Julii circa Mat. II. Anno Domini M D LXXXIV. ætatis LIII. *Theologiæ Profeſſor Witteb.*

2. Tim. IV.

Certamen certum certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, quod ſupereſt, repoſita eſt mihi juſtitiæ Corona: quam reddet mihi Dominus in die illo, juſtus ille Judex, non ſolùm autem mihi, ſed & omnibus, qui expetunt illuſtrem illum ipſius adventum.

* *Ex Jubilæo Wittebergenſi D. Johan. Meiſneri. & Acad. Witteberg. Gottfridi Suevi.*

FRANCISCUS TURRIANUS.

Obiit A. C. 1584.

Natione *Hiſpanus*, patriâ *Legionenſis*, Vir omni diſciplinarum genere excellens, Philoſophus ac Theologus eximius, Græcæ Hebrææque Linguæ peritiâ & exquiſitarum literarum cognitione cum paucis conferendus, curioſus Antiquitatis indagator, diligens in Bibliothecis latentium & cum tineis blattiſque luctantium Voluminum S. Patrum inveſtigator. *Philoſophus Philologus & Theologus. Antiquarius.*

Itaque celeberrimas totius Italiæ Bibliothecas penè omnes pervolutaverat, excuſſerat, & quaſi helluo librorum devoraverat, *præcipuè verò Græcorum, & vulgò ignotorum auctorum.*

Cum autem *Ingolſtadii* & *Romæ* publicè docuiſſet, nec vulgaris doctrinæ eruditione floreret, ac multis editis libris ſui admirationem commoviſſet, ſuamque in Concilio *Tridentino*, miſſus à Summo Pontifice, cum reliquis Theologis ſententiam dixiſſet, præcipitatâ ætate, ac ſenio jam confectus penè cervicem ſuavi Domini jugo *Romæ* ſubjecit. *Profeſſor Ingolſtadii & Romæ. Legatus ad Concilium Tridentinum. Senex Societatem Jeſu ingreſſus.*

A. C. 1566. Ipſo Natalitio Domini die, & veteranus jam miles, novam tiro militiam ſuſcepit, & cum novitiis Societatis Jeſu Chriſti vexillum ſequi conſtituit; quod & fecit ſingulari humilitatis, modeſtiæ, atque obedientiæ exemplo.

Denique cum ad extremam perveniſſet ætatem, *Romæ* ſcribens, ſanctè mortuus eſt, *Moritur.*

11. Cal.

Digitized by Google

11. Cal. Dec. die Præſentationis Virginis *Mariæ* A. C. 1584. æt. 79.

Scripſit antè, quàm admiſſus eſſet in Societatem.

Scripta. *De Summi Pontificis ſupra Concilium auctoritate.*

De actis Nicænæ Synodi, deque Canonibus, qui ejusdem Synodi eſſe feruntur: & de Septimâ ac multiplici Octavâ Synodo.

Dogmaticum de Electione Divinâ, & de Juſtificatione.

De reſidentiâ Paſtorum.

De dogmaticis characteribus Divini Verbi Lib. IV.

De commendatione perpetuâ adminiſtrationis Eccleſiarum vacantium, & de reſidentiâ Paſtorum extra ovilia ſua.

Opuſcula de votis monaſticis: de inviolabili religione votorum Monaſticorum: de cœlibatu: de Matrimoniis clandeſtinis.

Poſt ingreſſum in Societatem Jeſu ſcripſit:

De Hierarchicis ordinationibus Miniſtrorum Eccleſiæ Catholicæ.

Adversùs Magdeburgenſes Centuriatores pro Canonibus Apoſtolorum, & pro Epiſtolis Decretalibus Pontificum Apoſtolicorum Lib. V.

Adversùs capita Diſputationis Lipſicæ Andreæ Freybabii Lib. IV.

Apoſtolicarum Inſtitutionum de Catholicâ doctrinâ Clementis Romani Lib. VIII.

Apologeticum contra Boquinum Bituricenſem, qui nomen Soc. Jeſu calumniabatur.

Epiſtolam ad Epiſcopum Laodicenſem de reditibus Eccleſiaſticis, & de ratione eis utendi.

Epiſtolam de definitione propriâ Peccati originalis ex S. Dionyſio Areopagita, & de Conceptione B. Mariæ Virginis.

Epiſtolam contra Ubiqueiſtas & Arrianiſtas.

Reſponſionem Apologeticam pro domo Lauretanâ ad Capita Petri Pauli Vergerii.

Canones Concilii Nicæni 80. ex Arabico in Latinum converſos & recognitos.

S. Diadochi Epiſcopi in vetere Epiro Illyrici Capita centum, De perfectione ſpirituali in Latinum tranſlata.

S. Nili capita 150. de oratione ad Deum, eodem Turriano interprete.

Johannis Carpathii Cypariſſiotæ Capita hortatoria.

De S. Euchariſtiâ Tractatus duos, contra Andream Volanum Polonum.

De Eccleſiâ Catholicâ, & ejus Paſtore Epiſcopo Romano, adversùs nugatorias cavillationes Antonii Sadeelis Lib. V.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A. C. 1585.

HEREBERTUS WESTFAYLINGUS.

Theologiæ Doctor. Sanctæ Theologiæ Doctor & Ædis Chriſti *Oxoniæ*, (è quo Collegio Epiſcoporum primus prodiit,) Præbendarius, ad hanc ſedem conſecratus eſt Decemb. 12. 1585.

Vir gravis. Eâ vir gravitate, ut vix unquam in riſum viderim ſolutum, per multos annos, quibus eum familiariter novi; Eâ vitæ integritate, ut teſtamentum conditurus, voce memorabili profeſſus ſit, opes ſe relinquere non magnas, ſed quibus benedictionem Dei conſideret affuturam, cum ſibi non eſſet conſcius, earum partem vel minimam malis artibus quæſitam.

Verba hujusmodi protuliſſe non magnum, ſed ita vixiſſe, ut nemo, qui ipſum noverit, de veritate eorum dubitaverit, virum demonſtrant, cui ſimiles, ſeculum noſtrum utinam plurimos produceret.

Migravit ab hac luce Martii 1. 1585. tumulum verò habet ſpecioſum ab Aquilonari pater tranſepti. *Moritur.*

Cœterùm ſilentio non eſt prætereundum, Collegio Jeſu *Oxoniæ* prædia ab hoc Antiſtite collata, 20. libras noſtrates annuatim reddentia, hoc eſt aureorum Gallicorum 66.

Sic ſcribit in Commentario ſuo de Præſulibus Angliæ Franciſcus Godwinus.

FRIDERICUS WIDEBRAMUS.

Obiit A. C. 1585.

Natus eſt *Pesnecii*, *Voitlandiæ* oppido, 4. Julii A. 1532. Patre *Bonifacio*, Matre *Annâ*, *Friderici Stappii*, Conſulis, filiâ.

Cum puer patrem amiſiſſet, ab avo materno ad ſtudia adhibitus eſt primùm in patriâ, mox *Neoburgi*, & demùm *Iſenaci* ſub diſciplinâ *Medleri* & *Roſini*. *Literis operam dat.*

A. 1549. *Jenam* adiit, ubi ſedulò docentes audivit *Erhardum Snepffium*, Theologiæ Doctorem, *Victorinum Strigelium*, & *Johannem Stigelium*, Poëtam, quo duce Carmina fundere cœpit. *Jenam adit.*

A. 1551. *Wittenbergam* profectus *Melanchthoni* charus fuit, & Magiſterii Philoſophici teſtimonium conſecutus eſt A. 1555. *Et Wittebergam.*

A. 1556. Uxorem duxit virginem *Eliſabetham Joh. Noëdemi* Conſulis filiam.

A. 1557. *Serveſtam* ad gubernationem Scholæ vocatus, de pueritiæ ſtudiis optimè meritus eſt. *Uxorem ducit.*

A. 1559. *Iſenacum* migrans, ſibi delegatum Rectoris in ejus oppidi Scholâ munus ſuſcepit. *Rector Scholæ.*

Pòſt A. C. 1563. vocatus, literis publicis in Academiam *Jenenſem* Linguæ Latinæ & Dialectices Profeſſorem egit. *Profeſſor Phil. Jenæ.*

A. 1569. Odiis quorundam cedens, à *Peucero* accerſitus, cum *Matthæo Weſenbecio* J. C. *Wittenbergam* venit.

A. 1570. Ibi poſt obitum *Pauli Eberi* Paſtor Eccleſiæ declaratus, non multò pòſt Theologiæ Doctor creatus eſt cum *Henrico Mollero*, *Caſparo Crucigero*, *Chriſtophoro Pezelio*, *Nicolao Selneccero* & *Joh. Bugenhagio* juniore. *Paſtor Eccleſ. & Theologiæ Doctor.*

A. 1574. Articulis *Torgenſibus* de Controverſiâ Euchariſticâ ſubſcripſit, cum anteà menſtruo carcere multatus fuiſſet.

Poſteà *Naumburgum* eſt relegatus, ibi triennium

Digitized by Google

Digitized by Google

p. 201.


FRIDERICꝰ HILDEBRANDUS.
Theol: Bremensis.
JOSUA OPITIUS,
Theol: Isenburgicꝰ.
SIMON SULCERUS,
Theol. Basiliensis.
LUDOVICUS LAVATERUS
Theol: Tigurius.
ANTONIUS HAASECKUS.
Theol: Gallus.
CASPARUS COELHASIꝰ
Theol: Leydensis.
MARTINUS CHEMNITIU
Superint: Brunswicens
TEODORICꝰ SNEPFFIUS.
Theol: Tubingensis.
RUDOLPHꝰ GUALTHER,
Theol: Tigurinus.
JOHANNES FOXUS,
Theol: Oxoniensis.
CASPARUS OLEVIANUS.
Theol: Herbornensis.
JACOBUS PAMELIꝰ.
Episcopus Audomaropolitanꝰ
JOHANNES MATTHÆUS.
Theol: Wittenbergꝰ.
GUILIELMUS LINDANUS
Episcopꝰ Gandavensis.
ALOYSIꝰ GRANATA vel
LUDOVICꝰ GRANATENSIS
Monachꝰ Dominicanꝰ.
LAURENTIꝰ HUMFREDUS.
Theol: Oxoniensis,

Exul vivit. ennium in exilio commoratus, Pſalterii Verſionem abſolvit.

Tum benignè eum vocante *Johanne* Comite *Naſſovio*, in valle *Dooiana* Eccleſiæ præfectus eſt.

Diſſidia componit Bremæ. A. 1579. Senatûs *Bremenſis* rogatu, & veniâ à Comite ſuo impetratâ, *Bremam* unà cum *D. Chriſtophoro Pezelio* profectus eſt ob diſſidia quædam inter Theologos ibi gliſcentia, quæ & diligenti *Widebrami* moderatione & ſtudio ſopita ſunt.

A. 1583. Eccleſias in ditione *Solmenſi* reduxit ad puritatem doctrinæ Apoſtolicæ.

Heidelbergam venit. A. 1584. A *Johanne Caſimiro*, Comite *Palatino*, vocatus, *Heidelbergam* venit, ut deliberationibus de Eccleſiis & Scholis rectè regendis cum aliis quibusdam Senatoribus Eccleſiaſticis intereſſet.

Ibi hecticâ febre, ad quam & alia acceſſerunt ſymptomata, correptus, piè placidèque deceſſit 2. Maji A. 1585. ætatis 53. *Ubi moritur.*

Sepultusque eſt ad *D. Petri* in choro addita epigraphe ejusmodi.

D. O. S.

Epitaphium.

Friderici hæc tegit urna Widebrami
Doctoris pia membra; quem Nariſcis
Peſnicum genuit: Sale Albidosq;
Lycea excoluēre, & audiēre:
Id magnum Lyrica magiſtrum in arte,
Cunctis Oenotriæ æmulum poëtis;
Hoc ſacræ quoque Præſulem Cathedræ
Inſignem pietate. Sed profeſſum
Conſtanter meliora, trux Erinnys,
Diſcordes quatiens faces ubique,
Incluſit Neopyrgicis catâſtis.
Excepit Decium exulem trienni
Fractum carcere: quinque vix & annis,
Cum luſtris tribus ac novem peractis,
Heidelberga benigniore fato
Gratis occuluit ſolutum arenis,
Sic Manes Pietas polo beatos
Indiditq; perenni nomen ævo.
At tu, quisquis ades, memor, fugaces
Anni quàm volitent; vicesq; noſtri
Quàm circum inſtabiles notentur ævi:
Sic vivas pius, & mori memento.
A dum vivifico tubæ fragore
Surgant excita, dic: cumbent benignè hic
Fridrici pia membra Widebrami.

Eliſabetha Widebr. uxor marito cariſſ. pii deſiderii ergo P. C.

ANNO DOM. M D LXXXV. DIE II. MAJI REVERENDUS ET CLARISSIMUS VIR D. FRIDERICUS WIDEBRAMUS. S. THEOL. D. EITELBERGÆ PIE OBIIT NAT. ANN. LIII. M. II. D. II.

Reliquit ingenii monumenta venuſta & pia Poëmata.

Paraphraſin Poëticam ſuper Pſalterium Davidis integrum.

* *Ex Melch. Adami Vitis German. Theol.*

Obiit A.C. 1585.

SIMON SULCERUS.

BErnæ Helvetiorum parentibus honeſtis natus eſt A. 1508. In patrio ludo Præceptore *Rubello* uſus, prima literarum fundamenta feliciter jecit, deinde

Lucernæ ſub *Oſwaldo Myconio* literas humaniores didicit. *Literis operam dat Humanioribus.*

Indè *Baſileam* venit, & in Mathematicis *Henricum Loricum Glareanum*, popularem ſuum domeſticum habuit Præceptorem.

Animo verò deindè ad Theologiam applicato, egregies nactus eſt Magiſtros: *Oecolampadium, Paulum Phrygionem, Argentorati* verò *Bucerum, Capitonem* ac *Hedionem*. *Et Theologiæ.*

A. 1531. *Baſileæ* Philoſophiæ Magiſter creatus, deindè Collegii Oeconomus conſtitutus eſt, & uxorem duxit ex *Merianorum* familiâ. *Magiſter Philoſophiæ.*

Paulò pòſt *Bernam* revocatus, ibi ad tempus in Scholâ docuit.

Annis aliquot poſt *Baſileam* reverſus, Ephorus alumnis Reipublicæ datus eſt.

A. 1538. Ad *Saxonicas* Eccleſias profectus, cum *Luthero* de diſſidio Sacramentario amicè contulit.

Domum reverſus, ſtatim ad Miniſterium Eccleſiaſticum vocatus, eam functionem annis decem cum laude obivit.

A. 1548. *Baſileam* reverſo Collegii *Auguſtiniani* Oeconomia commendata eſt. *Docet Baſileæ.*

A. ſeq. *Wolffgango Weiſſenburgio* ſuffectus, ad *D. Petrum* docendi munus obire juſſus eſt.

A. 1550. Cum *Carolus*, Marchio *Badenſis*, ſuæ ditionis Eccleſias reformare ſtatuiſſet, *Sulcerum* hunc cum *D. Jacobo Andreæ*, & *D. Jacobo Heerbrando*, Theologis *Würtenbergicis* ei negotio præfecit, & ad *Auguſtanæ Confeſſionis* formulam omnia diſponere juſſit.

A. 1552. Poſt *Münſteri* obitum Hebrææ Linguæ Profeſſio ei commiſſa eſt. *Profeſſor Linguæ Hebrææ & Theologiæ.*

Eodem Anno poſt *Oſwaldi Myconii* mortem ſummi Templi Paſtor conſtitutus, & triennio pòſt publica Theologiæ Profeſſio ei delata eſt.

A. 1563. *Baſileæ* Theologiæ Doctor renuntiatus eſt. *Theologiæ Doctor.*

Obiit tandem *Baſileæ* 22. Junii A. 1585. ætatis 77. *Moritur.*

Sepultus autem eſt in templo Cathedrali, cum Epitaphio ejusmodi:

C. S.

Epitaphium.

SIMON SULCERUS
THEOLOGUS
ÆDIS HUJUSCE ANN. XXXIII.
VERUS VIGILANSQUE
ANTISTES.
UTRAQUE MANU VINEAM DOMINI SUI
EXCOLUIT.
SCHOLAM THEOLOGICAM EREXIT
ATQUE REXIT:
FIDA DOCENDI ASSIDUITATE
SUSPICIENDUS,
VITÆ SANCTIMONIA ET PROBIS
MORIBUS
IMITANDUS.
VIXIT ANNOS LXXVII.
O. ANN. SAL. M. D. XXCV.
XXII. JUN.

Edidit:

Scripta. *Acta Synodi Bernenſis* è Germ. Latinè tranſlata.

Theſaurum Locorum Communium.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Germ. Theol.*

Obiit A.C. 1585.

LUDOVICUS LAVATERUS.

Natus eſt *Tiguri Helvetiorum*; litterarum fundamentis jactis, tantum eruditæ doctrinæ adjecit, ut in patriâ *Miniſter Eccleſiæ Tigur.* Scholæ & Eccleſiæ Miniſter voce ſuâ ſcriptisque fideliter utramque erudierit & illuſtrârit.

Uxorem ducit. Uxorem habuit *Henrici Bullingeri* filiam, quæ peſte interiit A. 1564.

Moritur. Obiit 15. Julii A. 1585. die 15. Julii.

Edidit:

Scripta. *Tractatum de Spectris, lemuribus, fragoribus, variisq́ præſagiis*, quæ plerumque obitum hominum & magnas clades præcedunt, qui ſæpiùs *Latinè, Germanicè, Belgicè, Gallicè* & *Italicè* excuſus eſt.

De Crucis tolerantiâ.

Comment. in Eccleſiaſten Salomonis.

De ritibus Eccleſiæ Tigurinæ.

Cometarum Catalogum.

Hiſtoriam de ortu & progreſſu Controverſiæ Sacramentariæ.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Theol. Germ. & aliis.*

Obiit A.C. 1585.

JOHANNES MOLANUS.

Patrem *Schoonbovianum*, matrem *Lovanienſem* habuit, ipſe *Inſulis* nobili emporio natus eſt A. 1533. quò mater prægnans venerat. *Theologiæ Doctor & Profeſſor. Lovan.* Civis & Doctor Theologus *Lovanienſis*, Pontificius Librorum Cenſor, & in *D. Petri* Canonicus fuit multiplici variarum rerum cognitione excultus, in omni vitâ ſuâ in ſtudioſos pauperes largus. Optimè præterea meritus de rebus Eccleſiaſticis, idque illuſtrando venerandæ antiquitatis per *Belgium* monumenta.

Moritur. *Lovanii* Deo creatori Spiritum reddidit, tumulatus ad *D. Petri* hoc Epitaphio:

Epitaphium.

CONDITUS HIC JACET
D. JOANNES MOLANUS LOVANIENSIS,
S. THEOL. PROFESSOR,
APOSTOLICUS AC REGIUS LIBRORUM
CENSOR,
ECCLESIÆQUE HUJUS CANONICUS,
QUI EDITIS LIBRIS CLARUS, ET INSIGNI
CONDITO TESTAMENTO,
QUO PAUPERIBUS STUDIOSIS AD CURAM
PASTORALEM SERIO SE PRÆPARANTIBUS
ANNUOS CCC. FLORENOS
LEGAVIT.
OBIIT LOVANII MAGNO SUI RELICTO
DESIDERIO,
CIↃ IↃ LXXXV. SEPT. XVIII.

Ejus hæc ſunt:

Scripta. *Uſuardi Martyrologium auctum & Annotationibus illuſtratum.*

De Picturis & Imaginibus Sacris Lib. II.

Annales Sanctorum Belgii.

Indiculus Sanctorum Belgii.

Militia ſacra Ducum & Principum Brabantiæ.

Diarium de Medicis ſanctis.

De Canonicis Lib. III.

De fide hæreticis ſervandâ Lib. III.

rebellibus ſervandâ Lib. I.

De fide & juramento, quæ à Tyranno exiguntur.

De piis Teſtamentis, & quâcunque aliâ ultimæ voluntatis diſpoſitione.

Theologiæ Practicæ compendium in V. Tractatis digeſtum.

Reſponſio quodlibetica ad tres quæſtiones.

Romanorum Martyrologium notis illuſtratum.

Bibliotheca Theologica M. S.

Annales Urbis Lovanienſis Lib. XIV.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1585.

JOSUA OPITIUS.

Vir in Philoſophiâ eruditus & Theologus eximius cum *Burckersdorfii*, & *Geræ* in *Miſniâ*, nec non *Ratisbonæ* 12. annos, & in ſingulis hiſce tribus Eccleſiis complures años Verbi Divini miniſterio functus eſſet, *Paſtor Eccleſiæ Ratisbonæ.* A. 1577. *Viennæ* in *Auſtriâ* Paſtor Eccleſiæ Evangelicæ factus, *Viennæ.* magno cum zelo verbum DEI docuit, & ſæpiùs ultra 8000. auditores Concionum ſuarum habuit, inter quos multi fuêre ex Aulâ Cæſareâ Comites, Barones, Nobiles, variique Proceres.

Indè verò A. 1581. pulſus in exilium cum uxore *Judithâ* & liberis, ultra 200. milliaria pervagatus, *Budingæ* tandem, Comitatus *Budingæ.* *Iſenburgici* oppido, conſedit, ubi cum per 4. *Mor. peſte cum uxore & liberis.* annos verbum DEI fideliter docuiſſet, peſte ſublatus unà cum uxore, filiis *Henrico* & *Chriſtophoro*, filiâque *Mariâ* morte beatâ vitam clauſit die Nov. 5. *S. Martini* A.C. 1585. ætatis 43. miniſterii 21.

Edidit:

Scripta. Kinder-Bibel.

Menſchen-Spiegel.

Nützlichen Bericht von den Engeln.

Sermon vom Abendmal deß HErrn.

* *Ex Concione fun. Mich. Eychleri.*

Obiit A.C. 1586.

HENRICUS BLISSEMIUS.

Natione *Germanus*, patriâ *Colonienſis*, annos natus 15. in numerum Societatis Jeſu adſcriptus, *Soc. Jeſu adſcriptus.* ad illius inſtitutum conformatus & inſtitutus eſt. Itaque *Pragæ* S. Theologiam cum laude docuit, & Collegii *Pragenſis* ac *Græcenſis* Rector fuit, totius etiam Provinciæ *Auſtriæ* Præpoſitus Provincialis. *Rector Collegii Pragenſis & Græcenſis. Præpoſitus Auſtriæ.*

Migravit è vitâ *Græcii* A.C. 1586.

Edidit:

Scripta. *Lib. De communione ſub unâ ſpecie.*

De

De Eccleſiâ militante contra Heerbrandum.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A. C. 1586.

ANTONIUS HAASECKUS.

Eccleſiæ Paſtor per 100. annos.

PRimus Paſtor *Galenſis*, in Diœceſi *Leodienſi*, per *centum annos* in eodem Paſtoratu vixit. Obiit autem *ætatis 125. annorum*, anno Chriſti 1586.

Interrogatus ab Epiſcopo *Leodico*, *quo vitæ regimine vitam adeò longam produxiſſet?* reſpondit: *Se trium abſtemium ſemper extitiſſe*, videlicet *Mulierum*, *Ebrietatis*, & *Iracundiæ*.

* *Hæc Iconi ejus æri inſculptæ ſubſcripta leguntur.*

Clar. A. C. 1586.

CASPAR COLHASIUS.

NAtus eſt *Coloniæ Ubiorum* A. C. 1536. in Vigiliâ Converſionis *S. Pauli*. *Duſſeldorpii* ſub Rectore *Johanne Monhemio* in bonis literis inſtitutus eſt.

Fidei Pontificiæ renuntiavit.

A. C. 1560. ætatis 24. Regno Pontificio renuntians, cum honoris jacturâ & vario vitæ diſcrimine, variâ jactatus fortunâ, tandem *Tratbachii* in Ducatu Principis *Palatini Bipontini* ad Eccleſiæ Reformatæ Miniſterium vocatus fuit.

Eccleſiæ Miniſter Tratbachii.

Anno ibi tranſacto, in Comitatum *Naſſovicum* profectus, partim *Bilſteinæ*, partim *Sigenæ* eandem provinciam quinquennio adminiſtravit.

Bilſteinæ, & Sigenæ.

Daventriæ.

A. 1566. *Daventriam* accerſitus, primus ibi repurgatam doctrinam publicè tradidit.

Anno ſequenti hoſtium expulſus violentiâ, *Eſſendiæ*, ſub ditione Principis *Clivenſis*, ſacrum docendi munus repetiit.

Moſenbemii. Gorcomii.

A. 1571. Indè in *Palatinatum* remigrans, *Moſenbeimii* in hâc functione vixit usque ad A. 1573. quo ab Eccleſiâ *Goricomenſi* vocatus cum familiâ eò migravit. Sed vix ſemeſtri ibi tranſacto à *Leidenſibus* vocatus eſt, quibus cum operam ſuam A. 1574. promiſiſſet, urbe interim graviter obſeſſâ, partim *Delfis*, partim *Dordraci*, ubi Synodus generalis tum habebatur, ad tempus ſubſtitit.

Miniſter Leydenſis.

Sed ipſo liberationis die Urbem *Leydenſem* ingreſſus, Eccleſiæ Miniſterium in eâdem usque ad A. 1582. continuavit.

Intereà cum A. 1575. Academiæ fundamenta ponerentur, in actu ſolenni Orationem inauguralem habuit, & Profeſſionem Theologicam auſpicatus, Epiſtolam *S. Pauli ad Galatas* publicè ad tempus explicuit.

Theologiæ Profeſſor Leydenſ.

Poſteà Succeſſorem in Profeſſione nactus, in ſolo Eccleſiæ Miniſterio labores ſuos continuavit.

A. 1579. Controverſiâ inter ipſum & Collegas obortâ *de jure Chriſtiani Magiſtratûs circa Diſciplinam & Regimen Eccleſiæ*, cum cœteris ipſe per conſcientiam aſſentiri non poſſet, hi verò diſſentientem ferre nollent & aliæ ſubinde lites ex aliis naſcerentur, ipſe publicæ pacis ſtudio munus docendi deſeruit, & ſibi ſuisque privatus impoſterùm vixit.

Munus in Eccleſiâ docendi deſeruit.

Ex vitis Profeſſorum *Leydenſium*.

Caſpar Cunradus Med. D. Proſopographiæ ſuæ Melicæ Millenar. III. Hoc ei ſcripſit diſtichon honorarium:

Orantem Schola me primum Leydenſis habebat,
Cum ſedem hîc faceret Muſica turba ſuam.

Clar. A. C. 1586.

BONAVENTURA MAMENTUS.

ORtus eſt ex nobili familiâ in oppido agri *Brixienſis Gabiano*, ex quâ, præter alios Viros claros, prodiêrunt Juris-conſulti celebres *Antonius* pater, & *Franciſcus* filius, nobiles *Brixiani*, vocati poſteà *Gabiani*, & *Johannes Dominicus*, Philoſophus ac Medicus egregius, & hic *Bonaventura*, Ordinis *Franciſci Minoris*, Theologus præclarus, & Concionator diſertus.

Concionator Ordinis S. Franciſci.

Hic cum eas artes, quæ ad Humanitatem pertinent, ſtudioſè perfecutus eſſet, Muſicæque ſimùl operam dediſſet, *Brixiæ* primùm ſtudere cœpit Philoſophiæ ac Theologiæ, audivitque per aliquot annos *Antonium Sapientium*, tum in conventu *Brixiano* Regentem, qui poſteà ſummus extitit *Franciſcanæ* Religionis Magiſter: deindè *Patavii* auditor fuit aſſiduus Philoſophorum *M. Antonii Genuæ*, *Jacobi Bargii*, & *Hieronymi Girelli* Theologi, tantumque profecit, ut cum honore Diſputationes publicas habuerit tùm *Veronæ*, tùm alibi, in Comitiis Generalibus *Franciſcanorum*.

Theologiæ Studioſ. Brixiæ.

Patavii.

Doctoris deindè conſecutus Inſignia, Regens in eo ipſo Conventu factus eſt, ubi ejus ſtudia initium habuerant. Fuit poſteà Regens in Conventu *Ulmenſi*, tunc, cum Sedes Apoſtolica Quæſitorem eum delegit hæreticæ pravitatis in Patriarchatu *Aquilejenſi*.

Theologiæ Doctor.

Indè rexit ſtudia in Conventu *Patavino* A. 1565. ſimulque à Senatu *Veneto* ad Theologiam ex doctrinâ *Scoti* explicandam electus eſt, docuitq; hoc in munere diu. Illo verò tempore cum congreſſiones fierent, & circuli diſputantium Doctorum, dici non poteſt, quàm ipſe in illis congreſſibus & circulis excelleret; hujusmodi verò certamina per 15. annos exercuit, eodemque temporis ſpatio per tres annos *D. Antonii* provinciam adminiſtravit.

Theologiæ Profeſſor Patav.

Denique à Cardinali *Turriano*, Epiſcopo *Cenetenſi*, accitus, publicum docendi munus dimiſit, & tanquam miles emeritus poteſtatem impetravit ceſſandi à publicis explicationibus, ſeque recipiendi in oppidum *Seravallum*, ubi abindè Deo ſervivit.

A profeſſione publicâ dimiſſus.

* *Ex Gymnaſii Patav. deſcriptione, ab Ant. Riccobono editâ.*

Digitized by Google

Obiit A.C. 1586.

LUDOVICUS CAPPELLUS.

Filius *Jacobi Cappelli*, Advocati Regii, in ſupremo Senatu *Pariſienſi*, natus eſt 15. Jan. A. C. 1534.

Septennis patre orbatus, anno æt. 17. Præceptoris Claſſici in Gymnaſio, *Cardinalis Monachi* elogium nacto, partes ſuſtinuit per quinquennium.

Professor Linguæ Græcæ Burdegalæ.

Indè *Burdegalam* ceſſit, Juri Civili operam navaturus. Ibi dum Profeſſionem Linguæ Græcæ ſibi oblatam ornavit, veritatis Evangelicæ cognitionem deguſtare cœpit, & ideò anno ſequenti *Genevam* diſceſſit.

A. 1561. *Lutetiæ* Evangelicorum creſcente numero, horum Patronum coràm Rege *Carolo IX.* Regnum auſpicante egit, & effecit, ut anni ſequentis initio edictum, à Januario nuncupatum, fuerit emiſſum.

Cum igitur omnes facundiam ejus animique dotes demirati eſſent, ut eas Eccleſiæ addiceret, ſolicitabatur, & tandem vi quaſi adactus, Verbi Divini Miniſterium amplecti cœpit, & *Pariſinæ* Eccleſiæ nomen dare, à quâ amandatus eſt ad populoſam Eccleſiam *Meldenſem* paſcendam.

Miniſter Eccleſ. Pariſ. Et Meldenſ.

Sed cum inibi ſedem fixiſſet, per novos tumultûs, novum domicilium deſerere coactus, primùm *Genevam*, mox *Sedanum* fugit.

A. 1569. Ad *Antverpianos* Paſtorem poſcentes ablegatus, mox propter Ducis *Albani* ſævitiam *Sedanum* regredi coactus eſt.

A. 1572. Revocatus in *Galliam*, & Eccleſiæ *Claromontanæ* attributus, cum poſtridiè ejus diei, quo Admiralius *Collignius* vulneratus eſt, Concionem in ipſius ædibus, ad id laribus ſuis evocatus, habuiſſet, poſt ſubſecutam diram lanienam *Sedanum* repetere, facultatibus omnibus exutus, coactus eſt.

Lanienam Pariſ. evaſit. Sedanum venit.

Ibi cum per plures dies contra Jeſuitam *Maldonatum*, à Duce *Montpenſerio* miſſum, cum honore decertâſſet, ablegatur ad Principes *Germanos*, eorum auxilium imploraturus.

Eâ legatione dum cum laude & ſucceſſu fungeretur A. 1575. *Lugdunum Batavorum* à *Guilielmo* Principe *Auriaco* evocatus, in Academiâ tunc introductâ Theologicis exercitationibus exordium dedit.

Theologiæ Profeſſor Lugduni.

A C. 1576. Adventante in *Galliam Johannis Caſimiri*, Comitis *Palatini* exercitu revocatus, & caſtrenſi Prædicationi inter Gallos addictus eſt, usque dum Pax illa in breviſſimum tempus, quod prænuntiaverat, *Stampis* percuſſa eſt.

Theol. Caſtrenſis Gall.

Recrudeſcente itaque bello, tandem ab Eccleſiâ *Sedanenſi*, & *Franciſcâ Borboniâ*, Ducis *Bullionei* viduâ, in Paſtorem ordinarium adoptatus Eccleſiæ *Pariſinæ* indultu, provinciam illam cum Profeſſione Theologicâ obivit usque ad A. C. 1586. quo diem ultimum clauſit die 6. Jan. A. ætatis 51.

Paſtor & Profeſſor Eccleſiæ Sedanenſis.

A *Tenantio*, Collegâ & Paſtore, Oratione publicâ laudatus eſt.

Scripta ab eo edita ſunt:

Scripta.

Animadverſiones in novam Davidis Lyram.
Hiſtoria Apoſtolica.
Epochæ illuſtres.
Epiſtola de Criticâ, contra Bootium.
Vindiciæ pro Caſaubono adversùs Rosweydum.
Aſſertio bonæ fidei adversùs Rosweydum.
Comment. in Apocalypſin Johannis.
Pelagiarius vapulans, ſive Genevæ bona fides.

Obiit A.C. 1586.

DOMINICUS BENEDIXIUS.

Snecæ in *Hollandiâ* parentibus honeſtis natus, in trivialibus Præceptores habuit ſatis doctos usque ad annum ætatis 13. *Harlemi* cum *Joachimo Hoppero* ſtuduit, & *Lovanii* Jurisprudentiæ operam dare cœpit. Sed anno vix exacto, ad Sacerdotium adjecit animum.

Juris ſtudioſus.

Snecæ ac demum *Leovardiæ* Paſtorem egit, & ſingularem quandam gratiam habuit in concionando. A *Cunero Petro*, primo *Leovardiæ* Epiſcopo, primus Archidiaconus ibidem conſtitutus, tandem in exilium actus eſt, & *Coloniæ* aliquandiu ſe continuit. Mortuus eſt *Düſſeldorpii* Canonicus 14. Jan. A. C. 1586.

Concionator. Archidiaconus Leovardiæ.

Scripſit & edidit:

Scripta.

Sermones de vitandâ peccati occaſione.
De Humilitate.
De Irâ, Invidiâ, & Continentiâ.
Contra luxum & crapulam.
De purâ caſtitate.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

Obiit A.C. 1586.

MARTINUS CHEMNITIUS.

Natus eſt *Brizæ veteris Marchiæ* oppido, patre textore A. 1522.

Decimo quarto ætatis ſuæ anno, poſt Parentis obitum manuario adhibitus eſt officio, ſellæque admotus textoriæ, mox tamen *Georgii Sabini* interventu, (invitâ etiam genitrice,) ex officinâ textoriâ retractus, primùm ad Scholam *Magdeburgenſem*, *Francofurtenſem* & *Wittenbergenſem*, poſteà *Regiomontanam*, *Georgium Sabinum* agnatum ſuum ſecutus, pervenit, ibique bonis egregiè imbutus diſciplinis, tum Philoſophicis Mathematicisque ſtudiis inſtructus, faciliori viâ ad graviora illa ſtudia ſibi aditum paravit. Scholæ etiam oppidanæ ibi præfectus, & gradu Magiſterii in primâ ejus Academiæ promotione ornatus eſt.

Puer ſellæ admotus textoriæ.

Literis operam dat.

Magiſter Philoſophiæ.

A. 1552. Theologiæ ſtudio ſe totum dedidit, & Principis *Alberti* nutu *Bibliothecæ* præfectus eſt *Prutenicæ*, honeſtumque in Aula locum habuit, & *hac occaſione*, (uti ipſe ſcribit alicubi,) *ſtudio linguarum accenſus eſt, & amore cognoſcendæ veræ & purioris antiquitatis.*

Bibliothecæ præficitur.

Libros legit Biblicos. tatis. Hincque primùm omnes libros Biblicos ordine perlegit, diverſas inter ſe contulit verſiones, textusque authentici interpretationes. Deindè Patrum ſcripta, ſive antiquitatis monumenta diligentiſſimè evolvit, ultimo loco ea ſubjunxit, quæ de articulis ævo ſuo controverſis mota fuêre certamina, utriusque partis argumenta juſta lance ponderavit.

A. 1555. Honeſtè à Duce Alberto dimiſſus, hisque ſacræ eruditionis copiis inſtructus, denuò *Wittenbergam* in convictum *Melanchthonis* rediit, ubi publica hoſpitis ſui locorum communium prælectio ipſi demandata fuit.

Wittebergam venit Et Brunſuigam, ubi Superintendens eligitur. *Witteberga* cum aliquandiu in maximâ Auditorum frequentiâ docuiſſet, *Brunſuigam* evocatus commigravit, cui Eccleſiæ per 30. annos primùm Coadjutor, mox Paſtor, Antiſtes & Superintendens, quo tempore gradu Doctoris *Roſtochii* decoratus eſt, præfuit.

Cumque intereà breve quidem ſed nervoſum ſcriptum, durante adhuc *Concilio Tridentino*, Jeſuitarum Theologiæ oppoſuiſſet, hujus opuſculi *Andradius Luſitanus* in ſe ſuſcepit refutationem, hincque *Chemnitio* occaſionem ſubminiſtravit conſcribendi inſigne illud opus, quod inter labores ejus primum obtinet facilè locum, *Concilii Tridentini Examen* nuncupatum.

Hiſce igitur & aliis ſcriptis tantam conſecutus eſt exiſtimationem, ut non ſolùm omnium ore mirificè commendatus, verùm ad maximum tandem & arduum ſarciendæ inter Evangelicos *Concordiæ negotium* ab *Auguſto Electore Saxoniæ* fuerit adhibitus.

Obiit tandem, cum biennio rude donatus *Moritur.* vixiſſet 8. April. A. 1586. ætatis 64. Miniſterii 33.

Scripſit *Latinè*

Scripta. *Locos Theologicos*, quibus *Philippi Melanchthonis* Communes Loci perſpicuè explicantur, & quaſi integrum Chriſtianæ doctrinæ corpus Eccleſiæ Dei ſincerè proponitur. in fol. Witteb. A. 1623.

Examen Concilii Tridentini quadripartitum, in quo præcipuorum capitum totius doctrinæ Papiſticæ firma & ſolida eſt refutatio collecta, &c. A. 1590. Francof. in 8. & fol.

Fundamenta ſanæ doctrinæ de verâ & ſubſtantiali præſentiâ, exhibitione & ſumtione Corporis & Sanguinis in Cœnâ. Francof. A. 1620.

De duabus Naturis in Chriſto libellum ex ſcripturæ ſententiis & purioris antiquitatis teſtimoniis ſummo ſtudio contextum. Jen. in 8. & fol. 1590.

Judicium Chemnitii de controverſiis quibusdam ſuperiori tempore circa quosdam Confeſſionis Articulos motis, editum per *Polycarpum Lyſerum* Witteb. 1594. in 4to.

Harmoniam Evangelicam primùm inchoatam, quæ dein per *Polyc. Lyſerum* continuata, & *Joh. Gerhardum* eſt conſummata Francof. 1622. in 4to.

Enchiridion Doctrinæ de præcipuis doctrinæ cœleſtis Capitibus per quæſtiones & reſponſiones. Francof. in 8.

Theologiæ Jeſuitarum præcipua capita. in 8. 12. & fol.

Epiſtolam de Cœnâ Domini, in tertiam Apologiam Bezæ, ad D. Timotheum Kirchnerum.

Diſputat. Theol. de Beneficiis filii Dei Domini & Redemptoris noſtri J. C. pro ſummis in Theol. honoribus habitam Roſtochii 1568.

Judicium de Calendario Gregoriano in 4.

Opera ipſius Germanico idiomate conſcripta:

Fundamenta Sacræ Cœnæ converſa in Germanicum Sermonem, prodierunt Francof. 1598. in 8.

Explicatio articulorum quorundam Religionis Chriſt. Franc. in 8. 1593.

Enchiridion doctrinæ Germ. prodiit ibid. in 8.

Examen Concilii Tridentini in vernaculâ linguâ editum eſt Franc. in fol.

Vindiciæ fidei & Confeſſionis Chemnitianæ conſcriptæ à Miniſt. Brunſuic. Magdeburg. 1562. in 4.

Hiſtoria Paſſionis Chriſti juxta quatuor Evangelia Franc. 1595. in 8.

Ejusdem Hiſtoriæ Paſſionalis explicatio. Lipſ. in 8.

Poſtilla ſeu Explicatio Evangel. Domin. & Feſtal. totius anni. Magd. in fol.

Scriptum Conſolatorium ex Hiſtor. Reſuſcitati à Chriſto juvenis Nainitici. Isleb. A. 1596. in 8.

Concio de Baptiſmo.

Concio de Remiſſione peccatorum habita Caſſellis 1608.

Chriſtiana admonitio de cavendis libris Zwinglianis.

Examen Ordinandorum.

Explicationes aliquot Pſalmorum, & Conciones funebr. variæ.

* *Ex Melch. Adami Vitis Theol. Germ. & aliis.*

TYCHO ASMUNDIUS. *Obiit A.C. 1586.*

Magiſter Artium à Decano Facultatis Philoſophicæ *M. Joh. Albertio* creatus eſt A. 1555. cum Concionator junioris Principis *Frederici* eſſet. Profeſſor Pædagogicus fuit: inde Paſtor Eccleſiæ D. Virginis *Hafnienſis*, A. 1560. *Paſtor Eccleſiæ Hafnienſis.*

Epiſcopus *Lundenſis* A. 1561. à *D. Johanne Albertio Sædlandiæ* Epiſcopo ordinatus, ſpontè ceſſit Epiſcopatu A. 1577. & obiit in Epiſcopali Urbe A. 1586. d. 25. April. Sepultus in Templo Cathedrali, cum hâc inſcriptione: *Epiſcopus Lundenſis.*

Epitaphium. V. CL. DN. M. TYCHO ASMUNDIUS, DIOECESIS OLIM SCANIENSIS SUPERINTENDENS, ET LUNDENSIS ECCLESIÆ CANONICUS, CUM EXACTIS IN EPISCOPATU ANNIS XVII. ET MENSIBUS CIRCITER IV. TOTOS EXINDE ANNOS VIII. ET MENSES IV. VIXIT. PIE

Digitized by Google

TANDEM ET PLACIDE OBIIT APRILIS DIE XXV. A. C. M D LXXXVI. ÆTATIS SUÆ LXIV. CUI CONJUNX MARINA SEVERINI F. CONJUGI CARISS. H. M. P. M.

* *Ex Academiâ Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

PRIMUS TRUBERUS.

Obiit A.C. 1586.

ROſterlicli, pago *Carniolæ*, tribus milliaribus â *Labaco* natus eſt A. 1508.

Mendicato pane vivit. Puer â patre *Salisburgum* miſſus eſt, ubi literarum rudimenta percepit, *Viennam* verò *Auſtriæ* ablegatus, pane ibi publicè mendicato vixit.

Deindè *Petri Bonomi*, Epiſcopi *Triſtani*, Symphoniacis adjunctus,

Parochus Laceæ. A. 1527. *Laceæ* Parochus eſt ordinatus,& A. 1542. Canonicus ad *Martini Fiſternatis*.

Idololatriam taxat. Beneficiis exutus. A. 1547. Cum cultûs idololatricos taxâſſet, juſſu *Urbani Textoris*, Epiſcopi *Labacenſis*, omnibus ſuis beneficiis exutus & *Bibliothecâ ſpoliatus* eſt.

Noribergam venit. A. ſeq. Ortâ novâ perſecutione, Provinciâ *Carniolanâ* ejectus, primùm *Noribergam* venit, indè promotione *Urbani Regii*, ad Miniſterium *Rotenburgi* ad *Tubarin* vocatus, ibi uxorem duxit, fideliterque Eccleſiæ inſervivit. *Rotenburgi docet, & uxorem ducit.*

A. 1552. Eccleſiæ Campenſi præfectus, octennium Evangelium ibi docuit.

A. 1560. Ad ſuos in *Carniolam* remigrare volens, cum ob impedimenta non poſſet, â *Chriſtophoro* Duce *Wirtenbergico* Paſtor *Auracenſis* conſtitutus eſt, ubi annum docuit.

Labaci fidei confeſſionem edit. A. 1562. Iterùm *Labacum* vocatus, permiſſu Principis ſui, eò abivit, ſed ſtatim ab hoſtibus ſuis calumniis impetitus, in Aulâ Imperatoris *Ferdinandi*, ad tribunal Epiſcopi *Labacenſis* citatus, intrepidam fidei ſuæ Confeſſionem cum fructu edidit.

Iterùm deindè, quantumvis deprecantibus ordinibus *Carniolanis*, pàtriâ exire juſſus, reverſus *Tubingam*. primùm Eccleſiæ *Lauſenæ* præfectus eſt. Cum verò ſemeſtre ibi fuiſſet, *Derendingam* non procul â *Tubingâ* translatus eſt, ut operis Typographicis adeſſe poſſet, dum varios libros Theologicos primus in linguam *Wandalicam* vertit. *Derendingæ docet.*

Vixit autem *Derendingæ* in annum uſque viceſimum, & officio ſuo diligenter præfuit.

Donec placidè inter preces exſpiravit, cum 9. tantùm diebus decubuiſſet 29. Junii. A. 1586. ætatis 78. *Moritur.*

Concionem ipſi funebrem habuit *Jacobus Andreæ*, Cancellarius *Tubingenſis*.

In Linguam *Sclavonicam* traduxit, liberalitate adjutus Baronis *Johannis Ungnadii ab Sonneneck*:

Scripta.

Catechiſmum.
Novum Teſtamentum.
Locos Communes Theolog.
Confeſſionem Auguſt.
Ordinationem Eccleſiaſticam.
Examen Melanchthonis.
Poſtillam Lutheri.
Pſalterium Germanicè explicuit.

Hiſce laboribus effecit *Truberus*, ut Evangelii doctrina non ſolùm in Ducatu *Carniolæ*, ſed & *Carinthiæ* ipsâque *Turciâ* fuerit propagata.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Germ. Theol.*

THEODORICUS SNEPFFIUS.

Obiit A.C. 1586.

WImpinæ ad *Neccarum* oppido natus eſt, 1. Nov. A. 1525. Patre *Erhardo*, Theologo Clariſſimo, Matre *Margarethâ*, Conſulis ibidem filiâ.

Marpurgi literis incumbit. Puer primùm *Marpurgi*, quò Pater evocatus erat, magiſtro uſus eſt *Chiliano Lingelfinio*.

Indè cum Patre *Stutgardiam* veniens, commendatus eſt inſtitutioni *Alexandri Marcoleonis* juventutis Moderatoris tùm eo loco celebris.

Commilitones. Ibi in commilitio habuit præter alios *Jacobum Andreæ*, *Johannem Wellingium*, *Ferdinandi* Regis poſteà Cancellarium, *Anaſtaſium Demlerum* J. C. & 4. *Bidenbachios*, *Johannis* filios.

Tubingæ. A. 1539. *Tubingam* â Patre miſſus, 5. Nov. in Civium Academicorum numerum â *D. Balthaſaro Keſelino* Rectore fuit relatus. Ibi verò cum Anno ſeq. 72. vel, ut alii, 69. domûs incendio conflagrâſſent, haud levem *librorum ſuorum fecit jacturam*. *Libros incendio amittit.*

Baccalaureus. A. 1541. Decano Philoſ. *M. Michaële Vajo*, unà cum *Jacobo Tachtlero* primam lauream adeptus eſt.

Magiſter Philoſ. A. 1544. Cum Pater ejus Menſe Febr. ſummos in Theologiâ honores conſecutus eſſet, ipſe Decano Philoſophico *Conrado Schotto*, *Tagersheimenſi*, ſummos in Philoſophiâ honores impetravit cum aliis, inter quos fuerunt *Jacobus Tachtlerus*, *Georgius Liblerus*, & *David Chytræus*.

Docet linguam Græcam. Totus poſteà *Theodoricus* ad Theologiæ ſtudium ſe dedit, factusque eſt Magiſter domûs vel Gubernator Ducalis Alumnorum, quibus *Linguam Græcam* & *Homerum* interpretatus eſt, laborum ſocios habens *Hieronymum Gerbardum*, poſteà Procancellarium *Wirtenbergenſem*, *Martinum Frechtum*, Theologiæ Licentiatum, & *Joh. Hildebrandum* Linguarum Profeſſorem.

Uxorem ducit. A. 1551. Uxorem duxit *Johannis Brentii* Theologi filiam *Barbaram*, in gynæceo *Wirtenbergico* tum verſantem.

A. 1553. *Derendingenſis* Eccleſiæ Parochus delectus, 29. Sept. primam habuit Concionem.

Theologiæ Doctor. A. 1554. Theologiæ Doctor renuntiatus eſt cum *Ruperto Durio*, Superintendente poſteà March. *Badenſis*, poſtquam 4. Maji prægreſſo, Præſide *Jacobo Beuerlino*, *De peccato Originis* publicè diſputâſſet.

A. 1555. *Nurtingenſis* Eccleſiæ Paſtor & vici-

vicinarum Decanus ſpecialis conſtitutus, eò cum familiâ migravit.

Tubingenſis Theologiæ Profeſſor. 1. Febr. A. 1557. *Tubingam* venit, cum paulò antè in locum *Martini Frechti* defuncti Theologiæ Profeſſor deſignatus fuiſſet.

Colloquio Wormat. intereſt. Paulò pòſt *Wormatiam* ad Colloquium cum aliis Theologis miſſus, ibi patrem ſuum *Erhardum* cum Theologis *Saxonicis* eò ablegatum poſtremùm ſalutavit, eum namque Anno ſeq. amiſit.

Superint. General. A. 1562. Paſtor & Generalis Superintendens conſtitutus, eo in Officio quinque luſtrorum decurſu fidelem ſe declaravit. Fuit etiam Ærarii Academici Præfectus aliquoties, quem Summum ibi Deputatum vocant.

A. 1564. Ad Colloquium *Maulbrunnenſe* cum aliis Theologis miſſus eſt.

Cum autem toto ferè vitæ ſuæ tempore integrâ eſſet uſus valetudine, niſi quod ſeneſcens Eriſipelate aliquoties tentaretur, cum eodem paucis diebus lethaliter decubuiſſet, animam DEO reddidit 9. Nov. A. 1586. æt. 61. Tubingæ ſepultus in Templo, in quo 24. annos ampliùs docuerat, Concionem habente *D. Jacobo Andreæ*. Mortuum autem laudavit *Erhardus Cellius* 13. Jan. A. ſeq. in aulâ novâ. *Moritur.*

Ex primâ autem Uxore *Barbarâ, Johannis Brentii* filiâ, quæ obiit 21. Maji A. 1572. 9. filias & 3. filios ſuſcepit.

A. 1573. Ad ſecundas nuptias tranſiit cum *Julianâ, Abrahami Spengleri* J.C. & Conſiliarii *Wirtenbergici* filiâ, quæ marito ſupervixit.

Edidit:

Scripta.

Commentarium in Jeſaiam Prophetam.
Orationes in Natalem Salvatoris.
Obitum Eberhardi Principis Wirtenb.
Diſputationes Theologicas varias.
In Pſalmos enarrationes.

* *Ex Melchioris Adami Vit. Theol. Germ.*

Obiit A.C. 1586.

RUDOLPHUS GUALTERUS.

Poëta & Orator. NAtus eſt *Tiguri* in *Helvetiâ* A. 1519. 9. Nov. Hîc cum ad literas humaniores animum adjeciſſet, in Poëtarum juxtà & Oratorum cenſu haud poſtremus fuit.

Eccleſiæ Antiſtes. Paſtor autem & Antiſtes Eccleſiæ Patriæ declaratus, annis amplius 40. munere iſto ſancto ſingulari functus eſt induſtriâ, homiliis inſuper Scripta Veteris & Novi Teſtamenti plurima illuſtravit, ac præcipuos in Theologiâ Locos explicavit: Obiit A. 1586. ætat. 67. 25. Nov. *Moritur.*

Rudolphus Gualter filius. Filium habuit cognominem Eccleſiæ itidem Tigurinæ Miniſtrum immaturâ morte ante patris obitum terrenis ereptum, 9. Feb. 1577. æt. 23. in cujus memoriam *Bonaventura Vulcanius* hoc ſcripſit Epitaphium.

Epitaphium.

Gualterus tumulo jacet ſub iſto,
Natus unicus optimi parentis,
Et decus Patriæ & corona patris.
Quem quamvis patria & pater Rudolphus
Ereptum patriæ dolent & orbi:
At gaudet patria, & pater ſolutum
Curis, & miſeræ labore vitæ,
In vitæ & patriæ ſolum perennis,
Et dulces ſuperum choros receptum:
Nam qui Chriſtum amat unicè colitq;
Huic eſt vita mori: moriq; vita:
Et ſolvi volupe eſt, Deoq; necti.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Germ. Theol.*

JOHANNES HOLMANNUS SECUNDUS.

Obiit A.C. 1586.

STadenæ, celebri *Germaniæ* Emporio natus eſt A. 1523.

Pater primus reformatæ Eccleſiæ Antiſtes. Patre *Johanne Holmanno* Primo, in urbe *Stadenâ* reformatæ operâ *Lutheri* Religionis primo Antiſtite.

Literis operam dat. Puer admodum hic *Johannes Roſtochii* prima ſtudiorum rudimenta jecit.

Filios Electoris inſtruit. Indè *Wittenbergam* ablegatus, *Melanchthonis* commendatione, filiis Electoris *Saxoniæ* inſtituendis datus eſt.

Docet Stadenæ. Mox in patriam revocatus, & S. Miniſterio initiatus, primùm in pagis *Stadenæ* vicinis, deindè in ipsâ Urbe Eccleſiaſtis munere functus eſt.

Uxorem ducit. A. 1546. Ibi uxorem duxit *Annam*, ex quâ 5. liberos ſuſcepit, quorum natu major, *Johannes Holmannus* Tertius ſimùl cum patre *Stadenæ* Verbi Divini Miniſterio functus eſt, ſed non multò pòſt obiit.

Theologiæ Profeſſor Lugdunenſis. A. 1581. *Lugdunum Batavorum* commigravit ab Academiæ Curatoribus ad publicam S. Theol. Profeſſionem vocatus.

Alteram ducit uxorem. A. 1582. Alteram ibi uxorem ducit virginem *Becken ab Edenbuttels* ex patriâ accerſitam, ex quâ nullos liberos ſuſcepit.

Moritur. Tandem lethali febre obortâ, mortuus eſt in amplexibus amici familiaris ſui *Johannis Heurnii* adſtante *Jano Douſa, Lipſio, Belma*. 26. Dec. A. 1586. ætatis 63.

Janus Douſa, ſeq. Elegiâ virum hunc benè meritum eſt proſecutus, quam *Lugduni* ad *D. Petri* poſuit:

Hoc tumulo Holmanni cineres Libitina ſacravit:
Siſte hoſpes, fuerit, dum, quis & unde, ſcias.
Prognato ingenuis Stadena parentibus auras
Lucis & expenſa huic prima alimenta tulit.
Mox Rhodus, & Cimbræ puero plauſiſtis Athenæ,
Qua Codóna frequens littora plangit olor
Hîc percepto animi cultu, morum indole, vitam,
Ingenium, ingenuis artibus excoluit:
Nec ſatis hoc: celebrem Miſni quoque Principis aulam
Et Wittenbergam noſcere cura fuit.
Sæpe hic Lotichii pendere canentis ab ore:
Sæpe tuâ meruit voce, Philippe, frui:
Sacrorum inprimis [illegible] perdiſcere cordi:
Et ſtudium veræ relligionis habens.

Majo-

Majores natu venerari, æqualibus uti
Comiter, à faſtu liber & invidiâ.
Et mirum, tantis virtutum inſignibus auctum
Saxonici ſtudium promeruiſſe Ducis:
Et dignum ante alios habitum, ſua pignora curæ
Cujus, & arbitrio crederet, & fidei?
Martia quo placidas molliret corda per artes,
Æmula Phylliridæ Suada Magiſterio.
Si Magnis placuiſſe haud parva eſt gloria, noſter
Cur non hac etiam laude ſecundus ovet?
Sed durum pugnare Deo, patriæq; vocanti:
Sic laribus tandem redditus ille ſuis.
Spargere Divini properavit ſemina verbi,
Vix dum etiam quinas natus Olympiadas.
Erudiendi alios Sophia eſt & principium & fons,
Hæc pariter non ætate, ſed ingenio.
Quæ curâ à teneris Holmanno inceſſerat annis,
Civibus ut poſſet utilis eſſe ſuis:
Hæc eadem usque per undecimæ trieteridos orbem,
Ad canos etiam concomitata ſenem:
Duratura rogo porrotenus, & benè, ſi non
Hæc quoque manaſſet nominis aura tui.
Scilicet hinc Batavo Bremam mutare Lyceo,
Et Lugdunenſem juſſus adire Sain:
Hoſpita ubi terræ oſſa dares, & ſcilicet una
Deêrat adhuc ſpatiis ultima meta tuis.
Haud aliena tamen: certè domo abusque petita,
Hìc iit in thalamos Caja ſecunda tuos:
Quæ legeret ſupremo animam morientis ab ore,
Lumina quæ charis conderet articulis.
Hic priva ac Douſæ laribus confinia tecta:
Carior hocq; etiam nomine Leida tibi.
Parva loquor: tanti certè inquam Lipſius ille,
Qui tibi pro multis millibus unus erat
Diſcipulorum auris, tanti, conſueta frequenti
Cingere ſuggeſtus obſidione tuos:
Solemniq; ſenem, juvenum deducere pompâ,
Abdita dum magni fors documenta Dei.
Indicio fuit en librorum exſtructa ſupellex,
Verſatos manibus quos juvat eſſe tuis.
Hanc Academiæ voluiſti cedere in uſum,
Prodeſſe orbi etiam poſt tua fata ſtudens.
Nec pietas obſcura tua hæc, ſed in acta, relata
Publica nunc quo ſtat Bibliotheca loco:
Ingenii hìc quoque multa tui monumenta leguntur,
Signata archetypis illa voluminibus.
Liqueris hæc animi quo robore, quamq; ſalutis
Spe ſolidâ innixus, prætereunda mihi:
Uxorem & quotiens ſolatus dixeris: O quàm
Diſſolvi, & tecum me, Deus, eſſe juvat!
Ut propria hæc ejus fuerit laus: mî ſatis illud
Dicere, non aliter ſit mihi poſſe mori.
Sic tua mors, ſic vita odii expers omnis, & undè
Jure ſibi exemplum noſtra Lycæa petant.
Nunc veram tibi det requiem Deus, & bona multa
Eveniant cineri, Care Secunde, tuo.

DEO OPT. MAX. ET MEMORIÆ JOHANNIS HOLMANNI SECUNDI, THEOLOGI ET PROFESSORIS VITA DOCTRINAQUE LAUDATI, BEKE AB EDENBÜTTEL UXOR HEU MOESTA POSUIT, VIXIT ANNOS LXIII. OB. A. CIϽ IϽ LXXXVI. VI. KAL. JAN. *Epitaphium.*

Exequias ejus Oratione funebri decoravit *Cornelius Grotius*, Juris Profeſſor.

Ad publicas hic *Holmannus* Lectiones domo exiens, indeque rediens magnâ ſemper ſtudioſorum catervâ deductus eſt, qui honor nulli Profeſſorum ab Academiæ incunabulis, niſi *Holmanno* huic & *Lipſio* contigit. Scripta quidem nulla edidit, ſed plurima reliquit, quæ cum inſtructiſſimâ ipſius Bibliothecâ publicè adſervantur.

* *Ex Vitis Germanorum Theologorum Melchioris Adami.*

FRANCISCUS GARSIAS. *Obiit A.C. 1587.*

PRovinciæ *Arragonenſis*, inſtituti *Prædicatorum*, Summâ Theologiæ Laureâ donatus in *Tarraconenſi* Academiâ profitendi munus obivit, in *D. Thomæ* doctrinâ dui multumque verſatus. *Theologia Profeſſor Tarraconenſis.*

Argumento ſunt, quæ edidit: Errata enim Typographorum in *B. Thomâ* magnâ curâ diligentiâque legit ac ſelegit, quem laborem ſuum *Antonio Auguſtino* Archiepiſcopo *Tarraconenſi* Emendationum titulo nuncupavit. De Contractibus item ac ſtipulationibus mercatorum, ſed *Hiſpanico* Sermone, ſubtiliter ſcripſit. *Edidit Emendationes in S. Thomam.*

Obiit A.C. 1587.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum Auctorum Tom. II.*

NICOLAUS FLORUS. *Obiit A.C. 1587.*

IN Luminis auras prodiit *Gothæ*, in *Thuringiâ*, Anno 1525. Magiſter artium creatus *Witteberga*. Indè *Argentinam* acceſſitus, & Diaconus *Aurelianus* conſtitutus Anno 1553. d. 21. Febr. Exin datus Collega Doctori *Johanni Marbachio*, Paſtori ad *D. Nicolaum*, reſignante Marbachio Paſtoratum, & *Jacobo Gloccero* eidem Anno 1557. ſurrogato, *Speccero* adjunctus ad *D. Thomam*, ut Diaconus. *Diaconus Argentinenſis.*

Anno 1558. Parochus *Aurelianus* factus, in locum *M. Theobaldi Nigri*. Anno eodem in Collegium Thomanum receptus, & ſalutatus Canonicus. Anno 1573. ad Profeſſionem Theologicam adhibitus, ſucceſſor *Specceri*. Anno 1579. Decanus Facultatis Philoſophiæ electus. Anno 1587. prid. Cal. Febr. ætatis 63. ex ſordidâ mundi colluvie ereptus eſt. *Parochus Aurelianus. Profeſſor Theologiæ. Moritur.*

CASPAR OLEVIANUS. *Obiit A.C. 1587.*

IN urbe *Trevirenſi* natus die *S. Laurentii* A. 1536.

Patrem habuit *Gerhardum*, ibidem piſtorem.

A. 1549.

Juris ſtudio incumbit. A. 1549. *Lutetiam Pariſiorum* miſſus, ibi *Aureliæ* & in *Biturigum* urbe Juri civili operam dedit, inque hâc Jurium Doctor eſt renuntiatus A. 1557. ætat. 21.

Ibidem ad Eccleſiam ſeſe orthodoxam adjunxit, & quidem occaſione ſequenti: Sub idem tempus ibi Electoris *Palatini Friderici* filius *Hermannus Ludovicus* cum Ephoro ſuo *Nicolao Judice*, & quibusdam nobilibus in *Ligeri* navigio vecti, eo everſo, aquis ſuffocati periêre omnes. *Periculum ejus in aquis.* Hujus triſtiſſimi casûs ſpectator in ripâ *Olevianus*, cum antè illos pluſculùm appotos dehortatus eſſet, in aquas ſe injecit, auxilium, ſi poſſet, periclitantibus laturus, verùm ipſe quoque mentotenus in gurgite hærens, Deo votum fecit, ſe ex iſto periculo liberatum, Evangelii doctrinam civibus ſuis renuntiaturum. Paulò pôſt famulus quidam accurrens, herum ſuum eſſe ratus, ex aquis capite prominentem extraxit, inque ripam ſalvum deduxit.

Theologiæ operam dat. Abindè Theologiam Juris ſtudio conjunxit, eâque de causâ *Genevam* adivit.

Dialecticam docet. A. 1559. *Treviros* reverſus, Dialecticam ibi docuit in Burſâ.

Impeditur à Canonicis. Cum autem eâ occaſione ſanam Evangelii doctrinam diſcipulis ſuis expoſuiſſet, Canonici hâc re auditâ, primùm munere docendi ei interdixerunt, & tandem Scholam occluſerunt.

Docet in Noſodochio. Juſſus proindè â Senatu in *Noſodochio S. Jacobi* docere, cum aliquoties concionatus eſſet, adverſarii ſacrificulum quendam ſubornârunt, qui aliquando ſuggeſtum concionaturus conſcendit, antequàm *Olevianus* adveniret. Sacrificulo conſpecto, populus exclamavit: *Deſcenderet ocyus, ſe enim ipſum non audituros.* Quo facto *Olevianus* eum manu prehenſum templo eduxit, ipſe verò pro more concionatus eſt.

Captivus tenetur. Ab hoc facto quidam Senatores cum *Oleviano*, ex mandato *Electoris*, in Curiâ 10. Septimanis captivi detenti ſunt.

Intereà Electoris *Palatini* Legatus *Valentinus* Comes *Erpacenſis*, Burggravius *Alceanus*, *Olevianum*, tunc adhûc in cuſtodiâ agentem, nomine Principis ſui in *Palatinatum* invitavit, ſecumque *Heidelbergam* abduxit A. 1560. *Heidelbergæ Theologiæ Doctor & Profeſſor.* Ibi poſtquàm Theol. Doctor & Profeſſor factus eſſet, matrimoniumque cum *Philippinâ* quâdam *Metenſi* viduâ contraxiſſet ad Miniſterium ſacrum primùm in æde *Petrinâ*, poſteà ad Spiritum Sanctum vocatus, in eâ functione permanſit usque ad obitum Electoris *Friderici III.* qui obtigit 26. Oct. A. 1576.

Berleburgum vocatur. A. 1576. *Berleburgum* â *Ludovico* Comite *Witgenſtenio* vocatus, filios ipſius in literis & ſacris erudivit, ſimulque Concionatoris munus ſuſtinuit.

Herbornæ docet. A. 1584. *Herbornam* evocatus â *Johanne Naſſovio* ſeniore, Evangelii ibi per triennium Miniſtrum egit, ſimulque in Scholâ docuit.

Moritur. A. 1587. *Herbornæ* mortuus eſt A. æt. 51. die 15. Mart. Paucis antè mortem horis ad *Johannem Piſcatorē*, *Heri*, inquit, *ineffabili gaudio perfuſus ſum, ut miratus fuerim, cur & uxor & parens mea identidem ex me quærerent, ecquid meliusculè haberem? Et reverâ melius habere nunquàm potuiſſem. Videbar autem mihi verſari in prato elegantiſſimo, in quo cum obambularem, rore perfundebar cœleſti non guttatim, ſed patinis quaſi plenis, undè lætitiam tum corpore tum animo cœpi longè maximam.* Ad hæc cum *Piſcator*: *Paſtor ille bonus Jeſus Chriſtus duxit te in paſcua ſua*; *Imò*, inquit æger, *duxit me ad fontem aquarum viventium.*

Fratrem habuit *Fridericum Olevianum* Med. Doct. *Trevirenſem*.

Filios reliquit *Paulum* & *Ludovicum*.

Caſp. Cunrad. Med. Proſopograph. Melicæ M. III. ſequenti eum honorat diſticho.

Olevianus amans veri, Veri edidit artem,
In Sacris verum hoc ejus ubique leges.

Relicta ſunt ab eo, Eccleſiæ commodo, hæc: *Scripta.*

Concio de Abrahami fide & obedientiâ.
Concio de Cœnâ Domini.
Admonitio de re Eucharisticâ.
Tabula de Miniſterio Verbi Dei & Sacramentis.
Expoſitio Symboli Apoſtolici.
Epitome inſtitutionis Religionis Chriſt. Calvini.
Notæ in Epiſtolam ad Galatas.
Notæ in Evangelia.
Dialecticæ lib. II. cujus præcepta Theologicis exemplis potiſſimùm illuſtravit.
Notæ ex Oleviani concionibus exceptæ & editæ.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Germ. Theol.*

JOHANNES FOXUS.

Obiit A. C. 1587.

IN Comitatu *Lancaſtrienſi* natus eſt A. C. 1517.

Cum *Oxoniæ* in Collegio *Magdalenenſi* *Latinæ*, *Græcæ*, & *Hebr. Linguar.* cognitionem eximiam aſſecutus eſſet, Theologiam profeſſus eſt in Academiâ, regnante *Edoardo VI.* *Theologiæ Profeſſor Oxon.*

Sub Reginâ *Mariâ* tyrannidem exercente apud *Belgas* exulavit.

A. 1559. Reginâ *Mariâ* defunctâ, remigravit in *Angliam*, & ſummus extitit Theologus, nullam verò ſibi oblatam â Reginâ *Eliſabethâ* dignitatem unquam amplecti voluit.

Obiit tandem *Londini* 18. April. A. C. 1587. æt. 70. *Moritur.*

In Eccleſiâ *S. Ægidii* ſepultus eſt.

Filium reliquit *Samuelem*.

Scripta ejus ſunt ſequentia: *Scripta.*

Martyrologium, *quod inſcribitur Acta & Monumenta Eccleſiæ Anglicæ Tom. II. compr.*
Commentarium rerum in Eccleſiâ geſtarum maximarumque per Europam perſecutionum â Wicleſi ad ſuam ætatem.
Meditationes in Apocalypſin S. Johannis.
Tract. de Chriſto crucifixo.

Chriſtus Jeſus triumphans, *Comœdia.*
Expoſtulatio Chriſti cum genere humano.
De re Eucbariſticâ.
De Excommunicatione.
De Lapſis recipiendis.
* *Ex Heroologiâ Anglicâ.*

Obiit A.C. 1587.

TIMOTHEUS KIRCHNERUS.

IN *Thuringiâ* natus eſt pago *Tolſtadio* in *Comitatu Gleichenſi 6. Januar.* A. 1533.

In Academiâ *Jenenſi* Philoſophiæ Magiſter creatus A. 1561. Paulò pòſt Paſtor Eccleſiæ *Herberslebienſis.* A. 1568. Indè cum uxore & liberis depulſus eſt.

Fit Paſtor Eccleſiæ Herberslebienſis.

Eodem anno interfuit Colloquio *Altenburgenſi.* Paulò pòſt *Jenæ* Paſtor Eccleſiæ factus, ibi A. 1571. Theologiæ Doctor creatus eſt, eamque profiteri cœpit.

Jenæ Theologiæ Doctor & Profeſſor.

Indè *Wolferbytum* evocatus, à *Julio* Duce *Brunſuicenſi* & *Lünæburgenſi* Concionatoris Aulici munere functus eſt, usque ad A. 1576. quo *Helmſtadium* vocatus, Academiæ fundamenta prima docendo poſuit, & primus Ducis *Julii* Prorector renuntiatus eſt 15. Octob.

Concionator aulæ Brunſuic. Helmſtadii Prorector.

Ibi poſtquàm Colluſionem cum Pontificiis & Hebræis publicè taxaſſet, excedere coactus, integrum annum *Erfordiæ* in exilio tranſegit A. 1579.

Heidelbergam vocatus, A. 1580. ab Electore *Palat. Ludovico*, primarius ibi audiit Theologus.

Heidelbergæ Profeſſor Theologiæ.

Poſt mortem Electoris *Ludovici*, cum illi 24. Oct. Oratione funebri publicè parentâſſet, iterum diſcedere coactus eſt A. 1583.

Anno ſeq. *Vinariæ* Superintendens generalis factus, ibi vivendi finem fecit 13. Feb. A. 1586. aliis 14. Sept. 1587. ætatis 54.

Superintendens generalis Vinariæ moritur.

Filium reliquit *M. Philippum Kirchnerum*, Eccleſiaſten *Buttelſtadianum.*

* *Ex Nomenclatore Profeſſorum Jenenſ. M. Adriani Bayri*, qui hoc ei adſcripſit Epigramma:

Timotheum mactat Kircherum Jena ſupremo
Philoſophi titulo, Theologique gradu.
Jena Profeſſorem veneratur, Julia, nec non
Myrtea, Paſtorem condit at Oenagore.

Obiit A.C. 1587.

JACOBUS PAMELIUS.

ADolphi Filius *Brugis* natus eſt è nobili Baronum de *Pamele* ſtirpe.

Lovanium à Parentibus miſſus, primùm liberalibus ac Philoſophicis diſciplinis, pòſt Theologicis animum applicuit, uſus Præceptoribus *Ruardo Tappero*, & *Jodoco Raveſtenio.*

Lutetiam Pariſiorum, aliasque *Europæ* Academias cum fructu viſit. *Lovanium* indè reverſus, Theologiæ laurum accepit.

Theologiæ Doctor.

Mox *Brugas* revocatus, Canonicâ dignitate ac Archipresbyteri munere ornatus eſt, cum Præpoſiturâ *Ultrajecti* ad *S. Salvatorem.*

Archipresbyter Brug.

Tandem faventibus omnium votis Epiſcopus *Audomaropolitanus* deſignatus eſt: cujus rei ergò *Bruxellas* cogitans, *Montibus Hannoniæ* morbo correptus 11. pòſt die vitâ deceſſit, conditus in æde *D. Waldetrudi* ſacrâ hoc Epitaphio:

Epiſcopus Audomaropolitanus.

Epitaphium.

D. O. M.
NOBILI VIRO JACOBO ADOLPHI F.
FRANC. N. PAMELIO PRESBYTERO,
SUMMO THEOLOGO, D. SALVATORIS
ULTRAJECTI PRÆPOSITO, ECCLESIÆ
AUDOMAROPOLITANÆ ARCHIDIACONO, EJUSDEMQUE NOMINATO
EPISCOPO,
MULTIS IN TERTULLIANUM, CYPRIANUM,
ALIOSQUE SCRIPTORES
MONUMENTIS EDITIS CLARISSIMO,
INTEMPESTIVA EHEU MORTE ABREPTO,
FRATRES MOESTISS. POSS.
NATUS EST CIϽ IϽ XXXVI.
III. IDUS MAJAS.
MORTUUS CIϽ IϽ LXXXVII.
III. KAL. OCTOB.

Varia ingenii monumenta poſteris reliquit, ut ſunt:

Scripta.

Liturgica Latinorum, hoc eſt, *De ritu Sacrificii Miſſæ apud Latinos, ab Apoſtolis & Patribus obſervato, Tom. II. digeſta.*

Relatio ad Belgii Ordines, de non admittendis unâ in Republicâ diverſarum Religionum exercitiis.

Conciones Catechiſticæ diverſis temporibus habitæ.

Catalogus Scriptorum Eccleſiaſticorum, & Commentatorum veterum ſelectorum in univerſa Biblia, editus cum Caſſiodori Lib. Inſtitutionum Divinarum.

Tertulliani, & Cypriani Opera manuſcriptis Codicibus emendata, & Annotationibus illuſtrata.

Paradoxa Tertulliani, quibus antidotum ſuum adjecit.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1587.

JOHANNES WIGANDUS.

NAtus eſt *Mansfeldiæ* A. 1523. Patre *Johanne Wigando, Heſſo*, Matre *Catharinâ.*

Maturè literis adhibitus, in patriâ Præceptorem habuit *Dionyſium Agrium Auſtriacum*, ſub cujus fideli diſciplinâ cum decennium tranſegiſſet, in Academiam *Wittenbergenſem* miſſus, ibi annis tribus vixit, & totum ſe ſtudiis Philoſophicis addixit.

Literis operam dat.

A. 1541. Indè *Noribergam* vocatus, ex conſilio Parentum, Præceptorum & amicorum, in ludo ad *S. Laurentium* pueris erudiendis triennium tranſegit, habuitq; Collegam *Petrum Vincentium Sileſium*, quo cum ſæpè carminibus ſcribendis certavit.

Noribergenſi Ludo literario præficitur.

A. 1544. *Wittenbergam* ad inchoatum ſtudiorum curſum rediit.

Wittebergam redit.

A. 1545. Ibi gradum Magiſterii conſecutus, abindè Theologiæ ſe dedit.

Theologiam Philoſophiæ conjungit.

A. 1546.

A. 1546. Ob motûs bellicos in patriam reverſus, ab *Johanne Spangenbergio* Superintendente Eccleſiarum *Mansfeldenſium* S. Miniſterio initiatus eſt; nec tantùm loco *Martini Seligmanni Hailsbronnenſis* decrepiti ſenis Conciones habuit, ſed etiam in Scholâ *Mansfeldianâ* Dialecticam & Phyſicam docuit. Interfuit prætereà ſub id tempus *Wigandus* Synodo *Eislebianæ*.

Magdeburgum venit. A. 1553. Verò *Magdeburgum* evocatus ut Superintendentis partes ageret loco *Nicolai Galli*, qui *Ratisbonam* conceſſerat, ibi Adiaphoriſtas oppugnavit, & Hiſtoriam Eccleſiaſticam conſcripſit. Ibi inter Concionatores amicum habuit intimum *Matthæum Judicem*.

Jenæ Profeſſor Theologiæ. A. 1560. *Jenam* in novam Academiam vocatus venit ad Theologiæ Profeſſionem.

Sed cum poſt diſputationem *Vinarienſem* inter *Illyricum* & *Victorinum Strigelium*, cui & *Wigandus* interfuit, rixæ Theologorum eſſent plurimæ, indè dimiſſus, *Magdeburgi* cum familiâ menſibus aliquot ſubſtitit.

Superintendens Wismarienſis. A. 1562. Vocatus *Wismariam* â Ducibus *Megapolenſibus Joh. Alberto* & *Ulrico*, *Johanni Fredero* Superintendenti defuncto ſucceſſit, Scholamque etiam ibi inſtauravit.

Theologiæ Doctor. A. 1563. *Roſtochii* Theologiæ Doctor renuntiatus eſt. Vixitque tum conjunctiſſimè cum *Davide Chytræo*, *Matthæo Judice*, *Simone Pauli*, *Georgio Richio*, *Valentino Schachtio*, *Simone Muſæo* & aliis.

A. 1568. A *Johanne Wilhelmo* Duce Saxoniæ iterum *Jenam* ad Theologiæ Profeſſionem vocatus, M. Sept. eò venit, & Superintendentis in Eccleſiâ, Theologiæ verò Profeſſoris in Academiâ munus obire juſſus eſt. *Jenam redit ad Profeſſionem.*

Poſteà cum Superintendente *Wismarienſi*, *Bartholomæo Roſino*, *Thuringicas* Eccleſias & Scholas, ex mandato Principis, viſitavit & emendavit.

A. 1570. Cum Duce *Johanne Wilhelmo* ad Comitia *Spirenſia* abiit.

A. 1573. Ab Electore *Auguſto* dimiſſus, cum familiâ *Brunſuigam* migravit.

In Boruſſiam vocatur. Paulò poſt in Academiam *Regiomontanam* â Principe *Alberto Friderico* vocatus, comite *Conrado Schlüſſelbergio*, *Saxone*, diſceſſit, & Theologiæ Profeſſionem ſuſcepit.

Epiſcopus Pomezanienſis. A. 1575. Epiſcopus *Pomezanienſis* in *Boruſſiâ* electus, in oppidum *Libemolam*, ubi ſedes Epiſcopalis, cum familiâ diſceſſit.

Moritur. Eam functionem cum annos 12. fideliter obiviſſet, correptus dyſuriâ acerbiſſimâ, placidè obdormivit 21. Octob. A. 1587. ætatis 64. Miniſterii 41.

Epitaphium ſibi componit. Multis ante mortem annis hoc Diſticho Epitaphium ſibi conſcripſit:

In Chriſto vixi, morior, vivoque Wigandus:
Do ſordes morti, cœtera, Chriſte, tibi.

Anno 1546. *Mansfeldiæ* Conjugem duxit *Rebeccam* civis metallici filiam, ex quâ 4. filios & unicam filiam ſuſcepit, omnes ante parentes demortuos.

A. 1555. Cum & uxorem *Magdeburgi* amiſiſſet, alteram duxit in patriâ *Evam* ex *Lutheri* familiâ, quam *Libemolæ* in *Boruſſiâ* A. 1576. amiſit, relictis ei duobus liberis, *Annâ Magdeburgi* natâ, quam *Henrico Scrotero*, civi *Dantiſcano* primario elocavit, & filio *Johanne*, *Libemolæ* nato. Tertiam denique duxit uxorem in *Boruſſiâ* A. 1578. viduam quadragenariam, filiam nobilis Viri Martini â *Saugnin*, nuptam anteà Equiti *Bruteno Johanni â Bettelsdorff*.

Ingenii monumenta reliquit ſequentia: *Scripta.*

Syntagma, ſeu Corpus doctrinæ veri & omnipotentis Dei ex Veteri & Novo Teſtamento.

Methodum Doctrinæ Chriſtianæ.

De normâ judicandi dogmata vera & falſa.

Corpuſculum Doctrinæ Sanctæ.

Catechiſticas explicationes & methodos, recitatas Jenæ, in explicatione Catechiſmi D. Lutheri.

Poſtillam ſeu explicationem Evangeliorum.

De Deo methodum, cui refutatio novorum Arianorum adjecta.

De Communicatione Idiomatum libellum.

Collationem & repetitionem doctrinæ de Communicatione Idiomatum.

Γνῶθι σεαυτόν, hoc eſt, de Homine Integro, Corrupto, Renato, Glorificato.

De imagine Dei in hominibus & de larva Satanæ.

De libero Arbitrio hominis integro, corrupto in rebus externis, mortuo in rebus ſpiritualibus & renato.

De Legibus Divinis.

De Peccato originis.

De juſtificatione miſeri peccatoris coram Deo.

De Confeſſione in doctrinâ divinâ & neceſſariis factis.

De arguendis falſis dogmatibus & Doctoribus, aliisq; peccatis & peccatoribus juxta verbum Dei.

De Clave ligante in Eccleſiâ Chriſti, de ſuſpenſione â Sacramentis ad tempus, de reconciliatione offenſæ Eccleſiæ, Explicationem ſuccinctam & ſolidam ex verbo Dei.

De Conjugio Doctrinam.

De perſecutione piorum: exiliis piorum: exiliis facinoroſorum: martyriis piorum; Pſeudo-martyriis; fugâ Miniſtrorum Verbi, conſtantiâ, apoſtaſiâ, patientiâ.

De neutralibus & mediis Admonitionem.

De bonis & malis Germaniæ Admonitionem.

De Heroibus Doctrinam.

In priora tria capita Geneſeos explicationes.

In Matthæum Evangeliſtam Commentarium.

In Pſalmos graduum 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134.

In Pſalmos 146. 147.

In Pſalmos 90. 91.

In Pſalmos pœnitentiales, nempe ſex.

Item in Pſalmum 84.

Tractatum de pœnitentiâ ſeu converſione peccatoris ad Deum.

In Eſaiam Prophetam Annotationes.

In Danielem Prophetam explicationem brevem.

Digitized by Google

In Prophetas minores explicationes ſuccinctas, ordinem verum, textûs ſententiam & doctrinas præcipuas ſtrictiſſimè indicantes.

In Johannem Evangeliſtam explicationes.

In Epiſtolam Pauli ad Romanos annotationes.

In Epiſtolam Pauli ad Galatas annotationes.

In Epiſtolam Pauli ad Epheſios annotationes.

In utramque Epiſtolam Pauli ad Timotheum.

In Epiſtolam ad Coloſſenſes annotationes.

Hiſtoriam patefactionis divinæ, Exod. 33. cap.

Deplumata & pudenda argumenta ex ſynodo avium nuper Witteberga per maledicum Poëtam Johannem Majorem Ecebolum edita, ſimpliciter excerpta, ex quibus toti mundo notum fit: quod nullis juſtis cauſis, ſed tantùm figmentis & calumniis ſuam innocentiam in actionibus interimiſticis & adiaphoriſticis defendant, & ſuos reprehenſores damnent, ſimulque claſſicum, ad redintegranda certamina, canant.

Ex *Sidonii Catechiſmo majore*, ſeu *inſtitutione de pietate, decretis conſilii Provincialis Moguntini adjunctâ, commonefactiones annotatas*, quæ oſtendunt, qualem Reformationem jam Epiſcopi *Pontificii* moliantur.

Reſponſionem ad Confeſſionem D. Majoris, de Juſtificatione & bonis operibus.

Argumenta de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem.

De aliquot diſciplinæ Eccleſiaſticæ capitibus, & defenſionem eorundem ex verbo Dei, cum diſſolutione objectorum.

Reſponſionem ad Scurriles & blaſphemas fœtidi Rambochi rhythmos.

Argumenta Sacramentariorum collecta & refutata.

Contra libellum Confeſſionis ſeu Revocationis Georgii Majoris, de neceſſitate bonorum operum, ad ſalutem Apologiam.

De Adiaphoriſticis corruptelis, in magno libro actorum interimiſticorum, ſub fictitio titulo Profeſſorum Wittebergenſium, edito, repetitis, admonitiones.

Collationem de D. Pauli Eberi impiâ opinione, quod quidam impii, in uſu Cœnæ Dominicæ, non accipiant verum Corpus Chriſti.

De Victorini Strigelii Apoſtatæ declaratione, ſeu potius errorum occultatione.

Sophiſticorum quorundam argumentorum Stephani Agricolæ, de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem, confutationem.

Errores D. Georgii Majoris ex libris ipſius, bonâ fide annotatos.

Analyſin & refutationem quæſtionis de Libero Arbitrio à D. Paulo Crellio divulgatæ.

Contra novos Arianos exortos in Poloniâ.

Synopſin Antichriſti Romani.

Colloquium Altenburgicum Latinum.

Cenſuram de iniquâ Anti-Lutheranorum Wittebergenſium excluſione, contra M. Conradum Schlüſſelburgium uſurpatam.

Quæſtionem & Reſponſionem de Lege: An renatis ſit norma bonorum operum?

Catechiſmi Jeſuitarum ſeu Caniſii refutationem.

Collationem de tribus argumentis Antinomicis.

De Amniſtiâ.

Cauſas, cur in Cœnâ Domini, τὸ ῥητὸν ſit retinendum, contra præſtigias Calviniſtarum.

De turbatoribus omnium maximis in mundo librum.

De monſtris novis & fœcundis in doctrinâ de peccato, commonefactionem, contra novos Manichæos editam.

Septem Spectrorum Manichæorum recentium diſcuſſionem: Methodum de Cœnâ Domini & argumentorum, quæ veræ præſentiæ Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœnâ Dominicâ opponuntur, enumerationem atque ſolutionem.

Antitheſin doctrinæ veræ & Papiſticæ.

Rationes cur hæc propoſitio: Peccatum originis eſt corrupta natura: in controverſiâ cum Manichæis recentioribus nequeat conſiſtere.

Quæſtionem & reſponſionem de dicto Johannis, Peccatum eſt ἀνομία, contra Manichæos.

Analyſin exegeſeos Sacramentariæ ſparſæ in ſede Lutheri, à Peucero Medico, Pezelio & Crucigero Apoſtatis.

Graviſſimas cauſas, cur forma & norma Conſiſtorii edita à Principibus Saxoniæ in pluribus partibus approbari non poſſit.

Argumenta Sacramentariorum refutata per Lutherum, ex ſcriptis Lutheri ad uſum Eccleſiæ Chriſti, bonâ fide collecta. Item Colloquium Marpurgenſe tali modo hactenus non impreſſum.

De Servetianiſmo ſeu *de Antitrinitariis.*

De ſubſtantiâ & viribus depravati hominis contra Manichæos.

Nebulas Arianas ſparſas in Boruſſiâ per quendam Raphaëlem Ritterum, luce veritatis Divinæ diſcuſſas.

Contra Neminiſtas & Neminiſtica Scripta.

Contra corruptelas adiaphoriſticas prolixo ſcripto repetitas atque ornatas, Apologiam editam cum Matthæo Judice.

De abſtracto Theologico methodum; Collationem de novâ controverſiâ; Synodum Prutenicam de hac re; Cauſas, cur locutiones iſtæ: humana Chriſti natura eſt in abſtracto, omnipotens, vivifica, adoranda, ſint ſcandoloſæ & per ſe falſæ.

Quæ & quàm ſacroſancta jura Johannes Stoſſelius violaverit, accuſando Illyricum & Wigandum coràm Politico Magiſtratu, ob privatam & Chriſtianam ipſorum erga ſe monitionem.

De fraudibus quorundam Sacramentariorum.

De Oſiandriſmo integram explicationem.

De Manichæiſmo integram hiſtoriam.

De Anabaptiſmo integram hiſtoriam.

De Sacramentariiſmo.

De Stancariſmo integram explicationem.

De Majoriſmo integram hiſtoriam.

De Synergiſmo integram hiſtoriam.

De Adiaphoriſmo integram hiſtoriam.

De Schwenckfeldiſmo integram explicationem.

De Generatione Filii Dei.

De Gloriâ mundanâ filiorum Dei & carnis Chriſti, Tractatum.

De

Digitized by Google

De Ubiquitate ſeu omnipræſentiâ Dei in genere, in ſpecie de ſuâ Eccleſiâ.

Tractatum de deſcenſu Chriſti ad inferos.

De Primatu & Vicariatu Papæ Romani librum.

De caſtitate & Cœlibatu librum.

Eccleſiaſticæ hiſtoriæ centurias tredecim.

Centuriam 14.

Centuriam 15.

Centuriam 16. in aliquot tomos diſtinctam.

Narrationem de hiſtoriâ Eccleſiaſticâ contra Wittebergenſium quorundam calumnias.

Supplicatorios libellos de Synodo.

Hiſtoriam de Auguſtanâ Confeſſione.

De Illuſtribus viris Eccleſiæ Dei librum.

Præfationem in Auguſtanam Confeſſionem.

Hiſtoriam de Alce verâ.

Hiſtoriam de Succino.

Hiſtoriam de Sale.

Catalogum herbarum in Pruſſiâ naſcentium.

Orationem de verbo Dei.

Orationem contra Synergiam.

Orationem de fine hominis.

Orationem de Philoſophiâ & Theologiâ.

Cauſas, cur Catechiſmus Lutheri in Scholis ſit retinendus, & ſuppoſititii fugiendi.

Orationem de doctrinâ & præcipuis certaminibus Lutheri.

Orationem de Arcâ Noæ.

Orationem de cauſis, cur ab Eccleſiâ Pontificiâ diſceſſum ſit.

Orationem de dicto 2. Paralip. 18. Aſpexiſti me in formâ hominis.

Quæſtionem & Reſponſionem de Juſtitiâ.

Orationem continentem ſummam doctrinæ Chriſtianæ.

Orationem ante promulgationem ſtatutorum recitandorum de dicto Salomonis: Ut auris audiat.

Quæſtionem & reſponſionem de dicto Pauli Coloſſ. 2. Videte, ne quis vos deprædetur per Philoſophiam.

Orationem ad D. Severinum Gobelium de amici inſimulatione.

Orationem de neceſſitate & utilitate corporis doctrinæ Chriſtianæ.

De bonis operibus propoſitiones contra quaſdam præſtigias.

Theſes de pœnitentiâ.

De Verbo Dei.

De Deo.

De Homine.

De Creatione.

De Angelis bonis & malis.

De Peccato.

De Legibus divinis & de Evangelio.

De bonis operibus.

De peccato originis, contra Manichæos ſolennem diſputationem.

De Sacramentis in genere.

De Baptiſmo.

De Cœnâ Domini.

De Jeſu Chriſto, Deo & homine.

Propoſitiones de Cœnâ Sacrâ.

De Propoſitione: Bona opera retinent ſalutem, libellum.

* *Ex Vitis Theologorum Germanorum Melchioris Adami.*

GUILIELMUS LINDANUS.

Obiit A.C. 1588.

Dordraci in *Hollandiâ* natus eſt patre *Damaſo Lindano* Conſule A. C. 1525.

A pueritiâ literis innutritus, brevi tempore Linguarum Latinæ, Græcæ & Hebraicæ cognitionem adeptus eſt, poſteà *Lovanii* in *Collegio Porci* ſtudiis Philoſophicis & Theologicis deditus, adeò profecit, ut Lauream Doctoralem in Theologiâ promeritus, eandem cum magno auditorum concurſu in Academiâ *Dilinganâ Germaniæ*, deindè *Lovanienſi* publicè docuerit. *Theologiæ Doctor & Profeſſor Lovanii.*

Ad altiora deindè officia promotus Decanus Comitis *Hoyenſis*, Conſiliarius Regius, Vicarius *Ultrajectinus* per *Hollandiam* & *Friſiam*, & tandem primus Epiſcopus *Ruremundanus* in *Geldriâ* declaratus eſt. *Epiſcopus Ruremundanus.*

Hoc tamen honore brevi tempore potitus, non multò pòſt ab adverſariis numero potioribus depoſitus & in exilium actus eſt.

Ideò *Romam* ad Papam *Gregorium XIII.* profectus, qui eum in *Hiſpaniam* ad Regem *Philippum II.* unà cum Nuntio Apoſtolico extraordinario miſit, &, ut Epiſcopus *Gandavenſis* in *Flandriâ* in locum *Cornelii Janſenii* fieret, impetravit. *Exul Romam ivit.* *Epiſcopus Gandavenſis.*

Epiſcopatum hunc cum tribus modò menſibus gubernâſſet, vitâ exceſſit A. C. 1588. ætatis 63. *Gandavi* in Templo Cathedrali eidem quo *Cornel. Janſonius* tumulo illatus eſt. *Moritur.*

Libri ab eo ſcripti, ſunt ſequentes: *Scripta.*

De optimo genere interpretandi Scripturas Lib. III.

Panoplia Evangelica, ſive de Verbo Dei Evangelico contra omnes hujus ſæculi hæreſes, Lib. VIII.

Tabulæ analyticæ omnium hæreſium hujus ſæculi.

Stromatum pro defenſione Concilii Tridentini contra Mart. Chemnitium.

Dubitantius: Dialogus de Origine Sectarum hujus infeliciſſimi ſæculi, & earum fructibus.

De verâ Chriſti apud Romanos Eccleſiâ.

Rucvardus: ſive de animi tranquillitate Dialogus.

Apologeticon ad Germanos, pro concordiâ cum Catholicâ Chriſti Eccleſiâ.

Paraphraſes in Pſalmos 118. cum Annotationibus.

Speculum Sacerdotale.

Paraphraſes in Pſalmos XXX. priores.

Confutatio Confeſſionis Antverpienſis Belgicè.

Apologia ejuſdem contra Illyricum.

De Euchariſtiâ adverſus Campanum Neſtorizantem.

Catechiſmus.

Digitized by Google

De Sacrificio audiendo.

De Sapientiâ cœleſti ad Sophiam Lindanam monialem.

Pſalterium vetus â mendis DC repurgatum, è Græco atque Hebraico fontibus illuſtratum.

Oratio Synodica de Officio Paſtorum.

Exhortatio ad Hollandos, ut redeant ad Catholicam Chriſti Eccleſiam.

De Apoſtolico Virginitatis voto, & cœlibatu Sacerdotum pro Concilio Tridentino contra Chemnitium Lib. V.

De fugiendis hujus ſæculi Idolis, noviſque iſtorum Evangelicorum dogmatibus.

Myſticus Aquilo, ſeu Declaratio Vaticinii Jeremiæ Prophetæ, Ab Aquilone pandetur omne malum.

Paraphraſis in 7. Pſalmos Pœnitentiales.

De Eccleſiæ Origine, Unitate, Certitudine, Sacramentis &c.

Concordia diſcors, ſeu Confeſſionis Auguſtanæ adulteratæ Confutatio.

Conciones Catechiſticæ, per Quadrageſimam & Adventum, & habitæ in Feſtis Sanctorum.

Miſſa Apoſtolica, ſeu Lithurgia S. Petri Apoſtolicum Annotationibus, & Apologiâ ejusdem.

Glaphyra in Epiſtolas Apocalypticas S. Johannis Apoſtoli.

Euſebius, ſive de fugiendâ impœnitentiâ, & de ingrediendâ ſeriò anguſtâ vitæ Evangelicæ viâ.

Linguâ Belgicâ ab eo ſunt edita ſcripta ſequentia:

Refutatio Confeſſionis Antverpienſis juſſu Ducïſſæ Parmenſis Gubernatricis Belgii ſcripta.

Catechiſmus.

De Virtute Eccleſiæ.

Contra eos, qui carnes comedunt tempore prohibito.

Dux Viæ, ad verum Deum Chriſtum Jeſum.

Conciones Sententioſæ Bredæ habitæ XXIII.

Illuminator Calviniſtarum occæcatorum.

Volumen Orationum Theologicarum Ruardi Tapperi, cui præmiſit Dedicationem ad Imp. Rud. II.

* *Ex Theatro Italico Viror. Literator. Hieron. Ghilini.*

Obiit A.C. 1588.

HELFRICUS HERDENIUS.

A Primâ ætate S. Scripturæ lectione delectatus, ſtudiis Theologicis totus incubit.

Pædagogus Marpurgenſis.

Factus itaque primò Pædagogus in Academiâ *Marpurgenſi*, cum intereà ſæpius in pagis vicinis conciones habuiſſet, & ejus in Theologicis eruditio multis innotuiſſet, *Marpurgum* ad Eccleſiæ Diaconatum tunc vacantem vocatus, in eoque munere concionando, Sacramenta adminiſtrando, ægrotos viſitando, aliaque Eccleſiæ Paſtore digna præſtando cunctis ſeſe probavit.

Diaconus.

Paſtor Eccleſiæ Marpurgenſis.

Poſt obitum poſteà *D. Nicolai Rhodingi*, ſuccedens illi Paſtor Eccleſiæ *Marpurgenſis*, nec multò poſt ſupremum Eccleſiarum *Hasſiæ* culmen conſcendens, Eccleſiarum ad *Lohnam* Superintendens conſtitutus eſt.

Superintendens.

In hoc munere Verbi Divini miniſterio fideliter functus multas inſpectioni ſuæ ſubditas Eccleſias doctrinâ & vitæ integritate plurimùm emendavit.

Sed laboribus aſſiduis exhauſtus, & variis tandem morbis afflictus, Thermas *Wisbadenſes* unà cum Principe ſuo valetudinis curandæ gratiâ acceſſit, quibus nihil proficientibus, DEO ſe totum commiſit, uxori Urſulæ, filioque unico *Marpurgo* advenientibus, ultimum vale dixit, & die ſeq. 19. Junii per mortem beatam mundum immundum reliquit *Wisbadæ*, A.C. 1588. ætatis 50. Sepultus *Marpurgi* 22. Junii ſeq.

Moritur in Thermis Wisbad.

* *Ex Concione fun. D. Ægidii Hunnii Theol. Prof. Marpurg.*

Obiit A.C. 1588.

JOHANNES MATTHÆUS.

QUalisnam vir fuerit, Inſcriptio hæc, *Wittebergæ* in Templo Parochiali poſita, edocet:

Epitaphium.

REVERENDI VIRI JOHANNIS MATTHÆI SMALCALDENSIS D. THEOLOGIÆ, ET TANDEM POST VARIA EXILIA IN HAC ACADEMIA S. S. LITERARUM PROFESSORIS FIDELISSIMI A. S. M D LXXXVIII. SEPT. XVIII. MAGNO CUM STUDIOSÆ JUVENTUTIS MOERORE ELATUM CORPUS BEATAM RESURRECTIONEM HIC EXPECTAT.

Theologiæ Profeſſor Witt.

Munde neges ſedem, tamen hæc mihi tumba quietem
Non negat, aut cœlum gaudia, munde vale.

* *Ex Academiâ Wittenbergenſi â Gotfrido Suevo J.C. editâ.*

Obiit A.C. 1588.

TILEMANNUS HESHUSIUS.

NAtus eſt *Veſaliæ* ad *Rhenum* A. 1526. 3. Nov. Creatus autem *Witteberge* Doctor Philoſophiæ A.C. 1550.

Heidelbergæ docet.

Heidelbergæ Vir non magnæ ætatis S. literas publicè pro cathedrâ Scholæ, & pro ſuggeſto in æde Spiritûs Sancti docuit.

Ibi cum inter ipſum & *Guilielmum Clebitium* certamen ſuper Cœnâ Domini ortum eſſet, ipſeque *Lutheri* de eâdem ſententiam mordicùs propugnaret, ab Electore *Friderico III.* dimiſſus, *Jenam* venit A.C. 1569.

Jenam venit.

Regiomontii Sacra docet.

Indè in *Boruſſiam* invitatus *Regiomontium* venit, ibique Sacra docuit, donec A. 1576. ingens inter ipſum & *Wigandum* diſſidium fuit exortum propter Abſtracti uſum. Itaque cedere coactus A. 1577. *Lubecam* cum familiâ appulit: undè ſtatim *Helmſtadium* evocatus eſt.

Helmſtadium vocatur.

A. 1583. die 14. & 16. Januar. interfuit Colloquio *Quedlinburgi* in *Saxoniâ* habito ſuper Ubiquitatis dogmate. In eo expreſsè negavit Ubiquitatem generalem.

Vitam

Digitized by Google

Vitam finiit in Academiâ *Julia* A. 1588.

Moritur. ætatis 62. die 25. Sept. Succeſſit ei *Daniel Hofmannus* Theologiæ Doctor.

* *Ex Vitis Germ. Theol. Melchioris Adami.*

JOHANNES PARSIMONIUS.

Obiit A.C. 1588.

AUguſta *Vindelicorum* natus eſt Johannes *Karg / Parſimonius* dictus A. 1525. Pater ipſi fuit cognominis, qui apud filium deceſſit A. 1577. ætatis 80.

Tubingam mittitur. E ludo patrio, in quo Præceptorem habuit *Sixtum Betuleium*, in Academiam *Tubingenſem* miſſus, ibi A. 1540. primam lauream, & paulò pòſt alteram in Philoſophiâ conſecutus eſt.

Philoſophiæ Magiſter.

Wittebergæ Lutherum & Melanchthonem audit. Exindè *Wittenbergam* profectus, & Theologiæ mancipatus, *Lutherum* & *Melanchthonem* inter alios ſtudioſè audivit.

Diaconus Auguſtanus. A. 1546. Poſt obitum *Lutheri* Domum reverſus, *Auguſtæ* Diaconi munus accepit, ſed ob Interim illud famoſum expulſus, *Baſileæ* aliquandiu exulavit.

Ludum literarium aperit. A. 1550. Ad ſuos reverſus, uxore ductâ, ludum literarium aperuit, ſed iterum ejectus, quod Scholam ex præſcripto libri Interimiſtici gubernare nollet, *Tubingam* migravit, ubi Diaconi officium ipſi demandatum eſt A. 1552.

Diaconus Tubingenſis.

A. 1556. *Blaubeyram* translatus, A. 1558. Paſtor Eccleſiæ *Canſtadianæ*, & A. ſeq. Concionator Aulicus *Stutgardiæ* declaratus eſt.

Abbas Hirſaugienſis. A. 1560. Abbas *Hirſaugienſis* conſtitutus, ibi 28. annos non ſolùm pro ſuggeſto Sacra docuit, ſed & in Scholâ 18. Adoleſcentes erudivit.

Ibidem tandem ad Dominum migravit

Moritur. 24. Dec. A. 1588. æt. 63.

Deſcripſit: *Omnes picturas Templi Hirſagienſis: hiſtorias ſc. Veteris & Novi Teſtamenti.*

* *Ex Melchioris Adami Vitis Germ. Theol.*

LAURENTIUS HUMEREDUS.

Obiit A.C. 1589.

NAtus eſt in Provinciâ *Angliæ Buckinghamenſi* A. C. 1519.

Oxoniæ in Collegio *Mariæ Magdalenæ* ſacro literis imbutus fuit.

Marianis temporibus exulans in *Germaniâ*, ſub initium regni *Eliſabethæ* reverſus, *Oxoniæ* Profeſſor Theologiæ Regius, vel Doctor è cathedrâ, & Collegii *Magdalenenſis* Præſes factus eſt.

Theologiæ Profeſſor Oxonii.

Ibidem vitam morte beatâ clauſit A. C.

Moritur. 1589. ætatis 70.

Libros edidit:

Scripta.

De Praxi Pontificum Romanorum, & de Legatione Jeſuitarum in Angliam.

Jeſuitiſmi Partem I. & II.

De Nobilitate, ejuſque antiquâ origine.

De Conſervandâ verâ Religione.

Conſenſum Patrum de Juſtificatione.

* *Ex Heroologiâ Anglicâ.*

ALPHONSUS DEZA.

Obiit A.C. 1589.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Complutenſis*, Theologorum Scholaſticorum noſtro ſæculo lumen: cum ſummâ apud omnes eſſet expectatione, multaque excellentis ingenii in Academiâ *Complutenſi* dediſſet argumenta, ſpes omnes ſæculi abrupit, ſeque totum Societati Jeſu addixit A. C. 1558.

Societati Jeſu addictus.

S. Theologiæ Profeſſor Compluti. Porrò eâdem in *Complutenſi* Academiâ ultrà 20. annos S. Theologiam profeſſus eſt: ac *D. Thomam Aquinatem* explanavit, tanto ingenio, judicio, perſpicuitate, argumentorum pondere, ut omnium ſapientum ſententiâ nulli Theologorum ſecundus videretur.

D. Thomæ Aquinatis interpres. Erat enim *D. Thomæ* Sententiæ curioſus indagator, illuſtris interpres, acerrimus propugnator. Sed in eo tam excellens eminebat Religio, tanta ſe in omnes partes effundebat virtus, ut in illo cum ſummo ingenio perfecta humilitas, cum perſpicaci intellectu, incenſus certaret affectus, cum ſingulari doctrinâ, admirabilis obedientia, & cum exquiſitâ prudentiâ conjuncta eſſet ſancta columbæ ſimplicitas.

Denique cum illum omnes ſuſpicerent, laudarent, in oculis ferrent, ipſe ſolus ſe deſpiciebat, & omnium ſe pedibus ſubjiciebat. Quocirca & vivus ab omnibus, etiam Magiſtris & Præceptoribus, cultus eſt, & mortuus defletus ab universâ Academiâ Complutenſi A. C. 1589. quo vitam cum morte commutavit.

Obiit Toleti. Obiit 23. Januarii *Toleti*, cum Profeſſæ domûs Societ. Jeſu gubernationem Præpoſitus ſuſtineret, & prudenter adminiſtraret, annum 60. nondum ingreſſus.

Scripta. *Extant ex ejus Latina interpretatione Franciſci Borgiæ Gandiæ Ducis pia Opuſcula.*

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

ALOYSIUS GRANATA, vel LUDOVICUS GRANATENSIS.

Obiit A.C. 1589.

BOeotica Urbs in Regno *Hiſpaniæ Granatenſi* aliàs ſuboſcura hujus Viri natalibus gloriatur A. 1505. *Romana* Reſpublica Monachum hunc *Dominicanum* unum agnoſcit vindicem impietatis, literatorum cœtus hunc verè ſuſpicit præclaris induſtriæ dotibus perpolitum, qui ſtudiis operam dedit *Vallis Oleti* in Collegio *S. Pauli*. In multis deindè Ordinis ſui Cœnobiis Philoſophiam & Theologiam docuit.

Monachus Dominicanus.

Per annos 40. in præcipuis Hiſpaniæ Urbibus & aſſiduè ferè *Ulyſſiponæ* in *Portugalliâ* Concionatorem egit admirabilem.

Ut in morali homine, ſub *Cyri* nomine, conformando laudem cœteris præripuiſſe cenſetur *Xenophon*, in naturali *Ariſtoteles*, in eloquenti *Tullius*, in politico *Tacitus*, in militari *Vegetius*, in aulico *Caſtilioneus*, ita in

Digitized by Google

Vulteium in Hebraicis & *Henricum Victorem* in Theologicis docentes audivit.

Profeſſor Theologiæ. A. 1574. Ibidem inter Profeſſores cooptatus, & Theologiam publicè docere juſſus eſt.

Uxorem ducit. 25. April. A. 1575. Matrimonium iniit cum virgine *Chriſtinâ, Conradi Matthæi*, Profeſſoris & Syndici *Marpurgenſis* filiâ, ex quâ filios 5. & filias 2. ſuſcepit, quos omnes, excepto uno filio, cum matre ſuperſtites reliquit.

Profeſſor Hebrææ linguæ. Nec multò pòſt Hebrææ quoque linguæ Profeſſio *Sohnio* demandata eſt.

Theologiæ Doctor. A. 1578. Summa Doctoris Theologiæ inſignia, conferente *Nicolao Rodingo*, accepit.

Heidelbergam venit. A. 1584. Simùl eodem tempore à Comite *Johanne Naſſovio Herbornam*, & à Principe *Johanne Caſimiro Heidelbergam* vocatus, hanc eligere maluit, ibique Sapientiæ Collegii inſpectionem primum, deindè Profeſſionem Theologicam adminiſtravit.

Prorector Academiæ. A. 1587. Cum *Fridericus* hæres Electoralis Academiæ Rector eſſet electus, ipſe Prorector ei adjunctus,

Conſiliarius Eccleſiaſticus. 1. Julii verò A. 1588. In numerum Conſiliariorum & Senatorum Eccleſiaſticorum, Profeſſione manente, cooptatus eſt.

Moritur. Demùm catarrho ſuffocativo biduum decumbens, placidè inter pias preces exſpiravit *Heidelbergæ* 23. April. A. 1589. ætatis 38. Funus ipſi factum eſt frequens, corpus autem in ædibus *Petrinis* ibidem humatum, ejusmodi cum Epigraphe & Epitaphio:

Epitaphium.

EPITAPHIUM GEORGII SOHN. THEOL. D. ET PROFESSORIS IN ACADEMIA HEIDELBERGENSI, ET IN ELECTORALI PALATINATU CONSILIARII ECCLESIASTICI:

Georgius cubat ſepulchro hoc Sohnius.
Vir doctus, integer, modeſtus & pius,
Conſtansq; veritatis aſſertor Scholis
In inclytis, Marpurgianâ & alterâ
Noſtrâ hâc, Deo Muſisq; gratâ, liberûm
Senum pater, tum naſcituri poſthumi.
Quanto dolore conjugis mœſtiſſimæ
Lapis ſit iſte poſtus, ipſa noverit,
Partum ante quæ parem maritum amiſerit.
In copia tenellulæ prolis pari.

OBIIT A. M D LXXXIX. MENSE APRILI DIE XXIII. ANNO ÆTAT. XXXVIII.

HIC REQUIESCIT REVERENDISSIMUS ET CLARISSIMUS THEOLOGUS, GEORGIUS SOHN. D. ET IN DUABUS INCLYTIS SCHOLIS, MARPURGENSI PRIMUM ET POSTEA HEIDELBERGENSI THEOLOGIÆ PROFESSOR.

Tanquàm migraturus habita.

Scripta. Scripta à *Georgio Sohnio* tribus comprehenduntur Tomis: Primo: *De Verbo Dei & ejus tractatione, lib. II.* Secundo: *Synopſis ſive delineatio methodi Theologiæ:* Tertio: *Methodus Theologiæ plenè conformata:* Quarto: *Idea Locorum Communium Theol.* Quinto: *Synopſis totius doctrinæ Philippi theſibus comprehenſa*: Sexto: *Aliæ theſes de plerisq; aliis Theologiæ partibus in Academiis Marpurgenſi & Heidelbergenſi diſputatæ.*

Secundo verò tomo continetur *Exegeſis præcipuorum Articulorum Auguſtanæ Confeſſionis.*

Tertio denique exhibetur *Exegeſis interpretationis Scholaſticæ & Theologicæ ſuper ſelectos aliquot Pſalmos Davidis.*

Centuria Epiſtolarum Theologicarum.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Germ. Theol.*

ROBERTUS HORN.

Obiit A.C. 1589.

FEbruarii 16. A. 1560. *Robertus Hornus*, natus in Epiſcopatu ſive Comitatu *Dunelmenſi*, educatus in Collegio *S. Johannis Cantabrigiæ* ſub *Eduardo VI. Dunelmenſis* Eccleſiæ Decanus, ex Germania tum nuper reverſus, ubi *Maria* regnante vixerat in exilio, in Epiſcopum *Wintonienſem* conſecratus eſt. Sedit annos propè 20. In ædibus ſuis *Buthwercanis Londini* obiit, & in ſua Eccleſia propè pulpitum jacet tumulatus ſub marmore, cui hæc reperiuntur verba inſcripta. *Eccleſiæ Dunelmenſis Decanus. Epiſcopus Wintonienſis.*

Epitaphium. Theologiæ Doctor.

ROBERTUS HORN THEOLOGIÆ DOCTOR EXIMIUS, QUONDAM CHRISTI CAUSA EXUL, DEINDE EPISCOPUS WINTONIENSIS: PIE OBIIT IN DOMINO JUN. I. A. M D XXCIX. EPISCOPATUS SUI ANNO XIX.

* *Ex Commentario de Præſulibus Angliæ Franciſci Godwini.*

MICHAEL BAJUS.

Obiit A.C. 1589.

Theologiæ Doctor & Profeſſor Lovanii. MElini in territorio *Athenſi* natus eſt, S. Theologiæ in Academiâ *Lovanienſi* Doctor, & per annos 40. Profeſſor Regius eximiæ virtutis & maturi conſilii fuit.

Ad Oecumenicam Synodum *Tridentinam*, cujus & finem ſpectavit, unà cum *Cornelio Janſenio* & *Johanne Heſſelio* à *Philippo II. Hiſpaniarum* Rege miſſus egregiam ingenii, doctrinæ ac pietatis teſtificationem dedit.

Collegium Lovanii fund. Opera Auguſtini novies perlegit. Collegium *Lovanii* excitavit, ſub patrocinio *B. Auguſtini*, cujus Opera cum nonies perlegiſſet, invenit tamen quod ruminaretur.

Facultates ſuas moriens pauperibus legavit.

Johannes Bernartius Machlinienſis J.C. virtutes ejus funebri Oratione eſt proſecutus.

Jacobus Bajus, fratris filius, Doctor itidem Theologus Monumentum illi in æde Sacrâ Collegii Pontificii, cui multis annis præfuerat, tale poſuit:

Epitaphium.

HIC JACET SEPULTUS EGREGIUS VIR
D. AC M. N.
MICHAEL DE BAY ATHENSIS,
ECCLESIÆ COLLEGIATÆ D. PETRI
DECANUS,
UNIVERSITATIS CANCELLARIUS ET
CONSERVATOR,
GENERALIS PER BELGIUM INQUISITOR,
REGIUS S. THEOLOGIÆ PROFESSOR,
ET COLLEGII PONTIFICIS PRÆSES.

Digitized by Google



Digitized by Google

Epitaphium. Hamburgi in Templo Cathedrali ipſi tale monumentum eſt poſitum:

MEMORIÆ REVERENDI ET OMNIUM DISCIPLINARUM ATQUE PRÆSTANTIUM VIRTUTUM ORNAMENTIS CLARISS. V. D. HENRICI MOLLERI, D. JOACHIMI F. SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS, HEBRAICÆ, CHALDAICÆ, ET GRÆCÆ LINGUÆ FELICISS. INTERPRETIS, ATQUE IN ACADEMIA VITEBERGENSI PER ANNOS XIV. PROFESSORIS ORDINARII, IN PATRIA PIE DEFUNCTI A. CHRISTI CIↃ IↃXIC. VI. KAL. XBR. ÆTATIS ANNO SEXAGESIMO. MARGARETHA MOESTISSISSIMA VIDUA ET LIBERI, DULCISSIMO MARITO, ET PATRI CUM LACHRYMIS F. F.

Scripſit egregium in *Pſalmos Davidis Commentarium.*

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

JACOBUS PONTANUS.

Clar. A.C. 1590.

Natione *Bohemus*, à patriâ *Bruck*, *Bohemiæ* oppido, cognominatus, ſed in *Germaniâ* educatus. Societati Jeſu addictus, in humanioribus potiſſimùm literis exercitatus, illarum ſtudium ferè primus ex Societate ſuâ in *Germaniâ* excoluit, & multos erudivit diſcipulos, ſuoque exemplo incitavit. (Soc. Jeſu. Philologus.)

Claruit circa A. C. 1590.

Scripſit:

Scripta. *Progymnaſmatum Latinitatis, ſive Dialogorum Volumina IV. in quibus omnia ferè, quæ in uſum communem incidunt, puro Latinoque ſermone complexus eſt.*

Inſtitutiones Poëticas.

Florida, hoc eſt, *Carmina ſacra.*

Comment. in Virgilium.

Dialogos de Spiritu & Carne.

Ex Græco vertit in linguam Latinam:

Johannem Cantacuzenum, qui 4. Libris bella inter Andronicum ſuum & Nepotem geſta eleganter deſcripſit.

Georgii Phranzæ Chronica Orientis Imperii.

Commentaria in Prophetas minores B. Cyrilli Alexandrini.

Simeonis Epiſcopi Theſſali de Divino Templo, & aſcetica.

Vitam Chriſti Nicolai Cabaſilæ, & Philippi Solitarii Dioptram.

Simeonis Junioris Orationes XXIII.

Theophylacti Simocatæ Hiſtoriam de Mauritio Imp.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

GEORGIUS SCHERER.

Clar. A.C. 1590.

Natione *Germanus*, patriâ *Sueſcenſis*, propè *Oenipontum* Comitatûs *Tirolenſis*, ætatis circa anno 20. Societatem Jeſu complexus eſt: in quâ mirum quantos in virtute & doctrinâ progreſſus fecerit. (Soc. Jeſu complexus.)

Græcas & Hebraicas literas, Dialecticam etiam docuit per 40. annos ſummâ cum laude, nec minore fructu concionatus eſt. (Philologus. Concionator.)

Vir impiger, pietate inſignis, laboris patiens, eloquentiâ mirâ valuit ad permovendos animos. Collegium *Viennenſe* rexit, & Viceprovincialis munere functus eſt. (Rector Collegii Viennenſis.)

Claruit circa A. C. 1590.

Scripſit Germanicè:

Scripta. *Variorum Opuſculorum contra hæretic. Tom. II.*

Poſtillam in Evangelia de Tempore & Sanctis.

Rationes X. inſtituti Feſti & Proceſſionum Corporis Chriſti.

In fabulam Papiſſæ Johannæ.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

JOSEPHUS ANCHIETA.

Clar. A.C. 1590.

Natione *Canarinus*, ſive ex *Inſularum Fortunatarum* unâ, cui nomen *Tanarifa* fuit.

Societati Jeſu deditus, inter Novi Orbis miracula primo loco refertur, & magnus miraculorum operator, item grande lumen Societatis in Occidente, & alter Apoſtolus *Braſiliæ* appellatur in Elogio ejus, quod *Neapoli* typis prodiit linguâ *Italicâ* A. C. 1631. & in Bibliothecâ *Jeſuiticâ Philippi Alegambe* Latino idiomate proponitur. (Societ. Jeſu. Apoſtolus Braſiliæ.)

Vitam verò *Joſephi Anchietæ* V. libris deſcripſit *Sebaſtianus Barretanus* Societ. Jeſu.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

BERNARDINUS ROSSIGNOLIUS.

Clar. A.C. 1590.

Natione *Italus*, patriâ *Ulmetanus*, Diœceſis *Albenſis* in *Subalpinis Italiæ*, à teneris annis virtutem amavit, ſeque in Societatem Jeſu dedit, in quâ animum omnibus religioſæ diſciplinæ exercitationibus excoluit, & Scientiarum naturalium ac Divinarum cognitione ornavit. (Soc. Jeſu addictus.)

Poſteà ob ſingularem modeſtiam maturiorisque ſignificationem prudentiæ, variis eſt Collegiis præfectus, ac demùm Provinciis *Romanæ*, *Venetæ* & *Mediolanenſi* Provincialis Præpoſitus, quod munus religioſè obivit. (Præpoſitus Provincialis.)

Scripſit

Scripta. *De diſciplinâ Chriſtianæ perfectionis, pro triplici hominum ſtatu, Incipientium, Proficientium, & Perfectorum, ex Sanctis Scripturis & Patribus Lib. V.*

De actionibus virtutum.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Clar. A.C. 1590.

EDUARDUS SANDIUS.

Societ. Jeſu aggregatus.

NAtione *Luſitanus*, patriâ *Olyſſiponenſis* in Profeſſorum domo *S. Rochi* ad Societatem Jeſu aggregatus eſt. Facultatem Oratoriam in Collegio *Conimbricenſi* feliciter docuit, ac multis magniſq; pro Chriſto in *Luſitaniâ* ſuſceptis laboribus in Orientis Solis *Indiam* navigavit, Collegiique *Machao Chinæ* adjacentis Rector fuit.

Rector Collegii Machao propè Chinam.

Indè in interiora terræ zelo fidei Chriſtianæ propagandæ delatus, multiſque Gentium ad veritatem converſis mortuus eſt.

Scripſit

Scripta.

Itinerarium 4. Japonenſium Principum, qui fidei Sacramentis imbuti magno Religionis Chriſtianæ colendæ incenſi deſiderio è *Japoniâ* ſolventes A. C. 1584. in *Luſitaniam* appulerunt, &, per *Hiſpaniam*, *Romam* profecti, Chriſtianorum Regum *Japonenſium* nomine, Pontifici Maximo obedientiam obtulerunt: â quo benignè excepti & liberaliter remunerati ſunt. Indè *Italiâ* obitâ in patriam renavigantes incolumes pervenerunt, magno gaudio Chriſtianorum: ac tandem omnium rerum, quas viderant, rejectâ vanitate, 4. *Japonenſes* Principes feliciter legatione ſuâ perfuncti Societatem Jeſu in patriâ ſuâ ingreſſi ſunt.

In eodem Itinerario regiones recenſet, quas peragrârunt, nationum mores deſcribit, quas luſtrârunt, triumphos pingit, quibus per Italiam excepti, munera denique refert, quibus â magnis Principibus donati ſunt.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Clar. A.C. 1590.

FRANCISCUS SARMIENTUS.

Epiſcopus Hiſp.

APoſtolici Palatii Auditor, pòſt etiam in patrio ſolo *Jaënſis* Epiſcopus, qui *Toletano* in *Carpetanis*, paret Archiepiſcopo, edidit *Romæ* Tractatum *De reditibus Eccleſiaſticis*, in quo diſſeritur, utrum Clerici ea, quæ ſibi ex reditibus Eccleſiaſticis ſuperſunt, in pauperes & alios pios uſûs erogare teneantur, ex lege juſtitiæ, vel ſolùm ex lege miſericordiæ, & quando has Leges & earum alteram transgrediantur.

In quod opus ab illo vehementer diſſidens Apologiam ſcripſit *Martinus Aſpilcueta Navarrus*, ſuppreſſo tamen *Sarmienti* nomine. Quin & *Selectarum interpretationum Libros III.* in *Hiſpaniâ* evulgavit.

* *Ex Hiſpaniæ Bibliothecâ diverſorum authorum.*

Clar. A.C. 1590.

JOHANNES BONIFACIUS.

Societ. Jeſu amplexus.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Civitatenſis*, ex oppido *S. Martini del Caſtanar*, annum agens 18. ſeſe ad Societatis Jeſu inſtitutum applicavit, & cum ingenio atque eruditione præſtaret, & in ſplendidioribus ſeſe diſciplinis laudatè poſſet exercere, non vulgi trutinâ, ſed prudentium Virorum ſtaterâ rem æſtimans, maluit ſe ad pueros moribus formandos literiſque erudiendos dimittere, quàm ſpecioſa minuſque utilia ſectari.

40. annos pueris docendis impendit.

Quamobrem 40. propemodùm annos docendis pueris impendit, magnâ charitate, magnâ induſtriâ, magno fructu: ejus enim operâ atque inſtitutione factum eſt, ut permulti ejus diſcipuli, rejectâ ſæculi vanitate, habitum ſacrarum Religionum induerint, aliique prætereà multi vitam Chriſtiano homine dignam traduxerint, magno Reipubl. bono.

Scripſit:

Scripta.

De Chriſtianâ inſtitutione juventutis.
De Sapiente fructuoſo.
Epiſtolas & Orationes varias.
De vitâ & miraculis B. Mariæ Virginis.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Clar. A.C. 1590.

ROBERTUS PERSONIUS.

Soc. Jeſu addictus.

NAtione *Anglus*, Patriâ *Somerſetenſis*, Societati Jeſu addictus, Vir fuit non magis doctrinâ quàm prudentiâ & integritate vitæ laudabilis; qui in *Angliâ* multos labores pro fide Catholicâ pertulit.

Seminaria Jeſuitica excitavit.

Seminaria Anglorum & Catholicorum adoleſcentum *Romæ* ac *Rhemis ne* conciderent, multùm laboravit; aliaque Seminaria *Hiſpali*, *Pinciæ* in *Hiſpaniis* & apud *S. Audomarum* in inferiore *Germaniâ Philippi II.* liberalitate excitari curavit. Quibus in Seminariis nobiles adoleſcentes ex totâ *Angliâ* lecti ad Catholicæ Religionis regulam informantur, & literis expoliuntur, ut ætate firmati, ſcientiâ inſtructi, ſacris initiati, ſpiritu robuſti in patriam redeant, & cum hæreticis acre bellum gerant, futuri quocunque eventu victores.

Uſus Seminariorum in Angliâ.

Scripſit Anglicè & Latinè:

Scripta.

Directorium ad Chriſtianam fidem.
Martyrologium Catholicum contra peſtilens opus Foxii pſeudo-martyrum.
Ad edictum Anglicanum Reginæ Angliæ.
Quæſtiones de Sacris alienis non adeundis.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Clar. A.C. 1590.

ANTONIUS RUBEUS.

Societ. Jeſu ingreſſus.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Rodenſis*, adoleſcens 21. annos natus in Academiâ *Complutenſi* ex turbulentis hujus ſæculi fluctibus in Societatis Jeſu portum appulſus eſt A. C. 1569.

Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſor in Mexico.

Magnum hic acuti ingenii ſolidique judicii ſpecimen in ſtudiis præbuit, atque eximios in literis Philoſophicis ac Theologicis progreſsûs fecit. Ex quo in *Indiam* occidentis Solis profectus, in *Mexicanâ* civitate (quæ

Digitized by Google

(quæ totius Provinciæ novæ Hiſpaniæ Metropolis & caput eſt) Philoſophicas diſciplinas docuit primùm, deindè ſacram *D. Thomæ* Theologiam 11. annos doctè eſt interpretatus.

Denique in *Hiſpaniam* reverſus vitam clauſit.

Edidit:

Scripta. *Commentar. in Ariſtotelis Logicam.*
In Libros Phyſicorum.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Clar. A.C. 1590.

JOHANNES DOMINICUS CANDELA.

Societ. Jeſu ingreſſus. Concionator. NAtione *Siculus*, patriâ ex oppido *S. Philadelphi*, ingreſſus eſt Societatem Jeſu A. C. 1563. ætatis 22. Poſtquàm per 20. annos Concionatoris partes egit, ac trium Collegiorum & Profeſſæ domûs *Panormitanæ* curam habuit, & Novitiis ad Religionem formandis operam impendit, Provinciæ *Siciliæ* præfuit.

Scripſit:

Scripta. *Librum de Virginitate in 3. Tractâs diſtinctum.*
De bono Virginitatis.
De ſtatu Virginitatis.
De moribus Virginum.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1590.

BARTHOLOMÆUS MARTYRUM.

Theologus in Concilio Tridentino. LUſitanus, Ordinis *S. Dominici*, & Archiepiſcopus *Bracarenſis Tridentino Concilio* interfuit, qui ob ſingularem conjunctam cum pietate doctrinam Regis *Luſitaniæ* ſtudiis Magiſter præfectus fuit.

Regis Luſitaniæ Præceptor. Archiepiſcopatu poſteà ſponte ſe abdicavit, & *Vianam* ſeceſſit, ubi Collegium *Dominicanis* excitavit: alterum item *Bracaræ* Societatis Jeſu Sacerdotibus.

Moritur. Obiit tandem vitæ benè tranſactæ gloriâ clarus A. C. 1590.

Illius hæc ſunt ingenii monumenta:

Scripta. *Stimulus Paſtorum Latinè, de Officio Epiſcopi & Sacerdotis.*
Catechiſmus Luſitanicè conſcriptus.

Moliebatur & in *Pſalmos aliquot Davidis* & *Vitæ ſpiritalis Compendium*, *Romæ* deindè editum.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum auctorum Francofurti editâ.*

Obiit A.C. 1590.

ALPHONSUS MONTOYA.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Ocanienſis*, Diœceſis *Toletanæ*, annos natus 20. *Compluti* Societatem Jeſu expetivit, & admiſ-

In Societ. Jeſu aſſumptus. ſus eſt 14. Maji A. C. 1556. Poſtquàm ad Societatis normam fuiſſet eruditus, & omnibus diſciplinis Theologo dignis expolitus,

Philoſophiæ Profeſſor Burgis. *Burgis* Logicam, Philoſophiamque Ariſtotelis profeſſus eſt.

Theologiæ Profeſſor Murciæ & Madriti. Vir fuit per omnia moderatus & excellenter doctus, ſed in eâ potiſſimùm Theologiæ parte, quæ in conſultatione de moribus & conſcientiæ quæſtionibus extricandis verſatur, quam & *Murciæ* & *Madriti* cum laude docuit.

Poſtquàm Collegiorum *Placentini* & *Complutenſis* Rectoris munus obierat, Præpoſitus Provinciæ *Caſtellæ* factus Viceprovincialis, in Collegio *Salmanticenſi* animam Deo reddidit A. C. 1590. ætatis verò 54. *Moritur.*

Reliquit

De *Votis Societatis* inſignem Tractatum, *Scripta.* in quo & Religioſorum votorum naturam enucleatè aperit, & contraria argumenta acutè refellit.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu P. Petri Ribadeneiræ.*

DIONYSIUS VASQUEZ.

Obiit A.C. 1590.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Toletanus*, adoleſcens 22. annorum cum eſſet, & Latinis Græciſque literis probè excultus *Compluti* nomen Societati Jeſu dedit A. C. 1550. *Societati Jeſu deditus.*

Majores diſciplinas poſteà feliciter didicit, & in *Hiſpaniâ*, *Italiâ*, atque *Germaniâ* inferiore Superioris partes egit, Patriſque *Franciſci Borgiæ* Commiſſarii in *Hiſpaniâ* Generalis & *Romæ* Præpoſiti generalis adjutor atque à Secretis fuit. *Superior. Secretarius Franciſci Borgiæ.*

Denique in *Hiſpaniam* reverſus, *Toleti* A. C. 1590. æt. 62. vitam cum morte commutavit. *Moritur.*

Martyrologium Romanum Gregorii XIII. Pontificis Maximi juſſu editum è Latinâ linguâ in Hiſpanicam tranſtulit. *Scripta.*

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

EDMUNDUS AUGERIUS.

Obiit A.C. 1590.

NAtione *Gallus*, patriâ *Trecenſis*, ex ephebis vix exceſſerat, cum *Romæ* ad portum Societatis Jeſu appulit, in quâ literas humaniores docuit. Poëta & Orator fuit excellens, qui in *Galliis* multa & miranda patravit pro fidei Catholicæ defenſione. *Societ. Jeſu addictus.* *Turonenſis*, *Toloſani*, *Lugdunenſis* Collegiorum Rector fuit, ac Provinciæ *Aquitaniæ* Præpoſitus Provincialis. *Provincialis Aquitaniæ.* Primarias illius Regni Civitates concionibus illuſtravit, maximè *Lutetiam*, *Burdigalam*, *Toloſam*, *Lugdunum*: Principibus viris in honore fuit, *Henrico III.* Regi *Galliarum* etiam chariſſimus. *Regi Gall. Henrico III. charus.*

Captus aliquando ab adverſariis & ad laqueum damnatus, dum ad patibulum ducitur, neci mirabiliter ereptus eſt. *Neci ereptus.* Capti enim admiratione *Edmundi* eloquentiæ, & commiſeratione tacti juvenis tunc ætate atque in-

Digitized by Google

ingenio præſtantis, parcendum illi eſſe adverſarii exiſtimarunt, ſperantes ad ſuas ipſum partes adduci poſſe.

Denique ex *Galliâ* propter inteſtina & plusquàm civilia patriæ bella in *Italiam* profectus *Novocomii* mortuus eſt A. C. 1590. *Moritur.*

Scripſit

Scripta. *Catechiſmum Græcè, Latinè, & Gallicè ad refutandos Calviniſtarum errores.*

De Sacramentis.

De Baptiſmo & Confirmatione.

De Euchariſtiâ.

De Sacrificio Miſſæ.

De Sacramento Pœnitentiæ, & extremæ Unctionis.

De Matrimonio.

Theſaurum precum pro unius cujusque ſtatu.

Epiſtolam contra Petrum Viretum pro Societate Jeſu Gallicè.

Militarem inſtitutionem, quæ Pædagogus inſcribitur Gallicè.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societ. Jeſu Petri Ribadeniræ.*

Obiit A.C. 1590.

ALFONSUS CIACCONIUS.

HIſpanus ortu *Baezæ*, Oppido *Andaluſiæ*, natus adoleſcens Ordini *Dominicano* nomen dedit, & Philoſophiæ unà cum Theologiæ ſtudiis operam dans in hâc Doctoralem Lauream cum laude obtinuit. *Theologiæ Doctor.*

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & Antiquitatis peritiâ clarus â Papâ *Gregorio XIII.* Miniſtris Pœnitentiariæ *Romanæ* adſcriptus vitam finiit *Romæ* A. C. 1590. & in Templo *Minervæ* ſepulturam obtinuit. *Miniſter Pœnitentiariæ Rom.* *Moritur.*

Scripſit:

Comment. de Cruce Dominicâ.

De Trajani animâ, â Gregorio I. liberatâ.

Lib. quo Beatum Hieronymum Cardinalem fuiſſe contendit.

Vitas & Geſta Pontificum & Cardinalium omnium.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

* * *

Alfonſus Ciaconus, profeſſione *Dominicanus*, *Jaenæ* in *Bœticâ Hiſpaniâ* (quam *Oningim* apud *Livium* & *Plinium* fuiſſe putat *Ambroſius Morales*) natus, rei Antiquariæ peritiſſimus, & ſecundum *Petrum Ciaconum Toletanum*, cognominem potiùs, quàm gentilem ſuum, ſuæ *Hiſpaniæ* magnum lumen, poſt edita pleraque ingenii ſui monumenta *Romæ*, ubi jampridem domicilium fixerat, ad meliorem vitam migravit M. Febr. anno ætatis 69. & ad *D. Sabinæ* honorificè tumulatus eſt. *Thuan. lib.* 122. *Antiquarius.*

* *Ex Thuani enucleati Part. II. Gerardi â Stöcken Holſati.*

Obiit A.C. 1590.

PETRUS PICHERELLUS.

CUm *Jacobus Auguſtus Thuanus* ab *Helvetiis* rediens (quò in causâ Regis miſſus fuerat) *Theodorici* caſtrum ad *Matronam* veniſſet, ſub veſperam oppidum ingreſſus, cum tympanum propter cuſtodiam nocturnam pulſaretur, inter armorum ſtrepitum habuit obvium *Petrum Picherellum*, *Firmitate Aculphi* in proximo natum, & in *Eſſonienſi* cœnobio olim vitam monaſticam profeſſum, hominem trium linguarum peritum, & acuti judicii, qui *Johanni Vatablo* olim cum *Johanne Salignaco* & *Johanne Mercero* operam navaverat; qui prenſum habenis equum ſiſtit. *Monachus* *Trium linguarum peritus.*

Ad quem repentè converſus *Thuanus*, cùm, Ecquid inter arma ac tubas iſtîc locorum ageret? percontaretur, ille & diverſorium ſuum in proximo oſtendit, & eâ die 14. horis obfirmatis contra ſtridores & horrores auribus ſtuduiſſe ſe dixit, quâ & annum ætatis 79. clauſerit, & finem elaboratis in *B. Paulum Commentariis* impoſuerit, abſolutâ ad *Philemonem* epiſtolâ, jamque omnia deſcripta habere, prælis cum commoditas ſe offerret committenda, quod ut contingeret pro votorum ſummâ ſe exoptare: ſe iſtius ætatis nullam adhùc corporis magnam debilitationem ſentire, oculis & auribus integris valere, mentis priſtinam vim ſervare, ſed ut juvenibus multa accidere certum ſit, quæ ipſos ſeneſcere non ſinant, ſic certiſſimum eſſe, ſenes diu vivere non poſſe. *Scripſit Commentarios in Epiſtolas S. Pauli.* *Octogenar. vegetus.*

Huic *Thuanus* poſt elaboratos in *B. Matthæum* & *Lucam Commentarios* autor fuerat, ut in *Paulum* ſcriberet, & ille munus injunctum alacriter ſuſceperat. Nam extra cauſam religionis diligentiam *Theod. Bezæ* laudabat, ſed poſt ejus meſſem magnum ſibi & aliis Spicilegium relictum eſſe dicebat. *Scripſit Comment. in Matthæum & Lucam.*

Sed malâ ſorte accidit, ut non multò pòſt morte ejus ſecutâ res omnis ad hæredes litigioſos devenerit, qui pretioſam illam avunculi ſupellectilem diſſipari, & in manûs alienas tranſire paſſi ſunt.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi â Stöcken.*

FLAMINIUS NOBILIUS.

Obiit A.C. 1590.

LUcenſis, ex familiâ Patritiâ, Philoſophiæ cultioris peritus & extremâ ætate Theologiam profeſſus, poſt egregiè navatam in Latinorum Bibliorum â S. P. *Sixto V.* procuratâ editione operam, cum *Româ* in patriam migrâſſet A. C. 1590. ætatis 58. ad meliorem patriam migravit ad *B. Mariæ* â fratris filio Antonio ſepultus. *Thuan. lib.* 99. *Theologus.* *Biblia Sixto V. jubente Latinè vertit.* *Moritur.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi â Stöcken Holſati.*

JOH. BAPTISTA CARDONA.

Obiit A.C. 1590.

VAlentinus, Epiſcopus *Dertuſanus*, Theologus in patriâ claruit, & Canonicus. *Romam* indè profectus inſtaurandorum auctorum collegio interfuit: ſcripſitque *Theolog. Hiſp.*

Digitized by Google

que ſciſcitantibus pluribus, *De expungendis Hæreticorum nominibus* ad *Gregorium XIII.* quem libellum etiam *Tarracone* evulgavit, addito de *Diptychis Commentariolo*, ac de *Regiâ Bibliothecâ* ad *Philippum* Regem conſilio.

Scripta. Ejuſdem extat *Oratio de S. Stephano Protomartyre, Romæ* anno Jubilæo 1575. habitâ coràm Pontifice.

Meditantem majora atque adeò *S.S. Patrum Scripta*, (ut *B. Leonis* Papæ ad Vaticana exemplaria,) illuſtrare conantem immatura mors humanis eripuit, atque adeò in medio curſu conatûs abrupit.

Obiit in patriâ prid. Kal. Jan. A. C. 1590.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum auctorum.*

Obiit A.C. 1590.

JACOBUS ANDREÆ.

WEiblingæ, oppido *Wirtenbergici* Ducatus natus eſt *Jacobus Andreæ* A. 1528. 25. Martii, Patre *Jacobo Endris*, qui artem exercuit fabrilem, unde filio huic *Schmidlini* nomen adhæſit; Matre verò *Anna Weiſſkôpffin.* *Filius Fabri. Arti fabrili addictus.*

Jacobus hic A. 1534. in ludum literarium miſſus, triennio exacto, opificio à parentibus addictus erat, verùm ſuaſu Conſulis *Sebaſtiani Maderi*, *Stutgardiam* ad *Erhardum Snepfium* pater *Jacobum* deduxit, ubi agnito pueri ingenio egregio, *Jacobus* in Scholam *Stutgardianam* miſſus eſt. *Literis operam dat.*

A. 1541. *Tubingæ* in ſtipendium receptus, A. 1545. à Decano *Johanne Benigno* Magiſter Philoſophiæ creatus eſt, ſecundùm inter 17. Competitores locum obtinens. *Magiſter Philoſophiæ.*

Hinc Philoſophicis, Theologiæ etiam & Hebrææ linguæ ſtudia conjunxit popularibusque ſe concionibus exercuit.

A. 1546. æt. 18. *Stutgardiæ* Diaconus Eccleſiæ ordinatus, paulò pòſt uxorem duxit *Annam Johannis Entringenſis* civis honeſti filiam, ex quâ 9. filios & 9. filias ſuſcepit, de quibus 9. ſuperſtites relicti. Ipſa verò obiit A. 1583. *Diaconus Stutgardienſis. Uxorem ducit.*

A. 1548. Cum formam Interreligionis, Interim dictam, in quâ Pontificiorum errores aſtutè palliabantur, probare recuſaret; cum multis aliis Eccleſiæ miniſtris ab officio remotus, & *Tubingam* migrare compulſus eſt. *Tubingam ob Interim pellitur.*

A. 1549. *Tubingæ* Diaconus Eccleſiæ factus, ibidem 19. April. A. 1553. ætat. ſuæ 25. Doctor Theologiæ renunciatus eſt, Eccleſiæ *Göppingenſis* Paſtor & Generalis Superintendens. *Diaconus Tubingenſis.*

Cumque ſub id tempus à *Ludovico* Comite *Oettingenſi* evocatus eſſet, ut Eccleſias ſui Comitatus à Pontificiorum Ceremoniis repurgaret, quod & A. 1556. ab *Udalrico* Comite *Helffenſteinenſi* eſt factitatum, egregiam hac in re ſuam præſtitit operam. Cumque tum in vicino Oppido *Weiſſenſtein* Judæum ob furta pedibus ſuſpenſum, inter duos canes pendentem, versûs ex Pſalmis Hebr. recitantem audiret, quibus miſer ille divinam implorabat opem; acceſſit propiùs eique expoſuit Religionis Chriſtianæ caput, Chriſtum Jeſum Meſſiam, verum Jehovam, utque in hunc crederet hortatus eſt. Loquente adhuc ipſo, canes membra Judæi arrodere ceſſârunt, & Judæus Religionem Chriſtianam amplexus, hoc unum petiit, ut de patibulo liberatus baptizartur, mox iterum de collo ſuſpendendus, idque obtinuit. *Judæum convertit.*

A. 1557. Cum Duce *Chriſtophoro* tanquam Concionator Aulicus ad Comitia *Ratisbonenſia*, & deindè cum eodem *Francofurtum* ad *Mœnum* profectus eſt. *Ratisbonam proficiſcitur.*

A. 1561. Cum *Jacobo Beurlino* & *Balthaſ. Bidenbachio Poßiacum* in *Galliam* ad Colloquium inter *Pontificios* & *Hugenottos*, quos vocant, inſtitutum miſſus, quod tamen, antequam hi *Lutetiam* perveniſſent, ſolutum fuit.

A. 1562. Cancellarius & Præpoſitus *Tubingenſis* à Principe *Chriſtophoro* deſignatus, miſſus eſt cum *Chriſtophoro Bindero* in *Thuringiam*, ad ſopiendum diſſidium inter Theologos *Jenenſes Flacium* & *Victorinum Strigelium*, de liberi arbitrii viribus ortum. *Cancellarius Tubingenſis.*

Reverſus inde menſe Julio familiam ſuam *Tubingam* tranſtulit, ſtatimque initio A. 1563. *Argentoratum*, ubi *Zanchius* tum nova quædam dogmata promulgârat, miſſus eſt. A. 1564. *Hagenoam* ad inſtituendam Eccleſiam vocatus menſis Novembris 30. die primam ibi habuit concionem. *Argentoratum mittitur. Et Hagenoam.*

Manſit autem ibidem menſem, de plurimis & præcipuis Religionis Chriſtianæ capitibus conciones habens.

A. 1567. Cum Academia *Tubingenſis Eslingæ* propter peſtem commoraretur, per integrum ibi annum, Paſtoris loco, frequentes inſtituit conciones. *Eslingæ concionatur.*

A. 1568. Poſt plurimas Julii Ducis *Brunſuicenſis* Eccleſias reformatas, 3. Aprilis die *Heidelbergam* ad privatum de Cœnâ Domini colloquium profectus, duodecimo ejuſdem rediit. *Heidelbergam proficiſcitur.*

Paulò pòſt menſe Junio ad *Saxonicas* & maritimas civitates eo miſſus eſt fine, ut voluntates Miniſtrorum de conſenſu in doctrinâ exploraret.

Cumque A. 1570. *Pragam* tranſiret Imperator *Maximilianus II.* privatim cum ipſo de Concordiæ negotio, in quo plurimum ipſum laborare cognoverat, contulit.

Anno 1571. Cum *Mompelgardum* ad inſpectionem Eccleſiarum eſſet profectus, in reditu *Argentinæ* colloquium cum *Matthiâ Flacio Illyrico* inſtituit, in quâ paradoxum ejus, *peccatum eſſe ſubſtantiam* refutavit.

A. 1580. Magno ipſius labore quinquennali, collatis anteà plurimorum Theologorum ſententiis, prodiit *Liber Concordiæ*, à tribus Electoribus Imperii, 21. Principibus, 22. Comitibus, 4. Baronibus, 35. Civitatibus Imperialibus, & 8000. Miniſtris Eccleſiæ ſubſcriptus & approbatus, à multis tamen improbatus. *Librum Concordiæ edit.*

A. 1586.

A. 1586. Menſe Martio, *Mompelgardi*, conſenſu *Friderici* Principis *Würtenbergici*, Colloquium habuit cum *Theodoro Beza*, de Cœnâ Domini, de Perſonâ Chriſti, de Prædeſtinatione, de Baptiſmo, de Templorum Pontificiorum reformatione, de Adiaphoris.

Cum Theodoro Beza colloquium habet.

A. 1587. *Nordlingam* à Senatu vocatus eſt *Jacobus Andreæ*, ad negotium Eccleſiaſticum componendum, quo confecto, in reditu non procul *Tubingâ* febri correptus eſt menſe Aprili: cum verò menſe Junii vires colligere ſeſe cœpiſſent, ad Balneas *Zellenſes* ſe valetudinis causâ contulit,

Hinc, cum falſa de ſe tradita ob doctrinam ſentiret *Jacobus*, *Bernam* profectus, coràm Senatu prolixâ oratione de injuriis iſtis graviter conqueſtus eſt, Principique *Friderico* & ſibi honorem ſuum reſtitui petiit â Theologis *Helvetiis*, conſiliumque addidit: nullam ſibi videri expeditiorem viam, quàm ſi utrinque *Helvetici* & *Würtenbergici* Theologi convenirent, atque authographa cum excuſo, (de qua nata tunc erat controverſia,) conferantur libro.

Bernæ falſum de ſe rumorem refutat.

A. 1589. Interfuit Colloquio *Badenſi*, hoc verò mox abrupto, ſcripſit diſputationem de Eccleſiâ, propoſitis à *Jeſuitâ* & *Lutherano* Theologo utriusque partis argumentis, coram præſide veritatis cognoſcendæ ſtudioſo, non ſecus ac ſi præſentes colloquerentur. Animam Deo brevi pòſt reddidit *Tubingæ* 7. Januar. A. 1590. ætat. 61. Miniſterii 44. ſepultus in templo collegiato, Concionem funebrem habente *Lucâ Oſiandro*.

Badenſi colloquio intereſt.

Moritur.

Ipſe verò *Andreas* in docendo populo fuit popularis, ut diſtinctè & perſpicuè poſſet etiam obſcura aliàs proponere, & facilè intelligerentur, in exhortando ad vitæ emendationem, & increpando extollens vocem ſicut tubam, in refutando adverſarios ſanæ doctrinæ potens. In officio denique toto nullis unquam parcens laboribus, in religionis Zelo fervens, & qui ſummopere doleret, ſicubi audiviſſet, alibi alios defeciſſe.

Scripta edidit plurima, adeò, ut quidam Vir doctus & dives *Tubingam* poſt ejus obitum ſcripſerit, ſe de monumentis ejus habere in ſuâ librariâ ultra 150. variorum argumentorum opera.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Germanorum Theologorum.*

Obiit A.C. 1590.

HIERONYMUS MENCELIUS.

PArentes habuit *Johannem Mencelium*, *Suidnicii in Sileſiâ* pannificem, & *Annam*, *Stenzelii Schmidichen* hoſpitis ibidem filiam, quæ gravida, cum hiſtoriam de *S. Hieronymo* Eccleſiæ Doctore legiſſet, Deum imploravit, ut filius, quem utero geſtaret, aliquando Miniſter Eccleſiæ fieret.

Hunc 22. Febr. A. C. 1517. natum in S. Baptiſmo *Hieronymum* nominari voluit.

Cur Hieronymus nominatus

Puer anno æt. 7. miſſus in Scholam patriam literarum primitias didicit, ſed cum A. 1528. *Schwidnicium* per incendium ſubitò exortum ultrà dimidiam partem fuiſſet in cineres redactum, unàque ædes *Mencelii* deſtructæ, puer hic undecennis ex Scholâ ad pannificium nolens adactus, triennium in eodem exegit.

Pannificio adhibitus puer.

A. 1531. Cum Scholæ reſtauratæ *M. Georgius Wilhelmus* vir eruditus *Suidnicii* fuiſſet præfectus, hujus Scholam, patrui *Georgii Mencelii* conſulis inſtinctu, per quadriennium tanto cum fructu frequentavit, ut epiſtolam Latinam proprio Marte ſcribere poſſet.

Reverſus ad Scholam.

Cum verò pater ob incendii perpeſſi damnum filio ſumtûs ad ſtudia ſuppeditare nequiens, eum iterum opificio ſuo addixiſſet, mater eum in Scholam *Goldbergenſem* A. 1535. miſit, & *Valentino Fridlando* â *Trotzendorff*, Ludimoderatori tunc celebri, per affinem ſuum *Hieronymum Tommendorſium* commendavit.

Goldbergæ Valent. Trotzendorfii diſcipulus.

Ibi cum triennio fuiſſet in ſtudiis aſſiduus Præceptor *Trotzendorſius*, adoleſcentes aliquot nobiles ejus inſtitutioni privatæ commiſit, â quibus victum & didactrum exiguum accepit.

Præceptor diſcipulorum.

Scholæ præthereà ſuæ adhibito duas Lectiones, ipſi docendas, *Æneida nempe Virgilii* & *Grammaticam Latinam Philippi* tradidit, cum annuo didactro 8. Imperialium. Cum ita 24. florenos *Ungaricos* collegiſſet A. 1539. in Univerſitatem *Wittenbergenſem* diſceſſit, ubi *Lutherum*, *Melanchthonem*, *Juſtum Jonam*, *Bugenhagium*, *Crucigerum*, aliosque docentes audivit.

Wittenbergæ ſtud.

Ope deindè Domini *Philippi Melanchthonis Lipſiæ* pædagogiam in ædibus *D. Bernhardi Zigleri* adeptus, octo Adoleſcentes nobiles inſtitutioni ſuæ traditos informavit A. 1542.

Exindè recommendante eum Dom. *Joach. Camerario*, Bacularius in Scholâ novâ *Islebii* factus A. 1542. 5. Aug. in eo munere 9. annos tranſegit.

Bacularius Islebii.

A. 1551. *Wittenbergæ* unà cum 55. Competitoribus in Philoſophiæ Magiſtrum primo loco promotus eſt, & brevi pòſt Conrectoris munus *Islebii* ſuſcepit.

Magiſter Philoſ. Witteb. Conrector Islebii.

A. 1553. Ab *Alberto* Comite *Mansfeldico* Paſtor Eccleſiæ *Islebienſis* ad *S. Nicolaum* denominatus Dominicâ Palmarum Concionem inauguralem habuit.

Paſtor Eccleſiæ.

Tandem A. 1560. poſt diſceſſum *Eraſmi Sarcerii* Generalis Superintendens univerſi Comitatûs *Mansfeldici* conſtitutus, in eo munere vitam reſiduam exegit.

Generalis Superintendens Comit. Mansfeldiæ.

In triplici conjugio vixit: 1. cum *Helenâ Beuchlingiâ*, quam virginem duxit A. 1544. & morte abreptam amiſit A. 1568. 2. cum *Annâ Fabriâ*, quâ A. 1577. denatâ, tertiâ vice nuptias celebravit A. 1579. cum *Catharinâ Schutziâ*, *Chriſtiani Cœlii* viduâ, quam viduam reliquit ſuperſtitem.

Ex nullâ verò harum trium uxorum prolem ſuſcepit.

Placidè tandem obdormivit 25. Febr. A. C. 1590. ætatis 74.

* *Ex Concione funebri M. Auguſtini Thamii Eccleſ. Paſtor ad S. Andream Islebii.*

MAR-

ObiitA.C. 1590.

MARTINUS DUNCANUS.

IN Vico *Kempen* ditionis *Colonienſis* natus eſt A. C. 1505. prid. *S. Martini*, parentibus honeſtis.

Neomagi apud Fratres vitæ communis ſtudiorum fundamenta jecit.

Eccleſiæ Paſtor Goricomianæ. Decurſo deindè apud *Grudios* in *Standonico* Gymnaſio Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudio, *Goricomianæ* apud *Batavos* Eccleſiæ præfectus eſt, deinde *Delphenſi*.

Tunc graſſanti *Anabaptiſtico* furori voce & ſtylo murum pro domo DEI ſe ipſum objecit, multasque animas Chriſto lucrefecit.

Decanus Hagæ Comitis. *Hagæ Comitis* demùm *Guilielmo Lindano* in Decanatûs Dignitate ſuffectus eſt.

Deceſſit *Amersfortii* in exilio 16. Kal. Maji A. C. 1590. æt. 85. ad *D. Agathæ*, quod Monialium *S. Auguſtini* eſt Cœnobium, conditus.

Vitam ejus deſcripſit *Johannes Hezius* idiomate *Belgico*.

Scripſit:

Scripta. *Dialogos Latini Sermonis in Scholarum uſum.*

Catechiſmum Catholicum oppoſitum Catechiſmo Deformatorum, vernaculo ſermone.

De origine condemnationis & juſtificationis.

De Sacrificio Miſſæ.

De verâ Cœnâ Domini.

De verâ Chriſti in terris Eccleſiâ.

De fugâ Paſtorum in perſecutione.

Confutationem Anabaptiſticæ hæreſeos contra Mennonis Simonis Blaſphemias de Baptiſmo.

De Angliæ Rege Eccleſiæ Capite.

Contra Alvearium Romanæ Eccleſiæ, ſeu Apiarium Philippi Marnixii Aldegondi.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1590.

PAULUS MATTHIÆ.

Philoſophiæ Magiſter. NAtus eſt *Coagii* in *Sædlandiâ* A. 1527. Baccalaureus Philoſophiæ creatus eſt â Decano *M. Nicolao Hemmingio* A. 1545. & Magiſter A. 1554. die 1. Maji. A. 1555. in Ordinem Profeſſorium cooptatus, *Ling. Græcæ, Hebr. & Dialecticæ Profeſſor.* in Academiâ primùm linguas, Latinam, Græcam & Hebræam, deinde Dialecticam A. 1560. profeſſus eſt.

Baccalaureus Theologiæ. Decanus facultatis Philoſophicæ A. 1559. die Martis, poſt Palmarum, 14. Baccalaureos creavit, & die Martis antè *Joh. Baptiſtam* 5. Magiſtros. A. 1558. Ipſe Baccalaureus Theologiæ renuntiatus eſt â *D. Hemmingio*.

Epiſcopus Ripenſis. Uxorem duxit. Rectoratum geſſit A. 1560. Ad Epiſcopatum *Ripenſem* vocatus A. 1562. dum eo munere fungitur, uxorem A. 1568. duxit *Catharinam*, *Jacobi Haſebardi*, Chirurgi Regii, filiam.

Epiſcopus Sædlandiæ. Theologiæ Doctor & Profeſſor. A. 1569. Succeſſor datus eſt *D. Johanni Albertio* in Profeſſione Theologicâ, & Epiſcopatu *Sædlandiæ*, & Doctoris Theologiæ gradum â *D. Hemmingio* A. 1570. accepit.

Rectoratum iterum geſſit A. 1577. & 1589. Atque hic poſtremus ejus Rectoratus hoc memorandum habet, quod *Jacobus VI.* Rex *Scotiæ* Collegium *Hafnienſe* d. 7. Martii A. 1590. ingreſſus, cum ad duas ferè horas continuè docentes *D. Slangendorfium* Theologum, & *D. Andream Chriſtiani* f. Medicum audiviſſet, à Rectore *D. Paulo Matthiæ* brevi oratione compellatus fuerit, gratulando, gratias agendo, & benè precando. *Regem Scot. Jacobum VI. in Collegio Hafn. oratione excepit.* Donavitque Rex Academiæ poculum argenteum auratum.

De ingreſſu ejusdem Regis in Urbem *Hafniam* Rector & Senatus Academicus Programma publicum poſuerunt, quod poſt alia hæc verba continet:

Æquum eſt tales Eccleſiæ Nutricios & Parentes, tanquam Divinæ Majeſtatis Legatos, in his terris colere, venerari, ſuſpicere. Cum itaque die hodiernâ Illuſtriſſ. Princeps JACOBUS Scotorum ejus nominis Rex VI. hanc Civitatem ingredietur, judicavimus illum quovis honore afficiendum & excipiendum, totumque ejus Comitatum benignè & amicè, quamdiu nobiscum manſerit, tractandum. Initium facturi ſumus hodiè, quando ejus adventum frequentes excipiemus, quod vos, (Studioſos, Cives Academiæ,) etiam facere, & nos extra portam comitari tempore convenienti volumus & ſeriò mandamus. Faciteitaque Studioſi ſpontè veſtrâ quod veſtrum poſtulat officium, & jusjurandum, pietasque & obedientia ſuadet.

Obiit A. C. 1590. d. 31. Octob. Sepultus in Summo Choro Templi D. Virginis, habetque Lapis Sepulcralis hanc Inſcriptionem:

Epitaphium. PAULO MATTHIÆ COAG. THEOL. DOCT. EPISCOPO PRIMUM RIPENSI M. VIII. DEIN XX. ROESKILD. VII. OLIM IN HAC ACAD. LINO. LATIN. GRÆC. HEBR. PROFESSORI OPTATISS. VIDUAR. ORPHAN. PAUPER. FAUTORI, VIRO VERE BONO. QUI SUMMO BONORUM OBIIT DESIDERIO PRID. KAL. NOVEMBRIS, ANNO SALUTIS M D XC. ÆT. LXIII. HÆREDI PATRUO CARISS. P. P. SOLI DEO GLORIA. PRUDENS SIMPLICITAS.

* *Ex Academiâ Hafnienſi, repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

ObiitA.C. 1590.

HIERONYMUS ZANCHIUS.

NAtus eſt *Alzani*, *Italiæ* oppido, 2. Febr. A. 1516. ex genere clariſſimo; Pater ſcilicet ipſi fuit *Franciſcus*, Legum Licentiatus, & poſteà Actor cauſarum, qui peſte obiit 1528. Mater *Barbara*, Soror *Marci Antonii Mutii* Nobilis. *Filius Legum Licentiati.*

A. 1531. Monaſterium Canonicorum Regularium ingreſſus, in eo ſodalitio annis 11. vixit Philoſophiæ, Linguarum & Theologiæ Scholaſticæ ſectator.

Petrum Martyrem audit. Cum autem *Lucæ*, *Hetruriæ* Oppido, *Petrum Martyrem Epiſtolam ad Romanos* publicè *Pſalmosq;* privatim explicantem audiviſſet,

Digitized by Google

Theologiæ operam dat. viſſet, cepit animum ad ſtudium Sacrarum Literarum & Patrum, *Auguſtini* inprimis, lectionem adjicere.

Evangelium Chriſti docet apud Rhætos. Annis deindè aliquot Evangelium Chriſti annunciavit; ſed cum *Martyr* A. 1542. *Italiâ* exceſſiſſet, cum aliis 17. Præceptorem ſubſecutus A. 1550. primùm ad *Rhætos* devenit, ubi menſes octo ſubſtitit.

Genevam venit. Deindè *Genevam* acceſſit, ubi cum menſes 9. exegiſſet, operâ *Petri Martyris* in *Angliam* fuit evocatus A. 1553. Sed in ipſo itinere *Argentorati* detentus, & *Caſparo Hedioni* demortuo in Theologiæ profeſſione ſuffectus, & A. 1555. ibidem inter Canonicos Collegii *Thomani* cooptatus eſt. *Argentorati Caſparo Hedioni ſuccedit in Theologicâ Profeſſione.*

Menſ. Nov. A. 1563. cum ipſi ſuper variis fidei articulis â Theologis *Argentorati* controverſiæ moverentur, *Clavennam, Rhætorum* urbem, ad Eccleſiæ Paſtoratum, in locum *Auguſtini Mainardi* mortui vocatus, eò venit, & 4. annos ibi tranſegit. *Clavennæ docet.*

Heidelbergæ Profeſſor. Menſ. Febr. A. 1568. Exindè *Heidelbergam* accerſitus, *Zach. Urſino* in Profeſſione ſucceſſit, & paulò pòſt, ſic ferentibus Academiæ legibus, Doctoris Theol. inſignia, præſente Electore *Friderico III.* â *Petro Boquino* ſuſcepit.

Deindè, juſſus ab Electore, contra *Arianos* & alios, tria conſcripſit volumina, non minus eruditionis, quàm pietatis plena, de Dei naturâ, & de tribus Elohim, Patre, filio, & Spiritu Sancto uno eodemque Jehovah. Docuit autem *Heidelbergæ* annos decem, donec A. 1578. poſt mortem Electoris *Friderici III. Neoſtadium* venit, ubi in Scholâ recens inſtitutâ per ſeptennium Sacra docuit. *Neoſtadium venit.*

A. 1585. *Heidelbergam* reverſus ob ſenium â *Johanne Caſimiro*, Adminiſtratore *Palatinatûs*, rude donatus, ibidem ad Chriſtum migravit A. 1590. ætatis 75. die 19. Nov. Corpus autem in *D. Petri* Sacello ſepultum eſt, cum monumento parieti adſcripto: *Moritur.*

Epitaphium.

Hieronymi hîc ſunt condita oſſa Zanchii
Itali, exulantis Chriſti amore â patriâ.
Qui Theologus quantus fuerit & Philoſophus,
Teſtantur hoc libri editi ab eo plurimi:
Teſtantur hoc, quos voce docuit in Scholis,
Quique audiêre cum docentem Eccleſias.
Nunc ergo quamvis hinc migrârit Spiritu,
Claro tamen nobis remanſit nomine.
Deceſſit A. 1590. die 19. Nov.

Edidit:

Scripta.

Miſcellanea Theologica.
De tribus Elohim.
De naturâ Dei.
De incarnatione filii Dei: Lib. II.
De Sacrâ Scripturâ.
Commentarios in Oſeam. In Epiſtolas Pauli ad Epheſios, Philippenſes, Coloſſenſes, Theſſalonicenſes.
Compendium præcipuorum capitum doctrinæ Chriſtianæ.
De religione Chriſtianâ.
Reſponſionem ad cujusdam Ariani libellum.
Reſponſionem ad partem prodromi Wilhelmi Holderi de Viſionibus.
De Spirituali inter Chriſtum & Eccleſiam ſingulosque fideles connubio.
Prolegomena in Phyſicam.
Epiſtolas.
Orationes.

* *Ex Melchioris Adami Vitis exterorum Theologorum.*

JOHANNES AVENARIUS.

Obiit A. C. 1590.

VUlgò Habermann: *Bohemus*, natus *Egræ*, circa A. C. 1516. Oppido ab Imp. *Ludovico Bavaro Bohemiæ* Regno oppignorato A. 1315. pro 20. marcis argenti, ut habet *Goldaſtus lib. 1. de Regno Bohemiæ. Schönfelſæ* apud *Cygnæos* A. 1550. Paſtorem egit, & poſteà *Falckenaviæ* in *Variſcorum* & *Bohemorum* confinio A. 1567. quo loco & tempore aureum illum *Precationum libellum* Latinè edidit, quem in vernaculam tranſtulit *M. Jacobus Zaderer*, *Weidâ Variſcus*, Paſtor *Zizæ*, ejusque filius *M. Chriſtoph. Zaderer* publicavit *Lipſiæ* A. 1617. *Eccleſ. Paſtor Schönfelſæ & Falckenaviæ.*

Freibergæ quadriennium in Templo Cathedrali Concionatorem pomeridianum egit, & ſimul Hebraicas literas docuit, ut & *Jenæ* A. 1573. in quâ Academiâ 10. Febr. A. 1574. Doctor Theologiæ, unà cum *Joh. Streitbergero Curienſi*, & *Martino Miro Jenenſi*, Antiſtitibus renunciatus eſt. *Paſtor Freibergæ. Theologiæ Doctor Jenæ.*

Eodem anno *Wittebergam*, in quâ A. 1554. Magiſterii Philoſophici titulo ornatus fuerat, venit, publicè aliquandiu profeſſus, tandemque *Zizæ*, ubi Ephorus fuit Eccleſiaſticus, obiit 5. Dec. A. C. 1590. æt. 74. *Theologiæ Profeſſor Wittebergæ.*

Reliquit filium *Joſephum*, veteranum Academiæ *Jenenſis* alumnum, & ex hoc nepotem *Johannem*, qui A. 1579. *Oringæ*, in Comitatu *Hohenloico* natus, *Jenæ* pro gradu Doctoratûs A. 1616. de *Jure Emphyteutico*, Præſide *D. Arumæo*, diſputavit, vocatus *Wittebergam* ad Profeſſionem Eloquentiæ A. 1617. *Filius ejus Profeſſor Eloquentiæ Wittebergæ.*

Fratrem habuit *Jeremiam Avenarium*, Paſtorem *Oſtravienſem* in Epiſcopatu *Cizenſi*, cujus filius *Joſephus Jenæ* 16. Aug. A. C. 1608. Utriusque Juris Doctor creatus eſt.

Edidit:

Libellum Precationum primæ & imæ caveæ hominibus chariſſimum, qui adeò piis placuit, ut non *Latinè* tantùm, ſed & *Gallicè* verſus, in medio *Galliæ* Regno prodierit. *Scripta.*

Lexicon Hebraicum.

* *Ex Nomenclat. Profeſſor. Jenenſ. Adriani Beyeri*, qui hoc in ejus honorem adſcripſit Epigramma:

Johannes, ſacris Vir Muſis dedite, vilis
Nomen Habermanni cur tibi Avena dedit?
Nam tua triticeum demonſtrant Scripta, profectò
Ambroſiam & Mannam quæ pietatis habent.

THO-

THOMAS GODWINUS.

Obiit A.C. 1590.

Locus nativitatis. In Scholâ patriâ prima literarum rudimenta poſuit.

THomas *Godwinus Okinghamiæ* ortum habuit in Comitatu *Berkenſi*, in cujus oppidi Scholâ prima literarum rudimenta percepit.

Ad Academiam ſe contulit Oxonienſem. Artium Magiſter creatus. Scholæ Barkleyenſis Moderator.

Adoleſcentiam ingreſſus, ad Academiam ſe contulit *Oxonienſem*, ibique in numerum ſociorum cooptatus eſt Collegii *Magdalenenſis*, & liberalitate adjutus *Laytoni*, Decani *Eboracenſis*, bonis literis operam dedit, donec Artium Magiſter creatus, Pontificiorum factione,(qui reformationis ſtudioſum quovis modo amoliri ſatagebant,) neſcio quid prædioli oblatum eſt, modò Scholæ *Barkleyenſis* moderationem vellet ſuſcipere, abdicatâ *Magdalenenſi* Societate.

Duxit uxorem.

Quam conditionem libenter accepit ſub exitum Regni *Edwardi Sexti*, & ductâ in Uxorem *Iſabellâ*, *Nicolai Pureſeji de Shalſton* in Comitatu *Bukingamenſi* Armigeri filiâ, quod temporis à docendi munere vacuum nactus eſſet, in ſtudio impendit Theologiæ partim, partim etiâ artis Medicæ, unde, cum temporibus *Marianis* ab inſtitutione puerorum ſibi commiſſorum arceretur, victum ſibi ſuisq; honeſtum comparavit, quanquam à *Bonero*, *Londinenſi* Epiſcopo, perquiſitus ſubindè, ad latebras confugere, & habitationis loca ſæpè cogeretur commutare.

Ordines primos accepit à *Bullingamo Lincolnienſi* primùm, mox *Wigornienſi* Epiſcopo, (cui fuit à Sacris,) *Elizabetha* primùm regnante.

Huic verò Principi in tantum placuit erudita facundia in homine, quem corporis proceritas & formæ ſumma dignitas commendabat, ut inter eos, qui ſolennes conciones Quadrageſimales pro more in Regiâ habebant, 18. per annos nunquam non fuerit aſcitus.

Ædis Chriſti Oxoniæ Decanus. Decanus Cantuarienſis.

Reginæ interim antedictæ deſignatione Decanus factus Ædis Chriſti *Oxoniæ* Anno Regni ſeptimo, indè poſt ſesquiannum ad Decanatum *Cantuarienſem* vocatus eſt.

Eccleſiæ Cantuar. Præſul.

Id muneris cum adminiſtrâſſet annos decem & octo, ad Præſulatum hujus Eccleſiæ, poſt vocationem triennalem, conſecratus eſt Septembris 13. 1584. Seditque annos 6. menſes duos, & dies inſuper 6. Quo tempore exacto, annos natus 73. Novemb. 19. 1590. eo ipſo in oppido vitam finiit mortalem, immortalem accepturus, in quo primùm vivere cœpiſſet; ibique ſepulturâ eſt conditus in Auſtrali latere cancelli, propè monumentum in muro fixum, tenuitati ejus, qui illud ſtatuit, quàm tanti viri virtutibus congruentiùs.

Moritur.

Id qualecunque ſit, hæc habet verba inſcripta.

M. S.

PARENTIS CHARISSIMI, PATRIS VERE REVERENDI, THOMÆ GODWINI, SACRÆ THEOLOGIÆ, ÆDIS CHRISTI OXON. PRIMUM, AC DEINDE CANTUARIEN. DECANI, BATHON. DEMUM AC WELLEN. EPISCOPI, QUI HOC IN OPPIDO NATUS, HIC ETIAM, (DUM VALETUDINIS RECUPERANDÆ GRATIA EX MEDICORUM SENTENTIA HUC SECEDIT,) QUARTANA FEBRE CONFICTUS, MORTALITATEM EXUIT NOVEMB. XIX. M D XC. CONS. SUÆ ANNO SEPTIMO, ET HIC JACET EXPECTANS ADVENTUM MAGNI DEI

F. FRANC. P. GODWYN EXON. SUBDECANUS.

* *Ex Commentario de Præſulibus Anglicis Franciſci Godwini.*

PAULUS ARGOLUS.

Obiit A.C. 1591.

ANdreæ *Argoli*, Mathematici clariſſimi, frater, natus eſt *Talliacotii* A. C. 1570. matre *Catharinâ*, ex *Mathorum* illuſtri familiâ ortâ, quæ filium hunc primis annis infirmæ valetudinis, ſi ſoſpitaretur, voto ſe Cœnobio alicui dicaturam adſtrinxit, niſi ipſe repugnâſſet.

Fit Monachus ex voto matris.

Voto matris obtemperans *Paulus*, *D. Franciſci*, quod *Talliacotii* eſt, Sodalitio, inſignibus Religionis acceptis, adſcriptus eſt.

Philoſophus inſignis.

Mox *Peruſii* & *Neapoli* Philoſophicis incumbens diſciplinis, tantum profecit, ut anno æt. 18. Diſputationes Scholaſticas moderaretur.

Cum aliquando *Romæ* Diſputationem quandam acceſſiſſet, Cardinali *Montelparo* dicatam, is cum *Paulum* extra orbitam diſputantium inter cœteros auditores obſervâſſet, inaurato, quem manu tenebat, libello ei miſſo ad Diſputationem invitabat.

Diſputator ſingularis.

Paulus libellum aperire noluit, antequam invitaretur: tunc libello aperto, quod fortuitò obvenit, argumentum tam ſolidè impugnavit, ut adverſarios manûs dare coëgerit. Solitus enim eſt non prius, cum diſputaret, acquieſcere, quàm adverſarium vel erroris admonuerit, vel penè oppreſſerit.

Scotum & *Thomam Aquinatem*, quos in propoſitiones totos digeſſerat, expolire & in lucem emittere molientem mors antevertit.

Doctor Theologiæ. Concionator 20. annorum moritur.

A. æt. 20. Lauream Doctoralem Romæ cum honore adeptus, cum paulò pòſt *Roſiliani*, propè *Barium*, *Aquavivorum* Principum precibus gratificatus, Concionibus quadrageſimæ operam navaret, è vivis abreptus eſt A.C.1591. ætatis 21.

Narrant oculum illi primùm acrimoniâ nocturni ſtudii malâ deſtillatione labefactatum, deindè cryſtalloide tunicâ læſâ crepuiſſe, donec ſuccedente febre vivis eriperetur anno vitæ ſuæ 21. nondum emenſo: quos annos proſperâ valetudine egerat, niſi aſſiduo labore corporis bonum habitum infregiſſet.

Gracilis erat, juſtæ ſtaturæ, coloris ſubfuſci, nigro capillo, amabili vultu, moribus correctis.

Cardinalibus acceptus.

Ejus mortem multi doluerunt, Cardinalis præcipuè *Montelparus*, qui *Paulum* ita dilexit, ut cum *Romam Catharina* ejus mater ve-

veniſſet, ipſam inviſeret, ac de egregio filio gratularetur.

Aſcanius quoque *Columna*, & *Bellarminus* nondum Cardinalis, eum quandoque amicè accedebant.

Ingenio ipſius *Baronius* & *Sarnanus* mirè delectabantur. Cardinalibus *Alexandrino*, *Altempo*, & *Montalto* familiaris erat, quorum favorem quantum virtute promerebatur, modeſtiâ augebat.

Diſputator vehemens. Aliquibus tamen viſus eſt paulò ſuperciliosior, cum in Diſputationibus ſibi temperare non poſſet, quin adverſarium non modò erroris admoneret, ſed penè opprimeret. Quod ipſi cum magnis ingeniis indulgendum fuit, qui dum errores non ſinunt obrepere, pro veritate vel Platonem repudiant.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Obiit A.C. 1591.

LAURENTIUS ARTURUS.

NAtione *Anglus*, in *Germaniâ* cum verſaretur, & literis operam navaret, animum applicuit ad Societatem Jeſu, in eâque Provinciâ Artem dicendi ac Philoſophicas diſciplinas, *Romæ* verò Theologicas didicit; & confectis ſtudiis in *Poloniam* miſſus magnam toto in *Poloniæ* Regno conſecutus eſt exiſtimationem, ab inſignis vitæ, probitatis, & præclaræ eruditionis opinione commotam.

Societ. Jeſu amplexus. *In Poloniâ clarus.*

Obiit *Vilnæ* A. C. 1591. cum 25. annos religioſè & piè in Societate ſuâ exegiſſet.

Lucubrationes ab eo literis mandatæ prodierunt:

Ejus Scripta.

De Chriſti in terris Eccleſiâ, quænam & penes quos exiſtat?

Libri III. contra Antonium Sadeelem.

Tractatus de Controverſiis inter Ordinem Eccleſiaſticum & Sæcularem in Poloniâ, ſuppreſſo nomine auctoris.

Apologia Theſium de Invocatione Sanctorum, contra Danielem Toſſanum.

Apologia Theſium oppugnationis Cœnæ Lutheranæ & Calvinianæ, contra eundem.

Oratio habita in Synodo Petriconenſi Provinciali, de cauſis & remediis hæreſium.

Theſes de variis Controverſiis, videlicet:

De Chriſti Eccleſiâ.

De D. Petri & Romani Pontificis Succeſſoris ejus in Eccleſiâ Chriſti Principatu.

De Sanctorum Invocatione & Veneratione.

De Cœnæ Lutheranorum & Calviniſtarum oppugnatione, & Catholicæ Euchariſtiæ defenſione.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1591.

CASPAR SANCHEZ.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Granatenſis*, poſtquàm Philoſophicas & Theologicas literas in Societate Jeſu didicit & profeſſus eſt, totum ſe ad verbum Dei populis prædicandum contulit, in eoque munere 30. amplius annos in *Bœticâ*, in *Curiâ Regiâ*, & *Toleti* feliciter verſatus eſt.

Societati Jeſu addictus. Concionator in Hiſpaniâ.

Erat enim vir, præter eximiam morum integritatem & doctrinam, acuto ingenio, gravi judicio, optimâ memoriâ, rarâ prudentiâ, ſolitudinis amans, quietis appetens, & in Scripturis Divinis aſſiduè legendis meditandiſque mirum in modum exercitatus, & ad permovendos ſententiarum gravitate ac proprietate verborum, auditorum animos efficax inprimis & robuſtus.

Qui demùm *Toleti*, dum ad populum de loco ſuperiore verba facere non deſtitit, tanquàm fortis miles in pugnâ armatus occubuit A.C. 1591. ætatis 58.

Ex ejus Concionibus tumultuariè ſcriptis, & in Adverſariis repertis, operâ *Franciſci Labatæ*, Soc. Jeſu item Theologi, *Concionum Tomi II.* prodiérunt in lucem, & tum in *Hiſpaniâ* tum in *Italiâ* typis excuſi *Caſp. Sanchez* nomine circumferentur.

Scripſit Concionum Tom. II.

Fuit etiam alter *Caſp. Sanchez, Navarrus*, ex oppido *Caſcante*, qui anno ætatis 22. Societatem Jeſu ingreſſus, & inſtituti Societatis perſtudioſus, totam penè vitam in pueris ad pietatem formandis & literis expoliendis miro humilitatis & Reipubl. juvandæ ſtudio contrivit: in quorum uſum *Librum Ciceronianarum Phraſium* evulgavit.

Alius Caſp. Sanchez Pædagogus.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1591.

JOHANNES BAPTISTA ROMANUS.

NAtione *Ægyptius*, patriâ *Alexandrinus*, Vir fuit pietate ſingulari, & ardenti animarum zelo, Societati Jeſu addictus, pro quâ multas & longas peregrinationes ſuſcepit, labores magnos ſuſtinuit, varia ſalutis diſcrimina adivit, & graves perſecutiones paſſus eſt.

Societati Jeſu addictus.

Denique *Romæ* ceſſit è vitâ A.C. 1591.

Scripſit:

Scripta.

Doctrinam Chriſtianam Italicè, cum iconibus myſteriorum fidei.

Catechiſmum linguâ Hebræâ, Arabicâ, & Maroniticâ.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1591.

FRANCISCUS RIBERA.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ ex oppido *Caſtellæ Villacaſtin*, Vir fuit egregiè doctus ac pius: primùm in *Salmaticenſi* Academiâ optimis Præceptoribus dedit operam, in Collegium deindè *S. Jacobi Zebedæi* ab *Alphonſo Fonſecâ*, Archiepiſcopo *Toletano* erectum, cooptatus eſt.

Poſtremò, ætatis anno 33. probè ſcientiis ex-

Theologiæ Doctor in Societ. Jeſu admiſſus. exceultus ac Doctor Theologus in Societatem Jeſu admiſſus eſt.

Philologus. Theologiæ Profeſſor Salmanticæ. Sed cum eadem Societas S. Scripturæ Scholas *Salmanticæ* habere ſtatuiſſet, *Riberam*, tanquam idoneum Præceptorem, & Latinæ, Græcæ atque Hebraicæ linguæ cognitione præſtantem ei muneri præfecit; quod quidem exquiſitâ eruditione cum pari religione conjuncta per multos annos obivit.

Erat enim ingenio excellenti, judicio acri, tenaci memoriâ, S. Patrum lectione inſtructus, ſingulari modeſtiâ, animi candore, dejectione, cœteriſque religioſis virtutibus cumulatus.

Obiit *Salmanticæ* A. C. 1591. æt. 57.

Scripſit:

Scripta. *Commentarios in 12. Prophetas minores, ſenſum Hiſtoricum & Moralem, ſæpè etiam Allegoricum complectentes*, quod opus, in Compendium redactum, *Commentarios Hiſtoricos ſelectos* inſcribunt.

Thereſæ, Carmelitarum excalceatarum parentis & fundatricis vitam, Hiſpanicè.

Commentarium in Apocalypſin S. Johannis.

In Epiſtolam S. Pauli ad Hebræos.

De Templo Salomonis, & his, quæ ad Templum pertinent Lib. V.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu P. Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A. C. 1591.

STANISLAUS VARSCHEVICIUS.

NAtione *Polonus*, cum nobilitate, ingenio, doctrinæ auctoritate in ſæculo floreret, & ad honores amplos vocaretur, oblatum â *Sigismundo Poloniæ* Rege

Epiſcopatum repudiavit. Epiſcopatum repudiavit, & omnibus mundi illecebris vanitatibusque rejectis, A. C. 1567. ætatis propè 40. ad Chriſti vexillum convolavit, & crucis ignominiam aulæ

Societatem Jeſu ingreſſus. ſplendori in Societate Jeſu prætulit.

Vir verè pius & orationis admodùm ſtudioſus fuit, in quâ ſic ſemper erat defixus, ut cum oraret, extra ſe poſitus videretur.

Rector Collegior. Vilnenſ. & Lublin. Elucebat in eo præterea rara prudentia, cujus ſpecimen edidit Collegiis *Vilnenſi* & *Lublinenſi* gubernandis.

Denique 23. & amplius annis magnâ religione in Societate Jeſu conſumtis A. C. 1591. ad cœleſtem patriam commigravit.

Edidit:

Scripta. *Hiſtoriæ Æthiopicæ Lib. X.* quos Latinitate donavit, & *Sigismundo Auguſto Poloniæ* Regi dicavit.

Lib. P. Ludovici Granatenſis Dominicani, qui *Hiſpanicè Guia de peccadores*, id eſt *Dux peccatorum* inſcribitur, in Linguam *Polonicam* translatum.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

ANTONIUS SADEEL.

Obiit A. C. 1591.

NAtus eſt *Chabotis*, *Caſtello* agri *Matiſconenſis*, quod tridui itinere *Genevâ* diſtat, A. 1543.

Pater ei fuit *Guido*, Baro *Chandeanus*, quem quadrimus amiſit: Mater *Cl. Chabota*. *Filius Baronis.*

Domi educatorem habuit *Matthiam Granianum*, â quo ſemina divinæ religionis prima accepit. *Tholoſam* inde venit, & *Genevam* ſtudiorum gratiâ.

A. 1555. *Lutetiam* profectus, ubi tunc temporis ductu *Johannis Riparii Andegavenſis* primi Eccleſiæ reformatæ Paſtoris, pii cœtûs haberi cœpti, ſtudium Theologicum amplexus eſt. *Lutetiæ literis & Theologiæ operam dat.*

Non multò pòſt in Paſtorum ibidem ordinem cooptatus nihil pericula timuit ob ſævas eo tempore fidelium perſecutiones. *Paſtor ibidem.*

A. 1557. Cum *Pariſiis* 4. Sept. magna hominum multitudo Concionis audiendæ causâ per noctem conveniſſet, prodita domus in viâ Jacobæâ & 150. in carceres abrepti ſunt. *Sadeel* verò cum aliis Miniſtris Divinâ ope periculum tantum elapſus eſt. *Periculum Sadeelis.* Cum deinde monachi declamarent calumnioſè, conventus hos eâ de causâ noctu inſtitui, ut lautè epulati, mox promiſcuè extinctis luminibus ſcortarentur, *Sadeel* edito primo ſcripto illorum defenſionem, quò plebis animi flecterentur, complexus eſt, quod fructu ſuo non caruit.

Jan. A. 1558. Noctu è domo ſuâ per vim abductus & in carcerem conjectus cum eſſet, eâ re cognitâ *Anton. Borbonius* Rex *Navarræ*, qui anteà ſacris Concionibus ejus interfuerat, ipſe in carcerem contendit, & ipſum, quem è ſuorum eſſe numero dicebat, liberatum ſecum abduxit. *Duplex.*

Indè cum *Aureliæ* menſes aliquot docendo manſiſſet, *Lutetiam* reverſus, primam Synodum celebravit, in quâ Religionis Profeſſio conſcripta, quam Admiralius *Caſp. Collignius* Regi exhibuit. *Aureliæ docet.*

A. 1559. *Henrico II.* Rege defuncto cum iterum gravis perſecutio orta eſſet, *Macardo*, qui non ita notus erat, Eccleſiæ curam credidit, & in alias Regni partes profectus, non minori labore fidem Chriſti propagavit.

A. 1560. *Lutetiam* rediit, & Anno ſeq. ad populares ſuos valetudinis causâ migrans, tum ipſis, tum *Lugdunenſibus* vicinis ſalutarem operam impertiit. *Lutetiam redit.*

A. 1562. *Aureliam* concedens, ibi ſynodo habitæ præſedit, & *Pariſios* ad Eccleſiam reverſus eſt.

Cum autem ibi ſubindè novæ turbæ orirentur, ad *Lugdunenſes* & *Burgundos* peroptatus acceſſit, ſynodis quoque *Rupellanæ*, *Nemauſenſi* & *Montalbenſi* interfuit. *Variis Synodis intereſt.*

Tandem *Lauſannam*, *Bernatum* oppidum, & indè Genevam conceſſit, ubi per annos plures Paſtoris fidelis in Eccleſiâ munere functus eſt. *Genevæ docet.*

Paucis pòſt annis ab *Henrico IV.* Rege tum *Navarræ*, literis accitus ad illum venit, & *Ad Henricum Navarrenſem proficiſcitur.*

Digitized by Google

& cum triennium apud ipſum transegiſſet, ac A. 1587. Pugnæ *Curtracianæ*, ſub primâ exercitûs Regii fronte ſtans, preceſque fundens, interfuiſſet; Genevam ad ſuos paulò pôſt reverſus eſt.

Genevam redit.

Ibi peripneumoniâ correptus placidè ſpiritum Creatori reddidit 23. Febr. A. 1591. ætatis 57. cum in munere Eccleſiaſtico expleviſſet Annos 36.

Moritur.

Proſopographia.

Corpore fuit gracili & procero, colore candido, comâ ſubruffâ, cœſiis oculis, voce clarâ, vultu ad gravitatem, comitatemque pariter facto, valetudine parùm firmâ, pronunciatione modeſtâ, eruditione in ſcriptis excellenti: Ariſtotelicæ diſciplinæ avidus ſectator, Latinorum item & Gallicorum carminum ſtrenuus tum lector, tum delectator.

Superſtites reliquit filios quinque, quorum duo militiam amplexi ſunt; & tres filias.

Filiis domi Præceptorem aluit *Caſparum Laurentium*, poſtea *Genevæ* ProfeſſoremPhiloſophiæ.

Edidit:

Scripta.

De ſpirituali manducatione Corporis Chriſti & ſpirituali potu ſanguinis ipſius in S. Cœnâ Theologicam & Scholaſticam tractationem, in8.

Conjuncta autem *opera ejus omnia 4. ſunt diſtincta tomis.*

* *Ex Melchioris Adami Vitis Theol.*

HENRICUS GRAVIUS.

ObiitA.C. 1591.

L*Ovanienſis, Bartholomæi* Typographi filius, S. Theol. Doctor & Mathematicus, annos 20. in patriâ Theologiæ Profeſſor claruit.

Theologiæ Profeſſor Lovanii.

Romam evocatus eſt à *Sixto V.* Pont. Max. ut Bibliis vulgatæ editionis cum aliis incumberet, & præeſſet Bibliothecæ *Vaticanæ*, Pontificumque Typographeio, gratus Cardinalibus, *Caraffæ*, *Borromæo*, *Columnæ*, ſed imprimis *Baronio* Eccleſiaſticarum Antiquitatum Scriptori.

Bibliothecarius Pontificis Romani.

Romanum aërem ferre non potuit, obiitque quinto ab adventu menſe in *Palatio Vaticano*, magno omnium Doctorum luctu.

Moritur Romæ.

Baronius amico tumulum poſuit, & juſta *Academia Lovanienſis* perſolvit.

Extat Laudatio funebris *Jacobi Janſonī*, Doct. Theologi *Lovanienſis*. Tumulus ad *S. Mariam Animæ*, (quæ *Germanorum* & *Belgarum* eſt Baſilica,) viſitur hâc Inſcriptione:

Epitaphium.

D. O. M.
HENRICO GRAVIO
EXIMIÆ PROBITATIS SPECTATÆQUE
ERUDITIONIS VIRO,
QUEM, POST QUATUOR LUSTRORUM IN
FLORENTISS. LOVAN. ACADEMIA
S. THEOLOGIÆ PUBLICAM
PROFESSIONEM
SIXTUS V. PONT. MAX.
INSIGNIS ERUDITIONIS ERGO
ROMAM EVOCAVIT.
GREGORIUS XIV. IN PONTIFICIAM
AULAM EXCEPIT,
SED AMPLIORIBUS DIGNUM HONORIBUS
CHRISTUS IN COELUM EVEXIT,
DIE XI. APRIL. ANNO M D XCI.
ÆTAT. SUÆ LV.
CÆSAR BARONIUS S. R. E. CARD.
AMICO POSUIT.

Scripta.

Septimum B. Auguſtini Tomum, qui eſt contra hæreſes, Notis poſt Mart. Lipſium illuſtravit.

Opus ejus Catechiſticum, aliaque Romæ perierunt.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

MARTINUS PILSNENSIS.

ObiitA.C. 1591.

THeologis priſcis ingenii doctrinæque præſtantiâ comparandus Sacram Lauream autoritate *Philippi Padnevii*, Epiſcopi *Cracovienſis* & Cancellarii Univerſitatis conſecutus, multas *Homilias* doctiſſimas ſcripſit: itidem *Diſcurſus*, & *Examina ſpirituum*.

Doctor Theologiæ Cracov.

Nemo illo doctrinam ſacram aut inScholis doctiùs interpretatus eſt, aut copioſiùs inConcionibus explanavit: nemo in animis ad virtutem inflammandis & à vitiis revocandis acrior aut ornatior Orator fuit.

Theologiæ Profeſſor, & Concionator.

Fuit namque bonus *Logicus*, *diſputator* acutus, bonus *Phyſicus*, *Metaphyſicus*, *Mathematicus*, *Juriſperitus*, *Oeconomus*, *Politicus*, denique optimus *Theologus*, & qui alios docendo ea ipſe piè, modeſtè, & humiliter exequebatur.

Ex ejus diſciplinâ cum alii multi clariſſimi Viri prodière, tum celebris ille Eccleſiaſtes *Petrus Scarga* Soc. Jeſu Theologus.

Mortuum Oratione funebri laudavit *Valentinus Vidavius* Theol. Doctor, in quâ *Martinum* hunc *Poloniæ Iſidorum* nominavit.

Conditus eſt *Cracoviæ* in æde *Sanctorum omnium* cum hoc Elogio:

Epitaphium.

R. EGREGIO ET CLARISSIMO DOMINO
M. MARTINO PILSNEN. PHILOS. ET
S. THEOL. DOCTORI, CATHEDRALIUM ECCLESIARUM CRAC. ET URATISLAV. CANONICO, HUJUS ECCLESIÆ PRÆPOSITO, ET CRACOV. ACADEMIÆ XVI. COMMU. RECTORI, VIRO DOCTISSIMO, DE ECCLESIA ET ACADEMIA BENE MERITO,
EXECUTORES HOC PIGNUS AMORIS ET
HONORIS POSUERUNT.
OBIIT A. C. M D XCI. DIE XXIII. AUG.
ÆTATIS VERO SUÆ ANNO LXIII.
HIC JACET SEPULTUS, ORETUR PRO EO.

* *Ex Elogiis centum Poloniæ Scriptorum illuſtr. Simon. Starovolſcii.*

SIMON PAULI.

ObiitA.C. 1591.

S*Uerini* Epiſcopatu nobili oppido in Ducatu *Mechelburgenſi* natus, Profeſſor Theologiæ fuit *Roſtochii* celebris, & Theo-

Theologiæ Profeſſor Roſtochii.

Digitized by Google

Theologus ſincerus, Zelo Dei præditus, ab omnibus Sectis alienus. Obiit *Roſtochii* M. Auguſto A. C. 1591. ætatis 57.

Extant ejus *Diſpoſitiones Rhethoricæ, & brevis textûs enarratio Evangeliorum.*

Conciones pietatis plenæ, variis locis impreſſæ.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

Et ex Indice Chronologico Abrahami Bucholtzeri.

Obiit A.C. 1591.

HERMANNUS THYRÆUS.

NOveſii in *Ubiis* natus eſt A. C. 1532. Deindè cum *Romæ* Collegii *Germanici* ex primis eſſet alumnus, Societatem Jeſu expetivit, & in eam à *P. Ignatio Lojolâ* admiſſus eſt A. 1556. 26. Maji.

Societ. Jeſu adjunctus.

Ingolſtadii Prof.

Româ Ingolſtadium profectus, eâ in Academiâ aliquot annos docendo poſuit. Tum propter egregiam prudentiam cum inſigni religione conjunctam, ad alios gubernandos deſtinatus, Collegii *Trevirenſis & Moguntini* Rector fuit, Archiepiſcopis illarum civitatum mirum in modum gratus, à quibus ad magnas res gerendas adhibebatur.

Rector Collegii Trevir. & Mog.

Tandem *Moguntiæ* apoplexiâ propè ſexagenarius extinctus eſt 26. Oct. A.C. 1591. magno totius civitatis luctu.

Scripſit Latinè & Germanicè.

Scripta.

Lib. de Religionis libertate.

Collegit 6000. dubiorum de Confeſſione Auguſtanâ, & 2000. irregularitatum, quibus Lutherani Prædicantes impliciti tenerentur. Sed uterque fœtus in lucem propter mortem parentis editus non eſt.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1591.

MATTHÆUS VOGELIUS.

NOrimbergæ natus eſt, patre *Leonhardo* 7. Sept. A. 1519. parentibus piiſſimis.

Cum in Scholâ patriæ *Sebaldinâ* literarum fundamenta jeciſſet, A. 1534. à patre *Tubingam* primùm, deindè *Wittenbergam* miſſus eſt, *Lutheri & Melanchthonis* imprimis audiendorum causâ. Sed cum Parens ferendis ſumptibus in filio educando par non eſſet, revocatus eſt filius à parente domum, qui à Senatu *Norico* functionem Scholaſticam obire juſſus eſt.

Tubingam & Wittebergam mittitur.

Scholæ præſt.

A. 1541. Verò cum Mecœnate uſus *Andreâ im Hoff* Seniore, ſubſidium quinquennale ad ſtudia Theologica continuanda impetrâſſet, *Wittenbergam* rediit, ibique lauream Philoſophicam utramque conſecutus eſt.

Witteberga Magiſter Philoſophiæ.

Paſtor Lauffenſis.

A. 1545. A Senatu patrio in Oppidum *Norib. Lauff* vocatus, ibi triennio Præconium Evangelii fecit.

A. 1548. In ipſam urbem *Norimbergam* translatus, ad *D. Jacobum*, verbum DEI docuit fideliter.

A. 1549. Ob *Interim* patriâ pulſus, in *Boruſſiam* venit, & in oppido *Welaviâ* Paſtoris officio quadriennium functus eſt, ubi & alteram, priore in exilio privatus, uxorem duxit, quæ 13. eum liberorum patrem fecit.

Et Welavienſis.

13. liberorum pater.

A. 1554. Inde *Regiomontium* vocatus 12. annos in Templo & Academiâ ſacra docendo tranſegit.

Regiomontii ſacra docet.

A. 1566. E *Boruſſiâ*, propter Eccleſiæ diſſidia, in Ducatum *Wirtenbergenſem* ſecedere coactus, â Duce *Chriſtophoro* Eccleſiæ *Horbergenſi* præfectus, & quadriennio exacto *Göppingam* translatus, Superintendens ibi deſignatus eſt.

Superintendens Göppingenſis.

A. 1580. Ob ſenium â Duce *Ludovico* curis Eccleſiæ ſublevatus, & Abbas in Cœnobio *Alberſpacenſi* declaratus, ibi per 11. annos & 8. menſes Eccleſiam & Scholam direxit.

Abbas Alberſpacenſis.

Ibidem tandem placidè obiit 3. Dec. A. 1591. ætatis 72.

Moritur.

In patriâ Patrono inprimis uſus eſt Theologo *Vito Theodoro*, qui ei, ad Miniſterium Sacrum vocato, autor fuit, ut omne tempus â laboribus ſacris vacuum domi legendis Bibliis impenderet, & ex ſingulis capitibus dicta inſigniora enotans, locos Theologicos adornaret: Ex eo ergò labore natus eſt ipſi *Theſaurus Biblicus Germanicus & Latinus*, in quo 40. amplius annis laboravit.

Fuit præterea *Vogelius* hic diſcipulus *Lutheri* per quinquennium, qui quam ab eo didicit doctrinam, conſtanter per omnem propagavit vitam.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Germ. Theol.*

Obiit A.C. 1592.

LUDOVICUS RABUS.

MEmmingæ in *Sueviâ* oppido natus eſt *Ludovicus Rabus*, aliàs *Gyncer* vocatus A. 1524. In patriâ literarum fundamentis jactis, Theologiæ operam dedit *Tubingæ*, ubi Philoſophiæ Magiſter ſalutatus eſt.

Magiſter Philoſophiæ Tubing.

Poſteà A. 1544. *Zellio* ſuccedens, *Argentorati* in ſummo Templo Concionator conſtitutus eſt.

Zellio ſuccedit.

Deindè A. 1553. *Tubingam* profectus, Theologiæ inſignibus Doctoralibus ornatus eſt cum *Jacobo Andreæ*, 5. JCtis & 2. Medicis.

Doctor Theologiæ.

Argentoratum verò reverſus, *Caſp. Hedioni* in curatione ſtudioſorum ſucceſſit, quorum in Collegio Wilhelmitano 40. amplius tum alebantur.

A. 1556. *Argentorato Ulmam* vocatus, Eccleſiæ ibi per 36. annos ad finem uſque vitæ præfuit, qui fuit A. 1592. æt. ſ. 68.

Ulmam venit.

Moritur.

Filium reliquit *Jacobum Rabum*, qui ad Pontificios deficiens, eâ de re ad patrem & *Ulmenſes* varia edidit Scripta, quibus anonymus quidam rhytmis vernaculis, edito ſcripto, cui titulus *Nyſticorax*, reſpondit.

Ludo

Digitized by Google

Ludovicus autem edidit:

Scripta.

Hiſtoriam Martyrum Tomis V. comprehenſam.

Conciliationes locorum Scripturæ in ſpeciem pugnantium.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Germ. Theol.*

SAMUEL HUBERUS.

Clar. A.C. 1592.

Theologiæ Profeſſor Wittebergæ. *Electionem univerſalem aſſeruit.*

Patriâ *Bernenſis*, primùm Paſtor fuit in vicino quodam patriæ pago, poſteà in Academiâ *Wittenbergenſi* Profeſſor, qui abſurdè & imperitè ſtatuit *Electionem ſeu Prædeſtinationem eſſe univerſalem.* Dum enim à *Calvini* doctrinâ de Prædeſtinatione refugit, in alterum errorem incidit, ut electionem, ad ſolos Dei liberos ſpectantem, *ad omnes in univerſùm homines, etiam ad damnatos* extenderet.

Feliciter ei ſeſe oppoſuit *Ægidius Hunnius*; ſed iſte, uti propter abſurditatem non habuit ſectatores, ita cum errore ſuo extinctus eſt, cum claruiſſet A. C. 1592.

* *Ex Dialogo de Viris doctis Johannis Andreæ Quenſtedt.*

HIERONYMUS PLATUS.

Obiit A. C. 1592.

Societatem Jeſu ingreſſus.

Natione *Italus*, patriâ *Mediolanenſis*, Societatis Jeſu *Romæ* inſtitutum ſuſcepit, cum eſſet adoleſcens formâ, ingenio, modeſtiâ, morumque ſuavitate præſtans.

Scriba P. Claudii Aquavivæ.

Poſtquàm verò animum literarum cognitione complevit, Pater *Claudius Aquaviva*, Societ. Jeſu Generalis, ejus operâ uſus eſt in Latinis literis ſcribendis: quam Provinciam dum egregiè ſuſtineret, & Novitiorum in domo profeſsâ curam gereret, ad cœleſtem patriam evocatus eſt A. C. 1592. æt. circiter 46.

Scripſit:

Scripta.

De Bono Statu Religioſi Lib. III. pietate & eruditione refertos.

De Cardinalis dignitate & officio, ad Flaminium Platum Cardinalem, fratrem.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

JOHANNES MORUS.

Obiit A.C. 1592.

Paſtor Eccleſiæ Nordovici.

Patriâ *Eboracenſis*, cum *Cantabrigiæ* in Collegio Chriſti multos per annos focius vixiſſet, evocatus ad curam Paſtoritiam Eccleſiæ *S. Andreæ* apud *Nordovicenſes*, vocationi paruit, & ab aliis ibi jacta fundamenta ſinceræ religionis auxit.

Cum ita annos 20. in Miniſterio Verbi Divini non tàm verbis, quàm vitâ Doctor tranſegiſſet, phthiſi conſumptus obiit A. 1592.

Sepultus in Eccleſiâ *Sanct-Andreanâ.*

Hebrææ & Græcæ linguæ peritus, Artiumque penè omnium Encyclopædiam habens ſcripſit:

Scripta.

Chronologiam ſacram.

Catechiſmum parvum.

* *Ex Heroologiâ Anglicâ.*

FRANCISCUS BONAVENTURA.

Obiit A.C. 1592.

Societati Jeſu additus.

Natione *Hiſpanus*, patriâ *Segobienſis*, adoleſcentulus Societati Jeſu additus eſt A. C. 1566. Vir fuit cùm aliis literis egregiè eruditus, tùm maximè quæſtionibus Theologicis, quæ ad mores referuntur.

Theologiæ Profeſſor. Rector Collegii Legionenſis.

Poſtquàm ſtudiorum ſuorum ſpatia decurrit, S. Theologiam *Compoſtellæ* & *Salmanticæ* profeſſus eſt, & *Legionenſis* Collegii habenas moderatus: ſed morbis conflictatus, & viribus exhauſtus, dum cœlum mutat & temperatiorem Regionem quærit, ad imbecillam tuendam valetudinem, in *Toletanâ* Profeſſorum domo morte ereptus eſt magnâ Societatis & Reipublicæ jacturâ 5. Jan. A. C. 1592.

Scripſit, ſed non emiſit.

Scripta.

In extravagantem Gregorii XIII. quæ incipit: *Aſcendente Domino*, (in quâ Pontifex inſtitutum Societatis declarat & denuò confirmat,) pereruditam *explicationem.*

Tractatûs aliquot Moralium Quæſtionum inſignes.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

NICOLAUS SELNECCERUS.

Obiit A.C. 1592.

H*ersbruccâ Norimbergenſium* oppido oriundus *Francus*:

Natus eſt 6. Dec. A. C. 1532.

Wittebergæ Philoſophiæ Magiſter.

Norimbergæ elementis literarum imbutus, & ad Scholas præparatus publicas, *Wittenbergam* venit, ubi Magiſter Philoſophiæ 31. Jul. A. C. 1554. renuntiatus eſt; audivit autem ibi non ſolùm *Melanchthonem* docentem, ſed & ipſe etiam alios docuit domeſticâ in Scholâ, aut etiam publicâ.

Dreſdæ docet.

Ex Academiâ vero hâc in aulam *Dreſdenſem* A. C. 1557. vocatus, egit Eccleſiaſtem, & unà Ephorum *D. Alexandri*, Ducis *Saxoniæ*.

Dreſdâ Jenam A. C. 1561. profectus, exindè *Lipſiam* A. C. 1568. utrobique Theologi Profeſſoris Publici ſpartam ornavit.

Theologiæ Profeſſor & Doctor.

19. Mart. A. C. 1570. *Wittenbergæ* S. S. Theol. Doctor proclamatus eſt, unà cum *Caſpare Crucigero*, *Henrico Mollero*, *Friderico Widebramo*, *J. Bugenbagio* & aliis.

Concionator Aulicus & Superintendens.

17. Julii ſeq. *Wolferbytum* abiit Concionator Aulicus & Superattendens Generaliſſimus conſtitutus; exindè *Helmſtadium*, ubi Academiæ *Juliæ* incunabula promovit.

Intereà variis interfuit colloquiis Theologicis & Viſitationibus, ut anno 1570. in Ducatu *Brunſuicenſi* à Principe *Julio* acceſſitus, ubi quadriennium ferè abfuit.

Docet Lipſiæ.

A. C. 1577. In Univerſitatem *Lipſienſem* revocatus, docuit ibi usque ad A. C. 1589. quo remotus *Hildeſiæ* prædicavit: & priſtinæ tandem reſtitutus dignitati obiit 24. Maji A. C. 1592. ætatis 60.

Moritur.

Uxorem habuit *Margaretham*, D. Danielis

nielis Gesneri, Concionatoris aulici *Dreſdenſis*, & poſteà ibidem Superintendentis filiam.

Symbolum. Symbolum *Nicolaus* uſurpavit Dictum illud Pſalmi: *In manibus tuis ſortes meæ:* quod huic diſticho incluſit:

Sum tuus, inq; tuis manibus mea tempora vitæ,
Nemo nocere mihi, te prohibente, poteſt.

Libros edidit:

Scripta. Geſpräch vom H. Abendmal in 4.
Catalogum præcipuorum Conciliorum Oecumenicorum & Nationalium à tempore Apoſtolorum usque ad noſtram ætatem. in 8.
Calvinum redivivum in 8.
Warnung ſich für der Sacramentirer Schwarm zu hüten in 4.
Pædagogiam Chriſtianam in fol.
Confutationem accuſationum, quibus Sacramentarii Eccleſias puriores Auguſtanæ Confeſſionis onerare ſolent in 8.
Speculum conjugale & Politicum, Ehe und Regenten-Spiegel in 4.
7. Geſpräch vom Patriarchen Jacob und ſeinen Söhnen/ die ihren Bruder Joſeph verkaufften in 8.
Inſtitutiones Chriſtianæ Religionis in 8.
Explicationem hiſtoriæ de Nativitate Chriſti in 8.
Poſtillam Evangeliorum in 8.

* *Ex Melch. Adami Vitis German. Theol. & aliis.*

Obiit A.C. 1593.

LAURENTIUS DÜRNHOFERUS.

Theologus, & Vir omni ſcientiarum bonarum ac imprimis linguarum ſtudio inflammatus, ſacris concionibus *Wittenbergæ*, & tandem *Norimbergæ* ad *S. Ægidium* Concionator habitis magnam promeritus eſt laudem, omnium ſæculorum memoriâ digniſſimus.

Concionator Norimbergæ ad S. Ægidium.

Moritur. Obiit tandem *Norimbergæ* A. C. 1593. ætatis 46.

De ſe ipſo hos verſûs luſit:

Eſt vixiſſe diu quiddam, famamque per orbem
Conſcriptis quæſiſſe libris, ſed gloria nobis,
Quod ſemper Chriſto vixi & ſum mortuus unà.

* *Ex Vitis Viror. doctorum Jani Jacobi Boiſſardi.*

Sub ejus effigie æri inſculptâ hoc legitur Epigramma:

Hoc ſpectandus erat Laurentius integer ore,
Qui Dürnhoferæ nomina ſtirpis habet,
Quando novem luſtris adjecerat inſuper annum,
Mentis & eloquii dexteritate potens.
Munere cui Domini data ſunt, quæcunque beati
Dona Miniſterii Præco fidelis habet.
Sanctus amor viri, pietas ornata probatis
Moribus, atque ſui cura paterna gregis.
Sunt ſuper his illi teſtes Pegneſus & Albis,
Doctor ubi regnum juvit utrinque Dei.
Hunc quoque cum reliquis complectere, Chriſte, Miniſtris,
Ut tibi quæ placeant cuncta decenter agat.
F. W. D. 1577.

JOHANNES LENSÆUS.

Obiit A.C. 1593.

Natione *Flander Hanno* natus in pago *Belliolo* agri *Athenſis* Theologiæ Doctor & Religioſus fuit integritate vitæ, eruditione & morum candore ſingularis, ut Opera ejus teſtantur, *Auguſtini* doctrinam & *Lactantii* ſuavitatem redolentia.

Theologus religioſus.

Eccleſiæ *Romanæ* & Fidei Catholicæ propugnator acerrimus *Lovanii* mortuus eſt 2. Julii A. C. 1593. ætat. 52. Sepultus in Templo *S. Petri*. Moritur.

Edita ab eo ſunt ſequentia Scripta: Scripta.

De Libertate Chriſtianâ Lib. XV.
De Verbo Dei non ſcripto, ſeu Traditionibus Eccleſiaſticis contra Scholaſticam Antonii Sadeelis Diſputationem Lib. III.
Oratio contra Genethliacos.
De unicâ Religione, ſtudio Catholicorum Principum in Republicâ conſervandâ Lib.
De variis generibus, cauſis, & exitu perſecutionum, quas in hoc Mundo peregrinantes patiuntur.
De admirabili Eccleſiæ concordiâ.
De Officio Chriſtiani hominis in perſecutione conſtituti.
Oratio contra Romanæ Eccleſiæ deſertores, qui ſe ſolos Patriæ veros amatores eſſe jactitant.
De unâ Chriſti in terris Eccleſiâ Lib. VI.
De ſui ac Reip. Chriſtianæ contra impium invaſorem defenſione.
De Eccleſiaſticâ ſatisfactione pœnitentis contra Bened. Aretium Theol Bernenſem.
De Fidelium Purgatorio Lib. II.
De Limbo Patrum Lib. I.
De Fide, Spe, & Charitate contra hæreticos.
Confutatio libelli cujusdam Antverpiæ editi contra Johannem Auſtriacum Belgii Pro-Regem.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

CYPRIANUS SUAREZIUS.

Obiit A.C. 1593.

Natione *Hiſpanus*, patriâ ex *Ocaniæ* oppido diœceſis *Toletanæ*, ætate maturâ & 28. agens annum Societati ſe Jeſu dicavit.

Societati Jeſu dicitur.

Vir fuit candidi ingenii, priſcæ fidei, multæ ac variæ eruditionis, Latinis, Græcis & Hebraicis literis perfectè doctus, liberalibus artibus apprimè ornatus, Sacrarum Scripturarum ſcientiâ probè inſtructus, & qui ſubtilitati in Scholis diſputandi, Conciliorum ſanctorum Patrum, humanæ atque divinæ Hiſtoriæ cognitionem adjunxerat.

Is poſtquàm diu Collegii ſtudiis in Academiâ *Eborenſi* præfuit, atque in *Complu-*

Digitized by Google

Theologiæ Profeſſor Compluti. Moritur.

tenſi S. Theologiam profeſſus eſt, tanquàm rude donatus & miles emeritus ſeptuagenario major *Placentiæ* diem ſuum obivit 19. Aug. A. C. 1593.

Scripſit juvenis

Scripta.

De arte dicendi Lib. III. breviſſ. ſed elegantiſſ.

Comment. in Pſalmos Davidis, & in Cantica Canticorum.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Clar. A.C. 1593.

CHRISTOPHORUS CRAMERUS.

Locus nativitatis. Linguæ Græcæ Profeſſor. In numerum Theologorum allectus eſt. Mortuus eſt.

Allendorffii in *Salinis* natus, multis literis, iiſque reconditis, & exquiſitis anno 1593. partes linguæ Græcæ interpretandæ ſibi ſumſit, cùm *Gualperius Marpurgô Lubecam* demigrâſſet. Sed vix biennio elapſo, cùm in numerum Theologorum non ita pridem allectus fuiſſet, dyſenteriâ correptus, & à Deo O. M. cum conjuge è vitâ tanquàm cuſtodiâ & vinculis evocatus, in æternam & planè noſtram in domum remigravit, Vir omnibus rebus ornatus & elegans, qui nemini, vel ingenium vel eruditionem ſpectes, ceſſurus videbatur, modò eidem diuturnioris vitæ contigiſſet uſura.

* *Ex MSS. Marpurgenſibus.*

Obiit A.C. 1593.

LATINUS LATINIUS.

Tertulliani interpres.

Viterbienſis, ultimum gentis *Latiniæ* caput, ſacris veterum Patrum libris emendandis, ac præcipuè *Tertulliano* ad Manuſcriptos Codices recognoſcendo operam totâ vitâ navavit.

Moritur.

Romæ tandem fatis conceſſit 1. Kal. Quintil. A. C. 1593. ætatis 80. ad *S. Mariæ* in viâ latâ ſepultus, ut præfert tumuli ab ipſo additi inſcriptio.

Thuan. lib. 104. in fin.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1593.

MARTINUS MIRUS.

Fit Jenæ Philoſophiæ Magiſter, Doctor & Profeſſor Theologiæ.

Weidâ *Variſcus*. Natus eſt A. C. 1532. In primâ Academiæ *Jenenſis* Philoſophicâ promotione A. 1558. 12. Julii Philoſophiæ Magiſter, & A. 1574. 10. Febr. Theologiæ Doctor ſalutatus, *Jenæ* egit Diaconum A. 1569. & Profeſſorem Superintendentemque A. 1573.

Theol. Aul. Sax.

A. 1574. E *Salanâ Dreſdam* vocatus, apud Electorem *Auguſtum* munus Eccleſiaſtæ Aulici obivit usque ad A. 1588. quo ab Electore *Chriſtiano I.* dimiſſus *Jenæ* exulavit, è quâ profectus *Halberſtadium* A. 1591. 21. Sept. Eccleſiam Cathedralem reformavit primus. A. 1592 Priſtinæ dignitati à *Sophiâ Brandenburgicâ* defuncti Electoris viduâ reſtitutus, & Circuli *Miſnici* Viſitator Eccleſiaſticus conſtitutus, obiit in *Carditz*, arce *Wolffgangi Alberti à Schleinitz* 24. Aug. A. C. 1593. ætatis 61.

Viſitator Eccleſiaſticus Miſniæ. Moritur.

Sepultus *Dreſdæ* ad *S. Crucem*.

* *Ex Nomenclat. Prof. Jenenſ. Adriani Beieri* cum hoc addito Epigrammate:

Martinus Mirus doctus diſtusque Magiſter
Philoſophus Jenæ Theiologusque fuit.
Expertus Dreſdæ ſinuoſa volumina ſortis,
Hinc uni didicit fidere ritè DEO.

Caſpar Cunradus Proſopographiæ Melicæ Millenar. I. ita laudat eum:

Nomine Mirus eram, genioque atque ore diſerto:
Suadam me dixit Miſnica terra ſuam.

JOHANNES BAPTISTA HEBENSTREIT.

Obiit A.C. 1593.

Auguſtæ *Vindelicorum* natus adoleſcens ſtudiis operam dedit in duabus *Germaniæ* admodùm celebribus Academiis, *Tubingenſi* & *Jenenſi*: atque in iis tantos fecit in humanioribus, ut vocant, literis progreſsûs, ut in hâc Magiſterii titulo fuerit ornatus.

Magiſter Philoſophiæ Jenæ.

Cum autem ad S. Theologiæ ſtudium ſuum adjunxiſſet animum, & ad id tanquàm ad ſcopum cœtera omnia ſua ſtudia, labores, & cogitationes contuliſſet; & verò etiam judicio valeret, atque ad docendum ob præcipuarum linguarum cognirionem, & dicendi facultatem, quâ inſtructus erat, maximè eſſet idoneus, factum eſt, ut in patriâ in numerum & collegium Eccleſiæ Miniſtrorum ad *S. Crucem* cooptatus fuerit.

Eccleſiæ Miniſter Auguſtæ Vindelicorum ad S. Crucem.

Hoc munere totos 20. annos tantâ cum laude functus eſt, ut ſinceram Evangelii doctrinam non tàm docendo propagârit, quàm ipſâ vitâ expreſſerit.

Eccleſiæ Paſtor Lauingæ.

A. 1589. *Auguſtâ Lauingam*, ad Eccleſiæ Paſtoratum diſcedens, omnibus, quibuscum ei verſari contigit, gratus fuit.

Obiit ex calculo veſicæ ovi magnitudine.

Ibidem cum diu admodùm afflictâ fuiſſet valetudine, & propter veſicæ calculum, qui etiam in corpore ejus poſt obitum, ovum magnitudine exæquans, inventus exſectusque eſt, acerbiſſimos ſuſtinuiſſet dolores, prætereàque triduo ante obitum ſideratione tactus fuiſſet, ex hâc miſerâ & calamitoſâ vitâ in alteram illam beatam, ac ſempiternis affluentem bonis migravit *Lauingæ*, 27. Nov. A. C. 1593. ætatis 46.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Scholæ Laminganæ Georgii Cleminii Jur. D. & Profeſſ.*

LUDOVICUS PONTANUS.

Clar. A.C. 1594.

Natione *Hiſpanus*, patriâ *Pincianus*, ab ipſis incunabulis educatus videtur ad pietatem.

In Societatem Jeſu admiſſus.

Societatem Jeſu expetiit Anno æt. 20. atque admiſſus eſt A. C. 1575. cum jam Philoſophicis diſciplinis eſſet inſtructus, & duos annos in S. Theologiâ utiliter poſuiſſet.

De-

Digitized by Google



LUDOVICUS DE PONTE
Soc. Jesu Theologus



FRANCISC, PANIGAROLA
Epiſcopus Aſtenſis.



CONRAD, LAUTENBACH
Theolog. Francofurt.



ALFONSUS SALMERON
Theol. Soc. Jeſu.



IOH: LEONHARD, GERUS,
Nobilis Mendicus.



PHILIPPUS NERIUS
Theol. Pontificius.



GUILIELM, WHITAKER,
Theol. Cantabrigienſis.



LAMBERTUS DANÆUS
Theolog. Ortheſianus.



IOHANNES BRENTIUS.
Abbas Hirſchaugiens.



GEORGIUS VOLKMARUS.
Theol. Witteb.




CHRISTOPHOR, BINDERUS.
Abbas Adelberg.



SIGFRIDUS SACCUS
Theol. Magdeb.




PETRUS CANISIUS.
Soc. Jeſu Theol.



MARTINUS LATERNA
Soc. Jeſu Theol:



IEREMIAS BASTINGIUS.
Theol. Lugdun.



IACOBUS HEERBRAND,
Theol: Tübing.

Digitized by Google

Deindè proſecutus eſt ſtudia literarum, in quibus longo poſt ſe intervallo condiſcipulos omnes reliquit, propter ardorem animi, ingenium, & acre judicium.

Theologiæ Profeſſor. Itaque *Ariſtotelis* curſum, (ut vocant,) docendo confecit, & S. Theologiam profeſſus eſt acutè, graviter & eruditè.

Magiſter Novitiorum. Sed cum non minùs integritate ac religione, quàm ingenio & doctrinâ excelleret, Magiſtri Novitiorum atque Rectoris partes ſæpè ei demandatæ ſunt, quas egregiè obivit.

Valetudinarius. Sed ob tenuem, vel potiùs nullam valetudinem, quâ ſemper conflictabatur, coactus eſt tandem interrumpere gubernandi & docendi curſum, & animum ad ea ſcribenda transferre, quæ longo uſu, aſſiduâ meditatione, perpetuâ ſui mortificatione didicit, & non tàm ex aliorum libris hauſit, quàm in ſe expertus eſt.

Scripſit maternâ linguâ:

Scripta. *Myſteriorum Fidei Meditationes pias, Tomis II. complexas.*

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1594.

FRANCISCUS PANIGAROLA.

NObilis *Mediolanenſis* natus eſt 6. Jan. A. C. 1548. Patre *Gabriele*, Matre *Eleonorâ Caſati*.

Diſcipulus Natalis Comitis. In pueritiâ *Natalem Comitem* Præceptorem habuit, qui mitioribus artibus & Latino Sermone literatè peritus puberi adhùc animo ea inſerere potuit diſciplinarum ſemina, quæ mox in amplum ac præcelſum excreſcerent fruticem.

Philoſophus. In Logicâ Præceptore *Bernardino Tomitano Patavii* uſus eſt, in Philoſophiâ *Flaminio Nobilio Lucenſi*, *Piſis* docente, & *Andreâ Cæſalpino*.

Monachus Franciſcanus. Adoleſcens Legum ſtudiis *Ticini* & *Bononiæ* deditus, mutato deindè animo habitum Fratrum *Minorum S. Franciſci* induit.

Concionator ſingularis. Eloquentiâ & eruditione admirabili prædito tantum perpetuò detulit *Italia* univerſa, ut plurimis in urbibus, dum concionaretur, ad multitudinem coërcendam templorum portæ cuſtodiis munirentur, quod præſertim *Neapoli* contigit, ubi divino quodam impetu peroranti addicta Nobilium ſtudia ac inſolitus depereuntis ipſum populi ardor Pergamum auro ac feſtâ fronde inſigniter exornârunt.

Hoc fermè tunc â plurimis adagii loco jactatum: *Toletum* docere, *Lupum* movere, & *Panigarolam* delectare, quo etiam nomine notatus â nonnullis eſt, quaſi oſtentationem declamantis potiùs, quàm gravitatem præ ſe ferret orantis.

Romæ per triennium continuum concionatus, ſalutis æternæ viam docuit.

Mediolani pariter cum ſacros haberet in Eccleſiâ Sermones, vel eâdem horâ, quâ *Carolus Borromæus*, Epiſcopus & Cardinalis, populo divina interpretabatur myſteria, effuſis ad ſe omnium Ordinum pertractis cœtibus, vacuos ferè ipſi *Carolo* relinquebat conſeſsûs.

Familiaris Carolo Borromæo. *Borromæi* tamen intimus extitit familiaris, qui cum ad *Griſones* & *Helvetios* ſecum deduxit Concionatorem, & *Alfonſi Eſtenſis*, *Ferrariæ* Ducis, cujus, ac *Sixti V.* S. Pontif. officiis è *Franciſcanorum* clauſtris ad Epiſcopatum *Chryſopolitanum*, & poſteà ad ſuffraganeam Epiſcopatûs *Ferrarienſis* dignitatem evectus eſt: licet eodem mox adnitente depulſus, quod â *Panigarolâ* conſcriptas *Cardinali Medicéo* fictis characteribus deprehendiſſet literas, quibus aliquod clandeſtinum ac ſuis rebus noxium contineri conſilium ſuſpicabatur: quo ceu turbine actus, in immenſos inopiæ fluctûs non niſi tandem fauſtâ *Caroli Sabaudiæ* Ducis humanitatè, impetrato *Aſtenſis* Eccleſiæ Epiſcopatu, ſublevatus eſt. *Epiſcopus Chryſopolit. & Suffraganeus Ferrar.* *Epiſcopus Aſtenſis.*

Ingenium hujus viri verſatile fuit, præcox, celer, varium, judicio minus quàm acumine temperatum.

Staturâ fuit mediâ, corporis habitu candido, reſimo naſo, temperie totius calidâ & humectâ, ob quam ſuborto ei forſitan in capite apoſtemate vivis ſurreptus eſt A. C. 1594. ætatis 47. *Moritur.*

Moriturus hoc Epitaphium Teſtamento ſibi ordinavit.

Epitaphium. HIC JACET FRATER FRANCISCUS PANIGAROLA EPISCOPUS ASTENSIS, cujus ANIMA IN BENEDICTIONE SIT.

Edidit & ſcripſit:

Scripta. *Conciones varias.*

Homilias in Evangelia â Dominicâ primâ poſt Pentecoſten, uſque ad Adventum.

Rhetoricam Eccleſiaſticam.

Vitam D. Petri Apoſtoli.

Brevem & artificioſam Concionem componendi modum.

Theſes ex univerſâ Theologiâ ad publicam Diſputationem propoſitas, cui interfuère 1600. præſtantiores Patres ex omnibus nationibus.

Lectiones XVIII. contra Calvinum.

Compendium primæ Partis Annalium Eccleſiaſtic. Baronii cum Annotationibus.

Carmina varia.

Sermoni ſopra la prima Parola in Croce.

Due Orationi in lode di S. Carolo Borroméo.

Tre Prediche fatte in Parigi.

Eſpoſitione literale & myſtica della Cantica di Salomone.

Prediche Quadrageſimali fatte in Roma.

Dichiaratione letterale delle Lamentationi di Gieremia, & de' Salmi di David.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Joh. Imperialis Philoſ. & Med. Vicent. Et ex Theatro Italico Viror. literat. Hieron. Ghilini.*

JOHANNES OSORIUS.

Obiit A.C. 1594.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Burgenſis*, ex oppido *Villaſandino*, adoleſcens 16. tantum

Societati Jeſu deditus.

tum annos natus Societati Jeſu ſe tradidit *Salmanticæ* A. C. 1558. in quâ graviores diſciplinas didicit & profeſſus eſt.

Concionator.

Utilem & aſſiduam in Concionibus ad populum habendis operam poſuit, & ut ſtylo poſteris prodeſſet, ſicut præſentibus voce profuerat,

Edidit Concionum Tomos V.

Tomos V. Concionum in lucem emiſit, ſextum abſolutum & prælo paratum reliquit.

Denique in Collegio *Methymnenſi*, curſu hujus vitæ feliciter confecto, migravit ad

Moritur.

Dominum A. C. 1594. æt. 52.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A. C. 1594.

VINCENTIUS BRUNUS.

NAtione *Italus*, patriâ *Ariminenſis*, cum Medici officio fungeretur, & ægris curandis operam daret,

Ex medico factus Societatis Jeſu Presbyter.

Societatem Jeſu ingreſſus, ac Divinis eruditus literis, propter eximiam probitatem, modeſtiam, &

Rector Collegii Romani.

prudentiam Collegio *Romano* præfectus eſt, illudque per multos annos prudenter gubernavit.

De ergaſtulo tandem corporis liberatus

Moritur.

obiit *Romæ* A. C. 1594. ætatis 65.

Scripſit maternâ linguâ, quæ Latinè converſa *Coloniæ Agrippinæ* exierunt:

Scripta.

De Vitâ, Paſſione, & Reſurrectione Domini Tom. III. in quibus præcipua ejus myſteria explicantur, & modus meditandi traditur.

De Vitâ B. Virginis Mariæ, Johannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum in communi.

Meditationes in Evangelia, quæ Dominicis diebus leguntur in Miſſâ.

De Sacramento Pœnitentiæ cum examine generali ad Confeſſionem generalem.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A. C. 1594.

GEORGIUS LUPICHIUS.

SUb finem Concionis funebris ipſi *Ambergæ* â *Matthiâ Platone* Superintend. habitæ, loco vitæ Curriculi hoc adſcriptum extat Epitaphium:

Epitaphium.

D. O. M. S.

GEORGIO LUPICHIO ESWEG. HESSO, PIETATE, DOCTRINA, HUMANITATE, INGENII ACUMINE, JUDICII DEXTERITATE, CONSILII PROMTITUDINE, PRUDENTIA, CANDORE, FACUNDIA, MORUM SUAVITATE, LIBERALITATE EXIMIO: THEOLOGO SINCERO ET CONSTANTI, VERITATIS ET PACIS AMANTISSIMO: CORRUPTELARUM, SOPHISMATUM, CONTENTIONUM HOSTI ACERRIMO: LABORUM, INJURIARUM, ET MORBORUM PATIENTISSIMO: DEUM SUORUM VINDICEM, NEC EOS UNQUAM DERELICTURUM CERTISSIMO: IN VIDUAS, ORPHANOS, PEREGRINOS ET EXULES BENEVOLENTISSIMO: IN QUOSVIS ÆQUISSIMO: PASTORIS MUNERE IN ECCLESIA CHRISTI IN INFERIORE ET SUPERIORE PALATINATU PER ANNOS XXIV. MAXIME AUTEM AMBERGÆ FIDELISSIME FUNCTO: BEATE IN DOMINO ET PLACIDE XXVI. MARTII VI. MATUT. ANNO CHRISTI M D XCIV. HAC MORTALI VITA DEFUNCTO.

Eccleſ. Palat. Paſtor.

VIDUA ET LIBERI MOESTI HOC MONUMENTUM FIERI CURARUNT.

VIXIT ANNOS XLVI. MENSES VIII.

Lupichius loquitur:

Dum mihi vita fuit, tibi, Chriſte! fidelis ut eſſem,
Mente piâ ſtudui, dogma ſonando tuum.
Tu mihi delitiæ, tu divitiæque fuiſti:
Tu mihi defuncto gloria, vita, ſalus.

Edidit:

Scripta.

Widerlegung *D. Nic. Selnecceri in puncto Cœnæ.*

* *Ex Concione fun. Matthiæ Platonis.*

Obiit A. C. 1594.

CHRISTOPHORUS CORNERUS.

FAgis *Franconiæ Orientalis* oppido natus eſt A. 1518.

Wimpinæ literis operam dat.

Anno ætatis 13. ad *Wimpinam* venit literiſque litavit tum ſacris tum profanis.

Francofurti Theolog. Doctor, Profeſſor & Generalis Superintendens.

A. 1540. *Francofurti* ad *Viadrum* publicè docere cœpit Theologiæ Doctor, Academiæ Profeſſor, & Eccleſiarum totius *Marchiæ* Superintendens Generalis deſignatus.

Moritur.

Id docendi munus cum fideliter obiviſſet, vitam in his terris clauſit 17. April. A. 1594. æt. 76. poſtquàm in Academiis docuiſſet annos 54.

Succeſſit ei in officio *Chriſtophorus Pelargus Suidnicenſis Siles.*

Fuit autem *Cornerus* modeſtus & ſolidè doctus Theologus, non in ſacris ſolùm, ſed & in Philoſophicis. Argumento ſunt ſcripta ejus Theologica & Philoſophica: ut:

Scripta.

Pſalterium Davidis.

Cantica ſacra: Hymni Eccleſiaſtici.

Symbola Oecumenica Scholiis illuſtrata.

Commentarii in Epiſtolam ad Romanos & Galatas.

Enarratio capitis in prioribus analyticis περὶ ἀναγωγῆς τῶν σχημάτων.

Ecphraſis Epiſtolæ 1. Cicer. ad Q. Fratrem.

Collegit inſuper in *Omnes Ciceronis Orationes commentarios.*

Ex Melchioris Adami Vitis Germanorum Theologorum.

Obiit A. C. 1594.

CONRADUS LAUTENBACHIUS.

IN *Thuringiâ Mutiſſariæ*, loco & genere humili, natus eſt A. 1534.

Elementa literarum diſcit.

Iſenaci ſub *Bartholomæo Roſino*, & *Northuſæ* ſub *Baſilio Fabro* Præceptoribus prima pietatis & literarum elementa didicit.

Argentoratum venit.

A. 1553. *Argentoratum* venit, ubi in Philoſo-

loſophicis *Joh. Sturmio*, & *Valentino Erythræo*, ex Theologis *Ludovico Rabo*, *Joh. Marbachio*, & *Hieronymo Zanchio* fuit uſus. Familiaris imprimis *D. Marbachio*, à quo juvenis adhuc Eccleſiæ *Mundelsheimenſi* in agro *Argent.* præfectus eſt.

Argentorati Nov. A. 1557. In Urbem *Argentorat.* retractus Diaconus ad *Prædicatores* primùm, pòſt in Templo Cathedrali conſtitutus eſt.

A. 1562. A *Philippo* Seniore Com. *Hanovienſi* vocatus, Paſtor Eccleſiæ in opp. *Neuweiler* factus eſt.

Hanawillæ A. 1564. *Hunæwillam*, *Alſatiæ* oppid. ad Eccleſiæ Miniſterium conceſſit.

Et Heidelbergæ docet. A. 1580. Ab Electore Palat. *Ludovico Heidelbergam* invitatus, ibi in Eccleſiâ docuit, & Bibliothecam ad Spiritum Sanctum in ordinem redegit.

A. 1584. Indè poſt mortem Principis, Religione mutatâ, dimiſſus, *Argentoratum* ſe contulit. *Paſtor Francofurtanus.* Paulò pòſt à Magiſtratu *Francofurtano* vocatus, peregrinationem eam poſtremam ſuſcepit, & ad *D. Catharinam* per decennium fidelem Verbi Divini Præconem egit.

Moritur. Tandem vitæ ſatur mortalitatem exuit 18. April. A. 1594. ætatis 61.

In matrimonio annos exegit 37. ex unâ conjuge pater factus liberorum undecim, ex quibus unicus ſuperſtes relictus *Joſephus*, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor.

Edidit:

Scripta. *Joſephum*, & *Catalogum teſtium veritatis* Germanicè converſos.

Sleidani Hiſtoriam continuatam.

Voluminum tantam molem ſcripſit ſuâ manu, quantam manûs non deſcripſiſſent quatuor, circuitu tàm volubili.

In Carminibus ſcribendis illuſtres Poëtas æquavit.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Germanorum Theologorum.*

Obiit A.C. 1594.

TITUS PROSPER MARTINENGUS.

Monachus Ordinis S. Benedicti. BRixiæ natus, Monachus fuit *Benedictinus*, literis Græcis, Hebraicis, & Latinis egregiè exultus, *Romam* idcircò vocatus ab Eminentiſſimo Cardinalium Collegio, *S. Hieronymi* Opera omnia corrigendi provinciam ſuſcepit, quæ poſteà *Paulus Manutius* typis publicavit. *Corrector Operum S. Hieronymi*

Chryſoſtomi & Theophylacti. Honorum oſor. Non multò pòſt Operum quoque *S. Joh. Chryſoſtomi*, *Theophylacti*, & *Bibliorum Græcorum Romanorum* Correctorem egit. Sed cum *Papa Pius V.* eum honore aliquo remunerare vellet, modeſtè recuſavit, & morbum ſimulans, *Româ* relictâ, in patriam reverſus eſt, in quâ, ſtudiis ſolitariis deditus, ad decrepitam pervenit ætatem, *Brixiæ* denatus 6. Octob. A. C. 1594. & in Monaſterio *S. Euphemiæ* ſepultus. *Moritur.*

Ejus Scripta ſunt:

Scripta. *Græca & Latina Poëmata magnâ ex parte Sacra.*

Theotochodia, ſive Parthenodia: Opus eximium in *laudem Deiparæ Mariæ Virginis* tot hymnis conſtans, quot annis ipſa in hoc ſæculo vixiſſe perhibetur.

Pia quædam Poëmata ac Theologica, Odæque ſacræ diverſo carminum genere conſcriptæ.

Ad Sixtum V. Pontificem maximum Carmen Heroicum Encomiaſticum tàm Græcè quàm Latinè.

Le Bellezze dell' huomo conoſcitore di ſe ſteſſo, in diſcorſo cavato dell' Opere di Platone.

* *Ex Theatro Italico Virorum doctorum Hieronymi Ghilini.*

FLORENS JACOB.

Flor. A.C. 1595.

HIc ſtudio Theologico initiatus A. C. 1595. Enuntiata, ut moris eſt, ad diſputandum, Præſide *Thomâ Blanzio*, Theologo *Pariſ.* & Scholæ *Calvienſis Lutetiæ* Moderatore, in Scholâ *Sorbonicâ* propoſuerat, typis excuſa, in quibus aſſerebat: *Minimè ambigendum eſſe, S. Sedis legitimũ Succeſſorem Clementem VIII. omnium Pontificum ſupremum & maximum vicem Dei in terris gerentem ſupremam in omnes poteſtatem obtinere tam ſpiritualem quàm temporalem, eique univerſos Cardinales, Epiſcopos, & omnes omnis generis homines parere ac obedire, & veluti membra capiti adhærere perpetuò teneri.* *Theologus ſingularis. De S. Pontif. potentiâ malè diſputavit.*

Hâc re à Cognitore Regio delatâ, quod maximè ad autoritatem Regiam pertineret, Senatus autoritatem ſuam maturè interponendam cenſuit, & renovatâ S. Cti ante 34. annos in *Johannem Tanquerellum* memoriâ, *Jacobum* ac *Blanzium* comprehenſos in carcerem tradi juſſit, iiſque in jure interrogatis Decretum fecit, quo enuntiata illa falſa, ſchiſmatica, verbo Dei, ſanctis Decretis, conſtitutionibus Canonicis, ac Regni Legibus pugnantia declarat: *Jacobum*, quod eas Theſes typis excudi curâſſet & tuendas ſuſcepiſſet, ex carceribus *Palatinis* eductum in majore Scholæ *Sorbonicæ* aulâ ſiſti mandavit, ibique ad tintinnabuli pulſum, convocatis Decano, Syndico, *Blanzio* præſente & aperto capite dicere: ac declarare temerè ſe & inconſideratè hæc enuntiata propoſuiſſe ac publicâſſe, pœnitere temeritatis, atque à Deo, à Rege ac Juſtitiâ veniam petere: quo facto Enuntiata concerpi ac lacerari juſſa; inſuper enixè prohibitum, ne deinceps ejuſmodi Enuntiata contra Regiam autoritatem & obedientiam, quæ à ſubditis debetur, Regni Leges & Eccleſiæ *Gallicanæ* jura ab initiatis proponerentur, aut publicè diſputarentur, ac Decano, Syndico, & Theologiæ Doctoribus injunctum, ne eas admitterent, aut publicari paterentur, alioquin in Læſæ Majeſtatis pœnam incurſuris, & amiſſione Privilegiorum à Regis Deceſſoribus Theologico Ordini conceſſorum, atque ab ipſo confirmatorum mulctandis. *Theſes ejus damnatæ.*

Additum, ut S. Ctum in acta Scholæ *Sorbonicæ* referatur, & ineunte quoque anno de-

deinceps in primo conventu ab Apparitore Theologici Collegii recitetur, eâque de re ut Syndicus Senatum certiorem faciat mandatum.

Poſtremò præceptum, ut ab uno ex 6. Curiæ Præſidibus, & 4. Conſilariis icoram Cognitore Regio Senatûs Conſultum executioni demandaretur.

Senatûs Conſultum executioni demandatum. Ideò 14. Kal. Sextil. A. 1595. *Johannes Forgetus* Præſes, cui executio commiſſa fuerat, cum 4. Senatoribus, cum *Jacobo Gueslæo*, Procuratore Regio, Oſtiariorum Primicerio & Actuario criminali in Scholam *Borbonicam* perrexit, quò mox ad tintinnabuli pulſum vocati adfuerunt *Dionyſ. Camutius* Ordinis Theol. Decanus, & *Jacobus Faber S. Pauli* Curio, Syndicus cum 35. Theologis & 23. Initiatis, & poſt longam â Procuratore Regis de poteſtate & veneratione Regis habitam Orationem *Forgetus* excepit, & poſt S. Ctum ab Actuario recitatum, ignominioſo â *Florente Jacobo* errorem, veniamque â Deo, Rege ac Juſtitiâ petitam, gravi Oratione Doctores, qui aderant, monuit de verâ Pontificis poteſtate in iis, quæ ad animum ſpectant. *Thuan. lib. 114.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi â Stöcken Holſati.*

LUCAS PINELLUS.

Clar. A. C. 1595.

Puer Societatem Jeſu ingreſſus. Theologiæ Profeſſor.

Natione *Italus*, patriâ *Neapolitanus*, ex pueritiâ vix exceſſerat, cum Societatem Jeſu eſt ingreſſus, in quâ & virtutes & literas imbibit. Theologiam *Ingolſtadii* & *Muſſiponti* laudabiliter profeſſus eſt.

Scripta. Scripſit Italicè:

De ſtatu animarum poſt hanc vitam.

Gerſon: Sive de perfectione Religioſâ, & de Obigatione, quâ unusquisque Religioſus tenetur ad eam comparandam.

Meditationes S. Eucharistiæ Sacramenti, & præparationem ad S. Communionem.

Meditationes myſteriorum Roſarii.

De Miſſæ ſacrificio ejusque fructibus.

De Sacramento Pœnitentiæ.

De Peccatis mortalibus, & de quatuor Noviſſimis.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

FRANCISCUS SURGERIUS.

Obiit A. C. 1595.

Lutetiæ in *S. Crucis* Cœnobio vitam monaſticam profeſſus, ac Theologus in Senatu delatus fuerat, quod dum ad *S. Mederici* concionem ad populum haberet, pleraque factionem *Henoticam* ſententia ſeditioſè dixiſſet, *Eliſabetham Anglorum* Reginam *Jeſabelem* ſubindè appellans, & eos eſſe ſectarios, qui fœderationem & amicitiam cum eâ Reginâ colerent.

Concionator ſeditioſus Lutetiæ.

In carcerem conjectus. Igitur in carcerem conjectus, & reus convictus, poſtulante Cognitore Regio, verba temerè & inconſideratè prolata, nudo capite & de geniculis ignominioſè recantare, & veniam â Deo, Rege, ac Curiâ ob id petere juſſus eſt: inſuper concionandi munere interdictus, quousq; aliter â Senatu decretum eſſet; diſertimq; ipſi injunctâ pœna capitis, ſi in legem committeret, additâ ne de Principibus Regi amicis ac fœderatis maledicos " aut injurioſos ſermones ſereret, quid- " quamve diceret, quod tranquillitatem " publicam turbaret, aut ad ſeditionem ſpe- " ctaret. *Concionem recantavit.*

In criminalium cauſarum tribunali clauſis oſtiis res acta, idque profeſſionis dignitati, & patris memoriæ datum, qui Juris civilis elementa olim docuerat *Lutetiæ*, & gratiam â multis ex iis, qui in cauſâ ſedebant, & ei operam navaverant, eo nomine meruerat. *Thuan. lib. 114.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi â Stöcken Holſati.*

JOSUA LÖNERUS.

Obiit A. C. 1595.

Olsnitii in *Voitlandiâ* natus A. C. 1535. Cum *Wittenbergæ* per triennium ſtudiis Philoſophicis & Theologicis operam dediſſet, adoleſcens *Naumburgum*, & exindè *Thomabruccum* ad Scholaſticum munus, A verò 1561. ad Eccleſiæ *Weiſenſeenſis* Diaconatum vocatus eſt. A. 1567. Philoſ. Magiſter *Lipſiæ* creatus in *Franciam Orientalem* diſceſſit, *Bibræ* Paſtor Eccleſiæ A. 1569. & biennio pôſt Paſtor *Themaræ*, tandemque *Meinungæ* conſtitutus.

Præceptor Naumburgi. *Paſtor Meinungæ.*

Sexennio pôſt, propter Exorciſmum remotus, *Ordrufium* migravit, & brevi pôſt A. 1584. Superintendens *Arnſtattenſis* factus, A. 1588. ad Concionatoris Aulici munus *Vinariam* vocatus, *Gregorio Strigenicio* ſucceſſit.

Superintendens Arnſtattenſis. Concionator aulæ Vinarienſis.

A. 1592. tandem ſeptimâ vocatione Superintendens *Altenburgicus* declaratus, anno ſeq. 1593. unâ cum *Antonio Probo*, Superintendente *Vinarienſi*, & *M. Chriſtoph. Grunero* Theologiæ Doctor in Academiâ *Jenenſi* ſolenniter creatus eſt. Obiit A. C. 1595. ætatis 60.

Superintendens Altenburgicus. Theologiæ Doctor Jenæ.

* *Ex Catalogo Germ. mille Viror. illuſtrium Wolfg. Krügeri Paſt. Thurnav.*

ALPHONSUS SALMERON.

Obiit A. C. 1595.

Natione *Hiſpanus*, patriâ *Toletanus*, â puero ad extremam ſenectutem omnem in literis ætatem conſumpſit. In *Complutenſi* Academiâ parvulus Latinam Græcamque linguas exactè didicit: indè in Academiam *Pariſienſem* profectus, Philoſophicas ac Theologicas diſciplinas excoluit, omniumque Sociorum natu minimus ſeſe Societati Jeſu adjunxit.

Societati Jeſu adjunctus Pariſiis.

Poſteà ætate jam confirmatus & rerum cognitione auctus celeberrimas *Italiæ* Civitates concionibus ac ſacris lectionibus illuſtravit, plurimas ac laborioſas peregrinationes Dei causâ ſuſcepit.

Concionator in Italiâ.

In

Digitized by Google

In ſuperiorem & inferiorem Germaniam, in Poloniam item & Galliam â Summis Pontificibus miſſus eſt, in Hiberniâ etiam Nuntii Apoſtolici munere functus. *Legatus Pontificius.*

Synodo Tridentinæ ſub Paulo III. Julio, & Pio IV. ſedis Apoſtolicæ nomine interfuit, in quâ habuit Orationem De S. Johanne Evangeliſtâ pereruditam, & ut illorum Pontificum Theologus magnâ cum eruditionis opinione & audientium admiratione ſententias dixit. Catholicæ fidei propugnator fuit acerrimus. *Ad Concilium Tridentinum.*

Poſtremò cum viribus exhauſtis voce non poſſet, ſtylo Dei Eccleſiæ prodeſſe non deſtitit, & ſe totum ad ſcribendum contulit, Collegiumque Neapolitanum ad eam rem elegit, quod ipſe fundaverat, auxerat, & ornaverat, illamque Societatis Provinciam primus Præpoſitus Provincialis adminiſtraverat. *Collegium Neapolit. fundavit. Primus Præpoſitus Provincialis Neapol.*

Obiit Neapoli magno totius Civitatis mœrore Idib. Febr. A. C. 1595. ætatis 69. *Moritur.*

Epitaphium ejus: *Epitaphium.*

PATER ALPHONSUS SALMERON TOLETI IN HISPANIA NATUS, UNUS EX PRIMIS DECEM SOCIETATIS JESU, PRIMUSQUE IN REGNO NEAPOLITANO PROVINCIALIS. VIXIT ANNOS LXIX. MENS. V. DIES V.
OBIIT IN NEAPOLITANO EJUSDEM SOCIETATIS COLLEGIO.
IDIB. FEBR. A. C. M D LXCV.

Scripſit *Scripta.*

In Evangelia Tom. XI. quorum diviſio eſt:
Prolegomenon in univerſam Scripturam.
De incarnatione Verbi.
De infantiâ & pueritiâ Chriſti.
De Hiſtoriâ Evangelicâ.
De Sermone Domini in monte.
De Chriſti miraculis.
De Parabolis.
De diſputationibus Domini.
De S. S. Eucbariſtiâ & Sermone Domini in S. Cœnâ.
De Paſſione & morte Domini.
De reſurrectione & aſcenſione Domini.

Item:

Comment. in Acta Apoſtolorum.
Prolegomenon in Epiſtolas Pauli.
Comment. in Epiſt. ad Romanos.
In utramque Epiſtolam ad Corinthios, ad Galatas, Epheſ. Philipp. Coloſſ. Theſſal.
In utramque Epiſt. ad Timotheum, Titum, & Philemon.
In Epiſt. ad Hebræos.
In 7. Epiſtolas Canonicas.
Prǣludia in Apocalypſin.
Epiſtolas ad diverſos multas & varias.

Scripſit prætereà, quæ in lucem nondum prodierunt:

In X. priora Capita lib. Geneſeos.
De Indulgentiis, & de Purgatorio.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu P. Petri Ribadeneiræ.*

JOHANNES LEONHARDUS GERUSUS.

Obiit A. C. 1595.

A S. Severinâ vulgò literatus, ſui neglectu ac deſpicientiâ amentiam ſimulans, cum in collectis â ſe egentibus pueris piorum ope alendis, & per urbem Romam circumducendis diu verſatus fuiſſet, domumque illis continendis, & puellis inopiâ laborantibus exſtruxiſſet, dives charitatis meritis DEO Spiritum reddidit Romæ 15. Febr. A. C. 1595. *Nobilis mendicus. Orphanotropbaum exſtruxit. Moritur.*

Sepultus in Oratorio Mortis, ante aram maximam.

* *Hæc ſubſcripta leguntur ipſius iconi, quâ cum duobus pueris, quos circumduxit, repræſentatur.*

JOHANNES FERDINANDUS.

Obiit A. C. 1595.

Natione Hiſpanus, patriâ Toletanus, Vir ſingulari eruditione & pietate Græcas literas profeſſus eſt Toleti, antequàm Chriſto in Societate Jeſu nomen daret. *Linguæ Græcæ Profeſſor Toleti.*

Deindè tantâ aviditate S. Theologiam arripuit, ut in Hiſpaniâ, Romæ, & in inferiori Germaniâ illam publicè explanaret; & Hiſpanicâ, Latinâ ac Italicâ linguâ concionibus habitis populum ad pietatem commoveret. *Societati Jeſu nomen dedit. Concionator ling. Hiſp. Lat. & Ital.*

Erat enim ſilentio, lectioni, orationi omninò deditus, & â confabulationibus communique hominum conſuetudine alienus; niſi ſi quid ad ipſorum utilitatem tranſigendum eſſet.

Itaque aſſiduâ oratione ac familiaritate cum Deo vivebat, & Sanctarum Scripturarum lectione, tanquam cœleſti mannâ, paſcebatur.

Dei Zelo animarumque ſalute usq; adeò ardebat, ut in Germaniâ inferiore, cum in exercitu Regis Catholici Philippi II. verſaretur, in apertum ſe nonnunquam diſcrimen conjiceret, & in eas ſe anguſtias ſæpè inferret, ut ab hoſtibus undique tormentis telisque miſſilibus appetitus vix poſſet evadere absque miraculo: idque eâ tantummodò ratione, ne milites in foſsâ ſaucii, atque animam agentes ſine confeſſione peccatorum è vitâ decederent. *Zelotes ſingularis.*

Multas habuit Divinas illuſtrationes, quibus mirificè â Deo recreabatur.

Obitûs ſui diem præſenſit ac præſignificavit, & Palentiæ ſanctè deceſſit 9. Martii A. C. 1595. æt. 59. cum 40. annis in Societate Jeſu vixiſſet. *Mortem ſuam prædixit.*

Scripſit *Scripta.*

Divinarum Scripturarum juxta S. Patrum Sententias Theſaurum locupletiſſimum, tribus Tomis diſtinctum: in quo per ſingulas dictiones ordine alphabeti literario *Parabolæ, Metaphoræ, Phraſes,* & *loca difficiliora totius S. Scripturæ* declarantur.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

PHI-

Digitized by Google

Obiit A.C. 1595.

PHILIPPUS NERIUS.

Theologus Pontificius.

SEcundâ ſanctitatis vitæ famâ *Romæ* diu vixit, Congregationem Presbyterorum Oratorii fundavit, *Cæſari Baronio* ex eodem ſodalitio Sacerdoti Annalium Eccleſiaſticorum adversùs *Magdeburgicorum* Theologorum Centurias ſcribendorum auctor fuit.

Moritur. Obiit tandem A. C. 1595. ætatis 80. 12. Martii A. C. 1622. Cum *Ignatio Lojolâ* & *Franciſco Xaverio* Societ. Jeſu fundatoribus inter ſanctos relatus eſt â *S.P. Gregorio XV.*

Ejus vitam ſcripſit *Antonius Gallonius.*

* *Ex Elogiis Thuaneis viror. doctor. C. B.*

Obiit A.C. 1595.

JOHANNES RUBUS.

Theol. Lovan. & Duac.

A*Thenſis Hanno* Theologiæ Doctor, *Lovanio Duacum* evocatus, ſemina jecit ampliſſimæ ſegetis, & factus fuit in *D. Petri* Præpoſitus & Academiæ Cancellarius.

Standonico Gymnaſio facultates omnes egentibus adoleſcentibus in ſtudiis alendis reliquit.

Vir humilis. Mirabilis in hoc viro elucebat honorum contemptus, deſpicientia ſui, rerumque humanarum & animi depreſſio; ut eſculenta publicè in foro coëmere, & domum portare, vili corpus amictu tegere, infra cœteros ſeſe abjicere conſuetum ipſi eſſet, inſigni Chriſtianæ Virtutis exemplo.

Moritur. Emigravit ex hâc vitâ *Duaci* 3. Id. April. A.C. 1595.

Scripta. *Harmoniam IV. Evangeliorum in unum corpus congeſſit*, ſecutus ferè veſtigia *Janſonii Gandenſis Epiſcopi.*

Organi Ariſtotelici Verſionem edidit:

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

Obiit A.C. 1595.

PETRUS MICHAEL.

Societatis Jeſu Presbyter.

COgnomento **Brillmaecker**/ patriâ *Colonienſis*, Societatis Jeſu Presbyter, cum eloquentiâ conjunctam habuit prudentiam, & excelſum animi robur.

Itaque multis Germaniæ Principibus familiaris & charus fuit, quorum etiam nomine Legationibus præclarè functus eſt.

Rector Spiræ. Rectorem egit *Spiræ* annos 6. totidem *Monaſterii Weſtphaliæ. Moguntiæ* per ſpeciem amicitiæ ad menſam invitatus ſemel atque iterum venenum hauſit, quo extinctus eſt 25. Aug. A. 1595. ætatis 53. *Ex veneno moritur.*

Scripſit *Germanicè*, partim *Latinè:*

Scripta. *De Communione ſub alterâ tantùm ſpecie.*

Sertum precatorium.

De Euchariſtiâ Lib. V.

Catechiſmum.

Chriſtianam & ſolidam detectionem errorum Johannis â Münſter.

Epiſtolam ad amicum, quâ tanquam ſpongiâ deterguntur calumniæ Stephani Iſaaci ex Judæo Pſeudo-Chriſtiani.

Quiddiothecam, hoc eſt, *Libellum, qui multorum loco de omnibus Chriſtianæ fidei dogmatibus ita tractat, ut facilè agnoſci poſſit, ubi ſit vera fides.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

GUILIELMUS WHITAKERUS.

Obiit A.C. 1595.

NAtus eſt in prædio *Holme* agri *Lancaſtrienſis* A. circiter 1548. Parentibus Nobilibus.

Grammaticæ præceptis in Scholâ *Burnleienſi* perceptis A. ætatis 13. ab avunculo *Alexandro Nowello Londinum* acceſſitus eſt, qui eum Gymnaſiarchæ Scholæ *Paulinæ* in diſciplinam dedit, donec A. ætatis 18. ab eodem *Cantabrigiam* miſſus eſt. Ibi utrumque Philoſophiæ gradum, Baccalaureatûs & Magiſterii cum laude adeptus eſt. *Londini literis operam dat. Philoſophiæ Magiſter.*

Ibidem juvenis adhûc Præſes omnium diſputationum Philoſophicarum conſtitutus, poſteà lectioni Patrum Eccleſiæ ſe dedit, quos tàm Græcos, quàm Latinos intra paucos perluſtravit annos: *Præſes diſputationum Philoſophicarum. Patres Eccleſiæ legit.*

Ex his autem laboribus & vigiliis nimiis ſcientiam quidem auxit, vires autem corporis imminuit, undè, quod veriſimile, per reliquum vitæ valetudo manavit adverſa.

A. 1578. *Cantabrigiæ* in Templo *S. Mariæ* primam Concionem ad Clerum habuit. *Concionem habet primam.*

Deindè Baccalaurei in Theologiâ gradum cum applauſu impetravit: nec multò pòſt Doct. *Chadertone Regio* S. Theol. Profeſſore ad Epiſcopalem dignitatem evecto, ſurrogatus eſt. *Baccalaureus Theologiæ.*

Primùm autem interpretari cepit 3. prima capita Evangelii *Lucæ*, deindè tranſiit ad *Epiſtol. ad Galatas*, pòſt aggreſſus eſt explicare *priorem Epiſtolam Pauli ad Timotheum*, tandem *Canticum Canticorum*: Sicque interpretatione ſcripturarum depoſitâ A. 1585. ad tractandas Religionis controverſias ſe contulit; cum jam A. 1581. edito libello contra *Edmundum Campianum, Jeſuitam Anglum*, decem illius rationes, quibus omnia Religionis orthodoxæ fundamenta proſternere conatus erat, funditùs exſtirpâſſet; A. 1582. verò *Cantabrigiæ* gradum Doctoratûs in Theol. ſuſcepiſſet; eodemque tempore *Nicolai Sanderi* 40. demonſtrationes, quibus Papam *Romanum* non eſſe Antichriſtum evincere ſtuduit, ſolidè refutâſſet. *Adverſarios refutat.*

A. 1588. *Roberti Bellarmini* Scripta omnia cœpit oppugnare diſputationibus multis è cathedrâ dictatis, & apud ſe repoſitis, quæ eo demùm mortuo ſunt evulgatæ, in quibus modeſtè ſine apertis convitiis vel dicteriis egit *Whitakerus*. *Robertum Bellarminum oppugnat.*

Moritur. 4. Dec. A. 1595. ætatis 47. Suaviter in Domino obdormivit, cum paucis modò diebus æger decubuiſſet, Profeſſoris Regii munere annos 16. functus eſſet, & Collegium *S. Johannis Evangeliſtæ* annis 9. rexiſſet, præclaram item in litibus Eccleſiæ *Anglicanæ* com-

Digitized by Google

componendis, proximâ etiam ante mortem ſeptimanâ, navâſſet operam.

Funus ei factum eſt frequentiſſimum, & quale vix anteà eo loco viſum, Concionem funebrem habente Procancellario *Goad*.

Epitaphium præterea in ſacello Collegii *S. Johannis* juxta ſepulchrum ejus aureis literis in pariete inciſum eſt ejusmodi:

Epitaphium.

Hic ſitus eſt Doctor Whitakerus, Regius olim
Scripturæ Interpres: Quem ornabat gratia linguæ,
Judiciiq; acies, & lucidus ordo, memorq;
Pectus, & invictus labor, & ſanctiſſima vita,
Una ſed enituit Virtus rariſſima tantas
Ingenii inter opes, ſubmiſſio candida mentis:
Hujus Gymnaſii ſuper annos octo Magiſter
Providus, & recti defenſor, & ultor iniqui.

Bellarminus ipſe Viri hujus effigiem ex *Angliâ* ſibi afferri curavit, & in Muſæo ſuo ſervavit: interrogatus autem, cur Hæretici illius picturam haberet? reſpondere ſolitus eſt: quamvis hæreticus eſt & adverſarius, eſt tamen doctus adverſarius.

Ex binis uxoribus, *Whitakerus*, quarum poſterior vidua fuit *Dudlæi Fenneri Cantiani* Verbi Divini Miniſtri, 8. liberos ſuſcepit.

Clar. A.C. 1596.

HIERONYMUS PALLANTERIUS.

EX familiâ nobili, claris ſemper Viris affluente, natus eſt in celebri *Flaminiæ* oppido, *Bononeſio* nuncupato.

Fratrem habuit *Diophœbum*, Decurionem in bello *Senenſi*, & à *Magno Hetruriæ* Duce *Coſmo* venationi nemorum *Piſanorum* præfectum.

Religioſus Franciſcanorum Minorum. Orator & Poëta.

Cum adoleſcens nomen dediſſet Religioni *Minorum Franciſcanorum* & *Cremonæ* audiviſſet *Marcum Tarteſium* Oratorem, *Johannemque Muſonium* Poetam, quorum alterum Orationibus conficiendis, alterum verſibus pangendis, atque inter cœtera Chriſti perpeſſione primùm Heroicè, deindè Sapphicè exprimendâ, egregiè eſt imitatus; ac *Ferrariæ* ſe dediſſet in diſciplinam tum *Philippi Braſci Faventini*, Theologi & Metaphyſici, tum *Vincentii Madii* Philoſophi: fuit primùm *Ferrariæ* Magiſter ſtudentium & Logicæ Interpres, deindè *Bononiæ* explicator Philoſophiæ, uſus diſciplinâ tum *Joh. Antonii Delphini à Caſale Majori*, tum *Franciſci Viſdomini Ferrarienſis*, Concionatoris clariſſimi.

Studioſus Ferrariæ. Philoſ. interpres Bononiæ.

Cum deindè in Comitiis Generalibus *Florentinis* decreviſſet Pater Generalis *Antonius Sapiens Auguſtanus*, propter negotia gravia Religionis, in *Hiſpaniam* proficiſci, ſex de præſtantioribus ingeniis ſecum ducere ſtatuit, ac *Hieronymum* inprimis delegit, qui jam dederat præſtantiæ ſuæ præclara documenta: Sed extincto eo in itinere, factus eſt Regens in Conventu *Ferrarienſi*, & publicus *Ferrariæ* Metaphyſicus.

Ferrariæ Profeſſor Metaphyſ.

Indè à *Felice Pyreto* ex *Monte Alto*, qui Generalatum adeptus eſt, & poſteà factus Pontifex *Sixtus V.* vocatus, ad Theologiam in *Ticinenſi* Gymnaſio interpretandam miſſus eſt, & eam Cathedram 5. annis tenuit, incredibili cum auditorum admiratione, & ſolus novo exemplo; cum ante & poſt eum nemo ferè ſine Collegâ eam tenuiſſe memoretur.

Theologiæ Profeſſor Ticini.

Accitus deindè fuit à Cardinali *Carolo Borromæo*, Archiepiſcopo *Mediolani*, cui chariſſimus extitit in Collegio Pauperum Clericorum, & honeſtè ſervivit 4. annos, explicans 4. partes Catechiſmi *Romani*, 4. Evangeliſtas, & multas Summas exemplorum ad conſcientiam pertinentium. Cumque ad Cathedram ſuam *Ticinenſem* reverſus eſſet, à Cardinali ex *Monte Alto Romam* accerſitus eſt, atque in ejus familiam receptus anno Jubilæi 1575. ac apud eum fuit circiter 8. annos.

In familiâ vixit Cardinalis de Monte Alto Romæ.

Evecto Cardinali aliquot poſt annis ad Pontificatum, elatiſque aliis, qui ei ſerviverant, ad Cardinalatus, Prælaturas, & dignitates Eccleſiaſticas, ipſe quoque communi omnium judicio Cardinalis factus fuiſſet:

Cardinalatum neglexit.

Sed defeſſus, non ſatiatus, cum ab eo Cardinali diſceſſiſſet, primùm fuit Regens *Bononiæ*, illiuſque Conventus Gubernator, imò totius Provinciæ *Bononienſis* Adminiſter. Deindè in locum *Bonaventuræ Manenti* Theologus Gymnaſii Patavini electus eſt, delato ei munere Regentis, & dato honore Collegii Theologorum. Cognitus fuit hinc non ſolùm magnus Philoſophus & Theologus, tum in publicis Diſputationibus, quas Romæ ter habuit, præſentibus multis Cardinalibus, & *Mediolani*, & *Florentiæ*, tum verò cum fuit Regens in Conventibus *Ferrariæ*, *Ticini*, *Bononiæ*, & *Patavii*: Sed etiam magnus Orator, partim etiam in Sacello Pontificis *Pii V.* in die Aſcenſionis Domini habitâ Oratione luculentâ: apud *Gregorium XIII.* in die omnium Sanctorum de gloriâ Beatorum: *Mediolani* in funere *Caroli V. Imp.* de ſummis ejus laudibus: *Ticini* & *Patavii*, initio Explicationum ſuarum de dignitate S. Theologiæ, aliiſque diſciplinis ad ejus uſum & ſervitium reducendis: nomine *Patavini* Theologorum Collegii ad *Aloyſium Cornelium* Epiſcopum, qui patruo *Friderico* Cardinali ſucceſſit in Epiſcop. & ad *Marcum*, qui fuit Succeſſor *Aloyſii*. Charus fuit *Emanueli Philiberto Allobrogum* Duci, *Alfonſo II.* Duci *Ferrariæ*, *Hippolyto* Cardinali *Eſtenſi*, *Alexandro* Principi *Eſtenſi*, dum *Patavii* eſſet ſtudiorum gratiâ, Cardinali *Sfondrato*, qui fuit *Gregorius XIV.* Pontifex max. à quo ſumma omnia ſperare poterat, ſi is diutius vixiſſet: inprimis autem quinque Tutelaribus *Franciſcanæ* Religionis, *Rudolpho Pio*, Cardinali *Carpenſi*, Cardinali *Borromæo*, Cardinali *Alciato*, Cardinali *Ruveréo*, Cardinali *Cuſano*, qui Gubernationem Conventûs *D. Antonii Patavini* ab eo diutiùs continuari voluit.

Patavii Theologus.

Regens Provinciæ Bonon.

Concionator egregius & Orator.

Principibus charus.

Fuiſſet autem declaratus Pater Generalis *Franciſcanæ* Religionis, niſi magis virtutis ſemper quàm honoris ſtudio incenſus

Qq fuiſ-

fuiſſet, & ab omni prorſus prenſatione alienum ſe oſtendiſſet.

Ex Gymnaſii Patavini deſcriptione ab Ant. Riccobono editâ.

Clar. A.C. 1596.

SALVATOR BARTHOLUTIUS.

ORtus *Æſiſii*, nobili loco & celebri *Umbriæ* urbe, Parentem habuit *Johannem Bartholutium*, duoſque proavos præſtantiſſimos Ordinis *Franciſcanorum Minorum*, alterum *Rufinum Bartholutium*, Theologum & Muſicum, qui primus fecit modos figuratos cum partibus chori disjunctis, ab *Adriano* Muſicorum Coryphæo poſteà probatos, clariſſimaque dedit documenta Muſicæ *Venetiis*, *Patavii* & *Bononiæ*: alterum *Johannem Franciſcum Bartholutium* in agendo ita excellentem, ut cum proventus adminiſtráſſet conventûs *Æſiſiatis*, Cardinalis *Carpenſis Rudolphus Pius* Tutelaris *Franciſcanæ* Religionis Cuſtodem S. Conventûs eum declárârit, quæ dignitas anteà non niſi S. Theol. Magiſtris tribui ſolita erat.

Ord. Franciſcanorum Religioſus.

Studioſ. Humanitatis Cremonæ.

Rufino autem Salvatoris hujus cura commiſſa eſt, & poſt ejus mortem *Joh. Franciſco*, qui juvenem animadvertens ad Religionem propenſum, fecit, ut in *Franciſcanam* Religionem nomen daret, ſtudiumque Muſicæ, ad quod minus propendere videbatur, in præclara literarum ſtudia converteret; cumque miſit *Cremonam*, ubi operam dedit *Tarteſio* & *Muſonio*, literaſque Latinas & Græcas didicit, Rhethoricam & Poëticam percepit, mirabiliterque progreſſus eſt ad benè loquendi eleganterque ſcribendi excellentiam.

Bononiæ.

Bononiam deindè profectus, nactus eſt Præceptores, tum Logicæ, *Nicolaum Turcam*, tum Philoſophiæ *Antonium Franciſcum Fabium, Bononienſes*, tum Theologiæ, *Antonium Delphinum à Caſale Majori, Franciſcum Viſdomium Concionatorem*, & *Octavianum Ravennatem*, Explicatorem doctrinæ *Scoti*: quibus ducibus cum plurimùm profeciſſet, factus eſt primùm in Comitiis Generalibus *Æſiſii* A. 1559. Magiſter ſtudii in Conventu *Bononiæ*, idque muneris tribus annis obivit.

Magiſter ſtudii in Conventu Bononiæ.

Deindè in Comitiis Generalibus *Mediolani* A. 1562. poſt Quæſtiones diſertè diſputatas, Inſignia Doctoris à Patre Generali, & Summo Magiſtro *Sapiente Auguſtano* conſecutus eſt, ſtatimque *Patavium* miſſus Magiſter Artium in Gymnaſium Conventûs *Patavini*.

Theologiæ Doctor.

Indè ab eodem vocatus ad *Concilium Tridentinum*, ut ibi ſolennem Orationem haberet pro *Franciſcanâ* Religione.

Regens Magnæ Domûs Venetiar.

Et in Conventu Patavino.

Poſteà in Comitiis Generalibus *Romæ* A. 1568. declaratus eſt Regens Magnæ Domûs *Venetiarum*: in Comitiis *Camerini* A. 1571. Regens in Conventu *Patavino*, ubi inter alios honeſtè ſervivit, tanquàm Præceptor Rhethoricæ, Logicæ & Philoſophiæ *Franciſco Mariæ* ex *Marchionibus Montis*, poſteà Cardinali: A. 1577. in *Peruſino*: A. 1578. iterum in *Veneto*, ubi Rhethoricam, Logicam, Philoſophiam, & Theologiam non modò *Franciſcanis*, quorum regebat ſtudia, ſed etiam Patritiis *Venetis* tantâ omnium admiratione interpretabatur, ut incredibilis propè ad eum audiendum concurſus fieret, multique per eum & eo duce excellentem curſum fecerint, & inter alios *Stephanus Theupolus*, is, qui *Academicas* edidit *Contemplationes*.

Patritiorum Venetorum informator.

Orator.

Orationes habuit in multis Comitiis tum generalibus *Æſiſii*, *Mediolani*, *Florentiæ*, tum Provincialibus *Tauriſii*, *Cremonæ*, *Utini*, & *Rhodigii*.

Æſiſii etiam funebrem Orationem habuit in Templo Cathedrali in obitu Epiſcopi *Laurentini* ex *Monte Politiano*: & *Venetiis* ad *S. Stephanum* in obitu Patris Generalis Eremitani *Chriſtoph. Patavini*: & *Patavii* in Templo *D. Antonii* in obitu *Franciſci Robortelli Utinenſis*.

Concionator diſertus.

Concionatus quoque eſt diſertè in pluribus Italiæ urbibus, *Tauriſio*, *Placentiâ*, *Florentiâ*, & *Cremonâ*.

Scoti illuſtrator.

Obſcuro ſuo Doctori *Scoto* lumen afferre viſus eſt, emendando Collibita ejus, Scriptum *Oxonienſe*, & Diſputationes, ejus vitam deſcribendo, & faciendo Apologiam in *Scoto-maſtygas*.

Metaphyſ. Profeſſor Patavii.

A. 1580. Moderatores Gymnaſii *Patavini* delegerunt eum *Caroli Billei* Succeſſorem, ad ea, quæ Metaphyſica dicuntur, in Gymnaſio *Patavino* interpretanda, Collegam *Thomæ Peregrini*, faventibus ei potiſſimùm Senatoribus *Paulo Theupolo* Equite, & *D. Marci* Procuratore, *Franciſcoque Venerio* Philoſopho celebri.

Idem in Conventu *D. Antonii* ad numerum Patrum *Patavinorum*, unà cum eximio Theologo *Hieronymo Pallanterio*, propter Conventûs illius conſervationem, utilitatem, & ornamentum eſt aggregatus, atque in *Patavinum* Theologorum Collegium honeſtè cooptatus.

* *Ex Gymnaſio Patavino ab Ant. Riccobono deſcripto.*

ALFONSUS VILLEGAS.

Clar. A.C. 1596.

Theologus Hiſp.

Sanctorum Legendas emendavit.

TOletanus fuit, & ad *S. Marci* Sacerdos. De Sanctorum Vitis ſcribendi diligentiâ ac venuſtate ineptos pleroſque libellos & apocryphos, (quos *Sanctorum Legendas* olim nominabant,) apud ſuos manibus excuſſit, obtruſitque meliora: & verò diſertiſſimi omnium, *Toletani* cenſentur.

Ejus quoque labores adeò grati omnibus extiterunt, ut pro dignitate laudari ſatis nequierint, dignique ſint habiti, qui ſæpiùs bono publico foràs darentur, omniumque manibus tererentur.

Claruit *Toleti* A. C. 1596.

Ejus hæc in medio ſunt *Hiſpanicè* conſcripta:

Vitæ Sanctorum, Concilii Tridentini Breviario

Digitized by Google

viario accommodatæ, *Tomus I.* qui vulgò *Flos Sanctorum* vocatur, potiſſimum ex *Aloyſio Lipomano*, & *Laurentio Surio.*

Vitæ Sanctorum veteris Teſtamenti, Tom. II.

Cœterorum Vitæ Sanctorum, Tom. III.

Homiliæ in anni totius Evangelia ac feſtos dies.

Exempla potiſſimùm ex M. Marulo hauſta, Tom. IV. quem hoc nomine *Fructum Sanctorum* inſcribendum putavit.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum auctorum.*

Clar. A.C. 1596.

LUDOVICUS LEGIONENSIS.

Regni hic *Caſtellæ* eleganti præditus ingenio, in literis Latinis, Græcis & Hebraicis non mediocriter verſatus, ac præter excellentem in omni omnium bonarum doctrinarum genere cognitionem, in explanandis Divinæ Scripturæ Libris valdè commendatus, in *Salmanticenſi* Academiâ S. Theologiam profeſſus, ſcripſit Latinè atque eruditè *In Cantica Canticorum*: quem Commentarium & populari ſermone civibus ſuis transſcripſit, ac *De probæ matrisfamilias officio B. Ambroſii* exemplo: itemque *Dionyſii Areopagitæ* exemplo doctè *De divinis nominibus* diſſeruit.

S. Theol. Profeſſor Salmant. Scripta ab eo edita.

Legimus & *Salmanticæ Latinum* ejusdem *Commentarium* A. 1590. *De utriusque Agni typici ac veri immolationis legitimo tempore* conſcriptum:

Cum enim *Levit. cap. 13. Moyſi* præcepiſſet Deus, ut 14. die menſis primi ad veſperam agnus typicus immolaretur, Paſcha vocatum, veſperam autem *Hebræis* â pomeridianâ luce auſpicari, quod erat diei initium, non ab ortu Solis, ut male *Cajetanus* in *Geneſi* aliique crediderunt; argumentis evincit, in primâ veſperâ, hoc eſt, initio diei quartæ decimæ agnum typicum â *Judæis*, cum ex *Ægypto, Moyſe* duce, egreſſi ſunt, immolatum fuiſſe: Chriſtumque adeò ipſum, qui verus eſt agnus tollens peccata mundi, intra ejusdem 14. diei Spatium â *Judæis* in crucem actum immolâſſe ſe Deo Patri. Sic difficilia & obſcura in Evangeliis loca meridianâ luce clariùs explanavit.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum Scriptorum.*

Clar. A.C. 1596.

HANNIBAL CODRETTUS.

Natione *Allobrox*, ſive *Sabaudus*, circa A.C. 1546. *Patavii*, dum arti Medicæ operam daret, Societati ſe Jeſu addixit.

Medicinæ ſtudioſus. Societati Jeſu addictus. Philologus.

Poſteà literas humaniores, quarum cognitione excelluit, multis in Collegiis laudabiliter docuit.

Provincialis Aquitaniæ.

Provincialis prætereà *Aquitaniæ Provinciæ* factus, multum laboris & operæ poſuit in tuendâ conſervandâque Catholicâ Religione.

Ætate in ſenectutem præcipitatâ obiit in Domino.

Scripſit

Grammaticas Inſtitutiones.

Scripta.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu P. Petri Ribadeneiræ.*

Clar. A.C. 1596.

MUTIUS ANGELUS.

Natione *Italus*, patriâ *Spoletinus*, Philoſophiæ Sacræque Theologiæ ad 16. annos publicus Profeſſor, & Societati Jeſu addictus, ceſſit è vitâ, cum vix 40. ætatis annum attigiſſet; circa A.C. 1596.

Societ. Jeſu Theologiæ Profeſſor.

Reliquit

Commentarios in omnes ferè Libros Philoſophicos Ariſtotelis.

Scripta.

In Summam D. Thomæ.

In Epiſtolas D. Apoſtoli Pauli.

In Evangelium D. Matthæi.

In Tomos Conciliorum.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societ. Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1596.

ÆGIDIUS CONSALVUS d' AVILA.

Natione *Hiſpanus*, patriâ *Toletanus*, in oppido *Buroion* natus eſt A.C. 1532.

Ejus mater cum *Ægidium* geſtaret, viſa ſibi videre eſt ex utero ſuo lucis radios erumpere, & circumquaque diffundi: quod cum marito retuliſſet, ille, qui inſignis erat Medicus & Aſtrologus, filium, quem paritura erat, multorum filiorum patrem fore prædixit, idque rei probavit eventus.

Filius Medici.

Adoleſcens enim imberbis adhûc & 18. duntaxat annorum, cum literis navaret operam, Compluti Societati Jeſu ſe dedicavit A. 1551. in quâ vixit laudabiliter, usque ad A.C. 1596. ineuntem, quo vix dum 64. ætatis annum ingreſſus, noſtræ mortalitatis exuvium *Madriti* reliquit 15. Januarii cum magno Sociorum dolore.

Societati Jeſu addictus A. Ætat. 18. Obiit Madriti.

Vir fuit, in quo neſcias quid primùm admirère, ingeniumné, an morum ſuavitatem, eruditionem an vitæ ſanctimoniam, prudentiam in gubernando, an modeſtiam & affabilitatem, aſperitatem in ſe pœnitentiæ, an conſuetudinis cum aliis jucunditatem.

Sed cum ingenuis artibus omnibus excultus eſſet, excellenti Antiquitatis obſervatione ac memoriâ pollebat.

Religionum omnium ſacrarum Regulas, Statuta, & Conſtitutiones perlegerat, & habebat in promptu: Concilia omnia memoriâ tenebat: Sacra ſummorum Pontificum Decreta ad unguem noverat: exquiſitas

Digitized by Google

tas ac minimè vulgares Patrum ſententias cum paucis callebat, eorumque volumina diurnâ nocturnâque manu verſabat, ſi quando â gravioribus occupationibus eſſet otioſus, quod raro ei contigit: nam vix â carceribus ad ſtudiorum metam pervenerat, cum obedientiæ juſſu coactus eſt ſtudia intermittere, & gubernandi in ſe onus ſuſcipere.

Provincialis, & Viſitator. In Provinciis enim *Caſtellæ*, *Toleti*, *Bœticæ*, & *Arragoniæ* tum Provincialis tum Viſitatoris munere functus eſt: Aſſiſtentis etiam apud Patrem *Everbardum Mercurianum* Præpoſitum Generalem: ad quod genus officii abſens electus eſt â Congregatione generali, cum captus in *Galliâ* teneretur.

Scripſit, ſed non edidit:

Scripta. *Annotationes in Librum exercitiorum ſpiritualium Ignatii Lojolæ.*

Explicationes Regularum Societ. Jeſu.

Inſtituti Societatis tum declarationem tum confirmationem.

Concilia generalia in Locos communes redacta.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

LAMBERTUS DANÆUS.

Obiit A.C. 1596.

Juris ſtudioſus. Aureliæ in *Galliâ* natus eſt A. 1530. Juvenis ad jus Civile animum appulit, annoſque 4. operam dedit *Aureliæ Annæ Burgio*, qui poſteà in Curiam *Pariſienſem* aſcitus, & ob religionis orthodoxæ conſtantem confeſſionem ſtrangulatus ac crematus eſt 21. Dec. A. 1559.

Theologiæ operam dat Genevæ. Hoc exemplo verò excitatus *Lambertus*, genus ſtudii mutavit, & A. 1560. *Genevam* profectus, totum Theologiæ ſe dedit. Deindè Miniſter ibi Eccleſiæ factus, operam & Scholæ & Eccleſiæ navavit fructuoſam.

Paſtor Eccleſiæ Genevenſis. Lugduni docet, A. 1581. In Academiam *Lugdunenſem* evocatus, ibidem ſacras literas eo anno docuit.

A. 1582. *Gandavum Flandriæ* urbem migravit, annisque non adeò multis ibi docuit. Ortis enim inteſtinis diſcordiis, in Regni *Navarræi* Academiam *Orthesianam* evocatus ſe ſubduxit, eamque docendo ſcribendoque illuſtravit. *Et Orthesiæ.*

Ubi moritur. Mortuus tandem eſt *Orthesii* A. 1596. æt. 66.

In Patrum lectione & Doctorum Scholaſticorum Theologiâ ita fertur verſatus, ut pares paucos, ſuperiorem neminem ſuâ ætate habuiſſe ſit exiſtimatum.

Scripta reliquit ſequentia:

Scripta. *Elenchum hæreticorum*, ubi ſingulari methodo explicatur, quâ ratione hæreticorum paralogiſmi ſolvi poſſint.

Ethices Chriſtianæ lib. III.

De Amicitiâ Chriſtianâ.

De ludo Aleæ tractatum.

Phyſices Chriſtianæ part. 2. unam *de origine rerum creatarum*, alteram *de earundem naturâ.*

De Veneficis.

Methodum ſacræ Scripturæ.

Commentarium in priorem ad Timotheum Epiſtolam.

Explicationem Orationis Dominicæ.

Paratitla in Auguſtini tomos VI. & VII.

Auguſtini librum de hæreſibus emendatum & illuſtratum.

Commentarium in Evangelium Matthæi & Marci.

Locos Communes 1. De Deo. 2. De Angelis. 3. De Homine. 4. De Eccleſiâ. 5. De donis erga Eccleſiam.

Harmoniam, ſive *tabulas in Salomonis Proverbia & Eccleſiaſten.*

Adverſus Genebrardum, Jacobum Andream, Lucam Oſiandrum, Stephanum Gerlachium, Nicolaum Selneccerum, & Robertum Bellarminum.

Geographiæ Poëticæ libr. III.

Aphoriſmos Politicos.

Politices Chriſtianæ lib. VII.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Theol. exter.*

ANTONIUS TORRES, ſive TORRENSIS.

Obiit A.C. 1596.

In Societatem Jeſu admiſſus. Natione *Hiſpanus*, patriâ ex oppido *Gumiel*, *Burgenſis* diœceſis, 22. annum agens admiſſus eſt in Societatem Jeſu: in quâ Philoſophicas & Theologicas ſcientias didicit, & humanas feliciter docuit.

Fuit Vir præſtanti virtute, & vitæ aſperitate inſignis.

Humi ſuper aſſerem diu cubuit: ciliciam veſtem ad populum verba facturus induebat: animarum Zelo ardens homines rudes & agreſtes lubentiſſimè erudiebat, ac præditus bonis operibus *Palentiæ* deceſſit A. C. 1596. ætatis verò 62. *Moritur.*

Scripſit:

Scriptum. *Tractatum* admodùm pium *De inſtitutione Chriſtiani hominis in quinque Libros diſtributum.*

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

JOHANNES BRENTIUS FIL.

Obiit A.C. 1596.

Natus eſt *Hallæ Suev.* 6. Aug. A.C. 1539. Patre cognomine Præpoſito *Stutgardiano*.

Fit Philoſ. Magiſter. Doctor Theologiæ, Et Profeſſor Tubingæ. A. 1558. *Tubingæ* Magiſter Artium, & A. 1562. æt. 23. 4. Febr. Doctor Theologiæ creatus, 10. Martii ſeq. Profeſſor Theologiæ in Academiâ *Tubingenſi* factus eſt.

Conſiliarius & Abbas Hirſchaugienſis. 5. Martii A. 1563. Nuptias celebravit cum virgine *Barbarâ Hippolyti Röſchii*, Conſiliarii & Directoris *Würtenbergici* filiâ. A. 1590. Inter Profeſſores Academiæ ordinarios & Senatores Academiæ receptus, 8. Junii A. 1591. Conſiliarius *Ludovici* Ducis *Würtenbergici* & Abbas *Hirſchaugienſis* factus.

Ibi-

Moritur. Ibidem apoplexiâ tactus biduo poſt obiit 29. Jan. A. C. 1596. æt. 57.

* *Ex Concione fun.*

Libros edidit:

Scripta. *Commentarium in Epiſtolam ad Hebræos.*

Innocentiam Brentii, librum contra illos ſcriptum, qui Patrem ſuum *Calviniſmi* redarguerunt.

Anagramma. JOANNES BRENTIUS. Per Anagramma *Georgii Theodorici Hofmanni.*

EN IS IN ARTE BONUS. Et:

EN TU BONA INSERIS.

Alluſio ad Nomina. Alluſio ad Nomina *M. Erhardi Cellii Poet. & Hiſt. Prof. Tub.*

Nil, FAUTORE DEO, curavi cætera, nobis:
Perpetuus veræ me fidei USSIT amor.

Vita carmine expreſſa. Idem *Cellius Joh. Brentii* vitam hoc Carmine expreſſit ibidem:

BRENTIUS hîc vivens reverendus imagine Janus
Luſtra decem & meſſes bis videt ire duas.
Sueva parens illi vitæ fuit Hala, fuitque
Hala, Urach ſtudii poſtque Tubinga parens.
Hîc Baccas Lauri accepit, titulumque Magiſtri,
Factus & hîc Doctor, Theiologia, tuus.
Factus & hîc tuus eſt mox, Theiologia, Profeſſor,
Vix viginti annos tresque ubi natus erat.
Pſalmographi docuit divina oracula Vatis,
Et Teſtamenti pleraque ſcripta novi.
Hîc quoque Stipendi Superintendendo Ducalis
Tum factus cuſtos, Principe dante, fuit.
Denique pars etiam, virtute merente, Senatûs
Haud equidem parvo factus honore fuit.
Tumque Prophetarum dum tradit ſcripta ſacrorum
Atque DEI paſcit, prægravis ore, gregem:
Dumque Ducis vigili moderamine curat Alumnos,
Doctrinæ & vitâ par ſtudet eſſe ſuâ:
Vir pius & recti ſtudioſus, & actor honeſti
En aliò Dux hunc & DEUS ipſe vocant.
Præſule ſtabat egens Hirſchoia nobilis illa
Principibusque olim clarificata domus.
Quam Ludovicus amans Princeps quoque noſter, & ornans
Structuris magno grandibus ære fuit.
Cœnobii Abbatem Princeps hunc legerat hujus,
Atque à Conſiliis juſſerat eſſe ſibi.
Hæc ubi curabat clariſſima munera rectè,
Antiſtesque bonus, conſiliique bonus:
Morte piâ rapitur, cœlique fit incola: ſemper
Audiet, ô magno digna propago Patre.

Obiit A. C. 1596.

JOHANNES GEORGIUS VOLCMARUS.

Filius Theologi. NAtus eſt *Löbenſteinii*, ſub Dominatu *Comitum Ruttenorum*, Dominicâ Jubilate A.C. 1567. Patre *Martino* Eccleſiarum ejus loci Superintendente.

A primâ ætate, partim Deo & naturâ duce, partim patris exemplo prævio inſtigatus, tum pietatis tum artium honeſtarum ſtudiis totum ſe dicavit.

Jenæ Philoſophiæ ſtudioſus. E patriâ Scholâ *Curiam Voitlandiæ* miſſus, literis ibi operam dedit: Hinc *Jenam* migravit A. 1585. æt. 18. ut Philoſophicas diſciplinas addiſceret, quo ad ſuperiores facultates utiliùs accedere, feliciùs in illis verſari, fructûsque indè uberiores aliquando percipere poſſet.

Ludi moderator. Anno ſeq. 1586. revocatus Ludi patrii moderator conſtituitur. Hanc functionem omni diligentiâ ornavit, fortiterque labores & difficultates omnes, quæ comitantur hoc vitæ genus, pertulit.

Magiſter Philoſophiæ. Poſtquam in hoc officio biennium vixiſſet quaſi poſtliminiò *Jenam* rediit, ubi A. 1589. Liberalium Artium Magiſter creatus, locum inter 16. perſonas primum obtinuit.

Hinc ſe Diſputationum exercitiis & privatis Prælectionibus dedidit.

Profeſſor Hiſtoriarum Witteberga. A. 1593. *Wittenbergæ* ad Profeſſionem Hiſtoriar. vocatus, eam quoque ſingulari cum laude obivit.

Matrimonium iniit. Anno ſeq. 1594. 12. Nov. *Schlevici* matrimonio ſibi devinxit virginem *Barbaram, Tobiæ Oberlenderi*, Secretarii *Rhutenici* filiam.

Eodem anno frater ejus *Albertus Volcmarus*, Theologiæ Candidatus, *Jenæ* obiit.

Theologiæ Doctor & Profeſſor Witteberga. A. 1595. Licentiam, quam vocant, in Theologiâ adeptus, Profeſſorque factus, paulò poſt etiam Doctor ejusdem ſolenniter fuit renuntiatus *Witteberga* in Templo Arcis.

Tunc ad eum in Academiâ Locos communes Theologicos prælegentem agminatim confluxêre auditores.

Moritur. Tandem cum 12. plus minus diebus lecto affixus decubuiſſet, febri malignâ & ardenti confectus occubuit, & ad Chriſtum emigravit 15. Martii, A. C. 1596. ætatis 29.

Concionem ei funebrem habuit *D. Ægidius Hunnius* Theologiæ Profeſſor publicus ex dicto *Danielis* 12. *Multi dormientium in terrâ reſurgent &c.*

* *Ex vitis Theologorum Wittenbergenſium Johannis Biſmarci Eccleſiaſt. Ammenslebii.*

Tumulus *Johannis Georgii Volckmarii* Lobeſtein. *Variſci* S. Theol. D. & ejusdem Profeſſoris quondam publici.

Epitaphium.

Hîc jacet exutis nimium citò Volckmarus annis,
Adjuga ſuggeſtûs, magne Luthere, tui.
Hinc populum docuit cathedræ de luce juventam
Ingenii mirâ judicioque fide.
Si magis annoſam licuiſſet condere vitam
Ac ſcriptis animum notificare libris,
Tot verbis non eſſet opus hoc ſculpere ſaxum,
Sufficerent quatuor. Volckmarus hîc ſitus eſt.
Obiit piè ætatis patientiæ & conſtantiæ exemplum 15. Martii Anno Chriſti 1596.

In effigie ejusd. extat.

Joh. Georg. Volckmar. Th. D. & P.P. Nat. 1567. Denat. 1596.

Infra effigiem.

HANC VENERANDI ſui DOMINI PATRUI EFFIGIEM PROPE EJUS DORMITORIUM DENUO RENOVATUM, CUM INCLYTAM HANC URBEM TRANSIRET MEMORIÆ ERGO ÆDI HUIC SACRÆ CONSECRARE VOLUIT JOHANNES GEORGIUS VOLCKMARUS D. ET REIPUBL. NORIBERG. MEDICUS VIII. MAJI M DC LXVI.

* *Ex Inſcriptionibus Witteb. Andreæ Sennerti.*

HENRICUS PUTZIUS.

Obiit A.C. 1596.

NAtione *Belga*, patriâ *Marcoduro Menapiorum* oppido ortus, & *Matthiæ Putzii* germanus frater, ſub vexillo Societatis Jeſu militare cœpit 23. D. A. C. 1586. vitamque reliquit *Coloniæ* 6. April A. C. 1596. *Societatem Jeſu ingreſſus.*

Fuit, ſicut *Matthias* ejus frater, raro atque excellenti ingenio.

Scripſit: *Scripta.*

Tragœdiam Joſuæ, aliaque nonnulla carmine eleganti.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

DANIEL ARCULARIUS.

Obiit A.C. 1596.

NAtus eſt *Caſſel.* in *Haßiâ.* Magiſter artium è Scholâ *Tubingenſi*, ad inſtituendos ſtipendiarios traductus, extra ordinem locos præcipuos Theologicos *Philippi Melanchthonis*, usque dum locus, qui homini inter Theologos tribui poſſet, vacaret, illuſtravit, & orationem confluentibus undique auditoribus, *de ratione inſtituendi ſtudii Theologici*, anno 1570. Jan. 15. habuit publicè. *Philoſophiæ Magiſter. Theologiæ Profeſſor Extraordinarius. Orationem habet.*

Cum igitur per ſeſquiannum tyrocinium feciſſet, eruditionemq; probâſſet omnibus, *Johanni à Waldmanshauſen* ſurrogatus, in numerum ordinariorum Profeſſorum receptus eſt anno 1571. Junii 15. Decanus dehinc creatus eſt anno 1573. ac decennio pòſt Rector. *In numerum ordinariorum Profeſſorum recipitur. Decanus creatus ac Rector*

Gradum autem Theologiæ ſummum & Doctoris titulum promeruit anno 1585. ac biennio pòſt ſecundâ vice Rectoratum geſſit. *Doctor Theologiæ. Secundâ vice Rectoratum gerit.*

Vitâ defunctus tandem eſt 10. Aprilis annô 1596. quum annos 25. Profeſſorem egiſſet & Ephorum vigilantiſſimum. *Moritur.*

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

JOHANNES SCHNETTERUS.

Obiit A.C. 1596.

TOrgæ *Misniæ* oppido natus eſt A. C. 1545. Patre *Paulo Schnettero*, Matre *Eliſabethâ*, à Miniſteriis aulicis *Joh. Friderici* Electoris Saxoniæ ejuſque Conjugis *Sibyllæ:*

Ob bellum *Smalcaldicum* eo tempore exortum *Vinariæ* educatus, cum in Scholâ literarum humaniorum primitias deguſtâſſet, ætate creſcente in Academiam *Jenenſem* poſt Patris ſui mortem ablegatus 18. annos ibi in ſtudiis tranſegit, unà cum Matre ſuâ, quam viduâ ibi, quoad viveret, ſuſtentavit. *Jenæ matrem alit.*

Ibi *D. Andreæ Ellingero*, Med. Prof. & *M. Johanni Roſæ* Theol. Prof. præ cœteris Dom. Profeſſoribus acceptus A. 1570 Decano *M. Hieron. Oſio* Philoſ. Magiſter creatus eſt. *Fit Magiſter Philoſophiæ.*

Poſteà in Scholam Poëticam *Ratisbonenſem* vocatus, ibi per biennium munere ſuo fideliter functus, uxorem duxit *Barbaram* filiam *M. Job. Wolffii*, Rectoris Scholæ, & poſteà Conſulis *Vinarienſis.*

Poſteà Archidiaconus & Concionator *Schmollæ* factus, & â *D. Nicolao Selneccero* Theol. Prof. *Lipſienſi* prægreſſo Examine, ad Verbi Divini Miniſterium ordinatus eſt. *Archidiaconus Schmollæ.*

Triennio pòſt operâ *D. Meliſſandri* Paſtor Eccleſiæ *Gödérenſis* conſtitutus, & unà Superintendenti *Altenburgico* adjunctus, cum in eo officio 14. annos fideliter transegiſſet, paralyſi tandem diu afflictus in Chriſto exſpiravit 2. Julii A. C. 1596. æt. 51. *Paſtor Eccleſiæ Göderenſis.*

* *Ex Concione fun. D. Baltaſ. Mülleri Superintend. Altenburg.*

M. Paulus Wolfius, Superintendens *Belticenſis*, hoc ei compoſuit *Epitaphium*: *Epitaphium.*

Nulli doctrinâ, nulli pietate ſecundi
Hîc pia Schnetteri condita membra jacent.
Edidit æthereas illum Torgavia in auras,
Artibus inſtituit ſplendida Jena bonis.
Schmolna Virum & Myſtam factum reſonante cathedrâ
Spargentem audivit dogmata Sancta DEI.
Godera mirata eſt ipſum, vicinia tota
Toto dilexit pectore dona viri.
Plus tamen ipſe DEUS, qui cum languere videret
Morbis aſſiduis, corpore ſolvit eum.
Jamque decem luſtris ſuperatis ſede locavit
Æthereâ, hîc carpit gaudia ſumma poli.

Symbolum defuncti: *Symbolum.*

Sile anima, Redemptor meus vivit.

Conjugi deſideratiſſimo monum. hoc poſuit
Barbara Johannis Wolfii Conſul. Vinar. filia.

ANGELUS PASSÆUS.

Obiit A.C. 1596.

PErpignani, *Cataloniæ* oppido A. 1540. natus eſt Parentibus ejus loci primariis Dominis Terræ *S. Martialis.*

A primâ ætate ſtudiis humanioribus innutritus, Logicæ imprimis deditus, anno æt. 15. habitum Fratrum *Minorum Obſervantiæ S. Franciſci* induit, & abindè ſtudiis Theologicis addictus Concionator ſui ordinis perfectiſſimus evaſit, qui concionibus ſuis devotione plenis affectûs hominum ad vitæ emendationem direxit. *Monachus Minor. S. Franciſci. Concionator devotus.*

Poſt plurimos tandem in munere ſuo labores, *Romam* vocatus eſt â S. Pontifice *Sixto V.* cui viri hujus vitæ actiones ſpirituales optimè innotuerant.

Ibi in Monaſterio *S. Petri de Montorio* religio-

ligioſus hic eruditus in gloriam cœleſtem finito vitæ curſu receptus eſt 23. Aug. A. C. 1596. ætatis 56.

Mortuus Romæ.

Edidit:

Symbolum Apoſtolicum in libros 14. digeſtum.

Expoſitiones in 4. Evangeliſtas, & in Theologiam Scholaſticam.

Espoſizione ſopra la regola del terzo Ordine di S. Franceſco.

* *Ex Theatro Italico Virorum doctorum Hieron. Ghilini.*

Obiit A. C. 1596.

SIGFRIDUS SACCUS.

NAtus eſt *Northuſæ*, Urbe Imperiali 12. Martii A. C. 1527.

Rector Scholæ Magdeburgenſis.

Cum per annos aliquot Rector fuiſſet Scholæ *Magdeburgenſis*, A. 1566. à *Joachimo Friderico*, Marchione *Brandenburgenſi* & Adminiſtratore Archiepiſcopatûs *Magdeburgenſis*, primus poſt Eccleſiæ Reformationem Concionator conſtitutus eſt in Templo Cathedrali *Magdeburgi*.

Concionator Magdeburg.

Ibi ultra 300. Perſonas ad S. Eccleſiæ Miniſterium ordinavit, teſte *M. Laurentio Sebaldo*.

Moritur.

Ibidem apoplexiâ extinctus obiit 2. Sept. A. C. 1596. æt. 70.

Scripta.

Edidit:

De Academicâ Pontificiorum dubitatione in negotio Juſtificationis, quæ omnem evertit fiduciam nitentem promiſſione & meritis Chriſti.

Erklärung deß Articuls vom ewigen Leben in 20. Predigten.

* *Ex Concione funebri.*

Obiit A. C. 1596.

CHRISTOPHORUS BINDERUS.

CUm per 9. annos in Academiâ *Tubingenſi* ſtudiis Philoſophicis & Theologicis operam dediſſet, ibidemque Magiſterii Gradum adeptus eſſet, indè *Denckendorfii* per biennium Eccleſiæ Paſtorem egit, *Stutgardiæ* deindè annum, *Gretzingæ*, 12. annos, & *Nortingæ* 8. annos in Verbi Divini Miniſterio tranſegit, Succeſſor factus *D. Theodorici Snepfii* Theol. Prof. & Paſtoris *Tubingenſis*.

Magiſter Philoſophiæ. Eccleſiar. Wirtenberg. Paſtor.

A. 1565. tandem Abbas Cœnobii *Adelbergenſis* in Ducatu *Würtenbergico* conſtitutus, 31. annos in eo munere vixit.

Abbas Adelbergenſis.

Ad varias intereà Eccleſias ablegatus A. C. 1562. *Reichenweyheram*, deindè cum *D. Jacobo Andreæ*, Præpoſito & Cancellario *Tubingenſi*, *Jenam* & *Vinariam* in controverſiâ *Joh. Stigelii*, A. 1571. *Montpelgardum* propter *D. Toſſanum*, Miniſtrum reformatum, & tandem A. 1594. cum *D. Eberhardo Bidenbachio Ratisbonam* ad Comitia, pro viribus ſuis in locis hiſce diſſidia inter Theologos exorta compoſuit.

Varias obivit Legationes ob diſſidia Theologica.

Ab his Comitiis domum reverſus ægrotare cœpit, & viribus ſenſim deficientibus morte beatâ vitam finiit *Adelbergæ* 31. Octob. A. C. 1596. ætatis 77. Miniſterii 53.

Moritur.

* *Ex Concione fun. M. Andreæ Grammeri General. Superint. Göpping.*

Obiit A. C. 1596.

ANDREAS FULDA.

S*Altzungâ Thuringus*, natus eſt 6. Jan. A. C. 1534.

12. Julii A. 1558. Primus omnium in Academiâ *Jenenſi* Magiſter promotus, A. 1560. Ibidem Linguæ Græcæ Profeſſor publicus conſtitutus, *M. Johanni Langero* ſucceſſit.

Fit primus Magiſter Jenæ. Profeſſor Linguæ Græcæ.

A. 1573. *Jenâ* abiens *Sultzfeldiæ*, *Sulæ*, & *Siluſii* ſucceſſivè Antiſtitem egit. Mortuus eſt tandem 12. Dec. A. C. 1596. æt. 63.

Paſtor Eccleſiæ. Moritur.

In ejus conjugio vixit *Ottilia*, *Henrici Neubergeri*, Conſulis *Jenenſis*, filia, cujus gratiâ ipſe nonnullos *Jenæ* poſſedit fundos, gemino poſt ipſius è *Jenâ* diſceſſum expoſitos quotannis tributo: fruſtrà pro eo apud Magiſtratum intercedente *Georgio Erneſto*, Principe & Comite *Hennebergico*: uti conſtat ex Senatûs *Jenenſis* Reſponſo, in *Libro Actorum Academiæ*, dato A. 1581. in quo Senatus prætendit præſcriptionem & conſuetudinem vetuſtiſſimam, exemplis plurimis confirmatam, inſuper eorum, qui tributum annuum bis perſolvunt, immunitatem ab excubiis & aliis oneribus civilibus.

* *Ex Nomenclatore Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc addidit

Epigramma:

Epigramma.

Andream Fuldam primùm Salana Magiſtrum,
Induperatoris voce jubente, creat.
Hic Jenæ docuit Grajæ commercia linguæ,
Et tandem in multis dogmata ſacra locis.

Obiit A. C. 1596.

JOHANNES OLAI SLANGENDORFIUS.

THeologiæ Doctor, poteſtatem ſibi publicè in Academia *Hafnienſi* docendi à Profeſſoribus dari petiit A. 1584. permiſſumque id illi conſenſu Cancellarii. Mortuo verò *D. Jacobo Matthiæ* in Profeſſione Theologicâ ſucceſſit A. 1586.

Theologiæ Profeſſor Hafniæ.

Doctorem Theologiæ creavit *M. Georgium Dybradium* Theologiæ Profeſſorem A. 1590. & *M. Petrum Vinſtrupium*, *Sælandiæ* Epiſcopum A. 1591.

Docentem in Collegio Academico audivit *Jacobus VI.* Rex *Scotiæ* 7. Martii A. 1590. & offerentem Commentarium in Eccleſiaſten 30. Thaleris donavit.

Auditorem habuit Regem Scotiæ.

Filium habuit *Olaum*, qui poſt peregrinationem in exteris obiit. Ipſe verò obiit 27. Dec. A. C. 1596.

Scripta ejus ſunt:

Scripta.

Commentar. in Eccleſiaſten.

Analytica Expoſitio 5. priorum Capitum Epiſtolæ ad Romanos.

Falſæ perfectionis deſtructio, & veræ Dei in verbo mandatæ exſtructio.

Ora-

Digitized by Google

Oratio de Vitâ & Morte Nicolai Kaas.
De initiis Doctrinæ, Religionis propagatione, & incrementis Daniæ, cum Epicedio Petri Hegelundi Ripenſis.
Comment. in ſecundum Tractatum primi Libri Analyt. Ariſtotelis.
Oratio funebris in obitum Regis Friderici II.

* *Ex Academiâ Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

EMANUEL SA.

Obiit A.C. 1596.

Societati Jeſu adſcriptus. NAtione *Luſitanus*, patriâ *Interamnenſis*, ex oppido *Villa de Conde* ad Societ. Jeſu aggregatus eſt circa A. C. 1546. in ipſo flore adoleſcentiæ: quo ex tempore per totos 50. annos mirabiles in virtute & in literis fecit profectûs.

Philoſophiæ Profeſſor. In omni diſciplinarum genere verſatus, Ariſtotelicas diſciplinas *Candiæ* & *Romæ* expoſuit.

Concionator. Divinas literas interpretatus, ex cathedrâ diſcipulos docuit, & de ſuperiore loco ad populum verba fecit.

Nullum denique prætermiſit literariæ exercitationis genus, quod magnâ religione & induſtriâ non coluerit.

Poſtremò *Arronæ, Mediolanenſis* diœceſis, in probationis domo, (quò ſe, ut Deo liberiùs vacaret, abdiderat,) ſanctiſſimè, prout *Moritur.* vixit, mortuus eſt 30. Dec. A. C. 1596. ſeptuagenario major: cui morienti B. Virginem *Mariam* & *P. Ignatium* apparuiſſe, diemque obitûs prænuntiâſſe fama eſt.

Scripſit

Scripta. *Scholia brevia & erudita in 4. Evangelia.*
Notationes in totam S. Scripturam, quibus tum omnes ferè loci difficiles, tum variæ ex Hebræo, Chaldæo, & Græco lectiones mirâ brevitate explicantur.
Aphoriſmos Caſuum Conſcientiæ.
Aphoriſmos Confeſſariorum.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

JACOBUS UVIECIUS.

Obiit A.C. 1597.

Philologus. NAtus in oppido Majoris *Poloniæ Vagrovecenſi* puer *Cracoviæ* in Academiâ Philoſophicis ſtudiis operam poſuit, & trium linguarum Latinæ, Græcæ, ac Hebrææ peritiſſimus evaſit.

Guſtatis deindè Theologiæ rudimentis in *Germaniam*, & indè in *Italiam* ad excolendum magis ingenium profectus, religioſum *Societati Jeſu additus.* vitæ genus inter Patres Societatis Jeſu A. 1565. amplexus eſt.

Primam in Philoſophiâ Lauream in Decanatu *Alberti Leopolienſis* A. 1559. ſumpſit.

Concionator. Concionator in patriâ egregius diem ſuum obiit *Cracoviæ* A. C. 1597. Poſtquàm vitæ integritate prudentiæque laude conſpicuus trium Collegiorum Rector, *Poloniæ* atque etiam *Tranſſylvaniæ* Præpoſitus Vice-Provincialis fuiſſet.

Scripta ejus, *Linguâ Polonicâ* edita, ſunt ſequentia:

Scripta. *Concionum in anni totius feſtivitates & Dominicas Tomi II. tit. Poſtill. major.*
De doctrina Catholica cum reſponſione ad Objectiones Jacobi Niemoretii.
Conciones breviores, ſeu Poſtilla minor.
Biblia notis illuſtrata, & in patrium ſermonem tranſlata.
De Confeſſione Sacramentariorum Sendomirienſi Catholicor. quorundam judicium.
De Purgatorio.
Vita & Doctrina Chriſti.
Libellus pro Divinitate Chriſti, & Spiritûs Sancti.
Defenſio Sacrificii Miſſæ adverſus Franciſcum Stancarum. Hæc duo ſcripta Latinè edidit.

Fuit eâdam ætate & alter *Uviecius, Johannes* nomine, qui ſcripſit de *Morbo Iræ* & *Curatione ejus.*

* *Ex Elogiis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii.*
* *Et ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

ALPHONSUS PISANUS.

Obiit A.C. 1597.

Medicinæ ſciens Societ. Jeſu complexus eſt. NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Toletanus*, Philoſophicis diſciplinis excultus, ac Medicinæ ſciens, Societatem Jeſu complexus eſt.

Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſor. Indè in Germaniam miſſus, in *Ingolſtadienſi* ac *Dillingenſi* Academiis S. Theologiam docuit.

In *Poloniam* poſteà profectus, & ſtrenuam operam Eccleſiæ Catholicæ navans, legendi tandem ſcribendique laboribus confectus, in ſenectute bonâ tranſlatus eſt ad meliorem vitam A. C. 1597. *Moritur.*

Scripſit

Acta & Canones S. S. primi Oecumenici Concilii Niceni, appoſitis S. Patrum teſtimoniis ad eorundem Canonum commendationem & interpretationem pertinentibus: additâ etiam reſponſione ad Capita *Humonis Chiæ*. *Scripta.*
De Continentiâ ac Cœlibatu Apoſtolico.
De Jejunio.
Varios Tractatûs de quæſtionibus fidei controverſis, quos ex ſuis lectionibus collegit, & tanquàm Theſes auditoribus diſputandas propoſuit.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu P. Petri Ribadeneiræ.*

CASPAR CRUCIGER JUNIOR.

Obiit A.C. 1597.

OPtimi parentis cognominis peſſimus filius Sacramentariæ hæreſeos, Synergiæ, Majoriſmi, & Antinomiæ patrocinium ſuſcipere non erubuit, teſte *Huttero in Concord. Conc. cap. 2.* quare etiam ex Aca-

Theologus Wittebergenſis & Caſſellenſis. Academiâ *Wittebergenſi* cum cœteris *Crypto-Calvinianis* ejectus in *Haſſiam* diſceſſit.

Epitaphium. Hinc ipſi natum hoc Epitaphium:

Me genuit, tenuit, pepulit Witteberga docentem,
Haſſia Doctorem legit & oſſa tegit.

Moritur. Paſtor Eccleſiæ *Caſſellis* in *Haſſiâ* obiit 16. April. A.C. 1597. æt. 72.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Joh. Andr. Quenſtedt: Et ex Indice Chronologico Abrah. Bucholtzeri.*

Obiit A.C. 1597.

MICHAEL ab ISSELT.

DOccomienſis *Friſius*, *Johannis* Medici clariſſimi filius, *Amorsfordiæ* educatus, undè & Pater originem duxit.

Philologus & Theologus. *Lovanii* in Gymnaſio *Porcenſi* Philoſophiæ operam dedit, poſt ad Theologiam animum applicuit. Vir non modò diverſarum Linguarum peritus, ſed & Concionibus ad populum, & in Scriptis apud eruditos omne tulit punctum.

Parochus. *Coloniæ* aliquot annos in exilio vixit. Indè *Noviomagum* venit, quo â perduellibus occupato, *Hamburgum* conceſſit, ubi Parochum Catholicorum egit, & vitæ diem clauſit extremum 16. Kal. Nov. A.C. 1597. *Moritur.* In Monaſterio veteri juxta *Hamburgum*, quod eſt Monialium, conditus absque monumento.

Scripſit:

Scripta. *De Bello Colonienſi Lib. IV.*

Hiſtoriam ſui temporis, Res geſtas maximè in Belgio ſub Philippo II. ab A. 1566. uque ad annum 1597. A captâ *Antverpiâ* deduxit deindè, inſcripſitque *Mercurium Gallo-Belgicum*, fictitio nomine *Jacobi Doccomienſis.*

Cornelii Muſſi, Epiſcopi Bitontini opera ex Italico ſermone Latinè reddidit.

Item: *Brevem introductionem ad corroborandos & juvandos morituros, eos præſertim, qui ob flagitia Judicum ſententiâ morti addicti ſunt.*

Ex Hiſpanico Ludovici Granatenſis Opuſcula vertit:

De frequenti Communione.
De Oratione & Meditatione Lib. IV.
De excellentiâ Orationis.
Exercitia in VII. Meditationes matutinas.
De Euchariſtiâ Lib. III.
Paradyſum precum.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1597.

PETRUS CANISIUS.

Societ. Jeſu. PAtriâ *Noviomagenſis*, natus A.C. 1524. primus omnium *Tranſalpinorum* in Societatem Jeſu, operâ *Petri Fabri*, cooptatus fuit, quam exemplo, doctrinâ, & præſtantis ingenii Monumentis mirum in modum illuſtravit.

Præpoſitus Provincialis Germ. *Germaniam* ſuperiorem primus Præpoſitus Provincialis rexit: Pragæque Collegium Soc. Jeſu fundavit.

Epiſcopatum *Viennenſem* â *Ferdinando Romanorum* Rege ſibi oblatum conſtanter repudiavit, pietate animi, & candore priſcis Patribus comparandus.

Ab hominibus demigravit apud *Helvetios Friburgi* A.C. 1597. *Moritur.*

Vitam ejus deſcripſit *Matthæus Raderus*, & *Franciſcus S..chinus.*

Epitaphium B.M. tumulo hoc impoſitum *Friburgi* cernitur:

Epitaphium.

D. O. M.
VENERANDUS IN CHRISTO PATER
PETRUS CANISIUS THEOLOGUS,
NOVIOMAGI NATUS,
SOCIETATEM JESU TERTIO
A CONFIRMATIONE ILLIUS ANNO
INGRESSUS, ET SACERDOTIO INSIGNITUS,
OB MAGNI SIMUL ET PLACIDI ANIMI
PRÆSTANTIAM A COLONIENSI
ECCLESIA AD CAROLUM V. IMP. AB
OTTONE CARD. AUGUSTANO
AD S. CONC. TRIDENT.
A FERDINANDO IMP. WORMATIAM,
CONTRA MELANCHTHONEM HÆRET.
A PIO IV. PONT. AD PRINCIPES
GERMANIÆ IN FIDE CONFIRMANDOS
MISSUS,
POSTQUAM ROMÆ IN SICILIÆ ET
GERMANIÆ ACADEMIIS DOCUISSET,
DIU APUD FERDINANDUM IMP. ET PASSIM
SUMMA CUM LAUDE VERBUM DEI
PRÆDICASSET,
PRIMUS PROVINCIALIS SOC. EJUSDEM
IN GERMANIA
AB IPSO SOCIET. AUCTORE P. IGNATIO
DATUS FUISSET,
SCRIPTISQUE FIDEM CATHOL. EGREGIE
ILLUSTRASSET,
AUSPICIIS REVERENDI D. JOHANNIS
FRANCISCI EPISCOPI VERCELL.
NUNTII APOSTOLICI FRIBURGUM
SEXAGENARIUS VENIT,
COLLEGII SOCIETATIS FUNDAMENTA
JECIT, MULTA PRÆCLARA
DOCUMENTA DEDIT, ET QUASI QUIDAM
FRIBURGENSIUM
PATRONUS, ECCLESIÆ PER HELVETIAM
PATRIARCHA,
RELIGIONIS CATHOLICÆ SUI TEMPORIS
COLUMNA,
TOTO CHRISTIANO ORBE NOTISSIMUS,
FIDE, PRUDENTIA, INDEFESSO SCRIBENDI
LABORE, ABSTINENTIA,
PERENNI GRAVITATE, ANIMI PURITATE,
FLAGRANTISSIMO DEI AMORE,
MULTAQUE SANCTITATE
CLARISSIMUS,
MIGRAVIT AD CHRISTUM FESTO
S. THOMÆ APOSTOLI
M D XCVII ANNO ÆTATIS LXXVII.

Scripſit:

Scripta. *Catechiſmum,* ſeu *Summam Doctrinæ Chriſtianæ*, quam *Petrus Buſeus* locupletavit & illuſtravit.

Adverſus Magdeburgenſes Centuriatores Commentarior. de Verbi corruptelis Tom. II. Quorum prior eſt, *De venerando Chriſti Domini Præcurſore, Joh. Baptiſtâ*: Poſterior de *Sanctiſſimâ Virgine Mariâ Deiparâ.*

Digitized by Google

Martyrologium.

Concionum Lib. II. ſeu *Notas in Evangelia Dominicorum & Feſtorum, per totum annum, dierum.*

Exercitamenta Chriſtianæ Pietatis.

Manuale Catholicorum.

Hæc Latinè; Germanicè verò ſcripſit:

Conciones in IV. Dominicas Adventûs, & in Natalem Domini.

Librum Precationum.

De Confeſſione & Communione.

Vitas S S. Fridolini, Mauritii, & Sociorum Thebæorum.

Vitam & exercitamenta Pietatis B. Nicolai Eremitæ.

Selectas à ſe D. Hieronymi Epiſtolas.

Leonis Papæ Opera omnia.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

* * *

Petrus Caniſius, JeſuitarumPrinceps, *Canis Auſtriacus* dictus, quod in *Auſtriâ* plurimùm verſaretur: Autor is eſt *Summæ doctrinæ Chriſtianæ*, ſæpiùs variis locis & linguis recuſæ.

Hic liber primus omnium Societatis illius partus fuit, poſt *Ignatii Lojolæ*, quem *Patriarcham* ſuum appellant, Jeſuitæ, *Exercitia Spiritualia*, teſte *Phil. Alegambe in Bibl. Jeſuit.* qui prolixus admodùm eſt in recenſendis Viri laudibus.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

IGNATIUS MARTINEZ.

Obiit A.C. 1598.

Societ. Jeſu adjunctus. Theologiæ Doctor.

Natione *Luſitanus*, patriâ ex oppido *Goveâ* Diœceſis *Conimbricenſis*, ad Societatem Jeſu ſe adjunxit 8. April. A. C. 1547. Sacræ Theologiæ Doctor ac Philoſophicis diſciplinis apprimè excultus, in Academiâ *Eborenſi* primus *Ariſtotelis* Libros explanavit, & curſum, quem vocant, perlegendo confecit, Regique *Sebaſtiano* à ſacris Concionibus fuit.

Philoſ. Profeſſor Ebor. Concionator Regius.

Poſteà *Româ* ex Congregatione generali in patriam rediens, totos 16. annos pueris, pauperibus, rudibus, ſervis, militibus Chriſtianâ doctrinâ imbuendis, & ad pietatem formandis magnâ charitate & magno ſpiritûs ardore conſumpſit.

Erat enim morum integritate, humilitate, ſui neglectu, ſæculi contemptione, Dei & proximorum charitate ſuſpiciendus.

Pauperum Concionator.

Itaque omnibus Dominicis atque Feriatis diebus ſemel atque iterùm concionabatur ad plebem in carceribus, & ad triremes damnatos, & verbis ardentibus ad deteſtationem peccatorum inflammabat.

Sed dum aliorum ſaluti ut conſulat, ſibi non parcit, in morbum incidit, & contemptâ vitâ mortali immortalem ac ſempiternam conſecutus eſt *Conimbricæ* A. C. 1598.

Moritur.

Scripta.

Scripſit *Luſitanicè quatuor Tractatûs* valdè pios & utiles.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

ROBERTUS ROLLOCUS.

Obiit A.C. 1598.

Natus eſt A. 1555. in *Scotia* in *Leuingſtoniorum* inclytâ familiâ, Patre *Davide*, qui eum puerum *Sterlinum* miſit ſub diſcidlinam *Thomæ Buchanani*.

Andreapoli literis operam dat

Indè *Andreapolin* ad ſtudia Philoſophica capeſſenda commigravit. Ingreſſus autem Academiam *Salvatorianam*, cum in eâ quadriennii ſpatio curſum Philoſophicû emenſus eſſet, in Profeſſorum Philoſ. numerum cooptatus eſt.

Philoſophiæ Profeſſor.

Eâ functione quadriennium cum laude perfunctus, A. 1583. *Edenburgum*, ut in Academiâ tum ibi erectâ doceret, invitatus, ſtatim ac eò venit, operarum initium fecit, & claſſem ipſe inchoavit.

Edenburgi docet.

Ubi quadriennio ad curriculi Philoſophici exitum claſſem eam perduxiſſet, examine inſtituto diſcipulos eâ dignos laureâ Magiſtrali donavit. Ex his deindè quatuor à Senatu electi ſunt, qui Philoſophiam profiterentur, *Rolloco* interim totius Academiæ curam ſuſtinente.

Ad Theologiam tranſit.

Cum deindè ad Theologiæ ſtudium tranſiiſſet, non ſolùm in eo juventutem fideliter informavit, ſingulisque diebus Dominicis publicè in Templo concionatus eſt, ſed & diem totum conſumſit, aut in ſublimi capitum Religionis contemplatione, aut in abditorum Scripturæ locorum ſcrutatione, aut denique in controverſiis cum Pontificiis dirimendis.

Eccleſiarum Ephorus.

Synodo dein *Taodunenſi* præfuit *Rollocus*, omniumque ſuffragiis Eccleſiarum Ephorus conſtitutus eſt. Fatis tandem conceſſit *Edenburgi* 8. Febr. A. 1598. ætat. 43.

Moritur.

In Eccleſiæ uſum edidit:

Scripta.

Commentarios in aliquot Pſalmos.
S. Johannem.
Danielem.
Epiſtolam Pauli ad Epheſios.
Theſſalonicenſes.
Coloſſenſes.
Analyſin in Epiſtolam Pauli ad Romanos.
Tractatum de Vocatione efficaci.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Theologorum exterorum.*

LUCAS MAJUS.

Obiit A.C. 1598.

Römhildæ in Comitatu *Hennenbergico* mundum ingreſſus eſt, Patrem habens *Michaëlem Majum*, agricolam & molitorem, natus ex *Mariâ Döreriâ*, 14. die Oct. A. C. 1522. & baptizatus die Lucæ 18. Oct. *Lucæ* nomen adeptus eſt.

Supplicium Thomæ Müntzeri ſeditioſi vidit.

A. 1525. Exorto bello ruſticorum, hujus authorem *Thomam Müntzerum* mortis ſupplicio puniri puer conſpexit.

A. 1527. Pater ejus ruſticis ſeditioſis aſſociari recuſans, qui molendinum ejus igne deſtruxerant, *Hilperhuſum* cum familiâ ſuâ migravit, ubi tempore hyemali filiolum hunc in Scholam ablegavit, æſtate verò laboribus agri & vinearum adhibuit, mox verò

Digitized by Google

Pann tonſor. ro cuidam opifici pannorum tonſori tradidit erudiendum, cujus artificium cum ſatis didiciſſet, varias Regiones, ut illud exerceret percurrens, ſtudia tamen non prorſus deſeruit, ſed inter labores ſolitos *Horatium* legere & addiſcere ſolitus eſt.

Lutheri & Melanchthonis auditor Wittenbergæ. DEO itaque ejusque Eccleſiæ ſervire cupidus A 1543. *Hilpershusâ Wittenbergam* ſe contulit, ubi *D. Mart. Lutherum & Philippum Melanchthonem* docentes audivit, & ſtudia ſedulus tractavit.

Elapſo ſesquianno per *Sileſiam, Boruſſiam, Poloniam* & *Daniam* peregrinatus, domum rediit 26. Febr. A. 1548.

Deſponſatur hic. 8. Maji A. 1549. Deſponſatus eſt *Hilpershuſæ* cum virgine *Dorothea Schmuckia* Conſulis *Rotacenſis* filiâ.

Rector Scholæ Hilpershuſanæ. Mox poſt nuptias Rector Scholæ factus â Senatu *Hilpershuſano*, totum decennium laboribus Scholaſticis inſumpſit, & 6. liberos ſuſcepit ex conjuge ſuâ, quæ cum poſt partum, 9. April. A. 1560. obiiſſet, ad ſecunda vota tranſiens, 4. Oct. A. 1561. nuptias celebravit cum Virgine *Barbarâ Kuchiâ Hilpershuſanâ*, cum quâ 38. annis in conjugio ſuavi vixit, ex eâque 12. liberos ſuſcepit.

Filii ejus. Ex priore conjugio filium reliquit *M. Nicol. Majum* Conſiliarium *Magdeburgenſem*, ex altero tres filios, & inter hos *Lucam* Eccleſiæ *Caſſellis* Paſtorem.

A. 1561. Ad verbi Divini Miniſterium ordinatus eſt manuum *D. Stöſſelii* impoſitione, dicentis: *Hactenus luſiſti cum pueris; jam tibi pugnandum erit cum Sathanâ.*

Paſtor Eccleſ. Elshuſæ. Mox ad Eccleſiæ Miniſterium in pagum *Elshauſen* ablegatus, usque ad A. C. 1564. verbum DEI fideliter docuit.

Vinariæ. Exindè per Ducem *Saxoniæ Joh. Wilhelmum Vinariam* vocatus, illius Urbis Eccleſiæ ad A. usque 1567. præfuit.

Magiſter Philoſophiæ Jenæ. Eodem adhùc anno *Jenam* â Miniſterio vocatus, Magiſterii gradu ornatus ibidem in Eccleſiâ docuit.

Paſtor Rudelſtadii. Anno ſeq. 1568. *Rudelſtadium* â Comitibus *Schwartzenburgicis* ad Eccleſiæ Paſtoratum accerſitus, in eo munere usque ad A. 1576. vixit, quo Senatus *Hallenſis* in *Saxoniâ* Concionatorem & Superintendentem eum conſtituit. *Superintendens Hallenſis.*

Propter Ubiquitatem diſceſſit. Ibi cum A. 1579. inter ipſum & *D. Jacobum Andreæ* diſſidium exoriretur propter Corporis Chriſti Ubiquitatem, quam *Majus* impugnavit, loco cedens, ad Principem *Wilhelmum Haſſiæ Landgravium Zapſenburgum* ſe contulit, qui cum concionantem eum audiviſſet, unà cum 5. Principibus ibidem tunc præſentibus, *Caſſellis* eum in urbe veteri Concionatorem conſtituit, in quo munere vitæ tempus reſiduum tranſegit. *Caſſellis Concionator.*

Moritur. Aſthmate tandem correptus, accedente triduo pòſt lethargo placidè obdormivit 5. Martii A. C. 1598. æt. 77. Miniſt. 39.

Januæ Muſæi ſui hoc diſtichon inſcripſit:

Sic ego quotidie de lecto ſurgo precando:
Ut mens ad mortem ſit Duce læta DEO.

* *Ex Concione fun. Jacobi Strackii Paſtoris Caſſell.*

CHRISTIANUS MACHABÆUS.

Obiit A. C. 1598.

DOctoris *Johannis Machabæi* & *Agnetæ Machiſonæ* filius *Witteberge* natus eſt 3. Dec. A. C. 1541. In album Univerſitatis inſcriptus A. 1554. Rectore *D. Palladio* Baccalaureus Philoſophiæ creatus A. 1559. â Decano *M. Paulo Matthiæ*. Magiſter Artium, & Profeſſor Pædagogicus fuit. *Magiſter Artium, & Profeſſor Pædagogicus.*

Indè Præſes Regiæ Scholæ Sorenſis tum recens fundatæ A. 1586. conſtitutus eſt.

Quâ adminiſtratione ſubmotus 1. Maji A. 1597. *Lundiam Scanorum* conceſſit, ubi Canonicus & Archidiaconus Capituli erat. *Lundiæ Archidiaconus.*

Moritur. Obiit ibidem 10. Sept. A. 1598. ætatis 57. ſepultus in Templo Cathedrali, ubi hoc monumentum habet:

Epitaphium.

M. S.

Christiano Machabæo Alpinati, Domino hæreditario de Bisboo, Collegii olim hujus Archidiacono et Canonico, Viro virtute, doctrina, genere præstantissimo. Parentibus Johanne Machabæo Alpinate, Theologo quondam in Academia Hauniensi Professore publico, et Agneta Machisona Scotis apud suos familia et loco illustribus oriundo: Qui postquam Suetici belli tempestate longinquas et periculosas peregrinationes auspic. Frederici II. Daniæ &c. Regis Sc. M. M. cui eximie semper carus, ad Tyrannum Moschorum Juan. Basilium legatus bis obierat, Regiisque aliquot Præfecturis fuerat ornatus, Declinante D. M. cum ætate valetudine, honesti oti desiderio, annos non multos vixit privatus, re, ut nomine, vere Christianus, nulli gravis, queis potuit commodus. Placidiss. exitu vitæ actum extremum, non sine acerbo familiæ amicorumque luctu clausit Lundiæ IV. Eid. Septemb. Anno Domini M D XCVIII. Vixit annos LVI. M. IX. D. VII. Marito et Patri desideratissimo Conjux Filiique moerentes hoc Monumento parentarunt.

Quam vivens potui tantùm ſperare, quiete
Mortuus in ſolidâ nunc ſtatione fruor.
Cura, labor, morbi, mors denique & ipſa receſſit,
Libera nunc tandem mens, quod avebat, habet.
Livor res tuas tibi habe.

Scriptum.

Scriptum. *Oratio funebris erudita ac pia de vitâ & obitu D. Herluſi Trolle, Scholæ Herlovianæ Fundatoris.*

* *Ex Academiâ Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Pauli f. Vindingio.*

Obiit A.C. 1598.

MARTINUS LATERNA.

Natione *Roxolanus*, patriâ *Drebibecenſis* adoleſcens Societati Jeſu ſe addixit A.C. 1571. & usque adeò in virtute profecit, maximèque in omnium Virtutum Reginâ, Charitate, ut diu noctuq; non ceſſaret, neque Concionibus habendis, vel confeſſionibus audiendis unquam defatigaretur. *Soc. Jeſu addictus.*

Sed dum in *Sueciam* cum *Sigismundo Poloniæ* Rege proficiſcitur, ex navigationis moleſtiis morbum contraxit, & ſuadente Medico, in *Poloniam* rediens, captus à militibus claſſis *Caroli* Ducis *Sueciæ Sigismundi* patrui, hoſtibus ſuis in mare projectus ac ſubmerſus eſt prid. Kal. Octob. A. C. 1598. *In Poloniam & Sueciam profectus. In mari ſubmerſus.*

Scripſit:

Scripta. *Orationes duas funebres*, alteram *in Exequiis Stephani I. Poloniæ Regis*, alteram *De præclaris in Eccleſiam & Remp. meritis Valeriani Epiſcopi Vilnenſis.*

Polonicè edidit *Librum Precationum è Patribus piisque recentium Catholicorum libellis concinnatum*, cui titulum fecit: *Citbara vel Decachordon ſpirituale.*

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1598.

JEREMIAS BASTINGIUS.

Caleti in *Galliâ*, natus eſt A.C. 1554.

Parentes ejus *Hyperis* in *Flandriâ* oriundi ob Religionem è patriâ profugi puerum adhuc *Embdam* in *Friſiam Orientalem* abduxerunt, & ludo literario mandârunt. Cumque ſtatim vis ingenii in illo eluceſceret, *Bremam* miſſus eſt, ut altioris illîc doctrinæ fundamenta jaceret ſub *Johanne Molano.*

Indè *Genevam* profectus, Theologiæ ibi operam dedit.

Fit Doctor Theologiæ. A. 1576. 18. Dec. *Heidelbergæ* Doctor Theologiæ creatus, & paulò poſt ad ſuos reverſus, *Antverpiam*, ad Miniſterium evocatus cum laude & famâ illud obivit, donec Urbe ab *Alexandro Farneſio* expugnatâ, cum cœteris Orthodoxis *Dordracum* migrare coactus eſt. Illîc intermiſſum Eccleſiaſtæ munus Presbyterii rogatu recepit. *Miniſter Eccl. Antverp.*

Rector Collegii novi Lugd. Moritur. Indè ad novi Collegii Theol. Recturam *Lugdunum Batavor.* evocatus paucis annis poſt vitâ deceſſit 16. Octob. A. C. 1598. ætatis 44.

* *Ex Vitis Profeſſorum Leydenſium.*

Obiit A.C. 1598.

DESIDERIUS JOHANNES FOSSIUS.

In album Univerſitatis *Hafnienſis* inſcriptus A.C. 1561. Rectore *M. Paulo Matthiæ*, Rector Scholæ *Roſkildenſis*, oblatam ſibi aliquoties Profeſſionem Pædagogicam in Academiâ *Hafnienſi* recuſavit, tandem tamen A. 1580. ſuſcepit. A. 1582. Paſtor Eccleſiæ D. Virginis, Succeſſor *M. Eraſmi Catholmii*, factus eſt. *Rector Scholæ Roſkildenſis. Profeſſor Pædagogicus Hafn. Paſtor Eccleſiæ.*

Uxorem habuit *Dorotheam Jacobi Haſebardi* Chirurgi Regii filiam, quam amiſit A. 1590. defunctam.

Cum autem poſteà memoriâ & judicio labi cœpiſſet, adeò ut ſine fructu doceret, Cancellarius Regis *Chriſtianus Fris de Borreby*, præſente Magiſtro Palatii, in mandatis dedit Epiſcopo *D. Vinſtrupio* A. 1598. ut Academia pro ſuo jure cogitaret maturè de aliquo in locum illius ſufficiendo.

Itaque cum munere Paſtorali ſe abdicâſſet, accepto Succeſſore *M. Chriſtiano Jani f.* paulò poſt *Hafniæ* mortuus eſt: *Ob memoriam debilem munere Paſtorali ſe abdicavit.*

Sepultus verò in Templo *D. Virginis* apud defunctam uxorem, cujus Sepulcro vivus lapidem impoſuerat, cum hâc inſcriptione:

Epitaphium Uxoris. HONESTÆ, SANCTÆ, PRUDENTI, ET IN RE OECONOMICA INDUSTRIÆ FOEMINÆ DOROTHEÆ HASEBARD, HONESTISS. PARENTIBUS, JACOBO HASEBARD, REGIS CHRISTIANI III. CHIRURGO PERITISS. ET ABIGAELE BONIFACII F. NATÆ, PIÆ LIBERORUM VIII. MATRI, UXORI MULTO CARISS. MARITUS MOESTISSIMUS DES. JOHANNES FOSSIUS, HUJUS ECCLESIÆ PASTOR MONUMENTUM HOC POSUIT. VIVERE MORIENS COEPIT III. NOV. A. CHRISTI M D XC. ÆTATIS VERO SUÆ XXXIV. SPES EST RECUPERANDÆ OLIM DULCISSIMÆ DOROTHEÆ, NAM

Δῶρα Θεὸς *præbens, repetit ſi præbita* δῶρα,
Haut repetita aufert, ſed repetita refert.

* *Ex Academiâ Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Pauli f. Vindingio.*

PETRUS BINSFELDIUS.

Obiit A.C. 1598.

Immortalis memoriæ vir, Epiſcopus *Azotenſis* & Metropolis *Trevericæ* Suffraganeus, ſuam de rebus Divinis jurisque Canonici notitiam, diverſis librorum monumentis teſtatam reliquit. *Epiſcopus Azotenſis. Vir Doctiſſimus. Librorum variorum author.*

Solo *Enchiridio, Animarum Curatoribus, elaborato*, facem accendit, nullo extinguendam ævo. Homo opum honorumque tàm fugiens, quàm dignus: æquitatis rectique non minus ſciens, quàm tenax: luxûs delitiarumque oſor. Diſciplinæ tam ſtrenuus ſectator, ut adulari neminem, etiam ſe eminentiorem, ſoleret.

Peſtiferâ correptus lue debitum naturæ ſolvit 14. Novemb. A. 1598. *Obiit.*

* *Ex Epit. Annal. Trevir. Jacob. Maſſenii.*

ADRIANUS HOFSTADIUS.

Obiit A.C. 1598.

Patriâ *Lovanienſis*, Ordinis *Minorum* Theologus, Eccleſiaſtes egregius in antiquis Patribus optimè verſatus, ore & calamo promptus, Concionator optimus, *Monachus S. Franciſci. Concionator Catholicus.*

Ant-

Antverpiæ ſibi & Regi Catholico reſtitutæ de ſuggeſtu tonans cum admiratione auditus eſt.

Mortuus eſt *Trajecti* ad *Moſam*, & ſepultus in *D. Virginis* ſacello cum hoc Epitaphio:

Epitaphium.

D. O. M.

REVERENDO ADMODUM PATRI P. ADRIANO HOFSTADIO, HUJUS ET ALIORUM CONVENTUUM GUARD. MERITISS. S. THEOL. PRÆLECTORI, AC DIVINI VERBI PRÆCONI FAMOSISS. OBIIT XXII. Nov. M D XCVIII.

Hoſſtadius ſacro jacet hic, Franciſce, tuorum
De numero, magnis notus ubique Viris:
Ingenii cujus vires Brabantia paſſim
Senſerat, & Batavi gens generoſa ſoli.
Lovanium genuit, quem verbi deindè Miniſtrum
Lectoremque ſtupens audiit eximium.
Hoc multis tandem fractus laboribus antro
Conditus, ætherei vivat in arce poli.

A morte ejus editi curâ & diligentiâ *P. Sedulii Minoritæ*:

Scripta.

Sermones Eucharistici LXIX. ſumptibus *N. V. Henrici van Etten* militaris annonæ Præfecti.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1599.

HORATIUS TURSELLINUS.

Societatem Jeſu ingreſſus. Literas humanior. docuit Romæ.

NAtione *Italus*, patriâ *Romanus*, in ipſo adoleſcentiæ flore Societatem Jeſu ingreſſus, & cùm aliis, tùm humanioribus potiſſimùm literis excultus, illas per multos annos in Collegio *Romano* docuit: Collegii etiam *Florentini* ac *Lauretani* Rector fuit.

Sed poſtquam duodeviginti annos *Romanam* juventutem ad verum iter Eloquentiæ inſtituit, invida mors eum ſuſtulit A.C. 1599. ætatis ſupra ſexageſimum.

Scripſit:

Scripta.

De Vitâ Franciſci Xaverii Lib. VI.
Epiſtolarum ejuſdem Lib. IV. quas in unum corpus collegit, & eleganter ex Hiſpano ſermone Latinas fecit.
Compendium Grammatices Emanuelis Alvarez.
Tragœdias ſacras, & varia Poëmata.
Orationem funebrem in mortem Gregorii XIII. Pont. Max.
Lauretanæ Hiſtoriæ Lib. V.
Libell. de uſu particularum Latini Sermonis.
Nomenclatorem vocum Latinarum.
Hiſtoriam ab orbe condito ad noſtra tempora, magnâ perſpicuitate & ſimplici elegantiâ conſcriptam.
Commentar. in omnes fermè Ciceronis de arte Oratoriâ Libros, & in Orationes ejuſdem.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1599.

JOSEPHUS ACOSTA.

Societati Jeſu puer addictus.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Methymnenſis*, â puero ſe Religioni Societatis Jeſu addixit, & 4. alios natu majores fratres in Societate habuit. Ipſe verò præſtanti ingenio, acri judicio, labore indefeſſo omne diſciplinarum genus didicit, & profeſſus eſt.

Præpoſitus Provincialis in Peru.

Deindè in occidentis Solis *Indiam* navigavit, & *Peruanam* Provinciam Præpoſitus Provincialis gubernavit.

In *Hiſpaniam* reverſus, in *Aragoniæ* ac *Boeticæ* Provinciis Viſitatoris partes egit.

Rector Collegii Salmaticenſis.

Demùm cum *Salmaticenſis* Collegii habenas regeret, atque integritatis, doctrinæ, ac prudentiæ laude floreret, morbo oppreſſus ac extinctus eſt A.C. 1599. ætatis fermè 60.

Scripſit

Scripta.

De Chriſto revelato Lib. IX.
De Temporibus noviſſimis Lib. IV.
De Naturâ Novi Orbis Lib. II.
De procurandâ Indorum ſalute Lib. VI.
Hiſtoriæ Naturalis & Moralis Indiæ Lib. VII.
Concionum Tom. III. gravi & eleganti ſtylo.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1599.

EDO HILDERICUS.

JEverâ *Friſius*, aliàs *Huldaricus Edo* vel *Ædo* in matriculis & paſſim in Scriptis vocatus: nominatim apud *D. Theodorum Thummium* in peregrinatione & vitæ curſu *D. Jac. Heilbronneri* A. 1619. conſcripto.

Philoſophiæ Magiſter Witteb. Profeſſor Math. Jenæ. Rector Scholæ Magdeburg.

Wittebergæ Magiſter promotus A. 1556. *Jenæ* Profeſſor Mathemat. conſtitutus A. 1564. ex eâ abiit in *Leucoream* A. 1567. exindè *Magdeburgum* venit A. 1573. Pædagogiarcha conſtitutus.

Abeunti in Rectoratu ſucceſſit *M. Georgius Rollenhagius*, famigerabilis ille ingeniorum ingenuorum Cenſor & Doctor.

Theologiæ Doctor & Profeſſor Heidelberg.

Poſteà S. Theol. Doctor *Heidelbergæ* creatus inibi docuit usque ad A. 1580. quo *Athenas Noricas* acceſſit, vocatus â *Philippo Geudero* & *Hieronymo Baumgartnero* Reipublicæ *Norimberg.* Septemviris & Scholarchis, ut cum interpretatione Libri alicujus Biblici, & quidem *S. Danielis*, conjungeret explicationem Locorum Theologicorum *M. Phil. Melanchthonis*, cujus de Libro *D. Mart. Lutherus* dicere ſolitus fuit: In hoc Libro *Philippus* docet, pugnat, triumphat: atteſtante ipſomet *Edone* in Programm. ibidem A. 1581. affixo. A. 1582. Rector Acad. creatus eſt.

Theologiæ Profeſſor Altdorfii.

Obiit *Altdorfii* A. 1599. Huic, ceu ſicco nimis ac ſobrio, Collegarum aliquis, in cœnâ quâdam Academicâ, *Altdorfi* per jocum dixit:

Non ſis ſemper Edo, *ſis aliquando* Bibo!

* *Ex Nomenclatore Profeſſor. Jenenſ. M. Adriani Beyeri qui hoc appoſuit Epigramma honorarium:*

Ædonem Huldericum Sophies Witeberga Magiſtrum,
Myrtea Doctorem, Theiologumque creat.

In multis Sophien docet Euſebienque Lycæis
Philoſophumque catus, Thejologumque pius.

Obiit A.C. 1599.

PETRUS ESPINACUS.

Proteſtantium hoſtis.

ARchiepiſcopus *Lugdunenſis*, in adoleſcentiâ Proteſtantium doctrinâ amplexus poſteà mutaverat; impotenti verò in eos odio ferebatur, veróne an affectato incertum: de cœtero Vir nobilitate, eruditione & eloquentiâ clarus, ſed qui præclaras animi dotes penè perdidit cœcâ ambitione & profundiore luxu, abſumtis non ſolùm propriis, ſed ſuorum facultatibus materiam per turbas novis parandis opibus quærens: cumque res ex voto non ſuccederet, injuriis, ut ajebat, *Joh. Nogareti Espernonii* Ducis in Regis *Henrici III.* gratiâ tunc florentis exacerbatus, ad partes *Guiſianorum* ſe applicuit, atque adeò *Henoticam* factionem toto pectore amplexus eſt, galeri purpurei ſpe adipiſcendi, quam ex Regis olim commendatione conceptam poſteà præpollente in Aulâ *Romanâ* Principum Catholicorum, (quos vocabant,) gratiâ, ſibi tanquàm certiſſimam ſemper pollicebatur.

Henoticæ factioni adhæſit.

Dum in factione ſuâ obfirmatus, omnes reconcilationis ſibi privatim utiles conditiones reſpuit, nec vaſtis cupiditatibus modum facit, *Lugduno* interim â Rege *Henrico IV.* recepto, & pace factâ cum ſingulis regulis, ipſe ſolus in obſtinatione ſuâ perſtitit, & inter graves arthritidis dolores ex mœrore non ita ſenex deceſſit Id. Januarii A. C. 1599.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi â Stöcken.*

Obiit A.C. 1599.

MATTHIAS BOSSEMIUS.

Theologiæ Profeſſor Duaci.

A*Mſtelodamus Batavus*, natus eſt A. C. 1527. Theologus & Cancellarius Academiæ *Duacenæ*. *Alardum Crocum* puer audivit. Annos 33. publicum profitendi munus cum laude ſuſtinuit.

Ea fuit in eo â primis annis pietas & morum ſanctitas, ut priſcorum Eccleſiæ Patrum eximium in eo ſpecimen eluceret.

Mortis memor mortui cranium ante oculos in Muſæo ponebat.

Tam ſeverus in Clerum cenſor extitit, tantæq; caſtitatis, ut extraneam in ædibus fœminam verſari paſſus non ſit, nec unquam ſolus cum ſolâ, niſi in publico, fuerit locutus.

Facultates, quas amplas eſt conſecutus, Baſilicæ *D. Amati* Præpoſitus, alendæ juventuti teſtamento legavit.

Ad meliorem vitam tranſiit A. C. 1599. æt. 72. conditusque in Odeio *D. Amati*, cui annos amplius 26. præfuerat, hoc Epitaphio:

Epitaphium.

HOC MONUMENTUM
REVER. DOMINO MATTHIÆ BOSSEMIO AMSTELOD. PRESB. INSIGNIS HUJUS ECCLESIÆ PRÆPOSITO, S. THEOL. DOCT. ET PRIMARIO IN UNIVERSITATE DUACENA PROFESSORI, EJUSDEMQUE UNIVERSIT. CANCELLARIO AMPLISS. AD DEI GLORIAM POSITUM.
OBIIT ANNO DOMINI M D XCIX.
MENS. FEBR. DIE IV.
ORATE PRO EO.

Scripſit:

Scripta.

Comment. de domeſticâ mulierum Societate Sacerdoti fugiendâ.
De ſpeciali DEI auxilio.
Orationem Pareneticam ad novitios Theologiæ ſtudioſos.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1599.

JOHANNES VIELICIUS.

Theologiæ Doctor & Profeſſor Cracov.

IN Academiâ *Cracovienſi* Philoſophicis ſtudiis maturè perceptis Sacra tam diligenter proſecutus eſt, ut Doctoris ac Profeſſoris Theologi dignitate cum ſummo omnium applauſu donaretur.

Parochus & Canonicus.

Pòſt ad Parochi *Vielicienſis* & Canonici in primariâ *Cracoviæ D. Stanislai* æde honorem evocatus, quà voce quà ſtylo pro Eccleſiâ *Romanâ* pugnavit, & in Concionibus ſæpè ex pio zelo lachrymari viſus eſt.

Conditus jacet in Odeio Ædium *D. Floriani*, hâc inſcriptione:

Epitaphium.

R. PATRI JOHAN. VIELICIO S. T. D. CANONICO CRAC. VIRO IN RELIGIONE SINCERO, IN MORIBUS PROBO, IN PROFESSIONE LABORIOSO, ERGA DISCIPULOS BENEVOLO, IN PRÆSTANDIS BENEFICIIS FACILI, HONESTATIS, TRANQUILLITATIS CONCORDIÆQUE NEC NON DISCIPLINÆ PUBLICÆ ET DOMESTICÆ AMATORI, BONORUM INGENIORUM PROMOTORI, OMNIBUS TAM DOMESTICIS QUAM EXTRANEIS CHARISSIMO, QUI SEDENS ET LOQUENS DE FUTURA VITA EX DIVERSORIO HUJUS SECULI SUMMA CUM ALACRITATE ANIMI MIGRAVIT: EXECUTORES TESTAMENTI DESIDERATISSIMO TESTATORI, DISCIPULI PRÆCEPTORI OBSERVANTISSIMO ÆTERNÆ PIETATIS MONUMENTUM POSUERUNT. VIXIT ANNIS LXXIII. OBIIT ANNO M D XCIX. DIE XV. FEBR.

* *Ex Elogiis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii.*

Obiit A.C. 1599.

BLASIUS VIEGAS.

In Societ. Jeſu puer admiſſus.

NAtione *Luſitanus*, patriâ *Eborenſis*, in Societatem Jeſu puer admiſſus *Eboræ* M. Martio A. C. 1569. in omnibus ingenuis artibus expolitus, tum Latinè Græceque potiſſimùm eruditus, humaniores literas multos annos profeſſus eſt.

Theologiæ Profeſſor.

Deindè poſtquàm in Academiâ *Eborenſi* magnâ cum excellentis ingenii, acris judicii, exquiſitæque doctrinæ opinione ſacras literas explicâſſet, & Lucubrationes in *Prophetas*

Digitized by Google

Moritur.

phetas paráſſet, morte impeditus obiit 22. Aug. A. C. 1599. magno ſui relicto deſiderio.

Erat enim vir non ingenio tantùm magno, facili, prompto, & ad omnia parato, ſed etiam placido, affabili, & benigno.

Scripſit:

Scripta.

Commentarios exegeticos in Apocalypſin S. Johannis Apoſtoli, qui Viris eruditis valdè probantur, & Concionatorum manibus teruntur.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societ. Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1599.

PETRUS FONSECA.

Societatem Jeſu ingreſſus.

NAtione *Luſitanus*, Patriâ *Viſenſis*, adoleſcens 20. annor. 17. die Martii A. C. 1548. Societatem Jeſu ingreſſus, graviores in eâ diſciplinas didicit & laudabiliter profeſſus eſt.

Rector Collegii Conimbricenſis. Viſitator Luſitaniæ.

In gubernatione etiam excelluit, itaque *Conimbricenſis* Collegii Rector, Domus Profeſſæ *Olyſſiponenſis* Præpoſitus, Societatis *Romæ* Aſſiſtens, denique Provinciæ *Luſitaniæ* Viſitator fuit.

His in muneribus multa prudenter conſtituit, multa tùm ad domeſticos, tùm ad exteros excogitavit utilia, dixit, fecit, & ab aliis fieri curavit.

Suis integritate vitæ erat exemplo, alienis admirationi, omnibus adjumento.

Ædificia ſacra ab eo condita.

Olyſſipone Catechumenorum domus, puellarum, (quarum pudicitia in diſcrimine verſabatur,) domicilium, orphanorum item egentium perfugium, Monaſterium *S. Marthæ*, aliaque nonnulla pietatis opera ejus induſtriâ facta ſunt & legibus ſtabilita: ex quibus magna in totam Remp. Luſitanam manavit utilitas.

Epiſcopus Japon.

Erat enim præſtanti vir auctoritate, & ad perrumpendas difficultates rarâ induſtriâ, magnanimitate & conſtantiâ. Quamobrem *Philippus II. Hiſpaniarum* Rex ipſum inter alios elegit, quos in *Luſitaniæ* Regno quaſi Cenſores morumque Reformatores eſſe voluit; Epiſcopum *Japonis* primo loco nominavit: & *Gregorius XIII.* Summus Pontifex, multa ei commiſit, non ad Societatem modò pertinentia, ſed etiam ad univerſæ Eccleſiæ utilitatem.

Moritur.

Cum igitur A. C. 1599. Congregatio Provincialis celebraretur, & evocatus ipſe *Eborâ* veniſſet *Olyſſiponam*, morbo gravi in ipsâ Congregatione correptus, 4. Nov. ad vitam feliciorem translatus eſt.

Vixit annos 71. ex quibus 20. in ſæculo, & 51. exegit in Jeſu Societate.

Scripſit

Scripta.

In Iſagogen ad Porphyrium.

Dialecticam Lib. VIII.

Metaphyſicam Ariſtotelis ex Græcâ linguâ in Latinam translatam & Comment. eruditis illuſtratam Tom. III.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu P. Petri Ribadeneiræ.*

* * *

Petrus Fonſeca, Jeſuita, inſignis fuit Philoſophus, qui in *Ariſtotelis Metaphyſicam* accurata ſcripſit Commentaria. De eo Franciſcus *Suarez in cap. 7.* Indicis primi in ſuam *Metaphyſicam* inquit: *Petri Fonſecæ* translatio Metaphyſicæ adeò eſt elegans & dilucida, ut ferè ſine expoſitore â quovis intelligi poſſit.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctor. Johannis Andreæ Quenſtedt.*

SEBASTIANUS BARRADAS.

Flor. A.C. 1600.

Societ. Jeſu nomen dedit puer.

NAtione *Luſitanus*, patriâ *Olyſſiponenſis*, in Collegio *Conimbricenſi* vix ephebus, & 15. tantùm annum agens Societati Jeſu nomen dedit 27. Septemb. A. C. 1558.

Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſor. Concionator.

Deindè Rhethoricen atque Philoſophicas facultates profeſſus eſt. Sacras literas tùm *Conimbricæ* tùm *Eboræ* magnâ auditorum celebritate eſt interpretatus; Concionatoris etiam partes laudabiliter egit.

Scripſit

Scripta.

Commentar. in Hiſtoriam & Concordiam Evangelicam.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

JOHANNES PINEDA.

Clar. A.C. 1600.

Puer Societ. Jeſu nomen dedit. Theologiæ Profeſſor.

NAtione *Hiſpanus*, vix ephebus, ætatis anno 15. nondum expleto, Salutis 1572. ſæculo valedixit, & Chriſti vexillum ſecutus, Societati Jeſu nomen dedit, in quâ Philoſophicas literas & Theologicas præclarè didicit, & profeſſus eſt: nam & *Ariſtotelem* quadriennium feliciter expoſuit, & *D. Thomam* biennium interpretatus eſt, & ſacros Divinæ Scripturæ fontes 7. annos tum *Cordubæ* tum *Hiſpali* patefecit.

Scripſit

Scripta.

Comment. in Hiob. Tom. II.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu P. Petri Ribadeneiræ.*

MARTINUS SINGLERIUS.

Clar. A.C. 1600.

Societat. Jeſu amplexus.

NAtione *Roxolanus*, patriâ *Leopolitanus*, adoleſcens *Romæ* Societatem Jeſu amplexus eſt A. C. 1581.

Duobus Collegiis præfectus.

Deindè inſigni ingenio ac judicio humanas ac Divinas ſcientias didicit, & cum doctrinâ ſingulare omnium virtutum ſtudium & morum eximiam ſuavitatem copulavit. Itaque duobus Collegiis præfectus bonis omnibus Religione, prudentiâ, ac benignitate ſe probavit.

Scripſit *Polonicè.*

Scripta.

De æternâ Chriſti filii Dei Divinitate contra Arianos.

De uſurâ, & de tribus præcipuis contractibus,

Digitized by Google

bus, nempe *de Venditione cum pacto retrovendendi*, *de Cenſibus*, & *de Contractu Societatis* compendioſam doctrinam.

Latinè verò edidit,

Zachariæ Prophetæ pro Chriſti Divinitate illuſtre teſtimonium, adverſus Fauſti Socini Anabaptiſtæ cavillationes explicatum.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Clar. A.C. 1600.

WENCESLAUS STURMIUS.

Concionator Societ. Jeſu.

NAtione *Bohemus*, patriâ *Tinenſis*, Græcas & Latinas literas in Societate Jeſu docuit, & diu multumque concionatus in miſſionibus eſt, quarum incommoda multa alacri animo toleravit, paupertatis amator, obedientiæ cultor, proximorum ſalutis ſtudioſiſſimus.

Rector Coll. Pragenſis & Crumlovienſis.

Collegiorum *Pragenſis* & *Crumlovienſis* Rector fuit, primusque qui *Bohemico* idiomate contra *Picardos* ſcripſit;

Videlicet

Concordiam Fidei.

Apologiam contra Sylvium Huberinum, & contra Concionale Picardicum.

Apologiam alteram defenſionis Concionalis.

Moritur.

Migravit ad Dominum expleto ætatis anno 66.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Clar. A.C. 1600.

HIERONYMUS FLORENTIA.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Complutenſis*, à parentibus pietate inſignibus procreatus, & ab ipſâ infantiâ educatus ad pietatem, pueritiæ vix annos egreſſus, exemplum *Johannis Florentiæ* germani ac natu majoris fratris ſecutus, Societatem Jeſu *Compluti* complexus eſt A. C. 1582.

Puer Societatem Jeſu ingreſſus.

Auguſtinum Florentiam fratrem omnium minimum ſuo itidem exemplo incitavit, ut fratrum veſtigiis inſiſteret.

Deindè *Hieronymus* excellenti ingenio, rarâ memoriâ, & magnâ animi contentione politiores literas ac ſeveriores diſciplinas didicit, & profeſſus eſt.

Philoſophiam docuit.

Philoſophiæ curſum, ut vocant, peregregiè docendo confecit, multosque ingenioſos diſcipulos habuit in Societate.

Et Theologiam.

Sacram etiam Theologiam, atque illam potiſſimùm, quæ rationes rerum exquirit, & veritatem indagat, cum laude eſt interpretatus.

Concionator egregius.

Sed præ aliis rebus excelluit, cum ex loco ſuperiore ad populum verba faceret, & auditorum animos ſententiarum gravitate, verborum elegantiâ, & vocis dulcedine vel deterreret à vitiis, vel ad virtutes impelleret.

Quamobrem dum concionatus eſſet, & Præconis Evangelici partes egiſſet, maximo populi concurſu, attentione, admiratione & vitæ emendatione ubique auditus eſt.

Scripta.

Exierunt in lucem aliorum operâ duæ illius *Orationes funebres*, quarum alterâ perſecutus eſt *exequias funeris Garziæ Loaiſæ Archiepiſcopi Toletani*, qui *Compluti* A. C. 1599. vitâ exceſſit; Alterâ *Mariæ Auguſtæ virtutes & laudes* recenſuit in *Collegio Madritano.*

* *Ex Catalogo Scriptorum Societ. Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Clar. A.C. 1600.

JOHANNES BUSÆUS.

Societ. Jeſu amplexus.

NAtione *Belga*, patriâ *Noviomagenſis*, adoleſcens annum 20. agens Kal. Julii A. C. 1563. Societatem Jeſu amplexus eſt.

Deindè ad ejus inſtitutum conformatus, primùm literas humaniores ac Philoſophicas docuit, tum *Romæ* Theologiam didicit, in quâ eos fecit progreſsus, quos docendo poſteà & ſcribendo oſtendit. Nam & S. Scripturam, & Theologiam, & quæſtiones de moribus multis annis *Moguntiæ* profeſſus eſt, innocentiæ ac ſapientiæ opinione clarus.

Theologiæ Profeſſor Mogunt.

Magnus fuit *Martini Chemnitii* adverſarius & impugnator.

Edidit:

Scripta.

Diſputationes Theol. de Jejunio & delectu ciborum.

De Perſonâ Chriſti.

De deſcenſu Chriſti ad inferos.

Apologeticam pro Calendario Gregoriano contra Jacobum Heerbrandum.

De Baptiſmi neceſſitate, & de Baptiſmo Conſtantini Magni.

Apodixin Theol. pro ritu orandi Roſarium B. Mariæ Virginis.

Roſarii Hyperaſpiſten, hoc eſt, *depulſionem cavillationum, quibus Theologus Heidelbergenſis quidam Apodixin obſcurare conatus eſt.*

Apologeticum Diſputationis de Perſonâ Chriſti, cavillationibus Stephani Gerlachii oppoſitum.

Reſponſionem ad Theſes Theologorum Lutheranorum Magdeburgenſium, de Miſſâ Pontificiâ, & Cœnæ Dominicæ profanatione.

Paradoxa XXX. Caſp. Schwenckfeldii, de toto Chriſto, Deo & homine, in ſtaterâ S. Scripturæ, S. Patrum, & rationis expenſa.

In lucem eruit:

Anaſtaſium Bibliothecarium de Summis Pontificibus, nunquàm anteà excuſum.

Luidbrandi Ticinenſis Diaconi, (vel potius alterius,) *opuſculum de Ritu Romanorum Pontificum.*

Abbonis Floriacenſis Epitomen ex Anaſtaſii Hiſtoriâ excerptam.

Hincmari, *Rhemenſis Epiſcopi*, *Epiſtolas nonnullas* nunquàm editas.


Vitam S. Wigberti, ſocii S. Bonifacii, Archiepiſcopi Moguntini, & B. Auperti, Brigionum Ducis.

Job.

Digitized by Google

Digitized by Google


IOHANNES LATOMVS
Theol. Francof.


NICOLAVS HEMMINGIVS
Theol. D. Hafniensis.


SAMVEL FISCHERVS
Theol. D. et Superint. Jenensis


DAVID CHYTRÆVS
Theol. prof. Rostoch.


IOH: CONRADVS VLMERVS
Theol. Schafhus.


BARTHOLOMÆVS MEYERVS
Superint. Marpurg.


PETRVS BACHERIVS.
Theol. Gandensis.


ALEXANDER NOWELLVS
Past. Eccl. Lond.


LVCAS TRELCATIVS.
Theol. Prof. Lugdun.


DANIEL TOSSANVS
Theol. D. et Prof. Heidelb.


IOHANNES KLAINAVIVS
Superint. Neoburg.


IOHANNES STREITBERGER
Superint. Gen. Culmbaci.


FRANCISCVS IVNIVS
Prof. Theol. Lugdun.


SEBASTIANVS ARTOMEDES
Concionator Regiomontan.


GVILIELMVS PERKINSIVS
Theol. et Prof. Cantabrig.


ÆGIDIVS HVNNIVS
Superint. Witteb.

Digitized by Google

Joh. Trithemii Opera de Eccleſiaſticis Scriptoribus.

Opera Petri Bleſſenſis, Bathonienſis in Angliâ Archidiaconi correcta, & notationibus illuſtrata.

Ex *Italicâ Linguâ* in *Latinam* vertit:

Varia Indica, Japonica, & Chinenſia.

Vincentii Bruni Meditationum Tom. III.

Fulvii Androtii Opuſcula, De frequenti Communione, & De Paſſione Domini.

Reſponſionem Bellarmini ad Doct. Theologum, de cenſuris contra Venetos Caſp. Loartis de Myſteriis XV. Roſarii.

Franciſci Ariæ tract. De Imitatione B. Virginis, De profectu ſpirituali, ſui diffidentiâ, & mortificatione.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1600.

JOHANNES LATOMUS.

PAtriam habuit *Francofordium*, *Rom. Imp.* nobile Emporium, ubi patre *Johanne*, Reip illius Senatore, natus eſt 24. Jan. A.C. 1524.

Studioſus Coloniæ. Cum bonas literas in patriâ primò imbibiſſet, anno æt. 13. *Coloniam* ablegatus uberiorem diſciplinarum copiam eſt aſſecutus in *Montano* Gymnaſio.

Moguntiæ. Poſt biennium avocatus, *Moguntiæ* ſubſtitit per biennium Rhethoricam ibi edoctus.

Magiſter Briſgoiæ Friburgi. Indè *Friburgi Briſgoiæ* triennium exegit, usque ad Magiſterii Lauream adeptam.

Habuit ibi Præceptores *Henricum Glareanum*, & *Johannem Zinckium*, qui *Stofleri* diſcipulus fuit.

Tandem revocatus in patriam A. 1545. Eccleſiæ inſervire cœpit.

Motis verò deindè variis tumultibus & bellis, â quibus *Francofordia* non fuit immunis, varios eſt expertus inſultûs.

Decanus ad S. Bartolom. Francofurti. A. 1581. Ibidem in Decanum Collegii Cæſarei ad *D. Bartholomæum* electus, Principi *Moguntino* charus admodùm fuit. Patriæ autem civibus acceptus erat, nec Senatui diſplicebat.

Commiſſarius Cæſ. Equidem publicè ita ſe geſſit, ut non Principum modò, ſed & *Cæſareæ Majeſtatis* commiſſiones meruerit, easque non infeliciter curârit.

Cum enim Patriæ Senatus gravem & diuturnam litem aleret cum concivium primariorum aliquo, eo tandem defuncto, â Cæſare Commiſſarius deſignatus, rem omnem ſummâ cum æquitate compoſuit.

Inquiſitor Librorum. Uſus eſt præterea Cæſar ejus operâ in Librorum, qui in Nundinis ad Emporium illud vænales importantur, inquiſitione, quo officio exequendo varias moleſtias paſſus, tandem illud in manûs alterius reſignavit, cum ſenectus labores illos amplius non ſuſtineret.

Privatim verò ita provexit Eccleſiæ commoda, ut â primis annis Sacris deditus, nihil prius habuerit, quàm Deo & rebus Divinis inſervire.

Demùm morbis & curis attritus ſenex de Eccleſiâ & bonis omnibus benè meritus rude donatus Jubilæum in patriâ celebravit actu publico & ſolenni A. 1595. 3. Id Junii, poſteaquàm amplius 50. annis Choro cum laude & devotione inſerviiſſet. *Jubilæum celebravit anno 50. Miniſt. Eccleſiaſtici.*

Annis tandem feſſus, mortem hilaris excepit, & exſpiravit *Francofurti* in patriâ circa A.C. 1600. ætatis 76. *Moritur.*

Opera reliquit erudita:

Precum horariarum Mogunt. Eccleſiæ libell. quem Breviarium Moguntinum vocant. *Scripta.* Hunc poſteà in *compendium* ſive *Diurnale* contraxit.

Hiſtoriam de Moguntinis Epiſcopis, multo labore plus quàm ex centenis Hiſtoricis erutam.

Hiſtoriam Principum Auſtraſiæ, cum uxoribus illorum, Iconibus, & ſepulturis, à Carolo Hasbano usque ad Philippum III. Hiſp. Regem.

Antiquitates Francofordiæ, quotquot haberi potuerunt, diligenter collectas, & in Commentaria redactas.

Corſendoncam, ſive cœnobii Canonicorum regularium Ord. *S. Auguſtini* de *Corſend.* originem & progreſſum.

* *Ex Vitis 50. Viror. doctrinâ illuſtr. Jani Jacobi Boiſſardi.*

JACOBUS HEERBRANDUS.

Obiit A.C. 1600.

GEngæ in *Sueviâ* oppido natus eſt 12. Aug. A. 1521. Patre *Andreâ*, Matre *Barbarâ Martini.*

A. 1536. Grammaticis rudimentis in patriâ imbutus *Ulmam* deductus eſt â patre, ubi jactis utriusque linguæ fundamentis per annum manſit. *Ulmæ literarum poſuit fundamenta.*

Cumque ſub id tempus *Eraſmi Roterodami* mortui jam, *Colloquiorum liber* eſſet in Scholas introductus, qui, quod Pontificiorum errores alicubi demonſtret, â *Paulo V.* publicè proſcriptus fuit, nihilo tamen minus ab *Heerbrando* lectus eſt. *Colloquia Eraſmi legit.*

A. 1538. A patre *Wittenbergam* ablegatus ut *Lutherum* & *Melanchthonem* audiret, ſtudiis ibi tam ſedulus incubuit, ut indè *Suevica noctua* â quibusdam convictoribus, potui magis & aleæ quàm libris deditis, vocatus fuerit. *Lutherum audit & Melanchthonem.*

A. 1540. Ibidem Magiſterii gradum cum laude conſecutus, privatim deindè alios docuit: concionando etiam in pagis vicinis ſe exercuit. *Magiſter Philoſophiæ.*

A. 1544. *Stutgardiam* urbem patriæ vicinam ſe contulit, & operam ſuam Eccleſiis *Wirtenbergicis* obtulit. Factus itaque *Tubingæ* Diaconus, eo munere in ſextum annum functus, unà lectiones publicas Theol. ſedulus audivit. Privatim etiam Mathemata docuit. *Diaconus Tubingenſis.*

A. 1547. Uxorem duxit virginem *Margaretham*, *Conradi Stamleri*, Conſulis *Tubingani* filiam, ex quâ 8. filios & tres filias ſuſcepit, avus & proavus factus. *Uxorem ducit.*

Digitized by Google

Linguam Hebræam diſcit.

A. 1548. Ob *Interim repudiatum* officio ſemotus privatim ab *Oſwaldo Schreccefuchſio* linguam Hebraicam didicit.

Theologiæ Doctor.

A. 1550. à Duce *Chriſtophoro* Paſtor Eccleſiæ *Herrenbergenſis* factus, paulò pòſt *Tubingæ*, Competitore *Jacobo Beurlino* Theologiæ Doctor creatus eſt. A. 1551. ad Concilium miſſus eſt *Tridentinum.*

Eccleſias Marchionatus Badenſis reformat.

A. 1556. verò unà cum *Jacobo Andreæ* & *Simone Sulcero* à *Carolo Marchione Badenſi* vocatus, Eccleſias ditionum ipſius reformavit.

Profeſſor Theologiæ.

Rediit autem eodem anno *Tubingam* ad Theologiæ Profeſſionem vocatus. Ibi *Pentateuchum Moyſis* ordinariâ lectione interpretatus 40. annorum profeſſionis ſuæ curriculo quater abſolvit, eundemque pro Concione publicè enarravit. Rectoratum etiam octies, rarò exemptus, geſſit.

Rector Academiæ octavâ vice.

Collegii Eccleſiaſtici Decanus.

A. 1561. Collegii Eccleſiaſtici Decanus conſtitutus eſt, & alumnorum Principis Ephorus.

A. 1562. à *Saxoniæ* Ducibus *Jenam* ad docenda ibi Sacra fuit evocatus, ſalario mille florenorum, verùm prudenti Principis *Chriſtophori* Conſilio, dimiſſus non eſt.

A. 1590. declaratus eſt Ducis *Wirtenbergici* Conſiliarius, Eccleſiæ *Tubingenſis* Præpoſitus, Academiæ Cancellarius, & novi Collegii Inſpector.

Uxorem amittit.

9. Nov. 1597. uxorem amiſit, cum quâ annos 50. & ſemeſtre vixerat.

Rude donatur.

A. 1598. ob ſenium viribus deficientibus munus ſuum in Eccleſiâ & Scholâ docendi Principi reſignavit, à quo rude donatus, annuum tamen ad dies vitæ ſalarium accepit.

Moritur.

Tandem lethargo diebus aliquot correptus, quaſi lampas oleo deficiente extinctus eſt 22. Maji A. 1600. ætatis 80.

Scripta.

Edidit *Compendium Theologiæ Latinum*, quod deindè rogatu *Johannis Zygomalæ*, & *Jeremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani* à *Martino Cruſio* Græcè converſum, *Conſtantinopolim* & *Alexandriam* in *Ægyptum* uſque pervenit.

Parentavit *Melanchthoni* oratione intra quatriduum conſcriptâ, *Johanni Brentio Seniori*, *Jacobo Andreæ* Anteceſſori ſuo, & *Ludovico Duci Wirtenbergico.*

Scripſit & contra *Gregorium de Valentiâ, Hiſpanum Jeſuitam, tractatum.*

Librum Concordiæ in Latinum tranſtulit Sermonem.

** Ex Melchioris Adami Vitis Theologorum Germanorum.*

Erhardus Cellius Poëſ. & Hiſtor. Profeſſor Tubingenſis ſequenti *Heerbrandum* honorat diſticho:

Fax Exercituum Domini ſum lucida: falſa
Dogmata ſupplanto voce ſtyloq; meo.

Vitam breviter *Heerbrandi* ſic deſcribit idem.

Hæc erat Heerbrandi facies veneranda Jacobi
Quinque ter in vitâ laſtra ubi menſus erat.
Patria Genga bonis hunc artibus imbuit, indè
Alma Magiſterii dat Witeberga Gradum.
Hîc luſtrum divi, profectu ingente, Lutheri
Auditorque fuit, magne Philippe, tuus.
Eligit hinc ſacrum ſibi docta Tubinga Miniſtrum,
Doctoremque ſibi Theiologia creat.
Fit quoque tum Paſtor tuus Herrenberga, tuorum
Et Superintendens, Martia ſylva, ſacrûm.
Ad grave Concilium mox mittitur inde Tridentum,
Cum turbâ juſſus voce coire Patrûm.
A Duce Marchiacas Teccæo miſſus in oras
Purgat ab horrendis templa Badana ſacris.
Indè Profeſſorem vocat alma Tubinga, Decani
Et jubet in templo munus obire ſuo.
Stipendî Inſpector magno fit honore Ducalis,
In templo, inque Scholâ voce ſtyloque potens.
Quàm ſacrâ pugnans gladiator & acer arenâ,
Quàmque gravi cauſas diſputet ore ſacras;
Voce novem novies, cauſâ invictâque probavit:
Fecit idem ſcriptis hîc & ubique ſuis.
Compendî illius quæ ſit præſtantia ſacri
Europæ atque Aſiæ jam didicêre plagæ.
Magnifici octavùm Rectoris munere functus
Multa animi oſtendit maxima dona ſui.
Et nunc Præpoſitum, nunc Cancellarium audit,
Et nomen meritis tollit ad aſtra ſuis.
Chriſte, Scholæ Heerbrandum fulgentem lampada noſtræ
Protege, da ſalvam fulgere, Chriſte, diu.

NICOLAUS HEMMINGUS.

Obiit A.C. 1600.

AN. 1513. natus eſt in *Lalandiâ*, *Daniæ* pago *Embolds*, die octavo ante feſtum Pentecoſtes, Patre *Hemmingio Nicolai*, quo mortuo, puer hic à patruo *Johanne*, fabro quodam ferrario, educatus eſt.

Melanchthonis auditor.

Literarum verò fundamento in Scholis *Daniæ* poſito, *Wittebergam* venit, ibique per quinquennium *Melanchthonis* aſſiduus auditor, victum quæritans, operam ſuam ſtudioſis ſcribendo & privatim docendo locavit.

Filias Nobilis cujuſdam inſtruit.

Domum verò indè reverſus cum literis commendatitiis *Philippi Melanchthonis* aliquandiu Nobili *Dano*, *Olao Nicolai*, in filiabus inſtruendis inſerviit.

Libellum de Methodo Regi offert.

Deindè Divinâ ſic volente providentiâ *Hafniæ* Paſtor ad Spiritum Sanctum, poſteà verò Profeſſor linguæ Hebrææ conſtitutus eſt: Ibi libellum *de Methodo* cum Regi *Chriſtiano III.* obtuliſſet, amplis ab eo muneribus donatus eſt.

Theologiæ Doctor & Profeſſor.

A. 1557. Doctor Theologiæ creatus, eandem *Hafniæ* 26. annos publicè profeſſus eſt.

Moritur.

Tandem A. 1579. à Rege *Friderico II.* ob ætatem rude & Canonicatu *Roſchildiæ* donatus, mortuus eſt ibidem 23. Maji A. 1600.

Moritur. 1600. ætat. 87. cum jam annis aliquot viſu privatus fuiſſet. Corpus verò *Nicolai* in Cathedrali Templo *Roëſchildienſi* honorificè eſt ſepultum cum monumento ejusmodi:

Epitaphium DOCTORIS NICOLAI HEMMINGII CANONICI ROESCHILDIENSIS CINERES HIC QUIESCUNT: QUI PRIMUM FELICI, ET LABORIOSA OPERA IN ACADEMIA HAFNIENSI ARTIUM ET LINGUARUM STUDIA MULTORUM UTILITATE PROPAGAVIT. THEOLOGIÆ PROFESSIONI ADHIBITUS, EAM LUCEM SCRIPTIS PROPHETICIS ET APOSTOLICIS METHODI BREVITATE ET CLARITATE ATTULIT; UT NON SOLUM NOSTRIS, SED CUNCTIS EUROPÆ DOCTIS ADMIRATIONI FUERIT. FATALIBUS THEOLOGORUM CONTROVERSIIS, PRÆTER EXPECTATIONEM INVOLUTUS, INNOCENTEM SERVAVIT NUMINIS BENIGNITAS: OB DIUTURNOS IN SCHOLA LABORES GRATO FELICIQUE OTIO DONATUS SENEX, SATUR VITÆ, MORTALIUM CURAS CONTEMSIT: DEO SERVATORI SPIRITUM FIRMA FIDE COMMENDANS MORITUR ANNO M DC. DIE XXIII. MAJI. VIDUA ET HÆREDE BENE MERITO POSUERE.

Libri editi ſunt ab eo ſequentes:

Scripta. *Commentarius in Johannis Evang. 10. pr. cap.*

Commentarius in Johannis Evang. 11. poſt. cap.

Commentarius in Acta Apoſtolorum.

Commentarius in omnes Epiſtolas Apoſtolorum, Pauli, Petri, Judæ, Johannis, Jacobi, & ad Hebræos.

Commentarius in omnes Epiſtolas Pauli.

Comment. in Epiſt. ad Corinthios.

Ad Galatas.

Ad Epheſios.

Ad Philippenſes.

Ad Coloſſenſes.

Ad Theſſalonicenſes.

Utramque Petri, & unam Judæ.

D. Johannis.

Jacobi.

Ad Hebræos.

Comment. in Pſalmos.

In Pſalmum 81. 84. & 21.

Argumenta & Annotationes in Lib. Sapientiæ Salomonis, ejusd. Libri nova è Græco verſio Latina.

Poſtilla Evangeliorum in diebus Dominicis & Feſtis Sanctorum.

Syntagma Inſtitutionum Chriſtianarum.

Catechiſmi Quæſtiones.

Enchiridion Theologicum.

De Methodis & ratione concionandi.

De Officio Paſtoris Evangelici. Item Propoſitiones de legitimâ veri cultûs Dei ratione.

Paſtor: Sive Paſtoris optimus vivendi agendique modus.

Defenſio vocationis Miniſtrorum Eccleſiæ.

Hiſtoria Chriſti.

Immanuel, ſive *Catholica Inſtitutio de Domino noſtro Jeſu Chriſto, vero Deo, & vero Homine, in duas partes diſtincta.*

Tractatus de Gratiâ univerſali, ſeu ſalutari omnibus hominibus. Cui adjiciuntur vicini loci, *de Libero Arbitrio, Pœnitentiâ, Juſtificatione.*

Brevis repetitio Doctrinæ de univerſali Gratiâ.

Demonſtratio indubitatæ veritatis de Domino Jeſu, vero Deo, & vero homine, ex Prophetiarum collatione ad eventum.

Exemplar Epiſtolæ Sacræ ad Theol. Acad. Viteberg. de Re Sacramentariâ.

Via Vitæ.

Methodus apodictica de Lege Naturæ.

De Magicis artibus. Item 33. Propoſitiones adverſus Magiam.

Antidotum adverſus peſtem deſperationis.

Libellus de Conjugio, Repudio & Divortio.

De Conjugio expetendo, inchoando, abſolvendo, prudenter, piè, quietè, Chriſtiana Inſtitutio.

Aſſertiones de Articulis fidei propoſitæ in Academiâ Hafnienſi, Diſputationibus 45.

Propoſitiones de poteſtate Clavium ac diſciplinâ Eccleſiaſticâ.

Themata Theologica.

Aſſertiones Theolog. de Juſtificatione.

Argumentum indubium, quo quilibet ſui facere periculum poteſt, num Chriſtiani hominis nomine dignus ſit.

Oratio in Obitum Chriſtiani III.

Concio in Obitu Herlufi Trolle.

Opuſcula Theologica in unum Volumen Collecta.

* *Ex Academiâ Haffnienſi, & aliis.*

SAMUEL FISCHERUS.

Obiit A. C. 1600.

Parentibus honeſtis natus eſt in *Valle Joachimica* 25. Nov. A. C. 1547.

E ſacro baptiſmatis fonte ſuſceptus præter alios â *M. Johanne Matheſio* ejus loci Eccleſiæ Paſtore.

Cum in Scholâ patriâ literarum primordia didiciſſet, Præceptore *M. Michaële Gemnigio*, poſteà Eccleſiaſte *Hallenſi*, in Scholam ablegatus *Schleuſingenſem*, ibi ſub diſciplinâ *M. Jacobi Fomanni* Patris, Juris poſteà Profeſſoris *Jenenſis*, tantum profecit, ut in Academiam *Wittenbergenſem* mitteretur, in quâ brevi pòſt Magiſterii Gradum cum laude adeptus eſt. *Fit Magiſter Philoſ. Witteb.* A. 1569. *Schmalcaldiæ* ad Scholæ Synergiam vocatus unà Cantorem & Paſtorem egit Eccleſiæ montanæ. *Paſtor Eccleſ. Schmalcald.*

10. Oct. ejusdem anni Nuptias celebravit cum virgine *Ottiliâ*, filiâ *Baltaſaris Wilhelmi* Viri eruditi, *Luthero* quondam & *Melanchthoni*, ob Evangelii ſinceri confeſſionem conſtantem, chariſſimi. Ex eâ 10. liberos ſuſcepit, ex iisque 6. vivos reliquit.

Schmalcaldiâ Schleuſingam ad Eccleſiæ Diaconatum vocatus, non multò pòſt ad Principem & Comitem *Popponem Hennenbergicum* acceſſitus, ei ad obitum usque â Concionibus aulicis fuit *Burckbreitungæ*. *Diaconus Schleuſingæ. Concionator aul. Henneberg.*

Poſteà cum *Schneebergæ* biennio Paſtorem egiſ-

Superint. Olsnitii. egiſſet Eccleſiæ, *Olsnitium* accerſitus, ibi ſexennii ſpatio Superintendens audiit.

A. 1583. Juſſu *Auguſti* Electoris *Saxoniæ*, *Miſenam* ſe contulit, ubi Senatu conſentiente Superintendens factus, *M. Nicolao Jagenteufelio*, Generali poſtmodùm Superintendenti *Vinarienſi*, ſuccedens, per 5. años Eccleſiâ docuit. A. 1588. Indè ægrè dimiſſus *Schlackenwaldâ*, vocatione prægreſſâ, ſe contulit.

Jenæ Theol. Doctor & Profeſſor. 25. Nov. A. 1589. *Jenæ* cum tribus aliis Theologis Doctor ſolenniter renuntiatus, triduo poſt ibidem â Principis Legatis ad S. Theologiæ Profeſſionem ſuſcipiendam invitatus, cum ſcriptim annuiſſet, Academiæ *Jenenſis* Theologiæ Profeſſor publicus, ejusdem Eccleſiæ Paſtor, & vicinarum Superintendens conſtitutus, & *Jenam* cum Uxore & liberis venit 17. April. A. 1590.

Ibi tandem morte beatâ vitam clauſit 22. Moritur. Junii A. C. 1600. æt. 53.

* *Ex Programm. fun.*

M. Adrian. Beyer in Nomenclatore Profeſſorum Jenenſium hoc ei ſcripſit Epigramma:

Epigramma.
Ad ſummos Samuel Fiſcherus ſcandit honores,
Quos benè Philoſophi Theologique merent.
Hunc dicit Sophies celebris Witteberga Magiſtrum,
Doctorem Euſebies Jenaque noſtra vocat.

Caſp. Cunradus Med. Proſopograph. Melicæ Millenar. II. ita eum laudat:

Salanum, Præſes ſacrorum pervigil, agmen
Et benè vivendo, & ritè docendo rego.

Obiit A. C. 1600.

DAVID CHYTRÆUS.

Natus eſt *Ingelfingæ*, *Sueviæ* oppido 26. Febr. A. 1530. Matre *Barbarâ Neibergenſi*.

Filius Paſtoris. Pater ejus, *Matthæus* Kochhafe/ *Brackenchemii*, oppido *Wirtenbergico*, natus, cum *Tubingæ* 5. annos literis operam dediſſet, *Ingelfingæ* annis 5. Eccleſiam docuit, deindè in *Graichgoiæ* oppido *Mentzingâ*, 30. annos Evangelii doctrinam docendo, ad finem vitæ permanſit.

Ab hoc *David Chytræus* anno ætatis ſeptimo in Scholâ vicinâ *Gemmingenſi* Paſtoris *Wolffgangi Buſii* inſtitutioni privatæ traditus, & elapſo biennio *Tubingam* translatus eſt, ubi decoratus jam puer titulo Baccalaurei, *Joach. Camerarium* in Linguâ Latinâ & Græcâ, in Mathematicis *Joh. Scheurelium*, in Phyſicâ *Jacobum Scheckium*, & in Theol. *Erhardum Snepffium* diligenter audivit, Commilitones ibi habuit: *Georgium Liblerum*, *Jacobum Andreæ*, *Theodorum Snepffium*, & alios.

Puer Baccalaureus.

Magiſter Philoſophiæ 15. annorum. Ibidem etiam anno ætatis 15. Magiſter Philoſophiæ renuntiatus eſt.

Eodem anno 1545. ſtudiorum ſumtus liberaliter præbente *Petro à Mentzingen*, Equite aurato, *Wittenbergam* ſe contulit, â *Philippo Melanchthone* in commune Muſæum receptus.

Melanchthonem audit.

Cum autem tunc *Chytræum*, *Melanchthon*, juvenem cum admiratione intuitus eſſet: *Esne tu*, inquit, *Magiſter artium?* Cui *Chytræus* reſpondit modeſtè: *equidem eo honore Præceptores mei Tubingæ me, juvenem, fateor, affecêre*; Tum cum profectus *Chytræi Melanchthon* in Græcis & aliis vidiſſet, non ſine affectu reſpondit: *Tu*, inquit, *meritò es Magiſter: ac mihi quidem poſthac filii loco eris.*

Nov. A. 1546. Cum Academia *Wittenberg.* ob bellum â *Carolo V.* motum, diſſiparetur, *Heidelbergam* venit, ubi â *Gervaſio Marſtallero* Hebrææ linguæ elementa didicit: deindè *Tubingam* reviſit, ubi *Philippum Imſerum*, *Johannis Stoffleri* diſcipulum, Mathemata docentem audivit. Heidelbergæ Hebraica diſcit.

Anno poſtmodùm vix elapſo in Academiam *Wittenbergenſem* in integrum reſtitutam reverſus eſt. A. 1548. Domeſticam Scholam aperiens & Aſtronomiæ initia docens, A. 1550. Aſſumto ſibi comite *M. Andreâ Martino Roſtochienſi*, poſteà Theol. Profeſſore, in *Italiam* iter ſuſcepit. In Italiam iter ſuſcipit.

A. 1551. *Roſtochium* vocatus, venit, & publicum docendi munus aggreſſus eſt, præmiſſâ oratione, ubi ſenes quidam ad Collegas dixerunt: *Hæc principia ſpem nobis faciunt melioris Scholæ.* Roſtochienſis Profeſſor.

Licet verò â variis tum expetitus fuerit, A. 1561. tamen ſumptibus Ducum *Megapolenſium Joh. Alberti* & *Ulrici*, evocato *Gryphiswaldiâ D.* Jacobo *Rungio*, Doctor Theologiæ ſolenniter renuntiatus eſt cum *Simone Pauli* & *Joh. Küttelio*.

A. 1566. Ducem *Ulricum* ad Comitia *Auguſtana* comitatus eſt. Ubi â multis iterum fuit expetitus *Chytræus*, verùm tantum abfuit, ut Princeps eum dimiſerit, ut potius arctius ſibi devinciendi cauſa, acceſſionem ſtipendii promiſerit, quam *Chytræus* non accepit. Ad Comitia Auguſtana venit. A multis expetitur.

A. 1569. Cum Imperator *Maximilianus II.* *Auſtriacis* Evangelii doctrinam cum *Auguſtanâ Confeſſione* congruentem indulſiſſet, per literas eò vocatus venit, menſesque aliquot in gravibus de Religione deliberationibus fidem ſuam non Proceribus ſolùm, ſed ipſi Imperatori probavit, edito libello, quo, quam doctrinæ & Adminiſtrationis Eccleſiaſticæ formam tradiderit, abundè demonſtravit.

A. 1571. Cum Duces *Megapol.* ſupremam ipſi Inſpectionem Eccleſiaſticam ejus Ducatûs obtuliſſent, gratiis actis modeſtè deprecatus eſt, nihilominus ſe id acturum ſuo loco promittens, ut in Eccleſiis doctrinæ puritas & concordia conſervaretur.

A. 1574. In *Styriam* venit, invitatus â Proceribus per Virum nobilem *Bernhardum Lercher* ad conſtituendas ibi Eccleſias ad normam *Auguſtanæ Confeſſionis*. In Styriâ Eccleſias conſtituit.

A. 1575. Evocatus â *Julio* Duce *Brunſuicenſi* Academiam *Helmſtettenſem* conſtituit, leges conſcribens Academiæ huic convenientes. Academiam Juliam fundat.

Indè vix domum reverſus, cum ab *Auguſto*, *Saxoniæ* Electore, ad deliberationem de concordiâ inter Eccleſias reformatas expetere-

Digitized by Google

teretur, 25. Maji *Torgam* appulit, ubi ſicut & annis ſeqq. *Magdeburgi*, *Tangermundæ* & *Interbaci* conſiliis Theologorum interfuit.

Roſtochii verò, præter Theologiam, Philoſophiam & Hiſtorias docuit, *Herodotum* etiam & *Thucydidem* interpretatus eſt. Fratris etiam *Nathanis Chytræi* tum adoleſcentis ſtudia gubernavit.

Seriem Actorum in *Comitiis Auguſtanis* A. 1530. ex diverſis ſcriptis *Lutheri*, *Melanchthonis* & aliorum, qui deliberationibus iſtis interfuerunt, congeſſit, undè *Hiſtoria Confeſſionis Auguſtanæ* originem traxit.

Appropinquante tandem ſenectâ, cum perpetuis ferè doloribus capitis, renum, & arthriticis conflictatus eſſet, accedente tandem catartho ſuffocativo inter pias preces

Moritur.

placidè Spiritum DEO reddidit 25. Junii A. 1600. æt. 70.

A. 1553. Uxorem duxit *Margaretham Laurentii Smedeſii* Senatoris *Roſtochienſis* filiam, quam A. 1571. amiſit, cum ex eâ liberos utriusque ſexus ſuſcepiſſet, & generos è duabus filiabus nactus eſſet *Joh. Frederum*, & *Joh. Georg. Godelmannum* J.C. Alteram deindè duxit *Margaretham*, *Conradi Pegelii* Mathem. Prof. filiam, quam ſuperſtitem reliquit cum duobus filiis *Ulrico* & *Davide*.

Vir cœterùm hic ad publicam ſalutem, conſilia ſua, ſtudia & labores retulit. A principibus *Megapolitanis* impetravit, ut Academiæ *Roſtochianæ* 3000. & quingentos aureos annuos ex ſalinis *Luneburgenſibus* adſignârint.

De rebus arduis non temerè judicium tulit, ſed prudenter omnia perpenſoque egit conſilio. Vita ejus ſpeculum fuit ſobrietatis, caſtitatis, beneficentiæ & veracitatis.

* *Ex Melch. Adami Vitis German. Theol.*

Obiit A. C. 1600.

JOHANNES CONRADUS ULMERUS.

Filius Senatoris.

NAtus eſt *Schafhuſiæ Helvetiorum*, ultimo Mart. A. 1519. Patre *Johanne Ulrico* ab *Ulm*, Senatore, Matre *Margaretha Thannerina Blittenbartenſi*.

Puer admodùm *Sebaſtianum Wagnerum*, cognomento *Hofmeiſteram*, contra ſuperſtitiones Pontificiorum concionantem audivit, coactum paulò pòſt *Schaphuſiâ* cedere *Baſileam*, deindè *Zofingam*, ubi ad finem vitæ Evangelium docuit.

Baſileæ literis operam dat.

Poſt jacta in patriâ literarum fundamenta, *Baſileam* miſſus eſt *Johannes Conradus Ulmerus*, ubi in Convictu vixit *Simonis Grynæi*, liberos ipſius informans.

Præceptores.

Audivit autem ibidem *Eraſmum Roterodamum*, *Grynæum*, *Oecolampadium*, *Myconium* & *Amberbachium*.

A. 1538. *Baſileâ Argentoratum* ſe contulit *Ulmerus*, docentesque ſedulò audivit, (ſtipendio munitus Senatûs *Schaphuſiani* triginta in ſingulos annos florenorum,) *Bucerum*, *Calvinum*, *Capitonem*, *Hedionem*, *Zellium* in Theologicis; *Sturmium* verò, *Daſypodium* & alios in humanioribus diſciplinis.

Wittebergæ audit Lutherum & alios.

A. 1541. *Wittebergam* ſe contulit, docentes auditurus *Lutherum*, *Melanchthonem*, *Pomeranum*, *Crucigerum*, *Juſtum Jonam* & alios, ibi autem anno ſequenti Magiſter renuntiatus eſt Philoſophiæ, competitoribus *Johanne Stigelio*, *Joh. Henrico Mejero*, *Bernenſi*, *Johanne Cratone Uratislavienſi*, Medico poſteà Cæſareo, & aliis.

Operâ Ulmeri Reineccenſis Eccleſia reformata.

A. 1543. Cum *Philippus* Comes *Reineccenſis*, Reformationem in Eccleſiis territorii ſui aggreſſurus, idoneum aliquem à Theologis *Wittebergenſibus* peteret, à *Luthero* & *Melanchthone* cum literis commendatitiis ad Comitem ablegatus *Ulmerus*, primam habuit Concionem feſto Epiphaniæ A. 1544. nec longè pòſt ceremoniæ Papatûs paulatim abrogatæ ſunt.

Erhardum Snepffium alit.

A. 1549. Tempore *Interimiſtico*, quo calamitates ſuſtinuit plurimas, *Erhardum Snepffium* Theologum in *Franconiam* à *Mattheo Caroloſtadio* deductum, tres clàm habuit aluitque menſes, donec per *Philippum* Comitem *Reineccenſem* Principibus *Saxoniæ* fuiſſet commendatus.

In patriâ docet.

A. 1566. In Patriam à Senatu vocatus, Eccleſiæ ad D. *Johannem* præfectus, Decanatûs etiam munus geſſit.

A. 1596. Cum in Concione paralyticum quiddam ipſi accidiſſet, quod & vocem & linguam impediret, à Senatu patrio, integro relicto ſalario, rude donatus eſt.

Moritur paralyticus.

Tandem verò A. 1600. Paralyſi omnem vocis uſum intercipiente, adeò ut cretâ, quæ vellet, notare neceſſe haberet, placidè obdormivit 7. Aug. A. ætat. 81.

Fuit autem & hic ſuo loco benè de Eccleſiâ meritus, in concionando methodum obſervare ſolitus *Paulinam*: ut referret ad doctrinam, ad redargutionem, ad inſtitutionem, & correctionem, & denique ad conſolationem.

Libros edidit:

Scripta.

Bericht von der Hochheit / Würden / fürtrefflichen Anſehen und Vollkommenheit heiliger Schrifft / ihren rechten Gebrauch / auch daß ſie hell und verſtändig ſey. in 8.

Symbola, oder der alte Glaub / das iſt / die fürnemſten Bekanntnüſſe deß Glaubens nach Ordnung der Jahr-Zahl. in 8.

Troſtſchrifft für angefochtene Hertzen / welche mit dem Laſt ihrer Sünden und mit ſchweren Gedancken geängſtiget werden. in 8.

Jeſuiter Spiegel / darinnen durch ein luſtig Geſpräch ihre Lehr / Glauben und Leben aus ihren eignen Schrifften für Augen geſtellt und widerlegt wird. in 4.

Symbola vet. Orthodoxorum Patrum. in 8.

Tractatum de Horologiis Sciotericis.

Evangelia Dominicalia tribus linguis.

Enchiridii Paſtoralis ſummam.

Homilias de Sacramento Cœnæ.

Geodeſiam.

Inter manuſcripta reliquit librum, cui titulum

tulum fecit: *Chorus Orthodoxus teſtium fidei catholicæ, de incarnatione verbi & ſacrâ Domini Cœnâ.*

* *Ex Melchioris Adami Vitis Germ. Theol. & aliis.*

Obiit A.C. 1600.

JOHANNES LUCENA.

In Societ. Jeſu puer receptus.

Natione *Luſitanus*, patriâ ex oppido *Tracoſo*, Diœceſis *Viſenſis*, puer 15. annorum in Collegio *Conimbricenſi* ad Jeſu Societatem admiſſus eſt, ipſo die Natalitio Jeſu A. 1565.

Deindè Philoſophicis atque Theologicis literis excultus eſt, magnamque bonarum artium ſcientiam conſecutus.

Philoſ. Profeſſor

Ariſtotelicas diſciplinas *Eborenſi* in Academiâ profeſſus eſt. Sed Oratoriâ maximè facultate excelluit.

Concionator inſignis.

Itaque de loco ſuperiori ad populum verba faciens, admirabili hominum concurſu, plauſu, fructuque audiebatur.

Quo in concionandi munere 20. annos magnâ cum laude poſuit, & ad extremum usque ſpiritum perſeveravit, quem in *D. Rodri* profeſſâ domo *Oliſiponenſi* piè ſanctèque effudit 2. Oct. A. C. 1600.

Scriptum.

Scripſit maternâ linguâ *De Vitâ P. Franciſci Xavier, deque rebus ipſo vivente in Indiâ geſtis Lib. X.*

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1600.

LUDOVICUS MOLINA.

Adoleſcens nomen Soc. Jeſu dedit

Theologiæ Profeſſor Eboræ.

Juris peritus.

Natione *Hiſpanus*, patriâ *Conchenſis*, vix adoleſcentiam ingreſſus, cum 18. eſſet annorum, nomen Chriſto in Societatem Jeſu dedit, in quâ Philoſophicas ac Theologicas literas feliciter didicit, & felicius docuit in *Eborenſi* Regni *Luſitaniæ* Academiâ, ubi per multos annos primas inter Profeſſores Theologos partes docendo tenuit, & *Aquinatem Thomam* eſt interpretatus. Poſteà animum ad ſtylum convertit, & Juris etiam peritus varia Scripta edidit.

Moritur

Vitâ exceſſit dyſenteriâ 12. Oct. A. C. 1600. æt. 65. *Madriti.*

Scripſit

Scripta.

Comment. in primam partem Thomæ Aquinat.

De Concordiâ Gratiæ & Liberi arbitrii Lib.

De Juſtitiâ & Jure Tom. VI. in quibus tanta apparet Juris Civilis cognitio, ut mirum ſit, hominem, qui in Theologicis ſtudiis totam penè ætatem contrivit, tantam conſecutum fuiſſe Juris ſcientiam, eamque tam exactè tradere potuiſſe.

Reliquit etiam *duos* alios *Tomos* ad *Juriſprudentiam pertinentes*, ſed quos limare, & abſolvere morte interceptus non potuit.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

BARTHOLOMÆUS MEYERUS.

Obiit A.C. 1600.

Alfeldiæ Heſſorum natus, primis literarum fundamentis in patriâ poſitis, primo ætatis ſuæ tempore in ſtudiis literarum *Marpurgi* conſumpto, cum eſſet feliciſſimi ingenii, omnes in ſtudiis fecit progreſſus, ut 21. ætatis anno itidem honores adeptus Scholaſticos publicè privatimque cum laude docere cœperit.

Literis autem Divinis impensè deditus quidem, Grammatices tamen tàm Græcæ quàm Latinæ atque rudimentorum Mathematicorum egit Profeſſorem. Phyſicam dein aliquandiu profeſſus cum eſſet, injunctum tandem illi jam tùm ætatis anno 26. Concionatoris Teutonici ordinis vices ſuſtinenti, ut unà cum *Lonicero* Theologiam deinceps doceret, & *Pſalmos* Theologiæ ſtudioſis interpretaretur.

Profeſſor Theologiæ Marpurgi.

Interrupit tamen opus *Philippus Heſſorum* Princeps, & Rectoratum, qui nuper Calend. Jan. ei commiſſus fuerat, eò quod Virum *Marpurgo Caſſellas* X. Maji avocârit, ut Concionatorem primùm aulicum ac deindè Superintendentem ibidem ageret, vices ejus *Marpurgi* ſubeunte *Wigando Happelio*.

Concionator Aulicus Superintendens.

Obiit ibidem tribus annis Septuagenario major A. 1600. Octob. 16.

* *Ex MSS. Marpurgenſibus.*

JOHANNES BAPTISTA VELATUS.

Obiit A.C. 1601.

Natione *Italus*, patriâ *Pedamontanus*, ex *Caſtello*, cui nomen eſt *Clevacora*, adoleſcens à Patre *Ignatio* in Societatem Jeſu *Romæ* admiſſus & ad pietatem inſtitutus eſt.

Societatis Jeſu membrum.

Deindè bonis literis excultus, literas humaniores in Societate docuit. Superioris ſæpè & Concionatoris munere perdiu functus eſt, & in ſenectute bonâ propè octogenarius quievit in pace A. C. 1601.

Superior & Concionator.

Scripſit Italicè:

Scripta.

Introductionem ad vitam Spiritualem, & perfectionem Chriſtianam, pro ſingulis ſtatibus conjugatorum, continentium, viduarum, virginum, & Religioſorum, cum Practicâ Spirituali communi omnibus.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societ. Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

PETRUS BACHERIUS.

Obiit A.C. 1601.

Gandenſis Dominicanus; Theologus, Doctor *Lovanienſis*, Poëta elegans & fluidus, Eccleſiaſtes eximius, ingenio excellens, Græcè & Latinè doctus.

Monachus & Concionator.

Hæreticorum opiniones *Bruxellis*, *Antverpiæ*, *Gandavi*, *Hagæ Comitis*, *Dordraci*, *Calcariæ Clivorum*, aliiſque in locis annos fermè 20. retudit de ſuperiore loco. Prior ſuis variis in locis præfuit.

Exceſſit *Gandavi* Vir pius prid. Id. Febr. A.C. 1601. ætatis 84.

Digitized by Google

Caſp. Cunradus Med. D. in Proſopographiâ melicâ hoc ei ſcripſit Diſtichon.

Bacherium rectè bacchantem dixit Alethe:
In Bezæ Muſas voce metroque furit.

Hoc ſibi Epitaphium in extremis decantavit:

Epitaphium.

Si canitur niveis ſub mortem nænia cygnis,
Dum premit innocuum longa ſenecta caput;
Cur mihi non liceat, triplices mea fata ſorores
Dum truncant, proprias concinere exequias?
Intempeſtivis albeſcunt tempora canis,
Utraque quin frontem ruga ſenilis arat.
Caligant oculi, ſunt hæc prœludia mortis,
Torpent officio peſque manuſque ſuo.
Ganda vale, fratreſque valete, valete propinqui,
Liber ab exilio regna paterna ſequor.
Conſequar hæc meritis Chriſti, rogo: ſublevat ægram
Spes mentem, trepidis anchora firma viris.
Sæpe per infeſtos ſcopulos & naufraga ſaxa
Noſtra eſt inſanis cymba rotata notbis:
Non tamen à vero me devius abſtulit error
Dogmate tentata eſt non temerata fides.
Sæpè, (fatebor enim;) peccati nectare captus
Neglexi æterni juſſa verenda DEI.
Da veniam faſſo, pavidæque illabere menti:
Vulnera vulneribus dilue, Chriſte, tuis.
Diſcute mortales nebulas, Dominator Olympi,
Migrantemque animam quâ potes arte juva.
Lux perit, intereà mors urget, corporis hujus
Exuvias viridi ſuſcipe terra ſinu.
Sic placuit Cyro viridanti in gramine condi,
Rex tantus tumuli ſaxa operoſa fugit.
Hic locus arridet, majorum hîc oſſa quieſcunt:
BUNDERII cineres, GRUTERIIQUE patris.
Jungo RIGERMANNUM, SILVANUM, WINCHUSIUMQUE,
Ætate & meritis eloquioque pares.
Non ego CORANUM, non te RUFELANDE ſilebo,
Olim nam impensè favit uterque mihi.

Scripta ejus ſunt:

Scripta.

Speculum militiæ Chriſtianæ.
Apologeticum pro defunctis.
Tumultus Panicus, ſive Belgicus, Carmine Heroico.
Concio de Oratione.
Tabula Sacrorum Carminum ex 120. Poëtis.
De tribus votis vitæ Monaſticæ.
Spongia in Ebrioſos.
Hortulus Precum.
Enchiridion Sacror. Carminum, & piarum Precum Lib. III.
Homiliæ in Evangelia Dominicalia, & in Epiſtolas Quadrageſimales.
De tribus partibus Pœnitentiæ, Contritione, Confeſſione, & Satisfactione:
Tractatus brevis ſuper Oratione Dominicâ.
In Miſoliturgos, ſeu Miſſæ Oſores.
De Chriſtiani Principis vitâ, moribus, officio M. S.
Enchiridion Theol. paſtoralis.
Dialogus inter Cenophilum & conjugem Eulaliam.
Clangor Pœnitentiæ.
Jurgium conjugale, duobus Dialogis comprebenſum.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

ALEXANDER NOWELLUS.

Obiit A.C. 1601.

PAtriâ *Lancaſtrienſis*, natus eſt circa A.C. 1512.

Theologiæ Doctor *Marianis* temporibus propter Chriſtum exulans, reducum primus veram Religionem Scriptis & Concionibus aſſeruit.

Evangelii Præco fuit ad *S. Eliſabetham* per annos 30. continuos, Patronus Scholæ *Middletonianæ*, & Diaconus Ædis *Paulinæ Londini*. Paſtor Eccleſiæ Lond.

Obiit 13. Febr. A. C. 1601. nonagenarius, cum nec animi nec corporis oculi caligarent. Moritur.

Libros edidit:

Scripta.

Contra Thomam Dormannum Anglo-Papiſtam Libr. II. Anglicè.
Catechiſmum majorem & minorem.

* *Ex Heroologiâ Anglicâ.*

NICOLAUS GRAMMANUS.

Obiit A.C. 1601.

HElmeritii vico *Marchionatûs Brandenburgici* ſuper. natus eſt in S. nativ. Chriſti feſto A. C. 1541. Patre *Johanne*, ejus loci ſutore & ſenatore, qui brevi pòſt, relictis 11. liberis ex hâc vitâ migravit.

Ideò filius hic ob inopiam bubulco inſervire coactus, cum in eo Paſtor Eccleſiæ felix ingenium obſervaſſet, in Scholam miſſus, & domi in Grammaticâ fuit informatus. In pueritiâ bubulcus.

A. ætatis 15. promotus in Scholam *Curienſem*, triennium ibi apud civem quendam ſuſtentatus miſerè tranſegit.

A. 1564. Cum Marchio *Culmbacenſis* à Superintendente ſpeciali petiiſſet, ut adoleſcentem ſtipendio Academico idoneum *Onolsbacum* ad examen mitteret, *Grammanus* hic à *D. Johanne Streitbergero* miſſus, prægreſſo examine mox *Wittenbergam* ablegatus, Principis ſui primus Stipendiarius in eâ Academiâ factus eſt. Stipendiarius March. Brand. Wittebergæ.

In hâc quinquennio ſtudiis operam dans, A. 1567. ope *D. Pauli Eberi* patroni ſui Philoſophiæ Magiſter renuntiatus eſt. Magiſter Philoſophiæ.

2. Jan. A. 1569. *Curiam* ad Eccleſiæ Diaconatum evocatus, brevi pòſt deſponſatus eſt cum virgine *Margarethâ*, *Georgii Majeri*, civis *Curienſis* filiâ, ex quâ 6. filios & 4. filias ſuſcepit, ſed 4. tantùm filios, duaſque filias reliquit ſuperſtites. Tres habuit uxores.

A. 1575. *Culmbaci* Diaconus, & tandem A. 1577. poſt obitum *Georgii Thileni*, ſpecialis Diaconus, & Superintendens ſpecialis Culmbaci.

cialis ibidem Superintendens factus, in eo munere 24. annos exegit.

A. 1590. Alteram duxit uxorem *Apolloniam, Wolfgangi Froſchii*, Præpoſiti *Himmelcronenſis* filiam, quæ 6. ei liberos peperit, omnes in primâ ætate denatos.

A. 1597. tertiâ vice deſponſatus eſt cum *Margarethâ*, viduâ *Melch. Rödelii*, Syndici *Brichſenſtadenſis* in *Franconiâ*, & filiâ *M. Johannis Schnabelii* Theol. quam ſine liberis reliquit viduam.

Moritur. Aſthmate tandem periodico conſumptus, exſpiravit *Culmbaci* 2. April A.C. 1601. ætatis 60.

* *Ex Concione fun. Viti Albini Diaconi Culmbac.*

Obiit A.C. 1601.

HENRICUS RENTZIUS.

W*Inſpergæ*, oppido Ducatûs *Würtenbergici*, natus eſt die *Laurentii* A. C. 1529. Patre *Ulrico Rentzio* Cellario, Matre *Euphroſynâ Megenhartiâ*.

Cum in Scholâ patriâ literarum primitias percepiſſet, Pater filio huic ſuo ſtudiis deſtinato ſtipendium â Dom. *Winspergæ* obtinuit, eumque Epiſcopo *Herbipolenſi* in ſacris confirmandum præſentavit, nam Canonicus quidam *Backnangæ* habitans, ortu *Megenbartus*, *Henricum* ſuum, ſi ſacris operam daret, hæredem ſibi deſtinaverat, is verò cum percepiſſet, cognatum â *Patre* ſuo *Ulrico*, poſt ortam Evangelii lucem, in Academiam *Tubingenſem* miſſum fuiſſe, irâ exardeſcens agnatam ſuam, *Henrici Rentzii* matrem, Teſtamento mutato, prorſus ab hæreditate excluſit.

Sacris Pontificiis deſtinatus.

Miſſus autem â Parentibus in pædagogium *Stutgardianum*, in eo ſtudiis inſudavit usque ad A. 1547. quo, reformatis â Duce *Ulrico* Eccleſiis *Würtenbergicis*, in Academiam *Tubingenſem* promotus & Ducis Stipendiariis fuit aſſociatus.

Stutgardiæ literis initiatus.

Ibi 7. Martii A. 1548. Baccalaureus, & 4. Febr. A. 1551. Magiſter Artium renuntiatus, mox Inſpector Stipendiariorum & Repetens factus eſt. A. 1554. Eccleſiæ *Brackenheimenſis* Diaconus, per triennium ibi cœlebs verbum DEI docuit.

Tubingæ Baccalaureus & Magiſter. Diaconus Brackenheimenſis, & Luſtnavienſis. Deſponſatus.

A. C. 1557. Promotus ad Diaconatum *Luſtnavienſem*, *Tubingæ* vicinum, ibi deſponſatus eſt cum virgine *Mariâ M. Caſp. Greteri*, Concionatoris aulici *Stutgardiæ* filiâ.

Exindè Lectiones & Diſputationes Theologicas in Academiâ *Tubingenſ.* ſedulus acceſſit, Doctoris Theol. gradum aſſumere cupidus.

Id cum Patri diſplicuiſſet, A. 1560. *Luſtnaviâ* diſcedens, in Paſtoratum *Winedenſem* â Duce clementer admiſſus, ultra ſeptennium Eccleſiam illam cum laude docuit, usque dum A. 1567. circa feſtum Pentecoſtes Abbas & Prælatus Cœnobii ad *S. Georgium*, unâque Ducis *Würtenbergici* Conſiliarius fuit denominatus.

Paſtor Eccleſiæ Winedenſis.

Abbas Cœnobii S. Georgii. Superintendens ſpecialis.

Cum verò Superintendentis etiam ſpecialis munus ipſi fuiſſet injunctum, bis quotannis Abbas ipſe ſecundus cœnobii *Georgiani* Evangelicus Eccleſias ſibi vicinas cum Cœnobiis nondum penitùs â Papatu reformatis magno cum labore viſitavit, Scholasque direxit.

In munere ſuo Eccleſiaſtico fidelem ſe præbuit DEI miniſtrum usque ad A.C. 1599. æt. 70. quo propter ſenium debilitatus, â Duce *Würtenberg. Friderico* clementer dimiſſus, *Nurtingam* ad generum & filiæ ſuæ *Eleonoræ* maritum, *M. Alexandrum Wolfartum*, Eccleſiæ *Nurting.* Paſtorem ſe contulit.

Senex dimiſſus, Nurtingam diſceſſit.

Cum conjuge ſua 44. annos exegit, quæ 5. filios, & 9. filias ei peperit, ê quibus duos filios reliquit ſuperſtites, *M. Erneſtum Rentzium*, Paſtorem Eccleſiæ *Echterdenſem*, & *M. Ottonem Johannem*, Theol. ſtudioſum & Stipendiarium *Tubingenſem*. Sex verò filias vivens totidem Theologis elocavit, generis ſuis, M. nimirum *Jacobo Lieblero*, Concionatori Ratisbonenſi, M. *Alexandro Wolfarto* Paſtori *Nurtingenſi*, M. *Alexandro Voringero* Paſtori *Roſenfeldenſi*, M. *Petro Mendlino* Paſtori *Heimingenſi*, M. *Jacobo Bloſio* Paſtori *Buſſingenſi*, & M. *Joh. Henrico Crebero* Paſtori *Dachtelenſi*.

Duo ejus filii, & 6. generi Paſtores Eccleſiar.

Viribus tandem ſenſim conſumptis, paucis ante obitum horis ſopore profundo obrutus, placidè obdormit *Nurtingæ* 2. Sept. A. C. 1601. æt. 72.

Moritur.

* *Ex Concione fun. M. Henrici Dauberi Diaconi Nurting.*

Diſtichon numerale continens Menſem, Diem, & Annum obitûs:

ALtera LVX VbI SepteMbrIs LVgenda reſVLsIt,
OCCVbVIt Letho RentzIVs ILLe pater.

Præco, Pater, ſervus; ſonui, fovi, coluique;
Sacra, Scholam, Chriſtum; Voce, rigore, fide.
Ortum, artem, cathedram; Weinsperga, Tubinga, Georgus;
Dat, tribuit, mandat; Corpore, mente, fide.
Famam, animam, corpus; diſpergit, recreat, abdit;
Virtus, Chriſtus, humus; laude, ſalute, ſinu.

Parentabat M. Daniel Cober diſcipulus.

Clar. A.C. 1601.

VALENTINUS VIDAVIUS.

COgnomen â natali ſolo *Vidavâ*, inſigni *Siradienſis* terræ oppido, mutuatus, excellenti fuit ingenio, ut non â patriâ decus mutuari, ſed ipſe præſtare videretur.

Principiis Grammatices domi imbutus, ubi per ætatem licuit, ad Academiam *Cracovienſem* perrexit, in diſciplinam ſeſe *Stanislai Grepſii* tradidit, quo informante ac promovente cum *Simone Sirenio*, *Martino Viasdovio*, *Bartol. Vargocio*, aliisque viris clariſſi-

Philoſ. Baccalaur. & Magiſter Crac.

tiſſimis, ſub *Joſepho Urendovio*, Artiſticæ facultatis Decano, primam in artibus lauream unà obtinuit.

Tandem in Magiſtrum promotus, ſummâque Profeſſionis Theologicæ temporis ſucceſſu laureâ donatus, atque in autoribus tum ſacris tum profanis egregiè verſatus, ſupremam diu ſcientiam Theologicam magno auditorum concurſu explicavit.

Theologiæ Doctor & Profeſſor.

Vitâ defunctum *Joh. Clobucius* Oratione laudavit.

Conditus jacet in æde Sanctorum omnium, tabulâ marmoreâ ſupra fores Sacriſtiæ cum hâc Epigraphe appenſâ:

Epitaphium.

REVERENDO AC CLARISSIMO DOMINO M. VALENTINO VIDAVIO PHILOS. ET S. T. D. S. FLORIANI DECANO, HUJUS ECCLESIÆ PRÆPOSITO, AC ALMÆ UNIVERSITATIS CRAC. ALIQUOTIES RECTORI, VIRO SPECTATÆ VITÆ, PROFESSORI DOCTISSIMO, DE ECCLESIA DEI BENE MERITO, VIVUS ENIM HANC ECCLESIAM STRUCTURA NOVA ORGANORUM, QUÆ IGNI ERANT CONSUMPTA, ORNAVIT, PAVIMENTUM DEPRESSUM EREXIT, SUBSELLIIS CONDECOR. PRÆPOSITURÆ PROVENTUS IMPLICATOS SUA DILIGEN. AUXIT, EXECUTORES HOC MONUMENTUM POSUERUNT. VIVAT DEO. OBIIT A. D. M DCI. DIE XII. NOV. ÆTATIS LIX.

Scripſit:

Scripta.

Librum de Indulgentiis, contra negantes eas poſſe jure aliquo fieri.

Orationes duas, in quarum unâ Scholaſticam Theologiam, in alterâ Martinum Pilsnenſem defunctum laudavit.

* *Ex Vitis Centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolscii.*

PETRUS THYRÆUS.

Obiit A.C. 1601.

PAtriâ *Noveſienſis*, diœceſis *Colonienſis*, Soc. Jeſu Presbyter, vir, in quo virtus cum doctrinâ, ingenium cum aſſiduâ legendi aviditate certavit.

Societatis Jeſu Presbyter.

In Academiis *Trevirenſi*, *Moguntinâ* & *Herbipolenſi* per 27. annos continuos Profeſſor, fatalem complevit diem *Herbipoli*, 9. menſium tabe 3. Decemb. A. C. 1601.

Theologiæ Profeſſor.

Scripſit:

Scripta.

Loca infeſta, hoc eſt, *De infeſtis, ob moleſtantes dæmoniorum & defunctorum hominum ſpiritûs, locis*: in quo ſpirituum infeſtantium genera, conditiones, vires, diſcrimina, opera mala, quæ viventibus afferunt, rationes item, quibus partim cognoſcuntur, partim proſcribuntur, modi denique, quibus loca ab ipſorum moleſtiâ liberantur, iiſque ſimilia diſcutiuntur, & explicantur.

De terrificationibus nocturniſque tumultibus, quæ hominum mortes portendere ſolent.

De Apparitionibus Spirituum Tract. II. quorum prior agit *de apparitionibus omnis generis, ſpirituum, DEI, Angelor. dæmonum, & animarum humanarum Lib. I.* Poſterior continet *Divinarum, ſeu Dei in teſtamento veteri apparitionum, & locutionum tàm externarum quàm internarum Lib. IV.*

Divinarum novi Teſtamenti Apparitionum Lib. III.

De ſacrorum hominum continentiâ.

De novo & falſo Antichriſto.

De clandeſtinis Matrimoniis.

Diſputationes duas de verâ fide, in quibus demonſtratur, *eam non eſſe in Proteſtantium Eccleſiis.*

De Sacramentali Confeſſione.

Diſputationes de Poteſtate Eccleſiæ.

De Sanctorum invocatione.

De feſto Corporis Chriſti, & de Deo in Sacram. Euchariſtiæ adorando.

Examen Apologeticum Theſium Danielis Toſſani Theol. Heid.

De legitimo Sanctorum cultu, deque imaginum conſecratione.

De jure vocationis & miſſionis Miniſtrorum in Pſeudo-Evangelicorum Eccleſiâ.

De multiplicibus Suffragiis, quibus piè defunctorum Spiritûs juvantur à viventib.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii, Et ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

LUCAS TRELCATIUS PATER.

Obiit A.C. 1602.

E*Rini*, in agro *Atrebatico* natus eſt, non procul *Duaco* A. C. 1542.

Duaci curâ materteræ Abbatiſſæ cujuſdam educatus, *Lutetiam* miſſus eſt, ubi religionis purioris amore accenſus, materteræ beneficiis renuntiavit, & mercatoribus quibuſdam Inſulanis operam addixit.

Papatui renuntians fit Mercator.

A. 1570. *Lutetiâ Aureliam*, & indè *Sancerram* abivit, *Londini*, tandem in *Angliâ* Ludum Linguæ Latinæ aperuit, & 8. annos ibi exegit.

Ludi moderator Londini.

In patriam reverſus, Eccleſiæ *Gallicæ Lugduni Batavor.* ſe addixit, & biennio pòſt etiam Theol. Profeſſor ibi conſtitutus eſt A. 1587.

Miniſter Eccleſiæ Gall. & Theologiæ Profeſſor Lugd.

Tandem peſte rebus humanis exemtus eſt A. C. 1602. æt. 60.

Edidit:

Scriptum.

Synopſin Theologiæ.

* *Ex Vitis Profeſſor. Leydens.*

CONRADUS BAUERSCHMIED.

Obiit A.C. 1601.

DIaconus primùm in *Weiſmann*, deindè Diaconus, & non longè pòſt Paſtor in *Pegnitz* Marchionatus *Brand. Super.* oppido, atque interjecto trium annorum intervallo Paſtor in Géeß evaſit, cui functioni per longum temporis tractum præfuit, usque dum A. 1574. in urbe *Baruthinâ* Xenodochii Concionator, atq; ſubſequenti tempore Archidiaconus ibidem, & venerandi Capituli Camerarius conſtitutus, & de-

Archidiaconus Baruthi.

demum A. 1590. poſt obitum *Laurentii Codomanni*, à Sereniſs. Principe Marchione *Brandenburgico*, ad Superintendentis munus obeundum clementer vocatus eſt, quam ſpartam ad annum uſque 1602. exornavit.

Superint. Barut.

Cum enim eo anno funeſta peſtis omnes urbis *Baruthinæ* focos velut Harpyæ ſuo contactu fœdâſſet, & ultra 1000. civium abſumpſiſſet, ipſe etiam unà cum *Juſto Zimmermanno* & M. *Johanne Eccio*, Eccleſiæ *Baruthinæ* Diaconis ex hoc morbo deceſſit.

Peſte obiit.

* *Ex Oratione de Superintendentibus Baruthinis Ludov. Liebhardi.*

DANIEL TOSSANUS.

Obiit A.C. 1602.

NAtus eſt *Montbelgardi* A. 1541. 15. Julii, Patre *Petro Toſſano* Theologo, ex *Epiſtolis Eraſmi, Calvini, & Bezæ* noto. Matre *Johannâ Timckottâ*, civis *Montpel.* filiâ.

Filius Theologi.

A. 1555. Adoleſcens *Baſileam* miſſus, biennium ibi in ſtudiis transegit.

Literis operam dat Baſileæ & Tubingæ.

A. 1557. M. Oct. *Tubingam*, juſſu patris, venit, ubi eum *Chriſtophorus* Dux *Wirtenberg.* in gratiam patris de Eccleſiâ *Montbelg.* benè meriti ultra biennium in ſtudiis aluit, in quibus adeò feliciter brevi tempore profecit, ut Magiſter ibidem Philoſophiæ creatus eſſet.

A. 1559. *Montbelgardum* à patre revocatus, ſpatio ſemeſtri Germanicâ & Gallicâ linguâ concionando ſe exercuit.

Docet Montbelgardi.

Aureliam deindè venit, ubi linguam Hebræam publicè profitendo docuit, mox ab Eccleſiâ Diaconi ipſi munus impoſitum fuit ætatis ſuæ anno 23. Nuptias autem celebravit ibidem cum virgine *Mariâ*, *Philiberti Caveti*, Advocati Curiæ *Pariſ.* filiâ A. 1565. 19. Martii, quam *Heidelbergæ* amiſit 19. Martii A. 1587. Decennio autem, quo Aureliæ Miniſter Eccleſiæ *Toſſanus* fuit, varia mortis pericula DEI favore evaſit, dum A. 1563. Urbe à *Franciſco Guiſio* obſeſsâ in eâ manſit.

Nuptias celebrat.

Pericula Toſſani.

A. 1568. Cœtus fidelium dum conveniret, in viis bombardarum ictibus à militibus præſidiariis petitus, & horreum, quo loco Templi uſi ſunt, exuſtum eſt.

M. Sept. ſeq. Omnibus locis, quibus Reformati ad cultum Divinum uſi, exuſtis, ultra 800. fideles nefariè trucidati ſunt. *Toſſanus* noctu urbe emiſſus, *Argimontem* ad *Renatam Lud. XII. Gall. Regis* filiam, viduam *Alfonſi* Ducis *Ferrar.* venit, ubi cum multis fidelibus tutum aſylum reperit. Uxor paulò pòſt per medios hoſtes ibidem incolumis appulit, & filiam enixa eſt, quam Duciſſa ex S. fonte ſuſceptam de ſuo nomine appellari voluit.

Varia.

Menſe verò Mart. A. 1569. Cum ibi diutiùs ſubſiſtere non liceret, *Sancerram* petiit, ubi annum commoratus, *Montbelgartum* regreſſus, annum integrum patrem annis gravem concionando ſublevavit.

Sed cum ideò lis ipſi moveretur à Theologis *Wirtenbergenſibus*, A. 1571. *Aureliam* reverſus, & in arce quâdam non procul ab urbe nobilis Viri *Hieron. Groslotii*, qui in laniena *Pariſ.* periit, A. ſeq. Miniſterium exercuit.

A. 1572. Poſt varia pericula furorem Pontificiorum in *Galliâ* elapſus, *Heidelbergam* cum familiâ venit, & Electori *Friderico III.* à Sacris concionibus eſſe cœpit. A. 1576. Mortuo Electore indè cum aliis dimiſſus, *Neoſtadii*, juſſu *Joh. Caſimiri*, Eccleſiam rexit, & in Scholâ Sacra docuit.

Heidelbergæ docet.

Heidelbergæ dein Doctor Theol. & Profeſſor factus eſt in locum *J. J. Grynæi* A. 1586. Cùm eo poſt mortem Elect. *Ludovici* A. 1583. revocatus fuiſſet.

Theologiæ Doctor & Profeſſor.

9. Nov. A. 1588. Tranſiit ad ſecundas nuptias cum viduâ *D. Pintei de Capellâ*, qui olim Principi *Ludov. Condæo*, à S. Concionibus fuit.

Secundas celebrat nuptias.

A. 1594. Communibus omnium ſuffragiis Rector Academiæ in ſequentem annum deſignatus eſt. A. 1596. gravis licet peſtilentiæ lues Academiam diſſipaſſet *Heidelbergenſem*, *Toſſanus* tamen reſtitit, & non ſolùm Eccleſiam diviniſſimis concionibus, ſed etiam reliquias auditorum in Academiâ Pœnitentialium Pſalmorum explicatione ſolatus eſt.

Mortuus tandem eſt *Heidelb.* A. 1602. æt. 61. 10. Januarii, cum 6. præcedentis adhuc in Templo concionem habuiſſet, per triduum verò catarrho & febri laborâſſet, & 22. Dec. A. prægreſſi Profeſſionem Theologicam reſignâſſet.

Moritur.

Sepultus autem *Heidelbergæ* eſt in Templo S. Petri 13. Januarii cum Epitaphio ejusmodi.

DANIELI TOSSANO PETRI FILIO MOMBELGARDENSI S. THEOLOGIÆ DOCTORI, ET FIDELI CHRISTI SERVO, VERITATISQUE COELESTIS EXPLICATORI ET PROFESSORI INDUSTRIO, ACRIQUE EJUSDEM PROPUGNATORI, TUM AURELIÆ IN GALLIIS, TUM IN PALATINATU GERMANIÆ AD RHENUM, PARTIM NEOSTADII PARTIM HEIDELBERGÆ PER ANNOS FERME QUADRAGINTA. VIRO PIETATE, STUDIO ORTHODOXÆ RELIGIONIS, ELOQUENTIA, JUDICII DEXTERITATE, VITÆ INTEGRITATE, HUMANITATE, BENIGNITATE ERGA OMNES, INPRIMIS ERGA FIDEI CONSORTES PRÆCELLENTI, PIE ET SANCTE IN VERA DEI INVOCATIONE, ET CHRISTIANÆ FIDEI CONFESSIONE, POST FRUCTUOSE EXANTLATOS HONESTISSIMÆ FUNCTIONIS LABORES MORTUO IV. IDUS JANUARII A. M DC II. CUM VIXISSET ANNOS LX. MENSES V. DIES XXVI. FILII ET GENERI SUPERSTITES HOC MONUMENTUM PONENDUM CURARUNT.

Epitaphium.

Libros edidit:

Troſtſchrifft an alle Chriſten/ ſo von wegen der reinen Lehr von Sacramenten/ und beſonder deß H. Abendmals angefochten werden/ ſamt einem Bericht/ was doch die Gründ unſerer Lehr ſeyen/ und

Scripta.

Und ob dieſelbige im wenigſten alſo geſchaffen / das man uns verdammen und nicht leiden ſoll. in 8.

Verantwortung der reinen Lehr vom H. Nachtmal wider D. Johann Marbach. in 8.

Betbüchlein oder Ubung der Chriſtlichen Seel. in 12.

Chriſtlicher Bericht vom hohen Alter deß Menſchen. in 8.

Orthodoxarum Eccleſiarum Doctrinam de Baptiſmo. in 4.

Deß Schwindel-Geiſts eigentliche Merkzeichen in dem unruhigen Mann Samuel Huber / der ſich wider den ewigen und gerechten Rath Gottes zu einen Fürſprecher der Verworffenen und Verdammten aufgeworffen hat. in 4.

Doctrinam de Prædeſtinatione brevibus quæſtionibus comprehenſam. in 4.

Paſtorem Evangelicum, ſive de legitimâ Paſtorum Evangelicor. vocatione. in 8.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Germ. Theol. & aliis.*

Obiit A.C. 1602.

JOHANNES KLAINAVIUS.

NOrimbergæ natus eſt 3. Febr. A. C. 1527. Patre cognomine *Dantiſcano*, aurifabro. A. 1540. ætatis 13. in xenodochio patriæ 12. alumnis adſcriptus, *Mich. Rotingum*, ſocerum poſteà ſuum, & *Joh. Schonerum* diligenter audivit docentes.

Unus ex 12. alumnis Nov.

A. 1544. *Wittenbergam* diſcedens ibi A. 1549. Magiſter artium liberalium creatus eſt. Ibidem A. 1550. Miniſterio ſacro per manuum impoſitionem à *D. Bugenhagio* initiatus, anno ſeq. Philippi Comitis *Waldeccenſis* Concionator aulicus factus eſt.

Magiſter Witt.

Concionator aul. Waldecc.

Sed cum ipſi vita aulica diſpliceret, A. 1552. reverſus in patriam, Diaconi munus ad *S. Ægidium* ſuſcepit. A. 1553. Cum virgine *Dorotheâ Hochſpingeriâ* deſponſatus, mox anno ſequenti *Neagoram* à Senatu vocatus Concionatoris ibi munere functus eſt uſque ad A. C. 1562. quo clementer vocante Dom. *Wolfgango* Com. *Palatino Neoburgi* Concionator ad *S. Petrum*, & Conſilian. Eccleſiaſticus declaratus eſt, & A. 1569. Superintendens. A. 1574. Exindè juſſu Principis ſui *Ratisbonam* venit, ad diſſidia Theologorum *Flaccianiſmo* faventium componenda.

Noribergæ Diaconus.

Concionator Neagoræ.

Conſil. Eccleſiaſt. Neoburgi.

Neoburgum reverſus, vitam morte beatâ finiit 13. Febr. A. C. 1602. ætatis 76.

Moritur.

In Templo ad S. Petrum ſepultus eſt.

* *Ex libro manuſcripto D. Mich. Rötenbeccii Med. Norimberg.*

Teſte *Jano Jacobo Boiſſardo*, in Vitis Virorum doctrinâ clarorum, finem ſtudiorum ſuorum tam felici ſucceſſu, tamque præſenti Numine conſecutus eſt, ut ipſe de ſeſe affirmare non dubitârit; ſe in omnibus actionibus ſuis gratiam & benedictionem Divinam manifeſtè experiri, quod hiſce ex Pſalmo 16. verſibus teſtatum voluit:

Quicquid ago aut patior, laxis in rebus & arctis
Præſentem ſemper conſpicor eſſe Deum.
Ille meo lateri nunquam non dexter adhæret,
Ne movear ſtabiles efficit ille pedes.

Obiit A.C. 1602.

JOHANNES STREITBERGERUS.

CUriæ *Variſcorum* natus eſt 5. Nov. A.C. 1517.

Eccleſiæ Miniſter ordinatus à *Nicolao Amsdorfio* Epiſcopo *Cizenſi* A. 1543. In Patriâ Rector Gymnaſii tunc recens conſtructi conſtitutus. A. 1548. Ibidem *Leonhardo Eberhardo* ſuccedens Superintendens factus A. 1552. Demum Superintendens Generalis *Culmbaci* A. 1567.

Doctor Theol. creatus eſt cum *Martino Miro* & *Johanne Avenario* Theologis *Wittenbergæ*, promotore *D. Davide Voyto*. 10. Febr. A. 1574.

Obiit *Culmbaci* 20. April. A.C. 1602. ætatis 85.

Moritur.

DoCtrInâ eXCeLsVs IanVs StreItberberger & aVCtVs
NatVræ Vt ſoLVIt DebIta, Io, aſtra CoLIt.

* *Ex Catalogo Germ. mille Virorum illuſtr. Wolfg. Krügeri Paſt. Turnav.*

Caſp. Cunradus Proſopograph. Melicæ Millenar. II. hoc ei fecit diſtichon:

Argyroë, Brunſuiga, Amberga, Boruſſia Myſtam
Me voluêre ſuum, ſed patria una tenet.

JOHANNES RABELLUS.

Obiit A.C. 1602.

NAtione *Luſitanus*, ex oppido *Prato*, Diœceſis *Lamecenſis* puer 15. tantùm annos natus Societatem Jeſu amplexus eſt 21. Julii A.C. 1558.

Puer. Societ. Jeſu amplexus.

Is ad omnem ſe virtutum diſciplinam mirum in modum exercuit, oratione excelluit, mortificatione præſtitit, caritate erga proximos fuit admirabili. Itaque totos penè 44. annos, quos in Societate Jeſu vixit, audiendis Confeſſionibus, Concione commovendis populis ad pietatem, congregationibus inſtituendis utiliter traduxit.

Dominicæ paſſionis perpetuus meditator, populos maximè hortabatur, ut Chriſti Salvatoris memoriam perpetuò retinerent.

Hæc meditantem & perficientem mors ad meliorem vitam tranſtulit 14. Julii A. C. 1602. æt. 60.

Moritur.

Scripſit

Scripta.

Lib. de Roſario B. Virginis Mariæ.

Dialogos II. de eâdem S. Virgine.

Commentationes ad doctrinam Chriſtianam.

Tractat. de Vitâ Chriſti.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A. C. 1602.

SEBASTIANUS ARTOMEDES.

L*Angenzenne* Marchionatus *Brandenburgici* oppido natus eſt *A. C.* 1544.

Concionator fuit aulicus *Onolsbaci* per ſexennium.

Concionator Regiomont. *Regiomontii* in *Boruſſiâ* Paſtor Eccleſiæ primarius annis 25. & Poëta eximius.

Moritur. Obiit 11. Sept. A. C. 1602. ætatis 58.

Sepulchro ejus hoc Epitaphium inſcriptum legitur:

Epitaphium.
Scire, viator, aves hîc nomen & acta cubantis,
Francus hic Artomedes, cætera fama refert.

* *Ex Catalogo Germ. Centum Viror. literis & Armis illuſtrium M. Wolfgangi Krûgeri Eccleſ. Thurnav. Paſtoris.*

Caſp. Cunradus Med. D. in Proſopographiæ ſuæ Melicæ Millenar. II. hoc ei fecit diſtichon:

Artomedes gravis eſt ſermone, Poëmate ſuavis,
Scriptis, quæ genuit, monſtrat utrumque ſuis.

Scriptum edidit:

Scriptum. **Catechismus⸗Erklärung.**

Obiit A. C. 1602.

FRANCISCUS JUNIUS.

Filius Nobilis. IN *Galliâ*, *Biturigum* Urbe natus eſt 1. Maji 1545. è familiâ nobili, Patre *Dionyſio Junio*, Juris Licentiato, poſteà *Uxelloduni* à Sicariis immaniter trucidato. Matre *Jacobâ Hugaldâ*.

Avus ejus *Guilielmus*, quod Regi *Ludovico XII.* in bello ſtrenuam navâſſet operam, ab eo nobilitatus eſt.

Juris Studioſus. Annos *Franciſcus Junius* natus XII. lectionibus publicis operam dedit, & Juris ſtudium arripuit ſub Præceptoribus *Franc. Duareno*, *Hugone Donello*, *Anton. Concio*, & *Ludov. Ruſſardo*. Sed eo poſteà neglecto ad Theologiam ſe applicuit.

Cum juvenis poſt tentationes libidinoſas varias *Lugduni Batav.* literis operam navâſſet, & aliquando legeret *Tullii de Legibus* libros, venit ad ipſum homo quidam, & illa *Epicuri* verba: *Nihil curare Deum nec ſui nec alieni*, &c. talibus argutiis ipſi confirmavit, ut *Junius ἄθεος factus.* in Atheïſmum pertraxerit. Cumque amplius annum ἄθεος ibi vixiſſet, & in tumultu publico *Lugduni* orto ex præſenti vitæ diſcrimine liberatus eſſet, providentiam Divinam agnoſcere cœpit, à patre deindè domum revocatus, & ad lectionem Novi Teſtamenti invitatus, cum primum caput *Johannis Evangeliſtæ* legiſſet, adeò commotus eſt, ut ad Deum converſus peſtilentem illam ſententiam abjecerit.

Pietatem colit. Ab eo tempore pietatem amplexus *Genevam* venit, ibique ſumtuum penuriâ laborans Linguas Græcam & Hebraicam privatim docuit.

Antverpiæ docet. A. 1565. *Genevâ Antverpiam* vocatus abiit, & Eccleſiam *Gallicam* docuit. Ob inſidias verò ab hoſtibus Evangelii ſibi ſtructas, indè diſcedere coactus, aliis etiam in Urbibus *Belgii* hoſtium pericula varia Divinitùs elapſus, tandem *Heidelbergam* venit, ubi ab Elect. *Friderico III.* clementer exceptus, *Schönaviæ* ad primum *Heidelbergâ* lapidem Eccleſiæ Gallicæ præfectus, eam ad Annum 1573. docuit, quo *Heidelbergam* juſſu Electoris migravit, cum *Immanuele Tremellio* verſurus Teſtamentum Vetus. *Schönavia & Heidelberga.*

A. 1578. *Neoſtadii* in Scholâ novâ docere cepit, & docuit menſes 14.

Profeſſor Theologiæ Lugdun. A. 1592. In *Galliam* reverſurus cum *Lugdunum Batav.* tranſiviſſet, ibi ab Academiâ perſuaſus ſubſtitit, cumque decennium Profeſſoris primarii munus ſuſtinuiſſet, peſte correptus Deo animam reddidit 13. Octob. A. 1602. æt. 57. ſecundùm Epitaphium Chronoſtichum ſequens: *Moritur.*

Epitaphium.
OCtobrIs ter ſena DIes & qVIna reſVLget
SenaqVe LeyDensI bIs ſonat hora ſoLo:
OrbIs VbI TItan FranCIsCVs IVnIVs atrâ
TaCtVs peſte æthræ regna beata petIt.

In Conjugio vixit quaterno: Uxorem primam, injuria ſuſtulit obſtetricum è vitâ, ſecundam febris ardens gravidam abſumſit, tertiam Hydrops: quartam peſtis.

Scripta ejus hæc ſunt:

Scripta.
Vetus Teſtamentum cum D. Emanuele Tremellio ex Hebraico translatum.
Acta Apoſtolorum & Epiſtolæ Pauli ad Corinthios ex Arabico translatæ.
προκατάβλημα ad Veteris Teſtamenti interpretationem & Orationes de V. T.
πρωτοκτισία in 3. capita Geneſeos.
Sacrorum Parallelorum lib. III.
Leviticus, annexis tractatibus de uſuris juramento & connubiis.
De Eccleſiâ liber.
Analyſis methodica in Apocalypſin.
In Danielem commentarius, item in Jonam.
Defenſio doctrinæ Catholicæ de trinitate.
Defenſio Catholicæ doctrinæ de naturâ & gratiâ.
De Obſervatione Politiæ Moſis.
Eirenicum de pace Eccleſiæ Catholicæ.
Index expurgatorius.
In Anathematiſmum Gregorii XIII.
Animadverſiones in Bellarminum.
Grammatica linguæ Hebrææ.
Oratio de linguæ Hebrææ antiquitate & præſtantiâ.
Oratio de vitâ & obitu Zachariæ Urſini.
Orationes 4. ad Lectionem V. T.
Liber, cui titulus: Academia.
Lexicon Hebraicum.
Johannis Curo palati hiſtoria.
Prætexta bulla in obitum Principis Anhaltini.
Libitina in obitum Johannis Caſimiri Com. Pal.
Manilius cum caſtigationibus & notis.
M. T. Ciceronis Epiſtolæ ad Atticum & Q. Fratrem.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Theol. exter.*

GUI-

Obiit A.C. 1602.

GUILIELMUS PERKINSUS.

NAtus eſt in oppido *Marſtoniæ*, agri *Warwicenſis* A. C. 1558.

Theologiæ Doctor & Profeſſor Cantabrig.

Theologus Doctor & Profeſſor *Cantabrigienſis* fuit, cujus doctrina non ſolùm per omnes *Britanniæ* Regiones, ſed etiam in *Galliâ*, *Belgio*, & *Germaniâ*, imò ipsâ *Hiſpaniâ* inclaruit; cum quædam ex ipſius operibus eruditis in harum Nationum Linguas fuerint converſa.

Dextram manum habuit mutilam, & ad ſcribendum ineptam.

Moritur. Obiit *Cantabrigiæ* M. Dec. A. C. 1602. ætatis 44.

Libros edidit:

Scripta.

Problema de Catholiciſmo Romanæ fidei.
Fundamentum Religionis Chriſtianæ.
Caſûs Conſcientiæ Libr. III. Anglicè.
De Magiâ maleficâ.
Catecheſin.
Colloquium de ſtatu hominis Chriſtiani in hâc vitâ.
Sermonum Chriſti in monte piam & eruditam expoſitionem.
Tractatûs III. de officiis & dignitatibus Eccleſiaſtici Miniſterii.
Nubem Teſtium fidelium nos ad Cœleſtem Canaan dirigentem.
De Imaginationibus Cordis humani.
Exhortationem ad Pœnitentiam.
Metanæologiam, ſeu de *Naturâ & Praxi Reſipiſcentiæ.*
Curriculum hominis Chriſtiani.
Commentar. in Epiſt. Pauli ad Galatas.
Epiſtolam S. Judæ.
Capita 3. priora Apocalypſeos.
Anatomiam humanæ Conſcientiæ, cum curandi conſervandique genuinâ methodo.
Specimen Digeſti, ſive Harmoniam Bibliorum Vet. & Novi Teſtamenti.
Catholicum Reformatum, hoc eſt, *Declarationem, oſtendentem, quatenùs Eccleſiæ Reformatæ in multis Religionis Capitibus cum Eccleſiâ Romanâ conſentiant vel diſſentiant.*
Legem Linguæ, ſive *Linguæ componendæ præſcriptum verbo DEI conſentaneum.*
De benè beatèque vivendi ratione.
Dialogum de Conſummatione Seculi.
De naturâ diverſiſque mortis generibus, deque ratione benè moriendi.
De Idololatriâ poſtremi hujus temporis tractationem.
Conflictum Chriſti cum diabolo.
Propheticа, ſive de ſacrâ concionandi ratione Tractationem.
Baſcanologiam.
De liberâ DEI gratiâ, & libero hominis arbitrio.
De Prædeſtinatione.
De vero lucro omnibus terrenis divitiis pretioſiore.
Myrothecium.
Chriſtianam Oeconomiam, ſive Diſciplinam domeſticam.
Armillam auream, ſeu Deſcriptionem Theologiæ.
Opuſcula Theologica varia.

* *Ex Heroologiâ Anglicâ.*

JOHANNES ORANUS.

Obiit A.C. 1603.

NAtione *Belga*, patriâ *Leodienſis*, Vir fuit virtute, literis, prudentiâ, & rerum agendarum cognitione inſignis, qui Theologiam *Lutetiæ Pariſior.* profeſſus eſt & aliquot Collegiorum Societatis Jeſu Rector, *Belgicæque* Provinciæ Vice-Provincialis fuit.

Societ. Jeſu Theologiæ Profeſſor. Vice-Provincialis Belgii.

Moritur. Vitâ demùm defunctus eſt *Montibus Hannoniæ* A. 1603.

Tranſtulit in linguam *Latinam* ex *Hiſpanâ* Librum

P. Petri Ribadeneiræ de Principe Chriſtiano adverſus Nicolaum Machiavellum, cæteroſque hujus temporis Politicos.

Scripſit &

Scripta.

Literas Japonicas, Magarenicas, & Chinenſes.
Brevem item pro Societatis Jeſu innocentiâ Defenſionem adverſus Lugduno Batavos.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

JOHANNES AZOR.

Obiit A.C. 1603.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Marcianus*, ex oppido *Lorcâ*, à teneris unguiculis ſtudiis deditus, & in Religione Societatis Jeſu penè educatus, in omnibus honeſtis diſciplinis continenter verſatus eſt, quos etiam præclarè auditoribus enucleavit.

Educatus in Societ. Jeſu.

Complutі & *Romæ* Divinas literas & *D. Thomæ* Theologiam multos annos profeſſus eſt, magno ingenio, excellenti memoriâ aſſiduâ lectione, & egregiâ linguarum peritiâ.

Theologiæ Profeſſor Complutі & Romæ.

Fuit vir non minus candore animi ac vitæ integritate quàm variâ atq; eximiâ eruditione inſignis, qui *Complutenſis* Collegii Rector fuit, & magno doctis viris ac bonis omnibus ſui relicto deſiderio, annis gravis, laboribus fractus, meritis cumulatus, vitam cum morte *Romæ* commutavit 19. Feb. A. C. 1603.

Rector Collegii Complut.

Scripſit

Scripta.

Rerum Moralium, ſeu *Caſuum Conſcientiæ Tom. III.* valdè eruditos, quorum tamen tertius nondum lucem aſpexit.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

ÆGIDIUS HUNNIUS.

Obiit A.C. 1603.

WInendæ, ſive *Wendenaviæ*, in agro *Wirtenbergico* natus eſt 21. Dec. 1550. Parentibus illiteratis, piis tamen & honeſtis. Mater *Ægidii* uterum adhuc geſtans, aliquando ſibi viſa eſt per ſomnum ſedere in templo, & manu dextrâ cul-

Præſagium de Hunnio matris Gravidæ.

culmo quippiam ſimile humo attollere, quod cum inter digitos tereret, accrevit, ipſa vero cum plane ſe putaret interituram ſub onere, culmum repentè vidit in templi columnam verſam, ſeque onere liberatam.

Commoti ea viſione parentes, *Ægidium* ut primum per ætatem poſſibile, in Scholâ patriâ erudiendum curârunt, indè in Scholam *Adelbergenſis*, & paulò pòſt *Maulbronnenſis* Cœnobii miſerunt: ubi cum fundamenta *Ægidius* in ſtudiis neceſſaria poſuiſſet, *Tubingam* adiit, quo in loco Magiſter artium A. 1567. ætat. 17. renuntiatus eſt.

Tubingæ Magiſter.

Abindè ad ſtudium Theologicum animum appulit ſub Præceptoribus *Jacobo Andreæ, Jacobo Heerbrando, Snepffio* & *Brentio.*

Ad Theologiam animum appellit.

A Principe autem *Würtemb. Ludovico Tubingæ* Concionibus ſacris præfectus eſt A. 1574.

Præficitur Concionibus.

A. 1576. *Marpurgi* Profeſſor Theologiæ declaratus, & paulò pòſt Theologiæ Doctor unà cum Polycarpo Lyſero ſolenniter factus eſt, cum paucis antè menſibus virginem *Eleonoram* in matrimonium duxiſſet.

Theologiæ Doctor & Profeſſor.

A. 1592. *Wittebergam* vocatus venit, ubi mox Profeſſor Theologiæ primarius, Templi arcis præpoſitus & Conſiſtorii Eccleſiaſtici adſeſſor declaratus eſt.

Marpurgi & Witteberga.

A. 1593. *Fridericus IV. Lignicenſium* in *Sileſia* Dux ipſius potiſſimùm operâ uſus Eccleſiarum *Lignicenſium* Reformationem ſuſcepit & perfecit, ejecto indè *Leonhardo Krentzhemio* Superintendente de *Calviniſmo* ſuſpecto.

Reformat Eccleſias in Ducatu Lignicenſi.

A. 1595. Paſtor & Superintendens *Wittenbergenſis* Eccleſiæ conſtitutus, poſt certamen cum *Hubero, Anhaltinis, Pareo, Bellarmino*, literarium.

Paſtor & Superintendens Wittebergenſis.

A. 1601. Colloquio *Ratisbonenſi* interfuit, inſtituto inter *Lutheranos* & *Pontificios* à *Philippo Ludovico Com. Pal.* & *Maximiliano Bavariæ* Duce.

Colloquio intereſt Ratisbonenſi.

Tandem Calculi doloribus ipſi familiaribus fractus, cum ventriculi præſertim acceſſiſſet inflammatio, adeò quidem, ut nec alimenti, nec medicamenti quicquam poſſet ingerere, Spiritum inter preces Deo reddidit 4. April. A. 1603. ætat. 53.

Moritur.

Epitaphium, ejus in Templo *Witteb.* oppidano hiſce additis verbis reperitur.

Epitaphium.

ÆGIDII HUNNII S.S. THEOL. D. ET IN ACADEMIIS MARPURG. PER ANNOS XVI. WITEB. XI. PROFESSORIS, ECCLESIÆ HUJUS PASTORIS ET IN ELECT. SAXON. SUPERINTEND. CORPUS SUB HOC TUMULO SEPULTUM EST, QUI NATUS AN. CHRISTI M D L. DIE XXI. DECEMBR. DIE IV. APRILIS OBDORMIVIT CUM VIXISSET ANNOS LII. MENSES III. DIES XIV.

Edidit:

Scripta.

Poſtillam.
Conciones funebres.
Catechiſmum.
Precationum librum.
Colloquia Provincialia.
Scripta in Evangelium Matthæi & Johannis.
In Epiſtolas Johannis & S. Pauli ferè omnes.
Polemica complura.

* *Ex Melch. Adami Vitis Theol. Germ.*

GREGORIUS de VALENTIA.

Obiit A. 1603.

Natione *Hiſpanus*, patriâ *Methymnenſis*, ab ipſâ pœnè infantiâ educatus eſt in Societate Jeſu, & ad optimam Religionis normam inſtitutus. Ubi verò animum liberalibus diſciplinis cohoneſtavit, & probitatis ſuæ ſpecimen præbuit, in *Germaniam* miſſus eſt, ut S. Theologiam in Collegiis explicaret, & jacentes Catholicos erigeret: quod tam cumulatè præſtitit, *Dillingæ* primùm, deindè *Ingolſtadii*, poſt *Hieron. Torrenſem*, prælectionibus, diſputationibus, congreſſibus, & ſcriptis, ut omnium Catholicorum animos ſibi devinxerit.

In Societate Jeſu educatus.

Theologiæ Profeſſor Dillingæ & Ingolſtadii.

Romam denique revocatus, vitâ & doctrinâ coràm Pont. Max. *Clemente VIII.* & Cardinalium conſeſſu floruit: Sed ex continuis ſtudiorum laboribus morbum contraxit, & *Neapolim* ad recuperandam valetudinem profectus, magno ſui relicto deſiderio piè mortuus eſt, 25. April. A. C. 1603. ætatis 54.

Romæ.

Collegium Theologicum *Ingolſtadienſe* hoc ei Cenotaphium gratitudinis ergò poſuit:

Epitaphium.

GREGORIUS DE VALENTIA
E SOCIETATE JESU, METHYMNENSIS
HISPANUS S. THEOL. DOCTOR,
INTER THEOLOGOS SUI TEMPORIS NULLI
SECUNDUS,
PARISIIS VEHEMENTER EXPETITUS,
A STEPHANO REGE POLONIÆ
DIU POSTULATUS,
PRÆCLARUM HUJUS ACADEMIÆ
DECUS,
IN QUA ANNOS XXIV. COMMORATUS CUM S. THEOLOGIAM XVI. ANNIS CONTINUIS MAGNO AUDITORUM PLAUSU ET FRUCTU, FOECUNDISSIMAQUE ERUDITIONIS PROPAGATIONE DOCUISSET, ATQUE INTERIM IN OMNI CONTROVERSIARUM RELIGIONIS GENERE CONTRA HÆRETICOS QUAM MULTOS COMPLURIBUS LIBRIS EDITIS NUNQUAM NON VICTOR EGREGIE DIMICASSET, UNIVERSAMQUE SCHOLASTICAM THEOLOGIAM QUATUOR COMMENTARIORUM TOMIS COMMEMORABILI OPERE ILLUSTRASSET, IMMORTALEM NOMINIS SUI GLORIAM ADEPTUS ANNO M D XCVIII. SUPERIORUM SUORUM VOLUNTATE ROMAM AVOCATUS EST. CUMQUE ILLIC PARTIM S. THEOLOGIÆ PROFESSOR, PARTIM SUPREMUS IN COLLEGIO SOCIETATIS STUDIORUM MODERATOR ALIQUANDIU CLARISSIMUS VIXISSET, DEMUM ASSIDUIS LABORIBUS FRACTUS, ET INVETE-

RATA

RATA CONSUMPTUS ÆGRITUDINE, NEAPOLI, QUO VALETUDINIS CAUSA ÆGER CONCESSERAT, E VIVIS SEMPER VICTURUS EXCESSIT XXV. APRIL. ANNO M DC III. ÆTATIS LIV.

Scripſit:

Scripta. *Pro Societate adverſus admonitionem Smidelini Lutherani.*

Analyſin fidei Catholicæ Lib. VIII. comprebenſam, in quibus ſimul de *Eccleſiâ*, de *Romano Pontifice*, de *Traditionibus*, de *Concilio* diſputat.

De Sanctiſſimâ Trinitate Lib. V. in quorum poſtremo peſtilens quidam Liber in *Poloniâ* editus confutatur.

De verâ Chriſti Majeſtate & præſentiâ, contra Lutheranos Ubiquitiſtas, Lib. IV. cum *Epiſtolâ Franciſci Turriani de eodem argumento ad Auctorem ſcriptâ.*

De rebus controverſis ad materiam Sacramentorum pertinentibus Lib. XVIII.

De numero, & de efficaciâ Sacramentorum novæ Legis.

De Baptiſmo parvulorum.

De reali præſentiâ Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, & de converſione panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti Libri IV.

De eodem argumento Lib. alios III. in quibus continetur *Examen & refutatio præcipui myſterii doctrinæ Calviniſtarum, cum reſponſione ad Objectiones Antonii Sadeelis & Fortunati Greellii.*

De legitimo uſu Euchariſtiæ in alterâ tantùm ſpecie.

D. S. Miſſæ Sacrificio Lib. II. contra Lutheri, Kemnitii, Herbrandi, & aliorum Sectariorum doctrinam.

De contritione ex pœnarum timore concepto.

De neceſſitate Confeſſionis.

De Satisfactione.

De Ordinis Sacerdotalis & Epiſcopalis diſcrimine.

De indiſſolubili vinculo Matrimonii.

De Idololatriâ Lib. V. in quibus *cultus S. Euchariſtiæ*, & *Sanctorum*, & *Sacrarum Imaginum* ac *Reliquiarum adverſus Sectariorum contumelias* defenditur.

De diverſis materiis controverſis.

De peccato originali.

De officio proprio Chriſti Mediatoris ac Redemptoris.

De verâ ac falsâ differentiâ veteris & novæ Legis, contra fundamentum Lutheranæ & Calvinianæ doctrinæ.

De Gratiâ, Juſtificatione, & Meritis.

De Prædeſtinatione & reprobatione.

De Cœlibatu.

De ſtatu & votis Religioſorum hominum.

De poteſtate legis humanæ, præſertim Eccleſiaſticæ.

De efficaciâ excommunicationis Eccleſiaſticæ.

De Indulgentiis.

De Purgatorio.

Commentar. in primam partem D. Thomæ.

Explicationes in primam ſecundæ D. Thomæ.

Diſputationes in ſecundam ſecundæ D. Thomæ.

Diſputationes in tertiam partem D. Thomæ.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societ. Jeſu Petri Ribadeniræ.*

GREGORIUS STRIGENICIUS.

Obiit A. C. 1603.

MIſenæ, Oppido *Miſniæ*, mundum ingreſſus eſt 9. Febr. A. C. 1548. Patre *Paulo Strigenizio* Senatore & Judice *Miſenenſi* multis annis, Matre *Hedwige*, *Johannis Braueri* Civis ibidem filiâ.

Cum puer in Scholâ Patriæ Electorali, ſub diſciplinâ Rectoris tunc celebris *Georgii Fabritii* quinquennium exegiſſet, A. 1567. *Lipſiam* ſe contulit, & A. 1572. *Wittenbergam*, ubi 4. Martii Magiſterii honores adeptus eſt. *In Scholâ Miſnenſi Georg. Fabricii Rectoris diſcipulus. Philoſ. Magiſter Witteb.*

Paulò pòſt circa feſtum *S. Michaëlis* Pædagogus *Döbelenſis*, & Anno ſeq. 1573. *Wolckenſtenii* Paſtor Eccleſiæ prægreſſâ vocatione legitimâ factus eſt. *Paſtor Wolckenſtein.*

A. 1581. Concionator aulicus *Friderici* & *Johannis* Ducum *Saxoniæ*, & unà Conſiſtorii *Sax.* Electoralis Aſſeſſor *Vinariæ* conſtitutus eſt. *Concionator aul. Sax.*

Cum intereà *M. Jageteuffel*, Superintendens *Vinarienſis* obiiſſet, munus id, ut & Superintendentis *Jenenſis* ſibi delatum modeſtè recuſavit, ſorte ſuâ contentus.

A Senatu verò *Orlamundano* expetitus, ut Superintendens ibi eſſet, muneri illi quadriennio præfuit. *Superintend. Orlamund.*

A. 1593. Vocante Duce *Friderico Wilhelmo*, Adminiſtratore Electorali, cum familiâ *Miſenam* venit, & Concionatoris ac Superintendentis *Miſnenſis* officium alacriter aggreſſus eſt. A. 1594. Ibidem Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſor declaratus. *Superintend. Miſnenſis, & Conſiſtorii Aſſeſſor.*

7. Junii A. 1573. *Döbelii* nuptias celebravit cum virgine *Annâ*, *Bartolomæi Zimmermanni*, Conſulis ibidem filiâ, ex quâ 5. filios totidemque filias ſuſcepit, omneſque præter 2. filias reliquit ſuperſtites. *Conjugium ejus & Liberi.*

Cum tandem â ſeptimanis aliquot æger decubuiſſet, viribus ſenſim decreſcentibus placidè in Chriſto obdormivit 19. Maji A. C. 1603. æt. 56. *Moritur.*

Edita ab eo ſunt:

Scripta. *Expoſitio Prophetæ Jonæ.*

Iter Emmahunticum.

Chriſtus Convivator.

Conciones de Conſcientiâ.

Oſſa rediviva, ſive *Expoſitio 37. Cap. Proph. Ezechielis.* Hunc librum eleganter ligatum in ſepulchro ſuo ſibi adjungi præcepit.

* *Ex Concione funebri Pauli Kirchbachii Paſtor. Neunkirch.*

Caſp. Cunradus Med. D. in *Proſopographiâ Melicâ* hoc in ejus honorem ſcripſit diſtichon:

Cor

Cor mihi Religio, labra Suada, Minerva cerebrum
Exhibeat, hinc ſacris gratia tanta meis.

Obiit A.C. 1603.

DAVID LOBECHIUS.

HAmburgi natus A. C. 1560. Patrem habuit ſpectatæ virtutis virum Templi *Cathariniani* præfectum.

Hic filium diſciplinæ capacem Præceptoribus in Scholâ *Hamburgenſi* erudiendum tradidit, quorum præcepta ad annum ætatis 19. inbibens, fructum diſciplinæ & inſtitutionis Scholaſticæ, quoad vixit, ſenſit uberrimum.

Studet Roſtochii. Exindè A. 1579. *Roſtochienſem* acceſſit Academiam, ubi per quinquennium hoſpitio & menſâ uſus ſympatriotæ ſui M. *Eraſmi Stockmanni* Phyſices Profeſſoris Linguæ Sanctæ, & Philoſophiæ totius, imprimis verò Matheſeos cognitionem haud vulgarem conſecutus eſt. Theologiæ quoque ſtudium excoluit.

Fit M. Philoſ. A. 1583. Magiſter Philoſophiæ creatus à Decano *M. Stockmanno*, ſtatim deindè doctrinam Sphæricam, quâ imprimis tunc delectatus fuit, libello erudito *D. Henrici Brucæi* comprehenſam interpretatus eſt, & ſimùl præclarum profectûs in ſtudio Theologico ſpecimen in Collegio Theologico, cujus ipſe Præſidem egit, magnâ cum laude edidit.

Hæc ejus induſtria cum *Hamburgi* innotuiſſet, paulò pòſt tres adoleſcentes Patritii commendati ſunt ejus inſtitutioni, cum quibus A. 1584. in Academiam *Heidelbergenſem* conceſſit. *Studet Heidelbergæ.*

Ibi cum priſtinam Acad. *Lutheranæ* faciem mutatam vidit, ejectis, poſt obitum Electoris *Ludovici, Timotheo Kirchnero, Philippo Marbachio Argent.* poſteà Profeſſore, aliiſque Profeſſoribus, aliquantiſper quidem ibi moratus, deinceps tamen re cum Patronis deliberatâ *Tubingam* adiit, & Eccleſiæ illa lumina *D. Jacobum Heerbrandum, D. Jacobum Andreæ, D. Stephanum Gerlachium*, & Hebraicæ literaturæ principem *Georgium Wegenmeierum* ita audivit, ut ex eorum ore diſceret quod ſibi deinceps uſui foret. A. 1587. rurſus in patriam contendit, itinere per *Helvetiam Genevam* usque, poſteà per *Germaniæ* Academias illuſtriores ſuſcepto. *Et Tubingæ Theol.*

Reverſus in patriam, pedem ibi figere animum quidem induxit, ſed cum nullo vacante loco voti ſui compotem ſe fieri non poſſe videret, ad Academiam *Roſtochienſem* regreſſus, ibi nihil de priſtinâ diligentiâ frequentandi lectiones publicas remiſit, ſed eandem crebro concionandi exercitio & diſputandi ſtudio auxit. Factum eſt autem, ut eo tempore M. *Johannes Stolterfotus* ab Eccleſiâ *Lubecenſi* ex templo *Mariano* avocaretur, hujus verò locum ex *Petrinâ* Eccleſiâ vocatus M. *Oswaldus Sledanus* occuparet. *Studet Roſtochii Theol.*

Fit Diaconus Roſtochii. Vacante ergò Diaconatu *Petrino* A. 1589. M. Martio *Lobichius* unanimi conſiſtorii Eccleſiaſtici voto approbatus Miniſterio huic addictus eſt.

Tunc etiam *Chytræi* ſenio decumbentis vicarium egit, Catecheſin ejus publicè magno cum ſtudioſorum concurſu interpretatus.

Deindè ex templo *Petrino* in *Jacobæum* delatus, Diaconi officio ſesquiannum functus eſt, ad Archidiaconatum poſteà evectus cum ſocer ipſius *D. Valentinus Schachtius, D. Simoni Pauli*, Profeſſori & Superintendenti, in Paſtoratu ſucceſſit. *Archidiaconus.*

A. 1593. Abſolutâ vicariâ lectione Catecheſi domi locos communes *Philippicos* interpretari cœpit, abſolutoque loco quolibet diſputationem ſubjunxit.

A. 1594. A Senatu *Roſtoch.* Profeſſor Academiæ in S. Theologiâ docendâ extraordinarius honeſto ſtipendio conſtitutus paulò pòſt unà cum M. *Friderico Rungio* & *Mattheo Flegio, Gryphiswaldenſis* Academiæ Profeſſoribus, ſupremum in Theologiâ Doctoris gradum aſſumpſit. *Theologiæ Profeſſor & Doctor.*

Tunc autem domi cœptam Locorum Theologicorum interpretationem, Profeſſoris jam titulum gerens, publicè continuavit.

Eo tempore in exequiis Illuſtr. *Ulrici* Principis *Megapolitani* memoriter eum & ſuaviſſimè perorantem Academiæ *Roſtoch.* Cives cum ſtupore audiverunt maximo.

Pietas etiam & eruditio hujus *Lobechii* animum *D. Valentini Schachtii* Theol. primarii ita in ipſum accendit, ut eum ambientem nuptias filiæ ſuæ *Urſulæ* voti compotem fecerit lubentiſſimè, generumque, dum vixit, amârit ardentiſſimè. *Nubit.*

Domus ipſius egenis, præcipuè verò Eccleſiæ Miniſtris in exilio degentibus, ſtudioſis item ſemper patens fuit. Conditiones alias non paucas easque ſplendidas ſibi oblatas repudiavit, ſuâque ſorte contentus *Roſtochii* vivere maluit, quàm ſuo abitu ullam avaritiæ ſuſpicionem poſt ſe relinquere.

Tandem morbo quatriduano vires corporis opinione citius proſternente morte placidâ vitam finiit 14. Sept. A. C. 1603. ætatis 43. *Moritur.*

Eruditionis teſtimonia typis edidit: *Scripta.*

Diſputationes in Auguſtanam Confeſſionem, opus eximium ob rerum gravitatem, verborum & ſententiarum perſpicuitatem, & methodi facilitatem.


Tractatum elegantiſſimum de *Prædeſtinatione*, quem Theſibus complexus eſt.

* *Ex Oratione Parentali M. Lucæ Bacmeiſteri Theol. Prof.*

Obiit A.C. 1603.

JOHANNES PETRUS MAFFÆUS.

NAtione *Italus*, patriâ *Bergomas*, Vir ſi quis alius Latinè Italiceque ſcribendi peritus, cum *Genuæ*, civitate *Liguriæ*, nobiles aliquot juvenes inſtituiſſet, & ad eloquentiam conformâſſet, *Romam* veniens, ſu



GEORGIUS STRIGENITIUS
Superint. Misnensis.



CYRIAC' SPANGENBERGER'
Pastor Mansfeldics.



DAVID RUNGIUS.
Theol. D. Wittebergensis.



CASPAR SAUTERUS.
Theol. Augustan,



LUCAS OSIANDER.
Theol. D. Würtenberg.



SALOMON GESNERUS.
Theol. D. et Prof. Witteb.



PETRUS SIMONIS
Episcop' Iprensis.



THEODORUS BEZA.
Ecclesiastes Genevensis.



IOHANNES KUCHLINUS.
Theol. Prof. Leydensis.



GEORGIUS MILIUS.
Theol. D. Prof. Witteb.



RICHARD' VAUGHAN'
Episcopus Londinensis



IOHANNES REINOLDUS
Theol. Prof. Oxonii.



IOAÑES GUILLELSTUCKI'
Theol. Prof. Tigur.



LUCAS TRELCATIUS.
fil. Theol. Prof. Lugd.



IOH. PISTORI' NIDDAN'
Theol. D. et Protenotari' Apostolic'



PHILIPPUS NICOLAI.
Theol. Hamburg. 37

Digitized by Google



Romæ Societ. Jeſu ingreſſus. ſe in probationis domum ad Societatis Jeſu regulam formandum tradidit A. C. 1560. æt. 30. Ibi obiit ingenti Sociorum luctu 20. *Moritur.* Octob. A. C. 1603. ætatis 73.

Scripſit pereleganti ſtylo:

Scripta. *Hiſtoriarum Indicarum Lib. XVI.*

Selectarum ex Indiâ Epiſtolarum Lib. IV.

De Vitâ P. Ignatii Loyolæ Lib. III.

Vitas XIII. Sanctorum Confeſſorum.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

PAULUS MORIGIUS.

Obiit A. C. 1604.

MEdiolani natus 1. Jan. A. C. 1525. ex nobili & antiquâ familiâ in adoleſcentiâ fratrum Jeſuatorum habitum *Frater Jeſuatorum.* aſſumens, animum variis ſcientiis & imprimis Literarum Italicar. cognitioni & ornatui applicuit, Ordinis tandem ſui cum fratrum omnium applauſu Generalis declaratus. *Generalis.*

In eo munere conſenuit & mortuus eſt A. C. 1604. æt. 80. *Mediolani*, ſepultus in Mo- *Moritur.* naſterio *S. Hieronymi* cum hoc Epitaphio marmori inſcripto:

Epitaphium.

D. O. M.
FRATRI PAULO MORIGIO QUI
OPERA LXI. SCRIPSIT.
VIXIT ANNOS LXXX.
OBIIT ANNO M D CIV.
VIRO RELIGIOSISSIMO, AMICO OPTIMO
GEORGIUS TRIVULTIUS MELTII COMES
CO. JO. FIRMI FILIUS.

Linguâ vernaculâ ab eo ſcripta ſunt Opera ſequentia:

Scripta. *Iſtoria dell' Antichità di Milano, diviſa in IV. Libri.*

Teſoro del Chriſtiano.

Opera chiamata ſtato religioſo, e via ſpirituale.

Iſtoria dell' origine della Madonna di S. Celſo di Milano.

Iſtoria de perſonaggi Illuſtri Religioſi diviſa in V. Libri.

Santiſſima vita della glorioſa Madre di Dio.

La nobilità di Milano.

Vite del beato Giovanni Colombino, & del beato Giovanni da Toſſignano.

Sonnetti, Canzoni Spiritali, & Rappreſentazioni.

Calendario volgare.

Iſtoria & Origine della famoſa Fontana della Madonna di Caravaggio.

Iſtoria dell' Origine della glorioſa Madonna del Monte poſta ſopra Vareſe.

L' Ottava maraviglia del ſtupendo Duomo di Milano.

Iſtoria breve dell' Auguſtiſſima Caſa d' Auſtria.

Teſoro pretioſo de Milaneſi, nel quale ſi raccontano tutte l' Opere di carità Chriſtiana & limoſine, che ſi fanno nella Cità di Milano da gli Hoſpitali, Caſe pie, Monaſterii, & altri luoghi.

Santuario della Cità & Dioceſe di Milano, nel quale ſono deſcritti tutti i corpi ſanti, & ſacre reliquie che ſono nelle Chieſe d' eſſa Cità.

Iſtoria della Nobilità & degne qualita del Lago maggiore.

Sommario delle coſe mirabili della Cità di Milano diviſe in due Libri.

Iſtoria dell' origine di tutte le Religioni che ſono ſtate al Mondo, in tre Libri.

Riforma dello Regola & conſtitutione della religione de Gieſuati.

Il Gioiello de Chriſtiani diviſo in V. Libri.

Il Paradiſo de Gieſuati in V. Libri.

Giardino ſpirituale diviſo in VIII. Parti.

Prato Spirituale in III. Libri.

Delle regole da oſſervar ſi nell recitare l' Hore Canoniche nel divino Officio.

Officio del glorioſo nome di Gieſu con le Litanie &c.

Sommario Cronologico diviſo in VII. Libri.

Illuſtre raccolta della progenie del Sommo Pontefice Gregorio XIV.

Nobilità de gli illuſtri Signori ſeſſanta del Conſiglio generale di Milano.

Iſtoria della vita & morte dell' Infante Liſabeta d' Auſtria Regina di Francia.

Converſione, vita eſſemplare, & beato fine di Lodovica Torella Conteſſa di Guaſtalla.

Iſtoria della Religione, & de gli Huomini beati della Congregatione Gieſuatana.

La Perfezione Spirituale, & la Scala de Religioſi del Beato Giovanni da Toſſignano.

Amaeſtramenti della Parolla di Dio, & dell' excellenza dell' Orazione.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

PETRUS COTTONUS.

Obiit A.C. 1604.

NAtione *Gallus*, patriâ *Foreſianus*, ex *Lugdunenſi* Diœceſi, Societati Jeſu ad- *Societ. Jeſu adhærens.* hærens, Vir fuit rarâ ſcientiâ, eloquentiâ, & pietate præditus.

Regi *Galliarum Henrico IV.* fuit chariſſimus, apud quem Concionatoris munere *Concionator Reg. Gall.* functus eſt magnâ hominum admiratione, & fructu.

Edidit Gallicè.

De Miſſæ Sacrificio Lib. adversùs Miniſtrum *Scripta.* *Gratianopolitanum.*

Apologias plures.

Interiorem devotæ mentis occupationem.

Epiſtolas Apologeticas de Fide Catholicâ, adverſus Danielem Chanuerum Delphinatem.

De locis S. Scripturæ â Calvinianis corruptis.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu P. Petri Ribadeneiræ.*

VITUS MILETUS GAMUNDIANUS.

Clar. A.C. 1604.

SAcro ſanctæ Theologiæ Doctor: Cum *Theologiæ Doctor.* eas, quibus ad humanitatem excoluntur animi, literas ac Philoſophiam affatim percepiſſet, felici ad Theologiam gradu per-

perrexit, quam *Romæ* in Collegio *Germanico*, magnâ cum ingenii laude, totam decucurrit.

Concionator Erfurtens. Indè in *Germaniam* reverſus, fructuoſas *Erfurti* ad eos, qui eo loco ſuperſunt, Catholicos, Conciones habuit.

Moguntiam poſteà vocatus Decanus *B. Virginis* & *S. Mauritii* Præpoſitus eſt conſtitutus.

Legatus Archiepiſcopalis. *Romanâ* crebrò ad ApoſtolicamSedem, in Archi-Epiſcopalibus negociis, Legatione perfunctus, claruit A. C. 1604.

Edidit:

Scripta.

De Juſtificatione theſes.
De feſto Corporis Chriſti Conciones.
Pro Societate Jeſu ſpeculum Jeſuiticum.
Speculum Catholicum.
De noſtri temporis hæreticorum mille ſexcentis, in ſolâ re Sacramentariâ, erroribus.
Refutationem 600. errorum Pontificiorum, quos *Tilmannus Heshuſius*, & ejus gener *Olearius* Catholicis affinxerunt.

* *Ex Nicolai Serarii de rebus Moguntin. Tractatu.*

Obiit A.C. 1604.

CYRIACUS SPANGENBERGIUS.

Filius Eccleſiæ Miniſtri. Natus eſt *Northuſiæ* 17. Junii A. 1528. Patre *Johanne* Theologo docto valdè, Eccleſiæ *Northuſanæ*, & poſteà inComitatu *Mansfeldico* Paſtore.

Philoſ. Magiſter Wittebergæ. Cum autem *Cyriacus* in Scholâ patriâ literarum artiumque fundamenta jeciſſet, miſſus eſt *Wittebergam*, ubi Magiſter Philoſophiæ renunciatus, Theologiæ uni totum ſe dedidit, ac quadriennio *Lutheri* auditor fuit aſſiduus.

Paſtor Mansfeldicus. Indè verò *Islebiam* vocatus, cum per biennium ibi Paſtoris munere functus eſſet, *Mansfeldiam* conceſſit, & in 22. annis oppidi Decanus & Parochus vixit.

Exul. *Moritur.* Obortis verò inter Comites *Mansfeldicos* diſſidiis, quod *Cyriacus* cum *Flaccio* idem ſentiret, in exilium pulſus, tandem *Argentorati* rebus exemptus eſt humanis 10. Febr. 1604. ætat. 76.

In ſcriptis ſuis Hic docuit cum *Flaccio*: *Peccatum originale non accidens, ſed ſubſtantiam eſſe, ipſamq; noſtram corruptam naturam.* Lucubrationes ejus ſunt plures, ut:

Scripta.

Tabulæ in S. Biblia.
Interpretationes Epiſtolarum Pauli.
Enarrationes Catechiſmi & Pſalmorum Lutheri.
Chronicon Hennebergicum.
Chronicon Rerum Germanicarum & Saxonicarum.
Hiſtoria Manichæorum in 4.
Commentarius de Nobilitate.
De Peccato Originali.
Abmahlung deß gantzen Pabſtthums in 8.
Vom H. Eheſtand 70. Predigten.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Theol. Germ.*

Obiit A.C. 1604.

CORNELIUS SCULTINGUS.

Steenwichii natus, quod eſt apud *Transiſalanos* oppidum, S. Theol. Licentiatus *Coloniæ* ad *S. Andream* Canonicus, Regensque Burſæ *Laurentianæ*. *Canonicus.*

Vir pius & doctus, in omni antiquitate verſatus, diem clauſit extremum *Coloniæ* 20. April. A. C. 1604. & ſepultus in Collegiatâ Eccleſiâ Divi *Andreæ* tali Epitaphio: *Moritur.*

Epitaphium.

Hæc tibi Cornelium Sculting *præſentat imago*
Vivum, quâ vivus conſpiciendus erat.
Robore vaſtus erat, canus, vultuque decorus,
Dotibus ingenii ſummus & oris erat.
Laurenti primùm docuit, pòſt rexit alumnos,
Hinc gravitas, illinc dulcor & oris erant.
Illud Apoſtolicæ fecit hoc ædis alumnum
Andreæ, merito præmia digna viro.
Hæc ubi per leſus ſcriptis inclaruit urbi,
Quin orbi ingenii dans monumenta ſui.
Oſſa ſub hoc ſaxo latitant defoſſa ſepulchro;
Spiritus in cœlo, carcere miſſus, agit.

Libri ab eo editi ſunt:

Scripta.

Eccleſiaſticæ Diſciplinæ Lib. VI.
Bibliotheca Eccleſiaſtica.
Opus variarum Lectionum & Animadverſionum, adverſus primum Librum Inſtitutionum Joh. Calvini.
Tragicomœdia Conſtantini Magni & S. Helenæ.
Theſaurus Antiquitatum Eccleſiaſticarum è VII. prioribus Annalium Card. Cæſaris Baronii Tomis contra Centurias Magdeburgenſes, & Calviniſtas.
Confeſſio Hieronymiana, ex ejus Operibus collecta, & per locorum Theologicor. Capita digeſta.
Hierarchica Anacriſis adverſus varios Calviniſtarum Libros, & celebratas ab iiſdem Synodos.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

Obiit A.C. 1604.

FRANCISCUS RAPHAEL.

Heckſtadii ad *Sylvam Hercyniam*, in Comitatu *Mansfeldico* natus eſt ex parentibus honeſtis 6. Jan. A. C. 1533.

Literis humanioribus in patriâ ad annum usque æt. 15. imbutus, eaſdem in Scholâ *Mansfeldicâ* per quinquennium magis excoluit.

A. 1553. Academiam *Wittenbergenſem* accedens, *Philippo Melanchthoni* & *D. Ebero* charus fuit. *Wittenbergæ Melanchthonis auditor.*

In hâc integrum exegit ſeptennium, & intereà biennio in Scholâ *Islebienſi* Conrectoris officio functus eſt. *Conrector Isleb.*

A. 1556. In ædibus *Melanchthonis* ſolenniter Poëta Laureatus coronatus â Nob. *Dn. Jacobo Baſilio March.* Græco tunc in aulâ Cæſ. Miniſtro primario. *Poëta Laur.*

Philoſ. deindè Magiſter inter plures primo loco renuntiatus, & per aliquod tempus in eâdem Acad. Philoſophiæ Adjunctus fuit. *Philoſophiæ Magiſter, & Adjunctus.*

A. 1562.

Rector Scholæ Nabburg.

A. 1562. Scholarum & Eccleſiarum labores, 42. annor. auſpicatus, Scholæ *Nabburgenſis* in *Palatinatu Sup.* per biennium Rectorem egit.

A. 1564. Vocatus ab illuſtriſs. March. *Brandeburg. Georg. Friderico*, Conrector Scholæ *Onolsbacenſis* factus, octennio pòſt A. 1572. oppidi *Feuchtwangi* Decanus conſtitutus eſt.

A. 1582. Cum Schola Cœnobii *Heilsbronnenſis* recens introducta Rectore indigeret, ad munus hoc electus, in eâ primus duobus annis cum dimidio docuit, Decanus deindè *Leerbergenſis* & *Leutershuſanus* factus, in eo munere verſatus eſt, usque ad A. 1587. quo *Leerbergâ* revocatus in Urbem *Onolsbacenſem* Paſtor Eccleſiæ primarius & Conſiſtorii Eccleſiaſt. Aſſeſſor inauguratus, & ob ſenium tandem & vires decreſcentes clementer à Principe ſuo dimiſſus vitæ curriculum morte beatâ finiit 8. Junii *Medardi* nomen gerente A. C. 1604. æt. 72.

Primus Rector Heilsbronn.

Eccleſ. Paſtor & Conſiſtorii Aſſeſſor Onolsbac.

Moritur.

Ex duabus conjugibus 12. liberos ſuſcepit, ſed tres tantùm ex poſteriore conjugio ſuperſtites reliquit.

* *Ex Concione fun. M. Joh. Meelfüreri Paſtoris Onolsbac.*

Obiit A. C. 1604.

ZACHARIAS SCHILTERUS.

NAtus eſt *Lipſiæ* A. 1541. Patre *Materno*, Matre *Catharinâ*, *Nicolai Teuberi* filiâ.

Zacharias autem cum perveniſſet ad ætatem literis percipiendis idoneam, *Lipſiæ* audivit magnum illum *Camerarium*, donec Anno. 1562. Phil. Magiſter renuntiatus ibidem & A. 1573. Theol. Doctor, cum jam quiquennium Profeſſor linguæ Hebr. fuiſſet. A. 1570. verò Matrimonium contraxit cum *Eliſabethâ*, *Joh. Cantaleri*, Senatoris *Lipſ.* filiâ, cum quâ 34. annos ſuaviter exegit, pater factus 3. filiorum & 7. filiarum, dein ſtatim creatus eſt Canonicus Eccleſiæ Cathedralis *Misnenſis*.

Philoſophiæ Magiſter. Theologiæ Doctor. Profeſſor linguæ Hebrææ. Uxorem ducit.

A. 1580. Volente Electore *Auguſto*, Vice-Cancellarius, ceu Ephorus Academiæ *Lipſ.* conſtitutus eſt.

Poſteà in Collegium Aſſeſſorum Conſiſtorii Electoralis cooptatus, variis interfuit Synodis *Saxonicis*. Hemiplexiâ correptus, ſubitò tandem obiit *Lipſiæ* 4. Julii A. 1604. hoc Eteoſticho per M. *Adam. Hörſchelium* expreſſo:

Moritur.

SChILterVs MerItIs ChrIſtI ConfIsVs obIVIt,
HeV qVæ laCrVra hInC eXorItVra pIIs.

Scripta reliquit ſequentia:

Scripta.

Deſignationem doctrinæ de Chriſtianâ libertate, traditionibus & ceremoniis in Eccleſiâ.

Orationem de monumentorum Prophetæ Eſaiæ præſtantiâ.

Orationem contra Albertum Ungarum.

Declarationem & defenſionem dogmatis comprehenſi in libro Concordiæ.

Brevem exegeſin Concionum Prophetæ Haggæi.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Theol. Germ.*

Obiit A. C. 1604.

DAVID RUNGIUS.

PAtrem habuit *Jacobum Rungium*, Theol. Doctorem & *Occid. Pomeraniæ* Superintendentem Generalem *Gryphiswaldiæ*, qui cum Uxore *Catharinâ Gerſoniâ* præter tres filias honeſtè elocatas, quinque filios generavit, omnes dignitatis præcipuè viros, nempè *Johannem Rungium*, Med. Doctorem, & Ducis *Pomer.* Archiatrum *Wolgaſti*: *Jacobum*, in aulâ *Wolgaſtenſi* ærarii Præfectum: *Fridericum*, Theol. Doctorem & Prof. ac Superintendentem *Gryphiswaldiæ*: *Danielem*, Jur. Doct. Prof. & Conſiliarium Principis: ac *Davidem* hunc natum *Gryphiswaldiæ* in *Pomeraniâ* 28. Nov. A. 1564.

Quinque Rungii fratres literis celeberrimi.

Ex Scholâ patriâ autem *David* hic cum fundamenta jam literarum ibidem jeciſſet, uberioris ingenii cultus causâ *Stetinum* ad Principis Pædagogium miſſus, ibi triennium, (ut & poſteà in Acad. Patriam reverſus,) transegit.

Stetini & Gryphiswaldiæ literis operam dat.

Indè *Roſtochii* per annum commoratus cum eſſet, in Acad. *Tubingenſem* ablegatus, ibi *Ludovici* Ducis *Wirtenbergici* munificentiâ inter Stipendiarios biennium cum ſemeſtri vixit.

Ut & Tubingæ.

In hiſce tribus Univerſitatibus in Theologiâ Præceptores audivit *D. Davidem Chytræum*, *D. Lucam Backmeiſterum*, *D. Valentinum Schachtium*, *D. Jacobum Andreæ*, *D. Jacobum Heerbrandum*, *D. Stephanum Gerlachium*. Studiis quoque Mathematicis & Muſicæ vocali ac inſtrumentali operam dedit.

Præceptores Rungii.

A. 1589. Domum, à Duce *Pomer. Erneſto Ludovico* ad Profeſſionem extraordinariam Poëſeos & Hebrææ linguæ vocatus eſt, cumque poſt ſesquennium in Poëſi ſucceſſorem nactus eſſet, ipſi porrò Profeſſio Theologica fuit commiſſa.

Profeſſor Poëſeos & Hebrææ linguæ.

A. 1594. Cum propter certamina Eccleſiaſtica *Pomeraniæ* à Patre ſuo *Wittenbergam* ad Theologos de iis audiendos miſſus eſſet, hoſpitio uſus *D. Salom. Gesneri* tunc temp. Fac. Theol. Decani, ab hoc perſuaſus, unà cum duobus Competitoribus honores Doctorales expetiit & ſolenniter adeptus eſt.

Theologiæ Doctor.

Reverſus in patriam, cum parens non multò pòſt vitam cum morte commutaſſet, ipſe verò propter Principum diſcordiam in eâ tunc parum promotionis ſperare poſſet, Profeſſionem Theol. *Wittenbergæ* anteà ſibi oblatam accepit, eòque reverſus eſt.

Profeſſor Theologiæ.

A. 1595. *Gryphiswaldiæ* deſponſatus cum *Eliſabethâ D. Balthaſ. Rhaw*, Prof. Theol. filiâ, ex quâ filios ſuſcepit *Jacobum*, & *Balthaſarem* in infantiâ extinctos, cum filiâ *Annâ* defuncto ſuperſtite.

Uxorem ducit.

A. 1596. *Wittenbergæ* alumnorum Electoralium Ephorus conſtitutus, octennium in eo munere transegit.

Ephorus Alumnorum.

A. 1601. *Ratisbonæ* Colloquio cum Ponti-

Digitized by Google

tificiis de Religione habito cum *Ægid. Hunnio* interfuit.

A. 1603. Defuncto *Hunnio*, *Auguſtum* Principem *Sax.* tunc temporis Univerſ. *Wittenbergenſis* Rectorem in doctrinâ Religionis Chriſtianæ privatim inſtituit.

A. 1604. M. Majo in patriam *Gryphiswaldam* ut ſocrum, fratres, & amicos viſitaret, profectus, & domum reverti cogitans, in itinere *Berlini* febre malignâ correptus, 22. Junii æger domum deductus eſt: accedentibus tum vigiliis continuis, alvi fluore cum ſymptomatis aliis gravisſimis, viribus ſenſim deficientibus in Chriſto placidè exſpiravit 7. Julii A. ætatis 40. *Moritur.*

Epitaphium ipſius in Templo *Wittebergenſi* eſt ſequens: *Epitaphium.*

HIC SITUS EST DAVID RUNGIUS, POMERANUS, S.S. THEOL. D. QUAM ET IX. ANNOS PUBLICE PRIVATIMQUE CUM FIDE ET LAUDE SUMMA HIC PROFESSUS EST, TRIUM LINGUARUM, LATINÆ, GRÆCÆ ET EBRÆÆ, SED ET OMNIS DOCTRINÆ LIBERALIS PERITISSIMUS, MAGNI INGENII PARITER AC JUDICII DISPUTATOR SUBTILIS AC PERSPICAX, CANDORE, MODESTIA, PACIS STUDIO AC MORUM SUAVITATE OMNIBUS CARUS ET ÆSTIMATUS: ROSTOCHIUM V. CL. DAVIDIS CHYTRÆI SUCCESSOR SERIO SEDULOQUE EVOCATUS NON IRE, SED HIC MORI DEBUIT, QUOD ANIMOSISSIME FECIT NON. QUINCT. ANNO ÆTATIS XL. CHRISTIANO M DC IV.

Notatu verò dignum, quod morti jam vicinus hymnum *Laus & perennis gloria &c.* cum ſingulari quâdam animi lætitiâ cum aſtantibus cantans, cum ad illa verba perveniſſet, *in ſeculorum ſecula,* voce & ſpiritu deficiente, & cantatam illam ſeculorum perennitatem re & facto auſpicatus ſit. *Inter canendum Moritur.*

* *Ex Jubilæo Witteb. D. Joh. Meiſn. Melch Adamo & aliis.*

LUDOVICUS CRUCIUS.

Obiit A. C. 1604.

Natione *Luſitanus*, patriâ *Olyſſiponenſis*, *Conimbricæ* nomen Societati Jeſu dedit 2. Dec. A. C. 1558. æt. 16. *Nomen Societ. Jeſu dedit a. æt. 16.*

Homo ad Latinam eloquentiam & extemporalem natus, linguæ Græcæ Hebraicæque peritus, Poëta eximius, & Concionator egregius, dicendi artem & ſacras literas per multos annos profeſſus eſt *Conimbricæ*, & exceſſit è vitâ 18. Julii A. C. 1604. æt. 62. *Philologus, & Poëta.* *Moritur.*

Carminicè edidit

Scripta.

Davidis Pſalmos 150.
Tragœdias multas.
Poëmata varia.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

CASPAR SAUTERUS.

Obiit A. C. 1604.

Ex parentibus ruſticis, honeſtis tamen ortus in pago *Würtenbergenſi Cuppingâ* natus eſt 6. Junii A. C. 1547.

Infans ſeſquianni morbo gravi decumbens, cum reſpiratio defeciſſet, pro mortuo habitus & linteo coopertus eſt à parentibus cubitum euntibus: ſed poſt horas duas mater expergefacta, præ amore filiolum, in cunis ſibi vicinis jacentem, iterum contrectans, calidum & reſpirantem percepit, accenſo itaque lumine viventem læta comperit, eumque cum Hannâ abindè DEO conſecravit. *Infans pro mortuo habitus reviviſcit.* *Deo conſecratur à matre.*

Puer quoties ex Scholâ domum reverſus eſt, ex ſcabellis Cathedram factam conſcendit & concionatus eſt: Sed quotidiè per ſemihoram in Scholam oppidi *Henenbergæ* migrandum ipſi fuit. *Puer concionatur.*

A. 1563. æt. 16. In Scholam cœnobialem *Denckendorff* Principis *Würtenbergici* mandato receptus, in eo triennium confecit, & tunc temporis *Exegeſin ſuper Epiſt. S. Pauli ad Romanos* compoſuit, quam *Nicod. Friſchlinus*, aliquando veniens eò, cum admiratione legit.

A. 1566. In cœnobium, *Herrenalbam* vocatum, translatus, ibi 1. Sept. Concionem primam de tertiâ petitione Orationis Dominicæ: *Fiat voluntas tua*, habuit, & cum cœteros commilitones diligentiâ ſuperaret, poſt ſeſquiannum in Academiam *Tubingenſem*, futurus Principis ſtipendiarius, miſſus, ibi 3. tantùm annis cum dimidio permanſit. *Stipendiar. Tubingæ.*

Intereà verò cum *D. Ægidio Hunnio* & *D. Polycarpo Lyſero* Magiſter Philoſ. renuntiatus, & ſæpiùs Præſes Diſputationum Philoſophicarum electus, *Organum etiam Ariſtotelis* ſtudioſis quibusdam privatim explicuit. *Magiſter Philoſ.*

Indè *Bebenhuſam* in Scholam cœnobialem Ducatûs *Würtenberg.* primariam miſſus, Præceptorem egit, & ſæpiùs loco *Eberhardi Bidenbachii* Theol. D. & Abbatis Cœnobii, qui ſatis perſpectam habuit eruditionem ejus, concionatus eſt.

Hoc promotore, cum vix annum *Bebenhuſæ* exegiſſet, in oppido *Böblingâ* Diaconus conſtitutus, cum anno exacto *Stutgardiam* à Principe fuiſſet vocatus, ut Archidiaconi munere fungeretur, cum dolore à *Böblingenſibus* dimiſſus eſt. *Diaconus Böbling.*

Cum *Stutgardiæ* non tantùm Archidiaconus, ſed etiam Paſtor Eccleſiæ ad *S. Leonhardum* tres annos cum dimidio transegisſet, iterum Principe jubente promotus Eccleſiæ *Herrenbergenſis* Superintendens factus eſt, cui muneri cum per annos 5. cum dimidio laudabiliter præfuiſſet, vocatus à Comitibus *Hanoviâ Münzenbergicis*, & conſentiente *Ludovico*, Principe *Würtenbergico*, *Hanoviam* diſceſſit, Comitatûs illius Generalis Superintendens conſtitutus. *Stutgardiæ Archidiaconus.* *Superintendens Herrenberg.* *General. Superint. Hanov.*

Ibi cum 11. annis fuiſſet, ingruente à Comitibus *Hanov.* reformatis fidei mutatione, *D. Ægi-*

D. Ægidii Hunnii per literas hortatu *Wittenbergam* ſe contulit, cumque â *D. Hunnio* percepiſſet, quod in Aulam *Dresdenſem* vocaretur, gratiis actis *Hanoviam* remigravit.

26. Sept. A. 1593. *Auguſtæ Vindelicor.* in Templo *S. Annæ* primam Concionem habuit, cum eò paulò antè â Senatu Evangelico vocatus fuiſſet, & Princeps *Wirtenbergicus* conſenſiſſet, factus Eccleſiæ *Auguſtanæ* Senior, & Paſtor ad *S. Annam*. *Auguſtæ Senior, & Paſtor ad S. Annam.*

Ibi cum per annum variis morbis afflictus fuiſſet, viribus tandem conſumptis in Chriſto exſpiravit, 31. Julii, A. C. 1604. æt. 57. miniſterii 33. *Moritur.*

Ex duabus uxoribus 14. liberos progenuit, quorum 11. ſuperſtites reliquit, & inter hos filios M. *Davidem* Theol. ſtudioſum, *Caſparum* & *Burckardum*, cum duobus generis M. *Johanne Wegelino*, Rectore Collegii Evangelici, & M. *Bernhardo Alberto* Eccleſiæ Evangel. Diacono.

* *Ex Concione funebri M. David. Piſtorii.*

Libros edidit:

Scripta. Ἀπόδειξιν *pro aſtruendâ Divinâ & infinitâ Majeſtate Filii Hominis.*

Tractatum de fraternitate Jeſu, Erklärung aus dem 2. Cap. zu den Hebräern/daß wir Brüder ſeyen. in 4.

7. Predigten von dem Lobgeſang Mariæ in 4.

8. Predigten über den Propheten Joel in 4.

GEORGIUS CÆSIUS.

Obiit A. C. 1604.

ROtenburgi ad *Tubarum*, oppido Imperiali, ex parentibus tenuis ſortis, honeſtis tamen, progenitus lucem aſpexit.

Cum in Scholâ patriâ Grammaticam, & initia Linguæ Græcæ hauſiſſet, ſtipendio donatus â patriæ Senatu *Wittenbergenſem* Academiam adivit, in quâ Linguam Hebraicam præterea didicit & ſtudio S. Theologiæ ſe totum addixit. Ibidem A. 1565. Magiſterii Philoſophici gradu ornatus inter 22. Candidatos duodecimum locum habuit. *Magiſter Philoſ. Wittenbergæ.*

In patriam reverſus, & mox Eccleſiæ Diaconus conſtitutus, primum conjugium iniit cum viduâ *M. Abdiæ Wickneri*, Scholæ *Rotenburg.* Rectoris, matre 4. liberorum, & inter hos *M. Abdiæ Wickneri*, Cœnobii *Heilsbronnenſis* Abbatis Evangelici. *Diaconus Rotenburg. Deſponſatus.*

A. 1573. Rixis inter Theologos obortis *Onolsbacum* diſceſſit, factus ibi Diaconus Templi Cathedralis, & Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſor. *Diaconus Onolsbaci.*

Exindè *Leutershuſam* translatus, Paſtor ibi Eccleſiæ & Capituli Senior declaratus A. 1577. Juſſu tandem Sereniſs. *Georgii Friderici*, Marchionis *Brandenburgici*, *Burck-Berphemii* Concionator A. 1580. declaratus, in eo munere vitæ tempus reſiduum fidelis Verbi Divini Miniſter exegit. *Concionator Burck-Bernhemii.*

Præter ſtudium Theologicum, Aſtronomico quoque ab adoleſcentiâ deditus, non modò quotannis *Calendaria* ſcripſit, ſed etiam alia ſpecimina præclara edidit, & ideò Sereniſs. Marchionis *Georgii Friderici* Aſtrologus ordinarius conſtitutus ab eodem ſalarium annuum accepit; Studii tamen Theologici memor, in Prognoſticis ſuis ſubindè S. Scripturæ dicta immiſcuit, quibus unà cum aſtrorum curſu lectores ad ſeriam pœnitentiam hortatus eſt. *Aſtrologus & Calendariographus.*

Poſt obitum primæ conjugis ter adhuc, Annis nempe 1572. 1573. & 1601. Conjugii vota reiteravit. *Quater maritus.*

Cum tandem per annum ferè teneſmo fuiſſet afflictus admodùm moleſto, acceſſit angina cum ſummâ ſpirandi difficultate, adeò ut vix aliquid cibi vel potûs aſſumere potuiſſet.

Cum morbi tempore *Hieronymus Kislmus*, Paſtor Eccleſiæ *Ottenhofenſis* eum inter alia admonuiſſet, ut verborum â M. *Georgio Kargio* Superintendente *Onolsbacenſe* mundo valedicturo prolatorum recordaretur; eadem verba mox protulit: Geſegne dich Gott Strohſack/ ich hab ein Bett gefunden. Non multò pòſt placidè obdormivit 4. Sept. A. C. 1604. ætatis 62.

Johannes Altenburg. hoc ei ſcripſit *Epitaphium*:

Epitaphium.

Qui curſum Aſtrorum vivens indagine multâ
Quæſivit, coràm nunc ea cernit ovans.

* *Ex Concione fun. M. Mich. Lochneri Paſt. Marc-Bergelenſis.*

LUCAS OSIANDER.

Obiit A. C. 1604.

FIlius *Andreæ Oſiandri*, Theologi celebris, *Norimbergæ* natus eſt A. C. 1534. In Patriâ, & poſteà *Regiomontii* literis Latinis, Græcis & Hebraicis excultus, ſtudio Theologico ſe dedit.

A. C. 1555. æt. 21. ad Diaconatum Eccleſiæ *Göppingenſis* vocatus, & *D. Jacobi Andreæ* Paſtoris ibidem Collega factus, cum eo ſingularem amicitiam coluit. *Diaconus Gôpping.*

Biennio pòſt in Oppido *Blaubeuren* Superintendens, deindè ſucceſſivè *Stutgardiæ* Paſtor & Superintendens ad *S. Leonhardum*, Aulæ *Würtenberg.* Concionator & Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſor, Abbas *Adelsbergenſis*, tandemque Concionator *Eslingæ* primarius factus eſt. *Superintend. Stutgard. Concionator aul.*

Tribus de Religione inſtitutis Colloquiis interfuit: A. 1564. *Maulbronnenſi*, in quo Notarii munus geſſit: A. 1586. *Mompelgartenſi*, in quo cum *D. Jac. Andreæ* contra *Theodorum Bezam* fidem ſuam propugnavit: & A. 1594. *Ratisbonæ* unà cum *D. Jacobò Heilbronnero*, cum *Samuele Huebero* aliiſque collocutus. In elaboratione etiam Libri Formulæ Concordiæ titulo publicati A. 1580. plurimum laborem impendit, ejuſque causâ *Ludovici* Ducis *Würtenbergici* nomine ad multos Imperii Rom. Statûs iter ſuſcepit. *Tribus Colloquiis Theol. adeſt.*

Filios reliquit tres: *D. Andream*, Concionatorem Aulicum *Stutgardiæ*, & Abbatem *Adelbergenſem*; *M. Johannem*, Paſtorem Eccleſiæ *Steinheimenſis*, & *M. Lucam*, Paſtorem & Superintendentem *Leuenbergicum*. Filias

 præ-

præterea 4. ſingulas Eccleſiæ Paſtoribus, quorum aliqui Superintendentes fuêre, deſponſavit.

Rude donatus moritur.

A Senatu tandem *Eslingenſi* rude donatus & *Tubingam* cum familiâ dimiſſus, ibi paulò pòſt hemiplexiâ correptus exſpiravit 17. Sept. A. C. 1604. æt. 70. Miniſt. 48.

Libri ab eo editi ſunt:

Scripta.

Commentar. in totaBiblia, opus verè aureum.

Inſtitutio Chriſtianæ Religionis, vel *Loci communes de omnibus Fidei articulis*, *tribus Linguis*, *Latinâ*, *Gallicâ*, & *Germanicâ editi. in 8.*

Epitomes Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Centuriæ XVI. in 4.

Poſtilla Evangeliorum, cui nomen dedit: Bauren-Poſtill.

Predigten über den Catechismum/und die Haustaffel.

Communicanten-Büchlein für junge einfältige Leute/ſo zum Tiſch deß HErren gehen wollen.

Handbüchlein ſtreitiger Religions-Puncten. in 12.

Theologiſches Bedenken und Erinnerung/welcher Geſtalt Johann Arnds genanntes wahres Chriſtenthum anzuſehen und zu achten ſey. in 8.

Warnung an die Chriſtliche Prediger und Zuhörer der Churfl. Pfalz/daß ſie nicht ſtumme Hunde werden/noch reiſende Wölffe für die getreue Hirten anſehen ſollen. in 4.

Beweiſung/daß *D. Johannes Piſtorius* nicht aus Zwang ſeines Gewiſſens/vom heiligen Evangelio zum Pabſtum abgefallen ſey/ſondern die Evangeliſche Lehre muthwillig verläſtert. in 4.

Antwort auf die vermeinte *retorſion D. Joh. Piſtorii Niddani*, welcher ſich nicht ſcheuet die Evangeliſche Gemein Gottes zu ſchänden. in 4.

Einfältiges Chriſtenthum.

Warnung für den Jeſuiten. in 4.

Enchiridion controverſiarum Religionis inter Auguſtanæ Confeſſionis Theologos, *Pontificios*, *Calvinianos*, & *Anabaptiſtas. in 8.*

Libellus de ratione concionandi. in 8.

Enchiridion Evangeliorum & Epiſtolarum Dominicalium. in 8.

* *Ex Concione fun. M. Johannis Magiri Præpoſiti Stutgard. & aliis.*

Obiit A. C. 1604.

GABRIEL VASQUETIUS.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Belmontanus*, Vir magni ingenii, aſſiduæ lectionis & in S. Patrum perveſtigandis ſententiis ſummæ diligentiæ.

Soc. Jeſu additus adoleſcens.

Adoleſcens 18. annos natus *Complati* ſe Societati Jeſu addixit, & in Philoſophicis atque Theologicis diſciplinis diligenter exercuit.

Sed cum ingenio & eruditione præſtaret, & in Collegiis *Ocanienſi* & *Madritano* doctrinæ ſuæ rudimenta poſuiſſet, in Collegiis poſteà *Complutenſi* & *Romano* ſacram *Thomæ Aquinatis* Theologiam profeſſus eſt, maximâ auditorum admiratione & fructu.

Theol. Prof. Romæ, & Complati.

In hâc functione 29. ampliùs annos verſatum immatura mors eripuit 23. Sept. A.C. 1604. æt. 55. magno ſtudioſis omnibus ſui relicto deſiderio; & cunctorum ordinum Religioſis Viris, diſciplinarum Profeſſoribus, Doctoribus, Canonicis, Eccleſiaſtico & Sæculari Magiſtratu, universâ denique Complutenſi Academiâ funus illius proſequentibus.

Moritur.

Scripſit:

Scripta.

De cultu Adorationis Lib. III.

Diſputationes contra duos errores Felicis & Elipandi de adoptione & ſervitute Chriſti, in Concilio Francofurdienſi damnatos.

Comment. in Opera D. Thomæ Aquinatis.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societ. Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A. C. 1605.

LUDOVICUS GUZMANNUS.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ ex *Oſorno*, *Caſtellæ* veteris oppido, Diœceſis *Palentinæ*.

Societ. Jeſu adjunctus.

Adoleſcens ſe in Academiâ *Complutenſi* ad Jeſu Societatem adjunxit A. C. 1563. cum jam Philoſophiæ curriculo decurſo S. Theologiæ operam daret, quam poſteà in Societate excoluit.

Magiſter Novitiorum.

Abſolutis bonarum artium ſtudiis, Magiſter Novitiorum factus eſt, quos eximio virtutis exemplo, ſingulari prudentiâ, præclarâ rerum ſpiritualium cognitione & induſtriâ ad perfectam religionis formam inſtituit.

Præpoſitus Provincialis.

Rectoris deinceps ſæpè munere, Provincialis item Præpoſiti primùm Bœticæ, deindè Toletanæ Provinciæ ſemel atque iterum ornatus eſt.

Fuit vir omni genere virtutum cumulatus, & numeris omnibus abſolutus. Humilitate, affabilitate, modeſtiâ, orationis aſſiduitate, turbidorum motuum mortificatione, ſui contemptu, ſilentio, manſuetudine, & perpetuâ vitæ conſtantiâ excellens.

Moritur.

Vitam cum morte feliciter commutavit *Madriti* 10. Jan. A. C. 1605.

Scripſit materno ſermone:

Scripta.

Rerum â Societate Jeſu in Indiâ geſtarum Lib. XIV. quibus initia, progreſſus, propagationem Chriſtianæ Religionis, in *Japonenſi* maximè Regno comprehendit.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societ. Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A. C. 1605.

SALOMON GESNERUS.

BOleslaviæ, *Sileſiæ* oppido, natus eſt 8. Nov. A. 1559.

Filius Eccleſiæ Miniſtri.

Patre *Paulo*, Verbi Divini in *Bohemiæ* & *Moraviæ* finibus Miniſtro.

Matre

Matre verò *Amâ*, ex honoratâ *Cunradorum* familiâ.

Literis operam dat. *Troppaviæ* puer *Salomo* prima literarum fundamenta jecit. Paulò poſt in patriam reverſus, nactus eſt Præceptorem *Matthiam Hilwigium*.

Exortâ autem tum annonæ caritate, quæ totam penè *Germaniam* triennio afflixit, *Panem oſtiatim quærit.* oſtiatim panem mendicando quærere maluit, quàm ſtudiis nuntium remittere: panem autem, ſic ferente occaſione, non modò ex avenâ, hordeo, glandibus piſtum, ſed merè furfuraceum edere coactus eſt.

Uratiſlaviam deindè concedens, cum apud aurifabrum quendam per tempus *Pædagogum agit. Alumnus Argentorati.* quoddam Pædagogum egiſſet, A. 1576. *Argentoratum* ſe contulit, ubi à Senatu in Collegium *Wilhelmitanum* Alumnus receptus, uſus eſt eo beneficio per quinquennium.

Præceptores Gerneri. Audivit ibi docentes *Theophilum Golium* Ethicam, *Henningum Oldendorpium* in Hebraïcis, *Davidem Wolckenſtenium* & *Conrad. Daſypodium* in Mathematicis, *Johannem* & *Eraſmum Marbachios*, *Nicolaum Florum*, & *Joh. Fabrum* Theologos.

Philoſ. Magiſter. A. 1583. Ibidem Philoſophiæ Magiſter creatus, *Uratiſlaviam* rediit, ubi cum in notitiam *Andreæ Dudithii*, trium Impp. Conſiliarii veniſſet, apud eum ſubſiſtens, filium ipſius natu majorem *Andream* honeſto ſtipendio aliquandiu inſtituit.

Rector Scholæ Boleslaviæ. A. 1585. Indè *Boleslaviam* vocatus, *Matthiæ Hilwigio*, Scholæ illius Rectori ſucceſſit in functione Scholaſticâ & Anno ſeq. in conjugio.

Et Stetini. A. 1589. Ad Gymnaſii *Stettinenſis* regimen vocatus, paruit. Acerbas ibi autem habuit contentiones in Religionis negotio cum Diacono *Joach. Stygio*, qui aliquando in S. Synaxi ſiniſtrâ his verbis hoſtiam ei ingeſſit: *Deus ſit judex inter me & te.*

Paſtor Eccleſiæ. A. 1592. *Straleſundam* acceerſitus, Paſtoris ibi Eccleſiæ ſenio confecti Adjutorem & in Scholâ Profeſſorem egit per 7. tantùm menſes: nam

16. Maji A. 1593. *Wittenbergam* vocatus venit, ubi 10. Auguſti, promotore *Polycarpo Lyſero*, Theol. Doctor renuntiatus, dein-*Theologiæ Doctor & Profeſſor.* ceps Profeſſoris Theologi munus obiit, & aliquandiu Stipendiarior. Electoralium Inſpectorem, ab Anno verò 1595. ſupremum in Templo Arcis Concionatorem egit. Aſ-*Aſſeſſor Conſiſtorii Eccleſiaſtici.* ſeſſoris etiam partes in Conſiſtorio Eccleſiaſtico poſtremo vitæ novennio ſuſtinuit.

Moritur. 9. Januarii A. 1605. Cum jam ultra annum hypochondriacis paſſionibus, & tuſſi gravi afflictus fuiſſet, venâ ei in pulmonibus ruptâ ſanguis copioſus erupit, undè viribus exhauſtis placidè Spiritum Creatori reddidit 7. Febr. ſequenti A. ætatis 46. Elatus autem eſt funere ſat honorifico, & ſepulchro *Epitaphium* additum ejusmodi:

Epitaphium. PIETATI ET MEMORIÆ REV. ET CL. VIRI SALOMONIS GESNERI BOLESLAVIA SILESII, S. S. THEOL. D. ET PROFESSORIS IN SCHOLA QUIDEM ANNOS XII. LEGENDO ET DISPUTANDO IN TEMPLO HOC X. CONCIONANDO UTRINQUE FIDE ET INDUSTRIA OPT. MER. QUI INGENIO, DOCTRINA, JUDICIO, ELOQUENTIA, ZELO RELIGIONIS ET VITÆ INTEGRITATE, PAR SUMMIS ÆVI SUI THEOLOGIS, MONUMENTIS DE DOCTRINA CHRISTIANA EDITIS, NOMINI SUO FAMAM, PIETATE DOMUM ÆTERNAM SIBI VIVUS CURAVIT. HÆREDD. HOC QUOD EST E SAXO P. C. DEFUNCTO VII. EID. FEBR. ÆTAT. SUÆ XLVI. CHRISTI M DC V.

Edidit:

Scripta. *Orthodoxam de perſonâ & officio Chriſti doctrinam.*

Paſſionem Jeſu Chriſti Concionibus explicatam.

De Conciliis libros IV.

Diſputationes XVII. pro libro Concordiæ contra Bellarminum.

Conciones Germanicas tempore peſtis & Turcicæ Tyrannidis.

Meditationem generalem Pſalterii.

Explicationem dicti Paulini: Omnis ſcriptura divinitus inſpirata, &c.

Diſputationes in integram Geneſin.

Hoſeam Prophetam duplici verſione Latinâ.

Admonitiones ad ordines Sileſiæ de Calvinianiſmo.

* *Ex Jubil. Witteb. D. Joh. Meisn. Melch. Adamo & aliis.*

FRANCISCUS ARIAS.

Obiit A. C. 1605.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Hiſpalenſis*, vir jam maturâ ætate ſeſe ad Societatem *Societ. Jeſu adjunctus.* Jeſu adjunxit. Philoſophiæ & Theolo-*Theol. moralis Prof.* giæ ſtudiis excultus in Collegio *Triguorenſi* Theologiam de moribus 4. annos cum laude profeſſus eſt, cujus Collegii & *Caditani* habenas rexit.

Fuit vir cum variâ eruditione tum vitæ integritate admirandus, religioſæ paupertatis amans, obedientiæ tenax, ſalutis proximorum cupidus, ſui contemptor egregius, mortificationis ſtudioſus, denique indefeſſus operarius Chriſti, pro cujus gloriâ 44. annos in Societate ſuâ ſtrenuè laboravit.

Hiſpali tandem in Domino feliciter obdormivit 23. Maji A. C. 1605. æt. 72. non *Moritur.* ſine magnâ opinione ſanctitatis concurrentibus ad ejus funus populis, ac multis lachrymis beati viri memoriam proſequentibus, ac de ejus veſtibus certatim aliquid auferre conantibus.

Scripſit maternâ linguâ

Scripta. De *profectu ſpirituali*, in quo de *oratione* & *mortificatione* utiliſſima præcepta tradidit.

De *Imitatione Chriſti Tom. III.* in quibus *Divinas Chriſti virtutes* piè & doctè explicat, ac omnibus imitandas proponit.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

JO-

Obiit A.C. 1605.

JOHANNES ROXAS.

Societ. Jeſu ingreſſus.

Natione *Hiſpanus*, patriâ *Toletanus*, adoleſcens 17. annor. Societatem Jeſu ingreſſus eſt A. C. 1569. Poſteà ad Religionem inſtitutus, & literis probè inſtructus tum docendo tum concionando, tum etiam gubernando benè meritus eſt de Societate, &

Scripta.

Libros Horatii Turſellini de ſacrâ domo Lauretanâ ex Latinâ in Hiſpanicam linguam convertit. Sed cum opus ingens *De Vitâ ac Morte Domini noſtri Jeſu Chriſti* haberet in manibus, ac prælo ſubjicere cogitaret, ad feliciorem vitam translatus eſt in Collegio *Madritano* 29. Sept. A. C. 1605. æt. 53.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1605.

MAGNUS AGRICOLA.

Parentibus honeſtis natus eſt *Holtzhemii* in territorio *Ulmenſi.*

S. Theol. ſtudiis ope *Philippi Ludovici*, Com. *Palat. Neoburg.* & agnati ſui *Petri Agricolæ* Conſil. *Palat.* excultus, primùm Diaconus ad *S. Petrum*, deindè Eccleſiæ ad *B. Virginem* Paſtor, tandem etiam Eccleſiarum vicinar. Inſpector & Superintendens, Conſiſtoriique *Palat Neobu. gici* Aſſeſſor conſtitutus, cunctis hiſce muneribus egregiè præfuit, donec apoplexiâ noctu correptus in Chriſto exſpiravit 29. Sept. A. C. 1605. Miniſterii Eccleſ. 23.

Superintendens & Conſiſtorii Aſſeſſor Neoburg. Mor. apopl.

Veſperâ prægreſſâ ſanus adhùc cum affine ſuo *D. Theodorico Heſſo* Conſiliario *Palat.* & Legato *Gallico* cœnans, de ultimâ Concione ſuâ & Eclypſi ſolis proximè inſtante colloquium amicum habuit.

* *Ex Conc. fun. Jac. Heilbrunneri.*

Obiit A.C. 1605.

PETRUS SIMONIUS.

Tiletanus Flander, Theologus, Vir prudentiâ ſingulari præditus. Primùm *Cortraci* Curio, pôſt *Gandavi* Archipresbyter, & tandem *Iprenſium* ſecundus Epiſcopus A. C. 1585. 27. Jan. Obiit A. 1605. cum hoc Epitaphio:

Epiſcopus Iprenſis.

Epitaphium.

PETRUS SIMONIS TILETANUS
II. EPISCOP. IPRENSIS
PRÆDECESSORIS VESTIGIA GNAVITER SEQUENS,
ECCLESIA HAC ANN. XXI. ADMINISTRATA,
SEMINARIO SCRIPTO HÆREDE,
IN DOMINO OBDORMIVIT
V. OCT. M. DC. V.

Ejus eruditionis fœtûs hi ſunt:

Scripta.

De veritate Lib. VII.

Tractatus de Epiphaniâ Domini.

Apologia contra Calvinum pro veritate Catholicâ.

Diſſertatio de puero Jeſu cum Doctoribus in Templo diſputante.

Tractatus de Jeſu Chriſti in Monte Thabor cum Moyſe & Elia Colloquio.

De Hæreſeos Hæreticorumque naturâ.

Oratio quodlibetica, an aliqua ſit idonea & juſta cauſa deficiendi ab Eccleſiâ Romanâ.

Oratio in primâ Synodo Machlinienſi A. 1570. habita.

Oratio in primâ Synodo Gandenſi ſub Cornelio Janſenio A. 1571.

Oratio Funebris in Exequiis Cornelii Janſenii I. Gandenſ. Epiſcop.

Concio in Feſto omnium Sanctorum.

De Conceptione B. Virginis Mariæ.

De differentiâ partûs Evæ & Mariæ virginis.

De Aſſumptione B. Virginis Mariæ.

Exhortatio de ſtudio literarum ſacrar. amplectendo, ad Paſtores.

De Caſtitate, gulæ vitio, avaritiâ vitandâ, ad eoſdem.

De Pœnitentiâ, Oleo ſacro, Cineribus, ad Clerum Iprenſem

Exhortatio de timore Domini, ad Juventutem.

Index in Comment. Janſenii Epiſcopi Gand. in Pſalmos, Proverbi.., & Eccleſiaſticum.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

THEODORUS BEZA.

Obiit A.C. 1605.

Filius Nobilis.

Vezeliis, *Heduorum* oppido vetuſto, natus eſt A. 1519. 24. Junii. Patre nobili viro *Petro à Beza*, oppidi illius Præfecto, Matre *Maria Burdoletiâ*, itidem nobili.

Pariſiis educatur.

Infans verò adhuc *Theodorus* à *Nicolao Beza* Senatus Pariſienſis Conſiliario, & Patruo educatus, literarum figuras noſſe didicit.

Melchiori Volmaro committitur.

Poſteà ætatis anno quinto *Melchioris Volmarii* fidei curæque eſt commiſſus, ſub cujus diſciplinâ ita profecit per ſeptennium, ut nullus vel Latinus vel Græcus exſtiterit auctor, quem non deguſtaverit *Theodorus.*

Juri Civili operam dat.

A. 1531. *Aurelium* venit, Juri Civili daturus operam, & Poeſi addictus, intra 20. ætatis annum Epigrammata ſcripſit & varia Poemata licentioſius, quàm poſteà voluiſſet.

Licentiatus Juris.

A. 1539. Licentiatus Juris renuntiatus, *Lutetiam* venit, ubi ab amicis cum plauſu exceptus, voluptatum & ambitionis illecebris irretitus aliquandiu vitam egit.

Sed cum in ipſius mente hæſiſſet ſenſus veræ Religionis, quam adoleſcens *Aureliæ* à Præceptore *Melchiore Volmario*, *Rotwilenſi*, imbiberat, omnia illa obſtacula ſuperavit, votumque Papiſticis erroribus repudiandis emiſit. Uxoremque tum ſibi deſpondit clàm, conſcio uno tantum & altero ex intimis ſuis.

Uxorem clam ducit.

A. 1548. Morbo graviſſimo correptus, votum de vero DEI cultu palàm amplectendo renovavit, & ſimul ac lectum relinquere licuit, relictis omnibus, cum uxore, quam clàm ſibi deſpondit, in voluntarium exilium abiens,

Digitized by Google

abiens, venit Genevam, ibique palàm in Eccleſiâ matrimonium celebravit & ſedem fixit.

Lauſannæ docet. *Pſalmorum opus edit.*

Indè *Lauſannam* à Senatu *Bernenſi* vocatus, Græcas ibi literas, deindè quoque ſacra docuit, & Divinum illud opus Pſalmor. à *Clemente Maroto* inchoatum *Gallicis* numeris perfecit, quod A. C. 1561. primùm typis mandatum eſt.

Edidit quoque tunc librum de hæreticis à Magiſtratu puniendis. Chriſtianiſmi explicationem brevem. Reſpondit item *Heshuſio*, & *Joachimo Weſtphalo*, *Sebaſtianiq; Caſtellionis* dogma de Electione æternâ ſubvertere conantis, calumniis ſeſe oppoſuit.

Lutetiæ perſecutio.

A. 1558. Cum 4. Sept. anni prægreſſi *Lutetiæ* perſecutione contra Evangelicos exortâ ſeptem flammis traditi fuiſſent, *Beza Lauſannâ*, *Farellus Neocomo*, & *Joh. Budæus*, *Guilielmi* J. C. celebris filius, *Genevâ* ad Principes Evangelicos Germaniæ, Electorem *Palatinum*, Landgravium *Haſſiæ* & Ducem *Würtenberg*, ablegati ſunt, effeceruntque, ut pii Principes ſuis Legatis & literis ad Regem *Henricum II.* miſſis cauſam piorum commendârint. Sed exiguus fuit hujus operæ fructus.

Melanchthonem convenit.

Venerat tunc temporis *Francofurtum*, (ubi & *Beza* itineri ſe ulteriori accingens morabatur,) *Philippus Melanchthon*, hincque alter alterius conſpectu atque alloquio vehementer eſt recreatus, in gravi luctu, quem uterque ex afflicto Eccleſiarum ſtatu percipiebat.

A. 1559. *Lauſannâ* digreſſus iterùm *Genevam* venit, ad D. *Johannem Calvinum*, à cujus latere rarò diſcedebat, ibique *Claudio Pontano Bleſenſi* in Eccleſiæ Miniſterio ſucceſſit, ſimulque Collega adjunctus eſt laudato demùm *Johanni Calvino* ad Theologiam docendam. Publicè etiam tunc *Demoſthenis* Orationes enarravit.

Genevæ docet. *Rector primus Scholæ Genevenſis.*

Factus item eſt brevi pòſt primus Rector Scholæ *Genevenſis*, cum paulò antè Senatus, ſuaſore *Calvino*, qui ſolus anteà paucis auditoribus prælegerat, Gymnaſium publicum erexiſſet, extructo ædificio amplo, & Profeſſoribus publicis cum Præceptoribus Claſſicis conſtitutis.

Habuit autem tunc *Calvinus* elegantiſſimam de re literariâ orationem, ad ſtudioſorum excitanda ingenia, Senatumque *Genevenſem*, in præſtantiſſimo à ſe inſtituto opere confirmandum.

Edit Confeſſionem fidei Chriſtianæ.

Edidit tunc *Beza* fidei Chriſtianæ confeſſionem, partim ut patri ſuo, quem nonnullorum calumnia ab ipſo, tanquàm hæretico, abalienârat, ſatisfaceret; partim ut, ſi poſſet, illum in extremâ ſenectute Chriſto lucrifaceret.

Lutetiam proficiſcitur ad Regem Navarr. *Et ad Conventum*

A. 1561. *Lutetiam* cum *Petro Martyre* & aliis venit, ab *Antonio* Rege *Navarræ* in fidem tunc Reformatam inclinante vocatus, ubi præſentes tunc erant ex omnibus *Galliæ* Provinciis Antiſtites Pontificii, brevique pòſt 4. ſcilicet Novembris, ad Conventum Religionis causâ in monaſterio *Poſſiaceno* inſtitutum conceſſit, ubi præſente Rege *Carolo IX.* Matre ipſius Reginâ *Catharinâ*, multis Regni Proceribus, & variarum Eccleſiarum Paſtoribus, Confeſſionem fidei ſuæ de ſacrâ præſertim Cœnâ, aliiſque Chriſtianæ Religionis articulis omnium Reformatorum nomine declaravit, & cum Cardinale *Lotharingico*, ſed ſine effectu optato, diſputavit. *Poſſiacum.*

Cumque unanimi Proteſtantes præſentes conſenſu formulam de uſu Cœnæ Dominicæ conſcripſiſſent, placuit ea quidem Reginæ & Cardinali, qui, ſe nunquàm aliter credidiſſe clarè tum profeſſus eſt, verùm non item Antiſtitibus, qui compoſitâ contra conſenſus hâc in re formulâ, cui ſi *Beza*, & qui cum eo erant, ſubſcribere detrectarent, nefas eſſe ſtatuerunt, cum illis amplius agere; Sicque ſinguli ad ſua ſe receperunt, *Beza* Reginæ authoritate manente frequenteſque modò in Reginæ *Navarr.* modò in *Condei* ædibus Conciones habente, Rex licet tunc ab Evangelicis receſſerit.

A. 1562. M. Mart. Reginæ Matris juſſu, ipſe & *Marloratus*, *Peruſellus*, ac *Barbaſtus* in S. *Germani* caſtello cum *Sorbonicis* de imaginibus ſermones contulerunt: *Diſputatio de imaginibus.*

Ubi *Hiſpanus*, Jeſuitarum Generalis, omnia ad ſalutem neceſſaria non contineri in verbo Dei ſcripto duabus de cauſis dicebat: Primùm, quod in nimiam molem liber excreviſſet, deindè quod alioqui nulla fuiſſet quidquam poſteà mutandi libertas.

Cumque præterea quidam Adverſariis probaturus, imagines fuiſſe in Templis Chriſtianorum, ætate *Dionyſii Areopagitæ*, imagines in feneſtris vitreis depictas produxiſſet, quæ *Lutetiæ* in Templis quibuſdam antiquis erant conſpiciendæ, *Beza* ridiculum hoc argumentum jocosè eluſit, fragile, coloratum & vitreum tantùm eſſe dictitans. Sed & in hoc Colloquio nihil effectum eſt.

Brevi verò pòſt, exorto primo bello civili, cum *Ludovico* & Principe *Condæo* Reformatorum Patrono manſit, & prælio in Campis *Druidenſibus* commiſſo interfuit, Verbo DEI pugnantes roborans A. 1562.

A. 1563. Pace factâ, impetratâque à *Condæo* abeundi veniâ, *Genevam* reverſus eſt ad munus priſtinum in Eccleſiâ & Scholâ docendi, quod alternis hebdomadibus cum D. *Calvino* usque ad ipſius obitum anni ſeq. præſtitit: deindè cum *Nicolao Colladono*, *Lamberto Danæo*, & tandem cum *Antonio Fayo*. *Genevæ rurſus docet.*

A. 1568. Bello recrudeſcente, *Genevam* ad ipſum venit frater *Nicolaus Beza*, *Vezeliorum* Præfectus, qui poſteà peſte graſſante correptus, ibidem obiit.

Scripſit verò tum *Calvinus* libellos de *Polygamiâ*, *de Divortiis* & *Repudiis*, & contra *Matthiam Flaccium Illyricum*.

A. 1571. *Rupellam* ad Eccleſiarum Reformatarum Synodum venit, eamque moderatus eſt. Ibi confirmata eſt Eccleſiar. *Gallicar.* Fidei Confeſſio. *Rupellam ad Synodum vocatus venit.*

A. 1572. Cum poſt cædem *Bartholomæanam* multi profugi, & inter eos ad 50. Miniſtri omnium rerum egeni *Genevam* veniſſent, *Bezæ* operâ & literis ad pios in *Germaniâ, Angliâ*& *Galliâ* ſcriptis pecunia collecta eſt, quâ fratribus illis per 3. annos, quibus *Genevæ* hæſerunt, proſpectum eſt.

A. 1586. *Montis Pelicardi* oppidum accedens ad Colloquium, inter Theologos *Wirtenberg.* & *Helveticos* inſtitutum cum *Jacobo Andreæ* diſputavit. Cumque utrinque placidè fineque bile diſceſſum eſſet, *Jacobo* tamen *Andreæ* adhærentes de *Bezâ* ebuccinabant triumphum, undè neceſſitas adegit *Bezam*, ut colloquii illius ſummam ſcripto edito comprehenſam publicaret.

Cum Jacobo Andreæ diſputat.

M. April. A. 1588. è vivis exceſſit uxor *Bezæ*, *Claudia Denoſſa*, cum quâ 40. annos in conjugio tranſegerat concordi. Poſteà tamen duxit alteram, *Catharinam Planiam Aſtenſem, Franciſci Taruffi Januenſis* viduam. Cumque brevi pòſt conventus eſſet *Bernenſis*, & huic *Beza* cum aliis interfuit, compoſuitque ibi motam de Juſtificatione hominis coràm Deo controverſiam.

Uxor moritur.

Ducit alteram.

A. 1597. Concionem incepturus, vertigine correptus, è ſuggeſtu deſcendere coactus eſt, nolebat tamen otio omninò langueſcere ſenili, nobiliumque aliquot rogatu A. 1599. aggreſſus eſt Epiſtolæ ad Romanos analyſin brevem, poſtquàm verò id bis tentâſſet, ultrà progredi non potuit.

Cum verò tunc falſus ubique de *Bezæ* morte & ejuſdem defectione eſſet ſparſus rumor, librum *Genevenſes* Paſtores, (cui, *Beza redivivus*, nomen fecerunt,) Gallicè ſcripſere, & Latinè, quo mendacium illud ſat abundè refutarunt.

Calumnia de Bezæ morte & defectione.

Ab eodem autem tempore variis *Beza* morborum generibus afflictus, placidiſſimè tandem exſpiravit 13. Octobr. A. 1605. ætat. 86. Sepultus *Genevæ* in ſuperioris templi pergulâ, quam clauſtrum vocant, jacet, monumentum autem ei honorarium amici tale poſuerunt:

Moritur.

Epitaphium.

D. M.
REVERENDI VIRI,
PIETATE, VIRTUTE, ET DOCTRINA
ORNATISSIMI
D. THEODORI BEZÆ VEZELII,
THEOLOGI
PRÆSTANTISSIMI ET CLARISSIMI,
ECCLESIASTÆ GENEVENSIS
FACUNDISSIMI ET FIDELISSIMI
POETÆ
INGENIOSISSIMI ET SUAVISSIMI:
(HÆCCINE PAUCA SUNT,
COETERA NON CAPIAT UNICUM MARMOR:)
ANTONIUS FAYUS
SUO, COLLEGARUM, ET RELIQUORUM
AMICORUM NOMINE
P. M.
VIXIT ANNOS IIIIXC. MENS. III.
DIES XIX.
IN COELUM MIGRAVIT ANN. CIↃ IↃ. CV.
XIII. OCT.

BEATI MORTUI QUI IN DOMINO
MORIUNTUR
APOC. XIIII.

Fuit verò *Beza* ſtaturâ corporis quadratâ, formâ conſpicuus, valetudine firmâ, adeò, ut quid eſſet, capite dolere, ſe neſcire ſæpè dixerit: Ingenio ſummo, judicio accurato, memoriâ tenaciſſimâ, utpotè qui in extremâ quoque ſenectâ Pſalmos Hebraicos, & integra ex Epiſtolis S. Pauli capita Græca memoriter recitavit: facundiâ inſuper ſingulari, affabilitate & comitate nulli ſecundus.

Proſopographia.

Monumenta ingenii ſui reliquit plurima, quorum elenchus eſt hic:

Scripta.

Confeſſio Chriſtianæ fidei.
Altera brevis Confeſſio fidei.
De hæreticis à civili Magiſtratu puniendis.
Brevis explicatio totius Chriſtianiſmi.
Summa Doctrinæ de re Sacramentariâ.
De Cœna Domini plana & perſpicua tractatio.
Dialogus de verâ Communicatione Corporis & Sanguinis Chriſti.
Abſterſio calumniarum, quibus adſperſa eſt Eccleſia Genevenſis à Tilemanno Heshuſio.
Ad Sebaſtiani Caſtellionis calumnias reſponſio.
Reſponſio ad defenſiones & reprehenſiones Sebaſtiani Caſtellionis.
Ad Joh. Brentii argumenta & Jacobi Andreæ Theſes reſponſum.
Ad alteram Brentiani libri partem, de aſcenſu Jeſu Chriſti.
Ad tertiam Brentiani libri partem de ſeſſione Chriſti ad dextram Dei.
Ad quartam Brentiani libri partem de invocatione Chriſti.
Ad ultimam partem Brentiani libri, ſive appendicem.
De Hypoſtaticâ duarum in Chriſto Naturarum unione.
De unitate Eſſentiæ Divinæ, & tribus in eâ Perſonis.
Theſes ſive Axiomata, de Trinitate Perſonarum & Eſſentiæ unitate.
Quæſtionum & Reſponſionum Chriſtianarum libellus.
Catechiſmus compendiarius.
De Polygamiâ.
De Repudiis & divortiis.
De Pace Chriſtianarum Eccleſiarum conſtituendâ conſilium.
Defenſio Sacramentalis conjunctionis Corporis Chriſti cum ſacris Symbolis.
Reſponſio ad Franciſci Balduini Ecebolii Apoſtatæ convicia.
Ad Nicolaum Selneccerum Reſponſio prima & ſecunda.
Ad ejuſdem μανιώδεις *Apologia tertia.*
Ad F. Claudium de Xainctes Apologia prima, ſecunda & tertia.
Apologia ad acta conventus quindecim Theologorum Torgæ habiti.
Diſceptatio placida & Chriſtiana cum D. Johanne Pappo.

Digitized by Google

Romæ Societ. Jeſu ingreſſus. Moritur. ſe in probationis domum ad Societatis Jeſu regulam formandum tradidit A. C. 1560. æt. 30. Ibi obiit ingenti Sociorum luctu 20. Octob. A. C. 1603. ætatis 73.

Scripſit pereleganti ſtylo:

Scripta. *Hiſtoriarum Indicarum Lib. XVI.*

Selectarum ex Indiâ Epiſtolarum Lib. IV.

De Vitâ P. Ignatii Loyolæ Lib. III.

Vitas XIII. Sanctorum Confeſſorum.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

PAULUS MORIGIUS.

Obiit A. C. 1604.

MEdiolani natus 1. Jan. A. C. 1525. ex nobili & antiquâ familiâ in adoleſcentiâ fratrum Jeſuatorum habitum *Frater Jeſuatorum.* aſſumens, animum variis ſcientiis & imprimis Literarum Italicar. cognitioni & ornatui applicuit, Ordinis tandem ſui cum fratrum omnium applauſu Generalis declara- *Generalis.* tus.

In eo munere conſenuit & mortuus eſt *Moritur.* A. C. 1604. æt. 80. *Mediolani*, ſepultus in Monaſterio *S. Hieronymi* cum hoc Epitaphio marmori inſcripto:

Epitaphium.

D. O. M.
FRATRI PAULO MORIGIO QUI
OPERA LXI. SCRIPSIT.
VIXIT ANNOS LXXX.
OBIIT ANNO M D CIV.
VIRO RELIGIOSISSIMO, AMICO OPTIMO
GEORGIUS TRIVULTIUS MELTII COMES
CO. JO. FIRMI FILIUS.

Linguâ vernaculâ ab eo ſcripta ſunt Opera ſequentia:

Scripta. *Iſtoria dell' Antichità di Milano, diviſa in IV. Libri.*

Teſoro del Chriſtiano.

Opera chiamata ſtato religioſo, e via ſpirituale.

Iſtoria dell' origine della Madonna di S. Celſo di Milano.

Iſtoria de perſonaggi Illuſtri Religioſi diviſa in V. Libri.

Santiſſima vita della glorioſa Madre di Dio.

La nobilità di Milano.

Vite del beato Giovanni Colombino, & del beato Giovanni da Toſſignano.

Sonnetti, Canzoni Spiritali, & Rappreſentazioni.

Calendario volgare.

Iſtoria & Origine della famoſa Fontana della Madonna di Caravaggio.

Iſtoria dell' Origine della glorioſa Madonna del Monte poſta ſopra Vareſe.

L' Ottava maraviglia del ſtupendo Duomo di Milano.

Iſtoria breve dell' Auguſtiſſima Caſa d' Auſtria.

Teſoro pretioſo de Milaneſi, nel quale ſi raccontano tutte l' Opere di carità Chriſtiana & limoſine, che ſi fanno nella Cità di Milano da gli Hoſpitali, Caſe pie, Monaſterii, & altri luoghi.

Santuario della Cità & Dioceſe di Milano, nel quale ſono deſcritti tutti i corpi ſanti, & ſacre reliquie che ſono nelle Chieſe d' eſſa Cità.

Iſtoria della Nobilità & degne qualita del Lago maggiore.

Sommario delle coſe mirabili della Cità di Milano diviſe in due Libri.

Iſtoria dell' origine di tutte le Religioni che ſono ſtate al Mondo, in tre Libri.

Riforma dello Regola & conſtitutione della religione de Gieſuati.

Il Gioiello de Chriſtiani diviſo in V. Libri.

Il Paradiſo de Gieſuati in V. Libri.

Giardino ſpirituale diviſo in VIII. Parti.

Prato Spirituale in III. Libri.

Delle regole da oſſervarſi nell recitare l' Hore Canoniche nel divino Officio.

Officio del glorioſo nome di Gieſu con le Litanie &c.

Sommario Cronologico diviſo in VII. Libri.

Illuſtre raccolta della progenie del Sommo Pontefice Gregorio XIV.

Nobilità de gli illuſtri Signori ſeſſanta del Conſiglio generale di Milano.

Iſtoria della vita & morte dell' Infante Liſabeta d' Auſtria Regina di Francia.

Converſione, vita eſſemplare, & beato fine di Lodovica Torella Conteſſa di Guaſtalla.

Iſtoria della Religione, & de gli Huomini beati della Congregatione Gieſuatana.

La Perfezione Spirituale, & la Scala de Religioſi del Beato Giovanni da Toſſignano.

Amaeſtramenti della Parolla di Dio, & dell' excellenza dell' Orazione.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

PETRUS COTTONUS.

Obiit A. C. 1604.

NAtione *Gallus*, patriâ *Foreſianus*, ex *Lugdunenſi* Diœceſi, Societati Jeſu adhærens, Vir fuit rarâ ſcientiâ, eloquentiâ, & pietate præditus. *Societ. Jeſu adhærens.*

Regi *Galliarum Henrico IV.* fuit chariſſimus, apud quem Concionatoris munere functus eſt magnâ hominum admiratione, & fructu. *Concionator Reg. Gall.*

Edidit Gallicè.

De Miſſæ Sacrificio Lib. adversùs Miniſtrum Gratianopolitanum. *Scripta.*

Apologias plures.

Interiorem devotæ mentis occupationem.

Epiſtolas Apologeticas de Fide Catholicâ, adverſus Danielem Chauerum Delphinatem.

De locis S. Scripturæ â Calvinianis corruptis.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu P. Petri Ribadeneiræ.*

VITUS MILETUS GAMUNDIANUS.

Clar. A. C. 1604.

SAcro ſanctæ Theologiæ Doctor: Cum eas, quibus ad humanitatem excoluntur animi, literas ac Philoſophiam affatim percepiſſet, felici ad Theologiam gradu *Theologiæ Doctor.*

& præterea Latinæ, Græcæ, atque Hebraicæ Linguæ peritiam adjunxit.

D. Thomæ Aquinat. interpres. Romæ, in *Sicilia*, & in Academiâ *Pariſ.* *D. Thomam Aquinatem* magnâ cum laude publicè eſt interpretatus.

Sed morbis impeditus, coactus eſt ſtudiorum curſum vel interrumpere, vel remittere, & animum ad ſtudia leviora referre. *Moritur.* Itaque *Toletum* in *Hiſpaniam* rediit, & obiit ſeptuagenario major A. C. 1608.

Scripſit & edidit:

Scripta. *Annalium Hiſpaniæ Lib. XXX. Latinè & Hiſpanicè.*
De Rege & Regis Inſtitutione. Lib. III.
De Ponderibus & Menſuris. Lib. I.
Tractatum: De adventu B. Jacobi Apoſtoli in Hiſpaniam.
De Editione vulgatâ SS. Bibliorum.
De die & anno mortis Chriſti.
De annis Arabum cum annis noſtris comparatis.
De Spectaculis.
De Monetæ mutatione.
De Morte & Immortalitate Lib. III.
Bibliothecam Photii in Epitomen redegit: & *Latinas fecit B. Cyrilli Epiſcopi Alexandrini Homilias:* quæ duo tamen Scripta lucem nondum aſpexerunt.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeniræ.*

Mortis aſſiduè memor de ſe ipſo hoc pangebat Carmen:

Ebora me genuit, Compluti myſtica cœpi
Romæ & Lutetiæ dogmata quæ docui.
Sed fractus tandem cœlo atq; labore, Toletum
Conſcripſi Heſperiæ tempora priſca redux.
Eſt MARIANA *domus, Chriſti inter vita Sodales,*
Multiplicis Sophiæ cultus amica quies.
An dabit exſtinctus tarda ut poſt fata quieſcam
Volvere bis ſeptem qui mihi luſtra dedit.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum Scriptorum.*

Obiit A. C. 1608.

JOHANNES PISTORIUS NIDDANUS.

Niddæ *Haſſorum* natus eſt 4. Febr. A. C. 1546. Patre *Johanne Piſtorio*, viro in Theologiâ eximio, & Ord. *S. Johannis* Equiti *Melitenſi*, qui ſub initium Reformationis à *Martino Luthero* ſuſceptæ, primus in Comitatu *Niddâ Lutheranus* Superintendens & Paſtor factus A. 1530. actui memorabili *Auguſtæ* interfuit, quo 25. Julii in Palatio Cæſaris *Caroli V. Lutheranorum* Confeſſio ſonorâ voce fuit prælecta; obiitque 25. Jan. A. C. 1583. ætatis 81.

Medicinæ Doctor. Juvenis ab initio animum ad Medicinam appulit, tantosque in eâ progreſſus fecit, ut Med. Doct. ſolenni Academiarum more fuerit declaratus. Poſteà ad Theologiam *Theologiæ Doctor.* pio religioſi animi propoſito ſe contulit, nec tantùm Theologiæ Doctor renunciatus eſt, ſed etiam *Cæſ. Rudolphi II.* Eccleſiaſtes & Confeſſionarius Aulicus factus. *Concionator Aul. Cæſ.* Sed ut Pater magnus Religionis Evangelicæ Propugnator, ita Filius acerrimus illius oppugnator exſtitit. Huic etiam in honorem totius Familiæ cum Nobilitate Aquila Imperialis tradita eſt ab *Imperatore Rudolpho II.* poſtquàm Protonotarius Apoſtolicus fuiſſet creatus A. 1589. Colloquio Theol. *Badenſi* unà cum *Jacobo Andreæ* interfuit.

Obiit tandem A. C. 1608. æt. 63. *Moritur.*

* *Ex appendice ad Orationem fun. D. Theodori Reinkingii à Baltaſ. Arndt Argentorati habitam.*

Libros edidit:

Rerum Polon. Scriptores uno vol. compr. *Scripta.*
Anatomiam Lutheri.

Wegweiſer vor alle verführte Chriſten: das iſt / einen warhafften Bericht von 14. durch die Unrechtglaubigen in Streit gezogenen Articuln / daraus jederman der Römiſchen Kirchen Warheit erkennen kan.

Spiegel der Zwingliſchen und Calviniſchen Religion.

Bericht / daß die Calviniſche / Lutheriſche / Schwenkfeldiſche / Wiedertäufferiſche keine rechte Kirch Chriſti ſeyen.

Iconi ejus æri inſculptæ hoc Epigramma legitur ſubſcriptum:

Epigramma.
Vis ſcire, quis ſim? nomen eſt PISTORIUS.
Dixi ſatis: Doctrina, virtus, & fides
Dicent reliqua. Sed ecce, ne quid neſcias,
Hæreticus olim: nunc gregem & vocem ſequor
Chriſti unici Paſtoris: hunc doceo, colo,
Profiteor, ore, corde, ſcriptionibus.

Obiit A. C. 1608.

PANTALEON CANDIDUS.

Natione *Auſtriacus*, natus eſt 7. Octob. A. 1540. quem ipſe hoc Diſticho Chronologico expreſſit:

PantaLeon genItVs CLaras eſt LVCIs In oras,
CanDIDVs Vt ferVens ſoLIbVs æſtVs erat.

Patrem habuit *Wolffgangum* Weiß / qui annum ætatis 95. attigit, *Petzenkirchii* A. 1576.

Sepultus verò eſt tali Epitaphio à filio *Pantaleone* celebratus:

Bis Turcæ inſultus, rerum mala multa ſuarum,
Prolis & expertus funera multa ſuæ.
Sed Domino ſemper rebus confiſus in arctis,
Suſtinuit forti triſtia quæque animo.
Quando novem decies vitam produxit in annos,
Wolffgangus jacet hoc Candidus in tumulo.

A. 1550. Ad Paſtorem Evangelicum *Weiſenkirchii, Andream Cupicium Carniolanum* venit, cum quo *Viennam* in captivitatem abducto in carcere famuli loco decem menſibus vixit, in quo à *Petro Caniſio*, Jeſuitâ, *Præceptor Pantaleonis, quem captivum Viennam comitatur.*

fruſtrà

Elatus autem eſt frequenti funere die 21. Maji, ſepultusque, uti vivus mandârat, in cœmiterio extra urbem, Concionem funebrem habente *Caſparo Ulrico*, aulico Concionatore.

Mortuum amici Epicediis celebrârunt carminibus, ac monumento laudarunt ejusmodi:

Epitaphium.

CHR. SER. SAC.
LECTOR QUISQUIS ES CAND. BENEV.
ADVERTE SIS PAULULUM ET DISCE:
WOLFGANGUS AMLINGUS
MUNERSTAD.
FRANC. OPPID. ORIUND.
POSTQUAM VARIAS, PATRIA OB
PURIOREM VERIT:
CONFESS. MISERE AFFLICTA
MULTIS A PUERO ANNIS
EXPERTUS ESSET ANGUSTIAS:
AD HANC TANDEM DIU MON.
CONFUGIENS URBEM:
PRIMUM QUIDEM SCHOLÆ AD. D. BARTH.
RECT. DILIG. DIGNISS.
DEIN ECCLESIÆ HUJUS VERUS
AC FID. EPISC.
MOX ETIAM VICINARUM ANTIST. VIGIL.
INSUPER TH. IN ILL. GYMN. PROF.
P. DESIGN.
FIDEI AC SEDULITATIS SUÆ
SPECIMINA RELIQUIT MINIME INTERITURA:
QUEM
PIETAS SINCERA, EXCELLENS
DOCTR. HUMIL. INSIGNIS;
IN DOCENDO DEXTERIT.
ADMIRAND. ATQUE INTOLERAND. PRO
COMMISSI GREGIS INCREMENTO
LABORIBUS INVICTA MAGNANIMITAS.
CELEBERR. QUIBUSQ. VERBI DIV. PRÆCON.
HAUD INFERIOREM
DOMESTICIS PARITER ATQ. EXTERIS
CARISSIMUM
NEC INFIMIS SOLUM, SED ET SUMMIS
SINGUL. ECCL. NOST. ORNAM. IPS.
NUNCUPANTIBUS, FECERUNT:
FRACTA TANDEM, SEU MATURESCENTIS
ÆTATIS MOLE, SEU CURARUM
LABORUMQUE VI, CORPUSCULI OECONOMIA,
HUMANISQUE ADEO PRÆSIDIIS NEQUICQUAM
ADHIBITIS, ANIMO CERTA MELIORIS
VITÆ FIDUCIA ERECTO, TOTUS IN EUM,
QUI VITA NOSTRA EST ET LONGIT.
DIER. NOSTR. CONVERSUS:
MORTALIT. HUJUSCE VINCULIS SOLUT.
AD COELESTE BRABEUTERIUM,
TALENTI FELICIT. LOCATI PROEM.
RECEPTURUS
AMPLISS. LÆT. COMMIGRAT.
A. S. CIↃ IↃCVI. MAJI, D. XIIX.
Æ. A. LXIV. M. II. D. XVI.
AGE, LECTOR, SI QUOD TE VOLEB.
DIDICISTI,
BENE HABE, ET QUO TUA TE RES VOCAT,
ABI.

Edita ab ipſo ſunt:

Scripta.

Victoria de triumphatâ Communicatione Idiomatum reali.

Contra Johannem Matthæum Smalcaldenſem.

Explicatio articuli de Incarnatione Chriſti.

Proceſſus Judicii extremi ex Apoc. 20.

Chriſtiana repetitio doctrinæ de cœnâ Domini ex verbis Apoſtoli 1. Corinth. 10. & 11.

Explicatio γνωσμάτων Electorum Dei ex Apoc. 7.

Chriſtiana commonefactio ex Dict. Paulino: Quæ ſupra ſunt quærite.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Theol. Germ.*

JOHANNES SCHOLLIUS.

Clar. A.C. 1606.

HIc *Heſſus*, & quidem *Battimontanus*, Johañis *Moltheri* fuit ſympatriota, agnatus & diſcipulus, qui noctes diesque in omnium doctrinarum meditatione verſatus, id indefeſſo meruit ſtudio, ut, poſtquàm *Moltherus Fridbergam* diſceſſiſſet, propter eximiam eruditionem, anno 1600. ad docendum Linguam Sanctam adhibitus fuerit.

Hebrææ Linguæ Profeſſor.

Verùm quinquennio pòſt, cum *Moltherus* ad Academiam revocatus eſſet, ille viciſſim ad docendum Eccleſiam *Fridbergenſem* accitus, eò ſe contulit, ibidemque non ita multò pòſt cœlebs adhuc in ipſo ætatis flore extremum diem obiit: Vir utique pietate & eruditione inſignis.

Eccleſiæ Fridbergenſis Paſtor. Moritur.

* *Ex MSS. Marpurgenſibus.*

PETRUS LILIA.

Obiit A.C. 1606.

PRæpoſitus *Sredenſis* & Canonicus *Poſnanienſis*, *Poſnaniæ*, quæ Provinciæ illius umbilicum ferè obtinet, oriundus, in *Cracovienſi* Academiâ Philoſophicas diſciplinas imbibit, earumque Lauream aſſecutus, Nobiles Adoleſcentes tùm publicè tùm privatim inſtituit.

Philoſ. Magiſter.

Poſteà in *Italiam* profectus, & in *Romanâ* Academiâ Doctoris titulum adeptus, inſigne ſpecimen ingenii ſui declaravit, pluries tum in diverſis Academiis, tum in *Cracovienſi* pro obtinendo loco inter Doctores diſputando.

Theologiæ Doctor Romæ.

Academia enim *Cracovienſis* inter alias leges ſibi publicè utiles illam etiam ſanxit, ut qui aliâ in Academiâ teſtimonia eruditionis eſſet conſecutus, eorum domi uſum â publicâ Diſputatione ordiretur, primùmque Univerſitati promotionem & eruditionem ſuam probaret.

Lex Academiæ Cracovienſis.

Cum in faciendis ad populum Concionibus eſſet feliciſſimus, multis Principibus Viris extitit gratus, quamvis non diu amatus, brevi enim â febre oppreſſus vivere deſiit.

Concionator.

Conditus fuit in Baſilicâ *Poſnanienſi*, tali Epigraphe additâ:

Epitaphium.

D. O. M.
REVERENDO DOMINO PETRO LILIA S.
THEOL. DOCT. OLIM SERENISS. RE-
GIS STEPHANI CONCIONATORI, CA-

 NO-

NONICO POSNANIEN. PRÆPOSITO SREDENSI, QUI ANNO SALUTIS PARTÆ M DC VI. MENS. FEBR. DIE XXII. ÆTATIS SUÆ ANNO LX. ULTIMUM CLAUSIT DIEM.

EXEQUUTORES TESTAMENTI FIERI CURAVERUNT.

ORETUR PRO EO.

Scripſit & edidit:

Scripta. *Salomonem Regem ad Sereniſſ. Sigismundum III.*

Orationem de S. S. Trinitate contra Arrianos.

Comment. ſuper Sententias Nazianzeni, quas Græcarum literarum non ignarus Latinâ civitate donavit.

Actiones pro domo ſuâ, & ad Tarnavium Archiepiſcopum Orationes.

** Ex Elogiis centum illuſtrium Poloniæ Scriptor. Simon. Starovolſcii.*

Obiit A. C. 1606.

JACOBUS MATTHIÆ VELLEIUS.

NAtus *Vedelæ* in *Jutiâ* 24. Julii A. C. 1538. patre *Matthiâ Nicolai* f. urbis Conſule; matre *Helenâ Chriſtiani Nicolai*, Conſulis *Vardenſis* filiâ, prima doctrinæ ſemina *Vedelæ* hauſit.

Sed A. 1548. in *Ripenſem* Scholam miſſus, ſub Rectore *Jano Petræo Grundit*, indè A. 1551. in *Othinienſem*, ſub Rectore M. *Laurentio Coldingio*, demum A. 1553. in *Viburgenſem*, ſub Rectore Dom. *Olao Sköt*, ita in bonarum artium ſtudiis profecit, ut ab hujus Succeſſore Dom. *Rembolto* cum Teſtimonio dimiſſus, A. 1555. Civitatem Academicam impetraret, Rectore *D. Palladio*, Epiſcopo, in cujus ædibus, præſentibus omnibus Regni Epiſcopis, Sacris Academicis inauguratus eſt d. 8. Maji à Decano Facult. Philoſ. M. *Johanne Alberti*, quem privatum ſibi Præceptorem elegit. *Hafniæ Civis Academicus.*

Baccalaureus. Primam Philoſophicam Lauream conſecutus eſt A. 1559. Decano M. *Paulo Matthiæ*. A. 1561. in exteras Academias conceſſit, *Lovanienſem* inprimis, *Pariſienſem*, & *Vitebergenſem*: & in hâc quidem ſupremâ Laureâ Philoſophicâ ornatus eſt 10. Aug. A. 1563. *Magiſter Philoſ.*

Lector Pædagogicus. Reverſus in patriam A. 1565. ad Lectionem pædagogicam receptus eſt, *Copias Verborum* publicè docturus, conſtituto in primum annum ſtipendio 60. thalerorum.

Rector Scholæ Ripenſis. Sed cum *Ripenſi* Scholæ ejusque Epiſcopo M. *Paulo Matthiæ* ſuam operam addixiſſet, *Ripas* abiens, illi Scholæ præfectus eſt. Eodem anno ab Abbate *Sorenſi*, M. *Martino Petræo*, ad docendam ibi Theologiam invitatus, ſuaſu amicorum id munus recuſavit.

Conjugium ejus & Liberi. Sequente anno 1566. d. 13. Oct. uxorem duxit *Catharinam*, *Baggæi Jani*, Senatoris *Ripenſis*, filiam; cum quâ annos 40. vixit pio ac concordi conjugio, ſuſcepitque ex eâ ſexus utriusque liberos 11: Filios *Matthiam*, Med. D. & Archiatrum Regis *Chriſtiani IV*. & Prælatum *Arbuſienſem*: *Olaum*, Med. Doctorem: *Janum*, Eccleſ. *Skoulengenſis* in *Lollandiâ* Paſtorem: *Baggæum* Eccleſiæ *Skerningenſis* in *Lollandiâ* Paſtorem: *Petrum*, civem *Othinienſem*: Filias, honeſtis conjugiis elocatas, *Helenam*, *Johanni Laurentii* Med. Doct. & Canonico *Ripenſi*: Mariam, *Æſchylo Chriſtiani* Med. Doctori, Practico *Fyonienſi*, & Vicario *Roeskildenſi*: *Medeam*, primùm *Laurentio Johannis* f. *Mule*, Canonico *Asloenſi* & Vicario *Lundenſi*, qui annos XI. in Cancellariâ Regiâ ſervierat; deindè M. *Petro Chriſtiani*, Paſtori Eccleſiæ *Vedelenſis*.

A. 1567. Eccleſiæ Cathedralis *Ripenſis* Paſtor conſtitutus eſt. *Paſtor Eccleſiæ Ripenſis.*

A. 1588. A Præpoſitis & Paſtoribus Eccleſiarum *Fyonienſium* Epiſcopus electus, & confirmante electionem Sereniſſ. Rege muneri d. 25. Febr. *Othiniæ* inauguratus, illud annos 18. ſingulari pietate ac ſollicitudine adminiſtravit. *Epiſcopus Fyonienſis.*

Obiit 24. Sept. A. C. 1606. ætatis 68. Sepultus *Othiniæ* in æde D. *Canuti*, funus deducentibus, præter magnum Eccleſiaſtici ac Civilis Ordinis numerum, etiam ex Nobilitate circiter 60. cui Ordini per omnem vitam gratus valdèque acceptus fuerat. Uxor obiit A. 1614. ætatis 66. *Moritur.*

** Ex Acad. Hafnienſ. repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

Obiit A. C. 1606.

JOHANNES WEIDNERUS.

LEndſidelii, pago Comitatûs *Hoënloiæ* oppido *Kirchbergæ*, vicino natus eſt 11. Nov. A. C. 1545. parentibus ruſticis, *Georgio Weidnero* & *Annâ Krauſiâ*.

Ab agricultura ad ſtudia venit Hallam Suevorum. Agriculturæ in annum usque ætatis duodecimum deditus A. 1557. *Hallam Suevorum* venit, famulum agens apud *Caſp. Guttenbergerum*, ejusque Convictores, inter quos nobiles aliquot fuêre.

Ab hoc hoſpite ſuo Scholæ primùm *Germanicæ*, deindè Latinæ quoque traditus ſexennii ſpatio ſtudiorum fundamenta feliciter poſuit, & 13. Julii A. 1562. cum teſtimonio M. *Mich. Kerneri* Scholæ *Hall.* Rectoris munitus *Spiram* diſceſſit, ibique biennio ſubſiſtens, ſtudia ſua feliciter continuavit, quæ deinceps *Düſſeldorpii* Ducatûs *Clivenſis* Metropoli Præceptoris privati nomine melius excoluit, ab A. 1564. ad 1568. quo in Academiam *Argentinenſem* conceſſit. *Spiræ ſtud.* *Düſſeldorpii.* *Argentinæ.*

Præceptor Scholæ Spirenſis. Sed brevi poſt *Spiram* ad Præceptoris in Scholâ munus revocatus, & per ſesquiannum ibi commoratus, 5. Sept. A. 1570. in Academiam *Tubingenſem* venit, & Theologis innotuit.

Diaconus Creilsbemii. *Sponſalia ejus prima.* A. 1571. *Creilsbemii* Diaconi functus officio, mox anno ſeq. *Onolsbaci* Paſtor Eccleſiæ ordinatus eſt, cum paulò antè deſponſatus fuiſſet cum virgine Catharinâ *Georgii Stadmanni*, Senatoris *Hallenſis* filiâ, cum quâ 26. annos in pacto conjugio exegit, ex eâque 10. liberos ſuſcepit, duos verò tantùm filios

filios, *Joh. Jacobum* & *Joh. Georgium*, cum filiâ *Catharinâ* ſuperſtites reliquit.

Diaconus Halæ.

16. Martii A. 1572. *Creilshemio Halam Suevorum* venit, Diaconus & Paſtor xenodochii factus, in quo munere perſeveravit usque ad A. 1577. quo M. *Michaëli Kernero*, Præceptori quondam ſuo, in Scholæ Rectoris munere ſucceſſit.

Rector Scholæ.

A. 1594. Iterum Decanus & xenodochii Paſtor factus, biennio pòſt uxorem cum filiâ peſte graſſante abreptas amiſit.

Sponſalia ſecunda.

12. April. A. 1597. Iterum deſponſatus cum virgine *Catharinâ*, *Wolfgangi Fiſcheri*, Senatoris *Hallenſis* filiâ, 4. ex eâ liberos ſuſcepit, ſed filium tantùm unicum *Joh. Wolfgangum*, & filiam *Annam Mariam* reliquit.

Eccleſiaſtes, & Decanus Hallenſis.

31. Oct. A. 1597. â Senatu *Hallenſi* Eccleſiaſtes, in locum vitâ defuncti M. *Davidis Rösleri*, & mox anno ſeq. Decanus ejuſdem Eccleſiæ conſtitutus eſt.

Conciones ejus.

Miniſterii ſui tempore *Acta Apoſtolor. Epiſtolas Pauli ad Rom. Coloſſ. & Philipp. Apocalypſin, Threnos, 7. Pſalmos pœnitentiales, Tab. Oecon. Tobiæ, Ezechielis cap. 38. & 39. de Gog & Magog in Concionibus ſuis explicavit.*

Moritur.

Præ mœrore tandem uxoris ſecundæ per mortem ſibi abreptæ lecto affixus, & 4. ſeptimanis decumbens, viribus ſenſim deficientibus placidè exſpiravit 29. Oct. A. C. 1606. æt. 61.

* *Ex Concione fun. Chriſtoph. Greteri Concionatoris Hallenſis.*

Obiit A. C. 1606.

JOHANNES RHUMELIUS.

NAtus eſt *Meringæ*, pago *Bavariæ Danubio* contermino, Anno æræ Chriſtianæ 1526. 13. Kal. Sept. ex familiâ non ignobili, licet eò per fortunæ injuriam redacta, ut patris hujus frater *Chriſtophorus*, *Auguſtæ Rhetiæ* ad D. *Mauritium* Canonicus & Senior, A. 1533. ſolus ſplendorem antiqui generis ſuſtinuiſſe fuerit agnitus. Cum enim patris *Cunradi* ex vivis A. 1539. ſublati, & *Ingolſtadii* apud *Franciſci* familiam ſepulti, ingenium â literarum humaniorum ſtudiis abhorreret, fratris curâ, quem dixi, veſtiarius factus eſt; Sed ubi hanc operam ſedentariam omninò averſaretur, apud Sereniſſimum *D. D. Guilielmum V.* Ducem utriusque *Bavariæ*, venationibus ferarum, rei profectò Principibus gratiſſimæ, deditus, charum his ſe artibus Principi ſuo probavit: Huic *Cunrado Georgii* filio, honeſto matrimonio per ætatem maturam caſtæ virgini ſe adjungenti, & in illo liberos octo legitimè procreanti, *Johannes Rhumelius* gignendi naſcendique primitias debet.

Familia Rhumeliorum antiqua.

Literis operam dat.

Poſtquàm verò per ætatem jam aptus eſſet ad Scholam, per ingenium ad ſtudia; in patriâ prima literarum rudimenta, in loquendi, ſcribendi, canendique arte hauſit, ut ſacerdos loci eum ſummum fore in doctrinâ olim virum, jam ſpe præſumeret, & apud Parentem inſtaret, ut aliquid ſumtuum in illum jam ad exteras Scholas ablegandum conferret.

Parens, licet invitus, utpotè qui *Dianam* ſemper *Minervæ* præferre ſolitus, monitis Sacerdotis victus, illum *Auguſtam Tiberii*, *Ratisbonam* vocant, ad dextram *Danubii* ripam ablegat, ubi civi magni nominis, ad operas domeſticas corpus, Rectori Scholæ verò animum ad culturam ingenii uberiorem committit.

Ratisbonam venit.

Sæpiùs verò ibi varia fidei & integritatis experimenta ex illo tum temporis ſumta ſunt, jam nummis aureis ſparſis, jam vini poculis in ſpeciem liberalitatis poſitis; in quibus tamen ſemper inſtrumenta ſenſuum ita rexit, ut animum â delectatione, manus â rapacitate, os ab aviditate flexerit.

Singularia fidei experimenta.

Nec tamen his artibus ceſſatum eſt, quin os cretâ ſublitum ferre cogeretur, quoties in ſpecum ſubterraneam, vini afferendi gratiâ, juſſu herili ablegaretur: in reditu etiam pati, ut famula odoratu palatum illius pertentaret.

Poſtquàm verò conſcientiam puram ab omnibus illecebris conſervâſſet, cepit eum loci ſaties, in quo toties fidei ſalvæ documenta dediſſet, & *Novum Forum, Nariſcorum* oppidum, in ſuperiori *Bavariâ* contendit, ubi civis cujusdam filios ad Scholam deduxit euntes, & redeuntes reduxit, illorumque ſtudia & mores privatim gubernavit, publicè verò ſtipe collatitiâ vixit.

Neoforum proficiſcitur.

Profectus *Novo Foro Aichſtadium*, in Eccleſiâ ad inſonandum verſiculos hymnorum contentiore voce conductus eſt.

Et Aichſtadium.

Aichſtadio relicto, agnati cujusdam ſuaſu, ſe ad *ἀσκητήριον Pruſeningenſe*, ſupra *Ratisbonam*, ad *Confluentes Danubii* & *Nabi*, fundatum per *S. Othonem* Epiſcopum *Bambergenſem* A. 1109. contulit, & in eo integrum annum ante ſolennem profeſſionem, ex lege novitius conſtanter perſeveravit; deindè palàm profeſſus eſt *ἀσκήτης* jam ſpe, propter prudentiam rei familiaris; quæ tum in eo mirè elucebat, & eruditionem ſingularem, quâ minoribus ætate *Terentium*, *Virgilium*, *Mantuanum*, *Eraſmi colloquia* explicabat, ab Abbate *Eraſmo Nitenauero* Succeſſor & Cœnobiarcha *S. Haimerani*, A. 696. â *Theodone V. Bavariæ* Duce fundati collegii, deſignatus.

Novitius in Collegio Cœnobii Pruſeningenſis.

Cum verò interea temporis parentem amiſiſſet, mater ipſum inviſens, hæreditatis paternæ portionem, quæ ultra 13. Nummos unciales ſe non extendebat, unà cum libro Sacro Inſtrumenti Novi ipſi obtulit; in cujus lectione aſſiduè verſatus, tantum profecit, ut Romanæ Eccleſiæ veteres mores facilè â novis diſcerneret: Præterea ex quotidianis Monachorum ſermonibus audiebat, ſe leges paupertatis in balneis, caſtitatis in delubro, obedientiæ in capitulo, (quod vocant,) intemerata ſervare, huc acceſſit, quod mores cœnobiorum â vivendi lege primitus homini dictâ alienos experiebatur.

N. T. legit.

Monachorum mores obſervat.

Viderat denique A. 1542. *Ratisbonenſes Confeſſionem Auguſtanam*, accerſito ex urbe *Nori-*

Noribergenſi Orthodoxo quodam Prædicatore, recepiſſe.

Monachos Bened. relinquit. Literis operam dat Ingolſtadii. Anno igitur 1546. 4. Non. Martii, qui erat dies Cineralium, horis antelucanis ἀσκητηρίῳ egreſſus, toti *Benedictinorum* collegio valedixit, veſtemque viatoriam induit: *Ingolſtadium* delatus, pridie Id. Mart. prima rudimenta tyrocinii depoſuit, inque numerum ſtudioſorum relatus eſt.

Uxorem ducit. *Ingolſtadio* diſcedens, *Werdam* pervenit, ubi virginem duxit *Veronicam*, ex quâ pater factus eſt unius prolis.

In hoc oppido miſerè ipſum vexâvit res anguſta domi, bello præſertim durante Germanico, ubi Schola *Werdenſis* in equile converſa eſt.

Docet Neopyrgi. Vocatus poſteà à Nobili Viro *Sebaſtiano Schertlin*, officium ſcribæ ærarii facilè ſuſcepiſſet, niſi eo ipſo anno 1552. ipſi *Neopyrgi* ad *Danubium* munus docendi & Curionis *Kürſtadienſis* oblatum fuiſſet: quod Concione primâ VII. Id. April. cum applauſu habitâ feliciter accepit.

A. 1557. *Zirthemium* & juxtà *Thadenhuſum* translatus eſt, ubi vixit per 3. trieterides & anni trientem, à *Wolfgango Palatino* clementiſſimè dimiſſus.

Diaconus Nehrlingenſis. A. 1566. ipſi *Lauingæ* in ædibus *Laurentii Drochleri*, nomine Senatus *Nehrlingenſis* Diaconatus ad S. *Gregorii* ædem oblatus eſt.

Nonis itaque Octobris accinctus itineri, *Nehrlingam* pervenit, primamque orationem ſacram ad cives ex ſuggeſtu habuit ex Ep. *D. Petri c. 5. v. 8. — 11.*

Nova inſignia impetrat. A. 1570. 11. Kal. Sept. à *Maximiliano II. Spiræ* in Comitiis nova inſignia, quorum Diplomati *Daniel*, Archiepiſcopus *Moguntinus*, propria ſubſcripſit manu, impetravit; antiquiora enim, (licet illorum typus tum temporis in feneſtris Eccleſiæ *Meringenſis* adhuc depictus, ſuis coloribus remanſerat,) belli *Bavarici* temporum injuriâ interciderant.

Ad ſecundas tranſit nuptias. A. 1573. conjugem *Veronicam*, laborum & dolorum exantlatorum ſociam, amiſit, ſolenni verò ritu matrimonium rurſus contraxit cum *Sibylla*, *Wendelini Lucii à Lucenhard*, filiâ, virgine ex antiquiſſimâ & Nobiliſſimâ *Luciorum* ſtirpe prognatâ. Annum, menſem, diem Nuptialis ſolennitatis quidam hoc diſticho complexus eſt.

HoC anno RVMeL ConnVbla Leta CeLebrat,
AprILIs regeret ter qVater atqVe poLo.

Pater ex hâc Conjuge factus eſt *Johannes* filiorum *Johannis Cunradi*, Medicinæ Doctoris, *Johannis Chriſtophori*, *Johannis Chriſtophori* ejus nominis *ſecundi*, *Johannis Jacobi*, *Johannis Chriſtiani*, *Johannis Guilielmi*, & *Johannis Godefridi*, nonnullorum in juventute demortuorum.

Proſopographia Rhumelii. Cœterùm incredibilis in illo fuit vis memoriæ, ingenium in quovis ſtudio magnum, judicium acerrimum, Linguæ *Romanæ*, *Græcæ*, *Sanctæ* cognitionem habuit non uſque adeò vulgarem.

Libros ſacros indefeſſo evolvit ſtudio, *Lutheri* & *Philippi* ſcripta fecit maximi.

Horis ſubſecivis hiſtoriographos, (quorum in Bibliothecâ ſuâ maximum habebat proventum,) quâ ſacros, quâ prophanos, incredibili voluptate excuſſit, & quicquid memoratu dignum erat, in commentarios retulit. Nec Philoſophos neglexit, quos ad normam Chriſtianam ſcilicet Religionem ſemper examinavit.

Omnium ſectarum, quæ Chriſti Perſonam, Naturam, Officium Propheticum, Regium, Sacerdotale extenuabant, ſubſannabant, hoſtis fuit acerrimus: Ceremonias abrogavit ſuperſtitioſas, Adiaphora, quæ in offenſionem infirmorum cedere exiſtimabat, ex oculis omninò removenda cenſuit.

Vultu fuit ſeverus, colore faciei ſubrubicundo, fronte quadrangulari, capillis canis, naſo pleno, oculis ad humanitatem pænè invitantibus.

A. 1603. ab ampliſſimo Senatu miſſionem impetravit, pleno ſtipendio nihilominus ipſi ad extremum vitæ diem, (ut par erat,) numerato. *Miſſionem impetrat.*

A. 1605. Conjugem chariſſimam in templo apoplexiâ magnâ exanimatam ad vitæ æternæ conſuetudinem præmiſit, quam ipſe A. 1606. XVII. Kal. Maj. ſubſecutus eſt: poſtquàm vixiſſet A. LXXX. M. IIX. Dies XXVI. *Moritur.*

Epiſtolam S. Pauli ad Galatas 106. *homiliis* recenſuit, uſus præſidio *Lutheri*, *Brentii*, *Majoris*, *Hemmingii*, quas A. 1583. *uno volumine* conſcriptas Ampliſſimo *Nehrlingenſium* Senatui ex voto dedicare voluit; verum typographorum injuria non paſſa fuit illum hoc gratæ mentis teſtimonium publicum facere. *Opera ab ipſo ſcripta.*

Præterea conſcripſit *homilias de Puero Jeſu ex Prophetâ Jeſaiâ.*

A. 1587. *Ex Epiſtola Pauli ad Philippenſes Sermones habuit* 46. ad populum A. 1593. *Ex Epiſt. ad Coloſſenſes* 55. *qui in M.SS. filii Joh. Cunr. M.D. aſſervati fuêre.*

* *Ex Vitâ Johannis Rhumelii, à filio Joh. Cunr. deſcripta.*

RICHARDUS VAUGANUS.

Obiit A.C. 1607.

EX *Walliâ* oriundus: *Cantabrigiæ* in S. *Johannis* Evangeliſtæ Collegio literis dedit operam, ibique Doctoratus in Theologiâ gradum accepit. *Fit Doctor Theologiæ.*

Cum eſſet Reginæ *Eliſabethæ* à Sacris, primùm provectus eſt A.C. 1596. ad Epiſcopatum *Bangorenſem*, & Anno ſequenti ad Epiſcopatum *Ceſtrenſem*.

A. 1604. Epiſcopus *Londinenſis* declaratus eſt. *Epiſcopus Londinenſis.*

Vir fuit valdè doctus, ſed vitæ ſanctimoniâ melior.

A. 1607. Vitâ defunctus, prout in votis habuit, absque ullâ exequiarum honorificen- *Moritur.*

ficentiâ in *D. Pauli* Eccleſiâ Cathedrali humatus eſt.

* *Ex Herologiâ Anglicâ.*

Johannes Owenus Britannus, Poëta, hoc ejus honori fecit Epigramma, lib. 2. Epigr. 23.

Epigramma in ejus honorem.

Hi mihi Doctores ſemper placuêre, docenda
Qui faciunt, plus, quàm qui facienda docent.
Paſtor es Anglorum doctiſſimus, optimus ergò,
Nam facienda docens ipſe docenda facis.

Obiit A.C. 1607.

JOHANNES REINOLDUS.

PAtriâ Devonienſis natus eſt A.C. 1549. Muſis innutritus *Oxoniæ* in Collegio Corporis Chriſti, in ſociorum numerum cooptatus, & Doctoratûs gradu exornatus eſt.

Fit Doctor Theologiæ.

Sanctitatis exemplar & diligens contra Pontificios Scriptor, nullam in Eccleſiâ eminentem dignitatem unquàm accepit, præter *Lincolniæ* Decanatum, quem tamen citò alteri tradidit. Collegio Corporis Chriſti præfuit, poſteà Theologiæ Profeſſor in Collegio Reginali factus.

Theologiæ Profeſſor Oxonii.

A. 1602. Dum *Londini* diverſaretur, & quodam die animi causâ in agros *Fensburlenſes*, ubi complures Sagittarii ſagittis jaculabantur, prodiret, caſu quodam ſagitta ejus pectus perculit, quæ per veſtes complicatas tranſire prohibita reſiliit.

Sagittâ percutitur in pectore ſine noxâ.

Plures ei fuêre fratres, omnes Papiſmi caligine occæcati, & maximè *Gulielmus Rainoldus*, ſeu *Reginaldus*, qui ſeditioſos libros adverſus *Eliſabetham* Reginam ejusque Regnum conſcripſit.

Moritur. Obiit tandem *Oxoniæ* 21. Maji A.C. 1607. ætatis 58.

Libros edidit:

Scripta.

De Idololatriâ Romanæ Eccleſiæ Lib. II.
Cenſuram Librorum Apocryphorum adverſus Pontificios.

* *Ex Heroologiâ Anglicâ.*

Obiit A.C. 1607.

GEORGIUS MYLIUS, vocatus aliàs Gering.

Filius fabri lignarii.

NAtus eſt *Auguſtæ Vindelicorum* A. 1548. Patre *Wolffgango Müllero*, fabro lignario.

Jactis in patriâ bonarum artium ac linguarum fundamentis, ad publicas Scholas conceſſit anno 1566. Hincque ſtudiis primùm operam dedit *Tubingæ*, dein *Marpurgi* & *Argentorati*.

Magiſter Philoſ.

Cumque conſentientibus Præceptorum ſuffragiis, Magiſter Philoſophiæ eſſet renuntiatus, A. 1572. in Patriâ Eccleſiæ Diaconus ad *S. Crucem*, & ſeptennio poſt Paſtor ad *S. Annam* factus eſt A. 1579. quo & *Tubingæ* Theologiæ Doctor creatus eſt, Promotore *Jacobo Heerbrando*, unà cum *Stephano Gerlachio.*

Paſtor Eccleſ. Auguſtana & Theol. Doctor.

Paulò poſt *Auguſtæ* Superintendens Generalis & Rector Collegii Evangelici declaratus eſt.

Superintendens.

Cumque A. 1582. Senatus *Auguſtanus*, cujus pars major erant Pontificii, Calendarium novum à Pontifice *Gregorio XIII.* paulò antè introductum recipere vellet, & cives Evangelici ſeſe opponerent, hujus diſſidii cauſa omnis in *Mylium* à Pontificiis devoluta eſt, ita ut in Aulâ non tantùm *Bavaricâ*, ſed etiam *Imperatoriâ*, *Fax & Autor turbatæ Reipubl. Auguſt.* proclamaretur.

Variæ ob Calendarium Gregorianum turbæ.

24. Maji An. 1584. cum pro Concione Feſtum Aſcenſionis Chriſti proximâ die 28. Maji celebrandum Auditoribus ſuis denuntiâſſet, quod uno menſe antè Pontificii jam peregerant; ideò ſeq. die Senatus officium & ſtipendium ei renuntiavit, eumque extra Urbem educi mandavit.

Urbe ejicitur Mylius.

Sicque 25. Maji ſeq. Dominicâ Vocem Jucunditatis, poſt Concionem matutinam à Papicolis in domo ſuâ ex improviſo correptus & currui impoſitus eſt, *Romam* celeriter deducendus, quem centum aliquot milites comitati clamârunt: *Oleum, in quo Romæ Müllerus elixandus eſt, jam igni impoſitum ebullit.* Sed Cives urbis Evangelici ſubitò providentiâ Dei ſingulari correptis armis gregatim accurrentes Paſtorem ſuum, antequàm portæ appropinquarent hoſtes, ex eorum manibus per vim ereptum, *Ulmam*, mutato habitu, ſecurè deduxerunt, ubi totum annum tranſegit, à Senatu & civibus ſummis ornatus beneficiis.

Ulmam venit.

Ab Electore *Auguſto Wittenbergam* ad Theologicam Profeſſionem vocatus A. 1585. Cancellarius etiam & Præpoſitus Templi Arcis factus eſt.

Fit Profeſſor Witteb.

Indè *Jenam* ad idem munus obeundum migravit 12. Febr. A. 1589.

A. 1603. Iterum *Wittenbergam* vocatus, *Ægidio Hunnio*, paulò antè defuncto, ſucceſſit, Eccleſiæ Superintendens conſtitutus, & Theologiæ Profeſſor Publicus.

Ibi calculo renum diebus aliquot detentus, accedente febri malignâ, placidè obdormivit 28. Maji A. 1607. ætatis 59.

Moritur.

Epitaphium autem ejus in Templo Oppidano *Witteb.* hiſce legitur verbis:

Epitaphium.

HIC SITUS EST GEORGIUS MYLIUS, S. THEOLOG. D. ECCLESIARUM ELECTOR. SAX. SUPERINTENDENS GENERALIS, ET ACADEMIÆ WITTEB. PROFESSOR (QUONDAM ETIAM JENENSIS,) PRIMARIUS, AUTORITATE, CONSTANTIA, ZELO PIETATIS, ELOQUENTIA, ADMIRABILIS HOSTIUM CHRISTIANÆ RELIGIONIS TERROR, MAGNI LUTHERI SPIRITU ET VERITATE MAGNUS DISCIPULUS, CUM LUCTU ET DESIDERIO BONORUM OMNIUM MORTALITATI EREPTUS, ÆTATIS SUÆ ANN. LIX. CHRISTIANO M. DC. VII. CUI HÆREDES HOC, QUICQUID EST, E SAXO MONUMENTUM P.

Libros edidit:

Scripta.

Pabſtpredigten/ in 4to.

Explicationem Auguſtanæ Confeſſionis, in 4.

Spongiam abſterſoriam pro Confeſſione Auguſtanâ, in 4to.

Lateiniſch und teutſche kurze Entwerffung der Calviniſchen Comödien/ &c. in 4to.

Explicationem Epiſtolæ Pauli ad Romanos.

De Re Sacramentariâ, libros IV.

Synopſin analyticam libri Lutheri contra cœleſtes Prophetas.

Librum ſecundum Lutheri in causâ Sacramentariâ, inſcriptum, quod verba Chriſti: Hoc eſt corpus meum: inconcuſſa adhuc maneant.

Volumen Diſputationum Theologicarum.

Prodromum Diſputationum ex Epiſtolâ Pauli ad Romanos.

Aphoriſmos Paulinos in caput ſecundum ad Romanos.

Doctrinam de Juſtificatione ex Epiſtolâ Pauli ad Romanos.

Formam Confeſſionis, juxta quam Eccleſiæ in Ruſſiâ docentur.

Epiſtola ad Evangelicos in Livoniâ, Poloniâ, Pruſſiâ, Lithuaniâ, Churlandiâ.

* *Ex Melch. Adami vitis Theol. German. & aliis.*

Obiit A.C. 1607.

MATTHIAS DETSCHELIUS.

PAtre cognomine Conſule *Sangerhuſano in Thuringiâ* vitam auſpicatus eſt.

A.C. 1542. Puer Scholæ *Portenſis* per ſexennium Diſcipulus, *Lipſiam* deindè ſtudiorum continuandorum gratiâ diſceſſit, à *Joachimo Camerario* in ædes & convictum receptus.

Lipſiæ convictor Joachimi Camerarii.

Philoſophiæ Magiſter.

A. 1565. Ibidem Decano Facultatis Philoſophiæ *Victorino Strigelio* Magiſterii Gradum cum honore adeptus, ſtudio mox Theologico ſe totum dedit, &

Rector Scholæ Deſſavienſis.

A. 1568. *Deſſaviam* vocatus, Scholæ Rectoratum biennio obivit.

A. 1570. Ad Eccleſiæ Paſtoratum *Graitzii in Voitlandiâ* vocatus, &

A. 1572. *Planitium* ad Concionatoris munus promotus, non multò pòſt *Martisburgi* Concionator itidem factus eſt.

Sed vix anno elapſo *Pegaviam* à ſummo Magiſtratu accerſitus, Concionator ibi primùm, deindè Superintendens conſtitutus eſt A. 1575. in quo munere vitæ ſuæ tempus reſiduum exegit.

Superintendens Pegavienſis.

Conjugium ejus ſterile.

An. 1570. Conjugium auſpicatus eſt cum Virgine *Magdalenâ, M. Johannis Vickeri*, Archi-Diaconi ad *S. Thomam Lipſienſis*, filiâ, quam ſterilem reliquit ſuperſtitem.

Fatali tandem lecto affixus, paucis antè mortem horis hoc *Epigrammate* Deum invocavit, præſente & conſolante Collegâ *M. Johanne Feilero*:

Cantio cycnea.

Mi miſerere mei Miſerator maxime mundi,
Mortiferam maſſam mortificato meam.
Mœroris molem, mitiſſime mi Miſerator,
Mitifica, miſeri mox miſerere mei.
Mox miſerere mei, meritam moderareque mortem,
Mors maneat mollis morbida membra mea.

Hâc oratione finitâ, brevi pòſt placidè exſpiravit 7. Sept. A.C. 1607. ætatis 65.

M. Jacobus Fabritius, Gymnaſiarcha *Pegav.* hoc Epigrammate erudito memoriam ejus honoravit, cum adſcripto Eteoſticho:

Epigramma.

Miſeriæ meæ miſerrimæ miſerere, mi Miſerator, multùm miſericors.
Me miſerum! multo molimine maxima mordent
Me mala: mens miſero mortificata modo.
Multiplicique miſer mœroris mole moleſtor,
Mortiferoq; movet mors mala multa mihi.
Me miſerum, mundi Miſerator maxime, munda:
Munda me miti munificâque manu.
Mœroris mergor moribundus mole, maliſque,
Mortiferâ mulctor morte maloque miſer.
Mancipium mortis, Mors mortis, morte mereris,
Mox miſeri mediâ morte memento mei.
Morte memento mei mediâ, merſique malorum
Mole: meum mentis mitificato malum.
Mortiferamque modis, mitiſſime mi Mediator,
Mirandis maſſam mundificato meam.
Morte maliſque meis multò miſeratio major:
Mox Miſeratoris mors mea morte minor.

Eteoſtichon:

BIs ſeXto & qVInto SepteMbrIs fVLſIt ab aXe,
PegaVIæ Paſtor DIgnVs Vt VrbIs obIt.

* *Ex Concione Fun. M. Johannis Feileri.*

Obiit A.C. 1607.

JOHANNES GUILIELMUS STUCKIUS.

NAtus eſt 21. Maji A. 1542. In Cœnobio vetuſto & Nobili *Toſſenſi*, juriſdictionis *Tigurinæ*, cujus, ut & Capellani cœnobii adminiſtrationem tunc pater ejus *Rudolphus Stuckius* obivit, factus deindè Præfectus *Lauffæ* ad *Rhenum*, ubi diem ſuum obiit.

Matrem habuit *Martham de Fulach*, cujus pater *Johannes Guilielmus de Fulach*, litibus adductus vicinorum Nobilium arcem Dominiumque *Lauffenſe*, primus *Tigurinis* tradidit.

A. ætatis 8. Cum *Baſileæ* literarum primordia didiciſſet, *Tigurum* ad *Ludovicum Lavaterum* venit, cujus ſubſidio literarum ſtudia continuabat, ibi ad annum ætatis 15. quo *Lauſannam* in Academiam tunc florentem miſſus, Præceptores habuit *Jacobum Randonum* & *Franciſcum Beraldum*.

Literis operam dat Baſileæ, Tiguri, Lauſannæ,

A. ætat. 17. Domum revocatus, *Argentinam* conceſſit, indè *Lutetiam* in *Galliam* profectus, eximios in ſtudiis progreſſus fecit.

Argentinæ. Lutetiæ.

E Galliâ

Tubingæ. E Galliâ ad ſuos reverſus, in Academiam *Tubingenſem* miſſus eſt ſtudiorum comite & ſocio *Joh. Jac. Grynæo.*

Colloquio Poſſiaceno intereſt. A. 1561. *Petrum Martyrem* ad Conventum *Poſſiacenum Tiguro* evocatum tanquàm interpres, Senatûs juſſu, comitatus cum eſſet, in *Galliâ* manſit, cujusdam Principis filios inſtituendos nactus.

Patavium ſe confert. Indè in patriam reverſus, ſalutatis parentibus, ſtatim in Academiam *Italiæ Patavinam* ſe contulit, in quâ ultra annum commoratus linguis Græcæ & Hebraicæ operam dedit.

Johanni Jacobo Ammiano ſuccedit. A. 1568. In patriam redux *Joh. Jacobo Ammiano*, Scholæ *Tigurinæ* Rectori, ob ſenium rude donato ſucceſſit, declaratus etiam Logices Profeſſor.

Uxorem ducit. Paulò pòſt in arce *Lauffenſi* matrimonio ſibi junxit Virginem *Eliſabetham*, *Jacobi Rönſtii*, Senatoris, filiam, cum quâ in felici & liberis fœcundo conjugio novennium tranſegit.

Theologiæ Profeſſor. Febr. A. 1577. *Tiguri Theodoro Bibliandro* in Theologiæ Profeſſione ſucceſſit.

Ibi cum ex Thermis *Badenſibus* domum reverſus eſſet, colicâ graviſſimâ prehenſus, paucos poſt dies, 3. Sept. A. 1607. ætatis 65. exſpiravit. *Moritur.*

Oratione parentali laudatus eſt à *D. Caſparo Waſero Tigurino. Rudolphus Simlerus* verò Defunctum hoc honoravit monumento:

D. O. M. S.
NOBILISS. VIRI
JANI GUILIELMI STUCKII,
THEOLOGI, PHILOLOGI ET POLYHISTORIS PRÆSTANTISS.
DISERTISS. LECTISS.
PATRIS ÆTERNUM COLENDI
B. M.
RODOLPHUS SIMLERUS,
E DEFUNCTI MONUMENTIS SUO
ET HÆREDUM NOMINE
P. P.

Epitaphium.

Ille ego, qui veterum convivia pando Sophorum;
Et quo ſunt priſcis ſacra agitata modo:
Myſtica qui ſacræ depromo fercula cœnæ,
Et quo fas diis veſcier ore cibis:
Qui Carolum è tenebris magno conamine Magnum
Educo & reduci ſceptra beata precor:
Qui Periplum Euxini Ponti, & Mæotidis oras
Permeo mente ſagax, Angelicosque choros:
Nunc depontanus convivia anhelo Deorum,
Angelico exanimem me comitante choro:
Ut quorum cecinit fatum mea Muſa ſuperſtes,
Jungier his poſſit, poſt pia fata, Viris.

* *Ex Melch. Adami vitis, Theol. Germ. & aliis.*

Libros edidit:

Scripta. *Meditationes Euchariſticas*, das iſt/ dankbare/ tröſtliche und heilſame Betrachtungen deß H. Abendmals/ in 8vo.

De Angelis, angelicoque hominum præſidio & cuſtodiâ meditationem piam, in 4to.

Antiquitatum Convivalium Libros IV. in quibus Hebræorum, Græcorum, Romanorum, aliarumque nationum antiqua Conviviorum genera & mores explicantur, in fol.

Comparationem Caroli Magni cum Henrico IV. Galliarum Rege, utriusque Regis Hiſtoriam breviter complectentem, in 4to.

Prognoſticon de anno 1588. usque ad extremum diem, in 4to.

Scholia in Arriani hiſtorici Ponti Euxini & maris Erythræi periplum conſtructa.

LUCAS TRELCATIUS, Fil.

Obiit A.C. 1607.

Natus eſt *Londini* in *Angliâ*, Patre cognomine ob Religionem profugo.

A. C. 1573. Ætatem primam *Bruxellis, Antverpiæ, & Lugduni Batavorum* egit ſub Præceptoribus *Oryzdejo, Carpentario & Stochio.*

A. ætatis 18. cum *Heidelbergam* veniſſet, Eccleſiam *Gallicam*, rogatu Conſiſtorii Eccleſiaſtici, verbo DEI per 6. menſes fideliter pavit. *Eccl. Gall. Miniſter Heid.*

Baſileam deindè, *Tigurum*, & *Genevam* digreſſus, in hâc, quod vix cuiquam in hâc ætate obtigit, rogatu Miniſtrorum, Concionem habuit, applaudentibus *Theodoro Bezâ* & *Simone Goulartio.* *Genevæ Concionatur juvenis.*

Indè ad ſuos in *Bataviam* remeantem non levis terror *Aquisgrani* excepit; captus enim à *Buſcoducenſibus*, cum nil niſi mortem expectaret, ſubitò amicorum operâ elapſus eſt. *In vitæ periculo verſatus.*

Cum *Lugdunum Batavorum* poſt biennii peregrinationem reverſus eſſet, ex eo tempore curam fidelem primò Eccleſiæ, poſteà, defuncto Patre, Academiæ, Theol. Profeſſor præſtitit, donec conſummato vitæ ſuæ curſu * Patriam cœleſtem evocatus eſt 12. Sept. A. C. 1607. & 34. *Miniſter & Theol. Profeſſor Lugduni Batav.* *Moritur.*

Edidit:

Scripta. *Inſtitutiones Locorum communium Theologiæ.*

Tractatum Gall. de brevitate vitæ.

Antidotum contra peſtem.

* *Ex Vitis Profeſſorum Leydenſium.*

HENRICUS MAJUS.

Obiit A.C. 1607.

Sangerhuſii, ditionis *Saxonicæ* oppido, cuprifodinis noto, natus eſt 23. Nov. A. 1545. Patre cognomine, qui *Franckenhuſio* eò commigrârat.

Adoleſcens *Lipſiam* à patre miſſus, *Victorino Strigelio & Joachimo Camerario* inprimis operam dedit, *Melanchthoniæ* doctrinæ ubique ſectator pertinaciſſimus. *Literis operam dat Lipſiæ.*

Cumque ſic verò in linguis & Philoſophiâ ſupellectilem ſibi comparâſſet, ludo *Sangerhuſano* operam ſuam addixit A. 1565. *Ludo literarum præeſt.*

A. 1568. *Wittenbergam* excurrit, & publicum eruditionis teſtimonium à Collegio Philoſophico, Decano *Sebaſtiano Theodorico Winsbemio* impetravit. *Philoſophiæ Magiſter.*

Concionator aulicus Comitum Stolbergenſium. E patriâ A. 1570. *Nordhuſam* venit, ludoque literario & ibi præfuit.

A. 1573. In Theologorum numerum adſcriptus, *Weringerodæ* ſub Comitibus *Stolbergenſibus* Aulæ à S. Concionibus aliquot annos fuit.

Formulam Concordiæ ſubſcribere recuſat. A. 1577. Cum *Formulæ Concordiæ* ſubſcriptio urgeretur, in Templo aulico *Vinariæ Jacobo Andreæ* in faciem reſtitit, & coràm ipſo Principe *Friderico Wilhelmo* ſubſcriptionem recuſavit.

Docet Witteberga. A. 1588. Ab Electore *Chriſtiano I.* commendata ei fuit in Academiâ *Wittenbergenſi* primùm Locorum Theologicorum *Melanchthonis*, deindè librorum Veteris Teſtamenti, & juxtà Evangeliorum diebus Dominicis & Feſtis enarratio.

Collegas tum habuit *Urbanum Pierium*, Superintendentem Generalem, *Andream Jodocum*, & *Petrum Calaminum.*

A. 1592. Electore *Chriſtiano I.* prematurà morte vivis exemto, cum aliis dimiſſus miſerè cum familiâ oberravit. Tandem ubi nullum ſibi apud ſuos locum eſſe vidit, in *Palatinatum inferiorem* ſeceſſit. Ibi primùm ei Paſtoris munus in pago, poſteà Inſpectoris *Bilckbemenſis* demandatum. *Paſtor & Inſpector in Palatinatu.*

Heidelbergæ docet, ubi moritur. Indè *Heidelbergæ* in Senatum Eccleſiaſticum cooptatus, Eccleſiis & Scholis regendis tempus impendit ad vitæ ſuæ exitum, ad quem vocatus eſt 28. Septemb. A. 1607. ætatis 62.

Cùm hic *Henricus Majus* adhùc in Scholâ docuiſſet, accidit, ut civis cujusdam filius à congerronibus ſubſelliis alliſus brachium fregerit. Hic nebulo metuens patris iram, domum cum ejulatu recurrit, & ad patrem opificem: *Ecce*, inquit: *ut me Præceptor tractarit.* Ille mox malè credulus ad angiportûs egreſſum, quâ Præceptori manè cum lychno brumæ tempore tranſeundum erat, cum ſecuri expectat, caput illius diminuturus. Sed hic bono genio væſani patris ictum evaſit, qui filii mendacio cognito, propoſitum ſuum faſſus & deprecatus eſt.

Exſtant ejus *Theologicæ Propoſitiones Wittebergæ diſputatæ*:

Scripta. *De uno Evangelio.*

De uno ſalvandi modo per fidem in Chriſtum.

De Eccleſiâ & ſignis eam monſtrantibus, & an ſit viſibilis?

Excuſſit & articulos Bavaricos inquiſitionis.

* *Ex Melch. Adami Vitis Theol. Germ.*

Obiit A.C. 1607.

JOHANNES PFULMANNUS.

STolbergæ natus, Patre *Franciſco Pfulmanno*, Collegâ Scholæ illius oppidi, poſteà Paſtore *Reinsbergenſi*, Philoſophiæ Magiſter & Theologus Concionator aulicus primùm fuit apud *Richardum Comitem Palatinum Durſenreuthi*, ſex annis, deindè Paſtor Eccleſiæ *Wundrebii*, in Diœceſi *Waldſachſenſi*, 8. annis, poſteà Superintendens *Nabburgi* per decennium, tandemque Paſtor *Mönchbergæ* in Marchionatu *Brandenburgenſi* ſuperiori totis 19. annis. Ibi vitam morte beatâ clauſit die *S. Nicolai* A. C. 1607. ætatis 68. *Concionator Aul. Palat.* *Superintendens Nabburgi.* *Paſtor Mönchbergæ.*

* *Ex Catalogo Germ. mille Viror. Illuſtrium M. Wolfg. Crügeri, Paſtoris Turnav.*

ANTONIUS POSSEVINUS.

Flor. A.C. 1608.

NAtione *Italus*, patriâ *Mantuanus*, ætate maturus, & humanioribus literis perpolitus, omnibus ſpretis emolumentis, (quæ propter egregium ingenium, linguarum cognitionem, & induſtriam multa illi & magna proponebantur,) Societatem Jeſu amplexus eſt A. C. 1560. Poſteà varias Provincias & Regiones perluſtravit, multas ac periculoſas peregrinationes Religionis causâ ſuſcepit: in *Galliis* permultum hæreticis reſtitit: in *Sueciam*, *Poloniam*, *Moſcoviam*, à ſummis Pontificibus miſſus eſt, magnisque laboribus magna & difficilia cum ſummis Principibus negotia Sedis Apoſtolicæ nomine tranſegit. *Societ. Jeſu amplexus.* *Legatus Pontif. in Regiones ſeptentrionales.*

Floruit A. C. 1608.

Scripſit:

Scripta. *Bibliothecam ſelectam de ratione ſtudiorum ad omnes diſciplinas, & ad ſalutem cunctarum gentium procurandam 17. libris comprehenſam.*

Apparatum ſacrum, in quô de Scriptoribus, Interpretibus ac Verſionibus veteris & novi Teſtamenti, de Synodis item ac Patribus Græcis ac Latinis agit: & variam eruditionem Eccleſiaſticam perſequitur.

Commentarios Moſcoviæ.

De Atheiſmis hæreticorum hujus ſeculi.

Judicium de 4. Scriptoribus, Philippo Nuâ, Johanne Bodino, Philippo Mornæo, & Nicolao Machiavello.

Theologiam Catecheticam ad domeſticos inſtituendos, ubi de pueris & eorum Scholis, ac Catechiſmum tradendi ratione agitur.

Epiſtolam ad Stephanum Battorum, Poloniæ Regem, adverſus Andream Volanum, Lituanum, hæreticum.

Epiſtolam de rebus Suecicis, Livonicis, Moſcoviticis, Polonicis, Transſylvanicis.

Orationem habitam in funere Leonoræ Auſtriacæ, Mantuæ Ducis.

De vitâ & morte Ludovici Gonzagæ, Ducis Nivernenſis.

Sermonem habitum in Provinciali Synodo Aquilegienſi.

Italicè ſcripſit:

De ſanctiſſimo Sacrificio Miſſæ à tempore Apoſtolorum celebrato, & ad conſummationem ſeculi celebrando.

Defenſionem ejusdem Libelli contra Petrum Viretum, & tres alios hæreticos.

Reſponſionem Regi Septentrionali, qui in fide Catholicâ inſtrui voluit.

Militem Chriſtianum.

Expli-

Explicationem brevem Evangeliorum totius anni, ſub nomine Nicolai Galerii, Coloniæ Latinè, & Brixiæ Italicè excuſam.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu P. Petri Ribadeneiræ.*

Flor. A.C. 1608.

ACHILLES GAGLIARDUS.

Patriâ *Patavinus*, unà cum *Leonetto* & *Ludovico*, germanis fratribus, ipſe natu maximus Societatem Jeſu ingreſſus eſt A.C. 1560. cum ætate, nobilitate, humanarum literarum cognitione floreret, & in Academiâ *Patavinâ* magnam ſui expectationem excitâſſet, graviores deindè diſciplinas, Philoſophicas nimirùm & Divinas excoluit, atque etiam in Collegio *Romano* explicavit, inſignisque Philoſophus & Theologus eſt habitus.

Societatem Jeſu ingreſſus.

Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſor Romæ, & Mediolani.

Tum *Româ* Superiorum juſſu *Mediolanum* commigravit, ubi S. item Theologiam interpretatus eſt, domusque Profeſſorum ſancti *Fidelis* curam ſuſcepit, quam ut & domum Profeſſorum *Venetam* laudabiliter adminiſtravit.

Floruit A.C. 1608.

Scripſit:

Scripta.

Catechiſmum Italicum, hortatu Caroli Borromei, Card.

De Diſciplinâ hominis interioris, in quo & juſtificationem hominis à peccato, & tentationes, atque militiam juſtorum, & progreſſum in gratia, & habituum malorum exſtirpationem, & mortificationem vitioſorum affectuum diligenter perſequitur: quæ omnia ad *viam* pertinent *purgativam*. Præterea omnium *virtutum tractationem* complectitur, quæ ad *Viam* ſpectant *illuminativam*: denique illa etiam exactè explicat, quæ *Viæ*, ut dicitur, *Unitivæ* ſeu *Myſticæ* propria ſunt.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu P. Petri Ribadeneiræ.*

Flor. A.C. 1608.

ALEXANDER VALIGNANUS.

Natione *Italus*, patriâ *Teramnenſis*, inſigni corporis proceritate, ætate florens, Juriſprudentiæ ſcientiâ inſtructus, Cardinalis *Altemps* Auditor Anno 1566. in Societatem Jeſu à Patre *Franciſco Borgiâ*, Præpoſito Generali, admiſſus & probatus eſt.

Juriſperitus.

Societati Jeſu addictus.

Theologicis literis excultus A. 1573. à *P. Everardo Mercuriano*, (qui in Generalatu *P. Franciſci Borgiæ* ſucceſſerat,) in orientis ſolis *Indiam* miſſus eſt, ut Viſitatoris munus in remotiſſimis illis Provinciis obiret.

In Indiam Orientalem miſſus.

Perluſtravit itaque *Japonenſes* Inſulas, *Chinam* attigit, & totum illum longiſſimæ navigationis tractum, qui inter *Goam* & *Malacam* interjacet, & Viſitator & Præpoſitus Provincialis ſæpè numero peragravit.

Floruit A.C. 1608.

Scripſit:

Scripta.

Præclaros Commentarios ad Japonios, cæteraſque Indiæ nationes Chriſtianæ fidei myſteriis imbuendas.

Apologiam pro Societate Jeſu.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu P. Petri Ribadeneiræ.*

Flor. A.C 1608.

ADRIANUS JUNGIUS.

Natione *Polonus*, patriâ *Plonſcenſis*, florente adhuc ætate A.C. 1572. mundo nuntium remiſit, & Societati Jeſu ſe addixit, in quâ cum pietate ſuique victoriâ egregiam eruditionem conjunxit: fuit enim helluo librorum, & in legendo ſcribendoque aſſiduus, & concionandi peritus artifex.

Societati Jeſu addictus.

Floruit A.C. 1608.

Scripſit:

Scripta.

Artes & Impoſturas novi Evangelii Magiſtrorum.

Confutationem Epiſtolæ Johannis Capli, Pſeudominiſtri, primùm Lutherani, deindè Picarditæ, ſeu Calviniani, ac demùm Anabaptiſtæ Samoſateniani, in quâ potiſſimùm *de Transſubſtantiatione panis & vini in Euchariſtiæ Sacramento & adoratione doctrinâ Catholicâ* propugnatur, & uſus hujus Sacramenti ſub unâ ſpecie defenditur.

Refutationem Libelli adverſùs Miniſtromachiam Stanislai Reſcii, à quodam *Guilielmo Oximenſi* ſcripti.

Synopſin novi Evangelii, ſeu *doctrinam de moribus, fructibus, characteribus, & horrendis atque implacabilibus diſſidiis Sectariorum hujus temporis, Lib. III.* Et hæc quidem *Latinè*.

Polonicè verò:

Quinquaginta duarum quæſtionum à Pſeudoevangelicis miniſtris in Polonia Jeſuitis propoſitarum Analyſin, ſeu *reſolutionem, in duas partes vel libros diſtinctam; in quorum priore 156. luculenta illorum in eiſdem Quæſtionibus mendacia, in poſteriore Antiquitas Catholicæ Religionis demonſtratur.* Huic operi acceſſit *Refutatio Libelli cujuſdam Calviniani adverſus ſacras imagines.*

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu P. Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1608.

JOHANNES MARIANA.

Natione *Hiſpanus*, patriâ *Talabricenſis*, Diœceſis *Toletanæ*. Adoleſcens 17. annos natus, cum literis *Compluti* operam daret, nuntium mundo remiſit, ſeque Societati Jeſu dedicavit A. 1554.

Societati Jeſu deditus.

Deindè maximo ingenio, peracri judicio, ſingulari memoriâ, multorum annorum ſtudio omne diſciplinarum genus diligenter excoluit, & ad S. Theologiam, raram omnium liberalium artium, & Hiſtoriæ tum Eccleſiaſticæ, tum profanæ cognitionem,

Theologus, Hiſtor. & Philologus.

& præterea Latinæ, Græcæ, atque Hebraicæ Linguæ peritiam adjunxit.

D. Thomæ Aquinat. interpres. Romæ, in *Siciliâ*, & in Academiâ *Pariſ.* *D. Thomam Aquinatem* magnâ cum laude publicè eſt interpretatus.

Sed morbis impeditus, coactus eſt ſtudiorum curſum vel interrumpere, vel remittere, & animum ad ſtudia leviora referre. *Moritur.* Itaque *Toletum* in *Hiſpaniam* rediit, & obiit ſeptuagenario major A. C. 1608.

Scripſit & edidit:

Scripta. *Annalium Hiſpaniæ Lib. XXX. Latinè & Hiſpanicè.*

De Rege & Regis Inſtitutione. Lib. III.

De Ponderibus & Menſuris. Lib. I.

Tractatum: De adventu B. Jacobi Apoſtoli in Hiſpaniam.

De Editione vulgatâ SS. Bibliorum.

De die & anno mortis Chriſti.

De annis Arabum cum annis noſtris comparatis.

De Spectaculis.

De Monetæ mutatione.

De Morte & Immortalitate Lib. III.

Bibliothecam Photii in Epitomen redegit: & *Latinas fecit B. Cyrilli Epiſcopi Alexandrini Homilias:* quæ duo tamen Scripta lucem nondum aſpexerunt.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Mortis aſſiduè memor de ſe ipſo hoc pangebat Carmen:

Ebora me genuit, Compluti myſtica cœpi
Romæ & Lutetiæ dogmata quæ docui.
Sed fractus tandem cœlo atq; labore, Toletum
Conſcripſi Heſperiæ tempora priſca redux.
Eſt MARIANA *domus, Chriſti inter vita Sodales,*
Multiplicis Sophiæ cultus amica quies.
An dabit exſtinctus tarda ut poſt fata quieſcam
Volvere bis ſeptem qui mihi luſtra dedit.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum Scriptorum.*

JOHANNES PISTORIUS NIDDANUS.

Obiit A.C. 1608.

N*iddæ Haſſorum* natus eſt 4. Febr. A. C. 1546. Patre *Johanne Piſtorio*, viro in Theologiâ eximio, & Ord. *S. Johannis* Equiti *Melitenſi*, qui ſub initium Reformationis à *Martino Luthero* ſuſceptæ, primus in Comitatu *Niddâ Lutheranus* Superintendens & Paſtor factus A. 1530. actui memorabili *Auguſtæ* interfuit, quo 25. Julii in Palatio Cæſaris *Caroli V. Lutheranorum* Confeſſio ſonorâ voce fuit prælecta; obiitque 25. Jan. A. C. 1583. ætatis 81.

Medicinæ Doctor. Juvenis ab initio animum ad Medicinam appulit, tantosque in eâ progreſſus fecit, ut Med. Doct. ſolenni Academiarum more fuerit declaratus. Poſteà ad Theologiam *Theologiæ Doctor.* pio religioſi animi propoſito ſe contulit, nec tantùm Theologiæ Doctor renunciatus eſt, ſed etiam *Cæſ. Rudolphi II.* Eccleſiaſtes & Confeſſionarius Aulicus factus. *Concionator Aul. Cæſ.* Sed ut Pater magnus Religionis Evangelicæ Propugnator, ita Filius acerrimus illius oppugnator exſtitit. Huic etiam in honorem totius Familiæ cum Nobilitate Aquila Imperialis tradita eſt ab *Imperatore Rudolpho II.* poſtquàm Protonotarius Apoſtolicus fuiſſet creatus A. 1589. Colloquio Theol. *Badenſi* unà cum *Jacobo Andreæ* interfuit.

Obiit tandem A. C. 1608. æt. 63. *Moritur.*

* *Ex appendice ad Orationem fun. D. Theodori Reinkingii à Baltaſ. Arndt Argentorati habitam.*

Libros edidit:

Rerum Polon. Scriptores uno vol. compr. *Scripta.*

Anatomiam Lutheri.

Wegweiſer vor alle verführte Chriſten: das iſt / einen warhafften Bericht von 14. durch die Unrechtglaubigen in Streit gezogenen Articuln / daraus jederman der Römiſchen Kirchen Warheit erkennen kan.

Spiegel der Zwingliſchen und Calviniſchen Religion.

Bericht / daß die Calviniſche / Lutheriſche / Schwenckfeldiſche / Wiedertäufferiſche keine rechte Kirch Chriſti ſeyen.

Iconi ejus æri inſculptæ hoc Epigramma legitur ſubſcriptum:

Epigramma.

Vis ſcire, quis ſim? nomen eſt PISTORIUS.
Dixi ſatis: Doctrina, virtus, & fides
Dicent reliqua. Sed ecce, ne quid neſcias,
Hæreticus olim: nunc gregem & vocem ſequor
Chriſti unici Paſtoris: hunc doceo, colo,
Profiteor, ore, corde, ſcriptionibus.

PANTALEON CANDIDUS.

Obiit A.C. 1608.

NAtione *Auſtriacus*, natus eſt 7. Octob. A. 1540. quem ipſe hoc Diſticho Chronologico expreſſit:

PantaLeon genItVs CLaras eſt LVCIs In oras,
CanDIDVs Vt ferVens ſoLIbVs æſtVs erat.

Patrem habuit *Wolffgangum* Weiß / qui annum ætatis 95. attigit, *Petzenkirchii* A. 1576.

Sepultus verò eſt tali Epitaphio à filio *Pantaleone* celebratus:

Bis Turcæ inſultus, rerum mala multa ſuarum,
Prolis & expertus funera multa ſuæ.
Sed Domino ſemper rebus confiſus in arctis,
Suſtinuit forti triſtia quæque animo.
Quando novem decies vitam produxit in annos,
Wolffgangus jacet hoc Candidus in tumulo.

A. 1550. Ad Paſtorem Evangelicum *Weiſenkirchii, Andream Cupicium Carniolanum* venit, cum quo *Viennam* in captivitatem abducto in carcere famuli loco decem menſibus vixit, in quo à *Petro Caniſio*, Jeſuitâ, fruſtrà *Præceptor Pantaleonis, quem captivum Viennam comitatur.*

fruſtrà ſæpè ad defectionem commotus eſt, donec A. 1553. ambo elapſi ſeſe in Metallicas *Pannoniæ* fodinas ſubduxerunt.

Abbas Seiſelſteinenſis fovet Candidum.

Poſteà A. 1555. Beneficio *Viti Nubneri*, Abbatis *Seiſelſteinenſis*, curſum ſtudiorum urſit: ſed cum ille uxore ductâ fugere cogeretur, *Pantaleonem* ſecum ex *Auſtriâ Ambergam* abduxit.

A. 1557. Cùm *Wolffgangus*, Dux *Bipontinus*, tunc *Superioris Palatinatûs* Gubernator, *Ambergâ* in ſuum Ducatum abiret, cum eo *Meiſenbemium*, & paulò poſt *Bipontum* venit, ubi *Ulrico Sitzingero*, Cancellario, commendatus, filium ejus privatim erudivit.

Wittebergæ Melanchthonis auditor.

A. 1558. *Sitzingeri* interceſſione, à Duce *Wolffgango* ſtipendium Academicum impetravit, quo inſtructus *Wittenbergam* acceſſit, & *Melanchthonem*, quoad vixit, cum aliis diligenter audivit. Idem ei propter integritatem vitæ *Candidi* nomen dedit, cum anteà familiæ cognomine Weiß uteretur.

Philoſophiæ Magiſter.

Febr. A. 1564. Ibidem Philoſophiæ Magiſter Decano *Bartol. Schönborn*, renuntiatus eſt, competitoribus 52. quod anteà nunquàm ibi factum, inter quos ſextum locum, & *Chriſtoph. Pezelius*, Theologus poſteà clariſſimus, primum locum obtinuit.

A. 1565. A Principe *Wolffgango*, Scholæ *Bipontinæ* Præfectus, & mox ſacro Miniſterio initiatus, Paſtorem egit *Hinzwillæ*, in Præfecturâ *Lichtenbergicâ*, deindè Diaconum *Meiſenbemii* & *Biponti*.

Præficitur Eccleſiæ Bipontinæ.

A. 1571. Paſtor & Generalis Inſpector Eccleſiarum in *Bipontinatu* declaratus, & *Cunmanno Flinsbachio* ſurrogatus eſt.

Libro Concordiæ ſubſcribit.

A. 1575. Cum Dux *Bipont. Johannes* in quibusdam fidei articulis hæſitans Doctores aliquot *Tubingenſes* ad ſe vocaſſet, iiſque *Candidus*, utpote *Melanchthonis* diſcipulus, ſuſpectus eſſet, illum ut *libro Concordiæ* ſubſcripſerit, adegerunt.

A. 1578. Cum Princeps *Johannes* Reformatis acceſſiſſet, *Candidus* ſubſcriptionem eam revocavit.

A. 1580. Princeps Eccleſiæ Miniſtros morem ſibi gerere nolentes dimiſit, & A. 1585. Colloquium *Biponti* inſtituit, quo *Candidus* ſententiam ſuam verbis *Philippicis* expoſuit.

A. 1588. *Candidi* conſilio, Catechiſmi *Bipontini* explicatio prodiit.

Gebhardus, Archiepiſcopus Colonienſis, uxorem ducit.

4. Febr. A. 1583. *Bonnæ Gebhardum Truchſeſium*, Archiepiſcopum *Colonienſem*, qui liberum ditionis ſuæ hominibus Religionis exercitium permiſerat, conjugio junxit cum *Agnete, Johannis Georgii*, Comitis *Mansfeld.* filiâ.

Moritur Pantaleon.

Tandem viribus deficientibus animam placidè Redemptori ſuo reddidit 3. Febr. An. 1608. ætatis 68. Miniſterii Eccleſ. 43. Sepultus eſt *Biponti* honorificè, & Epitaphiis multorum celebratus. Vivus ipſe pridiè obitus hoc ſibi ſcripſit Epitaphium:

Epitaphium.

Poſt annos ſexaginta propè & octo ſubivit
Mens mea læta polum, corpus inane ſolum.

Conjugium triplex.

In conjugio vixit terno, primùm cum *Margarethâ Sturciâ* ſexennium ſine prole, deindè cum *Sybillâ Kneupeliâ*, ex quâ 6. liberos ſuſcepit, & ſuperſtites reliquit filium *Samuelem*, Paſtorem & Profeſſorem *Hornbacenſem*, ac filiam *Eliæ Thalwencelio*, JC. & Gymnaſii *Hornbac.* Rectori, nuptam. Tertium denique conjugium iniit cum *Annâ*, Geometræ celebris *Tilemanni Stellæ* viduâ, cum quâ 14. annos exegit.

Scripta reliquit: *Scripta.*

Orationes funebres de præparatione ad mortem, ex libris Regum, Chronicorum & Jobi.

Epitaphia antiqua & recentia.

Libros 6. Auſtriacorum de Gothicis per Hiſpaniam Regibus.

Tabulas Chronologicas continentes ſeriem hiſtoriar. à condito mundo in A. 1602.

Rerum Belgicarum Epitomen ab Anno 1570. ad deditionem Oſtendæ.

De Ducibus & Regibus Bohemiæ.

Tranſtulit in vernaculam Pauli Jovii hiſtoriam Moſcoviæ.

Carmina varia.

Elegias precationum.

Epigrammata ſacra.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Germanorum Theologorum.*

LUCAS BACMEISTERUS.

Obiit A. 1608.

Natus eſt *Luneburgæ Sax. inf.* urbe, Patre *Johanne*, Matre *Annâ Lublingiâ*, 18. Oct. die *S. Lucæ* 1530.

Diſcipulus Lucæ Loſſii.

An. ætatis ſeptimo è privatâ publicam patriæ Scholam *D. Johannis* ingreſſus, Præceptorem nactus eſt *Lucam Loſſium*. Scholæ illius gubernationi tum præfuit *Hermannus Tulichius*, antè Philol. Profeſſor *Wittenbergæ*, cui *Lutherus* Librum *de Captivitate Babylonicâ* inſcripſit.

A. 1547. Peſtis *Luneburgæ* & in vicinis locis graſſante, conceſſit *Hamburgum*, ubi civis cujusdam liberos erudivit, & *Johannem Æpinum*, Theologum, *Pſalmos* enarrantem audivit.

Literis operam dat Wittebergæ.

A. 1548. Domum revocatus, & inde *Wittenbergam* ablegatus, ibi Logicæ, Philoſophiæ & Linguis Græcæ & Hebraicæ primùm dedit operam, poſteà Theologiæ ſeſe devovit.

Præceptor Filii Regis.

A. 1553. Operâ popularis ſui *Henrici Burmeiſteri*, Eccleſ. *Flensburg.* in *Holſatiâ* Diaconi, à Rege *Chriſtiano III.* in *Daniam* vocatus, in ejus aulam venit, & filio Regis ſeptenni *Johanni* Præceptor datus eſt.

Juris civilis Studioſus.

A. 1556. *Wittenbergam* ad priſtina rediit ſtudia, relicto verò ſacrarum literarum ſtudio, Juri civili cognoſcendo ſe dedit, audivitque publicè docentem *Schneidewinum* & *Beuſtium*.

Magiſter Philoſophiæ & Theologiæ.

A. 1558. Unà cum 35. Competitoribus Magiſter Philoſophiæ creatus eſt primo loco, deindè Theologiæ ſtudio ſe, mutato conſilio, prorſus mancipavit, concionandoque exercuit.

A. 1559.

Digitized by Google

Concionator aulicus. A. 1559. Cum 1. Januarii Rex *Chriſtianus III.* obiiſſet, à Reginâ viduâ ad Concionatoris Aulici officium vocatus, in *Daniam* reverſus, *Coldingam* venit, ubi tunc Reginæ aula fuit, cum paulò antè *Wittenbergæ* per *D. Paulum Eberum* S. Miniſterio initiatus fuiſſet.

Uxorem ducit. A. 1560. Deſponſata eſt ipſi Virgo *Johanna, D. Jacobi Bordingi*, Medici Regii paulò pòſt defuncti, filia.

Roſtochii docet. Cum verò libertate ſuâ offendiſſet ibidem aulicos, A. 1562. *Roſtochium* vocatus migravit, Paſtor ibi Eccleſiæ *Marianæ* & Profeſſor Theologiæ declaratus. Ibi cum eſſet â variis fruſtrà expetitus, tàm in Scholâ, quàm in Eccleſiâ munere ſuo fideliter functus eſt.

In Auſtriam vocatur. A. 1580. Ab *Auſtriæ* Proceribus, quibus Religionis Evangelicæ exercitium ab Imperatore *Maximiliano II.* conceſſum erat, per Legatum *Wolffg. Chriſtophorum* à *Memmingen* rogatus, ut Eccleſias & Scholas ſuas conſtitueret, cum omnia dextrè expediviſſet, *Roſtochium* reverſus eſt.

Moritur. Scorbuto tandem afflictus, piè vitam clauſit 9. Julii A. 1608. ætatis 78. cum *Roſtochii* Academiæ & Eccleſiæ 46. annis præfuiſſet.

Edidit:

Scripta.
Librum de modo Concionandi.
Explicationem hiſtoriæ Paſſionis, mortis & reſurrectionis JESU CHRISTI.
Theſes de Sacramentis, cum Notis Zachariæ Urſini.

* *Ex Melch. Adami Vitis Germ. Theol.*

Obiit A.C. 1608.

PEREGRINUS PULLENIUS.

Natus eſt in *Venroo*, pago *Campaniæ*. *Ruremundæ* aliquando Paſtorem egit: auſteritate & paupertate eximius fuit, pietate præclarus, experientiâ maximus: quin etiam dono diſcretionis ſpirituum omnes ſui ævi anteceſſit. *Theologus devotus.*

Teſtes fuêre *Guilielmus Lindanus*, Epiſcopus *Gandenſis*, *Gisbertus Maſius*, Epiſcopus *Sylvæducenſis*, *Henricus Kuyckius*, Epiſcopus *Ruremund.* & *Gisbertus Cœverinx*, deſignatus Epiſcopus *Daventrienſis*, aliique quàm plurimi.

Moritur. Bonorum omnium luctu piè & ſanctè in Domino obdormivit Sylvæduc. 20. Julii A.C. 1608. quietiſque locum accepit apud *Clariſſas*.

Scripta doctiſſima reliquit:

Scripta.
In Cantica Canticorum.
In Apocalypſin.
De paupertate Apoſtolicâ.
De Nuptiis ſpiritualibus.
De viâ compendioſâ ad Salutem.
De modo incipiendi Deo ſervire.

Quæ lucem viderunt curâ & operâ *Johannis Beuckelii Helmontani*, Paſtoris ad *S. Gaugericum Bruxellæ*.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1608.

MARTINUS ANTONIUS DEL RIO.

Antonii filius, *Antverpiæ* natus eſt An. C. 1551. Patre *Hiſpano*, quod nomen indicat. *Liræ* rei literariæ prima jecit fundamenta.

Societati Jeſu nomen dedit. *Lovanii* & *Duaci* primùm Juris ſtudia libavit. A. 1580. cum Regis *Brabantiæ* Conſiliarius eſſet, nomen dedit Societati Jeſu.

Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſor. Linguam Hebraicam in Societate profeſſus eſt, Philoſophiæ ſcientias expoſuit, quæſtiones de moribus explicavit, & S. Scripturam variis in locis interpretatus eſt.

Vir fuit probitate, ingenio, religione, omnium literarum genere ac morum ſuavitate excellens, *Juſto Lipſio* perfamiliaris, qui eum ævi noſtri miraculum vocavit.

Moritur. Dum ex *Hiſpaniâ* valetudinis causâ in Belgium rediit, ex itineris fatigatione, & continuis ſtudiorum laboribus in morbum incidit, & *Lovanii* calculi doloribus excruciatus obiit 19. Oct. A.C. 1608. Tumulatus eſt in Templo Soc. Jeſu, hoc Epitaphio:

Epitaphium.
NULLO SAXO GRAVANTUR INNOXII MANES: SOLIS PIORUM VOTIS ET LACHRYMIS DECORANTUR,
SI QUIS VOLET, HÆC ANIMO INSCULPAT:
SUBSISTE, TANGIS TERMINUM:
HIC MORS IMPERAT.
Hoc DEL RIONIS INDICAT TUMULUS TIBI,
MARMOR VIDERE POSTULAS?
COELOS VIDE:
HOC MARMOR ILLI EST: ORBIS EST BUSTUM: LIBRI FAVILLA:
FAMA PUBLICA EST INSCRIPTIO.
LEGE HOSPES, ET QUOD EXPRIMAS, TIBI SELIGE:
BREVI EST EUNDUM:
NAM HOSPES ES, QUÆRE VIAM.

Vitam ejus *Hermannus Languevellius* nomine fictitio dedit. Sunt qui *Nicolao Suſio* Soc. Jeſu adſcribant.

Scripſit Juvenis:

In Claudianum Poëtam, & in Solinum Notas. *Scripta.*
In Senecæ Tragœdias adverſaria.
Miſcellanea in totum Jus Civile.
Repetitiones in L. tranſigere, C. Tranſact. &c.
Comment. multiplicem in L. Contractus de reg. Juris.
De principiis Juris. Lib. II.

In Societate edidit:

Florida Mariana, ſive de laudibus S. Virginis Deiparæ Panegyric.
Polemica Mariana.
Commentaria in Cantica Canticorum Salomonis.
Comment. literalem in Threnos Jeremiæ.
Diſquiſitionum Magicarum Tom. III. ſæpiùs locupletatos.
Tragœdiæ Latinæ Syntagma in III. partes diſtinctum, quarum ultima novum complectitur *Commentarium in X. Senecæ Tragœdias.*
In S. Orientii, Epiſcopi Illiberitani, Commonitorium Notas breves, & in D. Athelmi Ænigmata.

De

De Difficilioribus & utilioribus S. Scripturæ locis Tomos III.

Pharum Sapientiæ, ſeu Comment. in Geneſin.

Vindicias Areopagiticas adverſus Joſephum Scaligerum.

Adagiorum Sacrorum Tomus I. & alter Adagiorum ac Phraſium S. Scripturæ poſthumi in lucem exierunt.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1608.

PHILIPPUS NICOLAI.

Filius Theologi.

NAtus eſt 10 Aug. A.C. 1556 *Mengershuſii* in Comitatu *Waldeccenſi*, Parente Reverendo Viro Dom. *Theodorico Nicolai*, Divini ibidem Verbi multis annis Præcone.

A primâ infantiâ adjuncti ipſi Præceptores fuerunt, qui teneram ejus ætatem iis artibus ac diſciplinis inſtruerent, formarentque, quæ maximè ipſi convenirent.

Quibus cum haud defunctoriè excoluiſſet animum, in præcipuas *Germaniæ* Academias, non parvis parentum impenſis, conceſſit.

Idea Theologi Chriſtiani.

Cœterùm Viri hujus vita & doctrina eximia amicabili conſortio invicem conſpirârunt, & in quibusvis actionibus ſe Theologi verè Chriſtiani ideam exhibuit.

Eccleſiæ Paſtor Mengershuſii, & Hardeccii.

A. 1576. *Mengershuſium* in patriam ad Divinum ibi verbum prædicandum vocatus eſt.

A. 1583. Ad Monaſterium *Hardeccenſe* legitimè expetitus abiit. Sed indè triennio vix peracto, adverſariorum machinationibus ejectus miſerè oberravit, donec *Coloniæ Agrippinæ* domeſticus Auguſtanæ Confeſſionis Eccleſiaſtes ſuſciperetur.

Coloniæ Eccleſiaſtes Auguſt. Confeſſ.

Concionator aul. Comit. Waldecc.

A. 1587. Generoſus de *Waldeccio* Comes ipſum ſibi *Waldungi* â Concionibus aulicis ſacriſque Confesſionibus eſſe voluit.

Hâc ſpartâ ut majori cum autoritate defungi poſſet, A. 1590. *Mapurgum* profectus, pro gradu Doctorali ſolennem Diſputationem habuit, & examina pro more ſuſtinuit.

Verùm â *Wilhelmo*, *Haſſiæ Landgravio*, Theologis ſeriò injunctum, ne ipſum Doctorem renuntiarent, priusquàm ſuum *de fundamentis fidei Calvinianæ Librum* revocâſſet.

Sed quò id faceret, nullatenùs adigi potuit, & ſine publicâ honorum potiùs proclamatione diſcedere, quàm aggravare conſcientiam voluit.

Theologiæ Doctor Wittebergæ.

Inſignia tamen S. Theologiæ Doctoralia A. 1594. â *D. Ægidio Hunnio* cum applauſu reportavit *Witteberge*.

Eccleſiæ Paſtor Unnæ.

Poſt biennium *Unnam* in *Weſtphaliâ* ad erudiendum in Divinis dogmatibus populum accerſitus eſt.

Concionator ad S. Catharinam Hamburgi.

Hinc *Hamburgenſium* Senatus A. 1601. in Urbem ſuam eum evocavit, & in Templo *S. Catharinæ* Concionatorem conſtituit. In eâ functione *S. Pauli ad Romanos* & *Theſſalonicenſes Epiſtolas* Concionibus explicavit: quin & abſtruſam *Johanniticam Apocalypſin* pari perſpicuitate Auditoribus enucleandam ſuſcepit, ſed fata pertexere prohibuerunt.

In S. Apocalypſeos explicatione morbo correptus lethali.

Dum enim quinto capiti Apocalypſeos colophonem imponere, & ſacroſanctum omnium creaturarum homagium Deo præſtandum in publico cœtu exprimere laboravit, acuto morbo correptus graviter cœpit decumbere.

Moritur.

Tandem in precibus dormienti ſimilis animam DEO reddidit 26. Oct. A.C. 1608. cum vixiſſet 53. & in Miniſterio exegiſſet 32. annos.

Sub eodem cum *Joachimo Weſtphalo*, Paſtore quondam ad *S. Catharinam*, tumulo ſepultus quieſcit.

Scripta reliquit:

Scripta.

Teſtamentum Græcum, in 8vo.

Fundamentorum Calvinianæ Sectæ cum veteribus Arianis & Neſtorianis communium detectionem, in 4to & 8vo.

Ad duos Antonii Sadeelis libellos, quorum alterum de Sacramentali fruitione Corporis & Sanguinis Chriſti inſcripſit, reſponſum Chriſtianum placidum, in 8vo.

Methodum Controverſiæ de Omnipræſentiâ Chriſti ſecundum naturam ejus humanam, in 8.

Commentariorum de Regno Chriſti, Vaticiniis Propheticis & Apoſtolicis accommodatorum libros duos, in 8vo.

Sacroſanctum omnipræſentiæ Jeſu Chriſti myſterium Commentariorum duobus libris ſolidè & perſpicuè explicatum, in 8vo.

Pro Divinâ Jeſu Chriſti gloriâ adverſus Ebioniticos Chriſtophori Oſtorodi latratus, Tractatum in 8vo.

Theſes de Libero Arbitrio, quas Præſide Ægidio Hunnio pro ſummo in Theologiâ gradu conſequendo propugnavit, in 4to.

Panegyricum in novam Gieſſenæ Urbis Academiam, in 4to.

Hiſtorien des Reichs Chriſti aus den Propheten Ezechiel und Daniel/ und aus der Offenbarung Johannis fleiſſig erforſchet/ in 8vo.

Theoriam vitæ æternæ, Hiſtoriſche Beſchreibung des Geheimnus vom ewigen Leben/ in 4to.

Eine Chriſtliche Predigt aus dem 14. Cap. des Propheten Hoſeæ von Chriſto JEſu/ dem Baum des Lebens/ und ſeinen edlen Früchten.

Grundveſt und richtige Erklärung des ſtreitigen Artickels von der Gegenwart JEſu Chriſti nach beyden Naturen im Himmel und auf Erden/ in 8vo.

Nothwendiger Bericht von der gantzen Calviniſchen Religion/ aus ihren eigenen Büchern und Schrifften gezogen/ in 8vo.

Spiegel des böſen Geiſtes/ der ſich in der Calviniſten Bücher reeget/ und vor einen Gott will geehret ſeyn/ in 8vo.

Abtreibung des wehrloſen Entſatzes/ welchen die Calviniſten zu Unnâ wider den Hammerſchlag Göttliches Wortes haben ausgehen laſſen/ in 8vo.

Digitized by Google

De Antichriſto Romano cum Lojolitanâ Societate conflictum, in 8vo.

Synopſin Articuli controverſi de Omnipræſente Chriſto, in 8vo.

Tractatum de Cœnâ Domini.

Epiſtolam ad D. Hofmannum de Controverſiâ ubiquitariâ.

Reſponſum ad D. Huberi Confeſſionem de univerſali Electione.

Commentariorum de rebus antiquis Germanicarum gentium libr. VI.

Unterſchiedliche Sonn- und Feſttägliche Predigten.

20. Predigten über die 5. erſten Capitel der Offenbarung Johannis.

Freuden-Spiegel des ewigen Lebens/ in 4to.

Kurtzen Bericht von der Calviniſten Gott und ihrer Religion/ in 12mo.

Die erſte *Victoria*, Triumph und Freuden-Jubel der unüberwindlichen Warheit über des Calviniſchen Geiſtes Niderlage/ in 8vo.

Bericht von der Evangeliſchen Chriſten Wiederwärtigkeit zu Amſterdam / wider *Petrum Plancium*, in 8vo.

Freudige Wiederkunfft auf die faule Abfertigung *D. Urbani Pierii*, in 8vo.

Friedbietung der Pfältziſchen Theologen an alle Lutheriſche Kirchen / mit treuhertziger Antwort zu hochnöthiger Wegraumung aller Friedshindernuſſen und Chriſtlicher Beförderung des gütlichen Vertrags heilſamlich erörtert/ in 4.

Verantwortung der Evangeliſchen Kirchen in Holland/ wider die Läſterung *Petri Plancii*, Calviniſchen Predigers zu Amſterdam und ſeiner *Conſorten*/ in 8vo.

Treuhertzige Warnung für Meiſter Johann *Cuno*, Perlebergiſchen *Superintendenten*, wegen der Calviniſchen Dünſten/Grillen und Natterſtichen/ in 4to.

Examen examinis Pieriani, Abfertigung des *Examinis*, ſo *D. Urbanus Pierius*, Calviniſcher Prediger zu Bremen/ wider *D. Nicolai Crellii* gehaltene Leichpredigt ausgeſprengt/ in 8vo.

Sieg- und Freudentritt der Warheit Chriſtlicher Religion in der Evangeliſchen und gut Lutheriſchen Kirchen durch Sachſen / auf die faulſtinkende Apologi *D. Urbani Pierii*, in 4to.

D. Philippi Nicolai Operum Latinorum Tomi ſunt II. editi à M. Georgio Dedekenno, in fol.

Ejusdem Operum Germanicor. Tomi ſunt IV. editi ab eodem, in fol.

* *Ex Concione fun. M. Georg. Dedekenni, Paſtoris Hamburg. & aliis.*

ABDIAS WICKNERUS.

Obiit A.C. 1608.

ROtenburgi ad *Tuberam* natus 30. Aug. A.C. 1560. Patrem habuit cognominem patriâ *Norimbergenſem*, tunc Scholæ *Rotenburgenſis* Rectorem; Matrem *Annam Mülichiam*, *Norimbergenſem*, quæ An. 1564. marito vitâ defuncto, nupſit *M. Georgio Caſio*, Eccleſiæ *Onolsbacenſis* Diacono.

A. 1579. *Wittenbergam* miſſus, ibi ſtudiis Theologicis Philoſophica junxit, & Anno 1586. Magiſterii gradum adeptus, inter 35. Candidatos primum locum obtinuit. *Fit Magiſter.*

Anno ſeq. domum vocatus, præter ſpem *Colmbergæ* Miniſter Eccleſiæ factus eſt.

A. 1591. Exindè in oppidum Leuterhauſen ad Eccleſiæ Paſtoratum promotus eſt. *Paſtor Leuterhuſanus.*

A. 1594. A *Georgio Friderico*, *Marchione Brandenburgico*, in aulam *Onolsbacenſem* accerſitus, per octennium Concionatorem Aulicum egit, donec ex Principis ſui clementiâ Scholæ *Heilsbronnenſis* Abbas, Inſpector & Profeſſor factus eſt, in quo munere vivendi finem fecit 15. Dec. A.C. 1608. ætatis 49. *Concionator Onolsbacenſis. Abbas Heilsbronnenſis & Profeſſor Theologiæ. Moritur.*

* *Ex Concione fun.*

FRANCISCUS SCRIBANUS.

Flor. A.C. 1609.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Valentinus*, cum eſſet genere, ingenio, vitæ integritate nobilis, & humanis Diviniſque literis probè excultus, & in Academiâ *Complutenſi* Doctoris Theologi Lauream, atque in patriâ Canonicatum *Valentinum* conſecutus, magnâ omnium admiratione circa A. C. 1577. omni ſæculi vanitate rejectâ, ad Societatis Jeſu vexillum convolavit, ut in Religionis hujus paupertate inveniret, quod mundi divitiæ præſtare non poſſunt. *Doctor Theologiæ. Canonicus Valent. Societ. Jeſu addictus.*

Rectoris Collegii *Valentini* munere functus, ſacras literas magnâ cum laude explanavit, & floruit circa A. C. 1609.

Scripſit *Hiſpanicè*:

De 4. Noviſſimis Diſcurſus, pietate, eruditione, brevitate & perſpicuitate eximios, & ad formandos Divini Verbi Declamatores appoſitos. *Scriptum.*

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

ARNOLDUS HAVENSIUS.

Obiit A.C. 1609.

BUſcoduci natus eſt A.C. 1540. & primis ibidem literarum rudimentis incubuit.

Patrio relicto ſolo, *Coloniam* petiit, & cum ſtudiorum ſuorum encyclopædiam abſolviſſet, Societ. Jeſu inſtitutum A. 1558. eſt amplexus. *Soc. Jeſu amplexus.*

Cum jam aliorum promovendæ ſaluti per annos circiter 27. incubuiſſet, voluit aliquantò accuratiùs ſuæ quoque ipſius perfectioni incumbere.

A. 1586. *Lovanienſibus* ſe *Cartuſianis* junxit, & ſtatim Præfectus eſt *Cartuſiis Buſcoducenſi*, *Leodicenſi*, *Lovanienſi*, *Bruxellenſi*, & toti Provinciæ, adeò ut Viſitatoris functus *Monach. Cartuſianus.*



Digitized by Google



Digitized by Google

ctus officio quàm optimè de Ordine univerſo ſit meritus.

Moritur. Obiit in Domino *Gandavi* ſummâ cum pietate vitæque innocentiâ A. C. 1609. ætatis 79.

Scripſit:

Scripta. *Hiſtoriam Cartuſianorum Ruremondenſium, qui anno 1572. ibidem crudeliter interemti ſunt.* Cui adjunctum eſt *Martyrium Cartuſianorum Anglorum ſub Rege Henrico VIII.*

De erectione novorum in Belgio Epiſcopatuum.

Speculum hæreticæ crudelitatis, ſeu de crudelitate ac moribus tàm antiquorum, quàm depravati hujus ſæculi hæreticorum contra Catholicos.

De vitæ ſolitariæ præſtantiâ ſimul ac utilitate.

Exhortationem de Obſervantiâ diſciplinæ Regularis, & præcipuè ſolitudinis ad Cartuſianos.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1609.

TOBIAS BRUNO.

Natus eſt *Auguſtæ Vindelicorum*, Patre Machæropœo A.C. 1548.

Cum in Scholâ patriâ ſtudiorum fundamenta jeciſſet, à Senatu ſtipendium nactus in Academiam *Tubingenſem* diſceſſit, ibique ſeptennio ſtudiis inſumpto Philoſophiæ Magiſter renuntiatus, A. 1581. Eccleſiæ Paſtor factus eſt *Lutzingæ*. *(Eccleſiæ Paſtor Lutzing.)*

A. 1588. In Academiâ *Tubingenſi* S. Theologiæ Doctor creatus, poſteà *Neoburgi* Eccleſiaſtes aulicus, Paſtor *Lengfeldenſis*, & vicinarum Eccleſ. *Noricar.* Superintendens factus eſt. Ex conjuge *Suſannâ*, *Bartolomæi Rulichii*, Theologi *Auguſtani* filiâ 10. liberos ſuſcepit, è quibus 7. vivos reliquit. *(Theologiæ Doctor & Eccleſiaſt. Superintendens.)*

Tandem in oppido *Regenſtauff*, quod ad Eccleſiæ viſitationem ſibi commiſſam 19. Febr. ingreſſus erat, apoplexiâ tactus, in ædibus Eccleſiæ Paſtoris *Johannis Zimmermanni* placidè obdormivit 20. Maji A. C. 1609. ætatis 61. *(Moritur apoplexiâ.)*

VIgeno Malo TobIas DoCtor obIbat.

Anagramma. *Tobias Bruno.* Per Anagr. *Abbas nutrio.*
Tobias Bruno Doctor. *Bonitas robur docto.*

* *Ex Concione fun.*

Obiit A.C. 1609.

NICOLAUS SERARIUS.

Natione *Lotharingus*, patriâ *Rambervillanus*, dit. *Metenſis* oppido, Societati Jeſu nomen dedit *Coloniæ Ubiorum* A. C. 1573. *(Societ. Jeſu nomen dedit.)*

Primos 24. annos in Academiâ *Herbipolenſi* vixit, & docuit humaniores literas, Philoſophiam, & Theologiam. *(Herbipoli Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſor.)*

Fuit vir in omni genere ſcientiarum apprimè verſatus, Linguarum Græcæ, Hebraicæ & Syriacæ cum paucis doctus, & propter morum in congreſſu familiari ſuavitatem omnibus gratus. *(Philologus.)*

Moritur. *Moguntiæ* obiit 1. Julii A. C. 1609.

Cæſar Baronius, Cardinalis, *Annal. Tom. XII. lucis jubar Eccleſiæ Germ.* vocavit eum. Scripſit ferè alieno, id eſt, Diſcipulorum ſuorum nomine ſequentes Diſputationes:

Scripta. *De Eccleſiâ.*

De S. Eccleſiæ Catholicæ Proceſſionibus, Lib. II.

De XII. Apoſtolis.

De S. Paulo, & proditore Judâ.

De Legibus.

De extremâ Unctione.

De DEI Omnipotentiâ.

De Lutheranâ Catholicarum Litaniarum correctione.

De Symbolo Lutherano.

De Catholicorum cum hæreticis matrimoniis.

De Salomonis peccato & pœnitentiâ.

De Joſuanis Sacerdotibus.

De Symbolo Athanaſii contra Amphidoxos Diſputationem.

Trihæreſeon de Phariſæorum, Sadducæorum & Eſſenorum Sectis: & adverſus Johannis Druſii de Aſidæis ſententiam.

De S. Pauli Epiſtolis.

De Animo humano.

Contra novum Pelagianum & Chiliaſtem Franciſcum Pulium, Philodonum Italum, de Efficaciâ gratiæ Chriſti lib. II.

De S. Kiliano, Franciæ Orient. Apoſtolo.

In Tobiam, Judith, Eſther, Maccabæos Comment.

De Lutheri cum Diabolo diſputatione, Germanicè & Latinè.

Alogiam Apologiæ pro Luthero & Diabolo, quæ & Orationes Luthero-Turcicæ pòſt inſcriptæ.

De totâ Rabbinorum gente Lib. III. adverſus Scaligeri Euſebianas Notas, & Druſii Reſponſum.

Minerval Grammaticis Scaligero & Druſio trihæreſii auctati ergò depenſum.

Comitum par inclitum Beatum Gothofridum Weſtphalum, & Sanctum Romaricum Auſtraſium, cum Notis.

Lutherum Theosdoton Roſtochienſi Rhethori remiſſum, cum diſcipulo ſuo Calvino.

De S.S. Trinitatis Doxologiâ Lib. III.

Commentar. in Pentateuchum, in Joſuam, in Judices, in Ruth, in IV. lib. Regum.

In Acta Apoſtolorum, & in Epiſtolas omnes Canonicas.

Contra Schelefendium de gloriâ Chriſti lib. I.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1609.

BALTHASAR SARTORIUS.

Miſnicus, natus *Oſchatzi*, eruditis *Oſſio*, quod oppidum nomen habet non ab *Oſis*, minus à *Windis* populis, ut vult *Matthæus Dreſſerus in lib. de Urbibus*

Digitized by Google

bibus Germaniæ, ſed à Theſauro ibi fortè invento, vel ab *Amaſio*, qui *amaſiam* ſuam dicit *theſaurum*.

Theologiæ Doctor & Profeſſor Jenæ.

Ephorus Frid. Wilhelmi, Ducis Saxoniæ.

Theologus, ut ejus Collega *D. Voitus*, fuit *Philippicus*: renuntiatus *Wittebergæ* Magiſter A. 1559. *Lipſiæ* Doctor 9. Sept. A. 1573. *Jenæ* Profeſſor eodem anno. Anteà *Grimæ* Antiſtes fuit, & Ephorus D. *Friderici Wilhelmi*, Ducis *Saxoniæ*, & poſteà Adminiſtratoris Electoralis, aliquandiu vixit.

Salfeldiæ docuit.

Profeſſorum *Jenâ Salfeldiam* peſtis fugiendæ causâ profectorum primus fuit, qui 2. Sept. A. 1578. Lectionum ſuarum auſpicium inibi intimavit.

Antiſtes Miſnenſis.

E *Salanâ Miſenam* abiit A. 1588. *à Chriſtiano I. Electore Saxoniæ* conſtitutus Antiſtes.

Moritur.

Lipſiæ tandem conſenuit & contabuit, 14. Sept. A. C. 1609. defunctus.

* *Ex Nomenclat. Profeſſ. Jenenſ. M. Adriani Beyeri*, qui hoc ei adſcripſit Epigramma:

Epigramma.

BALTHASAR in noſtrâ SARTORIUS urbe docere
Dogma Philippiſmi voce ſtyloque ſtudet:
Impedit hoc auſum Deus: Hunc Witeberga Miniſtrum,
Lipſia Theologum dicit, humatque Senem.

Obiit A.C. 1609.

HENRICUS CUYCKIUS.

C*Ulenburgenſis*, Doctor Theologus *Lovanienſis*, & in *D. Petri* Decanus, atque illius Academiæ Cancellarius.

In humanioribus *Ultrajecti Georg. Macropedium* habuit Præceptorem. *Guilielmo Lindano* in Cathedrâ *Ruremundenſi* ſucceſſit, quo munere ſummâ laude functus ibidem vitâ deceſſit Nono Oct. A.C. 1609.

Concionator Ruremundenſis. Moritur.

Scripſit:

Scripta.

Quæſtiones Quodlibet. III. de Anno Jubilæo.

Speculum Concubinariorum Sacerdotum, Monachorum, Clericorum.

Libellum Precationum Lithurgicarum.

Orationes Panegyricas VII. quarum I. de verâ Chriſti Eccleſiâ, II. de origine & fine hæreſeos, III. de vitandis & è Republicâ proſcribendis libris pernitioſis. IV. Contra Politicos. V. De vetuſto raſuræ Clericalis more. VI. De Canonicor. Officio. VII. Beneficiorum Eccleſiaſticorum pluralitatem S. Concionibus rectè prohiberi.

Conciones XXX. De Sacrificio Miſſæ Novi Teſtamenti.

Refutationem Articulorum XXIV. Mauritii, Haſſiæ Landgravii, de reformatâ in ditione ſuâ fide, ad Mauritium Naſſovium.

Epiſtolas Pareneticas duas ad Mauritium Naſſovium, quibus ad fidem Catholicam reducere illum conatur.

Epiſtolam Pareneticam in Henricum Boxhorinck, Catholicæ Religionis deſertorem, & Bredæ Miniſtrum.

Aliam ad Neoſtadienſes, à quibus malè fuerat tractatus in itinere ſuo Romano.

Pareneticas tres ad Clerum Ruremundenſem: I. De renovando uſu priſtinæ raſuræ Clericalis. II. De moderatione Cleri, & de Tabulis Teſtamentariis Eccleſiaſticor. III. Contra Concubinariorum Paſtorum tolerantiam, quod nullius neceſſitatis prætextu Paſtores Concubinarii in Miniſterio tolerandi ſint.

Epiſtolam Pareneticam ad Florentium à Pallant, Comitem Culenburgenſem.

Ad Culenburgenſes cives ſuos.

Epiſtolas III. Pareneticas: I. ad quendam Sacerdotem ſecularem Catholicæ fidei deſertorem. II. Ad Religioſum quendam, qui exiſtimabat, ſe votis ſuis relaxari poſſe. III. Ad quendam Doctorem Medicum hæreticum.

D. Bernhardi de Conſideratione ad Eugenium Libros V.

Caſſiani Opera è Manuſcriptis exemplaribus emendata, additis Annotationibus, & explicatione obſcurarum vocum ac ſententiarum.

Johannis Molani Militiam ſacram Ducum Brabantiæ, & Natale Sanctor. Belgii è tenebris eruta & vulgata.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

JACOBUS ARMINIUS.

Obiit A.C. 1609.

U*Dewatteræ* ad *Iſalam* in *Hollandiâ* oppidulo natus eſt A. C. 1560. Patre orbus à *Theodoro Æmilii* literis in Scholâ *Ultrajectinâ* mancipatus, eo vitâ defuncto, *Rudolpho Snellio* ducente, A. 1575. *Marpurgum* in *Haſſiam* conceſſit.

A. 1576. Cum famâ percepiſſet, novam in *Batavis* Academiam *Lugduni* erectam eſſe, in eam ſe conferens, ad Philoſophiam & Theologiam ingenium applicuit, & in intima utriusque adyta penetravit. *Theol. ſtudet Lugduni,*

1582. A Senatu *Amſtelodamenſi*, *Genevam* uberioris profectûs gratiâ miſſus, cum ibi *Theodorum Bezam* aliquandiu docentem audiviſſet, *Baſileam* migravit, ubi ob eruditionem facultas Theologica Doctoris titulum ſumptu publico ipſi detulit, quem modeſtè recuſavit. *& Genevæ.* *Doctoris titulum recuſat.*

Genevam indè reverſus, & aliquo tempore ibi exacto, motus famâ *Jacobi Zabarellæ*, Philoſophi *Patavini*, *Italiam* adiit, quâ ter ſeptem menſibus perluſtratâ *Genevam* pedem reflexit.

Indè poſt aliquot menſes à Mœcenatibus ſuis A. 1588. *Amſtelredamum* revocatus, ibi per annos 15. Sacro Miniſterio functus eſt. *Miniſter Amſtelredamenſis.*

A. 1603. A Curatoribus Academiæ *Leydanæ* in eorum Academiam vocatus, ægrè licet dimiſſus, Profeſſoris ibi Theologici munus adiit. *Theologiæ Profeſſor Leyd.*

A. 1608. Ibi in quibusdam Theol. capitibus ſingulares opiniones fovit: *1. De Prædeſtinatione, 2. de Morte & Satisfactione Chriſti, 3. de Origine fidei, 4. de impedimento fidei, 5. de Perſeverantiâ.* *Fovet Opiniones ſingulares.*

Ob has opiniones à multis Theologis variè fuit exagitatus, ſed imprimis graviter cum eo diſceptavit *Franciſcus Gomarus*.

Eandem

Digitized by Google

Synodus Dordrac. ejus causâ inſtituitur.

Eandem ob cauſam A. 1618. Synodus *Dordracena* fuit inſtituta, quâ doctrina *Arminii* damnata. Scribunt quidam, eum ex ſedulâ lectione Scriptorum *Ægidii Hunnii* de Prædeſtinationis articulo diſſentire cœpiſſe à Reformatis. Morbo tandem lento ex mœrore confectus vivere deſiit 19. Oct. A. C. 1609. æt. 49.

Moritur.

Multos reliquit Sectatores, qui ab ejus nomine vocati ſunt *Arminiani*, & â quibusdam *Remonſtrantes*, quia *Hollandiæ Ordinibus* Libellum obtulerunt, quem *Remonſtrantiam* ſuam vocârunt.

Remonſtrantes unde dicti.

Scripta ab eo edita ſunt:

Scripta.

Diſputationes de diverſis Chriſtianæ Religionis Capitibus.

Examen modeſtum Libelli Guil. Perkinſii de Prædeſtinatione.

Amica Collatio cum D. Franciſco Junio de Prædeſtinatione.

* *Ex Vitis Profeſſorum Leydenſ.*

Flor. A.C. 1610.

COSMAS MAGALLANUS.

Natione *Luſitanus*, patriâ *Bracarenſis*, vix 14. annos natus *Conimbricæ* prid. Non. Julii A. 1566. ad Societatem Jeſu adductus, diu Rhethoricam docuit, ſtudiisque præfuit, quæſtiones de moribus explicavit, & S. Scripturam interpretatus eſt *Conimbricæ*.

Societ. Jeſu addictus. Theologiæ Profeſſor Conimbr.

Floruit A. C. 1610.

Scripſit:

Scripta.

Japonenſis Catechiſmi Tom. II.

Comment. in Epiſtolas Pauli ad Timotheum, & ad Titum.

Juvit adhæc in *Conimbricenſis Collegii* Commentariis in *lib. Phyſicorum, de Cœlo, de Animâ, de Generatione & Corruptione*, & *in lib. Meteor.* & *Ethica Ariſtotelis.*

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu P. Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1610.

POLYCARPUS LEISERUS, vel LYSERUS.

Natus eſt *Winendæ*, oppido in Ducatu *Würtenbergico* 18. Martii A. 1552. Patre *M. Caſparo Leiſero*, ejus loci Superintendente, quem vix bimus *Polycarpus* amiſit, vitricum poſteà nactus *Lucam Oſiandrum, Theologum Wittenberg.*

Tubingæ literis operam dat.

A. 1566. *Tubingam* ſtudiorum gratiâ miſſus, ibi inter alumnos Principis receptus eſt.

Ibidem Magiſter Philoſophiæ creatus, & inter 32. Candidatos primum locum adeptus eſt, ipſe omnium natu minimus A. 1570. ætatis 18.

Eccleſiæ Miniſter

Ibidem prætereà cum *D. Jacobo Heilbrunnero* & *D. Moyſe Pflachero* Miniſter Eccleſiæ ordinatus, poſteà in *Auſtriam* conceſſit, & *Gellersdorffii* oppido Baronis *Puchaimenſis* Paſtor Eccleſiæ factus eſt Anno 1573. Ibi verò cum eſſet, ſæpè *Viennam Auſtriæ* ad Conciones habendas evocatus eſt.

Theologiæ Doctor, Superintendens & Profeſſor.

A. 1576. Cum *Ægidio Hunnio* Theologiæ Doctor creatus, paulò pòſt ab Electore *Saxoniæ Auguſto Wittenbergæ* Eccleſiæ Paſtor, reliquarum verò Superintendens, Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſor & Profeſſor Theologiæ conſtitutus eſt A. 1577. publicè inauguratus â *D. Jacobo Andreæ*.

Nuptias celebravit cum virgine *Eliſabethâ*, *Lucæ Cranachii*, Conſulis & Pictoris *Wittenberg.* filiâ A. 1580. ex quâ liberos ſuſcepit 13. nepotes vidit tres, & neptim unam.

Variis tunc temporis Conventibus Theologicis ob *librum Concordiæ* habitis, juſſu Electoris interfuit An. 1583. *Queldlinburgi*, A. 1584. *Lipſiæ*, & A. 1585. *Hertzbergæ*. *Wittenberga Brunſuicum* vocatus, venit A. 1585. primùm Coadjutoris, deindè Superintend. munere functus. Indè *Wittenbergam* iterum conceſſit A. 1591.

Dreſdæ D. Martino Miro defuncto ſuccedens Concionator aulicus factus eſt A. 1594. Ibi ad finem vitæ certamen ipſi fuit cum *Samuele Hubero Bernate*, qui *Wittenbergæ* dogma ſuum de univerſali omnium electione, etiam reproborum redemtione ſparſerat.

Certamina Lyſeri varia.

Interceſſit quoque ei publicum certamen cum *Jacobo Gretſero*, Jeſuitâ *Ingolſtadienſi*, ob publicatam hiſtoriam *Haſenmüllerianam*.

Moritur.

Obiit *Dreſdæ* 22. Febr. A. 1610. æt. 58. miniſterii 37. Febri hecticâ paulatim conſumptus.

Teſtamento cavit, ut quotannis die *Polycarpi* & *Eliſabethæ Wittenbergæ* certa quædam pecunia impenderetur in victum Studioſor. tenuis fortunæ communi menſâ utentium.

Scripſit:

Scripta.

Hiſtoriam Paſſionis Dominicæ ſecundum quatuor Evang. Lipſ. 1605. in 4to.

Item Paraphraſin in Hiſtoriam Paſſ. in certos actus diſtinctam, in 4to & 12.

Hiſtoriam Reſurrectionis & Aſcenſionis Dominicæ & Miſſionis Spir. S. homiliis aliquot explicatam. Lipſ. 1610. in 4to.

Strenam geminam Calvinianis exhibitam.

Scholam Babylonicam ex C. 1. Daniel. quam ſubſequuntur Coloſſus Babylonicus, Fornax Babylonica, Cedrus Babylonica, Epulum Babylonicum & Aula Perſica. Francof. in 4to.

Commentariorum in Geneſin Tom. IV. Lipſ. 1609. in 4to.

Theologicam expoſitionem Hiſtoriæ Adami, Noachi, Abrahami, Iſaaci, Jacobi, & Joſephi, in 4to.

Harmoniæ Evangelicæ â Martino Chemnitio inchoatæ continuationem, lib. 3. compr.

Duplicem Præfationem in Hiſtor. Jeſuiticam Eliæ Haſenmülleri.

Ejuſdemque Operis adverſus Jacobum Gretſerum, Jeſuitam, iteratam defenſionem.

Explicationem Catechiſmi Lutheri, 8. Concionibus comprehenſam.

Vindi-

Vindicias adverſus Nic. Crellii fautores ejuſdemque heredes.
Chriſtianam Commonefactionē de Exorciſmo.
Conciones duas de Prædeſtinatione, in 4to.
Relationem extortam de Controverſiâ Hubérianâ.
Teſtimonium de Vitâ & Doctrinâ Huberi.
Tres Conciones A. Jubil. Luth. 1617. hab.
Speculum mortis è Pſalmo 90. exhibitum.
Speculum Imperantium ex Pſalm. 101.
Conciones 2. Pragæ habitas.
Duellum Cleſelianum.
Epiſtolam ad amicum adverſus Seb. Coblerum.
Reſponſionem ad Poſtſcriptum G. Pomerii Jeſuitæ.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Theol. Germ.*

Obiit A.C. 1610.

MICHAEL DRESLERUS.

LEobſchützii in Ducatu *Sileſiæ Jägerndorfſenſi* natus A. C. 1547. patrem habuit *Valentinum Dreslerum*, Senatorem, qui 70. liberos, nepotes, & pronepotes vidit.

Wittenb. Philoſophiæ Magiſter. Puer â patre miſſus in Scholam *Vratiſlavienſem* tunc celebrem, exindè *Wittenbergenſem* Academiam adivit, in quâ cum novennium ſtudiis inſudando tranſegiſſet, Magiſter Philoſophiæ ſolenniter cum aliis creatus, tertium locum, quem eruditionis vocant, ſortitus eſt.

Diaconus Onolsbacenſis. Studio deindè S. Theologiæ, & Linguarum, Hebraicæ cumprimis deditus, non multò pòſt *Onolsbaci* Diaconus Eccleſiæ & Conſiſtorii matrimonialis Aſſeſſor factus eſt.

Decanus Guntzenhuſanus. Septennio elapſo Decanus & Paſtor Eccleſiæ *Guntzenhuſanæ* denominatus. A. 1594. in Cœnobio *Heilsbronnenſi* Concionator, Gymnaſii Inſpector, & Linguæ Hebr. Profeſſor conſtitutus, in eâ functione 16. annos fideliter verſatus, vitam morte beatâ *Moritur.* clauſit 15. April. A. C. 1610. ætatis 63. Miniſterii 33.

* *Ex Concione Fun. Mich. Bermuthi.*

Obiit A.C. 1610.

GERVASIUS BABINGTON.

NAtus eſt in Comitatu *Notinghamenſi* ex antiquâ & generosâ familiâ A. C. 1550.

Cantabrigiæ in S. Trinitatis Collegio ita profecit in literis, ut factus ſit Collegii ſocius, & inſignis in Academiâ Verbi Divini Præco.

Fit Theologiæ Doctor. S. Theologiæ renunciatus Doctor vocatus eſt ab *Henrico Pembrochtiæ* Comite, ut ipſi eſſet â Sacris. Ejuſdem favore primùm Theſaurarius Eccleſiæ *Landavienſis* in *Walliâ*, poſteà Diœceſeos ejuſdem Epiſcopus electus eſt A. 1591. *(Epiſcopus Landav.)* A Reginâ *Eliſabethâ* deindè tranſlatus eſt A. 1595. ad Epiſcopatum *Exonienſem*. *(Exonienſ.)*

Wigornienſis. Moritur. Electus tandem Epiſcopus *Wigornienſis*, ibi placidè obdormivit M. Majo A. C. 1610. æt. 60.

Edidit *Anglicè*:
Annotationes Conſolatorias in V. Libros Scripta Moyſis.
Item in X. Præcepta, Fidei Articulos, & Orationem Dominicam.
Collationem inter humanam fragilitatem & fidem.

* *Ex Herologiâ Anglicâ.*

MICHAEL ROTINGUS.

Obiit A.C. 1610.

NOrimbergæ natus eſt 6. Febr. A. 1529. Patre *Michaële Rotingo*, *Lutheri* amico, (uno ex primis Præceptoribus, qui *Norimbergæ* in Scholâ *Sebaldinâ* A. 1526. introductâ docuerunt,) qui 94. annum ætatis attigit.

Cum in patriâ aliquandiu Parentis & *Leonhardi Culmanni* operâ ſtudiorum fundamentum poſuiſſet, Anno 1548. ætatis 19. *Wittenbergam* conceſſit, ubi præter alios Profeſſores *Philippum Melanchthonem* & *Paulum Eberum* (cujus menſâ quoque uſus erat,) docentes diligenter audivit, linguis etiam exoticis & diſciplinis Mathematicis deditus. *Auditor Philippi Melanchthonis.*

A.C. 1552. *Wittenbergæ* Magiſter Philoſophiæ creatus, inter 24. Competitores ſecundum locum obtinuit. *Philoſoph. Magiſter.*

A. 1555. Collegii Philoſophici Adjunctus factus eſt. Poſt mortem *Philippi Melanchthonis* A. 1560. Miniſterium Verbi Divini aggreſſus, primùm *Neagoræ* in *Palatinatu Superiori* *(Paſtor Eccleſiæ Neagoræ.)* Concionatoris aulici munus ſuſcepit apud viduam *Electoris Friderici II.* ex Regum *Daniæ* ſtirpe ortam. *Concionator aul. Palat.*

Non multò pòſt conjugium iniit cum *Annâ Aicheriâ Ambergenſi*, quæ A. 1591. *Rätzii* in exilio mortua eſt.

Ex eâ 8. liberos ſuſcepit, ſed 4. tantùm reliquit ſuperſtites, *Fridericum*, *Georgium*, *Thomam*, & *Michaëlem* filios, cum filiâ *Magdalenâ*.

A. 1568. *Berengavium*, non procul â *Neagorâ*, translatus, ibi 13. annis Verbum DEI docuit, uſque ad A. 1581. *(Paſtor Berengavii,)* quo Religionis mutatione obortâ in exilium migrare coactus, *Rätzii* ſedem poſuit, ejus loci Paſtorem Eccleſiæ agens uſque ad annum 1590. *(Rätzii,)* quo in *Vico Palatino Labaro* Paſtor Eccleſiæ conſtitutus, munere ſuo fideliter functus *(Labari.)* eſt, uſque ad 7. Octob. A. 1604. quo die cum ægrotum in pago *Etzenbergâ* viſitare vellet, in viâ lapſus, crus adeò læſit ac debilitavit, ut abindè nec benè ſtare, nec incedere potuerit, eâque de causâ coactus fuerit munus ſuum reſignare, quod aliàs ob vires corporis ſatis firmas & ſenium nondum feciſſet.

Vitæ tandem ſatur, viſu & auditu ſenſim deficientibus, placidâ morte extinctus eſt *Labari* 31. Maji A. C. 1610. ætatis 81. *Moritur.*

Epitaphium ejus Lapidi Sepulchrali inciſum:

HIC QUIESCIT SPE RESURRECTIONIS PER CHRISTUM JESUM REVERENDUS ET DOCTIS- *Epitaphium.*

SIMUS

Digitized by Google

ſimus Vir D. MICHAEL ROTINGUS, Norimbergensis, Pastor Ecclesiæ hujus Laberensis ad Annos XIII, qui placidissime in CHRISTO obdormivit die ultimo Maji Anno M DC X. Ætatis suæ LXXXII, Ministerii XLIII.

Hâc ſub MICHAEL ROTINGUS *dormio tumba:*
Mors mihi nunc Lucrum, Vita Redemptor erit.

* *Ex Concione funebri M. Chriſtoph. Zeemanni, Hornbacenſis.*

Obiit A. C. 1610.

JOHANNES PAPPUS.

Lindavii ad lacum *Acronium* natus eſt 16. Jan. An. 1549.

Filius Conſulis. Patrem habuit *Hieronymum Pappum*, Nobilem Conſulem *Lindav.* Matrem *Barbaram, Balthaſ. Funckii*, Conſulis *Memmingenſis*, filiam.

Poſtquàm verò *Johannes* à *Martino Bremio* rudimenta Linguæ Latinæ, Græcæ & Hebraicæ didiciſſet, A. 1562. à parentibus *Argentoratum* miſſus, prima ſtudiorum fundamenta jecit. *Argentorati literis operam dat.*

Magiſter Philoſophiæ Tubingæ. A. 1564. *Tubingam* profectus, primum ibi in Philoſophiâ gradum eodem anno ætatis 15. adeptus eſt.

Præficitur Comitibus Falcoſteinenſibus. A. 1566. Ad aulam vocatus, duorum Comitum *Falcoſteinenſium* inſtitutionem privatam ſuſcepit.

Theologiæ ſe addicit. A. 1567. Patris ſui juſſu *Argentoratum* reverſus, totum ſe ſtudio Theologiæ addixit. Deindè

Eccleſiæ Miniſter. A. 1569. *Reichovillæ* Eccleſiæ Miniſter factus.

Prof. Theol. A. 1570. verò *Argentorati* Profeſſor Theologiæ & Eccleſiæ Paſtor conſtitutus, Anno ſeq. Magiſter creatus eſt Baſileæ. *Magiſterii gradu ornatur.*

Theologiæ Doctor. A. 1573. *Tubingæ* Doctor Theologiæ renunciatus, & A. 1578. *Argentorati* Paſtor ſummi Templi factus eſt. *Paſtor ſummi Templi Argentoratenſis.*

A. 1581. Ad Conventum Eccleſiaſticum cooptatus, illi 29. annis præfuit.

Ex uxore *Mariâ Magdalenâ Linſiâ* filium ſuſcepit unicum *Joh. Pappum*, avitæ virtutis æmulum.

Moritur. Cum autem Annis 42. Eccleſiæ & Scholæ fideliter inſerviiſſet, 13. Julii obiit, anno ætatis 61. Chriſti Salv. 1610. quem ipſe hoc verſu ſibi in inſcriptionibus familiari expreſſit:

aD fIneM ſI qVIs ſe parat, ILLe *ſapIt.*

Libros edidit:

Scripta. *Parva Biblia, ſive Synopſin Biblicam, ſummam continentem totius S. Scripturæ methodicè digeſtam*, in 12mo.

Hiſtoriam Eccleſiaſticam converſionis Gentium, in 8vo.

Epitomen hiſtoriæ Eccleſiaſticæ de converſionibus gentium, perſecutionibus Eccleſiæ, hæreſibus, & Conciliis Oecumenicis ex præcipuis Scriptoribus Eccleſiaſticis collectam, in 8vo.

Homilias Academicas, in 8vo.

Hypotypoſin doctrinæ Chriſtianæ, ſive inſtitutionem Chriſtianæ Religionis de præcipuis quibusdam articulis, in 8vo.

Germaniæ veteris Deſcriptiones, ex probatis Autoribus collectas, in 8vo.

Deſcriptionem omnium Regum & Prophetarum populi Judaici, in 8vo.

* *Ex Melch. Adami vitis, Theol. Germ.*

AMANDUS POLANUS.

Obiit A. C. 1610.

Oppaviæ *Sileſ.* opp. natus eſt 16. Dec. A. 1561. Patre *Henrico Polano à Polansdorff*, Reip. illius Syndico; matre *Marthâ Cominiâ*. Puer liberalium elementa artium in patrio ludo didicit. Indè A. 1577. *Vratislaviam* venit, & in Scholâ *Eliſabethanâ* ſexennium tranſegit, ſub Præceptoribus *Petro Vincentio, Nicolao Steinbergero*, & *Caſparo Britmanno*; Condiſcipulos verò neceſſitate ſibi junctos habuit *Bartholomæum Pitiſcum*, *Johannem Schachmannum*, & alios. *Vratislaviæ literis operam dat.* *Præceptores & familiares Polani.*

A. 1583. *Tubingam* adiit, & paulò poſt eodem anno *Baſileam* diſceſſit, totumque animum Theologiæ ſtudio applicavit. *Theologiæ ſe addicit.*

Exindè *Genevæ, Baſileæ, Heidelbergæ*, & alibi Baronibus quibusdam erudiendis operam ſuam addixit.

A. 1590. De voluntate *Caroli* Senioris, Baronis *Zeroliniani*, ipſi nil tale cogitanti, à *D. Joh. Jac. Grynæo* perſuaſo, Theologiæ Doctoris honor collatus *Baſileæ*, Promotore *D. Joh. Brandmüllero*. *Theologiæ Doctor,*

A. 1596. Cum Prophetæ *Malachiæ* explicatione publicâ *Genevæ* abſolutâ *Baſileam* rediiſſet, ibi publicam Theol. Profeſſionem ſuſcepit. *& Profeſſor Heidelbergæ.*

Moritur. Ibidem tandem febri ardente correptus, placidè exſpiravit 18. Julii. A. 1610. ætatis 49. Monumentum ei à Socero *D. Joh. Jacobo Grynæo* ſcriptum eſt ejusmodi:

Epitaphium.

CHRISTO SERVATORI SACRUM
AMANDUS POLANUS A POLANSDORF
THEOLOGUS BASIL. LITERATISS.
QUI DEXTRE DOCENDO, ACCURATE SCRIBENDO, LUCULENTER OSTENDIT
EGREGIA INGENII BONA, JUDICII DONA,
HUMANÆ VITÆ PERTÆSUS
MORTALE CORPUS HIC DEPOS.
XVII. JULII
A. CIↃ DC X. ÆTAT. XLIX.
ET ANIMA COELUM ADIIT.
QUO ET
MARIÆ GRYNÆÆ PRI. UX. ANIMULA
QUINQUENNIO ANTE EVOLAVERAT.
NON MULTO POST
LAVINIA CANONIA BONONIENSIS
SOCRUS LECTISSIMA
UT ET
SALOME WASSERHUN. ALTERA CONJUNX FIDELISSIMA
IN COELESTEM COLONIAM TRANSLATÆ
UNA CUM PRIUS DEFUNCTO
BEATÆ ÆTERNITATIS DONA EXSPECTANT.

In

Digitized by Google

In conjugio vixit gemino, primùm cum *Maria*, *Joh. Jac. Grynæi* filiâ, quæ in partu unà cum infante extincta eſt. Deindè cum *Salome Waſſerbuniâ*, quæ maritum ſecuta 15. Nov. A. 1610.

Edidit:

Scripta.

Commentarium in Danielem contra Bellarminum.

Analyſin Hoſeæ Prophetæ cum Orationibus Hiſtoricis & Dialecticis de Jubilæo anno.

De morte CHRISTI.

De quatuor Monarchiis apud Danielem.

Analyſin Prophetæ Malachiæ.

Partitiones Theologicas de Fide & bonis operibus.

Theſes Bellarmino potiſſimùm oppoſitas.

Enarrationes aliquot Vaticiniorum de Chriſti nativitate, paſſione, morte, reſurrectione & adſcenſione in cœlos.

Logicam doctrinam.

* *Ex Melch. Adami Vitis Germ. Theol.*

Obiit A.C. 1610.

CHRISTOPHORUS SILBERMANNUS.

Gothæ in *Thuringiâ* natus eſt an. C. 1562.

Adoleſcens *Wittenbergæ* Philoſophiæ Magiſter creatus, & abindè Theologiæ addictus ibidem Eccleſiæ Diaconus factus eſt.

Diaconus Wittenbergenſis.

A. 1590. Propter Religionis diſſidium ab officio ſuo remotus, & in exilium diſcedere coactus, *Zellam* venit, ubi Sereniſſ. *Wilhelmus*, Dux *Brunſv.* & *Luneburg.* Concionatorem eum aulicum ſibi conſtituit.

Concionator Aulæ Brunſvic.

Vitâ defuncto poſteà *M. Fiſchero*, Generali Superintendenti Eccleſiarum *Luneburgicarum* in munere ſucceſſit.

General. Superint. Luneburgenſis.

Tandem Duces ſuos *Darmſtadium* ad feſtivitates nuptiales ibi inſtitutas comitatus, dyſenteriâ lethali correptus, ibidem animam Creatori reddidit 7. Aug. A.C. 1610. ætatis 48. Sepultus jacet in Templo Cathedrali.

Dyſenteriâ obiit Darmſtadii.

* *Ex Concione fun. D. Henrici Leuchteri, Superintend. Darmſtad.*

Obiit A.C. 1610.

JOHANNES DEBELIUS.

Rhembdâ *Thuringus*: natus eſt A.C. 1540. Philoſophiæ Magiſterio in *Salanâ* 9. Julii A. 1567. impetrato, in eâdem A. 1569. munus & Profeſſoris Philoſophici & Notarii Academici ſimùl obire incepit, usque ad 16. Junii A. 1573. quo unà cum aliis orthodoxis Profeſſoribus Publicis dimiſſus in Gymnaſio *Gandersheimenſi*, & in Univerſit. *Helmſtadienſi* omnium primus Græcas & Latinas literas profeſſus eſt.

Fit Profeſſor Philoſ. & Notarius Jen.

Profeſſor Ling. Græc. Helmſtad.

Exindè A.C. 1579. *Ordruvium* vocatus, ad Ephoriam Eccleſiaſticam, cui præfuit ad 20. Martii A. 1605. quo in numerum Profeſſor. Publ. Theologiæ cooptatus *Jenæ*, & ſtatim 29. Jul. ſeq. Doctor Theol. renuntiatus, Conſiſtoriique Eccleſiaſtici, quod tunc in eâ Urbe indiviſum fuit, Aſſeſſor factus, mundo, & in eo officio valedixit 23. Aug. A.C. 1610. ætatis 70. Filium reliquit *Joſiam Debelium*, qui *Jenæ* Jur. U. Doctor A. 1605. renuntiatus, & *Langenſalzæ* A. 1614. denatus fuit.

Theologiæ Prof. Jen.

* *Ex Nomenclat. Prof. Jenenſ. M. Adr. Beyeri*, qui hoc addidit Epigramma:

Epigramma.

Rhembdæ JOHANNES DEBELIUS ortus honores
Philoſophi meruit Theologique Viri.
Julia facundo, Salanaque ab ore pependit
Illius, atque bibit dulcia dicta diu.

Obiit A.C. 1610.

HENRICUS JUSTUS.

Baſileæ natus eſt 12. Dec. A.C. 1561. Patre *M. Lucâ Juſto*, Eccleſiæ ad S. Petrum Paſtore, matre *Annâ Heydelinâ.*

A. 1581. in Templo *S. Jacobi Baſileæ* Diaconus, & unà Logicæ ac Ethicæ Profeſſor factus, triennio poſt Facult. Philoſophicæ Decanus fuit electus.

Logicæ & Eth. Prof.

A. 1589. Uxorem duxit *Annam Bombartiam*, ex quâ 4. reliquit liberos.

A. 1595. Patri ſuccedens in Eccleſiâ ad *S. Petrum* docere cœpit.

Paſtor ad S. Petrum Baſil.

A. 1596. Bis ſummam DEI providentiam & Angelorum cuſtodiam agnovit: nam 2. Jan. cum in domo matris ſuæ cellam recens exſtructam viſeret, cellæ camerâ cum muro corruente prorſus contectus fuit, ut ſummâ cum difficultate vivus indè exiverit.

10. Octob. verò, cum in domo juxta S. Petrum labores murariorum inſpectaret, pavimento corruente per 3. contignationes in aream ſubjacentem ſine ullâ corporis læſione decidit.

A. 1599. Rectoris in Univerſitate munus cum honore geſſit.

A. 1610. Peſte *Baſileæ* graſſante, eâdem correptus, placidè obdormivit 19. Octob. cum vixiſſet annos 49.

Moritur peſte.

* *Ex Concione funebri.*

Obiit A.C. 1611.

PETRUS PISCATOR.

Natus eſt *Hanoviæ* 7. April. A.C. 1571. Patre *Johanne*, cive honeſto. Cum literarum fundamenta in Scholâ patriâ poſuiſſet, plurimùm adjutus familiari converſatione *M. Cap. Sauteri Schleuſingam* primùm, deindè Academiam *Marpurgenſem*, & tandem *Jenenſem* ſtudiorum gratiâ acceſſit.

In hâc Philoſophiæ Magiſter creatus 5. Febr. A. 1594. Anno ſeq. Adjunctus Facultat. Philoſophicæ, & Linguæ Hebraicæ Profeſſor declaratus eſt, cum in cognitione Linguar. Hebrææ, Chaldaicæ, Syriacæ, & Græcæ vix agnoſceret ſibi parem.

Fit Philoſophiæ Magiſter.

Profeſſor Linguæ Hebrææ Jenæ.

20. Mart. A. 1605. Theologiæ Profeſſoribus aſſociatus 19. Julii ſeq. S. Theologiæ Doctor unà cum *Joh. Debelio* proclamatus eſt.

Theologiæ Doctor & Profeſſor.

Melan-

Digitized by Google

Melancholiâ hypochondriacâ per multos annos afflictus, tandem exſpiravit *Jenæ* 10. Jan. A.C. 1611. ætatis 40.

* *Ex Concione funebri Johannis Majoris.*

* * *

M. Adrianus Bayer in Nomenclatore Profeſſorum Jenenſium hoc eum Epigrammate honoravit:

Epigramma.

In Jovæ PETRUS PISCATOR nomine rete
Ingenii laxat judiciique ſui:
Et doctrinarum capit agmina plurima Jenæ,
Queîs Studioſorum paſcere corda juvat.

EPITAPHIUM:

Epitaphium.

PETRUS PISCATOR, HANOVIENSIS, PHILOSOPHIÆ ET THEOLOGIÆ DOCTOR ATQUE PROFESSOR CELEBERRIMUS: LINGUARUM HEBRÆÆ, CHALDAICÆ, SYRIACÆ, GRÆCÆ PERITISSIMUS: DISPUTATOR ACUTISSIMUS: ORTHODOXÆ AC LUTHERANÆ RELIGIONIS CONTRA PONTIFICIOS ET SACRAMENTARIOS DEFENSOR ACERRIMUS: VIR INGENIO, DOCTRINA, JUDICIO, PIETATE, HUMANITATE AC BENIGNITATE PRÆSTANTISSIMUS. NATUS AN. M D LXXI. VII. APRIL. POSTQUAM ANIMADVERTIT SIBI EX HAC ACADEMIA IN COELESTEM MIGRANDUM ESSE, IPSEMET IN CONCIONE SUA FUNEBRI PROPOSUIT EXPLICANDOS VERSUS DUOS ULTIMOS CAP. VIII. EPISTOLÆ AD ROMANOS: ATQUE ANNO M DC XI. DIE X. JANUARII IN CHRISTO PLACIDE OBDORMIVIT, CUM VIXISSET ANNOS XXXIX. MENSES IX. DIES III.

Scripta reliquit:

Scripta.

Articulum de Baptiſmo Concluſionibus 206. *comprehenſum Theologicis*, in 4to.

De æternâ Prædeſtinatione Salvandorum, ſive Electione æternâ filiorum DEI ad ſalutem, adverſus D. Samuelem Huberum & Calviniſtas, in 4to.

Problemata Sacra, è Scripturarum Divinarum fontibus deſumta, in 4to.

Orationem de ſtudiis Theologicis ritè conformandis & inſtituendis, in 4to.

Commentarium in Formulam Concordiæ, Diſputationibus aliquot in Academiâ Jenenſi propoſitum & diſcuſſum, in 4to & 8vo.

Obiit A.C. 1611.

JOHANNES MIRÆUS.

Bruxellenſis, natus eſt 8. Id. Januarii A.C. 1560. *Lovanii* in Gymnaſio Caſtrenſi Philoſophiæ Ariſtotelicæ operam dedit. *Duaci* Græcas literas & Rhetoricam docuit.

Græcæ Linguæ Profeſſor Duaci.

Eccleſiæ Paſtor, & Canonicus.

Epiſcopus Antverpienſis.

Bruxellis in monte frigido in *D. Jacobi* Paſtor, mox in *D. Gudulæ* Canonicus, demum *Antverpienſibus* Epiſcopus datus eſt.

Moritur.

Obiit *Bruxellis* morte ſubitaneâ 12. Jan. A.C. 1611. æt. 51. & ſepultus eſt *Antverpiæ* in æde primariâ *B. Mariæ Sac.* hoc Epitaphio:

D. O. M. S.

Epitaphium.

JOHANNES MIRÆUS, EPISCOPUS ANTVERPIENSIS QUARTUS H. S. E. QUI OBLATAM SIBI FAMA VIRTUTIS DIGNITATEM, CUM DIU RECUSASSET, SIC UT COGENDUS FORET, EA VIGILANTIA, MAGNANIMITATE, INTEGRITATE, BENIGNITATE, AC PRUDENTIA GESSIT, UT VIRUM MUNERI NON MUNUS VIRO DATUM APPARERET. SED HEU FIDEM SORTIS HUMANÆ! VIX DUM SEPTIMAM TURBIDIS TEMPESTATIBUS MESSEM HOC COLONO PERINDUSTRIO ANTVERPIA GUSTAVERAS, CUM SERENATO PER INDUCIAS TANDEM REIP. COELO, INFELICE CATARRHOSÆ GUTTULÆ DEFLUXU, TU SPE UBERIORIS FRUGIS, IPSE VITA EXCIDISTI JANUARII DIE XII. ANNO SAL. CIↃ IↃC XI. SUO LII. INEUNTE, OMNIBUS ETIAM HOSTIBUS LUCTUOSUS. PIIS UT MANIBUS SIT QUIES, QUISQUIS HÆC LEGIS DEUM VENERANS PRECARE. CHRONICON.

Non ConſVnDar In æternVM.

Edidit:

Scripta.

Statuta Synodi Diœceſeos ſuæ A. 1610. *celebratæ*, & *præmiſit Orationem ad Clericum.*

Johannes à S. Laurentio Duacenſis, Johannes Del-Rio Decanus B. Mariæ, & Laurentius Beyerlinx, Canonicus & Archipresbyter Orationes funebres in ejus Funus ſubſcripſerunt.

Erat illi Symbolum: *Futura proſpice.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

* * *

JOHANNIS MYRÆI, Præſulis *Antverp.* laudes breviter complectitur *Inſcriptio*, quæ in *Seminario* ab eodem *Antverpiæ* inſtituto legitur, & ita ſe habet:

Inſcriptio de ejus laudibus.

JOANNIS MYRÆI BRUXELLENSIS,
IV. Antverpienſium Epiſcopi vultum hic vides,
Spectator, neque enim heroicam ipſius mentem, quâ ſemper alta complexus, exigua tabula ceperit.

Ille, ille eſt, cujus in DEUM religio & pietas,
Erga homines adfectus & benignitas,
In privatâ vitâ candor & integritas,
In publicâ ſplendor & dignitas,
In agendo prudentia & ſedulitas,
Morum facilitas domi foriſque,
(Quæ virtutes unà cum eruditione ſummæ in illo fuerunt,)
Apud nos poſteroſque perenni elogio celebrabitur.
Hujus induſtriâ & labore Diœceſis Antverpienſis multùm collapſa
Priſtinum, & priſtino ampliorem ſplendorem recepit.
Surrexit ejus auſpiciis hoc SEMINARIUM Clericorum,
Quod vivens fovit, & moriens opibus cumulavit,
E quo mox miſſi in omnem vineam Operarii.

 Eccle-

Eccleſiarum Viſitationes hoc ſpeculatore reſumptæ:
Virginum Cœnobia optimis inſtitutis ſtabilita:
Et Ceremoniarum ſacrarum introductæ formulæ.
Summa eſt. Quod olim Urbi æternæ Octavianus Cæſar,
Id præſtitiſſe Antverpienſi Eccleſiæ jure quis hunc dixerit:
Lateritiam primitùs eam inveniſſe,
Et non integro ſeptennio, quo præfuit, marmoream reliquiſſe.
Sed heu! meditantem majora catarrhi defluxus rapuit in patriâ,
Anno Salutis humanæ CIↃ IↃC XI. *die* XII. *Januarii,*
Poſtquàm vixiſſet annos LII. *meritorum plenus.*

Laurentius Beyerlinx, S.T.L. *Canonicus & Archipresbyter Eccleſ. Cathedral. Antverp. ac primus hujus Seminarii Præſidens, Antiſtiti opt. de ſe merito poſ.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

ADRIANUS PAULI.

Obiit A.C. 1611.

NAtus eſt *Dantiſci, Boruſſiæ* Urbe 29. Junii A. 1548. Patre *Adriano.*

Puer mercaturæ addictus. Librorum lectione delectatur. Puer mercaturæ addictus â tutoribus, cum in lectione libellorum, quos ê Scholâ ſecum attulerat, ſubindè delectaretur, iterum in Gymnaſium patrium miſſus eſt, in quo ſub inſtitutione *M. Henrici Molleri, Heſſi*, multum in literis profecit.

Wittebergæ literis operam dat. A. 1570. In Academiam *Wittenbergenſem* veniens, Pædagogum apud Bibliopolam *Samuelem Selfiſch* egit, & Philoſophiæ linguisque dedit operam.

Deindè Theologiæ ſe totum addixit, ſedendo aſſiduè ad pedes *Crucigeri, Molleri, Pezelii, Widebrami.*

Philoſophiæ Magiſter. A. 1574. 26. Aug. Decano *Andreâ Schatone, Torgenſi*, Philoſophiæ Magiſter creatus, paulò poſt *Thorunium* in *Boruſſiam* diſceſſit, ubi Conrectoratûs officium ſuſcepit.

Rector Scholæ Thoruni & Dantiſci. A. 1578. *Dantiſcum* â Senatu patrio vocatus, ibi demandato ſibi Rectoratûs munere præclarè defunctus eſt in Scholâ *Petro-Paulinâ.*

Paſtor Eccleſiæ. A. 1580. Ibidem ad Miniſterium Verbi Divini promotus *M. Petro Weidnero*, Diacono in Templo *Petro-Paulino* ſurrogatus, in eâ ſtatione annos 12. manſit.

Holſtius primus Dantiſci Evangelii Miniſter. A. 1592. E vivis ſublato *M. Holſtio*, primo Eccleſiæ iſtius, poſt fugatam Pontificiorum doctrinam, Paſtore optimè merito, Eccleſiæ ejusdem Paſtor declaratus, officio illi 19. annos præfuit.

Moritur. Maraſmo tandem paulatim conſumptus, placidè exſpiravit *Dantiſci* 30. Martii anno 1611. ætatis 63.

Ex conjuge *Eliſabethâ Fiſcherianâ* ſuperſtites reliquit 8. liberos, ex quibus filius natu max. *Adrianus Pauli Heidelbergæ* Philoſ. Magiſter, & *Monſpelii* in *Galliâ* Medicinæ Doctor creatus eſt. Alter filius *Georgius*, itidem *Heidelbergæ* primò diſcentis, poſteà Mathemata publicè docentis perſonam ſuſtinuit.

E filiarum elocatione nactus eſt generos *Johannem Martinium*, Scholæ *Marianæ* apud *Dantiſcanos* Rectorem, & *Tobiam Rhuelium* Eccleſiæ propè *Dantiſcum* Paſtorem.

* *Ex Melch. Adami Vitis Theol. Germ.*

SABELLUS CHEMNITIUS.

Obiit A.C. 1611.

EX veteri & primariâ *Chemnitiorum* familiâ natus eſt in oppido *Pritzwalcko*, Comitatûs *Prignitzenſis*, ſub ditione *Marchion. Brandenburg.* A.C. 1540. Parente *Joachimo Kemenitio*, Conſule *Pritzwalcenſi*, Matre *Annâ Tackeniâ*, Conſulis cujusdam *Witſtockienſis* filiâ.

Fratres habuit 4. *Nicolaum*, Medicum in patriâ, *Matthiam*, Jurium Doctorem, Conſiliarium *Brandenburgicum*, & Conſiſtorii *Coloniæ* ad *Spream* Præſidem; *Henningum*, Conſulem *Witſtockienſem*, & *Johannem*, Senatorem *Werbenſem.*

A. ætatis 16. *Magdeburgum* â parentibus in Scholam miſſus, ſub privatâ informatione *Johannis Bleichrodii*, Præceptoris in Gymnaſio ſenis plurimùm in literis humanioribus profecit.

Phil. Melanchthonis diſcipulus Wittenb. Biennio pòſt A. 1558. *Wittenbergam* progreſſus, per biennium *Dom. Philippum Melanchthonem* publicè docentem audivit.

A. 1560. *Pritzwalckum* in Patriam ad Scholæ Rectoratum vocatus, huic muneri triennio præfuit.

Scholæ Stendel. Rector. Senator ibidem. A. 1563. *Wittenbergam* regreſſus, ſtudia Theologica tractare ſedulus perrexit, donec A. 1566. *Stendelium* in Ducatu *Prignitienſi* ad Scholæ Rectoratum acceſſitus, & aliquot annis elapſis inter Senatores illius oppidi cooptatus eſt.

Francofurti ad Oderam Sacra docuit. Poſteà verò ſtudium Theologicum feliciter inchoatum deſerere nolens, Rectoratu & Senatoriâ dignitate ſe abdicans in patriam rediit, & privatim aliquandiu vivens ſtudio Theologico totum ſe devovit, donec ſuaſu fratris ſui *Matthiæ Chemnitii*, Conſiliarii *Brandeburg.* in Academiam *Francofurtenſem ad Oderam* diſceſſit, ibique per tempus aliquod publicè ſacra docendo & concionando ſeſe exercuit. A. 1579. Commendante eum *D. Andreâ Muſculo*, Generali Superintendente *Brandeburgico*, ab Electore *Joh. Georgio*, poſt diſceſſum *Andreæ Celichii*, Veteris *Marchiæ Brandeburg.* & *Prignitii* Generalis Superintendens conſtitutus, in eoque munere 32. annis fideliter verſatus eſt. *Generalis Superintendens Veteris Marchiæ Brandenburg.*

In duplici conjugio vivens intereà varias & graves calamitates perpeſſus eſt, dum liberorum ipſius pars A.C. 1598. peſte ſublata, filiarum una phthiſi, altera hydrope extincta eſt: & filium tantùm cum filiâ ſuperſtites reliquit.

Febre

Febre tandem ardente decumbens, cum Diaconus Eccleſiæ ipſi conſolationes ſacras ſuggereret, ipſe cum *Philippo Melanchthone* ſic animam ſuam allocutus mortis terrorem abigere ſtuduit:

Mortem læte excepit.

Noli metuere mortem,
Liberaberis à peccato,
Ab omnibus ærumnis,
A tyrannide Diaboli,
A rabie Theologorum.
Venies in conſpectum DEI,
& ibi diſces arcana Myſteria
de DEO, quæ in hâc vitâ
aſſequi non potuiſti.

Hæc cum ſubridens tertiâ vice repetiiſſet, paulò pòſt placidè exſpiravit *Stendelii* d. 6. Aug. A.C. 1611. ætatis 71.

* *Ex Concione fun. Daniel. Schalleri, Senior. Concionat. Stendel.*

Obiit A.C. 1611.

PHILIPPUS MARBACHIUS.

IN urbe *Argentinenſi* natus eſt 19. April. A.C. 1550. ex parentibus Reverendo Viro Dom. *D. Johanne Marbachio*, Præſide quondam ibi Conventûs Eccleſiaſtici, & Theol. Profeſſore primario, & Matre *Urſulâ*, ex antiquâ *Weislandiorum* familiâ ortâ.

Theol. D. filius.

In patriâ primùm Scholâ artium bonarum fundamenta jecit: deindè iisdem in Academiis *Baſileenſi* ac *Tubingenſi* A. 1570. & 1571. operam dedit. Pòſt *Francofurti* & *Roſtochii* A. 1572. viros celebres audivit docentes, indéque non in humanioribus tantùm ſtudiis, ſed etiam S. Theologiæ cognitione eos fecit progreſſus, ob quos prædictarum Academiarum Doctoribus & Profeſſoribus charus extitit.

Quare cum poſt multa ſolertiæ & induſtriæ documenta edita, & acceptam primam Philoſ. Lauream *Baſileæ* 4. Sept. A. C. 1570. ad ſecundam quoque aſpiraret, 3. Octob. ſeq. Magiſterii etiam honor ipſi libenter cum multorum gratulatione collatus eſt.

Baccal. & Philoſophiæ Magiſter Baſileæ.

Quin inſuper cum A. 1573. â Facultate Theologicâ *Roſtochianâ* debito modo peteretur, ut ornatus gradu Licentiati in Theologiâ in patriam remitteretur, non potuerunt non honeſtæ huic petitioni morem gerere.

Exploratione igitur ingenii & profectûs ejus tàm in privato examine, quàm in publicâ diſputatione factâ, gradum ipſi Licentiæ in S. Theologiâ ſolennibus cæremoniis tribuerunt.

Theologiæ Licentiatus.

Cum ſucceſſu temporis fama de inſigni ejus eruditione percrebuiſſet, *A.* 1574. ab illuſtribus *Styriæ* Proceribus & Dn. *D. Davide Chytræo*, magno illo Theologo, cujus conſiliis in reſtaurandâ Scholâ & Eccleſiâ utebantur, ad munus primùm Conrectoris, deindè Rectoris in Scholâ *Græcenſi* legitimè promotus eſt.

Rector Scholæ Græcenſis.

Poſteà A. 1576. 1. Jan. Sponſalia celebravit cum nobili Virgine *Catharinâ*, filiâ Dom. *Thomæ Hauſteinii*, Archiatri & Conſiliarii Sereniſſ. Archiducis *Auſtriaci Caroli*: ex quâ ſuſcepit liberos utriusque ſexus, quorum maſculi 4. fœmellæ 2. Dom. parentem in vitam æternam præceſſerunt, octo autem, maſculi 3. & fœmellæ 5. ſuperfuerunt: inter quos ſenectutis bacula inprimis fuerunt Dom. *Philippus Marbachius*, J. U. Doctor, & cauſarum in Patriâ coràm Senatu minore patronus, & Dom. *Ulricus Marbachius*, Eccleſiæ Paſtor in *Eckbolsheim*, quibus meritò adjungi debet primogenitæ filiæ *Annæ Catharinæ* maritus, Dom. *D. Paulus* Rennenkampff/ *Reipubl. Wormatienſis* Conſiliarius.

Conjugium ejus.

Filii ejus: Philippus JC. Ulricus Theolog.

Relictâ verò mox poſt nuptias Academiâ *Roſtochianâ Argentinenſem* petiit, indéque non ita multò pòſt *Baſileam* reverſus, ibique aſſumpto gradu Doctoris in Theologiâ A. 1579. *Heidelbergam* ſtatim ſe contulit, ad ſuſcipiendam Profeſſionem Academicam, & Inſpectionem Domûs Sapientiæ, quæ duo officia publica illi â Sereniſſ. *Electore Palat. Ludovico* demandata fuerunt.

Theologiæ Doctor Baſil.

Heidelbergæ Theol. Prof. & Inſpector Coll. Sapientiæ.

Poſt Electoris obitum in *Carinthiam* vocatus ad gubernationem Gymnaſii Claudiforiani officio ſuo præclarè functus eſt.

Rector Gymnaſii Claudiſor.

Mortuo demùm fratre Dom. *Eraſmo Marbachio*, Theol. Doctore, de Acad. *Argent.* optimè merito, ad eam vocatus eſt A. 1593. cui annos 19. ita inſerviit, ut ſi quis ea quærat, quæ in Profeſſore Theol. deſiderari ſolent, ejus ſimiles optare fortè, at non reperire facilè poſſemus. Ob ſingularem etiam in expediendis negotiis Academicis ſolertiam ad officia publica aliquoties adhibitus fuit, & quidem ad Decani officium bis A. 1596. & 1602. ad Rectoris etiam bis A. 1597. & 1606. ad Viſitaturam Academiæ ſemel A. 1604.

Theolog. Profeſſor Argent.

Cum tandem menſes aliquot æger decubuiſſet, vitæ ſatur & laborum moleſtiis defatigatus piè & placidè vitâ exceſſit, d. 28. Sept. A.C. 1611. ætatis 61.

* *Ex Programm. fun. Joh. Fabri, Theol. Licent. & Prof. Argent.*

* * *

Concionem ipſi funebrem habuit *M. Bartholomæus Naſſerus*, Paſtor Eccleſiæ ad *Div. Thomam*, ejusdemque Collegii Præpoſitus, & S. Theologiæ Profeſſor Publicus, *ex II. Regum II. 1. 12.*

Scripta reliquit & edidit:

Ejus Scripta.

Refutationem Examinis M. Chriſtoph. Irenei, quod adverſus primum Caput Chriſtianæ Concordiæ de Peccato Originali edidit, in 4.

Reſponſionem neceſſariam & veram ad maledicum Librum fratrum Heidelberg. quo ipſum criminis falſi, ſed fruſtrà, convincere conati ſunt, in 4to.

Orationem de Origine & cauſis Hæreſium, in 4to.

Digitized by Google

Ad Reſponſionem D. Chriſtoph. Pezelii, quâ refutationem Tractatûs ſui de S. Cœnâ eludere conatus eſt αὐτοπόδιμα, in 4to.

Orationes V. habitas in Academiâ Argent. in 8vo.

Apologiam libri Concordiæ cum R*efutationibus calumniarum ab inquietis ingeniis adverſus hunc librum editarum*, in 4to.

Diſputationes Theologicas de præcipuis doctrinæ Chriſtianæ controverſiis Eccleſiarum Auguſtanæ Confeſſionis cum Pontificiis, Enchiridio Franciſci Coſteri Jeſuitæ oppoſitas.

Diſputationes Theologicas de bonis Operibus: de Cœnâ Domini: de ſacrâ Cruce, deque Uſu & Veneratione Imaginum: de Pœnitentiâ & Indulgentiis: de Purgatorio & Cœlibatu Sacerdotum: de Veneratione Sanctorum, & eorum Reliquiis: de Angelis bonis: de Providentiâ & causâ peccati: de Peccato Originis: de Viribus humanis.

Obiit A.C. 1611.

PETRUS RIBADENEIRA.

NAtione *Hiſpanus*, patriâ *Toletanus*, d. 18. Sept. A.C. 1540. ad Societatem Jeſu tunc naſcentem, & nondum

A P. Ignatio Lojolâ puer in Societ. Jeſu admiſſus. â Sede Apoſtolicâ confirmatam *Romæ* puer adductus, & â *P. Ignatio Lojolâ* admiſſus, ei abindè ſemper fuit chariſſimus.

In Societate ſuâ multis & magnis perfunctus laboribus,

Auctor Catalogi Scriptorum Societ. Jeſu. Catalogum Scriptorum illuſtrium Societatis Jeſu ad finem perduxit A. 1607. & vitâ tandem ſenio gravis deceſſit 10. Kal. Oct. A. C. 1611. relig. 71. ætatis 84.

Scripſit præterea:

Scripta. *De Vitâ Patris Ignatii Lojolæ Soc. Jeſu Auctoris Lib. V. Lat. & Hiſp.*

Alteram ejuſdem Vitam breviorem.

De Vitâ P. Jacobi Lainez ſecundi Præpoſ. Generalis Lib. III. Hiſpanicè.

P. Fr. Borgiæ tertii Præp. Gen. l. IV. Hiſp.

De Schiſmate Anglicano Lib. III.

De Tribulatione privatâ & publicâ Lib. II.

De Principe Chriſtiano adverſus Machiavellum & Politicos Lib. II.

De Vitis Sanctorum omnium, qui per totum annum ab Eccleſiâ Romanâ celebrantur, quorumque in Breviario ſit commemoratio Lib. II.

De Vitis Sanctorum extra ordinem Breviarii, quos propterea appellant Extravagantes Tom. I.

Officia propria Sanctorum Eccleſiæ Toletanæ.

De Inſtituto Societ. Jeſu Lib. I.

Manuale Orationum in uſum piè precandi collectum.

Confeſſionum, Meditationum, Soliloquiorum & Manualis D. Auguſtini Libros Hiſpanicè.

Libellum aureum Alberti Magni de Virtutibus, qui Paradiſus Animæ inſcribitur, è Latino Hiſpanicè translatum.

Librum Hiſpanicum, Fons Vitæ dictum, ab Ægidio Albertino, Secretario Ducis Bavariæ Latinè converſum, in quo apertè ſcripſit: quod omnis Fiducia noſtra fundata eſſe debeat in Merito Chriſti.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ, ſub finem.*

MILO SMITH.

Clar. A.C. 1612.

SAcræ Theologiæ Doctor, *Herefordenſis*

Canonicus Eccleſiæ Herefordienſis. Eccleſiæ Canonicus Reſidenſarius, qui primùm in Collegio, quod ab *Æneo Naſo* nomen habet, deindè Ædis Chriſti Capellanus, *Oxoniæ* multos per annos bonarum literarum ſtudio graviter incubuit, in hujus Eccleſiæ Antiſtitem ſacratus eſt Sept. 20. A. 1612. Poſtquàm in Sacrorum

Biblia transfert. Bibliorum verſione, unà cum aliis aliquot viris doctiſſimis utiliſſimam navâſſet operam.

* *Ex Commentario de Præſulibus Angliæ Franciſci Godwini.*

CONRADUS VORSTIUS.

Clar. A.C. 1612.

NAtus eſt *Coloniæ Agrippinæ* in *Ubiis*, patre *Theodoro Vorſtio*, matre *Sophiâ Starckiâ*, utrâque familiâ ſatis clarâ.

Puer in patriâ indè â primâ ætate bonis innutritus literis, cum circiter octavum ætatis annum expleviſſet, ſtudio Reformatæ Religionis, cui pater impenſè favebat,

Bedberæ diſcipulus. *Bedberam* in vicinam *Menapiorum* Regionem A. 1577. ablegatus, Logicas artes, cum Latino Græcoque ſermone, cumque doctrinâ Catecheticâ, ſub induſtrio Præceptore totum quinquennium addidicit.

Düſſeldorpii Philoſ. Stud. Indè circa annum 1582. *Düſſeldorpium* miſſus, ſtudium Linguarum & Philoſophiæ *Rameæ*, qualis ibi tunc vigebat, triennium ferè continuavit.

& Aquiſgrani. Hinc in patriam revocatus, & *Aquiſgranum* paulò poſt miſſus, Philoſophiam Peripateticam cum *Rameâ* non ſegniter conjunxit, præſertim A. 1586. & 1587. cum

Coloniæ Magiſterii gradum repudiavit. in *Laurentiano* Gymnaſio, quod *Coloniæ* celeberrimum eſt, (libertatem Religionis â Regente ſolenniter antè pactus,) curſum, quem vocant, Philoſophiæ abſolvit, dignus â Præceptoribus tunc judicatus, cui Magiſterii gradus tribueretur: ſed hunc honorem, quia ſine juramento fidei Romano-Catholicæ obtineri non poterat, repudiavit.

Theologiæ ſtud. Hoc tempore ad S. Theologiam, (amicis diſſuadentibus, & aliis ad ſtudium Juris, aliis aliò hortantibus,) inſtinctu *Johannis Badii* verè Theologi, animum ſeriò applicuit.

Herbornæ & Heidelb. Quod ſtudium deindè in aliis Academiis, & Scholis illuſtribus, præſertim *Herbornæ* ferè quadriennium, & *Heidelbergæ* penè triennium, tum Præceptores publicè audiendo, tum privatim aliis prælegendo ita tractavit, ut tandem A. 1594. S. Theolo-

Theol. Doctor Heidelbergæ. giæ Doctor *Heidelbergæ*, â Clariſſ. Viris *Daniele Toſſano*, *Jacobo Kimedontio*, & *Petro Calamino* publicè crearetur.

Poſteà cum ſuperiorem *Germaniam*, *Helvetiam*, partemque *Galliæ* peregrinando luſtraret, non paucis paſſim viris eximiis, maximè Theologis, honeſtè innotuit.

Baſil. Præſidem egit in Diſp. Theol. Et *Baſileæ* quidem A. 1595. Diſputationibus Theologicis pro *D. Grynæo* non ſemel præſedit.

Genevæ

Geneva Theolog. publicè docuit.

Genevæ verò aliquandiu, hortante imprimis *D. Beza*, in Academiâ publicè docuit: ubi & ſolenniter ad Profeſſionem Theologicam ab Urbis Senatu vocatus, eam, neceſſariis de cauſis in patriam revocatus, non acceptavit.

Steinfurti Theol. Profeſſor, & Eccleſiæ Paſtor.

A. 1596. Ab inclyto Comite *Bentheimenſi Arnoldo*, *Steinfurtum* ad ſimilem Profeſſionem unàque Eccleſiæ Paſtoratum legitimè accerſitus in DEI & pii Principis voluntate acquievit. Ibi Profeſſionem annos penè 16. Paſtoratum verò ſimul circiter ſeptennium cum bonâ omnium auditorum gratiâ obivit, adhibitus etiam ſuperiori Conſiſtorio, quod cauſis matrimonialibus & examinandis ſacri Miniſterii Canditatis illic præeſſe ſolet.

Conſiſtorii Aſſeſſor.

Intereà ab aliis viris Principibus & Eccleſiis non ſemel aliò vocatus fuit: nominatim A. 1602. ab illuſtri Viro *D. Pleſſero* & Eccleſiâ *Salmurienſi* ad Academiam tunc recenter illic fundatam, & A. 1605. ab *Haſſiæ Landgravio Mauritio* ad Academiam *Marpurgenſem*: ſed perſuaſus â ſuis, in ſtatione veteri permanſit.

Theologiæ Profeſſor Lugduni Batav.

Tandem A. 1610. ab Academiæ *Lugduno Batavæ* Curatoribus invitatus, accedente Ordinum & *Mauritii* Principis piâ voluntate, licèt ob lites, quæ ibi inciderant, Theologicas aſſenſum toto penè anno ſuſpenderet, & â ſuis ægrè avelli poſſet, tamen cum omnibus utrinque expenſis operam ſuam fructuoſiùs ibidem ad Chriſti gloriam collocari poſſe crederet, anno demum 1611. ſuis illam renuntiavit & *Belgis* addixit, inque Ordinem Profeſſorum legitimè vocatus fuit.

A Profeſſione abſtinuit.

Sed creſcentibus intereà rixis Eccleſiaſticis ac turbis, cum familiam eò jam traduxiſſet, ne viri boni officio uſpiam defuiſſe videretur, ex conſenſu Superiorum jure ſuo cedens â Profeſſione actuali abſtinuit, & ſedem quietiorem *Steinfurti* delegit, donec controverſiâ totâ, (quæ fervidè â multis ipſi mota fuit,) â ſupremo Magiſtratu ritè cognitâ legitimèque deciſâ, munus ſuum pacatè & tranquillè obire poſſet.

Adverſarius Franc. Gomari.

Cum verò *Lugduni Jacobo Arminio* in S. Theologiæ Profeſſione & dogmatum *Pelagianorum* defenſione ſucceſſiſſet, cum *Franciſco Gomaro* gravia certamina Theologica geſſit.

Ibidem portentoſa dogmata publicè defendiſſe fertur de naturâ DEI, hanc in ſe non eſſe infinitam, ſed tantùm noſtri reſpectu: unamquamque hypoſtaſin in Divinis peculiarem eſſentiam habere: Deum in ſe non eſſe æternum, nec impaſſibilem, &c.

Edidit:

Scripta.

Fidei Chriſtianæ Delineationem brevem per Capita, Aphoriſmos, & Poriſmata, in 12mo.

Commentar. in Epiſtolas Apoſtolicas.

Tractat. Theol. de DEO, ſive de Naturâ & Attributis DEI, in 4to.

Enchiridion Controverſiarum inter Evangelicos & Pontificios, in 8vo.

Diſputationes XXII. de Cauſis juſtis ac neceſſariis hactenùs ab Evangelicis deſerti, & porrò â piis omnibus deſerendi Romani Papatus, in 4to.

Apologiam pro Eccleſiis Orthodoxis contra Jeſuitas.

Ideam S. Theologiæ.

Anti-Bellarminum contractum.

Soritem Vorſtianum.

Anti-Piſtorium.

Catalogum errorum D. Sibrandi Lubberti.

* *Ex Vitis Profeſſorum Leyd.*

Caſpar Cunradus, Med. D. in *Proſopographiæ ſuæ Melicæ Millenar. 3.* hoc ei ſcripſit Diſtichon:

Diſtichon.

Auſoniis terror fueram: nunc bella minatur
Turba reformatum pectore dogma ferens.

THOMAS HOLLANDUS.

Obiit A.C. 1612.

PAtriâ *Salopienſis*, in finibus *Cambriæ*, natus eſt A.C. 1539.

Oxonii Theolog. Profeſſor.

Oxoniæ in Collegio *Exonienſi*, vel *Exceſtrenſi*, ſtudia ſecutus, culmen Doctoratûs attigit, & multos annos Theologiam profeſſus, Rector Gymnaſii factus eſt. Tandem electus Theol. Profeſſor Regius, ſive Doctor Cathedræ ſucceſſit *Laurentio Humfredo* A. 1592.

Doctor Cathedræ.

Moritur.

Obiit tandem *Oxoniæ*, cum toto morbi ſui tempore in ſanctis orationibus & meditationibus verſatus eſſet A. 1612. æt. 73.

* *Ex Herologiâ Anglicâ.*

PETRUS SCARGA.

Obiit A.C. 1612.

Magiſter Philoſ.

ARtibus & moribus optimis in Academiâ *Cracovienſi* inſtitutus, Philoſophicâque Laureâ an. ætatis ſuæ 19. ſub Decano Artiſticæ Facultatis *Felice Sieprcio* ornatus, mox ſe in aulam *Joh. Tarlonis*, Archiepiſcopi *Leopolienſis*, contulit, & ab illo Præpoſiti *Rohatinenſis* titulo auctus, Paſtor aliquot annos, compluribus innocentiæ pietatiſque editis exemplis, illi Eccleſiæ præfuit.

Præpoſitus.

Canonicus. Concionator.

Brevi poſt Collegio Canonicorum *Leopolienſium*, ſimul cum munere Concionatoris ordinarii adſcriptus, perpetuum vitæ tenorem ab omni vitiorum contagione vacuum ſervavit.

Pater Soc. Jeſu.

Sed non hic ſiſtendum ratus, totum ſe Divino cultui mancipans, in numerum Soc. Jeſu Patrum *Romæ* A. 1569. recipi voluit, exactoque in ſtudio Theologico in Italiâ biennio, feliciter in patriam cum aliis Societatis Patribus reverſus eſt.

Eccleſiaſtes Regius.

Et primùm Cardinali *Radivillo*, poſt Regi *Stephano* & *Sigiſmundo III.* Eccleſiaſtæ functus officio adhæſit: multa ſuæ Societatis Collegia â Rege Regnique Dynaſtis excitari procuravit: multos è Proceribus

& Nobilitate Machiavelliſticâ fraude imbutos ad rectam & Chriſtianam Politicam ſuis diſertis Concionibus reduxit.

Cum apud Regem *Sigiſmundum III.* annis plus quàm 20. Concionatoris officio functus eſſet, diſcordantes inter ſe Principes ſæpiùs conciliavit, avaros & tenaces ad largiendum in opibus, & excitandum Confraternitates *S. Lazari*, & *Miſericordiæ* in præcipuis *Poloniæ* Civitatibus incitavit.

Rector fuit Collegii *Vilnenſis* & Vice-Provincialis in *Poloniâ* Præpoſitus. Sic tandem vivendo ſenex obiit *Cracoviæ* A. C. 1612. ætatis 76. Conditus in novâ Beatorum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* Baſilicâ, laudante pro funere Patre *Fabiano Bircovio*, Ordinis Prædicatorum Oratore *Polonico*, qui *Johannem Chryſogonum* appellare eum ſolitus erat.

Romano ſermone edidit:

Scripta.

De Sacramento Euchariſtiæ Lib. III.

De Calviniſtarum impoſturis Articulos XII. contra Andream Volanum.

Linguâ Polonicâ conſcripſit:

De Unitate Eccleſiæ ſub uno Paſtore, & de Schiſmate Græcorum, cum Admonitione ad Rutenos Græcorum Schiſmati adhærentes.

Septem Columnas, in quibus fundatur Catholica fides de Sacramento Altaris.

Poſtillam, ſeu Conciones in ſingulos dies Dominicos & Feſtos.

Baronii Annales ſummatim in unum Volumen collectos.

Vitas Sanctorum per annum, adhibitâ paſſim S. Patrum doctrinâ.

Sermones de Tempore, de Sanctis, de Eccleſiæ Catholicæ Ritibus, & Cæremoniis ſolennibus, de Sacramentis.

Sermones Comitiales.

Libros Bibliorum, cum notis ad marginem appoſitis.

Contra Schiſma Græcorum & Roxolanorum.

De quatuor Noviſſimis.

De Militari devotione.

De Monte Pietatis.

De Confraternitate Miſericordiæ.

De Unitate Eccleſiæ.

Apologiam contra Theophilum Orthologum.

Sermones in victorias Ducum exercitûs Regni Poloniæ, inque obitûs variorum Dynaſtarum.

* *Ex Elogiis centum illuſtr. Poloniæ Scriptor. Simon. Starovolſcii, & ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu P. Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1612.

JOHANNES DIETMAIR.

VIr fuit ob rem benè geſtam immortali memoriâ dignus, quem excelſa in Theologicis eruditio, in pulpitis facundia, in moribus innocentia, è Monaſterio primùm *Fürſtenfeldano* in Cœnobiarcham *Allerſpacenſem*, & Ordinis deindè ſui Generalem Commiſſarium exoravit.

Abbas Allerſpacenſis.

Muneri Paterfamilias præfuit æterno poſteris exemplo: homo priſci moris, & hoc uno novus, quod priſca vitia neſciret: pertinax Muſarum amator, literas cum Religioſis vitæ virtutibus tam ambiguè miſcuit, ut hæredes neſciverint, quo nomine grandiorem ab illo Theſaurum poſſederint.

Vir Religioſus.

Extinctum eſt hoc Ordinis ſui illuſtre Lumen in *Bojorum* Metropoli A.C. 1612. ætat. 60. cum luxiſſet ſuis annos præterpropter 25.

* *Hæc iconi ipſius ſubſcripta leguntur.*

Obiit A.C. 1612.

AURELIUS STREITBERGERUS.

NAumburgi natus eſt 23. Sept. A.C. 1543. Patre *Johanne*, Superintendente Generali *Culmbacenſi*, & antè Gymnaſiarchâ primo *Curienſi*.

Wittenbergæ Philoſophiæ Magiſter creatus A. 1566.

Factus deinceps Rector Scholæ *Wonſidelenſis* A. 1567.

Diaconus *Culmbacenſis* A. 1571.

Paſtor Eccleſiæ *Selbenſis* A. 1575.

Superintendens *Curiæ Variſcor.* A. 1577.

Superintendens Curiæ Variſcorum.

Jenæ cum *M. Bertoldo Starckio*, Paſtore *Mülhuſano*, *M. Samuele Fiſchero*, Paſtore *Schlaccowaldenſi*, & *M. Nicolao Polando Egrano*, Theologiæ Doctor creatus eſt â Decano *D. Georgio Mylio* A.C. 1583.

Vivere deſiit *Curiæ* 25. Jan. A. C. 1612. ætatis 69.

Moritur.

Symbolum ejus fuit:

Qui non eſt Crucianus, non eſt Chriſtianus.
Item: Alle Stund Creutz.

Ejus Symbolum.

* *Ex Catalogo German. Viror. illuſtrium M. Wolgangi Krugeri, Eccl. Paſtoris Turnav.*

Obiit A.C. 1612.

STEPHANUS GERLACHIUS.

NAtus *Knittlingæ*, pago in Ducatu *Wirtenb.* A. 1546. 26. Dec. *S. Stephano* ſacro. Cum in Scholâ *Maulbrunnenſi* ſub *Valentino Vannio* literarum principia didiciſſet, *Tubingam* miſſus A. 1563. ubi ſub diſciplinâ *Jacobi Heerbrandi*, *Johannis Brentii* & aliorum A. 1564. Baccalaureus, & A. 1567. Magiſter Philoſophiæ cum laude creatus eſt ſummâ *Eslingæ*, quo Schola peſtis cauſâ ſeceſſerat.

Tubingæ Philoſophiæ Baccalaureus & Magiſter Eslingæ.

Tum ſtipendium â Principe nactus ſtudio Theologico ſexennium impendit, atque commilitones habuit *Ægidium Hunnium*, *Polycarpum Lyſerum*, *Philippum* & *Jacobum Heilbrunnerum*.

Theologiæ operam dat.

M. Jun. A. 1573. Cum Imp. *Maximiliani II.* Legato *Davide Ungnadio*, Barone, 60. hominum comitatu, *Conſtantinopolin* profectus, in ſextum annum Concionatoris aulici functus eſt officio, quo tempore Patriarchæ *Græcorum* Eccleſiæ familiariter innotuit.

Cum Legato Maximiliani Conſtantinopolin proficiſcitur.

In Itinere verò *Conſtantinopolitano Hadrianopoli* capitis dolore & dyſcraſiâ totius corporis

In itinere ægrotus Gerlachius reſtituitur.

Digitized by Google

poris correptus, à *Judæo* quodam valetudini priſtinæ cum ſucco imprimis è malis granatis reſtitutus eſt. Undè poſteà ſigilli loco tria ſibi elegit mala granata.

Signum Gerlachii.

Conſtantinopoli autem dum Legatos Cæſaris ad palatium *Sultani Selymi* comitaretur, quidam è turba exclamavit: Welches Glaubens biſtu? Seq. die comperit, hunc fuiſſe quendam Apoſtatam *Johannem Ferberum*, piſtorem, natum *Würtenbergicum*, qui poſteà aliquoties ipſum acceſſit. Contulit ibidem cum *Adamo Neuſſero*, Paſtore olim Eccleſiæ *Heidelbergenſi*, qui primùm ad *Arianos*, indè ad *Turcas* defecit, cum hæc abnegationis verba, præeunte *Zauſchio*, pronuntiaſſet: *Confiteor ego unum ſolum DEUM eſſe, & Mahometem ejus ſervum: confiteor item me ex falsâ Religione perveniſſe ad veram, & abnego fidem meam priorem cum omnibus adhærentibus articulis:* & deindè ſusceptâ circumciſione novum pileum ſignum Muſelmanni accepiſſet. Is poſteà dyſenteriâ miſerè periit 12. Octob. A. 1576. *Conſtantinopoli.*

Cum Apoſtatis variis Conſtantinopoli confert.

31. Dec. A. C. 1577. à Dom. ſuo per milliare extra *Conſtantinopolim* obviam miſſus eſt alteri Legato Cæſareo *Joachimo à Zinſendorff*, cujus Concionator fuit *Salomo Schweiggerus*.

A. 1579. *Conſtantinopoli Tubingam* reverſus, ſtatim Profeſſor Theol. factus, 13. Nov. Doctor creatus, & ſeq. die nuptias celebravit, cum virg. *Brigittâ*, *D. Joh. Schwartzii*, Archiatri *Würtenbergici*, filiâ, ex quâ 4. filios & 5. filias ſuſcepit.

Theologiæ Profeſſor & Doctor.

Uxorem ducit.

Tandem cum per annos 33. muneri ſuo fideliter præfuiſſet, ultimo quadriennio animi viribus plurimùm deperditis, placidè obdormivit *Tubingæ* 30. Jan. A. 1612. æt. 66. Cum anteà vertigine & tremore frequenter laboràſſet, memoriam verò adeò debilem habuiſſet, ut ſui propè ipſius oblitus fuerit.

Moritur.

Opera Gerlachii hæc ſunt:

Scripta.

Anti-Danæus, ſive, *Reſponſio, quâ Danæi figmenta confutantur.*

Hyperaſpiſtes Anti-Danæi de condemnatione errorum de S. Cœnâ, & de Chriſti Majeſtate, adverſus Danæum.

Tomus prior Diſputationum Theolog. de præcipuis horum temporum Controverſiis.

De Adventu, Perſonâ, Officio & Regno Meſſiæ.

De Prophetis Diſſertatio.

Diſſertationes 2. I. De Officio Chriſti Prophetico. II. De Cœnâ Domini, contra Calviniſtas.

Diſputationes aliæ duæ, I. de Eccleſiâ Chriſti militante. II. De iiſdem planè cauſis juſtificationis & electionis noſtræ.

Diſputationes 3. de Electione Huberianiſmo oppoſitæ.

Diſputatio de Jejunio.

Diſputatio de Juſtificatione, adverſus Bellarminum.

De Invocatione Sanctorum.

Aſſertio doctrinæ de Majeſtate Chriſti hominis.

Theſes Diſputationis de Perſonâ Chriſti.

Diſputatio de Perſonali duarum Naturarum in Chriſto unione.

Diſputatio de Perſonâ Chriſti alia.

Theſes de Providentiâ DEI.

Diſputatio de Imaginibus.

Gerlachii Biduum Tubingenſe edidit. Mart. Cruſius.

Orationem funebrem ipſi habuit Matth. Haſenrefferus.

Opus MS. Itinerarium Conſtantinopolitanum.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Theol. Germ.*

* * *

Erhardus Cellius vitam *Gerlachii* ſic deſcribit:

Hoc Reverendus erat STEPHANUS GERLACHIUS ore,
Annum & luſtra decem præteriiſſe videns.
Patria Knitlingen (Brettæ, vicina, Melanchthon
Magne tuæ, & patriæ, magne Chytræe, *tuæ.)*
Auctor erat ſtudii Stephano Stutgardia Muſis
Et Maulbronna deindè percoluêre ſuis.
Würtenbergiaci pòſt nomen adeptus Alumni
Mittitur ad Tubiæ fervida caſtra Scholæ.
Hîc Sophiæ ſtudiis, ſtudiis cœleſtibus auctus
Omnibus, eximiâ laude Magiſter erat.
Conſtantinopolin Davidis Præco Baronis
Ungnadii *magno munere factus abit.*
Luſtrum agit hîc: multo Patriarchis junctus ab uſu,
His cum multa agitans Religione ſuper:
Cum Biſantino veluti, Phario, atque Epheſino:
Et, Nicea, Chio, Teſſalonica, Tuo.
Auguſtæ Carolo data quæ Confeſſio, Græcè
Converſam dictos fecit habere Patres.
Pòſt Aſiæ partem, celſumque ubi vidit Olympum
Mandatu Patrii Principis indè redit.
Accipiunt reducem Dux & Schola noſtra benignè,
Moxque Profeſſorem conſtituêre ſuum.
Fit Doctor, Schnepffi Succeſſor, it acer acuto,
In Zwinglî turbam, Pontificiſque ſtylo.
Fit vigil illuſtris Stipendî Inſpector in Æde
Officiumque ſacra grande Decanus habet.
Magnificus Rector bis jam rectè omnia rexit,
Vir magnus ſtudiis & pietate ſuâ.
Da, DEUS, huic vitam, ſeniumque optabile: ſic lux
Maxima erit noſtræ, qui modò magna, Scholæ.

JACOBUS RULICHIUS.

Obiit A. C. 1612.

Auguſtanus *Vindelicus*, *Jacobi Rulichii* multis annis ad *S. Crucem* Eccleſiæ Paſtoris, & Miniſterii Præſidis filius, ejusque poſt obitum in explicatione Pſalmorum *Davidicorum* Succeſſor, quos omnes puer felicis memoriæ perfectè didicit, & ſine hæſitatione recitare potuit.

Filius Theologi. Pſalmos omnes memoriâ tenuit.

Cum

Philoſoph. Magiſter Tubingæ. *Evang. Miniſter a. æt. 22.* *Concionator Auguſtæ Vind.*

Cum in Scholâ patriâ ſtudiorum fundamenta jeciſſet, miſſus â parentibus primò in Gymnaſium *Laningamum*, deindè in Academiam *Tubingenſem*, in hâc Philoſophiæ Magiſter creatus eſt, & mox anno ſeq. 1581. ætatis 22. ad Miniſterium Evangelii promotus, in duabus diverſi *Palatinatûs Superioris* Eccleſiis 12. annis, & poſteà *Auguſtæ Vindelicorum* 20. annis Verbum Dei fideliter docuit, 17. annos Concionator ad *S. Ulricum*.

Conjugium ejus & liberi.

Eodem anno, quo Paſtoratum Eccleſiæ, Conjugium etiam auſpicatus eſt, ex quo 6. filios, duasque filias ſuperſtites cum 3. filiis ſuſcepit. Aſthmate diu afflictus, ex eoque biduo tantum decumbens, placidè in Domino obdormivit d. 17. Maji A.C. 1612. ætatis 53.

* *Ex Concione fun. M. Melch. Volcii Senior. ad S. Annam.*

Edidit:

Scripta.

IV. Bußpredigten aus den Klagliedern *Jeremiæ*.

Etliche Predigten aus dem Pſalter Davids/ ohne Anziehung anderer Sprüche H. Schrifft gehalten.

Kinderſpiel.

Obiit A.C. 1612.

JOHANNES WESENBECIUS.

Zeyſenhuſæ in *Marchionatu Durlacenſi* natus eſt A. 1548.

Puer in patriâ ruſtici cujusdam Scholam adivit, poſteà *Brettæ* quadriennio ſtudia tractavit. A. 1560. *Argentoratum* ſtudiorum continuandorum gratiâ venit, ſed A. 1563. ob peſtis contagia domum â patre revocatus, anno ſeq. 1564. *Tubingam* adiit, ubi A. 1565. Baccalaureus, & A. 1567. Philoſ. Magiſter renuntiatus eſt.

Fit Philoſ. Magiſter.

A. 1571. Cum *Ludovico* & *Alberto* Comitibus *Oettingenſibus*, ac cum *Eberhardo* & *Georgio Schnellio, Dom. â Limpurg*, Præceptoris eorum munere functus *Argentoratum* profectus, cum iisdem A. 1572. *Tubingam* regreſſus eſt.

A. 1574. In pago *Weilâ*, *Tubingæ* vicino, primam concionem habuit. 3. Julii A. 1576. *Stutgardiam* vocatus, ubi Locorum Communium Profeſſio loco Dom. *D. Jacobi Andreæ* ipſi demandata fuit in Academiâ *Tubingenſi*.

Theologiæ Profeſſor.

Nubit.

14. Aug. ſeq. ibidem nuptias celebravit cum virgine *Eliſabethâ*, *D. Anaſtaſii Demleri*, Juris Profeſſoris, filiâ.

Statim poſt nuptias Diaconus in Eccleſiâ *Tubing.* ordinatus, & A. 1577. Promotore *D. Jac. Heerbrando* cum laude Theol. Doctor creatus eſt, unâ cum *Jacobo* & *Philippo Heilbrunneris* fratribus.

Theologiæ Doctor.

A. 1580. Paſtor & Superintendens Eccleſiæ *Göppingenſis*, prægreſsâ vocatione legitimâ, factus eſt.

Superintendens Ulmæ.

21. Jan. A. 1582. *Ulmæ* concionatus, ſeq. die Concionator, & paulò pòſt Superintendens declaratus.

A. 1598. Conjugem amiſit, quæ 17. ei liberos peperit, è quibus unicus ſuperſtes vixit filius *Johannes*, Philoſ. Magiſter, & Theol. Studioſus *Wittenbergæ* cum 3. filiabus.

A. 1599. Iterum deſponſatus eſt cum *Dorotheâ Heiderinâ*, *Wilhelmi Friderici Lutzii*, Theol. Doctoris & Paſtoris *Nörlingenſis* relictâ viduâ, quæ M. Octob. A. 1605. exſpiravit.

Thermis Bollenſ. uſus.

Cum tandem valetudinis infirmæ causâ Thermas *Bollenſes* adiiſſet, ab earum uſu indies debilior redditus Dom. *D. Jacobum Schopperum*, Theol. Profeſſorem *Altorfinum* ad latus habuit.

Moritur in campo viridi.

Poſt aliquot dies gener & 3. filiæ ad eum cum lecticâ venerunt, ut in eâ domum deportaretur. Sed in viâ deficientibus viribus placidè exſpiravit in campo quodam viridi propè *Nellingam*, 29. Junii A.C. 1612. æt. 65.

Succeſſit in Superintendentis *Ulm.* munere *D. Cunradus Dietericus* ex Academiâ *Gieſſenſi* â Senatu accerſitus.

* *Ex Concione funebri Petri Huberi.*

Libros edidit:

Scripta.

Das Güldene Kleinod *S. Pauli*, das iſt/ *CXXXIII.* Predigten über die Epiſtel an die Römer gehalten.

Chriſtlichen Bericht von zweyerley Ablaß.

Obiit A.C. 1612.

JOHANNES LIPPIUS.

Die *Johannis Baptiſtæ* natus *Argentorati* A.C. 1585. Patrem habuit cognominem ibidem ad *Petrum* juniorem, Paſtorem filio ſuperſtitem, Matrem *Suſannam Klehmenniam*.

Filius Theologi cognom.

Adoleſcens Philoſ. Magiſter.

In Academiâ patriâ literis innutritus, & in primo adoleſcentiæ flore cum omnium admiratione Gradu Magiſterii ornatus, anno ætatis 21. in Academiam *Lipſienſem* diſceſſit, & indè *Wittenbergam* venit, ubi juxta ſtudium Theologicum ſtudioſis magno numero Curſum Philoſophicum novâ quidem ſed eruditâ methodo brevi tempore prælegit.

Wittebergæ Philoſ. docet.

Francofurti ad Viad. D. Pelargo charus.

Wittenbergâ Francofurtum ad *Viadrum* profectus, â *D. Pelargo* humaniter exceptus, & inſigne teſtimonium eruditionis adeptus eſt.

Jenæ deindè Muſicam, Metaphyſicam, & Logicam non ſine fructu ſtudioſis privatim legit.

Deſignatus Theologiæ Profeſſor Argent.

In Academiis poſteà *Erfurtenſi*, *Altorfinâ*, *Ingolſtadienſi*, & *Tubingenſi* cum per aliquod tempus inſudâſſet, in patriam tandem *Argentinam* A. 1612. reverſus, mox in locum defuncti *D. Philippi Marbachii* S. Theolog. Profeſſor deſignatus eſt.

Theol. Doctor Gieſſæ.

Eam ob cauſam in Acad. *Gieſſenſem* profectus, ibi poſtquàm ſub Præſidio *D. Johannis Winckelmanni de Baptiſmo, S. Cœnâ, Perſonâ Chriſti*, & *Electione ad vitam æternam*, publicè pro Gradu diſputâſſet, Theol. Doctor ſolenniter renuntiatus eſt.

Domum

Moritur Spiræ. Domum exindè reverſurus, in viâ febri ardenti & lethali correptus, *Spiræ* manere coactus eſt, & placidè exſpiravit 24. Sept. A.C. 1612. æt. 27.

* *Ex Concione fun. M. Jac. Biczanii, Paſt. Eccleſ. Spir.*

Obiit A.C. 1612.

JOHANNES FABER.

RODaci natus eſt A.C. 1539. A pueritiâ cum fratre ſuo *Michaële* ſtudiis Theologicis conſecratus â Patre *Melchiore*, poſtquàm *Brunſvigæ*, *Hildesheimii*, & *Jenæ* ſtudia feliciter abſolviſſet, Theologiæ ſtudiis cumprimis deditus, A. 1562. in Patriæ Scholâ Cantor, & anno ſeq. Rector factus, brevi pòſt nuptias celebravit cum virgine *Annâ*, *Ottonis Nembarti*, Civis in Holzhauſen / filiâ, ex quâ filium reliquit *Johannem*, Scholæ poſtmodùm *Schleuſingenſis* Rectorem, & tandem *Eisfeldenſis* Eccleſiæ Superintendentem. *Cantor & Rector Rodacenſis. Nuptias celebrat.*

Archidiaconus Rodacenſis. A. 1568. Poſt obitum *Jobi Langguti*, Archidiaconus Eccleſiæ *Rodacenſis* conſtitutus, brevi pòſt *Jenæ* unà cum fratre *Michaële* ordinatus eſt.

In eo munere cum 44. annos fidelem ſe Verbi Divini Miniſtrum exhibuiſſet, viſu ad finem vitæ integro manente, apoplexiâ tandem in Templo correptus, poſt aliquot Septimanas, præſente filio *Johanne*, placidâ morte ſublatus vitam finiit 9. Dec. A.C. 1612. ætatis 76. *Moritur apoplexiâ.*

* *Ex Concione fun. M. Henrici Schunccii, Paſtoris Rotac.*

* * *

Clar. A.C. 1534. Epiſcopus Vienn. Vixit etiam in ſæculo priore alius hoc nomine Theologus Pontificius, patriâ *Leukirchenſis*, *Viennenſis* in *Auſtriâ* Epiſcopus, Scortationis patronus, contra quem ſcripſit *Juſtus Jonas* Defenſionem pro Conjugio Sacerdotali. Hic *Faber* fuit unus ex præcipuis qui *D. Luthero* reſtiterunt, ipſeque exhibitâ *Auguſtæ* Confeſſione acerbum ſcriptum contra eam cum *Eccio* adornavit, quo eam confutare conatus eſt. *Hoſtis Lutheri.*

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

Obiit A.C. 1612.

MICHAEL NEANDER.

IN oppido *Weydâ* A.C. 1567. natus, patrem habuit *M. Matthæum Neandrum*, Scholæ ibi Rectorem, Matrem *Juditham*, *Johannis Ackermanni*, Conſulis, filiam.

Cum in Scholâ patriâ & *Zeizenſi* literarum primitias didiciſſet, *Magdeburgi* ſub diſciplinâ *M. Georgii Rollenhagii* quadriennium exegit.

Magiſter Jenæ. Exindè *Jenenſem* Academiam acceſſit, in quâ ſeptennio Philoſ. & Theol. ſtudiis operam ſedulam impendit, & Magiſtrales honores accepit.

Præceptor domeſt. Stipendiar. Ibidem à *D. Georgio Mylio* domeſticus Præceptor Stipendiariis datus eſt, quos tunc *Andreas Beheim, Norimberg.* in ædibus *Flacii* ſuſtentavit.

A. 1596. In Eccleſiâ *Neoſtadienſi* ad *Orilam* Diaconi munus per vocationem legitimam ſuſcepit, tandem Archidiaconus illius Eccleſiæ factus, in eo munere fidelis DEI Miniſter ad finem vitæ perſeveravit. *Archidiaconus Neoſtadii.*

Eodem A. 1596. Conjugii Societatem iniit, quâ 5. filias & filios progenuit, omnes præter filium unum patri cum viduâ ſuperſtites.

Placidè tandem, poſtquàm capite graviter aliquandiu laborâſſet, in Chriſto exſpiravit, die nativ. Dominicæ A. C. 1612. ætat. 45. *Moritur.*

MAGISTER MICHAEL NEANDER, *Anagramma.*
ARCHIDIACONUS,
Per Anagr. M. *Joſephi Clauderi*:
Sacer Et magnâ Domini clarus in arce DEI.

* *Ex Concione fun. M. Melchioris Leben, Superintend. Neoſtad.*

* * *

Fuit & alius *Michaël Neander*, *Soraviâ Sileſius*, trium Linguarum cognitione clarus, qui Scholam *Ilſeldenſem* in faucibus *Sylvæ Hercyniæ* totos 40. annos rexit, de Chriſtianâ juventute optimè meritus. *Clar. A.C. 1550. Rector Scholæ Ilfeld.*

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Joh. Andreæ Quenſtedt.*

Obiit A.C. 1613.

GUILIELMUS FEUGUEREUS.

ROthomagi natus, & è *Galliâ* in Academiam *Lugduno-Batavam* accitus, ut poſt *Cölhaſium*, (qui eam provinciam ad tempus tantùm tunc ſuſtinebat,) Theologici ſtudii fundamenta jaceret, A. 1575. in urbem *Leydenſem* venit, & ſolus Profeſſionem Theol. ſuſtinuit, uſque dum *D. Bollius* ei adjungeretur Collega. *Secundus Theologiæ Prof. Leyd.*

A. 1579. Rebus ipſius id ita exigentibus ad ſuos in *Galliam* reverſus, ibidem ubi natus fuerat, provectâ jam ætate, vitam cum morte commutavit, anno, ut rumor eſt, 1613. *Moritur in patriâ.*

* *Ex Vitis Profeſſorum Leydenſium.*

Obiit A.C. 1613.

JOHANNES BAPTISTA A GLANO.

LEodicenſis, Ordinis *Eremitarum S. Auguſtini*, Doctor *Pariſienſis*, Provinciæ *Colonienſis* ſecundò Præſes Provincialis: Vir ingenio ad lucubrandum facto, diſertus Concionator, quem nulla pericula, nulli labores aut moleſtiæ itinerum â viſitatione retardârunt. *Monachus. Concionator.*

Deceſſit in patriâ, ut habet Anaſtaſis *Auguſtiniana*, 3. Non. Febr. A. C. 1613. magno ſuorum & totius urbis luctu. *Moritur.*

Nil mirum huic meritam ſi det Sorbona coronam,
Doctrinæ ſiquidem ſorbuit ille merum.

Scripſit Idiomate Gallico:

Scripta. *Hiſtoriam Pontificalem*, ſeu *Demonſtrationem veræ Eccleſiæ à Chriſto fundatæ.*

Oeconomiam Chriſtianam Lib. VIII. compr.

De Officio Puellarum Lib. II.

Europam, ſive, *de primariarum Europæ Provinciarum Ritibus, Cæremoniis, & Veſtibus.*

Commentar. in Pentateuchum Moyſis, & *Libros Regum.*

Tranſtulit ex Linguâ *Hiſpanicâ* in *Galliam*, *Hiſtoriam Antonii Gouſæ*, *de Progreſſu Eccleſiæ Catholicæ in Indiâ Orientali.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

Obiit A.C. 1613.

MICHAEL NIDERSTETTERUS.

FReybergæ, oppido *Sax. montano*, natus 8. Octob. A. C. 1562. Patrem habuit *M. Johannem Niderſtetterum*, Eccleſiæ ad *S. Nicolaum Freybergæ* Paſtorem, matrem *Margaretham*, *Johannis Kronbergeri*, frumentorum Præfecti *Torgaviæ*, filiam. *Theologi filius.*

A. 1577. *Miſenam* in Scholam *Sax.* celebrem miſſus, quadriennium ibi in ſtudiis exegit, poſteà in Academiam *Wittenbergenſem* diſceſſit.

Lipſiæ Philoſophiæ Magiſter. Poſt annum elapſum *Lipſiam* acceſſit, ibique A. 1587. Gradum Magiſterii adeptus eſt.

A. 1588. Sponſalia celebravit cum virgine *Annâ*, *Joh. Eichleri*, Civis & Hoſpitis *Lipſienſis*, filiâ.

Eodem anno M. Oct. Paſtor Eccleſiæ factus in *Bobritſchio* inferiori Diœceſeos *Friburgenſis*, quadriennio ibi ſubſtitit, donec A. 1592. Senatus *Freyberg.* eum ad Concionatoris matutini munus in Templo *S. Petri* accerſivit, quod munus in annum undecimum ſummâ cum fide obivit.

Superint. Freyberg. A. 1603. Idem Senatus Superintendentem & Concionatorem *Freybergæ* primarium eum conſtituit.

Concionator aulicus Sax. A. 1610. *Dreſdam* accerſitus, Concionatoris aulici ibi munere per vitæ tempus reſiduum fideliter functus eſt.

Malo tandem hypochondriaco exhauſtus, relictis 4. filiis & 2. filiabus, placidè in Chriſto exſpiravit *Dreſdæ* 11. Martii A. C. 1613. ætatis 50. Miniſterii 25. Sepultus in Templo *S. Sophiæ* 16. Martii ſeq. *Moritur.*

* *Ex Conc. fun. Daniel. Hænichii, Concionat. Aul. Dreſd.*

Obiit A.C. 1613.

QUIRINUS REUTERUS.

MOsbaci, *Palatinatûs inf.* oppido, cultrorum fabricatione nobili, natus eſt 27. Sept. A. 1558. Patre *Joh. Reutero*, *Ballebergenſi*, matre *Barbarâ Ciſneriâ.*

In patriæ ludo cum prima literarum elementa didiciſſet à *Wendelino Heſſero*, Scholæ Rectore A. ætatis 10. *Heidelbergam* miſſus, inter alumnos receptus eſt A. 1570.

A. 1573. in Collegium Sapientiæ promotus, Theologiæ operam dare cœpit, ſub Præceptoribus *Petro Boquino*, *Immanuele Tremellio*, & *Hieronymo Zanchio*. *Heidelbergæ ſapientiæ literis in Collegio operam dat.*

A. 1577. Cum ab Electore *Ludovico* Religio mutaretur, & omnes Eccleſiæ Scholarumque Miniſtri, qui Religionem *Lutheranam* amplecti nollent, cedere juberentur; ſtipendium in domo *Dionyſianâ*, poſteà Collegio *Caſimiriano* dictâ, impetravit.

A. 1578. *Neoſtadium*, ubi nova Schola fuit aperta, migravit.

13. April. A. 1580. *Vratislaviam* venit ad Baronem *Ungaricum Andream Dudithium*, ab eo enim literis ad *Zach. Urſinum* ſcriptis requiſitus erat *Quirinus*, ut filium ejus natu maximum, *Andream*, in literis inſtitueret, cui mandato magnâ cum fide per triennium ſatisfecit. *Andreæ Dudithii filium inſtruit.*

A. 1582. *A Daniele Toſſano*, juſſu Conſiliariorum Eccleſiaſticorum, *Heidelbergam* revocatus, licèt ipſum *Dudithius* ægrè dimitteret, & pro viatico 50. thaleris inſtrueret, in Martio A. ſeq. *Neoſtadium* reverſus, ibi aliquandiu in Claſſe docuit. *Neoſtadii in Scholâ docet.*

A. 1584. Cum in diſputatione quâdam cum *Lutheranis Heidelbergæ* habitâ, præſente Principe *Caſimiro*, opponendo ſe exercuiſſet, paulò pòſt Præceptor ſecundæ Claſſi in illuſtri pædagogio datus eſt. *Præceptor ſecundæ Claſſis.*

Sub finem verò ejuſdem anni *Benſhemium* miſſus, in Eccleſiæ Miniſterio ſucceſſit *M. Ulrico Marbachio* remoto propter importunas orthodoxorum inſectationes. *Miniſter Eccleſiæ Benſheimenſis.*

A. 1585. 24. Aug. Nuptias celebravit cum virgine *Mariâ*, filiâ *Johannis Anaſtaſii*, qui ob fidei confeſſionem in *Belgio* carcerem & exilium perpeſſus, tandem in *Palatinatu* Inſpector Eccleſiæ *Baccharacenſis* factus erat. *Uxorem ducit.*

A. 1587. *Neuhuſium Benſhemio* migrare juſſus, ejus loci Paſtor Eccleſiæ deſignatus eſt, cum ibi paulò antè Princeps *Joh. Caſimirus* ludum illuſtrem ſub Elect. *Ludovico* collapſum inſtauràrat. *Paſtor Eccleſiæ Neuhuſii.*

Nov. A. 1589. Locus ſecundus in Collegio Sapientiæ ei aſſignatus, & biennio pòſt Philoſ. Magiſter, Promotore *Simone Stenio*, ſolenniter renuntiatus eſt. *Philoſ. Magiſter.*

A. 1593. *Spiræ* poſt *Ammonii* mortem Eccleſiæ *Ægidianæ* Paſtor declaratus, quinquennio pòſt A. 1598. cum *Heidelbergæ Pareus* Theol. Profeſſionem ſuſcepiſſet, eidem in Collegio Sapientiæ factus Præceptor primarius ſucceſſit. *Paſtor Spirenſis.* *Heidelbergæ in Collegio Sapientiæ Præceptor primarius.*

A. 1601. Doctor Theologiæ renuntiatus, anno ſeq. poſt *Danielis Toſſani* obitum, volente Senatu Academico, Profeſſionem publicam Veteris Teſtamenti conjunxit. *Theologiæ Doctor & Profeſſor.*

A. 1607. Rector Academiæ creatus. *Rector Academiæ.*

A. 1611. Filium *Joh. Quirinum* præclaræ ſpei adoleſcentem morte amiſit A. æt. 16.

Placidè tandem exſpiravit *Heidelbergæ* 22. Martii A. 1613. ætatis 55. *Moritur.*

Elatus eſt funere honorifico, corpuſque in Sacello Academiæ, conditum cum monumento ejuſmodi;

A DEO

Epitaphium.

A DEO TER OPT. MAX.
QUIRINUS REUTERUS, MOSB.
THEOL. DOCT.
INCLYTÆ HEIDELB. ACADEMIÆ PROF.
ILL. COLL. SAP. EPHORUS.
ANNO M DC XIII. XI. CAL. APRIL.
MATUT. SEPT.
EX LABORIOSA HAC ÆRUMN. SCHOLA
IN
COELEST. BEATOR. ACAD. MIGRARE
JUSSUS,
CORPORIS SUI DEPOSITUM IN HOC
SUPREMÆ SCHOLÆ SEMINARIO
CONDITUM HABET.
NATUS ANN. LIV. MENS. V. D. XII.
IPSO AUTUMNALI ÆQUINOCTIO EJUSD. ANNI
MARITUM DESIDERATISS.
SEQUUTA CONJUGE MOESTISSIMA
MARIA ANASTASIA,
DUODENUM LIBERORUM MATRE
EX EODEM CONJUGIO.
EX QUIBUS JOHANNES QUIRINUS SPEI
PRÆCLARÆ ADOLESCENS XVI. ANNOS
NATUS A. MDC XI. XII. CAL. AUG.
NON SINE MAXIMO PARENTUM
DESIDERIO EXTINCTUS,
PROXIME HIC ACCUBAT.

Scripta ab ipſo ſunt ſequentia:

Scripta.

Cenſura Catecheſeos Heidelbergenſis.
Diatribe de Ubiquitate.
Oratio Encomiaſtica in obitum Caſimiri I.
Reſponſum ad Joh. Magiri, pro D. Marco zum Lamm *ſcriptum.*
Hieron. Zanchii in Epiſtolas ad Philippenſes, Theſſalonicenſes & Coloſſenſes commentarii reſtituti & aucti.
Aphoriſmi Theologici.

Præterea edidit:

Notas in Orationem Cicer. pro Roſcio.
Heresbachii de Re Ruſticâ libros recognitos.
Andreæ Dudithii quædam Scripta.
Nicolai Ciſneri Opuſcula.
Zachariæ Urſini Opera Tomis III.

Poſt obitum prodiit:

Commentarius in Obadiam.

Edenda adhuc ſunt:

Commentarii in Exodum, Joëlem & Amos.
Exegema Catecheticum.
Libellus compendiarius Definitionum & Diviſionum Theologicarum.
Tractatus inſignis de Eccleſiâ.
Iſagoge Candidatorum Miniſterii ad facultatem concionandi & legendi Biblia.

* *Ex Melch. Adami vitis Theol. Germ.*

E duodecim liberis tres ſuperſtites reliquit, ex quibus filius unicus *David*, Eccleſiæ *Heppenheimenſis* Paſtor fuit, & filia *M. Johanni Reinarto*, patris Collegæ, paulò ante mortem ejus nupſerat.

Obiit A. C. 1613.

OTHO GRUNRADIUS.

NAtus eſt ex nobili & antiquâ familiâ *Delitſcii*, *Miſniæ* urbe, 10. Sept. A. 1545. Ubi in ludo literario prima jecit fundamenta humaniorum artium.

Literis & Theologiæ operam dat.

Lipſiæ primùm, deindè *Wittenbergæ* literis operam dans, *Caſparo Peucero* familiariter uſus eſt, & in ſtudio Theologico, quod nobilibus rarum, annos 14. inſumpſit.

Undecim adoleſcentibus Comitibus præficitur.

A. 1575. A *Peucero* Comiti *Johanni Naſſovio* commendatus, ab eo in aulam ſuſceptus, & deindè undecim Comitibus adoleſcentibus, (inter quos *Mauritius Hiſpanor.* poſteà terror,) præfectus eſt, cum quibus, *Heidelbergam* in Academiam miſſus, vixit.

Eccleſias ditionis Solmenſis reformat.

A. 1576. Mortuo Elect. *Friderico III.* revocatus, ad *Naſſoviæ* Comitem reverſus tunc abſentem, ſtatim adhibitus eſt â *Cunrado*, Comite *Solmenſi*, ad reformandas ditionis ſuæ Eccleſias, ſocio laborum *Caſparo Oleviano.*

A. 1584. A *Joh. Caſimiro*, *Palatinatûs* Adminiſtratore, Principis *Friderici III.* adoleſcentis regendi cura ipſi demandata eſt cum *Georgio Michaële Lingelsheimio*, Curiæ Aſſeſſore. In eo munere Principem tum in Catecheſi Chriſtianâ fideliter inſtituit, tum S. Scripturæ textum ipſi explicuit.

Fridericum IV. inſtruit.

A. 1592. Cum *Fridericus IV.* poſt mortem *Joh. Caſimiri*, *Palatinatûs* Electoralis gubernationem ipſe aggreſſus eſſet, ut erga *Grunradium* pro fideli inſtitutione gratum ſe præberet, Senatûs eum Eccleſiaſtici Præſidem declaravit.

Præſes Senatus Eccleſiaſtici.

A. 1594. Solenni totius *inf. Palatinatûs* viſitationi interfuit & præfuit.

Eccleſias Hanovianas reformat,

A. 1595. *Hanoviam* cum *Melchiore Angero*, *Sileſio*, Curiæ ſacræ Aſſeſſore, profectus, Eccleſias illius Comitatûs reformavit.

& Superioris Palatinatus.

A. 1596. Cum Elect. *Friderico IV.* in *Palatinatum ſup.* profectus, Eccleſias & Scholas illius inſtruxit. Eodem anno Ducatu *Simmerenſi* ad Electoratum revoluto, reformationi ejusdem præfuit.

Ambergenſe Gymnaſium fundat.

A. 1606. Cum *Abrahamo Sculteto Ambergæ* Gymnaſium illuſtre ordinavit.

Moritur.

A. 1612. Laboribus fractus, ultrò ſe abdicavit officio, & ad mortem ſe præparavit, quâ placidè in Chriſto obdormivit, poſtquàm per aliquot modò dies lecto fuiſſet affixus, 14. April. A. 1613. ætatis 68. cum annis 39. Eccleſiæ inſerviiſſet. Elatum autem corpus ejus eſt funere honorifico, & in *D. Petri* choro ſepultum tali cum monumento:

Epitaphium.

OTTO A GRUNRADE, EQUES MISNICUS, NASCITUR DELITSCHII M D XLV. X. SEPTEMBR. DISCIT PIETATEM ET LITERAS WITTENBERGÆ ANNOS XIV. GUBERNAT STUDIA ET MORES MAURITII PRINCIPIS AURAICI A. MDLXXV. ET LXXVI. JUVAT REFORMATIONEM NASSOV. SOLMENS. WITGENSTEINENS. ANNIS SEQUENTIBUS.

FRIDERICUM IV. ELECTOREM PALATINUM VERA PIETATE ET OMNIBUS LAUDATI PRINCIPIS VIRTUTIBUS OCTEN. INSTRUIT.

Præſes Senatus Eccleſ. renuntiatus XX. ipſos annos et Precibus et Curis et laboribus pro Eccleſia et Scholis Palatinis impendit. Princip. Palat. Auctor condendi et Scholas, quibus puellæ piæ informarentur: Et horreum, quo in annonæ difficultate neceſſitati publicæ ſubvenitur. Inſtitutionem Catecheticam ſeniorum æque ac juniorum primus Eccleſ. Palat. commendat. Vitam coelib. ſancte ac laborioſe actam placida morte finit

Anno M DC XIII. XIV. April. cum vixiſſet Annos LXVII. M. VII. D. IV.

Unum eſt neceſſarium.

Ultimum ſcriptum, quod ipſius curâ prodiit, & quo abſoluto ſe eò ſuaviùs moriturum ſæpè affirmavit, fuit *Catecheſis Germanica*, cum analyſi & Scholiis perſpicuis poſteà *in Palatinatu* uſitata.

* *Ex Melch. Adami vitis Theol. German.*

BARTHOLOMÆUS PITISCUS.

Obiit A. C. 1613.

NAtus eſt in pago *Schlaunâ*, *Grünbergæ Sileſiæ* oppido adlaterali, parentibus ruſticis 24. Aug. A. 1561.

Literas diſcit. Pietatis & literarum primordia ab ejus loci Paſtore *Andreâ Carcheſio* didicit. Deindè â Nobili quodam vicino ſumptibus propriis in Scholam *Grunbergenſem* miſſus, in eâ brevi intervallo omnes æquales ſuperavit.

Filio Ribiſchii præſ. A. 1579. *Vratislaviam* abiens, ibi adſcitus eſt in familiam *Sigfridi Ribiſchii*, qui filio *Gotfrido* eum ab inſtitutione eſſe voluit.

Serveſtæ literis operam dat, A. 1583. Academias viſitandi cupidum, cum Mœcenas ipſius Nobilis ille jam fato functus eſſet, uxor nobilis viri *Joachimi à Berge* neceſſariis ad ſtudia Academica ſumptibus inſtruxit, ideò *Serveſtam* ſe contulit, & *Wolffg. Amlingium* audivit.

& Heidelbergæ. Ubi Fridericum IV. inſtruit. A. 1584. *Heidelbergam* ſe contulit, ubi ædis *Caſimirianæ* regens deſignatus, & cum *Davide Pareo* Magiſter creatus eſt. Adhibitus etiam eſt ad Principis *Friderici IV.* inſtitutionem cum *Ottone Grunradio* & *Mich. Lingelshemio.*

Diaconus aulicus, Deindè Diaconi aulici munus ſuſcepit, quod antequàm aggrederetur, patriam, & parentes ætatis decrepitæ ultimò inviſit.

& Concionator. A. 1594. Factus eſt Concionator aulicus ab Elect. *Friderico IV.* cum quo biennio elapſo, in *Palatinatum ſup.* profectus eſt, & eruditis atque perſpicuis Concionibus Divinorum dogmatum veritatem, non ſine gregis Chriſtiani augmento & incremento, docuit.

Moritur. Verùm viribus tandem exhauſtus, accedente febri continuâ, piè in Chriſto obdormivit *Heidelbergæ* 17. Julii A. 1613. ætatis 52.

BARTOLOMÆUS PITISCUS.

Per *Anagramma*:

Mors JESU ſubitò placat.

Fuit hic Theologus doctrinæ profundæ, ingenii acris & perſpicacis in Mathematum ſtudiis, (ut *Tychonis de Pitiſco* judicium ſonat,) ſolertiſſimus.

Scripta edidit:

Scripta. *Librum pro reformatione Eccleſiarum Anhaltinatûs.*

Confeſſionem fidei, in quâ brevibus aphoriſmis *ſummam doctrinæ orthodoxæ* complexus eſt.

Contra Theologos Würtenbergicos:

1. Ausführlichen Bericht / was die Reformirten Kirchen glauben. 2. Anhang. 3. Antwort der Heidelbergiſchen Theologen. 4. Endliche Uberweiſung. 5. Beſchluß der Uberweiſung.

Antiroſarium contra *Jeſuitam* quendam *Moguntinum.*

Synopſin Theologiæ methodicæ.

Trigonometriam parvam & magnam.

Theſaurum Mathematicum.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Theol. Germ.*

JOHANNES DAVID.

Obiit A. C. 1613. Societ. Jeſu Theologus.

SOcietatis Jeſu Theologus *Cortracenſis.* Gubernandi munere *Cortraci*, *Bruxellis* & *Gandavi* claruit, dicendique venuſtate, & inventionis ſolertiâ, Iconibus Scripta ſua pleraque cum admiratione ſpectantium illuſtravit.

Vivere deſiit 9. Aug. A. C. 1613.

Ejus hæc ſunt:

Scripta. *Veridicus Chriſtianus, ſeu de Fidei Chriſtianæ Capitibus, Latinè & Belgicè.*

Paradiſus Sponſi & Sponſæ, in quo *Meſſis Myrrhæ & Aromatum*, ſive *de Inſtrumentis & Myſteriis Paſſionis Chriſti.*

Occaſio arrepta, neglecta: cum Figuris.

Pancarpium Marianum, ſive *de beatæ Virginis laudibus geſtiſque.*

Specula XII. pia & venuſta.

Hæc omnia cum Iconibus prodierunt.

Belgicè ab eo ſunt evulgata:

Alvearium adverſus peſtilentiſſimum Philippi Aldegundi Librum, quem intitulavit *Alvearium Romanæ Eccleſiæ.*

Labyrinthus Hæreticorum.

Araneus Hæreticorum.

Viridarium Rituum & Cæremoniarum Eccleſiæ.

Oeconomus Chriſtianus, cum Spongiâ vitiorum.

Sors Sapientiæ.

Lapis Lydius, ſive *Hortulus delitiarum Spiritualium Animæ ad perfectionem contendentis.*

Petri Simonis, Epiſcopi Iprenſis, Scripta â morte evulgavit.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii, & ex Catalogo Scriptor. Soc. Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

GUI-



Digitized by Google


IOHANNES FORSTERUS.
Superint. Gen. Mansfeld.
BARTHOLOM. NASSER.
Theologus Argentorat.
CLAUDIUS AQUAVIVA
Soc. Jesu Theologus.
ABRAHAMUS SUARINU
Superint. Gen. Altenb.
IOHANNES CAPPELIUS.
Theol. Campodun.
PHILIPP. HEILBRUNNER.
Theol. Lauingensis.
URBANUS PIERIUS.
Theol. Bremensis.
PHILIPPUS GALLUS.
Theol. Magdeburg.
IACOBUS SCHOPPERUS.
Theol. Prof. Altdorff.
LEONHARD. HUTTER.
Theol. D. Witteb.
GEORGIUS WEINRICHI.
Theol. Prof. Lipsiensis.
IOHAÑES IACOB. GRYNA
Theol. Basileensis.
CHRISTOPHOR. HELUICUS
Theol. D. Giessensis.
ALBERTUS GRAVERUS
Gen. Superint. Vinariensis.
IOHANNES MOLTHERUS
Theol. C. Marpurgensis.
ROBERTUS ABBATU
Episcop. Sarisburiensis.

GUILIELMUS ESTIUS.

Obiit A.C. 1613.

BAtavus, *Gorcomius*, *Ultrajecti* puer *Georgium Macropedium* in literis humanioribus Præceptorem habuit.

Philoſ. ſtud. Lovanii, & Profeſſor.

Lovanii ſtudia Philoſophica hauſit in *Falconis* Gymnaſio.

Duaci Theologiæ Profeſſor, & Seminarii Regii Præſes.

Ex Philoſophiæ Profeſſore *Lovanienſi* ad Academiam *Duacenam* â *Philippo II.* Rege Catholico inſtitutam evocatus, in eâdem S. Theologiæ Profeſſorem, & Seminarii Regii Præſidem cum laude egit. Vir multis pietatis, doctrinæ, modeſtiæ Chriſtianæ, & in pauperes beneficentiæ nominibus ſuſpiciendus *Duaci* in Domino requievit 20. Sept. A.C. 1613. ætatis 70.

Sepulto in æde ſacrâ *D. Petri*, *Andreas Hojus*, ibidem Græcæ Linguæ Profeſſor Regius, hoc amico *Epitaphium* poſuit:

Epitaphium.

Patria Gorcomium eſt, qui me eduxêre parentes,
Hic ſtirpe Eſtiades, Pikias illa fuit.
Sumere ab his licuit mihi vitæ exemplar honeſtæ,
Tota ſtetit priſcâ pro pietate domus.
Trajectum, antiquis Rheni contermina ripis,
Muſarum ingenuis artibus erudiit.
Lovanium in Sophiæ Stagiritidis ardua duxit,
Et titulo ornavit duplice Thejologum.
Ad Cathedram & regimen Schola me Catuaca vocavit,
Æde Petri geſſi munia Præpoſiti.
Ter denis ſpartam geminam, haud inglorius, annis
Doctor uti & Præſes Regius excolui.
Doctrinæ, ingeniique mei monumenta relinquo,
Unde mihi in vitâ morte perennet honos.

Aliud:

Non eſt Eſtius, at fuit, viator
Clarum Theologæ decus palæſtræ,
Clarum Catvatici decus Lycei,
Vitæ regula certa ſanctioris,
Noſtri gloria ſumma nuper ævi:
Quin eſt Eſtius, haud fuit, Viator!
Quem Scripta aurea, ſempiterna virtus,
Et mens ſydereis propinqua Divis
Non ullo facient perire ſæclo.

JUSTUS RYQUIUS, Gandenſis, amico max. poneb.

Scripſit:

Scripta.

Poëma de liberâ Religione, & in hæreticos.

Hiſtoriam Martyrum Gorcomienſium Anno M D LXXII. interfectorum.

Martyrium Guil. Gaudani Franciſcani, & Cornelii Muſii Delphii.

Martyrium Edmundi Campiani Soc. Jeſu è Gallico Latinè redditum.

Comment. in Epiſtolas Paulinas & Catholicas Tom. II.

Orationes Theologicas XIX.

In difficiliora S. Scripturæ loca Annotationes aureas.

In quartum Magiſtri Sententiarum, quo S. Thomæ Aquinatis Summa Theologica pariter illuſtratur.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

MARTINUS GNUGIUS.

Obiit A.C. 1613.

IN *Thuringiâ Martſule* A.C. 1568. ex parentibus honeſtis, patre *Henrico Gnugio*, & matre *Kunigundâ Eckhartiâ* progenitus, & â primâ pueritiâ in Scholam illius loci miſſus, A. 1579. in Scholam *Eiſenacenſem* ablegatus, Claſſes omnes pertranſiit.

Diſcipulus claſſicus Eiſenaci.

A. 1585. *Soltwedellam* indè tranſiens, viduæ cujusdam nobilis liberos per triennium informavit.

Theologiæ Stud. Jenæ.

A. 1588. In Academiam *Jenenſem* profectus, quinquennii ſpatio ſtudiis Theologicis dedit operam, Profeſſores audiens *D. Mylium*, *D. Fiſcherum*, & imprimis *Joh. Georg. Volcmarum*, in flore ætatis vitâ defunctum.

Concionator aulicus Iſenaci.

A. 1593. Nihil minus expectans â *Joh. Erneſto*, *Saxoniæ* Duce *Eiſenacenſi*, vocatus, Concionatoris aulici munus aggreſſus, id per quadriennium Principi gratisſimus obivit.

Paſtor Eccleſ. Mechterſteti.

An. 1597. Vocantibus eum Nobilibus *ab Hopfengarten*, cum â Principe ſuo dimisſionem impetraſſet, Paſtoratum *Mechterſteti* adivit, & ſexennio fideliter adminiſtravit.

Concionator aulicus Coburgi.

An. demum 1603. *Coburgum* â Duce *Sax. Joh. Caſimiro* præter ſpem vocatus, Concionatoris aulici Miniſterium ſuſcepit, in eoque ad finem vitæ perſeveravit.

Uxorem ducit.

A. 1594. Conjugii ſocietatem iniit *Jenæ* cum *Volradi Mumberi* filiâ, quam ſterilem poſt fata reliquit.

Apoplexiâ obiit.

Cum tandem apud nobilem *Burckhardum ab Hesberg* viſitationi Eccleſiaſticæ unà cum Dom. *Joh. Gerhardo*, Theol. Doct. & Superintend. *Heltburgenſi* interfuiſſet, & veſperi cœnæ accumbere voluiſſet, apoplexiâ ſubitò correptus, horâ noctis ſeq. duodecimâ exſpiravit in arce *Hesbergâ* 26. Septembr. A.C. 1613. ætatis 45.

* *Ex Concione fun. D. Johannis Gerhardi, Superintend. Heltburg.*

JOHANNES FORSTERUS.

Obiit A.C. 1613.

NAtus eſt *Aurbachii*, oppido *Sax.* 2. â *Cycnæâ* milliaribus 25. Dec. A.C. 1576. Patre *Abrahamo Forſtero*, Judice *Lengefeldenſi*, Matre *Margarethâ*, *Johannis Claudii*, Senatoris *Aurbacenſis* filiâ, filio ſuperſtitibus.

Scholæ Schneberg. diſcipulus.

A. æt. 14. *Schnebergam* miſſus â Parentibus in Scholam tunc celebrem ſub Præceptoribus *M. Juſto Schelhammero* & *M. Paulo Leudelio*, Linguar. *Latinæ*, *Græcæ*, & *Hebrææ* fundamenta poſuit.

Lipſiæ Baccalaur.

A. 1593. In Univerſitatem *Lipſienſem* ſuaſu Præceptorum & Parentum conſenſu progreſſus, non ſolùm Profeſſores publicos *M. Wolgangum Trubenbachium* & *M. Johann. Neldelium*, ſed etiam privatim *M. Fabianum Hippium*, & *M. Chriſtoph. Hunichium*, aliosque cum fructu docentes audivit, & 28. Sept. A. 1594. Decano *D. Matthæo Dreſſero*, primam Philoſ. Lauream adeptus eſt.

Poſteà

Poſteà ſecundùm Collegii Philoſophici ſtatuta diſputando, & in diebus Canicularibus pro more ſtudioſis publicè legendo ſe exercuit, donec A. 1597. cum aliis Magiſterii gradu decoratus eſt. **& Philoſ. Magiſter.**

Aſtronom. ſtud. Primùm quidem maximam temporis partem Aſtronomiæ ſtudiis, poſteà verò Theologicis impendit.

Poëta Laur. A. 1600. Poëta Cæſareus ſive Laureat. creatus, mox à Senatu *Lipſienſi* Conciones in Templo *S. Thomæ* diebus Sabbathi legitimè ſibi oblatas peregit. **Concionator Lipſ.**

Deſponſatus. Eodem anno conjugii fœdere ſociatus eſt cum virg. *Barbarâ*, *Matthiæ Reicholdi*, Urbis *Lipſ.* Præfecti, filiâ, ex quâ 2. filios & 4. filias cum matre ſuperſtites reliquit.

Rector Schneberg. A. 1601. Rector Scholæ *Schnebergenſis*, & A. 1603. *Cycneæ* Paſtor Eccleſiæ primarius in Templo *S. Michaëlis* denominatus, in eo munere quinquennium cum honore exegit. **Paſtor primar. Cycnaa.**

Baccalaur. Licent. & Doctor Theologiæ Lipſiæ. Intereà *Lipſiæ* legendo & diſputando ſecundùm Academiæ ſtatuta habilem ſe reddidit, ut anno primo Theol. Baccalaureus, triennio pòſt Licentiatus, & quinto anno Doctor publicè proclamatus fuerit.

Prof. Theol. Witteb. A. C. 1607. *Wittenbergam* vocatus ab Elect. *Sax. Chriſtiano II.* Profeſſor ordinarius Facultatis Theologicæ declaratus eſt, cum ibi quinquennio munere ſuo functus fuiſſet, tandem ſub initium A. 1613. vocantibus eum Comitibus *Mansfeldiæ*, dimiſſusque ab Electore *Joh. Georgio*, Comitatûs illius Superintendens Generalis & Conſiſtorii Eccleſ. Præſes conſtitutus eſt. **Superint. Generalis Comit. Mansfeld.**

Ibi brevi pòſt diarrhæâ lethali correptus, & morte beatâ vivis ereptus eſt 17. Nov. A.C. 1613. æt. 37. *Islebiæ*.

DoCtor *Iohannes ForſterVs plè MorItVr.*

* *Ex Concione fun. M. Nicolai Bertrami, Paſtor. Eccleſ. Isleb.*

Scripta reliquit:

Scripta. *De panis Euchariſtici fractione controverſiæ ſtatum inter Lutheranos & Caroloſtadianos*, in 4to.

Strenam Lipſienſem, vel *Eulogium Lutheri Lipſiâ Papiſticum, in honorem D. Mart. Luri, hoſtium verò ignominiam*, in 4to.

Medullam Capitis LIII. Eſaiæ, quinque Diſputationibus expreſſam, in 4to.

Syſtema Problematum Theologicorum de præcipuis horum temporum Controverſiis, in 4.

Decades Problematum Theologicorum ex Decalogo, IX. Diſputationibus ventilatas, in 4to.

Vindicias Lutheri, id eſt, *Orationes pro Luthero, adverſus Convitia & Calumnias Jeſuitarum, & imprimis Nicolai Serarii*, in 4to.

Triadem Controverſiarum Theologicarum: 1. de Induratione. 2. de abſoluto Zwinglianorum Decreto. 3. de univerſali Electione D. Samuelis Huberi, in 4to.

Decades V. Problematum Theol. ex Symbolo Apoſtolico, in 4to.

Decades tres Problematum Theol. ex Oratione Dominica, in 4to.

Gretſerum calumniatorem & nugivendulum, in 8vo.

Decades IV. Problematum Theol. de Baptiſmo XII. Diſputationibus explicatas, in 4.

Profligationem Suppetiarum Jac. Gretſeri miſſarum Luthero Academico, in 4to.

Orationem Panegyricam de Doctoratu & Conjugio B. Lutheri, oppoſitam Calumniis Gretſeri, in 4to.

Parænesin ad omnes incorrupti judicii Chriſtianos, ut deſpiciant, Annon Jacobus Gretſerus Johannem Forſterum Sycophanticè Sacramentariiſmi inſimulet, in 4to.

Tractatum de Conciliis in genere, & de 4. Oecumenicis in ſpecie II. Diſputationibus concinnatum, *& tum Pontificiis generatim, tum Arrianis, Macedonianis, Neſtorianis*, & *Eutichianis oppoſitum*, in 4to.

Theſaurum Catecheticum, ſive Decades duas XX. Problematum, ex V. Catecheſeos Lutheranæ partibus diſtinctis Diſputationibus ventilatas, in 4to.

Commentarium ſuccinctum & perſpicuum in Prophetam Eſaiam, in 4to.

Theatrum Chriſtianæ juventutis, in 8vo.

Homilias in Evangelia Dominicalia & ferialia, in 8vo.

Medullam formulæ concionandi, in 8vo.

Commentarium in Prophetam Jeremiam, in 4to.

Chriſtlicher Communicanten Heilbrunn und Luſtgarten/ *VIII.* Predigten von der H. Abſolution und Abendmal/ in 8vo & 12mo.

Nucleum Hiſtoriæ Paſsionis, die fürnehmſten Lehr- und Troſt-Puncten aus der Paſſion Chriſti in *VII.* Predigten ausgelegt/ in 4to.

Die güldene Beicht- und Buß-Kunſt aus Manaſſe Buß-Gebet in *VII.* Predigten/ in 4to.

Lutheriſche Catechiſmus-Schul / *V.* Predigten/ in 4to.

Geiſtliches Peſt-Regiment / in Sterbensläufften zu gebrauchen/ in 4to.

Tranſitum Wittebergâ Islebicum, Gaſt-Valet und Anfangs-Predigt/ in 4to.

Quinariam ſacri quinarii Meditationem von den H. 5. Wunden Chriſti/ in 4to.

Unſer aller Mutter die Erde / aus dem *II.* Cap. Syrachs fürgeſtellt/ in 4to.

Hohe Feſttags-Schreinlein/ in 8vo.

Güldene Bet-Kunſt / *VII.* Predigten vom Gebet/ in 12mo.

Auslegung über das *II.* Buch Moyſis in *CXIV.* Predigten/ in fol. & 4to.

X. Predigten über den *LXV.* Pſalm / in 4to.

Paſſionem Chriſti typicam ex Pſalmis & Prophetis, *V.* Predigten/ in 4to.

Paſſionem Chriſti typicam ex Moſe, in *VI.* Predigten/ in 4to.

Zwo Predigten/ 1. von der Subſtanz/ Eigenſchafften/ und Ampt der H. Engel/ 2. vom hochzeitlichen Freuden- und Ehrenmaal deß himmliſchen Bräutigams JEſu Chriſti; Samt angehängten

3. Pre-

Digitized by Google

3. Predigten: 1. Valet-Predigt zu Zeitz. 2. Gaſt-Predigt zu Leipzig. 3. Anfangs-Predigt von *D. Luthero*, in 4to.

EPITAPHIUM.

Epitaphium. JOHANNES FORSTERUS, S. THEOLOGIÆ DOCTOR, ET EBRÆÆ LINGUÆ PROFESSOR IN ACADEMIA WITTEBERGENSI IN CHRISTI INVOCATIONE PLACIDE MORTUUS EST ANNO M DC XIII. XVII. NOVEMBR.

* *Ex Inſcription. Witteb. Andreæ Sennerti.*

Obiit A.C. 1613.

JOHANNES MÜLMANNUS.

EDitus eſt in hanc lucem *Pegaviæ* 28. Julii A. C. 1573. Pater ejus fuit *Hieronymus* Mülmann / Eccleſiaſtes *Pegavienſis*: Mater *Magdalena, Johannis Groſſii*, Senatoris in patriâ Republ. filia.

In Scholâ patriâ formatore uſus eſt *Andreâ* Kalbfleiſch / qui usque ad 15. ætatis annum lineas ipſi primas ad regiam virtutis & doctrinæ viam ſignavit.

Diſcipulus Ludi Portenſis. Ad eam porrò calcandam verè porta fuit *Ludus Portenſis*, in quem M. Julio A. 1588. venit, & in quo humanitatis literas plenè addidicit.

Exacto ibi ſexennio *Lipſiam* venit A. 1594. diligentiæ & probitatis teſtimonio inſtructus.

Fit Philoſophiæ Magiſter. Ibi primò Philoſophiæ ſtudiis ſe dedit, eaque cum laude ita tractavit, ut anno altero 1595. primam, & biennio pòſt 1597. ſupremam in Philoſophiâ Lauream cum Diribitorum conſenſu impetraret.

Exindè Theologiam excoluit, ſtipendio Electorali autoratus, ejusque conatum adjuvit ordinarium illud *Lipſiæ* concionandi exercitium, cui ſingulis Saturni diebus in Templo *Thomano* vacavit.

Diaconus Naumburgi. Exercitato jam oblata eſt A. 1599. â Senatu *Naumburgico* Diaconatûs functio, quam prægreſsâ Zizii ordinatione, ſummâ fide adminiſtravit.

Paſtor Lauchæ. *Naumburgo* vocatus eſt A. 1604. *Laucham* ad Paſtoricium officium, cui per ſemeſtre cum dimidio pari vigilantiâ præfuit.

Theologiæ Baccalaureus. A. 1595. A Senatu *Lipſienſi* accerſitus ad munus Archidiaconi in æde *D. Nicolai* obeundum. Ibi A. 1606. honores Theologicos primos adeptus eſt, & mox anno ſeq. 1607. in ſtationem obitu *D. Zachariæ Schilteri* vacantem ſubſtitutus eſt, & primùm quidem Profeſſioni Theologicæ, poſtero autem anno Inſpectioni Electoral. Alumnor. Præfectus. 1. Octob. A. 1612.

Theol. Licentiatus. Theologor. *Lipſ.* Collegium Licentiam, quam vocant, in Theologiâ lubens ipſi contulit.

Conjugium ejus duplex. A. 1599. Matrimonium contraxit cum virg. *Dorotheâ*, filiâ *Johannis Gleſeri*, Senatoris & Camerarii *Pegavienſis*, ex quâ filios duos totidemque filias reliquit ſuperſtites: cumque eam A. 1607. lue peſtiferâ extinctam amiſiſſet, anno ſeq. 1608. alteram conjugem duxit *Gertrudem, Georgii Grunewaldi*, Civis *Lipſ.* filiam, & *Pauli Purſii*, Mercatoris, viduam, quæ ipſi duos filios & natam unicam peperit, fœtu quarto poſt obitum mariti gravida.

Morbus & Obitus. Morbus ejus ultimus, Medicorum judicio, fuit affectio melancholica, quam excepit febris putrida cum ſummâ virium dejectione: & licèt medicamentorum ſalubrium uſum natura acceptaret, ita ut inſultûs febriles eſſent remiſſiores, tamen ob ſummum ſpirituum defectum animalis & vitalis facultas indies magis magisque exhauſta fuit, donec tandem in Chriſto placidè animam exſpiravit 14. Nov. A. C. 1613. ætatis 41. Sepultus in Templo *Paulino* 17. Nov. ſeq.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Lipſ. Joh. Philippi, Ducis Sax. & ex Concione fun. D. Vincentii Schmuckii, Theol. Prof.*

Scripta ejus ſunt ſequentia:

Scripta. *Diſputationes Anti-Geſuiticæ de Verbo DEI ſcripto, in quibus ſpeculum miſeriarum ſive mendaciorum contra Mülmannum à Job. Mülhuſiano, Apoſtatâ, fabricatum frangitur, tunditur cernitur*, in 4to & in 12mo.

De veritate & integritate Cœnæ Dominicæ, in 4to.

Theoremata de æternâ Chriſti Deitate contra Arianos, ſive Photinianos, in 4to.

Diſputationes duæ de Univerſalitate Meriti Chriſti, quarum una Calvinianis, altera Pontificiis objicitur.

Rautenkränzlein der Hochlöblichen Churfürſte von Sachſen / Herzog *Chriſtiano II.* zur Glückwünſchung aufgelegt / in 4.

IV. Predigten von Chriſti Empfängnus. 2. Valet-Predigt. 3. Anzugs-Predigt. 4. *Inveſtitur*-Predigt / in 4to.

Thränen-Predigt von den Thränen deß HErrn Chriſti / in 4to.

Epulum Cœleſte: Himmliſches Freuden-Panquet / in *XII.* Predigten erkläret / in 4to.

Chriſtliche Pſalm-Predigten: die Erklärung deß 37. und 38. Pſalms / in 4to.

Exercitium Crucis: *XII.* geiſtliche Andachten über den 91. Pſalm: mit einem Chriſtlichen Bedenken / ob und wie man in Sterbensläufften fliehen möge / in 8.

Zwo Chriſtliche Jubel-Predigten / bey dem andern *Jubilæo Academiæ Lipſienſis* gehalten *A.* 1610. in 4to.

Die Hausehre aus dem 68. Pſalm / in *II.* Predigten / in 4to.

Fera arundinis, das Thier im Rohr / aus dem 68. Pſalm / von dem Römiſchen Antichriſt / *II.* Predigten.

Liber vitæ, darinnen GOTT ſeine auserwehlte Kinder mit dem rothen Blut JEſU Chriſti von Ewigkeit eingeſchrieben / zu Erklärung deß hohen Articels von der Gnadenwahl gepredigt / in 4to.

Summariſche Antwort auf den heilloſen Beicht-Spiegel Franzen / eines Römi

Römiſchen Cardinals / darinnen er die armen bußfertigen Sünder nicht auf Chriſtum / ſondern auf ihre Reu und Gnugthuung weiſet / in 8vo & 12mo.

Ehrenrettung *D. Lutheri*, über die falſchgenannten Chriſtlichen Fragſtücke vom Abendmahl / Fegfeuer und Heiligen Vorbitte / in 4to.

Flagellum Melancholicum: Chriſtlichen Geiſel wider den melancholiſchen Traurgeiſt und Herzfreſſer aus dem 70. Pſalm / in 4to.

Zwo Predigten: 1. von der Gnadenwahl. 2. von der Juden Bekehrung / in 4.

CONRADUS GRASERUS.

Obiit A. C. 1613.

NAtus eſt in oppido *Franciæ Orientalis* Königsberg 6. Maji A. 1557. Patre *Adamo*, matre *Eliſabethâ*, è Familiâ *Mollerorum*.

Diſcipulus Meliſſi. Cum in Scholâ patriâ ſub Præceptore *Paulo Schedio Meliſſo*, Poëtâ celebri, literis operam dediſſet; A. 1572. *Lipſiam* ſe contulit, ubi Advocato cuidam operam ſuam in deſcribendis actis addixit. *Advocato Lipſienſi acta deſcribit.* Cum verò aliquando Clientes quidam, abſente Patrono, conſilium ab amanuenſe *Graſero* in causâ ſuâ difficili petiiſſent, isque tale dediſſet, quod litibus illis citò finem impoſuit, id ubi reſciviſſet Advocatus reverſus, re cognitâ, *Graſero* candorem iſtum animi exprobravit, ſi tu, inquit, ita cauſas agere perrexeris, non multum proficies, nec aureos montes lucraberis. *Ab Advocato diſcedit.* Eo dicto perculſus, Jurisprudentiæ ſtudio ſepoſito, Theologiæ deinceps incumbere cœpit, & Hebraicæ Græcæque Linguis operam dare. *Theologiæ operam dat.*

Trancofurti. Profectus deinde *Francofurtum* ad *Oderam*, inter alios Theologos *Chriſtoph. Cornero* familiariter uſus eſt.

Miniſter Eccleſiæ Thorunienſis. Vocatus exinde *Thorunium*, *Boruſſiæ* Oppidum, eò migravit, & *Joachimo Gerſtencornio* vitâ functo in officio Eccleſiaſtico ſucceſſit. Ubi cum in viſitatione ægrotorum deprehendiſſet, controverſias illas Theologicas, quæ conſcientiam tantùm inflatam pariunt, magnosque in Rebuspublicis tumultus excitant, nullum prorſus habere uſum, cœpit ab eis toto abhorrere animo, eaque tantùm in publicis proponere Concionibus, quæ ad fidem in Chriſtum ſalvificam accendendam, veramque in vitâ & morte conſolationem præſtandam faciunt.

Hebraica & Hiſtorias docet. In Gymnaſio quoque recens ibi ſub auſpiciis *Henrici Strobandi* aperto Linguam Sacram & Hiſtorias profeſſus, multos fideliter erudivit.

Moritur. Ibidem cum doloribus arthriticis diu fuiſſet obnoxius, in cœleſtem patriam emigravit 30. Dec. A. 1613. ætatis 56.

Cumque in vivis dum adhuc eſſet, teſtamento caviſſet, ne corpus ſuum exanime magnâ cum pompâ funebri, honeſtè tamen, nec in aliquâ Baſilicâ, ſed in communi cœmiterio extra urbem ſepeliretur; elatum itaque corpus eſt demortui in cœmiterium dictum, Epitaphium autem lapideum literis exornatum deauratis *Johannes* Zimmermann / Senator *Thorunenſis*, memoriæ viri præclarè de Eccleſiâ & Scholâ meriti erexit ejusmodi:

Epitaphium.

CONRADUS GRASER,
REGIOMONT. FRANCUS,
HIC JACET.
MILES JESU CHRISTI STRENUUS;
ET IN EJUS ADVERSARIUM
SPIRITU, ORE ET CALAMO VIGILANTISS.
IS CURSU MILITIÆ SUÆ FELICITER ABSOLUTO, GRAVIBUSQUE, QUI IN HOMINEM CHRISTIANUM CADERE POSSUNT EXANTLATIS LABORIBUS TANDEM IN HOC CAMPO PLACIDE OCCUBUIT: BRABÆUM, QUOD JUDEX GENERALIS, IN EXTREMO JUDICIO, SUIS DISTRIBUET, EXSPECTANS:
CUJUS MEMORIA SIT IN BENEDICTIONE,
SORSQUE ILLIUS INTER FILIOS DEI
NUMERETUR:
TANTUM DIC, VIATOR, ET ABI.
MILITARE DESIIT III. CAL. JANUAR. ANNO M DC XIII. AD VII. VESPERTINAM;
CUM VIXISSET ANNOS LVI. MENSES VII. D. XIV.
MONUMENTUM HOC EI P. P. A. A.

Vir hic, ut Monumentum perhibet, Chriſti miles ſtrenuus, ſæpiùs de nimiis Theologorum divitiis ſentiebat: eas bonâ ratione non poſſe acquiri, nec bonâ conſcientiâ poſſideri: idque dixit tum temporis, cum quidam narraſſet, nonneminem Theologorum in Germaniâ 30. circiter millia florenorum reliquiſſe.

Scripta elucubravit ſequentia: *Scripta.*

Hiſtoriam Antichriſti illius magni.

Plagam Regiam, ſeu *Explicationem Apocalypſeos.*

Conradi Graſeri ultima verba, quibus oſtendit Jeſum Chriſtum eſſe verè Meſſiam.

Orationem de Linguâ ſanctâ addiſcendâ.

Librum Generationis Edom Hebraice & Latinè.

De Principiis veritatis Judaicæ tractatum.

Librum fundamentorum Rabbi Joſephi Bar Albonis Latinitate donavit.

Refutationem Johannis Uberi, Jeſuitæ. Qui ultimi tamen Tractatûs lucem nondum viderunt.

* *Ex Melch. Adami Vitis Germ. Theol.*

BURCHARDUS HARBARDUS.

Obiit A. C. 1614.

NAtus eſt in nobili Præfecturâ *Bucholz*, qui pagus eſt propè *Conizium*, *Boruſſiæ* civitatem, in confinio *Poloniæ* A. C. 1546. die *Burchardi*.

Natus ex Familiâ nobili. Pater fuit *Martinus Harbart*, de cujus Familiâ nobili hoc commemoratur, eam A. C. 1470. à *Poloniæ* Rege *Caſimiro* magnis & ſingularibus immunitatibus donatam fuiſſe, ut coràm nullo præterquàm Regio tribunali

bunali ſeſe ſiſteret, ac plenariam poteſtatem inſtituendi & exercendi jus in cauſis criminalibus & civilibus haberet.

Matrem habuit *Annam*, *Andreæ Michaëlis*, civis apud *Conicenſes* primarii, filiam.

Prima pietatis & doctrinæ initia hauſit in ludo *Conicenſi* usque ad A. C. 1564. quo in Scholam *Gedanenſem* miſſus eſt: ſed ibi vix per ſemeſtre ob contagium peſtilens ſubſtitit, ſub inſtitutione *M. Henrici Mülleri*, P. L. & *Mich. Retelii* utriusque Linguæ periti.

Diſcipulus in Scholâ Gedan.

Inde domum reverſus, cum eo tempore Parens illius è vivis deceſſiſſet, conſtitutâ re hæreditariâ mox in *Regiomontanam* profectus eſt Academiam A. 1565. ubi annum exegit, & præter alios Profeſſores *D. Davidem Voitum*, Theol. poſteà *Witteberg.* *D. Matthiam Stoium*, Med. & *M. Petrum Sickium* attentè audivit. A. 1566. miſſus à Senatu *Conicenſi* in Acad. *Lipſienſem*, cœpit extemplò frui ſtipendio quondam à *Mart. Fuhrmanno*, populari S. Theol. Doct. & Canonico *Merſburgenſi* conſtituto.

& Regiomont.

Lipſ. Stipendiar. & Philoſ. Stud.

Venit autem literis inſtructus commendatitiis ad Excell. Medicum id temporis *D. Henricum Stromerum* & *Georg. Marquardum*, Nationis *Boruſſ.* tunc Seniorem: receptusque eſt in Matriculam, (ut vocant,) à *D. Georg. Mosbachio*, id temporis Rectore. Hic Viros præcellentes audivit, in Theologiâ *D. Henricum Salmuth* & *Victorinum Strigelium*, in Linguâ Sanctâ *M. Nicolaum Schreinicium*, in Philoſ. *Ariſtotelicâ D. Wolfg. Maurerum*, in Phyſicis *M. Leonhardum Lycium*, in Mathematicis denique ſcientiis *M. Valentinum Thau*, & *Mauritium Steinmetzium*, artis Med. Licentiatum.

A. 1567. Primam in Philoſophiâ Lauream conſecutus eſt Decano *M. Antonio Olingio.*

Lipſ. Baccalaur.

A. 1570. Supremo Philoſoph. dignitatis titulo, qui eſt Magiſterii, fuit ornatus, Procancellario *D. Baltaſ. Gitlero*, Med. Facult. eo tempore Decano.

& Philoſ. Magiſter.

Mox Scholam privatam aperuit, in quâ inſtitutioni ſuæ commiſſis diſcipulis curſum Philoſophiæ declaravit tantâ cum induſtriâ, ut penè in dies ſingulos ad horas 6. 7. & amplius iſtas urgeret operas.

A. 1572. Poſt *M. Georgii Marquardi* diſceſſum ex Academiâ, *Boruſſiacæ* Nationis Senior factus, & Stipendiar. ærario præfectus eſt.

Senior Nationis Boruſſ.

Triennio pôſt cooptatus inter Collegiatos minoris Collegii Principum, & rurſum poſt annos 4. in Conſilium Communitatis Philoſ. receptus eſt, in quo mox ſeq. anno Decani munus geſſit.

Decanus Facult. Philoſ.

A. 1580. Dignus judicatus eſt, cui Profeſſio Theologica demandaretur, ideò mox A. 1581. Baccalaur. Theologiæ, ſeq. Licentiatus, & 5. Dec. A. 1588. ſupremo attributo titulo Doctor ſolenniter renuntiatus eſt.

Profeſſor Theologiæ.

Quadriennio antè 1584. Nuptias celebravit cum virgine *Concordiâ*, Dom. *Andreæ Funckii*, Jur. Doct. Scabini, Senatoris, & in Judicio ſupremo Electoralis Curiæ Advocati, filiâ, maternâ origine *D. Henrici Stromeri*, *Auerbachii* à patriâ dicti, Medici celeberr. Nepte.

Conjugium ejus & liberi.

Ex hâc duos ſuſcepit filios, & totidem filias, quarum natu major *Charitas* unica Patri ſuperſtes in conjugio vixit cum *Wolfg. Henrico Preuſſero* in *Domberg.*

A. 1590. Conſentientibus omnium ſuffragiis primùm electus eſt Academiæ Rector, & biennio poſt Illuſtr. Princ. *Friderici Wilhelmi, Elect. Sax.* Adminiſtratoris mandato Viſitationi harum Regionum univerſali adhibitus, eodemque tempore Canonicus *Miſnenſis* deſignatus, & Decemvir Academiæ lectus eſt.

Rector Acad.

Canonicus Miſnenſis & Acad. Lipſ. Decemvir.

Conſtitutus item A. 1594. Stipendiariorum Electoral. Inſpector, & A. ſeq. Scholarum illuſtrium Viſitator.

Intereà Decani munere in Collegio Theologico per vices ſæpiùs intervallo 25. annorum functus eſt.

Valetudine uſus per multos annos ſatis firmâ vires ſibi cunctas ſubitò veluti evaneſcere ſenſit, & à 13. diebus Lipothymiâ afflictus, altero tamen morbi die Stipendiariorum diſputationi ordinariæ præfuit. Die quarto decumbere penitùs cœpit, donec tandem naturæ ſenſim ingraveſcente debilitate inter pias preces & ſuſpiria in Chriſto placidè obdormivit 17. Febr. A. C. 1614. ætatis ſuæ 68.

Concionem ei funebrem habuit *D. Georg. Weinrichius*, Theol. Prof. & Superintend. *Lipſ.*

Scripta ejus ſunt:

Scripta.

Doctrina de Conjugio, in 8vo.

Capita doctrinam de Confeſſione veræ fidei complectentia, in 4to.

Capita de Lege Divinâ, in 4to.

De Magiſtratu Politico, in 4to.

Capita veræ & incorruptæ Doctrinæ primaria ſtudio Zachariæ Schilteri & Burchardi Harbarti edita in 4to.

Theſes de Schmalcaldicæ Confeſſionis articulis, de Collegiis Canonicorum & Monachorum, & de Papæ, ejusque, quem ſibi tribuit, primatu, in 4to.

Weihnacht-Oſter- und Pfingſt-Predigten/ in 4to.

* *Ex Programm. fun. D. Joh. Philippi, Acad. Lipſ. Rectoris.*

BARTHOLOMÆUS NASSERUS.

Obiit A. C. 1614.

ARgentinæ natus eſt M. Oct. A. C. 1560. Parentibus honeſtis, *Nicolao Naſſero*, Lapidicidâ, & *Annâ Fraulerin*, à quibus primâ ſtatim ætate in verâ pietate & morum honeſtate educatus: ex Scholâ *Germanicâ* ad Latinam A. 1570. miſſus eſt. Per omnes tunc Claſſes ad publicas progreſſus Scholas, adeò diligenter ſtudiis ac diſciplinis Philoſophicis incubuit, ut A. 1580.

Digitized by Google

Baccalaur. Decano *M. Nicolao Floro*, Theol. olim Profeſſore, primâ: iterum â Decano *Mich. Beuthero*, J. U. D. & Hiſtor. Profeſſore, 2. Novemb. A. 1581. ſecundâ Philoſophiæ *& Philoſ. Magiſter Argent.* ornaretur Laureâ. His gradibus inſignitus, totum ſe Theologiæ ſtudio dedit, in eoque eos progreſsus fecit laudabiles, ut non modò A. 1582. â Rever. Viro Dom. *Johanne Pappo*, Theol. D. & Prof. dignus judicatus fuerit, quem in domeſticum Ecclesiæ Seminarium reciperet, & pagum in *Paſtor in Schaffolzheim.* Schaffolzheim commendaret, in quo Paſtorem agere, & concionando ſe exercere poſſet: ſed etiam publicam de 4. Divinarum pœnarum generibus Diſputationem A. 1583. ſub ejusdem Præſidio publicè habuerit. Peregrinationes A. 1585. ad extera loca & Academias ſuſcepit. Vidit enim in *In 11. Academiis Theologiæ Studioſus.* *Thuringiâ Jenenſem* & *Erphordenſem*: in *Saxoniâ Wittebergenſem*: in *Miſniâ Lipſienſem*: in *Marchiâ Brandeburgenſi Francofurtenſem* ad *Oderam*: in Ducatu *Brunſvicenſi Helmſtadienſem*: in *Pomeraniâ Gryphiswaldenſem*: in Ducatu *Megapolitano Roſtochienſem*: in *Haſſiâ Marpurgenſem*: *Palatinatu Heidelbergenſem*, & A. 1607. in Ducatu *Würtenbergico Tubingenſem*: in iisque cum ſummis tum temporis Theologis familiaritatem contraxit.

Paſtor Keilenſis, & Dorolzheimenſis. Domum reverſo per legitimam electionem & confirmationem cura Eccleſiæ *Keilenſis Rhenanæ* A. 1587. demandata fuit. Indè anno ſeq. ad Eccleſiam in Dorolzheim delatus eſt.

Conjugium ejus, & filii. 27. Febr. A. 1588. Uxorem duxit virginem *Annam*, Reverendi Viri D. *Thomæ Schalleri*, Paſtoris olim Argent. ſummi Templi, filiam, ex quâ filios ſuſcepit, *Thomam*, A. 1610. *Genevæ* defunctum, & *Bartolomæum*, quem tertiæ Claſsis diſcipulum reliquit ſuperſtitem. A. 1590. in urbem patriam revocatus, ſummi Templi Diaconus factus eſt, cui muneri, poſtquàm biennium cum laude præfuiſſet, A. 1593. Reverendo Viro *D. Johanne Fabro*, ætate & valetudine ita flagitante, officium ſuum Pa- *Parochus ad S. Thomam.* ſtorale reſignante & rude donato; in Parochum Eccleſiæ ad *D. Thomam* electus, & â Senatu confirmatus eſt.

Theologiæ Profeſſor. A. 1594. Ad publica officia Academica aſcitus: primùm in Profeſſorem Theologiæ cooptatus: deindè A. 1595. in Viſitatorem ſeu Ephorum Academiæ electus: *Canonicus ad D. Thomæ.* A. 1596. Collegio *D. Thomæ* Canonicus aſcriptus: Tum ad Rectoris officium bis, A. 1600. & 1610. adhibitus eſt.

Præpoſitus. Anno denique 1612. per legitimam electionem Præpoſitura Collegii *Thomani* ei concredita fuit, in quâ Anteceſſorem habuit *Dn. Georg. Obrechtum*, Jur. Doct. & Profeſſorem. Hiſce omnibus & ſingulis officiis ita inſerviit, ut reverà DEI Oeconomus & Miniſter fuerit.

Placidè tandem & tranquillè in Chriſto obdormivit 22. April. A. C. 1614. æt. 54.

* *Ex Programm. fun. Tob. Specceri, Rectoris Acad. Argent.*

Typis edita reliquit: *Scripta.*

Klaghaus/ das iſt/ Chriſtliche Leichpredigten / aus dem Alten und Neuen Teſtament zu Straßburg gehalten.

Geiſtlicher Poſaunen-Schall/ das iſt/ 19. Straff- und Bußpredigten. 19. Erndt- und Herbſtpredigten. Erklärung der 7. Buß-Pſalmen Davids.

Caſp. Cunradus, *Proſopogr. Mel. part. 8.* hoc eum honorat Diſticho:

Verbi fonte ſacri Conſperſi pectora ſicca
Inde meo Argyroë nomine & ore madet.

PETRUS JOHANNES VINSTRUPIUS.

Obiit A. C. 1614.

NAtus eſt *Hafniæ* 18. Martii A. C. 1549. Patre *M. Johanne Vinſtrupio*, Paſtore Eccleſiæ *S. Nicolai*, matre *Annâ*, *Nicolai Hofvet*, Mercatoris *Hafn.* filiâ.

Ab anno ætatis 7. in Scholâ patriâ artibus liberalibus & moribus ingenuis per quadriennium animum excoluit, donec in Scholam *Slagloſienſem* fidelioris inſpectio- *Diſcipulus in Scholâ Slagloſienſi.* nis gratiâ ablegaretur. Cui cum diligentiam ac ſtudium ſuum itidem per quadriennium ita declaràſſet, ut ad altiora admitti poſſet, *Roeskildiam* ſe contulit: *Roeſkildiæ.* quo in loco reliquis modeſtiâ, pietate, & inprimis diligentiâ per 4. annos ita prælucebat, ut â Præceptoribus dignus judicaretur, qui nomen daret altioribus Diſciplinis.

Itaque A. 1568. mentem inferioribus arti- *Civis Acad. Hafnienſis.* bus præparatam Acad. *Hafnienſis* Præceptoribus præceptis Philoſophicis exornandam tradidit, atque in album civium Academicorum relatus eſt, Rectore *D. Johanne Albertio*, Epiſcopo *Roeskildenſi*.

Vix biennio elapſo ingenium Adoleſcentis admirati Profeſſores primâ Artium & Philoſophiæ Laureâ per M. *Andr. Petrejum*, *Baccalaureus.* *Koagienſem*, Facultatis Philoſophicæ Decanum A. 1570. eum condecorarunt. Tunc nobilis vir *Biorne Andreæ*, Regni Senator & arcis *Hafnienſis* Præſes, ſolum hunc ex reliquis eligendum duxit, cui filiorum inſtituendorum cura committeretur.

A. 1572. Cum iisdem diſcipulis *Lipſiam* primùm, deindè *Vitebergam* ablegatus 4. annis elapſis in patriam reverſus titulo Magiſterii condecoratus eſt. A. 1576. nob. *Magiſter.* *Biorne Andreæ*, Præfecto *Arhuſienſi* procurante, ſacrarum literarum Interpretatio *S. Literar. Profeſſor Arhuſii.* ac publica Profeſsio in Capitulo *Arhuſienſi* ipſi demandatur.

Quod munus tantâ dexteritate & animi alacritate obire cœpit, ut Clariſſ. Vir M. *Esbernus Petrejus*, Paſtor & Canonicus *Arhuſienſis* filiam ſuam virginem *Marinam* *Conjugium ejus, & liberi.* matrimonii fœdere A. 1577. ei jungere haud dubitaverit: quæ 6. filiarum divinâ benedictione eum parentem reddidit, quarum *Helena* M. *Nicolao Claudio*, Superintendenti *Aloënſi*, *Anna* M. *Johanni Stephanio*, Academiæ *Hafnienſis* Profeſſori, & poſt Præſidi *Sorenſi* nupſit.

Cate-

Digitized by Google

Hafniæ Paſtor Eccleſ. S. Hoſpitum. *Epiſcopus Arbuſienſis.*

Cæterum Viri in Verbo Divino docendo ardorem Senatus ac Cives primarii reſciſcentes in Paſtorem Eccleſiæ *S. Hoſpitum* eum electum *Hafniam* evocârunt. A. 1587. M. *Laurentio Bartolino*, Diœceſeos *Arbuſienſis* Epiſcopo, ſenio jam confecto *συνεργὸς* adjunctus, & paulò poſt ipſi defuncto, in officio ſurrogatus eſt.

Epiſcopus Roeſkildenſis. S. Theol. Profeſſor & Doctor.

A. 1591. Illuſtrisſimi Quatuorviri Gubernatores Regni revocatum *Hafniam* Epiſcopum Diœceſeos *Roeskildenſis*, ac Profeſſorem S. Theologiæ in Academiâ loco *D. Pauli Matthiæ* defuncti conſtituerunt. Eodem anno â Dom. *D. Joh. Olao Slangendorſio* honoribus in S. Theologiâ ſupremis inſignitus eſt.

Regem Chriſtianum IV. coronavit.

A. 1596. Capiti Regiæ Majeſtatis *Chriſtiani IV.* Regni diadema magnâ cum ſolennitate impoſuit. A. 1598. In ſolenni inauguratione Reginæ *Annæ Catharinæ* Ordinatoris partes ſuſtinuit, & cum laude adminiſtravit.

Principem Regium Chriſtianum baptizavit.

A. 1603. Regiæ Majeſt. recens natum filiolum, Principem *Chriſtianum* S. Baptiſmi fonte conſperſum numero fidelium adjunxit, & è lavacro ſuis manibus levavit. A. 1607. Theol. Doctorem creavit M. *Cunradum Aslacum*, Theol. Profeſſorem, Rectoratum Academiæ A. 1590. & 1608. geſſit.

Conjugium ſecundum, & Liberi.

A. 1598. Tori ſociam *Marinam Esberni* filiam, æt. anno 44. amiſit, quem mœrorem Deus diuturnum eſſe haud paſſus, anno ſeq. viduum torum virgine *Annâ*, Dom. *Eliæ Eiſenbergii*, Secretarii Regii & Capituli *Roeskildenſis* Præpoſiti filiâ ſupplere cum fœnore voluit. Ex eâ enim dulcis propaginis liberos vidit 7. Ex filiis *Petrus* poſteà Profeſſor in Academiâ *Hafnienſi* fuit, deindè Regius Concionator, & demùm *Lundenſis* Epiſcopus. *Elias* è peregrinatione in patriam reverſus *Hafniæ* obiit. Filiarum *Marina Claudio Plumio*, Jur. Doctori & Profeſſori: *Thalia, Johanni Reſenio*, Theol. D. & Profeſſori: *Anna*, M. *Olao Vindio*, Concionatori Regio: *Medea, Nicolao Petræo*, Theol. Doct. & Profeſſori nupſerunt.

Porrò toto illo tempore, quo integrâ frui licebat valetudine, in tam arduo conſtitutus loco magnâ prudentiâ ad clavum Regni Eccleſiarum ſedit, magno ſtudio pacem & tranquillitatem Eccleſiæ affectavit, pietatis, lenitatis, ſobrietatis, continentiæ, aliarumque virtutum ſpecimina palàm & in oculis omnium fuerunt.

Linguâ & ſermone læſus.

A. 1608. Hemiplecticis quibusdam ita infeſtari cœpit inſultibus, ut linguæ & ſermonis facultas impedita penitus redderetur, non ſine inſigni virium detrimento.

Mille thaleros ad Studioſi Theol. pauperis ſubſidium legavit.

A. 1613. Liberali ac largâ manu hoc ſibi adhùc viventi erexit Mauſolæum, quod nulla ætas ſequens aut temporis injuria abolere poteſt. Mille namque probioris Monetæ thalerorum Imperialium Academiæ legavit ſummam, ex quâ Studioſo paupertatis onere depreſſo, honeſtè tamen nato, ac ita in literis enutrito & educato ut dignus cenſeatur, qui Laureâ Magiſterii Philoſophici inſigniatur, quique donis ad docendum in Eccleſiâ neceſſariis ſit inſtructus, annuatim thaleri 60. ſunt ſolvendi. Qui tamen *Vinſtrupianus* alumnus non tantùm ad ſtudium Theologicum, & ad *Confeſſionem Auguſtanam* ſe ſciat obligatum, ſed etiam eandem in patriâ fideliter ſe probaturum polliceatur.

Obiit tandem die 24. Junii A. C. 1614. ætatis 66. Funus Civibus Academicis â Rectore *D. Cunrado Aslaco* publico Programmate indictum eſt. Sepultus in Templo D. Virginis, cum hâc Monumenti inſcriptione:

Epitaphium.

IN NOMINE D. J.
D. PETRO JAN. VINSTRUP. HAVNIENS. OLIM MAG. LECTORI S. S. THEOLOG. ARBUS. ANN. II. POST PASTORI AD S. HOSPITAL. HAUN. AN. IX. HINC EPISCOPO, TUM ILLIC VICISSIM ANN. IV. TUM HIC RURSUS, SICUT TUNC SIMUL DOCTORI THEOLOG. IN REG. ACADEM. ET CANONICO ROESKILDENS. ANN. XXIII.
P. ANNA EISENB. G. L.
QUI NATUS AN. MDXLIX. XVIII. MART.
EXSPIRAVIT IN D. XXIV. JUNII
ANN. MDCXIV.

Scripta:

Scripta.

Conciones in publicis Supplicationibus proponendæ.

Synodalia A. 1610. & Antiqua Admonitio Ποιμενική.

* *Ex Acad. Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Pauli f. Vindingio.*

JACOBUS BAJUS.

Obiit A. C. 1614. Theologiæ Profeſſor Lovan.

A*thenſis, Michaëlis Baji* Nepos, S. Theol. Doctor & Profeſſor in Academiâ *Lovanienſi*. Ex Decano *S. Jacobi* ibidem factus Decanus *S. Petri*.

Crebris Legationibus Univerſitatis nomine cum laude perfunctus fuit, ut qui eandem difficillimis temporibus prudentiâ & ſedulitate moderatus eſt.

Moritur.

Præfuit Collegio *Sabaudiæ* annos XI. in quâ functione mundo ereptus deceſſit 9. Oct. A. C. 1614. & in æde *S. Petri* tumulatus eſt.

Bonorum ſuorum Adminiſtratorem inſtituit *Ægidium Bajum*, Nepotem, S. Theol. Doctorem & Profeſſorem, hâc lege, ut univerſa impenderet in Collegium pro ſuæ nationis adoleſcentibus, qui obſecutus patrini deſiderio Collegium auguſtum extruxit è regione Pædagogii *Falconis*, quod *Bajanum* poſteà vocatum eſt.

Scripſit:

Scripta.

Orationem Panegyricam in Adventum Sereniſſ. Principum Alberti & Iſabellæ, quam Academiæ nomine coram iisdem in Eccleſiâ S. Petri in primâ eorum inauguratione dixerat.

Digitized by Google

Catechiſmum, ſeu *Inſtructionem Doctrinæ Chriſtianæ.*

De Euchariſtiæ Sacramento & Sacrificio Lib. III.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1614.

MELCHIOR EPISCOPUS.

SI quis eſt, qui antequàm ad ſummum dignitatis Eccleſiaſticæ faſtigium aſcenderet, per gradûs, non per ſaltûs ad id promoverit pedem, certè hic fuit *Melchior Epiſcopus.*

Poſtquàm enim natus eſſet *Poſneccii* 1547. d. 20. Maji. Parente *Caſparo* **Biſchoff** / cive & ſutore illius loci, & matre **Margaretha Raniſin** / trium Scholarum celebrium, puta *Serveſtanæ*, *Mansfeldicæ* & *Arnſtadienſis*, ſedulus factus eſt diſcipulus.

Fit Ludimoderator Ludolphſtadii. Cantor Altenburgi. Diaconus Poſneccenſis. Paſtor Franckenbergæ, Tundorffii, Peſneccii. Concionator aulicus Coburgi. Superintendens Specialis Eiſfeldæ, & tandem Superintendens generalis Coburgi.

Poſt ſtudia verò Academica, quæ *Jenæ* abſolvit, ad omnia publica, eaque varia fuit admotus. Factus enim eſt (1.) Ludimoderator *Rudolphſtadii*, (2.) Cantor *Altenburgi*, (3.) Diaconus *Poſneccenſis* in patriâ, (4.) Paſtor *Franckenbergæ*, (5.) Paſtor item *Tundorffii*, (6.) Paſtor iterum in patriâ *Peſneccii*, (7.) Concionator aulicus Ducis *Sax. Johannis Caſimiri*, p. m. *Coburgi*, (8.) Superintendens Specialis *Eisfeldæ*, (9.) Denique Superintendens Generalis *Coburgi*, in quâ ultimâ ſpartâ ad finem usque vitæ ſuæ per 15. annos laudabiliter ſtetit, re & nomine Epiſcopus ἀνεπίληπτος, νηφάλιος, σώφρων, κόσμιος, φιλόξενος, διδακτικός, μὴ πάροινος, μὴ πλήκτης, μὴ αἰσχροκερδής, ἀλλ' ἐπιεικής, ἄμαχος, ἀφιλάργυρος: Veluti ſidus illud Theologorum, *Johannes Gerhardus*, huic Epiſcopo in Ephoriâ generali *Coburgenſi* Succeſſor, hæc κριτήρια boni Epiſcopi, in eo fuiſſe publicè aſſeruit.

Conjuges.

Conjugem habuit primam *Magdalenam*, natam *Klegiam*, alteram *Mariam*, *Noæ Ottonis*, Paſtoris *Poſneccenſis*, filiam, ex quibus octodecim liberos ſuſcepit.

Moritur.

Anno ætatis ſuæ 68. piè denaſcitur, d. 19. Decembr. 1614.

Obiit A.C. 1615.

ANDREAS BAUDISIUS.

V*Ratislaviæ* natus eſt patre cognomine, matre *Annâ Neugebauriâ*, 3. Junii A. 1557.

Cum in Scholâ patriâ literarum primordia didiciſſet ſub Præceptoribus *Andr. Winckleró* & *Petro Vincentio*, A. 1575. *Wittenbergam* â patre miſſus, ibi tùm diſciplinis Philoſophicis, tùm Theologiæ cumprimis operam dedit, convictu uſus *Joh. Avenarii* Theol.

Wittebergæ Philoſophiæ & Theologiæ operam dat.

Academias varias perluſtrat.

A. 1578. Indè diſcedens, præcipuas Germaniæ Academias perluſtravit, inque aliquibus earum aliquot annos augendæ doctrinæ gratiâ ſubſtitit. Poſt novennalem igitur peregrinationem Academicam A. 1583. In patriam reverſus, ſtatim in Ducatu *Lignicenſi* conditio ei Eccleſiaſtica *Nicolſtadii* fuit oblata, quam cum ſuſcepiſſet, â *D. Leonhardo Krenzhemio*, Theol. & Chronologo Duc. *Lignic.* Inſpectore, manuum impoſitione inauguratus eſt, cum cujus filiâ *Catharinâ* eodem tempore nuptias celebravit.

Paſtor Nicolſtadienſis. *Uxorem ducit.*

Diaconus Lignic.

A. 1584. A Senatu *Lignicenſi* Diaconatûs ei officium ad *D. Petri & Pauli* oblatum eſt, cui novennium præfuit.

Cromavii.

A. 1594. A Principe *Roſenbergico*, *Petro Wocklo* poſtremo ſuæ familiæ, *Cromavium*, opp. *Bohemiæ*, evocatus, eò cum familiâ commigravit, & tùm in Templo Verbum DEI, tùm in Scholâ bonas literas juventutem docuit.

Inſpector Generalis Eccleſiarum Lignicenſium.

A. 1599. A Principe *Joach. Friderico* revocatus, permittente Principe *Roſenbergico* in *Sileſiam* reverſus, Inſpector generalis Eccl. *Lignicenſium* & oppidi Paſtor ad *S. Petri & Pauli* conſtitutus eſt. Mart. A. 1614. juſſu Ducis *Lignic. Georgii Rudolphi*, *Wolavienſis* etiam Ducatûs Miniſtris Inſpector datus eſt.

222. Theologi initiati â Baudiſio. *Moritur.*

Dumque ſic *Lignitii* degeret, 222. Theologos (inter quos & filius ejus,) ſacro initiavit Miniſterio. Placidè tandem ibidem obdormivit 3. Jan. A. 1615. ætatis 58. Miniſterii autem 32. addito ad tumulum Epitaphio tali.

Epitaphium.

REVERENDA DIGNITATE CLAR. ET AMPLISS. VIRO ANDREÆ BAUDISIO, VRATISLAVIENSI: THEOLOGO GRAVISSIMO, ECCLESIARUM IN DUCATU LIGNICENSI ET WOLAVIENSI ULTRA XV. ANNOS SUPERINTENDENTI B. M. CONSIST. ILLUSTR. ADSESSORI PRIMARIO, VERITATIS ET PACIS ECCLESIAST. ADSERTORI FELICISSIMO: QUI POSTQUAM NICOLSTADII PRIMUM, POST LIGNIC. ECCLESIÆ MINISTERIO ET GUBERNATIONE AD ANNUM USQUE XXXII. FIDELITER LAUDABILITERQUE FUISSET PERFUNCTUS, HONORUM LABORUMQUE SATUR, JUCUNDA NOMINIS SUI MEMORIA PUBLICE PRIVATIMQUE RELICTA, CUM FIDE AD CHRISTUM MIGRAVIT ANNO EJUSD. M DC XV. D. III. M. JAN. CUM VIXISSET ANN. LVII. M. VII.

CATHARINA KRENTZHEMIA MARITO, ET ROSINA, LEONHARDUS, ANDREAS, DANIEL, GOTFRIDUS, DOROTHEA, LIBERI SUPERSTITES, PARENTI AMANTISS. DESIDERATISS. Q. EXTREM. PERSOLVENTES DEBIT.

M. H. M. M. P. P.

Liberos ſuperſtites reliquit cum viduâ *Roſinam*, *Leonhardum*, *Andream*, *Danielem*, *Gotfridum*, & *Dorotheam*.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Theol. Germanorum.*

CLAU-

Obiit A.C. 1615.

CLAUDIUS AQUAVIVA.

NAtione *Italus*, patriâ *Neapolitanus*, filius Ducis *Atrii*, in ipſo ætatis flore 25. annos natus, cum politioribus jam tum literis eſſet excultus, & ſanctorum Patrum lectione inſtructus, & *Pio V.* Pontifici max. â cubiculis atque gratisſimus, res ſuas ſæculum habere juſſit, & omnia illius ornamenta, opes, dignitates tanquàm ſtercus arbitratus, nudus ad Chriſti nudi crucem confugit, & Societati Jeſu addictus eſt *Romæ* 22. Julii A.C. 1567.

Cubicular. S.P. Pii V. — *Societ. Jeſu addictus.*

Deindè poſitis Religionis rudimentis, & gravioribus ſtudiis confectis, tantus in eo virtutis enituit ſplendor, tanta morum gravitas & ſuavitas, tanta prudentia, ut Provincia ipſi primùm *Neapolitana* gubernanda demandaretur, poſteà etiam *Romana*.

Provincialis Neapol. & Rom.

Hanc Provinciam dum optimè adminiſtrâſſet, in Comitiis *Romæ* A. 1581. habitis magnâ electorum conſenſione in locum *P. Everardi Mercuriani*, Præpoſiti Generalis quarti vitâ functi ſuffectus eſt 19. Febr.

Soc. Jeſu Præpoſit. General. V.

Neque animos Patrum, quo minus *Claudium* eligerent, retardavit aut illius ætas, qui nondum 40. ætatis annum attigerat, aut Religionis temporis brevitas, ut Patribus canitie & ſenio venerandis ipſum præferrent, & in ejus humeros univerſæ Societatis per totum terrarum orbem propagatæ onus imponerent.

Nam ita laborioſam hanc provinciam ſuſtinuit, ut ſive proſpera, ſive adverſa ſpectes, quæ ipſo clavum tenente multa & varia Societati ſuæ acciderunt, electum â DEO eſſe credas, ut læta augeret, triſtia minueret, & per turbulentas tempeſtates, DEO duce, navem Societatis ad portum ſalutis dirigeret. Quievit in Dom. ult. Jan. A.C. 1615. æt. 74.

Moritur.

Scripſit:

Scripta.

Epiſtolas benè longas, nec minùs religioſas ac eruditas ad univerſam Societ.

De Renovatione Spiritus, & unione fraternæ charitatis.

Induſtrias item pro Superioribus Societatis ad curandos animæ morbos.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu P. Petri Ribadeneiræ.*

Iconi ejus æri inciſæ hoc diſtichon ſubſcriptum legitur:

Dum ſitit Orbis aquas, Claudi, Tu fontis JESU
Promis Aquam vivam, Dux gregis egregius.

Obiit A.C. 1615.

FRIDERICUS GLASERUS.

EX parentibus tenuis ſortis progenitus, *Tundorffii* in *Thuringiâ* mundum ingreſſus eſt A.C. 1556. Patre *Chriſtophoro Glaſero*, ejus loci opilione, matre *Julianâ Schmidiâ*.

Filius opilionis.

Cum in Scholis *Thuringiæ*, *Saxoniæ* & *Pomeraniæ* ſtudiorum fundamenta poſuiſſet, miſerè ſe ſuſtentans, in Academiam *Juliam* progreſſus, Philoſophiæ & Theologiæ operam dedit, & Profeſſoribus, imprimis verò *D. Tilemanno Heshuſio* charus fuit.

Theol Stud. Helmſtadii.

Vacante tunc temporis Scholæ Rectoratu *Alſeldiæ*, miſſus eò ab Univerſitate *Helmſtattenſi* munus id ſuſcepit, & hoſpitio uſus *Eſaiæ Crugeri*, ejus loci Superintendentis generalis, per aliquot annos fideliter obivit.

Rector Scholæ Alſeldiæ.

Hoc verò hoſpite ſuo poſteà *Geraviam* vocato *Helmſtadium* ipſe regreſſus Linguæ Hebrææ ex fundamento diſcendæ cum Theologiâ operam dedit.

A. 1582. Concionatoris aulici munus, ſuaſu Theologorum *Helmſtettenſium*, apud nobilem Virum *Georgium Siberk*, in domo Ducali *Planckenſtenia* ſuſcepit, cum paulò antè *Helmſtadii* S. Miniſterio fuiſſet initiatus.

Exindè ſæpè in urbe vicinâ *Veſaliâ* concionatus eſt, & S. Cœnam more *Lutherano* adminiſtravit.

A. 1584. Cum *Henricus junior* Dominus *Plavienſis* Præceptore indigeret in adoleſcentiâ ſuâ, mater ejus *Dorothea* Comitiſſa *Solmenſis* ſuadente *Eſaiâ Crugero*, hunc *Glaſerum* huic muneri præfecit.

Præceptor Henrici junioris Domini Plavienſis.

A. 1586. Hujus *Crugeri* filiam natu majorem in uxorem duxit, ex quâ 5. filios & 8. filias ſuſcepit, quorum liberorum 4. præmiſit, 9. ſuperſtites reliquit: ex 3. verò filiabus honeſtè elocatis & nepotes vivos vidit.

Conjugium & Liberi.

Mox poſt nuptias cum Domino diſciplinæ ſuæ commiſſo, & *Davide*, Comite *Mansfeldico*, Gubernatoris nomine Univerſitatem *Jenenſem* acceſſit, & præter inſtitutionem privatam Theologica ſtudia magis excoluit.

A. 1589. *Cranichfeldiæ* Superintendens factus, biennio pòſt A. 1591. *Geram* ad Concionatoris aulici munus vocatus eſt, in quo munere 18. annos verſatus. A. 1609. ſocero ſuo Superintendenti Generali adjunctus, ejusque tandem poſt obitum Succeſſor factus eſt, nec non Director Conſiſtorii Eccleſiaſtici Scholarumque *Geravienſium* Inſpector conſtitutus.

Superint. Cranichfeld. Concionator aul. Geranus. Superint. General. Gerav.

Cum tandem â 12. annis doloribus nephriticis frequenter laborâſſet, viribus conſumptis placidè ſpiritum exhalavit 11. Maji A.C. 1615. ætatis 59.

Moritur.

MortIs hora abſConDIta gentIbVs VnIVerſIs.
GLaſerVs, LVCet MaII bIs qVInCtVs & VnVs,
LIqVIt VbI arVa foLI, VeCtVs In aſtra poLI.

Item:

BIs qVIntVs MaIVs fVLgens VnVsqVe, GeranVs
En SVperIntenDens heV ſVa fata ſVbIt.

Ccc 3 Domi-

Dominus FRIDERICUS GLASERUS,
Superattendens *Geræ* ad *Elyſtrum* vigilans.

Per *Anagramma*, tribus mutatis & ſuperfluis literis:

Fundamenta ſuper ſi credos relligioſus,
Es tua advigilans armiger aſtra DEI?

* *Ex Concione funebri Caſp. Braſtii, Superintend. Lobenſtein.*

AMBROSIUS REUDENIUS.

Obiit A.C. 1615.

NAtus eſt 1. Febr. A.C. 1543. *Groitſchii* in illâ parte *Miſniæ*, quæ *Libonotria* vocatur, quod oppidum ſedes olim fuit *Wiperti*, Comitis bellatoris fortiſſimi: Patre *Alexio*, Senatore & Judice oppidano, qui Conſulis vice rem gerebat publicam: ſed avo *Glorio Reudenio*, viro quidem plebejæ ſortis, ſed honeſto.

Matrem habuit *Urſulam*, *Ambroſii Geisleri*, viri multis peregrinationibus perpoliti, filiam.

Puer Scholas frequentavit Pegavii. Decimum ætatis cum attigiſſet annum, in Scholam *Pegavienſem* patriæ vicinam itare cœpit, & doctrinæ cœleſtis ſimul & Latinæ, Græcæque Linguæ fundamenta collocare.

Muchelæ. Salinis Saxonicis. Magdeburgi. Quadriennio poſt ludum literarium, qui *Muchelæ* eſt, adiit. A. 1558. *Salinas Saxonicas* inviſere placuit, ſed ibi non niſi unius anni ſpaciolo ſubſtitit, *Magdeburgum* feſtinans, quod Gymnaſium tunc admodùm erat celebre.

Lipſiæ Magiſter Philoſophiæ. Elapſo ſexennio, quod eo in loco ſtudiis impendit, *Lipſiam* venit 1565. & per quinquennium ibi commoratus, non tantùm permenſus eſt Philoſophiam, & Theologiam, ſed etiam primam Philoſophiæ Lauream, & Magiſterii gradum feliciter adeptus eſt.

Ibidem teſtatum facturus hoc honoris non datum gratiæ, ſed mentis tributum, privatas aperuit Scholas, Diſputationes & Orationes publicè habuit.

Uxorem ducit. A. 1570. *Altenburgum* rebus ſuis ita ferentibus abiit, & uxorem duxit *M. Michaëlis Chiliani*, *Noribergenſis* Scholæ publicæ Rectoris filiam, *Georgii Spalatini* neptem, quâ cum annos 45. ſuaviter vixit, Parens factus filiorum trium, & 4. filiarum.

Filius Michaël Medicus. Ex filiis natu maximus *Michaël Reudenius*, Med. Doctor *Schlackenwaldæ*, & in Thermis *Carolinis* artem medicam cum laude exercuit. *Andreas* & *Fridericus* in pueritiâ Patrem præceſſerunt.

Ex filiabus natu majorem *Catharinam Petro Piſcatori*, S. Theol. & Ling. Hebrææ Profeſſori publico, uxorem dedit. Alteram *Annam Mariam*, *Joh. Adamo Schwartzio*, Med. Doctori & Practico *Vinarienſi*, elocavit. Reliquæ *Dorothea Suſanna*, & *Barbara* domi apud Parentes honeſtè educatæ & inſtitutæ fuerunt.

A. 1571. Uxorem cum jam haberet, *Jenam* appulit, & privatim magno cum fructu diſcentium Dialectica & Phyſica docuit, nec multò poſt *M. Johanni Roſæ*, qui Dialectica & Ethica publicè interpretabatur, legitimè vocatus ſucceſſit. Hoc tamen officio, cum eo vix ſeſquianni ſpatio functus eſſet, obortis in Academiâ *Jen.* turbis quibusdam, A. 1573. haud invitus abiit, & licèt ſplendidæ deferrentur functiones, per ſeptennium vitam privatam egit. *Jenæ Philoſ. privatim docuit. Profeſſor Philoſoph. publ.*

A. 1578. Demortuo *M. Hieron. Opitio*, volente Electore *Auguſto*, ei ſubrogatus Linguam Sacram docuit. *Profeſſor Ling. Hebr.*

A. 1586. In Academiâ *Wittenbergenſi* ſummam Doctoræ in S. Theol. dignitatem modeſtè petiit, & glorioſè ſuſcepit. Non multò poſt, ſtatione quâdam vacante, Theologiæ Profeſſor deſignatus eſt. *Doctor Theologiæ Witt. & Profeſſor.*

Inter Collegas & Conſiſtorii Eccleſiaſtici & Senatûs Academici concordiæ ſemper fuit amans, in conſiliis cautus & moderatus, in gerendo Magiſtratu juſtitiæ & æquitatis ſtudioſus.

Tandem cum triduo tantùm morbo gravi decubuiſſet, & totum ſe Divinæ voluntati mancipâſſet, animam emiſit, & DEO Patri reddidit 1. Junii A. C. 1615. æt. 73. *Moritur.*

* *Ex Concione fun. D. Johannis Majoris, Superintend. Jenenſis.*

Edita ab eo ſunt: *Scripta.*

Diſſertatio Theol. de Perſonâ Chriſti, adverſus Bellarminum, in 4to.
Iſagoge Biblica, in 8vo.
Proſodia, in 8vo.
Iſagoge Grammatica in Hebr. Linguam, in 4to.
Catecheſis Theologiæ in juventutis ſtudioſæ gratiam edita, in 8vo.
Sciagraphia Loci de Pœnitentiâ, in 8vo.
Oratio de Perſonar. Academicarum officio, in 4to.
Oeconomia Vet. & Novi Teſtamenti oſtendens, quid ibi obſervandum ſit, in 8vo.
Libellus de Philoſophiâ ex Ariſtotele ejusque Interpretibus collectus, in 8vo.
Drey Schrifften/ wie ſich ein Chriſt nach GOttes Wort gegen die Sacramentirer und ihre falſche Lehre verhalten ſoll/ in 4to.
Predigt von der Herrlichkeit Chriſti/ in 4to.

DAVID SCHRAMMIUS.

Obiit A.C. 1615.

NOrdlingæ natus eſt 1. Febr. A.C. 1559. Patre *Kiliano*, fabro ferrario, matre *Annâ Kraftiâ*.

Cum in Scholâ patriâ, parentibus maturè defunctis, literarum prima fundamenta poſuiſſet, â Senatu patrio ſtipendium poſteà per ſeptennium habens in 4. Academiis, *Argentorati*, *Jenæ*, *Wittenbergæ*, ac *Tubingæ* ſtudiis Theologicis operam impendit.

Augu-

Inſpector in Coll. ad S. Annæ Auguſtæ. *Auguſtam* deindè veniens, Inſpectoris munere in *S. Annæ* Collegio per ſexennium fideliter functus eſt.

Exindè *Neoburgum* ſe conferens, per quadriennium Diaconus Eccleſiæ fuit ad *S. Mariam.*

Concionator aulic. Palat. Neoburgi. Conſiſtorii Eccleſiaſt. Aſſeſſor. A. 1615. Ibidem in aulâ *Philippi Ludovici*, Comitis *Palatini*, Concionator aulicus & Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſor factus eſt.

A. 1591. *Nordlingæ* deſponſatus eſt cum virgine *Barbarâ*, *Melchioris Welſchii*, Senatoris & Præfecti xenodochialis filiâ, *Conjugium ejus.* cum quâ 18. annos in conjugio felici exegit, ex eâque 3. filios & 5. filias ſuſcepit, ſed duas tantùm filias reliquit.

Mors. Viribus tandem ex nimiis lucubrationibus exhauſtis placidâ morte vitam finiit *Neoburgi* 19. Septembr. A. C. 1615. ætatis 56.

O nobis DeXtraM porrige, Chriſte, piis.

* *Ex Concione fun. M. Johannis Agricolæ, Diaconi Neoburg.*

DAVID TEUBERUS.

Obiit A. C. 1615. IN oppido montano *Freybergâ* natus eſt 18. Octob. A. C. 1560. Patre *Andreâ Sartore*, Theologorum fautore, matre *Chriſtinâ Beſelerinâ.*

Cum in Scholâ patriâ pietatis & literarum fundamenta poſuiſſet, miſſus â patre A. 1579. in Academiam *Wittenberg.* & A. 1580. in *Lipſienſem*, utrobique ſtipendium Electorale ſtudiorum ſubſidium habuit, & 23. Jan. A. 1584. *Lipſiæ* Magiſter artium ſolenniter renunciatus eſt.

Magiſter artium Lipſiæ. Brevi pòſt ſtipendiariis Electoralibus Repetens doctrinæ Logicæ attributus, in eo munere verſatus eſt usque ad A. 1589. quo *Bornam* ad Eccleſiæ Diaconatum vocatus eſt, & A. 1590. *Froburgum*, ubi per ſexennium Paſtor fuit. *Diaconus Bornæ. Paſtor Froburgi.*

A. 1596. Iterum ad Eccleſiam *Bornenſem* â Senatu vocatus, illius vicinarumque Superintendens conſtitutus eſt, in quo munere vitæ reſiduum tempus exegit. *Superintendens.*

Intereà non ſolùm Synodos Paſtorum anniverſarias, ſed etiam privatum exercitium cum quibusdam Paſtoribus inſtituit, in quo Præceptoris fidelis munus obivit.

Tempore, quo Superintendens fuit, 37. Paſtores & Diaconos inveſtivit.

A. 1589. Uxorem duxit virginem *Reginam, Job. Halfeldii*, Senatoris *Chemnitzenſis*, filiam, cum quâ in conjugio felici 26. annis vixit. *Uxorem ducit.*

Moritur. Placidè tandem in CHRISTO exſpiravit 30. Octobr. A. C. 1615. ætatis 55. Miniſt. 27.

* *Ex Concione fun. Jacobi Teubeneri, Paſtor. Flösberg.*

M. Andreas Tellnitzius, Paſtor Babendorfenſis, hoc ei ſcripſit Epitaphium Germ.

Mein höchſter TroSt auf dieſer Welt
Allein war ChriſtUs der Krafft-Held/
Gänzlich ich mich verließ auf Jhn/
Jeſum Chriſt hatt ich ſtets im Sinn/
Sein Amt und PERſon warn mir bkant/
Täglich ich ſeIN Buch hatt zur Hand/
ErrinnerT mich dEr Worte ſeiN/
Redt gerne von DEm FreuNde mein/
Der mich erlöſt auS aller Noth/
Auch all mein Feinde gmacht zu Spott.
Vergoſſen hat Er mir ZU gut
In dieſer Welt ſein theures Blut/
Dadurch von Sündn ich greinigt bin/
Tod/Höll/Teufl/ wo iſt nu dein Gwin?
Ewig muſtu geBunden ſeyn/
Und leiden grOſſe Quaal und Pein:
Bey Chriſto ich abR blieben bin/
Er war mein LebN/ Sterbn war mein Gwin/
Recht fuhr ich drum mit Freud dAhin.

ABRAHAMUS SUARINUS.

Obiit A. C. 1615. PAtriam habuit *Sceudicium*, in Epiſcopatu *Martisburgenſi* oppidum, natus 15. Nov. A. C. 1563. Patre *Johanne Suarino Nebrano*, Paſtore & Seniore, qui totos 33. annos Eccleſiæ loci illius, cœleſtem doctrinam docendo, præfuit: Matre verò *Marthâ*, *Melchioris Cruſii*, civis *Altenburgici* honeſti relictâ filiâ. *Filius Theologi.*

Hi cum ingenii bonitatem in filio hoc ex quatuor ſecundogenito perſentiſcerent, eum jam ſextum ætatis annum egreſſum in Scholâ patriâ Præceptoribus erudiendum tradiderunt, cumque ultra ſexennium inibi tenera ipſius ætas prima Linguar. & Artium Elementa deguſtâſſet, miſſus eſt cum fratre *Martisburgum*, oppidum patriæ huic ſuæ vicinum, in ludum literarium de novo exſtructum & florentem, cujus Gymnaſii tunc Ephorus & Rector erat *M. Erhardus Hertelius*, Artifex in erudiendâ juventute ſingularis. *In Gymnaſio Martisburg. ſtudia incohoavit.*

Eò cum veniſſet A. 1576. per quadriennium in Dom. Rectoris ædibus & menſâ talem ſe geſſit, ut omnium amorem facilè in ſe derivaret, donec abſoluto hoc tempore, accedente hoſpitis ſui commendatione patrisque interceſſione, Pædagogiâ potiretur apud Magnif. Dom. *Gabrielem Schutzium*, Cancellarium Dicaſterii *Martisburgenſis*. A. 1581. ex anguſtis Scholæ carceribus in ampliorem *Lipſienſis* Academiæ campum proſiliit, & primis annis totum ſe dedit Philoſophiæ ſtudio. Sed mox eodem A. 1581. *Lipſiæ Philoſ. ſtud.* Oratione de lapſu Angelorum in Collegio majori Principum publicè habitâ oſtendit, quousque in Scholâ triviali hoc in dicendi genere progreſſus eſſet. *Peroravit de lapſu Angelor.*

A. 1582. Primam in Artibus Lauream, ſub Decanatu *M. Friderici Tidicæi Dantiſcani*, Medici poſteà *Turonenſis*, Promotore *Baccalaur.*

M. Jo-

M. Johanne Albino, Poëtices Profeſſore publico: atque iterum A. 1584. ad majora progreſſus, ſupremum in ſtudio Philoſophico honoris titulum, Decano *M. Johanne Steinbachio Taurano*, reportavit, Magiſter optimar. Artium & Philoſophiæ Doctor publicâ & ſolenni renuntiatione creatus.

Magiſter Philoſ.

Habuit autem Competitores in Baccalaureatu *Jeremiam Nevium, Droſd.* & *Ottonem Svalenberg*, utrumque poſteà Jur. Doctorem: In Magiſterio verò *Cornelium Beccerum*, Theol. Doct. & Prof. *Lipſienſem*, M. *Job. Scipionem*, *Georg. Tetelum*, Prof. Ling. Hebr. *Job. Hippium*, Scholæ *Portenſis* Collegam, *Frider. Piſcatorem*, Antiſtitem Eccleſ. *Budiſſinæ*, *Chriſtoph. Fabrum*, Jur. Doct. *David Teuberum*, Eccleſ. *Bornenſis* Superattendent. *D. Joach. Tanckium*, Med. Prof. *Lipſ. Nicol. Liſcam*, Logicæ Prof. *Lipſ.* & alios 26. numero.

Hoc honoris titulo ornatus, ſtatim & Lectionum & Diſputationum exercitia inſtituit privata, eaque Logica ad *Melanchthonianæ* Dialecticæ præcepta rectius intelligenda.

Deindè peregrinatione ſuſceptâ, *Roſtochium* conceſſit, perluſtratis priùs urbibus Imperialibus, *Luneburgo*, *Hamburgo*, *Lubecâ*, & *Wiſmariâ*.

Roſtochii Ethicam privatam docuit.

Roſtochii aliquandiu commoratus, & febri quartanâ afflictus, Ethicam *Ariſtot.* ad *Nicomachum* privatim auditoribus, quos nobiles & ignobiles habebat plurimos, prælegendo abſolvit.

A. 1585. *Scheudicium* ad ſuos reverſus, *Lipſiam* iterum ſpe ſtudia meliùs perſequendi viſitavit. Cum verò non haberet, undè ſe honeſtè ſuſtentaret, Diſputationem Ethicam de tribus Virtutibus homileticis publicè, cum gratiâ Dnn. Profeſſorum habuit, & ſimul in numerum Collegarum & Aſſeſſorum Facultatis Philoſophicæ cooptari petiit.

Lipſiæ Collega Facult. Philoſ.

Intereà ſtipendium 50. florenor. â Dom. Præſulibus *Martisburgenſibus*, quibus â *D. Chytræo* de optimâ notâ fuerat commendatus, impetravit.

Poſt obitum Patris A. 1586. Succeſſor ejus unanimi omnium conſenſu deſignatus eſt, poſtquàm prius Dominicâ II. poſt Epiphan. pro Concione domeſticâ *Martisburgi* in Templo Cathedrali publicè eſſet auditus, quâ finitâ ſtatim vocationem legitimam accepit, deinceps *Lipſiæ* publico Ordinationis ritu confirmatam.

Eccleſiæ Paſtor Scheudnicii.

Poſtquàm autem in Patriâ hâc ſuâ 14. annos fideliter docens Chriſto inſerviiſſet, A. 1600. deſignatus fuit Superintendens *Delicianus*.

Superint. Delicii.

A. 1610. *Wittenbergam* animi recreandi causâ exſpatians cum *D. Johannem Forſterum*, amicum ſuum veterem, Facultatis Theol. tunc Decanum compellaret, perſuaſit hic ipſi, ut nomen ſuum unà cum duobus aliis Theol. Candidatis apud Collegium Theologicum profiteretur, ſicque Honores Magiſterii cum Doctoreis commutaret.

Ad quam petitionem, conſentiente Facultate Theologicâ, receptus, & honoribus Doctoratûs Theologici publicè exornatus fuit. Intereà præter ſpem & opinionem vocatio ei delata eſt ad Paſtoratum urbis *Altenburgi*, & Inſpectionem generalem totius Ducatûs *Altenburgici*, nec non Conſiſtorii ibidem Aſſeſſionem: quam Divinam vocationem agnoſcens de Conſilio Theologorum *Lipſienſ.* & *Wittebergenſ.* acceptavit, hujusque ſui officii ipſo feſto Natalitio Chriſti A. 1600. felix fecit auſpicium.

Doctor Theologiæ.

Superint. generalis Altenburg.

A. 1586. Poſtquàm deſignatus patriæ Paſtor audiret, matrimoniali fœdere ſibi junxit *Liborii Fiſcheri*, Camerarii & Senatoris *Pegavienſis* filiam virginem *Annam*, quâ cum 29. annos caſtè & manſuetè vixit, & liberos 10. ex eâ ſuſcepit, è quibus 4. fatis ante eum conceſſerunt, ſex ſuperſtites manſerunt, tres nimirum filii, *Samuel*, *Anſelmus*, & *Abrahamus*, totidemque filiæ *Anna*, *Martha* & *Eliſabetha*, quarum natu major *Anna* A. 1612. elocata fuit *M. Thomæ Weinrichio*, Eccleſ. *Meiſelovitienſis* tunc Paſtori, poſteà Eccleſiæ *Lipſ.* ad *D. Nicolai* Symmiſtæ.

Conjugium ejus.

Tandem catarrho apoplectico ſubitò correptus, quem nec Medicorum ſolertia avertere, nec vis ulla pharmacorum compeſcere potuit, poſt 12. horarum ſpatium in Chriſto placidè exſpiravit, 11. Nov. A. C. 1615. ætatis 63. *Moritur.*

* *Ex Oratione Parentali M. Joſephi Clauderi, Poëtæ & Scholæ Altenburg. Rectoris.*

ADAMUS ROMERIUS.

Obiit A. C. 1616.

Stenzicæ ad *Iſtulam* natus, & in Academiâ *Cracovienſi* linguâ utrâque egregiè imbutus, quin imò & Laureâ Philoſophicâ utrâque decoratus, ſuæ gentis induſtriam, quam navigationi impendunt, ad Theologiæ ſtudium felici conatu traduxit, Doctorque Theologiæ *Romæ* renuntiatus ſacras *Cracoviæ* literas aliquot annis publicè interpretatus eſt.

Theologiæ Doctor & Profeſſor Crac.

Pòſt ad *D. Nicolai* ædes in ſuburbio præfectus totus ſtudiis deditus, ſpartam, quam nactus eſt, ornare non deſtitit.

Nomen ejus per univerſam *Poloniam* viguit, cum ob eximium pietatis zelum, tum ob eruditionem ſingularem.

Proventûs Eccleſiæ ſuæ & adjuncti Hoſpitalis ab anteceſſoribus amiſſos impenſo labore & curâ apud ſubſellia Tribunalia reſtitui procuravit, & gregem ſuum verbo DEI pavit Eccleſiaſtes egregius. *Concionator.*

In medio tandem laborum curſu vivis ereptus, magnum ſui poſteritati reliquit deſiderium A. C. 1616. *Moritur.*

Funus honorifico tumulo in curationis ſuæ Templo pro meritis donatum, perorante Reverendo Patre *Sebaſt. Nucerino*, Theol. Doctore & Concionatore in Baſilicâ *D. Stanislai*.

Scripſit:

Scripſit:

Comment. in Ciceronis Orationes.
Lib. de informando Oratore.
Comment. in Grammaticam Linacri.

* *Ex Elogiis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii.*

Flor. A.C. 1616.

FRANCISCUS GODWINUS.

Theologiæ Doctor. Subdecanus Oxonienſis.

SAcræ Theologiæ Doctor, Subdecanus *Oxonienſis, Thomæ Godwini* filius, (*Bathonenſis* olim ac *Wellenſis* Epiſcopi,) *Haningtonæ* natus in Comitatu *Northantonenſi*, in æde verò Chriſti *Oxoniæ* educatus. *Elizabethæ* Principis (quæ annos jam quatuor regnaverat) deſignatione, Eccleſiæ *Landavienſis* Miniſterio admotus eſt, & in Eccleſiâ *Weſtmonaſterienſi* conſecratus Novembris 22. 1601.

Miniſter Eccleſiæ Landav.

Edidit *Commentarium de Præſulibus Angl.* usque ad annum 1614.

Obiit A.C. 1616.

JOHANNES CAPPELIUS.

MUndum ingreſſus eſt M. Febr. A. C. 1566. *Oetisheimii*, pago *Würtenbergico*, ex parentibus tenuis ſortis, ſed honeſtis.

A. ætatis 13. miſſus in Scholam *Vaybingenſ.* adeò profecit in literis, ut mox inter alumnos Ducales Scholæ Cœnobialis *Hirſchaugienſis* promotus fuerit.

Alumnus Ducis Würtenberg.

A. 1588. In Academiâ *Tubingenſi* Ducis ſtipendiarius ſtudia ſua continuans A. 1590. Magiſter Artium cum laude & honore renuntiatus, eique in Diſputationibus Philoſophicis Præſidis fungi munere conceſſum eſt.

Magiſter Artium.

A. 1591. In Scholâ Cœnobiali *Bebenhuſæ* Præceptorem egit usque ad A. 1593. quo clementer dimiſſus à *Ludovico*, Duce *Würtenbergico*, prægreſſâ vocatione legitimâ, Rector Scholæ *Amberg.* & Eccleſiæ Paſtor conſtitutus eſt.

Rector Amberg. & Concionator.

A. 1597. Indè propter Religionis diſſidia diſcedere coactus in patriam rediit, & pagi *Würtenbergici Poppenweiler* Paſtor factus eſt. Indè vocatus A. 1600. in oppidum Imperii *Biberacum* ad Eccleſiæ Paſtoratum, tandem A. 1605. Concionator *Campidonenſis* prægreſſâ vocatione legitimâ, clementique Ducis *Würtenbergici Friderici* dimiſſione conſtitutus *Joſaphato Weinlino* ſucceſſit. Scholæ ibidem inſpectionem cum laude geſſit, in eâque ſæpiùs ipſe docuit.

Paſtor pagi Poppenweiler. Concionator Biberaci, & Campoduni. Scholæ Inſpector.

A. 1593. Uxorem primam duxit, ex quâ 6. ſuſcepit liberos antè matrem denatos.

Duplex ejus Conjugium.

A. 1601. Duxit alteram, ex quâ 4. filios, duasque filias reliquit cum matre ſuperſtites.

Catarrho tandem apoplectico correptus exſpiravit 10. Jan. A.C. 1616. æt. 50. *Campoduni.*

Moritur.

* *Ex Concione fun. M. Friderici Raphen, Concionat. Campod.*

Obiit A.C. 1616.

CAROLUS GALLUS.

NAtus eſt *Arnhemii, Geldriæ* oppido, ex patritiâ familiâ, 16. Aug. A. C. 1530. Adoleſcens *Coloniæ Agrippinæ* initio Juri operam dedit, ejus verò mediocri cognitione tinctus, mutato ſtudio, Evangelicæ Religionis zelo ductus *Genevam* conceſſit, ſtudiumque Theologiæ arripuit, ſub Præceptoribus *Johanne Calvino* & *Theodoro Bezâ.*

Juris Studioſus, & Theologiæ.

Peragratâ deindè reliquâ *Galliâ* in *Germaniam* ſe transtulit. Redux in patriam, ob perſecutiones pericula plurima ſuſtinuit. Deindè *Daventriam* evocatus, ibi fidelem Verbi Divini Præconem egit.

Miniſter Daventriæ,

Sed turbatâ ibi propter Pontificiorum perſecutiones Eccleſiâ à Duce *Clivenſi Wilhelmo Hammoniam Marchiæ* oppidum eſt revocatus, ibique 16. annos Paſtoris munere in Eccleſiâ defunctus, indè turbis *Anabaptiſtarum* ejectus, tandem *Lugduni Batavor.* accerſitus à Dominis Curatoribus, Theologiæ Profeſſor conſtitutus eſt A. 1587. In hâc vocatione ſeptennium verſatus, patriam quaſi poſtliminiò repetiit, ubi etiam vitâ deceſſit 28. Januarii A. C. 1616. ætatis 86.

& Hammoniæ. *Moritur.*

Edidit:

Clavem Propheticam novam Apocalypſeos S. Johannis. *Scripta.*

Librum Germanicum contra errores Anabaptiſtarum.

* *Ex Vitis Profeſſor. Leyd.*

Obiit A.C. 1616.

PHILIPPUS HEILBRUNNERUS.

NAtus eſt *Lauffæ*, Duc. *Würtenbergici* oppido ult. Junii A. 1546. Pater ipſius ejus loci Paſtor Eccleſiæ obiit *Entzwailingæ* A. 1564. æt. 42. Avus paternus *Philippus* præfuit Eccleſiæ *Auracenſi*, tandemque emeritus rude donatus eſt.

A. 1562. *Tubingam* venit *Philippus*, ibique A. 1566. Philoſ. Magiſter creatus eſt.

Philoſ. Magiſter Tubingæ.

Abindè Theologiæ ſtudio ſe mancipans, & non multò pòſt *Luſtnaviæ* in pago non procul *Tubingâ* diſtante Paſtor Eccleſiæ conſtitutus, indè ſolitus eſt *Tubingam* itare Lectionum & Diſputationum Theol. gratiâ A. 1569.

Paſtor Eccleſiæ Luſtnavienſis.

A. 1571. *Bernhuſii*, in diœceſi *Stutgardianâ*, Paſtor Eccleſiæ factus.

A. 1574. *Lauingæ* in Gymnaſio Theol. Profeſſor publicus deſignatus eſt à *Philippo Ludovico, Comite Palatino*: ſimùl etiam in Eccleſiâ concionando docuit.

Theologiæ Profeſſor Lauingenſis.

A. 1577. *Tubingæ* cum fratre *Jacobo* & *Johanne Weſenbecio Ulmenſi*, Promotore *Jacobo Heerbrando*, Theol. Doctor renuntiatus eſt.

Theologiæ Doctor.

A. 1601. Interfuit Colloquio Theologico cum Pontificiis *Ratisbonæ* habito.

Intereſt Colloquio Ratisbonenſi.

A. 1602. *Lauingæ* Inſpector, & Scholarcha Eccleſiarum ejus Provinciæ declaratus eſt in locum *M. Abrahami Mannli.*

17. April. tandem A. 1616. æt. 70. placidè in Domino obdormivit. *Moritur.*

2. Junii A. 1567. Primas nuptias celebravit in Cœnobio *Hirſchavienſi* cum virg. *Agnete*, D. *Henrici Weickersreiteri*, Abbatis ibidem filiâ, ex quâ quatuor filios ſuſcepit, & tres ſuperſtites reliquit. *Uxores Heilbrunneri.*

8. Maji A. 1581. Alteram uxorem duxit *Lauingæ*, *Matthæi Zebelini* hoſpitis ibidem filiam *Barbaram*, quæ 6. ipſi filios, quatuorque filias peperit.

Edidit: *Scripta.*

Vaticinia Jeſaiæ, Jeremiæ, Ezechielis & Danielis in locos communes Theologicos digeſta.

Duodecim minorum Prophetarum vaticinia ſimili modo illuſtrata.

Synopſin variorum hujus temporis errorum.

* *Ex Melch. Adami vitis Theol. Germ.*

URBANUS PIERIUS.

Obiit A.C. 1616.

NAtus eſt in oppido *Sueto* ad *Viadrum* in *Marchiâ* ſito, parentibus humilis ſortis A. 1546.

Adoleſcens â *Martino*, *Comite Hohenſteinio*, oppidi Domino, ſtudiorum gratiâ *Francofurtum* ad *Oderam* miſſus eſt, dato ei in annos aliquot ſtipendio. Ibi Juris ſtudium primò amplexus, uxorem duxit Cauſidici cujusdam divitis filiam. Sed ab obitu ſoceri totum ſe ſtudio Philoſophico & Theologico dedit. *Juris Studioſus Pierius uxorem ducit.*

Ibidem ab *Andreâ Muſculo*, Theol. Doctor renuntiatus, & ejusdem Profeſſor declaratus eſt. *Theologiæ Doctor & Profeſſor.*

Exindè in urbem *Brandeburgum* evocatus, primarium ibidem Eccleſiæ Paſtorem egit. Poſteà *Cuſtrinum* accitus, & ibi aliquantiſper Eccleſiæ concionando præfuit, donec ab Elect. *Saxoniæ Chriſtiano I*, qui Concionibus ejus in *Marchiâ* aliquando interfuerat, *Dresdam* evocatus, ſimùl Civitatis Superintendens & Aulæ Concionator deſignatus eſt. *Paſtor Eccleſiæ Brandeburgicus.* *Dresdenſis Superintendens & Concionator aulicus.*

Wittenbergam indè miſſus, de conſilio, ut volunt, *Nicolai Crellii*, Cancellarii, primò Vice-Paſtor, deindè A. 1590. Academiæ Profeſſor, Eccleſiæ Paſtor, & Superintendens â *D. Henrico Majo* publicè in Templo eſt declaratus. *Prof. Theol. Witteberg.*

Ut primùm autem *Wittenbergæ* docere cœpiſſet, & quædam aliter, quàm in libro Concordiæ ſcribuntur, explicâſſet, inprimis propter exorciſmum in Baptiſmo omiſſum, in odium non ſolùm plebis imperitæ, ſed etiam Studioſorum incurrit. Undè libellis famoſis ferè quotidiè fuit proſciſſus, & ædes ejus ſæpè furioſè oppugnatæ. *Odium multorum contrahit.*

A. 1591. Electore *Chriſtiano* rebus humanis exemto, cum Dux *Sax. Fridericus Wilhelmus*, Adminiſtrator, viſitationem Eccleſiarum inſtituiſſet, *Pierius* cum aliis Theologis in publico *Wittenbergæ* Concilio hæreſeos *Calvinianæ* damnatus, & â duobus oppidi Conſulibus in carcerem arcis ductus, ultraque annum in eo detentus eſt. *In carcerem ductus Pierius.*

Indè A. 1592. Interceſſione *Angliæ* Reginæ *Eliſabethæ* liberatus, *Serveſtæ Anhaltinorum* aliquantiſper commoratus, poſteà *Ambergam ſup. Palatinatus* opp. migravit, ubi cum *Johanne Salmutho*, Theol. Licentiato, principem locum obtinuit. *Ambergæ docet,*

È *Palatinatu Bremam Sax.* Urbem vocatus, eò commigravit, & Verbum DEI docuit Collegâ *Chriſtoph. Pezelio.* *& Bremæ.*

Ibidem ad meliorem vitam abiit 12. Maji A. 1616. ætatis 70. *Moritur.*

Scripta ab ipſo edita ſunt: *Scripta.*

Oratio περὶ τῆς ἀνθρωποποιήσεως *Chriſtianæ.*

Typus doctrinæ orthodoxæ de Perſonâ & Officio Chriſti.

Examen Concionis in funere Nicolai Crellii capite plexi, quondam Cancell. Sax. â Nicolao Blumio habitæ.

Formulæ precum.

Confeſſio publica: Abſolutio & precatio.

Brevis repetitio doctrinæ de Perſonâ & Officio Chriſti in 3. Diſputationes diſtributa.

* *Ex Melchioris Adami Vitis Theol. Germ.*

PHILIPPUS HAHNIUS, vel GALLUS.

Obiit A.C. 1616.

MUndum ingreſſus eſt *Halle Saxonum* 1. Maji A. C. 1558. Patre *Georgio Hahnio*, Secretario & Camerario Reip. *Hallenſis*, Avo *Petro Hahnio*, Conſiliario aul. *Anhalt.* & Conſule *Cothenæ*, matre *Clarâ*, *Wolfgangi Weſeneri*, Principis *Magdeburgici* in urbe *Hallenſi* Sculteti.

Cum puer in Scholâ patriâ, ſub Rectore *M. Jacobo Fabritio*, & privatim ſub Præceptore *Henrico Steinkolio*, poſteà Diacono *Aſcherslebienſi* literarum primitias percepiſſet, A. 1570. intercedente Principe *Joach. Friderico*, Adminiſtratore *Magdeburgenſi*, ab Abbate *Bergenſi Petro Ulnero* in Scholam cœnobialem receptus, anno ſequenti *Magdeburgum* â Patre miſſus eſt ad Paſtorem Templi *S. Catharinæ* M. *Henricum Laurentii* ſibi agnatum, & annos aliquot Scholam apud *Franciſcanos* ſub Rectoribus M. *Edeno Hulderico*, & M. *Georgio Rollenhagio* frequentavit. *Diſcipulus Bergæ, Magdeburgi.*

A. 1576. Propter peſtis contagia *Brunſvigam* diſcedens, in Scholâ *S. Catharinæ*, ſub Rectore M. *Matthiâ Bergio*, ſtudia continuavit, & converſatione *D. Martini Chemnitii*, Theologi celebris, affinis ſui gaviſus, Theologiæ ſtudium inchoavit. *Brunſvigæ.*

A. 1577. In Academiam *Jenenſem* ſe conferens, ibi *M. Caſpari* Dialect. Profeſſ. uſus convictu, cum duobus fratribus, mox anno ſeq. peſte ingruente, unà cum fratre *Wolfgango*, patris juſſu, *Wittenbergam* diſceſſit, & Superintendenti *D. Polycarpo Lyſero* charus, cum eodem A. 1580. Synodum *Dresdenſem* acceſſit. *Theologiæ Studioſus Jenæ.* *Wittenbergæ.*

20. Martii A. 1582. *Wittenbergæ* Magiſterii gradum ſuſcepit unà cum contuber- *Philoſ. Magiſter Wittenb.*

nali

nali ſuo *Theodoſio Fabritio*, Superintendente poſteà *Buttingenſi*.

Anno ſeq. *Heidelbergam* concedens, præter alios Theologos *D. Philippum Marbachium* publicè docentem audivit.

Tubingæ Diſput. valedictoriam habuit.

Indè *Tubingam* in convictum M. *Martini Cruſii* venit, Theologos famâ claros *D. Jac. Andreæ, Gerlachium* & *Snepſium* profitentes audivit, & A. 1585. publicè Diſputationem valedictoriam ſub Præſidio *D. Jacobi Heerbrandi* habens, paulò pòſt *Wittebergam* reverſus eſt, & diſcipulum nactus Mareſcalli *Saxonici* filium, per quadriennium ſtudia Theologica continuavit.

Eo tempore, permiſſu *D. Georgii Mülleri*, Cancellarii, ſemel in ſeptimanâ in Templo Arcis & Cathedrâ *D. Lutheri* concionatus, biennii ſpatio *S. Johannis Epiſtolam I.* & Prophetam *Joëlem* declaravit.

Hebraicas Epiſtolas ſcripſit.

Linguæ ibidem Hebrææ perfectè diſcendæ deditus, multas in eâdem *Epiſtolas* ad amicos ſcripſit: ideò *Wittenbergæ* Hebræus in Oratione publicâ nominatus eſt à *D. Laurentio Drabitio*.

A. 1589. *Hallæ* in patriâ ad Eccleſiæ Miniſterium vocatus, prægreſſis examine & ordinatione conſuetis, Subdiaconus factus eſt.

Diaconus primar. Hallæ Sax.

A. 1591. Collegæ ſuo *Ulrico Volmaro* vitâ defuncto, in Diaconatûs ſuperioris munere ſucceſſit.

Concionator primar. Magdeburg. & Theol. Doctor Jenæ.

A. 1598. In locum *D. Sigfridi Sacci* Concionator primarius *Magdeburgi* conſtitutus, brevi pòſt in Academiâ *Jenenſi* Theol. Doctor ſolenniter renuntiatus eſt.

Conjugium ejus, & Liberi.

A. 1589. S. Miniſterio initiatus, matrimonii fœdere junctus eſt cum virgine *Barbarâ*, Dom. *Caſp. Ludwigeri*, Scabini *Magdeburgo Hallenſis* filiâ, ex quâ 13. liberos ſuſcepit, ſuperſtites verò reliquit filios, *Georgium*, Philoſ. Magiſtrum, *Caſparum, Philippum*, ad *S. Sebaſtianum* Vicarium; filias verò *Annam*, Dn. *Adolpho Marco*, Comit. *Barbienſ.* & *Stolberg.* Conſiliario nuptam, *Mariam* D. *Paulo Röbero* Theol. Prof. *Wittenberg.* elocatam, *Euphroſinam*, *Barbaram Catharinam*, & *Claram Sophiam* virgines.

Æger tandem ſeptimanas aliquot decumbens, fruſtrà *D. Valentino Rupitio*, Medico, remediis generoſis opem ferente, & præſente cum filiâ genero *D. Paulo Röbero*, Theologo *Hallâ* acceſſito, placidâ morte

Moritur.

ſublatus exſpiravit M. Aug. A. C. 1616. ætatis 59. Miniſt. 28.

Edita ab eo ſunt:

Scripta.

Confeſſio Auguſtana τετράγλωττος, *& tria Symbola tribus linguis primariis, ex quibus Hebraicam verſionem ipſe fecit.*

Poſtilla Evangelica, cum Appendice.

Poſtilla Apoſtolica, in 4to.

Poſtilla Prophetica.

XXX. Homiliæ in Prophetam Jonam, in 8.

Mons myrrhæ & collis thuris.

Geiſtlicher Weyrauch-Hügel und Myrrhenberg.

Antidotum Wellerianum.

Peſtis triduana, in 4to. Germ.

V. Predigten über den 20. Pſalm/ in 4.

Chriſtliche Landtags-Predigt/ in 4to.

Büchlein / aller Capitel Altes und Neues Teſtaments kurzer Innhalt/ ſamt einer nutzlichen *Chronologiâ*, und ſchönen Figuren/ in 4to.

Χειρόδωρα. *III.* Weinacht-Predigten von Chriſti Beſcherung/ in 4to.

Gemmæ Evangelicæ τετράγλωττοι.

Concionum funebrium Volumina III.

Kinder-Büchlein.

Kirchen-Buch.

Wittwen Spiegel/ eine Predigt/ in 4to.

Haus-Spiegel / das iſt / Chriſtlicher Bericht und Unterricht des H. Eheſtandes/ in 8vo.

* *Ex Tomo I. Arcûs triumphalis*, vel *Concionum funebrium D. Pauli Röberi, Theol. Prof. Wittenberg.*

D. JACOBUS SCHOPPERUS.

Obiit A. C. 1616.

In oppido Imperiali *Biberaco* natus eſt, patre *Jacobo Schoppero*, Verbi Divini Miniſtro, matre *Johannis Volmarii*, Senatoris ibidem filiâ, 1. Nov. A. C. 1545.

Fit Philoſ. Magiſter Tubingæ.

Cum puer patrem amiſiſſet, & indoles ad ſtudia prona in ipſo ſe manifeſtâſſet, matris & agnatorum conſilio ex Scholâ patriâ in Univerſitatem *Tubingenſem* amandatus eſt, in quâ ſingularis eruditionis ſpecimina edidit, & Philoſ. Magiſter creatus eſt A. C. 1561. ætatis 16.

Eccleſiæ Paſtor Biberaci.

Tum *Biberacum* revocatus, Eccleſiæ Paſtor factus, & deſponſatus eſt cum virgine *Catharinâ Eggelsbachiâ*, cum quâ 7. liberos generavit, ex quibus tres filios cum filiâ reliquit ſuperſtites.

Hâc anno conjugii 15. vitâ defunctâ biennio pòſt alteram duxit virg. *Sabinam, Arſatii Schechneri*, Conſulis *Monacenſis* p. m. filiam, ex quâ 6. ſuſcepit filios, duaſque filias, omnes ſuperſtites.

Theologiæ Profeſſor Hornbaci.

Biberaco Pontificiorum inſtinctu depulſus, *Hornbaci* in ditione *Palatinâ Bipontinâ* S. Theologiam profeſſus eſt, donec ab Electore *Palat. Ludovico* vocatus *Heidelbergam*,

Heidelbergæ Theol. Doctor, Prof. & Sapientiæ Inſpector.

gradum ibi Theol. Doctoris adeptus, & ejuſdem Profeſſor Publicus, ac Collegii Sapientiæ Inſpector conſtitutus eſt A. 1582.

Onolsbaci Concionator aul.

Sed & indè diſcedere coactus ob Religionis diſſidium A. 1585. *Haidecci* primùm Superintendens, deindè *Onolsbaci* Concionator Aulicus Marchionis *Georgii Friderici*, demùm Paſtor Eccleſiæ primarius *Ambergæ* factus eſt.

Theol. Profeſſor Altorfii.

A. 1598. A Senatu *Norimberg.* vocatus in Academiam *Altorffinam* S. Theol. Profeſſoris & Eccleſiaſtis primarii munere per annos 18. ibi functus eſt, donec diarrhæâ correptus ſenſim in lienteriam deſinente

Moritur.

placidè in CHRISTO exſpiravit 12. Sept. A. C. 1616. ætatis 71. Tunc Acad. Rector.

Libros typis evulgavit:

Scripta. Chriſtliche Predigten von der heiligen Tauff.

Auslegung des H. Propheten Daniels von den 70. Wochen.

Bibliſch Edelgeſteinbüchlein.

Sterbkunſt.

Bericht / wie ſich ein Chriſtliches Kriegsheer und Kriegsmann in einem Chriſtlichen nothwendigen Krieg halten ſoll/ in 8vo.

Regulæ concionandi in uſum S. Theol. Studioſorum collectæ, in 8vo.

Orationes tres: I. De Encomio Academiarum & Scholarum Chriſtianar. II. De Noricæ Gentis veteri Idololatriâ Ethnicâ, in 8. *III. De Vitâ Prophetæ Danielis*, in 8vo.

* *Ex Programm. fun. Pro-Rectoris Altorf. & ex Conc. fun. D. Georgii König.*

JACOBUS SCHOPPERUS.

Per *Anagr. G. Theod. Hoſm.*

Probus voce paſcis. Vel: *Hoc uſu probè paſcis.*

Obiit A.C. 1616.

BARTHOLOMÆUS MEYER.

ALfeldiæ *Heſſorum* natus, primis literarum in patriâ rudimentis poſitis, primo ætatis ſuæ tempore in ſtudiis literarum *Marpurgi* conſumpto, cum eſſet felicisſimi ingenii, omnes in ſtudiis fecit progreſſus, ut 21. ætatis annô ibidem honores adeptus, Scholaſticos publicè privatimque cum laude docere cœperit.

Literis autem divinis impensè deditus quidem, Grammatices tamen tàm Græcæ quàm Latinæ atque rudimentorum Mathematicorum egit Profeſſorem.

Profeſſor Phyſices. Phyſicam dein aliquandiu profeſſus cum eſſet, injunctum tandem illi jam tum ætatis 26. annos Concionatoris Teutonici Ordinis vices ſuſtinenti, ut unà cum *Lonicero* Theologiam deinceps doceret, & Pſalmos Theol. Studioſis interpretaretur. Concionator. Profeſſor Theologiæ.

Interrupit tamen opus *Philippus Heſſorum* Princeps, & Rectoratum, qui Cal. Jan. ei commiſſus fuerat, eò quod virum *Marpurgo Caſſellas* 10. Maji avocavit, ut Concionatorem primùm Aulicum, ac deindè Superintendentem ibidem ageret, vices ejus *Marpurgi* ſubeunte *Wigando Hapelio*. Concionator aulicus & Superintendens.

Moritur. Obiit ibidem tribus annis ſeptuagenario major in CHRISTO feliciter, placidâ morte anno 1616. Octobri 16.

* *Ex MSS. Marpurg.*

Obiit A.C. 1616.

LEONHARTUS HUTTERUS.

ULmæ *Suevorum* metropoli natus A. C. 1563. Patrem habuit *Leonhardum, Eccleſiaſten Nöllingenſem* primò, deindè *Ulmenſem*. Mater ei fuit *Anna Höſlichia*.

In Patriâ educatus per liberalium artium cultum pueritiam adoleſcentiamque tranſegit.

Indè magiſtram ſtudior. *Argentinam* nactus, ibi totis annis 10. hæſit, & A. 1583. à *Johanne Pappo*, Theologo ſummo, Philoſophicam Lauream accepit. Ab eo tempore totum ſe ſtudio Theologico addixit. Fit Philoſophiæ Magiſter.

A. 1591. *Argentinâ Lipſiam* digreſſus, indè exacto biennio *Heidelbergam* petiit, ſed ut cum *Thuringorum* Academiâ, quæ *Jenæ* eſt, commutaret. Seq. A. 1594. ſummos in Facultate ſuâ honores ambire inſtituit, quos etiam conſecutus eſt. Doctor Theologiæ.

A. 1596. *Wittenbergam* vocatus, inter publicos Theol. Profeſſores auctoritate Principis cooptatus. Profeſſor Theol.

A. 1599. M. Oct. *Barbaram Manlichiam Auguſtanam* ſplendidis ortam natalibus *Ulmæ Svevor.* ſolennibus nuptiis ſibi junxit, ex quâ tamen nullos ſuſcepit liberos. Nubit.

Rectoratum Academiæ ter geſſit, quartum octiduo antè obitum auſpicatus eſt.

Febre ardente tandem cum per ſeptimanas aliquot afflictus fuiſſet, in quartanam degenerante, viribus fatiſcentibus morte beatâ vitam finiit 28. Octob. A. C. 1616. ætatis 53. Moritur.

* Ex Programm. fun. *D. Ambroſii Rhodii*, Med. & Math. Prof. & ex Conc. fun. *D. Frid. Balduini*.

* * *

LEONHARDUS HUTTERUS.

Per *literarum haud vanam tranſpoſitionem*:

REDONATUS LUTHERUS.
LEONHARTUS HUTTERUS.
AH TU NOSTER LUTHERUS.
Vel: NOTUS ARTE LUTHERUS.
Vel: TANTUS ERO LUTHERUS.

EPITAPHIUM:

Epitaphium. LEONHARTI HUTTERI, ULMENSIS, S. THEOLOGIÆ DOCTORIS, EJUSDEMQUE IN HAC ACADEMIA PROFESSORIS CELEBERRIMI, ANNIS FERE XXI. COLLEGII THEOLOGICI SENIORIS, JAM QUARTUM RECTORIS, ÆTATIS ANNO LIII. PIE DEFUNCTI, ANNO CHRISTI M DC XVI. SEPT. XXIII. CORPUS HOC MONUMENTO SEPULTUM EST.

Edidit:

Scripta. *Compendium Theologiæ, cum Notis D. Gotofredi Cundiſii.*

Explicationem Libri Concordiæ Chriſtianæ, in 8vo.

Locos Communes Theologicos, in fol.

Formulas concionandi, in 8vo.

Refutationem Bellarmini de Sacrificio Romano Miſſatico, in 8vo.

Analyſin Methodicam Auguſtanæ Confeſſionis Articulorum XXIV. Diſputationibus comprehenſam, in 4to & 8vo.

Trium-

Triumphum de Regno Pontificio, in 4to.

Diſputationes de Verbo DEI ſcripto, & *Traditionibus non ſcriptis*, in 4to.

Diſputationes pro Formulâ Concordiæ, in 4.

Exetaſin Theologicam de Voluntate DEI, circa æternum Prædeſtinationis decretum.

Concordiam concordem, ſive originem & progreſſum Formulæ Concordiæ Eccleſiarum Auguſtanæ Confeſſionis, in fol. & in 4to.

Meditationem Crucis Chriſti, ſive *Homilias in Hiſtoriam Paſſ. & Mortis Chriſti*, in 8vo.

Epitomen Biblicam, kurtzen Begriff aller Capituln der gantzen H. Schrifft/ in 8vo.

Widerlegung 3. Bezüchtigungen/ welche wider die Lutheriſche Kirchen-*Confeſſion* ausgeſprengt worden/ in 4to.

Widerlegung des heilloſen Geſprächs *Harminii de Moſá* und *Greg.* Brandenburgers/ in 8vo.

Bericht von ordentlichem und Apoſtoliſchen Beruff und Ampt der Lutheriſchen Evangeliſchen Prediger/ in 4to.

Calviniſtam Aulico-Politicum duplicem Germanicè, in 8vo.

Antwort auf das Berliniſche Geſpräch Hanns Knorren und *Benedict* Habrechten.

Sadeelem Elenchomenum, ſeu *Tractationem pro majeſtate humanæ naturæ* CHRISTI, in 8vo.

Iliadem malorum regni Pontificio-Romani, ſive *Hiſtoricam Diſſertationem de injuſto Pontificis Rom. in Eccleſiâ DEI dominatu*, in 4to.

Lectiones Evangeliorum & Epiſtolarum anniverſarias, Ebraicè, Græcè, Latinè, Germanicè, Harmonicè, & Symmetricè, in 4to.

Tabellas duas hæreſiologicas, in 8vo.

Collegium Theologicum, ſive *XL. Diſputationes de Articulis Confeſſionis Auguſtanæ*, & *Libros Chriſtianæ Concordiæ*, in 8vo.

Explicationem Epiſtolæ D. Pauli ad Galatas, in 12mo.

Irenicum Chriſtianum, ſive *Tractatum de Synodo & Unione Evangelicorum non fucatâ conciliandâ*, in 4to & in fol.

Orationes Parentales in Obitûs D. Æg. Hunnii, D. Salom. Geſneri, D. Georg. Mylii, D. Polycarpi Lyſeri.

Laudationes funebres Illuſtr. Principis Auguſti, Ducis Sax. & Elect. Chriſtiani II.

Diſputationes, de Libro vitæ, de Agno DEI, de peccato mortali & veniali, deque blaſphemiâ in Spirit. Sanctum, de Pace & Unione Lutheranorum & Calvinianor. Irenico D. Davidis Paræi oppoſit.

Examen der zu Franckfurt an der Oder gedruckten Glaubensbekänntnus der Reformirten Evangeliſchen Kirchen/ in 12mo.

Opera Hutteri in Templo Honoris Theophili Spizelii ſunt ſequentia:

Loci Communes Theologici ex Sacris literis eruti.

Diſput. X. de Verbo DEI Scripto & Traditionibus.

Sadeel Elenchomenus ſupra nomin.

Controverſia II. generalis de Perſonâ CHRISTI, *in Diſp. X.*

Irenicum Chriſtianum ſuprà dictum.

Diſputatio de Sacrificio Romanenſium Miſſatico.

Compendium Locorum Theologicorum.

Diſputatio pro aſſerendo integro Sacramento Cœnæ Dominicæ.

Refutatio 2. Librorum Bellarmini de Miſſâ.

Diſputatio pro Formulâ Concordiæ.

Diſputatio de Transſubſtantiatione & Proceſſionibus Pontificiis.

Collegium Theolog. in Acad. Witteberg. in XL. Diſput. diſtributum de Articulis Confeſſionis Auguſtanæ & lib. Chriſtianæ concordiæ.

Analyſis Auguſt. Confeſſionis XXII. Diſputationibus comprehenſa.

Diſputatio de Libro Vitæ & Quæſtionibus indè dependentibus.

Tabellæ duæ Hæreſeologicæ.

Concordia Concors.

De Prædeſtinatione.

Ἀπόδειξις ἀνασκευαστική, *Confutationem argumentorum, quibus Sacrificium Papale Miſſaticum falſò ſtabiliri ſolet, continens.*

Triumphus de Regno Pontificio.

Ilias Malorum Regni Pontificio-Romani.

Actio in Jacobum Gretſerum.

Meditationes Crucis Chriſti.

Laudationes funebres Auguſti & Chriſtiani II. Elect. Sax.

Opera *Germanicè* edita:

Epitome Biblica.

Solida inſtructio de Apoſtolicâ Vocatione Concionatorum Lutheranorum.

Calviniſta Aulico-Politicus.

Compendium Locorum Theologicorum.

Examen Confeſſionis Eccleſiæ Reformatæ.

Refutatio trium falſiſſimarum Imputationum.

De Vitâ, Moribus & Doctrinâ D. Georgii Mylii.

FRANCISCUS SVAREZIUS.

Obiit A.C. 1617.

Natione *Hiſpanus*, patriâ *Granatenſis*, primâ ætate vix exactâ DEO ſe in Societate Jeſu ſacravit, & per omnes diſciplinarum humanarum atque Divinarum gradûs ad culmen Sapientiæ aſcendit.

Societ. Jeſu ſacratus.

Philoſophicas ſcientias publicè docuit, Theologicas *Pinciæ*, *Romæ*, *Compluti*, *Salmanticæ*, & *Conimbricæ* profeſſus eſt, inque hâc Academiâ primariæ Theologiæ cathedræ magnâ cum laude præfuit.

Philoſ. & Theol. Profeſſor in Hiſpaniâ.

Obiit A.C. 1617.

Scripſit:

Scripta.

In Metaphyſica Ariſtotelis Tom. II.

De Concurſu, motione, & auxilio DEI Lib. III.

De Scientiâ DEI futurorum contingentium Lib. II.

De Auxilio efficaci.

De Reviviſcentiâ Meritorum.

De Juſtitiâ DEI.

Digitized by Google

Commentarior. & Diſputationum in tertiam partem Divi Thomæ Tom. IV.

Diſputationes de virtute Pœnitentiæ, de Clavibus & Sacramento Pœnitentiæ.

De extremâ Unctione.

De Purgatorio.

De Suffragiis & Indulgentiis.

Diſputationum de Cenſuris in communi, Excommunicatione, ſuſpenſione & Interdicto, item de Irregularitate Tom. V. additum ad tertiam partem D. Thomæ.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A.C. 1617.

GEORGIUS WEINRICHIUS.

Hirſchbergæ Sileſiorum die *Georgii* natus eſt A.C. 1554. Pater ei fuit *Balthaſar Weinrichius*, civis apud ſuos honoratus, mater *Magdalena Friſia*, eo nomine felices, quod præter hunc *Georgium* natu primum 4. adhuc generârint filios, qui in Eccleſiâ & Scholâ DEO contulerunt operam, *Thomam* nimirum Eccleſiæ *Hirſchbergenſis* annis 20. Paſtorem, *Martinum Lipſiæ* primùm in xenodochio *S. Johannis*, deindè *Gautſchii* Paſtorem, *Johannem* Miniſtrum Eccleſiæ in *Mölbis*, & M. *Melchiorem Weinrichium, Lipſiæ* in Scholâ ad *S. Thomam* Collegam.

4. habuit fratres Theologos.

Vix quartum agebat annum, cum mater pia filium hunc ſuum DEO prius conſecratum, non ſecus ac Hanna Samuelem manu ſuâ in Scholam patriam deduxit, & Rectori *Thomæ Coleto* tradidit erudiendum, cui deindè ſucceſſit *Chriſtoph. Schillingius.*

Paulum etiam *Knauerum* poſt Conſulem *Jauranum*, & *Georg. Amerinum* Præceptores habuit: quibus acceſſit cura privati Præceptoris M. *Pauli Jungii*, quem parens illi adjunxerat.

Undè factum, ut vix annos habens 15. Græcè & Latinè in proſâ ac verſâ purè loqueretur, & eleganter ſcriberet, adeòque Parentum voluntati, Præceptorum monitis, & votis amicorum egregiè reſponderet.

Vratiſlaviæ diſcipulus.

A.C. 1572. æt. 18. Gymnaſium *Vratiſlavienſe* ad *Mariam Magdalenam* petiit, Rectore tunc M. *Martino Helwigio*, Conrectore M. *Georgio Wincklero*, quibus fato defunctis, ſucceſſit *Nicol. Steinbergerus*, cui in ſtylo elegantiam & in carmine vires ſe debere ſæpiùs ingenuè faſſus eſt.

Præceptor privatus.

Nactus eſt ibidem inter alios patronos *Georgium Fürſt in Kupſenberg*, mercatorem primarium, qui menſâ ſuâ dignatum tres ei filios commiſit erudiendos, *Joſephum, Danielem, & Michaëlem.*

D. Lucæ Pollioni charus.

Familiariter ibidem innotuit *D. Eſaiæ Heidenreich*, Paſtori ad *S. Eliſabetham*, & *D. Lucæ Pollioni* ad *S. Mariam Magdalenam* Concionatori, qui *Weinrichium* ut filium adamavit, eique primam veræ pietatis & ſapientiæ viam commonſtravit: quare viciſſim eum hic ut parentem coluit, & ita ſuſpexit, ut ne verbulum quidem ab eo vel in lectione vel concione prolatum in auras abire pateretur.

Ejuſdem ſuavitatem in pronunciando, elegantiam in eloquendo, virtutem in perſuadendo, venuſtatem in diſponendo progreſſu temporis non æquavit ſolùm imitatione, ſed & æmulatione ſuperavit.

A. 1575. Cum diſcipulis ſuis *Zatecium* in *Bohemiam* miſſus, triennium ſubſtitit, cumque ſub Scholæ illius Rectore *M. Jacobo Strabone Clatovino* Philoſophiæ & doctrinæ ſphæricæ ſtudia percepiſſent, unâque linguam *Bohemicam* perfectè didiciſſent, A. 1578. cum laude in patriam reverſi ſunt. *Zatecii in Bohemiâ ſtud.*

25. Jan. A. 1579. *Vratiſlaviâ* relictâ, *Lipſiam* abiit, ubi ſub Rectoratu *D. Mich. Wirthii*, Jur. Prof. Ord. in numerum Studioſorum receptus, *Valentino Othmanno*, Patritio *Vratiſlav.* morum & ſtudiorum moderator præfectus eſt. *Lipſiæ.*

Ibi Philoſophiæ ſtudiis imprimis delectatus, modò cum *Gittero* in dumetis verſabatur Logicis, modò cum *Dreſſero* in Rhethorum campos excurrebat, modò cum *Steinmetzio* in Geometrarum pulvere ſe exercebat, modò in naturæ viretis duce *Hildenio* deambulabat, modò *Albino*, Poëtarum ocello, quam daret horam detrahebat prandio, modò denique *Harbarti*, tunc Philoſophi, privatâ utebatur manuductione.

A. 1580. Primam ibi Philoſophiæ Lauream conſecutus eſt, Promotore ſene venerando M. *Antonio Kliningio*, Grammatices tunc Profeſſore. *Baccalaureus.*

Eodem anno avocato diſcipulo ejus *Othmanno* alii duo Patritii *Pragenſes, Johannes & Sebaſtianus Cropazii â Krimlovâ* diſciplinæ illius ſe tradiderunt, quibuſcum anno ſequenti ob graſſantem *Lipſiæ* peſtem *Pragam* conceſſit, ibidemque per aliquot ſeptimanas commoratus, Profeſſores Collegii *Carolini Ariſtotelis* libros prælegentes audivit. *Pragæ ſtud.*

Indè verò *Lipſiam* regreſſus A. 1583. conſentientibus totius Senatus Philoſophici ſuffragiis, ſub Procancellariatu *D. Zachariæ Schilteri*, Theologi, Decano verò M. *Johanne Albino*, Poëſeos Profeſſore, Magiſter bonarum artium renunciatus eſt. *Lipſiæ Magiſter Philoſophiæ.*

26. Julii A. 1584. In ludo *Grimmenſi* ad *Muldam*, Scholaſticum munus ſuſcepit, introductus per Senem venerandum & Gymnaſiarcham *Adamum Siberum.* *In Scholâ Grimmenſi Præceptor per menſem.*

Sed vix ibi menſem traduxit, cum præter opinionem literas vocationis accepit â Senatu *Saltzenſi* in *Thuringiâ*, ad Miniſterium in æde *D. Bonifacii* cui vocationi paruit, & mox 6. Oct. *Lipſiæ* Ordinationis ritu conſueto ad Miniſterium conſecratus eſt. *Miniſter Eccleſiæ Saltzenſis.*

A. 1585. Ibidem nuptias celebravit cum virgine *Cæciliâ, Wolffgangi Peliccii*, Oeconomi *Nuptias celebravit.*

nomi in Cœnobio *Grimmenſi* filiâ, cum quâ 32. annis in conjugio pacato vixit, & 7. liberos genuit.

Liberi ejus. Ex his maximam natu filiam *Barbaram* A. 1604. nuptui collocavit *D. Valentino Krappio*, JC. ſupremo Curiæ Provincialis *Lipſ.* Aſſeſſori, ſuperſtites inſuper reliquit *Gotfridum* ſtudioſum, & *Sabinam*, reliquis autem *Georgio*, *Charitate*, & *Chriſtiano* præter opinionem orbatus fuit, omnibus intra triduum A. 1597. peſte extinctis, denique *Eliſabethâ*, quæ annis 4. pòſt in vivis eſſe deſiit.

Diaconus Lipſ. A. 1586. Novam vocationem ad *Lipſienſem* Diaconatum in Templo *D. Thomæ* accepit, Superattendente *D. Nicolao Selneccero*, & ad habendas Conciones Catecheticas fuit adhibitus usque ad A. 1589. quo paulatim ad altiora evectus Epiſtolas Dominicales in Concionibus veſpertinis explicando operam Eccleſiæ navavit.

Paſtor Eccleſ. ad D. Thomæ. A. 1591. Eccleſiæ Paſtor ad *D. Thomæ* â Senatu *Lipſ.* conſtitutus eſt, quam electionem Sereniſſ. Pro-Elector *Fridericus Wilhelmus*, cum prius Concioni ipſius interfuiſſet, manûs propriæ ſubſcriptione approbavit & confirmavit: ad quam functionem 9. Martii A. ſeq. 1592. in præſentiâ Miniſterii & Aſſeſſorum Dicaſterii Eccleſiaſtici pro more publicè introductus, commendatus, & initiatus eſt â *D. Wolffgango Hardero*, tunc temporis Superintendente.

Superintendens. A. 1564. Conſentientibus Senatûs ſuffragiis, â Paſtoratu ad ſupremam Inſpectionis curam evocatus & ratam habente vocationem Sereniſſ. Pro-Electore, tandem â *D. Michaële Wirthio*, Seniore Ordinario & Judicii Eccleſiaſtici Præſide, ſolenniter Miniſterio præſentatus & inauguratus eſt.

Conſiſtorii Eccleſ. Aſſeſſor. Eodem anno Judicii Eccleſiaſtici in Conſiſtorio Electorali Aſſeſſor, S. Theol. in Academiâ Profeſſor, & Canonicus *Cizenſis* conſtitutus eſt.

Theologiæ Baccalaur. Licent. & Doctor. Cum verò A. 1594. poſt experimenta ſolennia prima Laureæ Theologicæ rudimenta, & A. 1597. Licentiæ brabeuteria fuiſſet adeptus, tandem 8. Nov. A. 1599. Doctoris Theologi inſignia unà cum Dn. *Cornelio Beccero*, Paſtore Eccleſiæ ad *D. Nicolai* immaturè prærepto conſecutus eſt, ſtudiorum Dicaſtis & honorum Brabeutis *D. Zachariâ Sebiltero*, & *D. Burcarto Harbarto*.

Collegii B. Virginis Collega. Cum eodem anno è vivis exceſſiſſet *Jacobus Blumelius*, Jur. D. & Collegii B. Virginis Collega in ejus locum receptus eſt, in quo poſteà per 7. annos Præpoſiti functionem ſuſtinuit.

Rector Academiæ. A. ſeq. 1600. Academia ipſi faſces Rectoris detulit, quem cum onere conjunctum honorem ita tulit, ut omnes ſingularem Viri in rebus expediendis prudentiam, & indefeſſum de Republicâ benè merendi ſtudium laudarent.

Decanatum, qui per Theologos in orbem ire ſolet, geſſit ſexies. A. 1604. in locum defuncti *D. Zachariæ Schilteri* Canonicus *Miſnenſis*, â quatuor Academiæ nationibus renuntiatus, A. ſeq. 1605. ſolenniter inauguratus eſt per Nobil. *Joh. Erneſtum* ab *Haugwitz*, Capituli *Miſnenſis* Præpoſitum. *Canonicus Miſnenſis.*

Pro-Cancellarius. Excepit hunc honorem Procancellariatûs officium, quo eodem A. 1605. 2. & 3. Octob. præclarè functus eſt in promotione trium Theologiæ Licentiatorum, *D. Vincentii Schmuckii*, Paſtoris ad *D. Nicolai*, & Profeſſoris Academici, *D. Erhardi Lauterbachii*, ſupremi Inſpectoris & Aſſeſſoris Judicii in Præſulatu *Cizenſi*, & *D. Johannis Forſteri*, olim Prof. *Wittenberg.* & poſteà Inſpectoris generalis Eccleſiæ *Islebienſis*.

Decemvir Acad. Tandem cum A. 1614. ipſo die Concordiæ Senex venerandus *D. Burcardus Harbardus* fatis conceſſiſſet, ejus in locum ſubrogatus Decemvir Academiæ, Profeſſor Locorum communium, Facultatis Theologicæ & Nationis *Polonicæ* Senior electus & deſignatus eſt.

Singularem inſuper Principum *Sax. Altenburgenſium* & *Megapolenſium*, dum in Academiâ *Lipſ.* verſarentur, clementiam expertus eſt, è quibus natu majores Rectoratum ſuſpicientes decenti oratione commendavit.

Morbi ejus. A. 1610. Synodo Theologicæ *Dresdenſi* interfuit, ex quâ domum reverſum ad metam fatalem duxit quaſi conjunctus morborum manipulus, melancholia hypochondriaca, quâ multis jam annis anteà fuit afflictus, aſthma, vertigo & lipothymiæ frequentes, anorexia perpetua, ſanguinis exſcreatio, catarrhi ſuffocativi cor miſerè anguſtantis acerbitas; ita factum, ut naturâ ſuccumbente obierit, factus voti ſui compos ſeptennio antè â ſe ipſo concepti:

Vixi, & quem dederas curſum mihi, CHRISTE, *peregi:*
Pertæſus vitæ ſuaviter opto mori.

Tot doloribus excruciato ratio tamen ſemper conſtitit, quâ mentis integritate factum, ut paulò ante obitum DEO, Academiæ, Senatui, & Miniſterio gratias egerit pro omnibus in ſe collatis beneficiis.

Cumque jam hora mortis inſtaret, Præceptoris ſui *Lucæ Pollionis* ultima verba proferens: *Jam eo in vitam æternam:* placidè extinctus eſt 27. Januarii A.C. 1617. ætatis 63. *Obitus.*

VVEInrICHIVs MorIens VbI CœLICa teCta ſVbIVIt
IanVs ter nonVs ſVLſit In aXe poLI.

GEORGIUS WEINRICHIUS.

Per Anagramma G. Theodorici Hofmanni in Centuriâ Anagramm.

O vir gregis, vive, vinces.

O Vir, ô Cuſtos gregis, atque Doctor,
Ore qui grandis, calamoque felix,
Vive, tu vinces pietatis hoſtes
Auſpice CHRISTO.

Libri

Scripta. Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Commentarii in Epiſtolas Paulinas, quos in Academiâ publicè propoſuit.

Diſputationes de variis materiis Theologicis, quibus ipſe præfuit.

Conciones variæ.

Zwo Predigten von den H. Engeln/ in 4.

Speculum humanæ mortalitatis, in 6. Predigten gezeiget.

Geiſtlicher Biſenknopff/ in Sterbensläufften zu gebrauchen / *proponirt* in 6. Predigten/ in 4to.

Zwo Predigten von dem geiſtlichen Kauffmann und Perlenſuchen/ in 4to.

Erklärung der Sonntäglichen und Feſt-Evangelien und Epiſteln durchs gantze Jahr/ in fol.

Erklärung des kleinen Kinder-Catechiſmi/ in 4to.

Martyrologii Sanctorum Partes II. in 48. Leichpredigten begriffen: in 4to.

Predigt deß neuen Tauffſteins zu Leipzig/ in 4to.

Exodus Gnomologica Græco-Lat. in 8vo.

Thronus Chriſti, in 4to.

Das Geſicht Ezechielis in 7. Predigten erklärt / darinn von der Auferſtehung der Todten gehandelt wird/ in 4to.

Von viererley *Spectris* oder Schreckbildern/ wie man dieſelbigen/ ſo die ſterbenden Menſchen anfechten / mit GOttes Wort überwinden ſoll/ in 4to.

Funebria oder Chriſtliche Leichpredigten in 5. Theil/ in 4to.

20. Leichpredigten über das Sterbgebet *D. Eberi*: HErr JEſu Chriſt wahr Menſch und GOtt/ in 4to.

Chriſtlicher Bericht von der Unſterblichkeit der Seelen/ in 8vo.

Die *Hiſtoria* von der Verklärung JEſu Chriſti auf dem Berg Thabor / in 10. Leichpredigten erkläret/ in 4to.

3. Abend- und Morgenſegens-Predigten/ in 4to.

Bethaniſch Wunderwerck / oder Hiſtoria von dem ſeligen Abſterben und frölichen Auferſtehen des Land-Junckern Lazari/ in 28. Predigten erkläret / in 4to.

Hiſtoria von dem erweckten Sohn der Wittib von Sarepta / in 3. Leichpredigten/ in 4to.

Das ſchöne und geiſtreiche Geſicht in der Offenbarung Johannis im 7. Cap. in 6. Leichbegängnüſſen ausgelegt/ in 4.

Zwo Chriſtliche Jubelpredigten/ in 4.

* *Ex Concione fun. D. Vincentii Smuccii, Programm. Rector. Lipſ. & ex Orat. funeb. habitâ à M. Joſ. Stegmanno.*

Obiit A.C. 1617.

CHRISTOPHORUS BROWERIUS.

Societ. Jeſu addictus. Philoſ. Profeſſor Treviris.

NAtione *Belga*, patriâ *Arnheimenſis*, 12. Martii A.C. 1580. in Societatem Jeſu *Coloniæ* admiſſus juventutem politioribus literis expolivit, & *Treviris* Philoſophiam profeſſus eſt.

Hiſtoricus. Rector fuit Collegii *Fuldenſis*, & Antiquitatis Eccleſiaſticæ tum profanæ eruendæ ſtudioſus, quo nomine à Card. *Baronio Tomo X. Annal. Eccleſiaſt.* mirificè aliquoties laudatur.

Collegit magno labore peragratâ Provinciâ *Trevirenſi*, excusſisque omnibus archivis

Scripta. *Antiquitates Annalium Trevirenſium*, & *Epiſcoporum Trevirenſis Eccleſiæ Suffraganeorum, ut Metenſium, Tullenſium, & Verdunenſium.*

Evulgavit *Venantium Fortunatum*, à ſe *Notis illuſtratum*, & novis *Tractatibus* auctum.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

* * *

Opus 30. annorum. CHRISTOPHORUS BROWERIUS, *Geldro-Arnheimenſis*, per 30. annos Hiſtoriæ *Trevericæ* operam impendit. Quæ tamen, ſub *Philippo, Lotharii* Archi-Epiſc. *Trevir.* Succeſſore, typis, per invidorum ſubducta calumnias, lucem, diſſipatis lividorum nebulis, rurſum, ſub *Carolo* Electore auctior, conſpexit. Pluribus ille Scriptorum monumentis celebris, &

Opera reliqua.

Sidera illuſtrium Germaniæ Sanctorum,
Antiquitatum Fuldenſium Volumen,
Notas in Fortunati & Rabani Mauri Poëmata

evulgavit. Nec virtute, quàm eruditione minor, à *Fuldenſis* Rectoris officio, ad hiſtoriæ abſolutionem *Treviros* reverſus, anno 1617. ætatis 58. in hoc labore, calculi arthritidisque doloribus, per longa patientiæ experimenta, confectus eſt, ſuisque nobis in ſcriptis ſuperſtes relictus. Moritur.

* *Ex Epitome Annal. Trevir. Jac. Maſſenii.*

MATTHIAS PLATO.

Obiit A.C. 1617.

EX parentibus honeſtis natus eſt *Soldwedelæ* in *Marcâ Brandenburgicâ* A.C. 1545. Cum in Scholâ patriâ primùm, deindè *Magdeburgenſi* & *Brunſvicenſi* literarum fundamenta poſuiſſet, *Wittenbergam* ſe conferens, ibi Linguæ Græcæ & Hebraicæ, tum etiam Theologiæ ſtudiis operam dedit, Præceptoribus uſus *Friderico Widebramo, Caſp. Crucigero, Henrico Mollero*, & *Chriſtophoro Pezelio*, quos ſedulus profitentes audivit.

Conrector Soldwellæ. In patriam *Soldwellam* reverſus, Conrectoris aliquandiu munere functus eſt, ſed brevi poſt, eò quod *Formulæ Concordiæ* nomen ſubſcribere detrectâſſet, ab officio remotus, *Pragam* ſe contulit, ibi Pædagogum agens, donec *Ambergam* migravit, & indè Paſtor Eccleſiæ *Griesbacenſis* factus, non procul ab oppido *Türſenreit* dicto, biennium in eo munere exegit, ibique uxorem duxit *Evam Lochneriam* 5. Febr. A. 1577. Paſtor. Griesbac.

Non multò poſt cum poſt mortem Electoris *Friderici III.* Religio in *Palatinatu* mutaretur, dimiſſus, & ipſe in *Palatinatum*

infer.

infer. ad Principem *Johannem Caſimirum* migravit, à quo in *Palatinatum ſup.* remiſſus, *Schwartzhofii* Paſtor Eccleſiæ factus eſt A. 1582.

Amberg. Conſiliar. Eccleſiaſt. & Inſpector. Deindè *Neagoram*, & tandem *Ambergam* venit, ubi Conſiliarius Eccleſiaſticus & Inſpector Eccleſiæ factus A. 1584. eo in munere per annos 33. Verbum DEI fideliter docuit, tandemque, poſtquàm diu hydrope aſcite decubuiſſet, placidè in CHRISTO exſpiravit 1. Martii A.C. 1617. ætatis 72.

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta. **Kurtzer Bericht von den fürnehmſten Irrthumen des Pabſtthums.**

Liber vitæ, **das iſt / Chriſtliche und tröſtliche Gedancken vom Buch des Lebens.**

* *Ex Concione fun. Johannis Salmuth, Concionat. Amberg.*

CENOTAPHIUM
ejus:
MATTHIAS PLATO
HIC
SITUS EST
SINE EXEMPLO
PROBUS:
AST IN EXEMPLUM.

ANDREAS OSIANDER.

Obiit A.C. 1617.

NAtus eſt *Plapyræ* vel *Blaubeuræ*, opp. *Würtenbergico* 27. Martii A. 1562. Pater ei fuit *Lucas*, Theol. *Würtenberg.* & poſteà *Eslingenſis.*

A. 1576. Stipendiariorum *Würtenbergicorum* numero adſcriptus, citò pòſt primæ Laureæ Philoſophicæ promeruit honores.

Philoſoph. Magiſter. A. 1578. Alterâ Lauro Magiſterii decoratus anno ſeq. *Moringæ* pago ſuprà *Stutgardiam* Repetitioni, ut vocant, Aſtronomicæ præfectus eſt.

Diaconus Uracenſis. Uxorem ducit. A. 1584. Diaconus Eccleſiæ *Uracenſis* præpoſitus, eodem anno ſociam ſibi vitæ junxit virginem *Barbaram*, *Samuelis Hailandi*, Prof. olim Ethici filiam, quâcum concorditer annos 33. vixit, & 18. liberos ex eâ ſuſcepit, quorum 9. ſuperſtites reliquit.

Concionator aulicus Würtenbergenſis. A. 1586. Paſtor *Gigligenſi* Eccleſiæ præfectus, & anno 1588. Principi *Würtenbergico Ludovico* â Concionibus & Conſiliis eſſe cœpit.

Theologiæ Doctor. A. 1592. *Tubingæ* Doctorales honores adeptus eſt.

Abbas Adelbergenſis. A. 1598. Abbas Cœnobii *Adelbergenſis*, volente Principe *Friderico*, conſtitutus, & ſimul Eccleſiar. vicinarum Superintendens.

Tubingenſis Academiæ Cancellarius. 19. Martii A. 1605. Eccleſiæ *Tubinganæ* Præpoſitus, & Academiæ Cancellarius ſolenniter, præſente Principe *Friderico*, renuntiatus eſt.

Moritur. Tandem tuſſi tabificâ exhauſtus, placidè exſpiravit 21. April. 1617. ætatis 55. Sepultus in æde *Georgiana*, Concionem funebrem habente *Matthia Haſenreffero*, Theol. Profeſſore.

Libri ſcripti ſunt ab eo:

Scripta. *Papa non Papa, hoc eſt, Papæ & Papicolarum de præcipuis Chriſtianæ doctrinæ partibus Lutherana Confeſſio, ex Jure Canonico & aliquot Auctoribus Pontificiis in Enchiridii formam collecta*, in 12mo.

Biblia cum Emendationibus ſuperiorum Verſionum & Obſervationibus ex Theol.

Aſſertiones Theologicæ de Conciliis.

Reſponſa ad Analyſin Gregorii de Valentiâ.

Contra Waldenſem Calviniſtam anonymum.

Precationes ſacræ.

Informatio ad Cœnam ſacram accedentium.

* *Ex Melch. Adami Vitis Theol. German.*

BARTOLOMÆUS COPPENIUS.

Obiit A.C. 1617.

NAtus eſt *Roſtochii* 6. Jan. 1565. Patre *Wolffgango*, Præfecto alicubi Ducis *Megapolenſis.*

Heidelbergæ Theologiæ operam dat. Juvenis *Haidelbergam* veniens, inter alumnos Electorales receptus eſt *Neoſtadii.* Poſteà *Haidelbergam* in Sapientiæ Collegium translatus, Theologiæ dedit operam A. 1591. Ab Adminiſtratore Electorali *Joh. Caſimiro* ſtipendio inſtructus *Baſileam*, indèque *Genevam* adiit.

Baſileam & Genevam adit. In *Palatinatum* à Mecœnatibus revocatus, *Wittenbergam*, vivente adhùc Elect. *Sax. Chriſtiano*, miſſus eſt, ubi Mathematicis quoque ſtudiis incubuit.

Collegii Sapientiæ Præceptor. A. 1596. In *Palatinatum* reverſus, tertius in Collegio Sapientiæ Præceptor primum conſtitutus, poſteà Hebrææ Linguæ profeſſionem ſuſcepit.

Rector Scholæ Neubuſianæ. Paulò pòſt Scholæ *Neubuſianæ* Rector factus, matrimonium ibidem contraxit, A. 1606. *Haidelbergam* vocatus, Profeſſor ibi Theologiæ deſignatus.

Theologiæ Doctor & Profeſſor Heidelbergenſis. Eodem anno Promotore *D. Davide Pareo* Theol. Doctor renuntiatus eſt.

Anno 1609. vocatus à *Bremenſibus* ad Gymnaſii ſui regimen, honeſtè renuit.

Moritur. Continuis laboribus & lectionibus exhauſtus, ex catarrho ſuffocativo ſubitò extinctus eſt 27. Maji A. 1617. ætatis 52.

Scriptum. Parentavit ipſi oratione gravi *Baltaſar Baumbachius*, Ling. Hebr. & Græcæ Profeſſor. Extant illius notæ doctiſſimæ in univerſum *Pſalmorum librum*, ex linguâ potiſſimùm originali, Rabbinis, Patribus, & univerſâ adeò antiquitate, ſummâ curâ & induſtriâ erutæ, editæque *Hanoviæ* A. 1658.

JOH. JAC. GRYNÆUS.

Obiit A.C. 1617.

BErnæ *Helvetiorum* natus eſt A. 1540. 1. Octob.

Baſileæ auditor Sulceri, cum quo ſentit. A. 1558. Cum *Baſileæ* inter alios docentem audiviſſet *Simonem Sulcerum*, qui ab Eccleſiis *Helveticis* in capite de S. Cœnâ declinare viſus eſt, ab eo in errorum devia abreptus, decennium cum eodem ſenſit.

Eccleſiæ Miniſter Rötelenſis. A. 1559. *Rötelæ* Miniſter Eccleſiæ factus eſt *Sulcero* manus imponente.

Tubingæ literis operam dat. A. 1563. De patris Conſilio *Tubingam* ulterioris eruditionis gratiâ adiit, ubi *Joh. Guilielmum Stuckium* ſtudiorum ſocium habuit, quocum audivit *Jacobum Andream*, *Heerbrandum, Snepſium*, & alios.

Theologiæ Doctor. A. 1564. Ibi cum *Lucâ Oſiandro* & aliis Theol. Doctor renuntiatus eſt, cum paulò antè Theſes *Jacobi Andreæ* de Ubiquitate & Euchariſtiâ in Diſputatione publicâ defendiſſet.

Rötelæ docet. A. 1565. *Rötelam* revocatus, autoritate *Caroli* March. *Badenſis,* Parenti in officio Paſtorali ſuffectus eſt.

Uxorem ducit. A. 1569. Uxorem duxit *Heidelbergæ Laviniam*, *Catulani* Civis *Bononienſis* filiam, quam *Eraſtus* Medicus per octennium aluerat. Cum eâ 40. annos tranſegit, & ex eâ 7. liberos ſuſcepit, inter quos filius unicus.

Theologiæ Profeſſor Baſileenſis, A. 1575. Cum â fide *Lutheranâ* defeciſſet, *Baſileam* diſceſſit, ubi Magiſtratu vocante Theol. Profeſſor factus eſt.

& Heidelbergenſis. A. 1584. *Heidelbergam* vocatus, ibi per biennium ſanctas literas docuit. Ibique M. Aprili, mandato *Joh. Caſimiri* Proelectoris de Euchariſtiâ publicè diſputavit cum Theologis *Lutheranis*.

Baſileæ ſecundâ vice docet. A. 1586. *Baſileam* reverſus, ibi in Eccleſiâ fidi Paſtoris, in Academiâ Theol. & Hiſtor. Profeſſoris, & in Scholâ Inſpectoris munere functus eſt.

Videndi verò tandem ſenſu ſenſim deficiente, accedente colico dolore & febre *Moritur.* hecticâ paulatim conſumptus, exſpiravit 30. Aug. A. 1617. ætatis 77.

Concionem funebrem ipſi dixit *Wolffgangus Meierus*, Theol.

Memoriæ ejus & honori tum multa â doctiſſimis viris Epitaphia ſcripta ſunt carmina, tum Monumentum â ſuis ejuſmodi locatum:

Epitaphium.

D. O. M. S.
JOHANNES JACOBUS GRYNÆUS,
THEOL. CELEBERR.
BASILEENSIS ECCLESIÆ QUARTUS ANTISTES ET ACADEM. PROFESSOR.
POSTQUAM IN QUINQUAG. OCTAV. AN.
ROETELÆ IN MARCH. BAD.
ET HEIDELBERGÆ IN PALATINATU,
POTISSIMUM VERO BASILEÆ RAURACOR.
SIMPLICITATE CORDIS,
SINCERITATE DOCTRINÆ
VITÆQUE INTEGRITATE
CONSCIENTIAM DEO PROBASSET,
CURIS, LABORIBUS, SENIO, DOLORIBUS
COLICIS CONFECTUS, TANDEM
LENTA FEBRE EXTINCTUS;
MORTALITATI AUREAM IMPOSUIT
CORONIDEM:
ET IN HOC TEMPLI XYSTO
ÆTERNÆ BEATITATIS CORONAM
PRÆSTOLATUR.
Θ TERT. CAL. SEPTEMBR.
ANN. XVII. DECIMI SEXTI
A CHRISTO NATO SECULI,
ÆTAT. CLIMACTER. UNDECIMO.
HOC MONUM. PRO MUNERE EXTREMO GENER, FILIA, NEPOTES CUM LACRUM.
POSUERE.

Libri ab eo ſcripti & editi ſunt ſeq.

Scripta. *Memoria Martyris Chriſti*, ein Chriſtliche Leichpredigt über der Gedächtnus *Martin du Voiſin*, geweſnen Burgers zu Baſel / welcher den 3. *Octob. A. 1608.* zu Surſec in Schweizerland wegen verläugneter Abgötterey des Bapſtthums enthauptet und verbrandt worden.

Epitomes Bibliorum pars prima, *complectens V.T. librorum & capitum argumenta.*

Problema de beatis Angelis & electorum hominum ſpiritibus non adorandis, in 4to.

Character Chriſtianorum.

Enarratio aliquot Pſalmorum & Prophetarum.

Explanatio Evangelii ſecundum Matthæum 10. priorum capitum.

Exegeſis Epiſtolæ ad Romanos, ad Coloſſenſes, ad Hebræos.

De Apoſtaſiâ, quæ eſt peccatum ad mortem, cujus gratiâ preces non licet concipere.

Theologicorum theorematum & problematum partes 3.

Didaſcalia, in 8vo.

Demonſtrationes Evangeliſtarum: JESUM eſſe CHRISTUM.

Theſes ac Diſputationes Theologicæ.

Chronologia brevis Evangelicæ hiſtoriæ, logicique artificii in Epiſtolâ D. Pauli ad Romanos declaratio, in 8vo.

Irenæi Opera illuſtrata.

Sciagraphia Theologiæ ſecundum tres methodi formas, in 4to.

Apologia, quâ reſpondetur ad Jacobi Andreæ criminationes in ſcripto, cui titulus: Diſputationis de Cœnâ Domini confutatio.

Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebii, Pamphili, Ruffini, Socratis, Theodoreti, Sozomeni, Theodori Evagrii, & Dorothei emendata, in fol.

Epiſtolæ Jacobi Grynæi.

* *Ex Melch. Adami Vitis Theol. Germ.*

JOHANNES TAUFRERUS. *Obiit A.C. 1617.*

Natus eſt *Labaci* in *Carniolâ* A. 1587. *Hailbrunnæ*, ubi pater exulem agebat, aliquandiu educatus: *Argentinæ* tùm in Gymnaſio, tùm in Academiâ informatus per ſexennium.

Abiit indè *Tubingam*, Theologiæ & Philoſophiæ ſtudiis addictus A. 1605. Peregrinatus A. 1612. celebrioresque *Saxoniæ* Academias vidit.

Profeſſor Theol. Argent. Rediit *Argentinam* A. 1613. deſignatus Profeſſor Theol. A. 1614. prid. Cal. Apr.

Cum & Magiſterii & Doctoratus Theologici gradu deſtitueretur, utrumque petiit & impetravit *Tubingæ*. Magiſterii quidem A. 1614. d. 30. Januar. Doctoratus vero anno eodem d. 13. Februarii. *Doctor Theol.*

Moritur. E medio exceſſit magno Academiæ luctu A. 1617. d. 8. Octob. circa 9. antemeridianam, vir ob raras & præcellentes ingenii dotes longævitate digniſſimus.

JACO-

JACOBUS SÆTLERUS.

NAtus eſt in oppido *Glauchâ* 1. Maji A. C. 1540. Patre *Ambroſio*, Senatore illius loci & Pannifice, matre *D. Georgii Agricolæ*, Medici & Phyſici celebris ſorore.

A. 1552. Peſte graſſante convaluit, quâ parentes ejus obierunt cum cœteris liberis, abindè triennio Scholam in patriâ frequentavit ſub *M. Johanne Sarcandro* ſeniore.

Freybergæ ſtudia inchoavit.

A. 1555. In Scholam *Freybergenſem* traductus, ſeptennium exegit ſub *M. Valentino Apelle*, Rectore, *M. Friderico Zörlero*, Conrectore, & *Mich. Hempelo* tertio.

Ibidem Lector fuit *Hieron. Welleri*, Theol. D. qui filii inſtar dilexit eum propter ſingularem modeſtiam & felicem indolem.

Wittenbergæ Philoſ. Magiſter.

A. 1562. *Wittenbergam* ſe conferens, ibi 23. Aug. A. 1565. gradum Magiſterii adeptus, inter 20. Competitores quintum locum obtinuit.

Conjugium ejus duplex.

A. 1566. Ibidem ad Miniſterium Verbi Divini ordinatus, & Paſtor Eccleſiæ in pago Nieder-Boberitſch factus, eodem adhuc anno 25. Junii nuptias celebravit cum *Sarâ*, *Johannis Salbarti*, ædilis *Freybergenſis* viduâ, 4. filiorum uniusque filiæ matre, quorum liberorum omnium, antequàm *Wittenbergam* veniſſet, per 4. annos Præceptor fuerat.

Diaconus & Paſtor Eccleſiæ primar. Freybergæ.

Hâc uxore partûs doloribus 11. Aug. A. 1571. extinctâ, 4. Dec. ſeq. iterum deſponſatus eſt cum virgine *Barbarâ*, M. *Samuelis Jauchii*, Superintendentis *Freybergenſis* filiâ, ex quâ 30. annor. conjugii tempore 5. filios, totidemque filias ſuſcepit, ex filiis *Samuelem* & *Davidem* Doctores vidit & præmiſit, *Jacobum* verò Theologiæ deditum concionantem aliquoties audivit, & ſuperſtitem reliquit. 24. Maji A. 1568. *Freybergam* â Senatu vocatus Diaconus ad *S. Nicolaum* ibi fuit usque ad A. 1574. quo poſt obitum *M. Johannis Niderſtetteri* Collegæ ſui, Paſtor & Senior ejusdem Templi conſtitutus eſt, in quo munere 49. annos tranſegit, & auditoribus ſuis ſedecies CHRISTI Paſſionem concionatus eſt, ac 2165. infantes baptizavit.

A. 1599. Filius ejus *Samuel* Med. Doctor *Annæbergæ* obiit, & anno ſeq. 1601. uxorem dilectam præ mœrore defunctam amiſit.

23. Aug. A. 1615. Alter etiam ipſius filius *David* non multò antè tempore Doctor renuntiatus, in flore ætatis mundo valedixit.

Tandem â multis annis calculi doloribus afflictus, & memoriæ debilitate laborans, ut Conciones intermittere cogeretur, poſtquàm 14. diebus æger decubuiſſet, placidâ morte extinctus obiit 1. Nov. A. Jubilæi Evangelici 1617. æt. 78. *Freybergæ*.

M. JACOBUS SETLERUS, PASTOR.

Per *Anagr.*

Satur es, Portam Cœli ſubis.

OMnIbVs Vt SanCtIs *ſVLget* LVX
feſta IaCobVs
SätLerVs ChrIſtI eX *ſangVIne ſan*CtVs *obIt.*

* *Ex Concione fun. M. Gabrielis Outteneri, Concionat. Freyberg.*

CHRISTOPHORUS HELVICUS.

Obiit A. C. 1617.

NAtus eſt hic vir loco non celebri, honeſto tamen, *Sprendlingæ*, (qui pagus eſt, unum milliare diſtans *Francofurtô* ad *Mœnum*,) ſub ditione Illuſtriſſ. Principis D. *Georgii Landgravii Haſſiæ*, d. 26. Dec. A. C. 1581. patre *Chriſtophoro*, ejus loci Paſtore.

Quanta fuerit ingenii verò hujus felicitas, in pueritiâ patuit, de quâ, qui eum in primis literis erudiverunt, ingentem conceperunt ſpem, nec eos feſellit expectatio.

Theol. Doctor. *Profeſſor Gieſſ.* *Philologus, Hiſtoricus & Aſtronomus.*

Præter enim ſummos in ſcientiâ Theologicâ honores, quos cum applauſu conſecutus eſt, & Profeſſorii muneris in Academiâ *Gieſſenſi* dignitatem, quam utriusque linguæ Biblicæ, Hebrææ ſcilicet & Græcæ Profesſionem cum maximo ſtudioſæ juventutis commodo ſuſtinuit, admirandos fecit profectûs in exactâ cognitione Linguarum, Græcæ, Hebraicæ, Chaldaicæ, & Syriacæ: quibuscum junxit Hiſtoriarum ſacrarum profanarumque cognitionem, & Aſtronomiæ ac Arithmetices tantam ſcientiam, quanta in hominem cadere poteſt.

Edidit Theatrum hiſtoricum.

Acquiſivit autem hæc omnia plurimâ lectione, & vigiliis ac labore incredibili, ut abundè apparet ex *Theatro* ejus *Hiſtorico*, ſive *Syſtemate Chronologiæ*, quo quidem opere vix quicquam usquam in eo genere ſol aſpexit perfectius, concinnius, & limatius, quod aliquoties excuſum & recuſum omnium propè doctorum manibus teritur.

Moritur.

Pluribus invigilantem lucubrationibus, & cedro digna parturientem mors immaturâ febre malignâ genita abſtulit A.C. 1617. ætatis 36.

* *Ex Vitis Viror. doctorum Jani Jacobi Boiſſardi, & aliis.*

* * *

EPITAPHIUM.

Epitaphium.

HIc SITUS EST CHRISTOPHORUS HELVICUS, THEOLOGUS RELIGIOSISS. ACADEMIÆ GIESSENSIS PROFESSOR, ET LUMEN CLARISS. ARTIUM ET LINGUARUM CALLENTISS. NOVÆ DIALECTICÆ AUCTOR ET INFORMATOR FELICISSIMUS: UNA CUM DUOBUS LIBERIS, UNO ANONYMO PRÆMISSO, ALTERO JOH. DANIELE OCTAVO MENSE INSECUTO. POSTQUAM SCRIPTIS RARÆ ET VARIÆ ERUDITIONIS TOTI ORBI ET MAXIME STUDIOSÆ JUVENTUTI UTILISSIMIS ELABORATIS, CONTINUIS ITEM STUDIIS SIBI INVALETUDINEM ATTRAXIT, DIE X. SEPT.

Digitized by Google

Anno M DC XVII. terrenam hanc vitam summo suorum patriæ et Academiæ luctu reliquit: cum in ea vixiſſet Annos XXXVI. Menses IX. cum dimidio.

URSULA LUNCKERIA, uxor moeſtiſſima, nec non ſuperſtites Liberi CHRISTOPHORUS filiolus quadrimus, ac ANNA ELISABETHA filiola bimula, Marito et Patri dulciſſimo deſideratiſſimo hoc Monumentum cum lachrumis Pietatis et Gratitudinis ergo poſuerunt.

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta. *Elenchi Judæorum duo de adventu & perſonâ Meſſiæ, inſtituti, recogniti & aucti* Gieſſæ 1611. in 4to.

Elenchus Judæorum de Officio Meſſiæ Prophetico & Regio, ibid. 1611. in 4to.

Tractatus Hiſtoricus & Theologicus de Chaldaicis Bibliorum Paraphraſibus, in 4to. Gieſſæ 1612.

Elenchus ſive Appendix Elenchorum Judaicorum, continens refutationem argumentorum, quæ â Judæis contra Meſſiæ adventum afferri ſolent. 1613. in 4to.

Syſtema Controverſiarum Theologic. quæ Chriſtianis cum Judæis intercedunt, octo elenchis comprehenſum, in 4to. 1613. Gieſſæ.

Zwey Theil Jüdiſcher Hiſtorien/ oder Rabbiniſcher Mährlein / welche von den Juden vor warhafftige Geſchichte geleſen und gehalten werden/ in 8vo.

Colloquia familiaria, in 8vo. 1616.

Synopſis Hiſtoriæ univerſalis ab origine mundi per 4. ſumma Imperia ad A. C. 1618. deducta, in 4to.

Exercitatio Chronologica & Philoſophica de 70. Danielis Hebdomadum ſupputatione, in 4to.

Grammatica Latina in Syſtema redacta â Caſp. Finckio & Chriſtoph. Helvico, in 8vo.

Teutſche *Chronologia*, oder Zeit-Regiſter und Hiſtorien-Ordnung / verteutſchet durch *M. Conradum Bachmannum.*

Theatrum Hiſtoricum ſive Chronologicum ad A. 1618. â Joh. Steubero, Græcæ Ling. Prof. Gieſſenſi ad A. 1639. â Joh. Balthaſ. Schuppio ad A. 1660. â Joh. Juſto Winckelmanno Hiſtor. & Conſil. Haſſ. ad A. 1666. continuatum & reviſum, in fol.

De IV. Monarchiis, earum ortu, incrementis, ſynchroniſmis ex Prophetiâ Danielis Diſſertatio, in 4to.

Natalis Christi *decantatus Heroico pede*, in 4to.

De Ratione conficiendi facilè Carmina Græca, in 8vo.

De Carminibus & Dialectis Græcor. in 8vo.

Elementale Ebraicum & Chaldaicum, in 4to.

Hebrææ Linguæ compendioſa Inſtitutio, in 8vo.

Lexicon Hebræum didacticum, in 4to.

Panegyricus Academiæ Gieſſenæ ſuper obitum Imp. Rudolphi II. in 4to.

Conſideratio aliquot Locorum Scripturæ controverſorum de S.S. Trinitate, in 4to.

Deſiderium matris Evæ ex Geneſ. IV. in 4.

De Genethliacis & Nativitatum Inſpectione, in 4to.

Libri Dialectici, Grammaticæ univerſalis Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, & Chaldaicæ, 1619. in 4to.

Vindiciæ Locorum potiſſimùm Vet. Teſtamenti â corruptelis Pontificiorum, Calvinianorum, Photinianorum, & Judæorum, ex originali textu Linguæ Hebr. in 8vo.

Theoremata, ſeu Vocabula ſeparata è Geneſi, in 4to.

Precationes Germanicæ puris Scripturæ verbis conceptæ.

Prodromus wider den krummen/ mürben und wurmſtichichen Hirtenſtab *Danielis Angelocratoris*, in 4to.

Bericht von der *Didactica* oder Lehrkunſt/ in 12mo.

Sprachkünſte/ 1. allgemeine/ welche das jenige/ ſo allen Sprachen gemein iſt/ in ſich begreifft. 2. Lateiniſche. 3. Hebraiſche/ in 4to.

Sonnenklarer Beweiß / daß der verſprochene Meſſias ſchon kommen ſey/ und die Juden vergeblich auf einen andern warten/ aus *Chriſtoph. Helvici Diſputationibus* verteutſcht durch *M. Ludovicum Seltzerum* in 4to.

ALBERTUS GRAUERUS.

Obiit A.C. 1617.

IN *Marchiâ Brandeburgicâ Meſecoviæ* juxta *Perlebergam* 31. Apr. A. 1575. natus, patrem habuit *Joachimum Grauerum*, ibidem Verbi Divini Paſtorem emeritum, matrem *Annam*, Paſtoris Eccleſiæ *Meſecov.* prioris filiam.

In Scholis *Perlebergenſi* & *Seehuſanâ* ad annum usque ætatis 12. educatus in Acad. *Roſtochienſem* â patre miſſus, A. 1587. Præceptorem ibi privatum habuit agnatum ſuum *M. Nicolaum Willebrandum*, Philoſ. excellentem, & poſtmodùm Doctorem Juris ac Profeſſorem publicum in Academiâ *Roſtoch.* *Roſtochii ſtudia inchoavit.*

Contubernalem habuit eodem tempore *Cornelium Martini*, Philoſ. poſteà Profeſſorem *Helmſtadii.*

Cum hiſce duobus A. 1591. *Francofurtum* ad *Oderam* progreſſus, A. 1593. exindè *Wittenbergam* venit, & privatim Philoſophiam profeſſus eſt 12. Sept. A. 1594. ibidem Magiſter Philoſ. cum laude & honore renuntiatus, mox publicè Diſputationes aliquot Philoſophicas typis emiſſas habuit, & privatim quotidiè 4. horis docuit omnia memoriter dictans. *Ægidii* tunc *Hunnii*, Theologi celebris, domeſticus ab eoque dilectus in ſtudio Theologico plurimùm profecit. *Francofurti & Wittenbergæ.* *Magiſter Witt.*

Hoc promotore A. 1595. *Scepuſii* in *Hungaria* Rector factus eſt Gymnaſii recens exſtructi ſumtibus Baronis *Gregorii Horwathi*, *Rector Scepuſii.*

wathi, in quo Philoſophiam & Theologiam docuit.

A. 1597. Poſt obitum hujus Baronis vocatus in Gymnaſium ſuper. *Hungariæ Caſſovienſe* Rectoris quoque munere functus eſt. *& Caſſoviæ.*

Eo tempore ad Synodum *Leutſchovienſem* conceſſit, in quâ Formula Concordiæ Chriſtianæ fuit aſſerta. A. 1599. *Agriâ â Turcis* captâ, *Wittenbergam* rediit: exindè vocatus â Comitibus *Mansfeldiæ*, *Islebiam* ad Rectoratum, per novennium ibi in Logicis & Rhethoricis, in Theologicis etiam *Auguſtanam Confeſſionem* memoriter docuit & explanavit. *Rector Islebiæ.*

General. Decanus Mansfeld. A. 1607. Vocatus ab iisdem Comitibus Generalis Decanus *Mansfeldiæ*, & unà Conſiſtorii *Islebienſis* Aſſeſſor factus eſt.

A. 1609. Comitum ſuorum ſubſidio nixus, in Academiâ *Jenenſi* S. Theol. Doctor ſolenniter creatus eſt. *Theol. Doctor Jenæ,*

A. 1611. In eâdem Academiâ S. Theol. Profeſſor publicus audiit. *& Profeſſor.*

Tandem A. 1616. *Vinariæ* Paſtor Eccleſiæ, & totius Ducatûs *Vinarienſis* Generalis Superintendens declaratus, in eo officio vitæ tempore reſiduo perſeveravit. *Generalis Superint. Vinar.*

Conjugium ejus ſterile. A. 1595. Nuptias in *Hungariâ Scepuſii* celebravit cum virgine *Annâ*, filiâ M. *Johannis Nicolai*, Paſtoris Eccleſiæ *Schneebergenſis* paulò antè defuncti, quam *Wittenbergæ* duxit, nullos tamen ex eâ liberos ſuſcepit.

Vir ſanè fuit ingenio divino, judicio admirabili, & memoriâ ſingulari præditus, Theologus accuratus & Philoſophus acutus.

Catarrhis frequentibus obnoxius, poſt Concionem ultimam æger domum deportatus, viribus ſenſim deficientibus, placidâ morte ſuperveniente exſpiravit 30. Nov. A. C. 1617. ætatis 43. *Moritur.*

* *Ex Concione fun. M. Johannis Kromayeri, Theol. Aulici Vinar.*

* * *

Libri ab eo ſcripti & editi ſunt ſequentes: *Scripta.*

Centuria illuſtrium Quæſtionum Theologicarum, decem Diſputationibus propoſitarum, 1614. in 4to. Jenæ.

Tractatus de unicâ & ſimplici veritate, contra duas ſibi contrarias, Philoſophiam & Theologiam.

Diſſertatio de Quæſtione, quî fiat, quod multi etiam eruditiſſimi Viri in Sacrar. Literar. interpretatione â viâ veritatis aberrare videantur.

Libellus de Localitate & illocalitate corporis Chriſti, oppoſitus contemplationi Phyſicæ Kekermanni, in 8vo. Witteb. 1508.

Harmonia præcipuorum Calvinianorum & Photinianorum, 1612. in 4to. Jenæ.

Antipareanum propugnaculum, vel ſolida & invicta defenſio argumentorum, quibus Calviniſtarum metonymia, quam verbis Christi *in S. Cœnâ affingunt, funditùs deſtruitur, adverſus argutias D. Davidis Parei.*

Abſurda abſurdorum abſurdiſſima Calviniſtica abſurda, hoc eſt, *invicta demonſtratio Logica & Theologica aliquot horrendorum Paradoxorum Calviniani dogmatis in Articulis de Perſonâ Chriſti, Cœnâ Domini, Baptiſmo & Prædeſtinatione.*

Bellum Calvini & Jesu Christi.

Grauerus redivivus, ſive *Prælectiones in Auguſtanam Confeſſionem, poſt obitum prodierunt* Jenæ 1659. in 8vo.

Diſputationes contra Jeſuitam Coſterum. Hos duos ultimos Tractatûs morte præventus abſolvere integrè non potuit.

Colloquium cum Wolffgango Amlingo 1604 in arce Schochwitz habitum & veritatis Lutheranæ amore notulis quibusdam aſperſis evulgatum.

Anti-Lubinus, h. e. *Elenchus paradoxorum Calviniſticorum Eilhardi Lubini de primâ cauſâ & naturâ mali.*

Tomus I. Diſputationum Anti-Jeſuiticarum, quibus ſingulæ ferè controverſiæ 1. de S. Scripturâ. 2. De Eccleſiâ Chriſti. 3. Pontifice Romano. 4. Anti-Chriſto magno, ex ortæ in formâ Syllogiſmi excutiuntur.

Diſſertatio de DEO *& ejus attributis Atheiſmo D. Conradi Vorſtii oppoſita*, Jenæ 1613. in 4to.

Prophetæ Michææ Expoſitio, inque hac Quæſtiones inter Lutheranos, Photinianos, Calvinianos & Pontificios Jenæ 1619. in 4to.

Vindicatio Incarnationis æternæ Filii DEI ab impugnationibus recentium Photinianorum Jen. 1613. in 4to.

Examen præcipuarum Sophiſticationum, quibus recentiores Photiniani Chriſti Deitatem oppugnant. Jen. 1619.

Polemica ſacra uno volumine comprehenſa, utpote abſurda Calviniſtica, propugnaculum anti-Pareanum &c. edita ſunt Jenæ 1656. in 4to.

Opera Germanica ſunt:

Vindiciæ fidei & Confeſſionis ſuæ adverſus perſonatum Petrum Freyenium, Jen. 1615. in 4.

Conciones 2. de Reformatione Eccleſiæ per Lutherum factæ.

Conciones 2. de termino vitæ peſtis tempore conſiderando.

Adverſus Sebaſtianum Lamium, Calviniani de S. Cœnâ dogmatis defenſorem.

MARTINUS RUTILIUS.

Obiit A. C. 1618.

D*iebenæ* in *Miſniâ* natus eſt A. 1550. patre *M. Gregorio Rutilio*, Eccleſiæ illius loci Paſtore, matre *Anaſtaſiâ*, filiâ M. *Georgii Rorarii*, Amanuenſis quondam *D. Mart. Lutheri.*

Cum in Scholâ *Torgenſi* pietatis & artium fundamenta poſuiſſet, Academias indè *Wittenbergenſem* ac *Jenenſem* adivit, & in hâc Magiſterii gradum ſortitus eſt. *Magiſter Philoſ. Jenæ.*

A. 1575. *Teutlebium* ad Eccleſiæ Paſtoratum vocatus decennio Verbum DEI docuit. *Paſtor Eccleſ. Teutleb.*

A. 1586. *Vinariæ* Diaconus factus, in eo munere 33. annos exegit, Archidiaconi tandem nomine honoratus. *Archidiaconus Vinar.*

 In

Conjugium ejus quadruplex. In quadruplici vixit conjugio: 1. cum virgine *Sabinâ*, *Matthæi Hertelii*, civis & pannorum opificis *Jenenſis* filiâ, ex quâ 3. filias ſuſcepit: 2. cum virg. *Margarethâ*, *Johannis Quaſi*, civis *Teutlebienſis* filiâ, ex quâ duos filios & 5. filias reliquit ſuperſtites: 3. cum *Eliſabethâ*, *Euſtachii*, Paſtoris Eccleſiæ in Haueuſpitzen relictâ viduâ, quam ſterilem anno elapſo amiſit. 4. Cum virgine *Margarethâ*, *Baſilii Gerſtungi* filiâ, quæ duos ei filios tresque filias peperit, ex quibus unica filia ſuperſtes manſit.

Ultimo vitæ biennio propter ſenium & diſpoſitionem morboſam rude donatus, accedente tandem hemiplexiâ dextri lateris, die quintâ pòſt in CHRISTO exſpiravit 18. Jan. A. C. 1618. æt. 68. *Moritur.*

* *Ex Concione fun. M. Johannis Kromayeri, Concionat. Aul. Vinar.*

Obiit A. C. 1618.

JOHANNES MOLTHERUS, SENIOR.

Natus eſt in *Haſſiæ* oppido *Battebergâ* ad *Ederam* ſitô, ipsâ Palmarum Dominicâ, annô Epochæ noſtræ 1561.

A patre ſalutaribus benè vivendi Præceptionibus ad probitatem informatus & ad literarum ſtudia inſtigatus, ſed eodem intra 12. ætatis annum orbatus, ſuopte motu & indole magnâ cum ingenii promptitudine, aſt difficili interim tramite eadem in diverſis Scholis proſecutus eſt. *Patre orbatus.*

Ludi patrii Moderator. Annos indè natus 19. ad patrii ludi moderationem è ſtudiorum curſu fuit accerſitus, eamque functionem primam ipſo Palmarum die anno 1580. adiit.

Cùm verò poſt biennium tæderet ejusmodi ſtudiorum impedimenti, ſpontè reſignavit, & quamvis aliud animo agitaret, illicet ſuaſu avunculi *Georgii Nigrini*, *Echzellani* Eccleſiaſtis & Superintendentis, *Grunbergam Heſſorum* ad oppidani ludi gubernationem retrahi ſe paſſus eſt. *Ludi Grunbergæ Rector.*

In quo pulvere ſcholaſtico poſtquàm itidem per annum & aliquando ampliùs ſudaverit, ſimulque ob eruditionem pariter vitæque innocentiam & eximium concionandi donum paulatim magis magisque innotuerit, vocatione & juſſu *Ludovici* Senioris Principis ad ejusdem oppidi Miniſterium Eccleſiaſticum provectus eſt, & ad Diaconatum quidem anno 1583. ad ſuperiorem autem locum anno 1587. *Grunbergæ Diaconus. Paſtor ibidem.*

Intereà temporis cæteris ſtudiis Hebræam quoque linguam excoluit ulteriùs, eoque ejus notitiam perduxit, ut anno 1594. ad eandem profitendam accerſitus in *Marpurgenſem* migraverit Academiam.

Hebrææ Ling. Profeſſor. Academiæ Rector. Eccleſiæ Fridbergenſis Paſtor. Quinquennio verò *Marpurgi* exacto, cum ſummum Academiæ Magiſtratum obiret, agnato & diſcipulo, viro perquàm erudito & pio M. *Johanne Schollio*, Profeſſionis Hebrææ extraordinario Succeſſore facto, Eccleſiæ *Fridbergenſi Wetteraviorum* ſuam addixit operam anno 1595. Auguſti 14. ab *Arculario*, S.S. Theologiæ Doctor creatus. *SS. Theol. Doctor creatus.*

Fridebergam igitur conceſſit anno 1599. menſe Novembri, ibidemque ſexennium Eccleſiæ Paſtorem egit fideliſſimum, donec ab *Haſſiæ* Principe *Mauritio* anno 1605. denuò *Marpurgum* accitus, *Schollio* Parochiam *Fridbergenſem* dimiſerit, & poſtliminiò menſe Septemb. ad ordinariam ſe receperit Profeſſionem Theologico-Hebræam, atque anno inſuper ſequenti â Dominis Ordinis Teutonici Eccleſia ad *D. Eliſabetham* curæ ipſius commiſſa fuerit. *Theologiæ Profeſſor. Eccleſia ad D. Eliſabetham curæ ejus commiſſa.*

Cum verò ærumnoſum hujus vitæ curſum abſolviſſet, vir utique rariſſimæ eruditionis, in omnigenâ literaturâ verſatus, humanitate, candore & integritate ſingulari, laborum in ſtudiis obeundâ functione patientiſſimus, indè ne in adversâ quidem valetudine deſiſtens, & octo legitimas vocationes annorum 38. ſpatio utilem ac fidelem operam Scholis & Eccleſiæ CHRISTI navâſſet, duabus vicibus per annos 17. Theologiam & Hebræas literas in Academiâ *Marpurgenſi* profeſſus, poſitis terreni corporis exuviis piè placidèque ſpiritum DEO reddidit anno 1618. die Martii 20. ætatis anno 57. fermè completo. *Moritur.*

Filiam reliquit unicam & quatuor filios, *Jeremiam* Poliatrum & Conſularem liberæ Reipublicæ *Fridbergenſis*, *Georgium*, *Weſtfariæ* Poliatrum, *Johannem*, Medicinæ *Marpurgi* Profeſſorem, & *Johannem Philippum*, *Londini Anglorum* Medicinam factitantem, quorum tres primùm Philoſophiæ & poſtmodùm Medicinæ Doctores creari, & quartum Medicinæ Licentiâ donatum, iisdem veſtigiis fortiter inſiſtere vidit, ipſe verè paterno fideliſſimi educatoris & Præceptoris, non tantùm in pietate & humanioribus literis, ſed in ipsâ quoque arte Medicâ, cujus erat peritiſſimus, munere defunctus.

Parentatum verò eſt ejus memoriæ â *Johanne Combachio*, Profeſſore Philoſopho, luculentâ oratione in Panegyri Academicâ habitâ.

Libellos ſcripſit varios, Theologicos imprimis & ad Philologiam facientes, è quibus paucos edidit. *Scripta.*

* *Ex MSS. Marpurg.*

Obiit A.C. 1618.

ROBERTUS ABBATUS.

Ex honeſtâ Familiâ *Guilfordiæ* natus eſt A. 1560.

Fratrem habuit *Georgium Abbatum*, Archiepiſcopum *Cantuar. Angliæ* Primatem. Literarum cognitione in Collegio *Balliolenſi Oxoniæ* educatus, ejusdem Collegii Præfectus, S. Theol. Doctor, & Profeſſor Regius factus eſt, ſuccedens *Thomæ Hollando*. 3. Dec. A. 1615. Poſt officium Paſtoris annis 20. perfunctum, in Epiſcopum *Sarisburienſem* conſecratus eſt. In eo munere calculi doloribus excruciatus obiit M. Mart. A. C. 1618. ætatis 58. *Theol. D. & Prof. Oxon. Epiſcopus Sarisburienſis. Moritur.*

Edita

Edita ab eo Scripta ſunt ſequentia:

Scripta. *Antichriſti demonſtratio contra fabulas Pontificias, & ineptam Roberti Bellarmini de Antichriſto demonſtrationem.*

Antiqua ſemita, ſeu, Conciones in Jeremiam, interprete Drano.

* *Ex Heroologiâ Anglicâ H. H.*

Obiit A.C. 1618.

JACOBUS MONTACUTUS.

ORtus à *Montacutis*, *Saliſberiæ* olim Comitibus, patrem habuit ex Ord. Equeſtri *Edoardum* à *Boughton* in Comit. *Northamtonienſi*. Avum ejuſdem nominis *Angliæ* Prætorem, & præcipuum Regis *Henrici VIII.* Conſiliarium. Matrem *Eliſabetham Haringtoniam*, ex quâ natus eſt A.C. 1569.

In Academiâ *Cantabrigienſi* Magiſterii & Doctoratûs inſignia ſingulari Privilegio; priuſquàm *Leges Annales* paterentur, obtinuit.

Præſes Collegii Sydneani Cantabrigiæ. Factus deinde Præſes Collegii *Sydneani*, cum circumjacens fundus odoris fœditate infamis eſſet, *Trumpianam* aquam novo alveo deduxit in hortos Collegii, communicatâ urbi & Academiæ ſalubritate. His artibus cum Regi *Jacobo VI.* innotuiſſet, *Sacellanus Regius.* ſine morâ Sacellanus ejus ordinarius *Lichfeldiæque* & Sacelli Regii, mox *Wigorniæ* Decanus factus eſt.

Epiſcopus Bathon. Deinde Ordinis Periſcelidos Antiſtes, à privatis Regi Conſiliis *Bathonienſis* & *Wellenſis* Epiſcopus declaratus, ita ſe geſſit, ut 8. annis, quibus Epiſcopatui præfuit, non ſibi, ſed publico honores geſſiſſe viſus ſit.

Eo tempore collapſa reſtituit, palatium Epiſcopi *Wellenſe*, cum hortis & æde ſacrâ. Templum *Bathonienſe* ante annos 100. ab Epiſcopo *Olivero* inchoatum maximis impenſis abſolvit.

Epiſcopus Winton. Denique ad Epiſcopatum *Wintonienſem* translatus, multa adhuc monumenta conſtituit, domum Epiſcopi in meridionali *Londini* ſuburbano ruderibus ſepultam reſtituit, Arcem *Farnamiam* novis porticibus, & cubiculis ad Regem, cum eos tractus obiret, excipiendum auxit. Turrim in Arce *Windſorianâ* Ordinis *Periſcelidos* Antiſtiti dicatam pari ſtudio ornavit.

Ex his conjicias, fuiſſe eum obſervantiſſimum antiqui Canonis, quo jubentur Epiſcopi facultatum Eccleſiæ quadrantem ſacris ædibus reparandis impendere, cum conſtet, hunc Epiſcopum ſuprà 20000. Coronatorum in ſacrorum uſum liberaliter erogâſſe.

Collegio *Sydneano*, in quo juventutem tranſegit, Bibliothecam ſuam Libris inſtructam cum annuo pecuniæ proventu legavit.

Moritur. Obiit hydropicus *Grenwici* 13. Cal. Aug. A.C. 1618. æt. 49.

Reliquit 4. fratres Equites, *Edoardum*, *Henricum*, *Angliæ* Prætorem, *Carolum*, & *Sydnæum*, libellorum ſupplicum Magiſtrum.

* *Ex Heroologiâ Anglicâ H. H.*

Edidit:

Opera Regia Sereniſſ. Jacobi magnæ Britanniæ Regis. *Scripta.*

* * *

JACOBUS MOUNTAGU, ſacræ Theologiæ Doctor, *Wigornienſis* olim, hodiè verò Capellæ Regiæ Decanus, conſecrationis ritibus inauguratus eſt April. 7. 1608.

Montacutorum familia. Ex *Montacutorum* hic ortus familiâ (qui Comites *Sarisburienſes* per aliquot ſecula floruerunt, inter quos *Thomas Margarethâ* matre natus eſt, *Edwardi* primi Regis nepte ex filiâ ejus *Johannâ*, quæ *Ptolemaïde* in lucem edita eſt, patre Rege *antedicto Saracenos* ibidem oppugnante,) genitorem habuit *Edwardum Mountagu de Boughton* in Comitatu *Northamptonenſi* Equitem auratum.

Virtutibus tamen iſte quam natalibus vel tantis nobilior in Collegio CHRISTI *Cantabrigiæ* bonarum literarum ſtudio incubuit, donec gubernaculo admotus eſt Collegii *Sidnejani* tum primùm inſtituti; in cujus ſtructurâ multum ab eo laboris ac ſollicitudinis ſuſceptum eſt, quodque plurimùm & auxit & ornavit. Nam prædia illi contulit 20. marcas annuatim pendentia: Inferioris partis Capellæ ibidem parietes aſſeribus affabrè compoſitis obduxit: & Academicis Author fuit, aquam vivam ſalientemque *Cantabrigiam* deducendi, ſic ut ad Collegium prædictum perveniret. (Quod negotium centum ipſi libris conſtitit.) Ac denique multis aliis rationibus Collegii commodis proſpexit. *Opera Montacuti preclara.*

Welliam poſtquàm venit, magnam inſumpſit pecuniam in ædibus Epiſcopalibus reficiendis ornandiſque tàm *Banwellenſibus*, quàm *Wellenſibus*.

Ac *Welliæ* quidem Capellam illam à *Jocelino* Epiſcopo conſtructam, ſed Epiſcopatu ad paupertatem redacto, neglectam per annos jam elapſos ſexaginta, maximo haud dubiè ſumptu curavit purgandam, reficiendam, organis muſicis, aliiſque ornamentis inſtruendam, ſic ut pulchritudine & magnificentiâ paucisſimis *Angliæ* capellis hodiè cedat.

Ptochotrophii deinde pauperes ſuâ multum juvit beneficentiâ: Et, (quod inter facinora noſtri ſeculi pulcherrima numerandum duco,) ad Eccleſiam *Bathonenſem* perficiendam, (quam ante centum annos cœperat conſtruere *Oliverus King* Epiſcopus) hic Præſul mille contulit libras, hoc eſt, aureorum Gallicorum 3333. & prætereà, ſumptu non levi, ſuggeſtum ibidem excitavit, ex polito lapide pulcherrimum.

* *Ex Commentario de Præſulibus Angliæ Franciſci Godwini.*

JOHAN-

Obiit A. C. 1618.

JOHANNES GEORGIUS SIGWARTUS.

NAtus eſt 16. Octob. A. C. 1554. *Winendæ* oppido, quod unà cum arce A. 1325. titulo emptionis ad domum *Würtenbergicam* à Barone quodam de *Weinſperg* pervenit, quod itidem *Ægidium Hunnium, Polycarpum Lyſerum,* & *Eraſmum Grüningerum* Theologos præclaros *Germaniæ* dedit.

Parentes habuit *Michaëlem Sigwartum*, Conſulem, & *Margaretam Grüningeriam.*

Rudimenta literarum poſuit in patriâ primùm Scholâ, deindè in Monaſteriis *Lorchenſi* & *Adelbergenſi.*

Puer morbis fuit obnoxius. Sed jam tunc variis morbis *Lorchæ* hemicraniâ & febri quotidianâ, *Adelbergæ* tertianâ laboravit, cujus extrema hydropis initia minitabantur, iisque depulſis in quartanam, paulò pòſt in venenatum etiam delapſus eſt morbum, ſed temperantiæ continentiæque moderatio vires invalidas ſedulitati indefeſſæ pares effecit: quâ etiam procuravit, ut A. 1576. *Tubingam* in Theologicum ſtipendium translatus ſtudiorum Commilitones facilè ſuperârit.

Magiſter Philoſ. A. 1578. Magiſter Philoſophiæ renuntiatus, in Theologico ſtudio ſummâ cum diligentiâ verſatus fuit, ita ut propter raram eruditionem fidei & diſciplinæ ejus multi diſcipuli privatim, & quoque Repetentis, ut vocant, munus in ſtipendio publicè ipſi commendaretur, ac tandem Magiſtro Domûs *Samueli Hailando* Philoſopho Collega datus ſit, cujus etiam vices in Lectionibus & Diſputationum Philoſophicarum exercitiis dirigendis ſubindè ſuſtinuit: non rarò etiam magnus ille Theologus *Jacobus Andreæ* judicium ejus in gravibus controverſiis cum fructu exquiſivit. *Repetens in ſtipendio. Magiſter domûs.*

A. 1584. Vocatus ad Eccleſiæ *Tubingenſis* Diaconatum, cum huic muneri vix per triennium præfuiſſet, mortuo D. *Theodorico Schnepffio* ad curam Paſtoralem & Profeſſionem Theologicam expetitus, deinceps etiam ſtipendii Theologici Inſpectio & Eccleſiæ Decanatus concreditus ipſi fuit. *Paſtor & Profeſſor Theol. Decanus Tubing.*

Rectoratum in Univerſitate ter cum laude adminiſtravit, quartum ad finem perducere non potuit.

Conjugium ejus. A. 1585. Uxorem duxit *Margaretam, Jacobi Capelbeccii*, Jur. Doct. Profeſſoris & Academiæ quondam Anteceſſoris filiam, quæ eum decies ſepties vivâ prole beavit: ex iis liberis filios quinque paternarum virtutum æmulos, & tres filias reliquit ſuperſtites.

Valetudine minus firmâ per totam vitam gaviſus cum eſſet, acidularum vicinarum fruſtraneus uſus 2. Julii ipſi in Templo lipothymiam procuravit, & ultrà 14. hebdomadas lecto affixit, in quo tandem morti ceſſit 5. die Octobr. A. C. 1618. æt. 63. *Morbus & obitus.*

* *Ex Programm. fun. Pro-Rectoris & Cancellarii Tubing.*

JOHANNES GEORGIUS SIEGWARTTUS.

Per *Anagramma:*

Ne gregis Jovis gnavus tutor es.

Diſtichon προπεμπτικὸν *Erhardi Cellii*, Poëſ. Prof. *Tub.*

Chare DEO cultor verbi cœleſtis agrorum:
Vinces, exſpecta: præmia digna feres.

Edidit:

Diſputationes pro Auguſtanâ Confeſſione, & in eandem. *Scripta.*

XIV. Predigten vom H. Abendmal/ aus dem *II.* Cap. der 1. Epiſtel *S.* Pauli an die Corinther.

Handbüchlein/ in welchem die Hauptpuncten Chriſtlicher Lehre durch Frag und Antwort aus GOttes Wort erkläret werden.

* * *

JOHANNES GEORGIUS SIGWARTUS hoc Elogium vitæ Carminicum tulit à *M. Erhardo Cellio*, Poët. & Hiſt. Prof. *Tubingæ:*

Hâc SIGWARTUS erat JOHANNES fronte GEORGUS,
Octo videns ævi luſtra peracta ſui.
Wineda vitalem dedit illi luminis uſum,
Urbs Würtenbergi non malè nota ſoli.
Ingenuus primùm fuit hîc deductus ad Artes:
Hinc in Cœnobio, regia Lorcha, tuo.
Poſt & Adelpergæ ſtudium feliciter auxit:
Donec adit Muſas, alta Tubinga, tuas.
Sedulus hîc ſequitur ſtudiorum caſtra: Magiſter
Factus & hîc celebris, Philoſophia, tuas.
Hinc benè detrivit Studii cœleſtis arenam,
In ſtudio currens, Thejologia, tuo.
Cum ſtudio ſeptem ſudaſſet meſſibus illo,
Pars Tubii legitur digna Miniſterii.
Hîc ubi tres CHRISTUM docuiſſet gnaviter annos,
Hâc etiam Paſtor factus in Æde fuit.
Tres hyemes CHRISTI poſtquàm ſic paſceret agnos,
Audit præclaro Doctor honore ſacer.
Factus & eximiâ ſacer idem laude Profeſſor,
Fontibus eduxit Scripta ſacrata ſuis.
Sed quoque privatâ Juvenes exercet arenâ,
Diſcutiens certo dogmata ſacra die.
Ad populum valeat quantum dicendo, ſacraſque
Inſtituat quantâ dexteritate Scholas;
Et paſtoricia, varii quæ plena laboris,
Fungatur quantâ conditione fide;
Quàm ſit honeſta viri, quàm vita ſit integra; clarum
Publica vox verè teſtificando facit.
Vive Tubingenſis magnum decus Ædis, & idem
Vive diu ſacræ gloria magna Scholæ.

JACO-



IACOBVS MONTACVTI,
Epiſcop. Wintonienſis.



IOAN GEORGIS SIGWART
Theol Prof Tubing.



IACOBVS HEILBRUÑER,
Concionator Aul. Neoburg.



MATHIAS HAFENREFFER,
Theol. Prof. Tubing.



DANIEL HÆNICHIUS.
Conc. Aul. Saxon.



CONRAD SCHLÜSSELBURG
Superint Stralſundenſis.



FRANCISCUS COSTER,
Soc. Jesu Theologus.




ANTONIUS THYSIUS.
Theol Prof. Lugdun.



NICODEMUS SITZLINUS
Concionator Ulmenſis.



GEORGIUS SCHÖNFELD.
Senior. Theol. Marpurg.



CASPARUS STURMIUS
Theol. Marpurg.



HENRICUS SEDVLIVS
Monach, Franciſcanus.



IOHAÑES ARNDTIUS.
Superint. Gen: Lünæburg.



EILHARDUS LUBINUS
Theol Roſtochienſis.



RAPHAEL EGLINUS.
Theol Marpurg.



SALOMON SCHWEIGGER,
Theol Norimberg.

Franck ſc. August.

Digitized by Google

Digitized by Google

Obiit A.C. 1618.

JACOBUS HEILBRUNNER.

EBertingæ, Ducatûs *Würtenbergici* oppido, natus 15. Aug. A.C. 1548. Patrem habuit *Hieronymum*, Paſtorem *Entzwangenſem*, & Superintendentem diœceſeos *Vabinganæ* ſpecialem, qui obiit A. 1564. Matrem *Barbaram Dickiam*, vel *Turckiam*, civis Ober-*Riexingenſis* filiam.

A. 1561. In Scholâ *Albersbacenſi* inter alumnos receptus, & anno 1563. in Scholam *Maulbrunnenſem* miſſus, ſub directione Reverendi Viri Dom. *Valentini Vamil* in literis & moribus plurimùm profecit.

Auditor fuit Colloquii Maulbrunn. Ibidem A. 1564. Colloquii Theologici â Duce *Würtenbergico* & *Friderico III.* Electore *Palat.* inſtituti auditorem egit.

A. 1565. Cum Condiſcipulis *Stephano Gerlachio*, *Ægidio Humnio*, & *Polycarpo Lyſero Tubingam* inter Stipendiarios Ducales promotus, ibi eodem anno Baccalaureus, *Magiſter fit.* & A. 1567. Philoſ. Magiſter ſolenniter creatus eſt. Abindè totum ſe dedit ſtudio Theologico, nec tamen prorſùs Philoſophiam neglexit.

M. Mart. A. 1573. Vocatus â *Sigismundo* Comite *Hardeccenſi* poſt ordinariam â D. *Jacobo Andreæ*, Cancellario *Tubingenſi*, factam *Miniſter aulicus.* inaugurationem *Tubingâ* diſceſſit, & *Viennam* veniens in aulâ Baronis *Wilhelmi Roggendorffii*, infer. *Auſtriæ* Mareſcalli, de Paſſione & lætâ Salvatoris noſtri Reſurrectione, aliaſque plures per menſis ſpatium Conciones habuit.

Deindè *Rigerspurgi*, arce in *Auſtriâ*, ad fines *Moraviæ* ſitâ, Paſtor Eccleſiæ ſub aulici Miniſtri titulo factus eſt.

Paſtor Sitzendorf. Poſt 7. ſeptimanas *Sitzendorfium* promotus, ibi ad 3. ſeptimanas, poſtquàm Paſtor illius loci tunc repentè in Cathedrâ obiiſſet, Eccleſiæ Miniſtrum gratis egit, & cum D. *Joh. Friderico Cœleſtino*, *Joſuâ Opitio*, & *Laurentio Becherero Flaccii* dogmata propugnantibus ſæpiùs acriter diſputavit.

Concionator aul. Bipont. A. 1575. M. Aug. â Principe *Palat. Johanne* vocatus per fratrem *Philippum*, Concionator aulicus *Bipontii* factus, paulò pòſt *Tubingam* rediit. Ibi 12. Jul. ſeq. celebravit nuptias cum virgine *Catharinâ*, D. *Henrici Weickersreiteri*, Paſtoris & Abbatis Eccleſ. *Hirſaugienſis* filiâ.

Ex eâ 10. liberorum pater factus, filios ſuperſtites reliquit *Georgium*, Superintendentem *Sultzbacenſem*, & *Ludovicum*, Eccleſiaſten *Cellenſem*: filias verò tres, *Urſulam*, D. *Georgio Zeemanno*, Theologo *Campidonenſi*, *Saram* hujus fratri Pharmacopœo *Neoburgico*, & *Annam Mariam* M. *Danieli Oſiandro*, Diacono *Sindelfingenſi*, deſponſatas.

A. 1577. *Tubingæ* cum fratre *Philippo* Theol. tunc Profeſſore in Gymnaſio *Laubingano*, & *Johanne Weſenbecio*, Superintendente *Ulmenſi*, Theol. Doctor cum honore *Fit Theol. Doctor.* renuntiatus eſt.

A. 1580. A Principe *Bipontino Johanne*, *Calvini* doctrinam amplexo, dimiſſus, *Heidelbergam* ab Electore *Ludovico* acceſſitus, & Eccleſiæ *Bentzheimenſis* in viâ montanâ *Paſtor Bentzheim.* ad *Sylvam Ottonicam* Paſtor conſtitutus eſt, cum Prædicaturam aulæ, & Profeſſionem Theologicam, quam *Huldericus Edo* obtinebat, ſibi ab Electore oblatam modeſtè renuiſſet.

A. 1581. *Ambergæ* in *Palatinatu ſup.* urbe primariâ Superintendenti Generali *Martino* *Superint. Amberg.* *Schallingio*, Formulæ Concordiæ nomen ſubſcribere renuenti, & idcircò ab officio remoto, juſſu Electoris *Ludovici* ſucceſſit.

Quia verò *Schallingius* in domo Parochiali areſto detinebatur, in illam 13. demùm Martii A. 1583. migravit.

Sed cum paulò pòſt 12. Oct. Elector *Ludovicus* obiiſſet, Religione in *Palatinatu* iterùm mutatâ, jubentibus Adminiſtratore *Joh. Caſimiro*, Com. *Palat.* & Gubernatore *Ambergenſi Joachimo*, Comite *Ortenburgico*, A. 1585. *Ambergâ* diſcedere & *Georgio Lupichio* loco domoque cedere coactus, civibus fruſtrà detinere eum conantibus, *Neoburgum* 1. Oct. venit, & abindè *Philippi Ludovici* Principis *Palatini* Concionator aulicus per annos 30. fuit. *Concionator aul. Neoburg.*

A. 1588. Cum Clero *Ratisbonenſi* in aulâ Epiſcopali, præſente D. *Jacobo Andreæ*, Præpoſito & Cancellario *Tubingenſi*, in arenam deſcendit, cum ibi per anni dimidii ſpatium Paſtoris partìm partìmque Legati vices egiſſet.

A. 1591. Ad Profeſſionem Theologicam *Varias vocationes recuſat.* in Academiâ *Tubingenſi* â *Ludovico* Principe *Würtenbergico* vocatus fuit.

Eodem tempore Epiſcopatus in *Boruſſiâ* cum Profeſſione primariâ *Regiomontii* ipſi fuêre oblata: quin etiam â Proceribus *Styriæ Græcium*, & â Senatu *Ratisbonenſi* ad Eccleſiæ Inſpectionem compellatus fuit.

Sed Princeps *Neoburgicus* illum â ſe dimittere recuſans, â *Ludovico* Duce *Würtenbergico* retinendi eum poteſtatem ægrè tandem obtinuit.

A. 1601. Colloquio *Ratisbonenſi* de Normâ doctrinæ & Controverſiarum Religionis Judice, præſentibus *Maximiliano* Duce *Colloquio Ratisbon. intereſt.* *Bavariæ*, & *Philippo Ludovico* Com. *Palatino*, *Ratisbonæ* habito M. Nov. interfuit cum aliis Theologis *Palatinis*, *Saxonicis*, *Brandenburgicis* & *Würtenbergicis*.

A. 1615. A Principe *Palat. Neoburgico Wolffgango Wilhelmo*, *Philippi Ludovici* filio, fidem Pontificiam amplexo dimiſſus, cum viduâ Principis *Neoburgici* matre *Höchſtettam* conceſſit.

In eo itinere triſte nuntium accepit de obitu uxoris, quam cum familiâ *Lauingæ* in ædibus generi D. *Georgii Zeemanni* reliquerat, & cum quâ 40. annos pacificè vixerat.

A. 1616. A Duce *Würtenbergico Johanne Friderico* Abbas *Anhuſanus*, & brevi pòſt Abbas *Abbas Bebenhuſ.* *Bebenhuſanus* ac Superintendens generalis Eccleſiarum vicinarum declaratus, *Bebenhuſæ*

buſæ ad ſecunda vota digreſſus, honeſtam matronam *Cordulam*, *Petri Stamleri*, civis *Tubingenſis* viduam, ſibi deſponſavit, cum quâ pacificè per breve vitæ ſuæ reſiduæ tempus vixit.

Paucis antè obitum diebus alacriter dixit: *virum fortem debere ſtantem mori, & ſeſe paratum eſſe ad finem uſque vitæ, nullum laboris vacuum concedere tempus.*

Bebenbuſæ deindè manè horâ octavâ concionaturus de felicitate piorum in vitâ æternâ, in cathedrâ preces ſuas DEO mandaturus, apoplexiâ correptus ſequenti die placidè exſpiravit 5. Nov. A. C. 1618. ætatis 71.

Apoplexiâ moritur.

JACOBUS HEILBRUNNERUS, S.S.æ THEJOLOGIÆ DOCTOR.

Per *Anagramma*:

Heu nobis! heu dolor! ecce Regia noſtra Salus obiit.

EPITAPHIUM.

Epitaphium.

Hîc HAILBRONNERI Doctoris membra JACOBI
Et vario & multo feſſa labore cubant.
Magnus erat genio, major ſermone, ſtyloque
Maximus, hinc Scriptis, claruit eximiis.
Claret adhùc, mage ſed clarebit, quando reſurget
Clarus, ut æternùm clareat antè DEUM.

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta.

Dæmonomania Piſtoriana, Magica, Cabaliſtica morborum curandorum ratio Chriſtianis propinata cum antidoto prophylact. in 8vo.

Schwenckfeldio-Calviniſmus, in 8vo.

Antidotum in Dæmonomaniam Piſtor.

UnCatholiſch Pabſtthum/ Erweiſung daß die Päbſtliche Lehr mit nichten/ hingegen die Augſpurgiſche *Confeſſion* gut Catholiſch Apoſtoliſch ſey: in fol.

Synopſis doctrinæ Calvinianæ Germ. in 8.

Anti-Tannerus, ſcriptum Apologeticum, contra mendacia Adami Tanneri, in 8vo.

Carnificina Eſawitica, de Flagellatione contra Jac. Gretſerum, in 8vo.

Apologia illuſtr. Principis Wolfg. Palatini Confeßionis.

Widerlegung des vermeinten gründlichen Berichts vom H. Abendmal/ im Namen der Theologen zu Heidelberg von *D. Zacharia Urſino* geſtellt/ in 8vo.

Bericht von dem Jubel-Feſt 1617. in 4. Predigten verfaſſet: in 4to.

Ableinung der Kellerſchen Oelgötzerey oder letzten Oelung.

Zwo Leichpredigten / bey der Leich Herrn Pfaltzgrafen Philipp Ludwig gehalten.

* *Ex Concione funebri Matthiæ Hafenrefferi.*

Obiit A.C. 1619.

MATTHIAS HAFENREFFERUS.

NAtus eſt in Ducatu *Würtenbergenſi* anno ſuperioris ævi ſexageſimo honeſtis parentibus.

Cum verò ipſi acriores addidiſſent faces Præceptores, ipſeque præclaram ingenii felicitatem obtinuiſſet, maturè puerilitatis nuces depoſuit, non ambienti tamen, ſed invito & reluctanti ſacra committebantur munera. Ita enim ex *Engina* pago, ubi Paſtorem egit, præter omnem expectationem tractus eſt in aulam *Würtenbergicam* ad Eccleſiaſtæ & ſacri Conſiſtorii Provinciam; ex aulâ ad Profesſionem Academico-*Tubingenſem* & Ducalis ſtipendii Ephoriam, quantumvis precibus intercederet, nolens volens ductus eſt.

Theologiæ Prof. Tubing. & Ducalis ſtipendii Ephorus.

Demum etiam Cancellariatus Academiæ ei eſt concreditus, ſed reluctanti.

Factum indè, ut cuncti ejus labores, ſtudia, actionesque felicisſimum habuerint progreſſum, imò in Templi pariter ac auditorii cathedrâ admirandus prorſùs apparuerit.

Vivendi finem tandem fecit *Tubingæ* A. 1619. ætat. 58. *Moritur.*

Erhardus Cellius ſequentibus vitam HAFENREFFERI comprehendit verſiculis *in vitis Profeſſorum Tubingenſ.*

MATTHIAS erat hâc HAFNREFFER imagine vivâ,
Uno anno luſtris ſeptem ubi major erat.
Pagus Lorcha illi vitam; ſtudiisque propinquum
Cœnobium, Voblio Præſule, cœpta dedit.
Würtenbergiacis hinc annumeratus alumnis — *Alumnus Würtenberg.*
Pars fit Cœnobii, Dive George, tui.
Hinc ſacra translatum Domus Hirſchoviana recepit:
Iſtam Stettero tunc moderante Scholam.
Indè Tubinga ſuis hunc eſt dignata Lycéis: — *Tubingæ Philoſ. Magiſter. Philologus.*
Atque Magiſterii contulit illa gradum.
Hinc Latia, Argolicâ, linguâ benè cultus Hebræâ
In ſtudio ſudat noctè dieque ſacro.
Hujus primitias capit Hennenberga: fit indè
Böblingæa tui Paſtor, Eninga, gregis. — *Eccleſ. Paſtor Böbling.*
Hîc ita ſe vitæ ſtudiique probavit ad uſum,
Doctrinæ radiis eloquiique nitens:
Ut Stuccardiacâ Ludovici in Principis Aulâ — *Theol. aulicus Stutgardiæ.*
Pars fieret ſacri clara Miniſterii.
Pòſt vocat indè ſacri Doctoris egena Tubinga, — *Theologiæ Doctor & Profeſſor Tubingæ.*
Et grave Doctoris nomen habere jubet.
Eligit hunc doceat ſanctos Schola celſa Prophetas:
Præſtat id, & ſummum demetit indè decus.
Eligit hunc doceat Divinum, Eccleſia, verbum: — *Concionator.*
Id facit ingenii divitis arte ſui.
Eligit hunc Ephorum ſtipendI cura Ducalis, — *Ephorus ſtipendiarior. Duc.*
Officium dignâ quod gravitate gerit.
Magnificus primùm Rector, Pro-Rector & idem
Dux Würtenberge tuus, JAN FRIDERICE, fuit. — *Pro-Rector Ducis Würtenb.*
Vive diu ſummis, HAFENREFFERE, coruſcans
Elogiis, noſtræ laus diuturna Scholæ.

Diſti-

Diſtichon προσωνυμαςικὸν:

Dulce DEI donum es, figulus ceu Corbibus ollas,
Sic verbum magni fonsque docesque DEI.

MATTHIAS HAFENREFFERUS.

Per Anagramma Georg. Theod. Hofmanni:

Fata ſanè mirè ſuffert.

* *Ex Vitis Profeſſor. Tubing. Carminicè deſcriptis ab Erhardo Cellio.*

Scripta ab eo relicta & edita ſunt ſequentia:

Scripta. *Orationes duæ in Nativitatem CHRISTI*, in 4to. Tubingæ 1606.

Loci Theologici, in 8vo. Francofurti, Lubecæ, Wittebergæ & Tubingæ editi.

Templum Ezechielis, ſive *in IX. poſtrema Prophetæ Capita Commentar.* in fol. Francof. 1613.

Orationes Parentales Stephano Gerlachio & Joh. Georgio Sigwarto Theologis Tubingenſibus habitæ, in 4to.

Revelator Punctorum vigilantiſſimus, hoc eſt, *Præceptiones novâ methodo ac viâ punctandi rationem & artificium in Hebræâ Linguâ explicantes*, in 8vo. Tubing. 1619.

Commentaria in Prophetam Nahum & Habacuc, in 4to.

Oratio de Præſtantiâ & Utilitate ſtudii Prophetici recitata Tubingæ 11. Aug. A. 1592. in 4.

Litania in einer Predigt erklärt/ in 8vo.

Feſtum S. Trinitatis dupliciter ſolenne, eine Chriſtliche Predigt von der H. Dreyfaltigkeit: und zumal eine hertzliche Dancksagung gegen derſelben/ vor die Churfürſtliche Wahl H. *Matthiæ II.* zur Röm. Königl. Majeſtät ergangen/ in 4to.

Candelabrum aureum, vom Beruff und Amt Chriſtlicher Obrigkeit / aus dem Vorbild des güldenen Leuchters/ in 4to.

Synopſis Locorum Theologicor.

Gülden Kleinod der fürnehmſten Hauptſtücken Chriſtlicher Lehre/ verteutſcht durch *Georg. Wilh.* von *Sirra*, in 8.

Friedbott/ oder ernſtliche Erinnerung aus GOttes Wort / daß wir Chriſten friedlich mit einander leben/ und keiner den andern mit Worten und Waffen freventlich verletzen ſoll/ in 4to.

Zwo Predigten: *I. Multi vocati, pauci electi. II. Primi noviſſimi, noviſſimi primi*, in 4to.

Eine Jubel-Predigt/ 1618. in 4to.

Allerhand Leichpredigten.

Diſputationes: de Majeſtate divinâ CHRISTI hominis: de Sacrâ Scripturâ: de Deitate Spiritûs Sancti.

VALENTINUS BRONNERUS.

Obiit A. C. 1619.

IN *Valle Joachimicâ* patre cognomine mundum ingreſſus A. C. 1542. & in Scholâ patriâ literis initiatus, Academiam *Wittenbergenſem* adoleſcens acceſſit, ubi *Philippum Melanchthonem*, cui commendatus fuerat, Parentis inſtar coluit, ejusque Lectiones ſtudiosè frequentavit.

Wittenb. Phil. Melanchthonis diſcipulus.

Domum reverſus, conjugium iniit, & *Uratislaviam*, in quâ urbe Scribæ munus ipſi oblatum erat, diſcedere decrevit.

Id cum uxor juvencula Dom. *Matheſio*, *Vallis Joachimicæ* Paſtori, cum lachrymis queſta eſſet, hic Senatores in Curiâ accedens rogavit, ne virum hunc Patriæ futurum utilem â ſe dimitterent.

Mox itaque â Senatu Scholæ patriæ Præceptor addictus, in eâ ſexennium ſub inſpectione *Johannis Matheſii* transegit.

In Scholâ Vallis Joach. Præceptor.

Poſteà A. 1569. Paſtor Eccleſiæ *Hermsdorfenſis*, & A. 1574. *Seifersdorfenſis* factus, A. demum 1581. Eccleſiæ Paſtor & Concionator in *Canâ* Nobilium ab *Ende* conſtitutus per 38. annos fidelem Eccleſiæ CHRISTI Miniſtrum egit.

Paſtor Hermsdorf. & Seifersdorf. Concionator in Canâ.

In conjugio duplici vixit: primò cum *Margaretâ*, *Johannis Rabenaldi*, Paſtoris in Valle *Burg* & juxta *Jenam*, filiâ, quam A. 1563. virginem duxit, ex eâque 8. filios & 6. filias ſuſcepit, ſed duos tantùm filios & 3. filias poſt fata reliquit. Secundò cum *Barbârâ*, *Simonis Kornii*, Camerarii Senatorii *Geravienſis* viduâ, quam A. 1599. duxit, & ſterilem reliquit ſuperſtitem.

Ex priore conjuge tot liberos, nepotes & pronepotes in quartam progeniem vidit, quot ipſe vixit annos, 77. nimirum.

77. Nepotes & pronepotes vidit.

Hemiplegiâ tandem ſiniſtri lateris poſt graves podagræ dolores perpeſſos ſubitò correptus, cum viſu ablato, poſt 12. morbi diem, quam paulò ante obitum cretâ in tabulâ ſcriptam ſignificârat, in ſellâ ſedens placidè exſpiravit 13. Jan. A. C. 1619. æt. 77. Miniſterii 50.

Moritur.

* *Ex Concione fun. Erharti Lauterbachii, Theol. D. & Superintend. Naumburg.*

FRANCISCUS LUCAS.

Obiit A. C. 1619.

BRugenſis, Theologus *Lovanienſis*, & Eccleſiæ *Audomaropolitanæ* Decanus, Hebraicè, Syriacè, Chaldaicè, & Græcè peritiſſimus, & regiorum Bibliorum editioni cum Magno *Benedicto Ariâ Montano* cœterisque præfectus. Devixit *Audomaropoli*, & ſepultus jacet in Cathedrali, hoc Epitaphio:

Theol. & Philologus.

HIC JACET R. D.
FRANCISCUS LUCAS, BRUGENSIS, HUJUS
ECCLESIÆ THEOLOGUS ET DECANUS,
VITÆ INTEGRITATE, ERUDITIONE, LINGUAR. PERITIA, VARIISQUE AD S. SCRIPTURÆ LUCEM EDITIS LIBRIS
CELEBRIS.
QUI SE FIDELIUM PRECIBUS COMMENDAT.
OBIIT ANNO M DC XIX. DIE FEBR. XIX.

Epitaphium.

Ejus hæc ſunt Scripta:

Scripta. *Notationes in S. Biblia, quibus variantia diſcrepantibus exemplaribus loca ſummo ſtudio diſcutiuntur.*

Commentaria in IV. JESU CHRISTI Evangelia.

Notarum in varias Lectiones in Evangeliis occurrentes Libri II. quorum uno Græce, altero Latine varietates explicantur.

Tractatus de Chaldaicâ S. Scripturæ Paraphraſi, quo oſtenditur, quis Paraphraſeos illius uſus, juſſu Theologor. Lovanienſ. ſcriptus.

Libellus Romanar. Correctionum in Latinis Bibliis Sixti V. Pontif. max. juſſu reconditis.

Confeſſariorum inſtructio.

Conciones de diverſis Chriſtianæ fidei, Myſteriis.

Itinerarium JESU CHRISTI ex IV. Evangeliis.

Oratio in obitum Johannis Sixti Audomarenſium Epiſcopi.

In funere Jacobi Pamelii deſignati Audomar. Epiſcopi.

In obitu Jac. Blaſæi Audomar. Epiſcopi.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweerti.*

Obiit A.C. 1619.

JOHANNES ASSUM.

Filius fabri lignarii. NUrtingæ, Ducatûs *Würtenbergici* oppido natus eſt A.C. 1552. Parente *Auguſtino Aſſum*, cive honeſto & fabro lignario, inter 9. liberos natu minimus.

Alumnus Würtenberg. Puer felicis ingenii, Præceptorum commendatione, â Duce *Chriſtoph. Würtenbergico* inter alumnos Scholæ Cœnobialis *Murharti* A. 1565. & deindè A. 1569. *Herren-Albæ* receptus, A. demùm 1571. ad Academiam *Tubingenſem* promotus eſt, in quâ biennio pòſt Magiſterii gradu inſignitus, inter 30. Candidatos tertium locum accepit. *Magiſter Tubingæ.*

A. 1574. Præceptor in Scholâ *Adelbergenſi* factus, inter alios *D. Joh. Georgium Sigwartum*, Theologum poſteà celebrem, habuit diſcipulum.

A Scholaſtico porrò vocatus ad munus Eccleſiaſticum *Stutgardiæ* primùm, deindè *Botwariæ* Verbum DEI docuit.

A. 1581. Vocatus â Comite *Wolfgango Hohenloico*, prægreſsâ commendatione *D. Jacobi Andreæ*, cum conjuge & liberis *Lauenburgum* conceſſit, & Concionatoris aulici munus alacriter aggreſſus, in eo 37. annos fideliter exegit. *Concionator aulicus Hoënloic.*

Superintend. Weickershem. *Weickershemii* demùm Superintendens conſtitutus, ibi placidâ morte vitam finiit 14. Aug. A. C. 1619. æt. 67. Miniſterii 43. conjugii 44. cum *Sarâ Gailingiâ.* *Moritur.*

EPITAPHIUM ejus Saxo Sepulchrali inciſum hoc legitur:

Epitaphium. QUISQUIS ES LECTOR: EN MAGNUS ILLE THEOLOGUS JOHANNES ASSUM, ANTISTES OLIM AULÆ ET ECCLESIARUM PER-ILLUSTRIS COMITATUS HOENLOICI PRIMARIUS ANNO CHRISTI MDCXIX. XIV. AUGUSTI, ÆTATIS LXVII. MINISTERII XLIII. CONJUGII, CUM HONORATISSIMA MATRONA SARA GAILINGIA, XLIV, TANDEM POST TOT EXANTLATOS VITÆ ET OFFICII LABORES A DEO CREATORE AVOCATUS, ANIMAM ILLI, DEPOSITAS VERO EXUVIAS AD USQUE ARCHANGELI TUBÆ SONUM, TERRÆ OMNIPARENTI REDDIDIT. VALE LECTOR, ET SIC QUOQUE DISCE MORI IN TERRIS, UT POSSIS VIVERE IN COELIS.

POST CURAS REQUIES

JOANNES ASSUM WIRTEMBERGAS Weicershemii in aulâ Hoeloicâ Concionator.

Totidem iisdemque literis:

Curavi Leges ne vir animoſus Jovæ:
Sunt mihi in hoc cælo Nectar & Ambroſia.

* *Ex Concione fun. M. Marci Gutermanni Auguſtani Miniſtri Eccleſ. Schrolsberg.*

DANIEL HÆNICHIUS.

Obiit A.C. 1619.

ZOblitzii in *Miſniæ* oppido montano natus eſt 13. Martii A.C. 1566, Patre *Caſp. Hænichio*, Eccleſiæ ibidem Paſtore, matre *Urſulâ Pfeifferiâ*.

Cum in Scholâ patriâ *Zöblitzii* ſtudiorum prima fundamenta poſuiſſet, in Scholam *Mariæburgenſem* & *Freybergenſem* â Patre miſſus, exindè *Brunſvicenſem* & *Hanoveranam* adivit, in quâ poſteriori triennium cum fructu exegit, donec in Univerſitatem *Lipſienſem* â patre miſſus, per quadriennium ibi ſtipendiarius Elect. *Sax.* fuit. *Stipendiar. Sax. Lipſiæ.*

Wittenbergæ deindè Magiſter Philoſ. renuntiatus, mox Academiam *Helmſtadienſem* acceſſit. *Magiſter Philoſ. Witt.*

Exindè revocatus in patriam, Dom. Parenti ſuo paulò antè vitâ defuncto in Miniſterio Eccleſiaſtico ſucceſſit. *Eccleſiæ Paſtor Zoblitzii & Mariæburgi.*

Anno ſeq. *Mariæburgum* â Senatu vocatus, Verbi Divini Miniſterio per novennium fideliter functus eſt.

Sed antequàm *Zoblitio* diſceſſiſſet, conjugium iniit cum virgine *Eliſabethâ*, *Johannis Flieberi*, Senatoris *Mitweydenſis* filiâ, cum quâ 26. annor. ſpatio 4. filios & 6. filias progenuit, ex iisque duos filios totidemque filias viventes poſt fata reliquit. *Conjugium ejus & Liberi.*

A. 1600. *Mitweydam* accerſitus â viduâ Electorali *Sax. Cholnitienſi* per biennium Eccleſiæ Miniſterio præfuit.

A. 1602. Superintendens *Annæbergenſis* factus, in eo munere verſatus eſt usque ad A.C. 1610. quo *Chriſtianus II. Sax.* Elector ipſum unà cum aliis Theologis *Pragam* deduxit, & Concionatorem ſibi aulicum delegit. *Superint. Annæberg.* *Concionator aul. Chriſtiani II. Elect. Sax.*

Cum eodem *Pragâ Dreſdam* reverſus 8. annis in Templo arcis concionatus, & Miniſterio functus eſt.

A. 1618.

A. 1618. A Barone *Petro Schwambergico Pragam* revocatus, Concionatoris aulici munus apud eundem Regni *Bohemiæ* tunc Camerarium & ſupremum Curiæ Judicem ſuſcepit. *Concionator aulicus Pragæ.*

Sed morbis diverſis toto Miniſterii ſui tempore conflictatus, *Pragæ* tandem lethaliter decumbens vitam beatâ morte clauſit 2. Octob. A. C. 1619. æt. 54. *Obiit Pragæ.*

* *Ex Concione fun. M. Caſp. Wagneri, Auguſtani Concionat. Luth. Prag.*

Edidit:

Chriſtliche Brand- Buß- und Troſt-Predigten.

Danck-Predigt über die zu Glücksburg getroffene Friedens-*Tractation.*

Scalam Jacobi, die wunderbare Leiter / welche dem Ertzvatter Jacob fürkommen.

Obiit A. C. 1619.

CONRADUS SCHLÜSSELBURGIUS.

Natus eſt *Altendorffii*, oppido *Schauenburgico Saxoniæ inf.* ad *Weſeram*, Dominicâ Miſericordias Domini A. C. 1543. Patre *Hnerico*, cive, & Præfecto per multos annos Nobilium *Amonii* à *Wettberg* & *Johannis* à *Langen*, matre *Adelheidâ Reiteriâ.*

E ſacro Baptiſmo ſuſceptus eſt à *Gerhardo Fabritio*, ejus loci Concionatore, & *Henrico Breuningo*, cive ibidem.

Studia ejus juvenilia. Puer in Scholâ patriâ cum literarum primitias percepiſſet, anno ætatis 14. *Padebornam* in Scholam ibi celebrem amandatus, apud avum ibi ſuum ejus loci *Vicarium* biennio vixit.

Avo mortuo, parentum & Præceptorum conſilio *Hildeshemium* ad Patris ſui ſororem ſe contulit, ibique in Novâ Urbe Scholam frequentavit: quod etiam deindè *Halberſtadii* per triennium fecit. *Brunſvici* deindè *D. Joach. Mörlinum*, Superintendentem, & M. *Martinum Chemnitium*, Coadjutorem, docentes & concionantes audivit.

Exindè in Academiam *Wittenbergenſem* veniens, cum gradum ibi Magiſterii A. 1568. petiviſſet, fidei ſuæ Confeſſionem ſcriptim exhibere juſſus eſt, quam cum ob fidei articulos Magnifico Rectori & *D. Caſp. Peucero* diſplicentem coràm Senatu Academico revocare nollet, in perpetuum Academiâ *Witteb.* excluſus eſt, & hujus excluſionis intimatio in diverſas Academias, patriamque *Schlüſſelburgii* ad Comitem *Schauenburgicum* miſſa eſt, non tamen ubique pari modo accepta, ſed ab Academiis quibusdam & Miniſteriis *Mansfeldicis* imprimis, Confeſſio ipſius juſtificata fuit. *Ob fidei Confeſſ. Academiâ Wittenberg. excluſus eſt.*

Anno ſeq. 1569. Promotore *D. Joh. Wigando*, Theologo celebri, Nobilium Dom. ab *Alvensleben* filiis Præceptor datus, cum iis in Academiam *Jenenſem* conceſſit, ibique A. 1573. Magiſterii gradum adeptus, paulò pòſt conjugium iniit cum virgine *Annâ Dreſſertâ*, cumque tunc *D. Johannes Wigandus* ob Syncretiſmum *Jenâ* diſcedere cogeretur, comitatus eum cum ſponſâ ſuâ *Wigandi* conjugis ſorore *Regiomontium* in *Boruſſiam* conceſſit, ubi ſtatim Paſtor Eccleſiæ factus, ſponſalia celebravit. *Fit Magiſter Jenæ. Et nubit. Paſtor Eccleſ. Regiomontii.*

Ex conjuge illâ 6. filios & 3. filias ſuſcepit, ex quibus ſuperſtites reliquit M. *Andream Schlüſſelburgium*, Superintendentem in *Novo Brandenburgo*; *Conradum*, civem *Weſenbergenſem*, & *Annam*, M. *Henrici Bolthenii*, Theologi, uxorem.

Regiomontii cum ſexennium in 8. Miniſterio exegiſſet, propter zelum in Concionibus ſuis nimium diſcedere juſſus, *Roſtochium* abivit, ubi de Conſilio *David. Chytræi*, Theologi celebris, *Philippi Melanchthonis* Rethoricam in Collegio publicè docuit, ſed brevi pòſt *Andorfium* in *Belgium* vocatus, per biennium ibi adverſa multa pertulit, & *Wiſmariam* ad affinem ſuum M. *Andream Corvinum*, ejus loci Superintendentem profectus, brevi pòſt *Godebuſchi* in Ducatu *Magdeburgico* Concionatoris aulici munus ſuſcepit; non diu tamen ſuſtinuit, *Wiſmariam* revocatus, per ſexennium ibi in Templo *Mariano* Concionatorem egit. *Roſtochii docet Rhetoricam. Concionator Wiſmariæ.*

Intereà A. 1586. ex mandato *Auguſti*, Electoris *Sax. Wittenbergæ* priſtino honori reſtitutus, & ab excluſione, cujus anteà mentio facta, liberatus eſt.

Ratzenburgi deindè Superintendens factus, conjugem ibi morte abreptam amiſit A. 1592. & anno ſeq. iterum deſponſatus eſt cum virgine *Annâ*, M. *Georgii Uſleri*, Paſtoris Eccleſiæ *Ratzeburg.* filiâ, cum quâ 9. liberos progenuit, ex iiſque duos filios M. *Georgium*, & *Johannem* ſuperſtites reliquit. *Iterum nubit.*

A. 1594. Vocatus à Senatu *Straleſundenſi*, in *Pomeraniam* venit, factus ejus urbis Superintendens, poſteaquàm ejusdem urbis ſumtibus in Academiâ *Jenenſi* Doctor Theologiæ ſolenniter creatus fuiſſet. *Superintendens Stralſundæ, & Theol. Doctor.*

Ictero tandem confectus viribus conſumptis placidè exſpiravit *Straleſundæ* 5. Octob. A. C. 1619. ætatis 77. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri M. Arnoldi Slappenbeccii.*

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta.

Poſtilla Germanica, in fol.

Theologiæ Calviniſtar. Libri IV, in quibus demonſtratur eos de nullo ferè Doctrinæ Chriſtianæ articulo rectè ſentire, in 4to.

Catalogus Hæreticorum, in 8vo.

Studium Eccleſiæ DEI inſerviendi poſthumum, hoc eſt, *Deciſiones ſolidè plurimar. Quæſtionum Theologicar. in Praxi quotidiè obviarum.*

Prüfung des Sacramentiſchen Geiſtes von des HERRN Abendmal: in 8.

Von Ruhm und Lob des Adelichen Rittermäſſigen Standes.

Oratio de Vitâ D. Johannis Wigandi, in 4.

Epiſtolæ duæ memorabiles ad D. Chriſtoph. Pelargum ob deſertum veritatis Evangelicæ & laborantis in Marchiâ Eccleſiæ patrocinium, in 4to.

Paradis-Gärtlein/ darinn die edelſten und fürnehmſten Kräuter nach ihrer Geſtalt und Eigenſchafft abconterfayet/ und mit zweyerley Würckung/ irrdiſch und geiſtlich beſchrieben/ in 8vo.

Valet-Predigt bey der Chriſtlichen Gemein zu Wißmar/ in 4to.

Eine Predigt vom Amt der Chriſtlichen Obrigkeit: in 4to.

Buß-Predigt aus dem Propheten Ezechiel Cap. 33. ſamt einem Bedencken/ ob Chriſten mit Perſonen/ ſo mit falſcher Lehr behafftet/ ſich befreyen mögen: in 4to.

Bericht von den Gotteslåſterungen der Widertäuffer: in 4to.

Widerlegung des Teutſchen *Interim*, und vom Religion-Fried wegen des Paſſauiſchen Vertrags: in 4to.

Erklårung des 91. Pſalms/ ein *Præſervativ* und Cur wider die Peſt/ in 20. Predigten: in 4to.

Schlüſſelburgius redivivus, Beweiß wider die zu Franckfurt an der Oder gedruckte übelgenannte *Epitaphia*, in 4to.

24. Hochwichtige Fragen und Bedencken/ mit gründlichen Beantwortungen: in 4to.

Fluctûs & luctûs marini, Bericht/ wie ſich Chriſtliche Seefahrende Kauff- und Schiffleute allweg Chriſtlich verhalten ſollen/ von *M. Stephano Prætorio* aufgeſetzt/ und mit ſchönen *Diſcurſibus*, Gebeten und *Soliloquiis* durch *D. Conradum* Schlüſſelbergern vermehret: in 8vo.

FRANCISCUS COSTERUS.

Obiit A.C. 1619.

PAtriâ *Machliniensis*, vivente adhuc *Ignatio Lojolâ* A.C. 1552. *Romam* adoleſcens venit, & in Collegio Societatis *Romano* bonis artibus eſt imbutus.

Societ. Jeſu diſcipulus Romæ.

Reverſus in patriam, Philoſophiam *Coloniæ*, & Theologiam cum laude docuit.

Tum Præpoſitus Societatis Provincialis *Rheni* & *inferioris Germaniæ* Provincias illas prudenter adminiſtravit.

Præpoſitus Provincialis Soc. Jeſu.

Concionibus ſuis ad populum habitis multos à rectâ viâ aberrantes ad portam ſalutis reduxit.

Patriæ ſuæ ornamento & exteris admirationi cum vixiſſet, ſenex planè decrepitus vitâ deceſſit *Bruxellis* 6. Decemb. A.C. 1619.

Mor. decrepitus.

Scripta ejus partim *Latina*, partim *Flandrica*, ſunt ſequentia:

Scripta.

Enchiridion Controverſiarum præcipuarum in Religione, ſæpiùs auctum.

Apologeticum pro I. II. & III. parte Controverſiarum, contra Franciſcum Gomarum.

Epiſtola ad eundem Gomarum Anti-Coſterum.

Meditationes L. in Paſſionem Domini, *& totidem in vitam B. Mariæ Virginis.*

VII. in Hymnum Salve Regina, & Canticum, Ave maris ſtella.

Reſponſio ad Aſſertionem analyticam Andreæ Calliæ contra S. Euchariſtiam.

Apologiæ II. contra Jacobum Molanum.

Epiſtola ad Caſp. Grevinchovium, Miniſtrum Roterodami.

Demonſtratio veteris Orthodoxæ Fidei, quam Theodorus Petrejus, Cartuſianus, Latinam fecit. Cum brevi Reſponſione ad 100. mendacia antitheſeon.

Declaratio fidei contra Hæreticos Hollandos.

Epiſtola ad Ordines Hollandiæ, & Reſponſio ad Sententiam Senatûs Leydenſis, contra Petrum Pan, qui fingitur à Jeſuitis inductus ad mortem Comiti Mauritio inferendam: quam Latinè vertit Ægidius Schoondonchus ejusdem Societatis, titulo: Sica Tragica.

Catechiſmus brevior, & prolixior alter.

Reſponſio de VII. Apoſtatis.

Reſponſio ad Lucæ Oſiandri ſtolidam Refutationem VIII. Propoſitionum Catholicarum.

Meditationes de IV. Noviſſimis humanæ vitæ.

Tractatus de Indulgentiis.

Refutationes II. Reſponſionis Petri Coci ad V. ipſius Propoſitiones.

Refutationes VIII. Oppoſitionum ignoti Calviniſtæ.

Myrothecium, id eſt, *Conclâve devotarum precum ſuper Evangelia.*

Libellus Sodalitatis B. Mariæ, qui anteà dictus: Inſtitutio ad Pietatem Chriſtianam, ad Congregationem B. Virginis Annuntiatæ.

Conciones uberes in Dominicas anni, ac Feſta, Latinè & Belgicè.

Scholia in ea Bibliorum Loca, quæ ab hæreticis rapi in controverſiam ſolent.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

MAXIMILIANUS SANDÆUS.

Clar. A.C. 1620.

B*Atavus Amſtelodami* natus eſt A.C. 1578. Studia tractavit *Gröningæ*, *Coloniæ*, *Muſſiponti*, *Romæ*, Humanitatis, Philoſophiæ, Juriſprudentiæ, Theologiæ.

Societatem Jeſu ingreſſus *Romæ* A. 1597. vir fuit acri judicio, multæ lectionis, & labore indefeſſus. *Herbipoli* in *Franconatu* Theol. Profeſſor.

Soc. Jeſu.

Theologiæ Profeſſor Herbipoli.

Ejus hæc ſunt Scripta:

Scripta.

Epiſtola de diſſidio Proteſtantium Hollandorum in negotio Religionis.

Demonſtratio ad Controverſias Hollandicas prodroma, quod in fide Proteſtantium Hollandorum non ſit ſalus.

Hydrus Hollandicus, ſeu *fidei Chriſtianæ apud Hollandos controverſa Libris IV. comprehenſa.*

Digitized by Google

Thema ſeculare de Synagogâ Proteſtanticâ.
Caſtigatio conſcientiæ Jeſuiticæ cauteriatæ, conſictæ in Hollandiâ.
Admonitio de cauteriatâ Jeſuitarum conſcientiâ ad examinatorem caſtigationis Sandeanæ Batavum Calviniſtam.
Symbola vitæ humanæ.
Hyperbole & caſtigatio prodigæ Jeſuitarum liberalitatis in vocibus univerſalibus conſictæ in Hollandiâ.
Conſiderationes de Synodi Dordrechtanæ emolumentis.
Anacephalæoſis doctrinæ de Prædeſtinatione, ſenſu Catholicorum, Gomariſtarum, & Arminianorum.
Commentatio de Jubilæo Clericali Canonicorum.
Pædia Academici Chriſtiani.
Commentatio Academica de Donario cordis Epiſcopi Julii Herbipolenſis.
Theologiæ Tomi II. Theologia varia, Symbolica, & Myſtica.
Theologia Medica.
Aviarium Marianum, ſeu *Orationes ad Sodales in feſtivitatibus Deiparæ habitæ.*
Conciones de Symbolis Mortis, ſeu *Plato Chriſtianus.*
Opuſculum de Omnipræſentiâ eſſentiali DEI litigioſâ inter Calviniſtas Hollandiæ.
Opuſculum de libro DEI Vitæ, Mortis, Monumenti.
Commentationum Academicar. Volumen. Grammaticus profanus.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

Clar. A.C. 1620.

ANTONIUS THYSIUS.

Natus eſt *Antverpiæ* 9. Aug. A.C. 1565. Patre *Chriſtophoro Thyſio, Mechlinienſi, Nicolai*, urbis ejusdem Prætoris filio, Mercatore, qui ejus loci urbis dignitatibus, utpote Decani tribuum, & Vice-Præfecti, quem Vice-Magiſtrum vulgò vocant, defunctus eſt: Matre verò *Marthâ*, filiâ *Franciſci Ægidii*, cujus patruus *Petrus Ægidius* ab Actis Curiæ *Antverpienſis Eraſmum Roterodamum* familiarem habuit amicum.

Linguæ Latinæ rudimenta *Lyræ, Brabantiæ* oppido, indeque *Teneramundæ* addidicit.

Indè *Antverpiæ* ſub *Bonaventurâ Vulcanio*, Scholæ Rectore, uberiorem cultum in literis accepit, quem *Lugdunum Batav.* ad Linguæ Græcæ Profeſſionem evocatum A.C. 1580. ætatis 15. ſubſecutus eſt.

Philoſ. & Theologiæ ſtud. Lugduni Bat. Genevæ. Ibi Philoſophiæ & Philologiæ dedit operam, & cum ſuo quodam genio ad Theologiæ ſtudium inclinaret, indè A. 1582. Genevam adiit, ubi Præceptores habuit in literis Græcis *Iſaacum Caſaubonum*, in Hebræis *Bonaventuram, Cornelium Bertramum*, in Philoſophiâ *Julium Pacium* JC. & Philoſ. Profeſſorem, & *Petrum Galeſium Hiſpanum*, qui anteà *Romæ* ob ſincerioris Religionis ſenſum quæſtioni ſubmiſſus oculum alterum amiſerat, & poſteà in *Aquitaniam* ſecedens Scholæ Rectorem egit, motibusque *Gallicis* oppreſſus, contendens in *Belgium*, â Ligiſtis interceptus & *Hiſpanis* traditus, ob conſtantem fidei Confeſſionem ab *Hiſpanicâ* Inquiſitione concrematus eſt.

In Theologicis autem *Genevæ* audivit *Theodorum Bezam* & *Antonium Fayum.*

A. 1585. *Genevâ* diſceſſit, & peragratâ *Helvetiâ*, poſtquàm *Lauſannæ Nicolaum Colladonem* Theol. Profeſſorem, & *Æmilium Portum, Franciſci Cretenſis* filium, *Bernæ Abrahamum Muſculum, Wolfgangi* filium ſalutâſſet, *Heidelbergam* conceſſit.

Theol. Studioſus Heidelbergæ. Ibi totum quadriennium ſacra ſtudia, ſtudiorum ſocio *Franciſco Gomaro*, continuavit.

Cantabrigiæ, & Oxoniæ. A. 1589. In *Angliam* abiit, & *Cantabrigiæ Witackerum, Oxoniæ Rainoldum*, quorum uterque diſſimili tamen inſtituto in *Bellarmino* refutando verſabatur, docentes audivit. 12. Aug. A. 1590. *Lugdunum* redux, & ibidem nonnihil commoratus ab Eccleſiâ *Harlemenſi* ad S. Miniſterii functionem evocatur: ſed trimeſtri ſpatio tanti muneris initia faciens ob mortem Patris, (qui *Antverpiâ* Principi *Parmenſi* deditâ Religionis ergò ſolum vetere coactus erat,) *Francofurtum* abire coactus fuit. (Miniſter Eccleſiæ Harlem.)

Exindè in *Boruſſiam* & *Poloniam* penetrans, viſis ubique Academiis & ſalutatis viris doctis, per *Saxoniam*, inviſens Academias *Lipſienſem* & *Juliam*, *Stadæ* apud *Johannem Bollium*, Miniſtrum *Belgicæ* & *Walonicæ* Eccleſiæ, cognatum ſuum plus quàm annum ſubſtitit.

Indè *Embdam* diſceſſit, ac biennio ferè conſuetudine uſus *Menſonis Altingii* & *Johannis Polyandri* Patris, Theologor. inſignium, admiſſus eſt ad hebdomadarios, qui ibi habentur, Paſtorum Conventus.

Cumque *Altingius* urbe *Gröningâ* Ordinibus generalibus deditâ, â Gubernatore Comite *Wilhelmo Naſſovio* ad Eccleſiæ & Agri Reformationem adhiberetur, *Thyſium* ſibi comitem adſcivit.

Paſtor Amſtelred. A. 1594. Ab *Amſtelredamenſi* Eccleſiâ per Eccleſiæ illius Paſtorem *Petrum Plancium*, & Seniorem *Franciſcum de Raet* vocatus, ad Eccleſiæ illius curam eam acceptavit.

Sed anno elapſo, cum non tàm aliis quàm ſibi ſatisfacere nequiret, dimiſſione ægrè impetratâ, *Gallicas* Eccleſias inviſere animum induxit.

Peregrinationum tandem pertæſus, *Lugduni Batavor.* ſedem fixit, donec authore amico veteri *Franciſco Gomaro*, ad Profeſſionem Theologicam in Gymnaſio *Geldro-Velavico*, quod eſt *Hardervici*, tum primùm inſtituto traductus eſt, quam ſuſcepit 16. Aug. A. 1601. (Theologiæ Profeſſor Hardervici.)

Anno ſequenti uxorem duxit *Johannam Franciſci de Raet*, & *Franciſcæ Bolliæ* filiam.

Theol. Prof. Lugduni Bat. A. 1619. A Principe *Auriaco* & Ordinibus *Hollandiæ* ad Profeſſionem Theologicam in Academiâ *Leydenſi* vocatus, ibique eodem adhuc anno â *D. Johanne Polyandro* unâ

unà cum *Feſto Hommio*, Collegii Ordinum Regente, Doctor Theologiæ creatus eſt.

Libros edidit:

Scripta.

Corpus Doctrinæ Eccleſiarum Belgicarum Belgicè.

Parænesin, ſeu Orationem de Theologiâ ejuſque ſtudio capeſſendo.

* *Ex Vitis Theologorum Leyd.*

Obiit A.C. 1620.

ALEXANDER TERENTIUS.

PAtavii natus eſt A.C. 1540.

Canonicus Patav.

Juris utriusque Doctor & Cathedralis Eccleſiæ Canonicus fuit.

Ob vitæ ſanctitatem clarus omnibus venerationi fuit, & *Patavini* Antiſtites ipſum in Vicarium ſuum non rarò adhibuerunt.

DEO deditus.

Invaleſcente ætate, Divino totus amore ſuccenſus, *Johanni Terentio*, JC. ex fratre nepoti Canonicatum *Patavinum* contulit, & ipſe in ſuperiorem Domûs partem quaſi in Eremum ſe abdidit, ut Divinis meditationibus & orationibus intenderet.

Cœnobium virginum concedit.

Ædes Orbatorum *Patavii* conſtruendas curavit, & in Suburbio *S. Crucis* ſacris Virginibus ex Capucinorum Ordine Cœnobium concedere cœpit: licètque annis feſſus domo greſſus efferre vix poſſet, frequens tamen eis neceſſaria ſuppeditavit, nec ceſſavit verbis & exemplo rudes illarum animos ad pœnitentiam, orationes, mundi contemptum, & pietatem omnem informare.

Eas ad pietatem informat.
Moritur.

Obiit tandem A.C. 1620. ætatis 80.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jac. Phil. Tomaſini.*

EPITAPHIUM.

Epitaphium.

ALEXANDRO TERENTIO, JC. CANONICO, ANIMI CANDORE, DOCTRINÆ EMINENTIA, LIBERTATE IN PAUPERES RELIGIONE PRÆCLARO.

JOHANNES TERENTIUS, JC. EJUSDEM BENEFICENTIA IN CANONICATU SUCCESSOR PATRUO OPTIME MERITO M.DC XX IV.

Obiit A.C. 1620.

WIGANDUS SPANHEMIUS.

Conſil. Eccleſiaſt. Amberga. Philologus.

S. Theol. Doctor, & *Friderico V.* Elect. *Palat.* ac Regi *Bohemiæ* à Conſiliis *Ambergæ*. Vir fuit pietatis ſingularis, nec Theologicâ ſolùm & Philologicâ eruditione instructus, ſed & Linguarum, Latinæ imprimis & Græcæ peritus.

Ex Conjuge *Renatâ Toſſanâ, Danielis Toſſani*, Theologi *Heidelbergenſis* filiâ natu majore unicum ſuſcepit filium *Fridericum*, Philoſ. poſteà & Theologum in *Galliâ* & *Belgio* clariſſimum: & duas filias, *Annam Mariam* & *Catharinam Veronicam*.

Præ gaudio mor.

Tandem lecto affixus, poſtquàm literas à filio *Genevâ* accepiſſet, eas præ gaudio totas lachrymis conſperſit, & tenaciter ambabus manibus retinuit: donec in CHRISTO exſpiravit A. 1620.

* *Ex Orat. fun. filio ipſius Frid. Spanhemio habitâ.*

Obiit A.C. 1620.

NICODEMUS SITZLINUS.

ULmæ natus eſt 28. Maji A.C. 1578. Patre in Gymnaſio Præceptore, cujus informatione poſtquàm artium & diſciplinarum fundamenta poſuiſſet, 5. Jun. A. 1595. Academiam *Tubingenſem* acceſſit, in quâ M. Sept. ſeq. Baccalaureus, & 10. Aug. A. 1597. Magiſter renuntiatus eſt. Exindè A. 1599. cum *Davide Weickmanno* & *Daniele Beſſerero*, Patricio, *Argentinam* diſceſſit.

Baccal. & Magiſter Tubingæ.

Pædagogus Reichenwyleræ.

2. Jul. A. 1602. Prægreſsâ vocatione legitimâ *Reichenwyleræ* in *Alſatiâ* ſuperiori ditionis *Würtenbergicæ* Pædagogi munus aggreſſus eſt.

An. 1607. Domum à patre revocatus, 16. Nov. nuptias *Ulmæ* celebravit cum virgine *Catharinâ*, *Caſp. Heldii*, Concionatoris in Xenodochio filiâ.

Diaconus Reichenwyleræ. Paſtor Bebelhem.

A. 1608. *Reichenwyleræ* Diaconus Eccleſiæ, & A. 1611. Paſtor *Bebelheimenſis* conſtitutus, utrumque munus belli peſtisque tempore fideliter obivit.

Concionator primarius Ulmæ.

A. 1612. *Ulmæ* poſt mortem *Valentini Schradini* Paſtor Eccleſiæ Xenodochialis, & anno ſeq. Concionator in Templo primario factus, *Ludovico Rabo* ſucceſſit.

Moritur.

Aſthmate tandem correptus, inter adſtantium preces placidè exſpiravit 10. Januarii A.C. 1620. ætatis 42.

MAGISTER NICODEMUS SIETZLINUS.

Per *Anagramma ſ in e mutato:*

Sacer Domini zelus intus me egit.

* *Ex Concione fun. M. Balthaſ. Kerneri, Concionat. Ulm.*

Obiit A.C. 1620.

PETRUS GEORGIUS ODESCALCUS.

Jur. Doctor.

FIlius fuit *Thomæ Odeſcalci*, Senatoris *Mediolanenſis*, & in adoleſcentiâ literas humaniores profeſſus Legum Doctor renunciatus uxorem duxit, quâ brevi poſt demortuâ viduus manſit, & DEO vitam ſuam devovens Sacerdotem egit.

Protonotar. & utriusque Signaturæ Referendar.

Dum deindè aulam *Romanam* acceſſiſſet, & apud avunculum *Paulum Odeſcalcum*, *Pennæ* Epiſcopum, ac urbis *Romæ* Gubernatorem vixiſſet, *Sixtus V.* Pont. Max. Protonotarium & utriusque Signaturæ Referendarium conſtituit.

Ibidem in Canonizatione Sancti *Didaci* Protonotarium agens, Orationem elegantem, præſente cum Papâ Cardinalium Collegio recitavit in laudem *Didaci*, cujus poſteà

poſteà vitam deſcripſit, eidemque Pontifici tradidit, qui Regi *Hiſp.* tranſmiſit.

Gubernator Fermi. Epiſcopus Alexandr. A Papâ deindè *Gregorio XIV. Fermi* Gubernator, & à *Clemente VIII.* Epiſcopus *Alexandriæ* factus eſt, ab eodemque Nuntius Apoſtolicus ad *Helvetios* miſſus, cum iis de ſubſidiis Regno *Galliæ* tempore *Ligæ Catholicæ* factis tractavit.

Autor Orationis 40. horar. Ad Epiſcopatum ſuum reverſus, Orationem 40. horarum ſingulis menſibus habendam inſtituit.

Tempus privatum lectione Patrum Eccleſiæ, *Concilii Tridentini* ac Provincialis *Mediolanenſis* aliorumque viſitatione inſumpſit.

Tria Templa extra muros *Alexandrinos* in honorem *Mariæ* Virginis exſtruxit, & diſciplinam Eccleſiaſticam in Epiſcopatu ſuo conſervavit, quem cum annis 13. fideliter gubernâſſet, ad Epiſcopatum *Vigevanum* promotus, in eodem novennio pòſt vitam finiit 6. Maji A. C. 1620.

Epiſcopus Vigevanus.

Edita ab eo ſunt:

Scripta. *Inſtituto di devozione ad honore della beatiſſima Vergine Maria da eſſercitarſi 15. giorni avanti la Quareſima, con alcuni Diſcorſi che ſervono à promovere lo ſteſſo inſtituto.*

Diſcorſi ſopra l'Orazione da farſi communamente mattina e ſera dalle famiglie nelle proprie caſe.

Oratione recitata nel funerale della Reina di Spagna Margareta d'Auſtria.

* *Ex Theatro Italico Viror. doctor. Hieron. Ghilini.*

SAMUEL SELTENREICH.

Obiit A.C. 1620.

IN *Valle Joachimicâ* natus A. C. 1549. Patrem habuit *Andream Seltenreich*, ejus oppidi Conſulem.

Joh. Mattheſii Conciones excepit. *Johannis Mattheſii*, Theologi celebris, Conciones adoleſcens 17. annor. audivit, & in parentum gratiam calamo excepit.

A. 1566. In Scholam *Ambergenſem*, & anno ſeq. *Hallenſem* in *Saxoniâ* miſſus, ſub Rectore *Jacobo Fabricio Chemnicenſi*, adeò profecit, ut A. 1568. Academiam *Wittenbergenſem* ſtudii Theologici causâ acceſſerit.

Wittenbergæ Theol. ſtud.

Plattæ Scholæ Præceptor, & Eccleſiæ Diaconus. A. 1569. *Plattam* vocatus, decennio Præceptorem Scholaſticum egit, & poſteà quinquennio Diaconum Eccleſiæ.

Concionator Schönfeldiæ. A. 1584. In oppido *Bohemiæ* montano *Schönfeldiâ* Diaconus Eccleſiæ, & brevi pòſt defuncto *Johanne Colero*, Concionator factus, munere ſuo fideliter ad finem vitæ functus eſt.

In quaterno intereà conjugio degens, multos liberos progenuit, nullos tamen ſuperſtites reliquit.

Ex liberis filius *Samuel Pragæ* ſine culpâ peremptus patri mortem acceleravit, qui cum à ſexennio pedis ulcere laborâſſet, placidè tandem in CHRISTO obdormivit die 22. Junii A. C. 1620. ætatis 71.

Moritur.

* *Ex Concione fun. Johannis Leufferi, Diaconi Schönfeld.*

ANDREAS SCHNEIDERUS.

Obiit A. C. 1620.

NAtus eſt *Lipſiæ* 11. Octob. A. C. 1558. Patre *Andreâ*, typographo, matre *Annâ*, *Matthæi Kerſten*, mercatoris, filiâ.

11. Junii A. 1575. in patriâ primam Philoſophiæ Lauream adeptus, & A. 1580. Magiſterii titulo ornatus, primum in Actu locum obtinuit. Deindè cum Philoſophiâ Theologiæ ſtudium conjunxit, in quo ſimiliter magnâ cum induſtriâ verſatus eſt. *Fit Philoſ. Magiſter.*

A. 1582. A Nobili Viro Dom. *Henrico Hildebrando ab Einſidel Cremnizaviam* ad munus Rectoris Scholaſtici petitus, cum ultra triennium in iſtâ functione fidem ſuam ſatis probâſſet, A. 1585. *Albersdorfſii*, *Voitlandiæ* pago, Parochiam nactus, ibi Paſtorem annis ſex egit. *Rector Scholæ. Parochus Albersdorfſi.*

A. 1592. Ad Diaconatum in Eccleſiâ patriâ tum vacantem ab urbis Senatu vocatus, totos 29. annos Verbum DEI docuit, pro Concionibus tractans *Prophetiam Danielis*, & 12. *Prophetas minores*, quibus ordine explicatis in *Malachiâ* ſubſtitit. *Diaconus Lipſienſis.*

A. 1583. In matrimonium duxit virginem *Magdalenam*, *Johannis Hertzog*, civis *Lipſienſis* filiam, quæ 10. ei filios peperit, ex quibus 5. honorum ſummorum titulos adeptos cum magnâ lætitiâ vidit: dum primus *Andreas* in Juridicâ, alter *Johannes* in Medicâ Facultate Doctores creati, hicque *Miſenæ* Medicinam fecit: tertius *M. Zacharias* in Collegium Philoſophicum adſcitus, Politicam cum Juris ſtudio conjunxit, reliqui duo M. *Chriſtianus* & M. *Fridericus* ſacram Theologiam coluerunt. *Conjugium ejus. Filios 5. vidit eruditos.*

A. 1606. Triennio viduus ad ſecunda vota tranſiit, ductâ in uxorem *Mariâ*, *Joh. Engelharti*, civis *Lipſ.* viduâ, ex quâ duos filios genuit, in infantiâ mortuos. *Alterum Conjugium.*

Cum verò per annum ipſe plethoricus & catarrhis obnoxius prodromos apoplexiæ ſenſiſſet, tandem catarrhus putridus naturam ſubitò proſtravit, undè calore nativo diminuto, improvisò gangræna crus dextrum corripuit, quâ etiam 11. morbi die extinctus eſt 31. Dec. A. C. 1620. æt. 63. *Moritur.*

* *Ex Concione fun.*

CASPARUS STURMIUS.

Obiit A. C. 1620.

NAtus eſt *Fridslar.* Philoſophus pariter, Theologus & Poëta ſui ſæculi eximius, anno 1605. diſcedente *Gieſſam Mentzero*, è *Gutenſpergenſi* Eccleſiâ, cujus Paſtorem egit, jam ferè ſenex evocatus ad Profeſſionem *Marpurg.* & Ephoratum, orationem habuit 12. Auguſti, & anno 1607. Martii 19. Doctor Theologiæ creatus eſt, quo etiam anno cum aliis 12. Januarii Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſor ſalutatus eſt, & conſtitutus, atque Rectoratum adminiſtravit anno 1616. de vitâ deceſſit æt. 75. Exſtant viri *Poëmata* eruditionis & gravitatis plena. *Gutenſpergenſis Eccleſiæ Paſtor. Theologus, Profeſſor & Ephorus. Doctor Theol. Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſor & Rector.*

* *Ex MSS. Marpurg.*

Digitized by Google

GREGORIUS SCHÖNFELD, SENIOR.

Obiit A.C. 1620.

IN oppido *Zahnâ*, ditionis Electoralis *Saxoniæ*, natus annô 1559. Patre ejuſdem planè nominis; & poſtmodò ab avo materno, Viro prænobili *Michaële ab Arnsdorff* liberaliſsimè educatus eſt.

Hujus filius *Joachimus* è bello *Suecico* in patriam redux, quum haud vulgarem in puero peritiam cerneret equitandi; fieri ſibi facultatem petit ſecum in expeditionem *Gallicam* abducendi illum, quod tamen, cum pater filium hunc, quem habuit unicum, dilexerit unicè, fieri negavit illa paterna στοργὴ.

Studiis mancipatur.

Intereà *Matthæus Dreſſerus* Ludi Septemviralis ad *Albin* Moderator, Electoris nomine â Senatu *Zahnenſi*, ſi quem haberent eximiâ indole puerum, ſibi mitti juſſit.

Mittitur in Ludum Septemviralem ad Albin.

Adhibito igitur ex omnibus delectu, *Schönfeldius* miſſus eſt, qui cum integrum ſexennium in eo ludo deſudâſſet, eos fecit illic progreſſus, ut etiam quarto exemptus ad *Wittebergenſem* transmiſſus eſſet Academiam: ubi qua erat ingenii capacitate, brevi tempore univerſam liberalium artium Encyclopædiam accuratè edoctus, publico ornatus eſt eruditionis teſtimonio & Magiſterii titulo, non multò pòſt receptus quoque in publicum Philoſophicis Diſputationibus Præſidentium collegium.

Venit Wittebergam.

Philoſophiæ Magiſter.

Receptus in publicum Philoſophicis Diſputationibus præſidentium collegium.

Cùm verò præter cœtera diſcendarum S. Literarum tanto flagraret amore, ut iis immoraretur totus, id porrò laboris aſſiduitate, &, quo pollebat, ingenii vigore conſecutus eſt ampliùs, ut Electoris *Saxoniæ* mandato & juſſu, ſupremi in Theologiâ honores & inſignia ipſi ab *Urbano Pierio* S. Theologiæ Doctore anno 1591. ſolenni ritu collati ſint, ſupremi in Eccleſiâ *Delicienſi* Paſtoris & Superintendentis oblato officio.

S. Theologiæ Doctor.

Eccleſiæ Delicienſis Superintendens.

Verùm tempore ſemeſtri vix intercedente, â *Chriſtiano Saxonum* Electore in aulâ *Dresdenſi* Concionator declaratus eſt & Superintendens, quod & minimè diuturnum.

Aulæ Dresdenſis Concionator.

Cum enim, *Chriſtiano* illo Electore è vivis ſublato, Religionis ſtatus illicò mutatus, Exorciſmus, tanquàm neceſſarius in Pædobaptiſmo ritus, de novo invectus, etiam officio ſuo abdicatus eſt *Schönfeldius*.

Cum ſuis verò *Wittebergam* depproperavit, familiâ illic domi ſuæ relictâ, ſolus *Palatinatum* petiturus in tranſitu *Caſſellas* venit, ubi â Præſide *Keudelio* præter ſpem & votum ad *Wilhelmum* Principem delatus, in aulâ Concione habitâ Concionator mox conſtitutus eſt aulicus.

Aulæ Caſſellanæ Concionator.

Ex quo tempore tam gratioſus heroi, ut cum extremum is vitæ terminum appropinquare ex minimè obſcuris præſentiſceret judiciis, hunc ſuum illicò accerſi juſſiſſet *Schönfeldium*, & in complexu ejus inter ardentes preces, & dulces, quibus ſe erexit, conſolationes, exſpiraverit placidè.

Neque cum minore clementiæ favore, quem â nunquàm ſatis laudato Heroë ac patre unicè commendatum ſibi nôrat, complexus poſteà eſt Princeps *Mauritius*.

Quippè qui non tantum communia Synodi ſuffragia & vota, quibus is Superintendens *Caſſell.* eligebatur, confirmavit & rata jùſſit, ſed Collegio *Adelphico Mauritiano* laudabiliter aperto, Theologiæ Profeſſorem eundem deſignavit ampliùs, & porrò biennio pòſt, probatâ modò Viri induſtriâ ac fide, & quam Academiæ *Marpurg.* jam annum ampliùs integrum è cathedrâ publicè docendo pariter ac diſputando præſtitiſſet, operâ, primarius Theologiæ Profeſſor & Eccleſiaſtes â *Mauritio* Principe anno 1608. Cal. Jan. electus eſt, creatusque eodem ſimul tempore Academiæ Rector, & triennio pòſt Conſiſtorii Eccleſiaſtici Præſes.

Theologiæ Profeſſor.

Primarius Theologiæ Profeſſor & Eccleſiaſtes, Academiæ Rector Conſiſtorii Eccleſiaſtici Præſes.

Quamvis autem tot & tantis pro interpoſiti triplicis officii ratione diſtentus laboribus, nihilo tamen minus interim *Caſſellas* ſubindè accerſitus eſt, quod vel de rebus Eccleſiaſticis difficilioribus ejus præſentis requireretur judicium, vel etiam in frequentioribus illuſtrium Virorum ac Principum ibidem inſtitutis conventibus non deeſſent, qui pro Concione publicâ Viri hujus in docendo gravitatem miro humanitatis quodam & ſuavitatis temperamento variantem audire expetiiſſent ſummoperè.

Quocirca quum ei inflicta demum dextri lateris hemiplexia fuiſſet, inopinatum illum & triſtem tanti Viri caſum quàm acerbè tulerit Princeps, teſtari potuerunt non tantùm crebriores ipſum inviſendi actus, ſed & ſumptuoſæ in curam valetudinis ejus factæ impenſæ. Quippè cujus liberalitate tum alterâ vice in thermis *Embdenſibus* & in aquis rurſus *Northuſanis* propè *Caſſellas*, tam felici ſucceſſu ſeſe recreavit, ut non tantùm, quo voluit, ambulare liberè, ſed & ſatis intelligenter cum aliis loqui, & ab iisdem intelligi potuerit. Senex autem jam 61. ingreſſus, *Caſſellis* tandem annô 1620. naturæ ſatisfecit.

Hemiplexiâ correptus.

Moritur.

* *Ex MSS. Marpurg.*

HENRICUS SEDULIUS.

Obiit A.C. 1621.

CLivienſis, *Cliviæ*, primariâ ejusdem nominis Ducatûs civitate, natus, Ordinis Minorum *S. Franciſci*, totius Ordinis Diffinitor, & Miniſter Provincialis. *Georg. Macropedium* Præceptorem habuit in humanioribus. Vir pius & eruditus, & in ſanctis Patribus verſatiſſimus, *Juſto Lipſio* familiaris.

Monachus Franciſc.

Migravit ex hâc vitâ *Antverpiæ*, plenus dierum, 26. Febr. A. C. 1621. annis propè 52. in Ordine exactis.

Moritur.

Ejus extant:

Scripta.

Præſcriptiones adverſus hæreſes.

Diva Virgo Moſæ Trajectenſis, ſive *Beneficia ejus & Miracula.*

Apolo-

Apologeticus adverſus Alcoranum Franciſcanorum, pro libro Conformitatum.

S. Bonaventuræ Speculum diſciplinæ ad Novitios.

Commentar. in Vitam S. Ludovici, ex Ordine Minorum, Epiſcopi Toloſani.

Imagines Religioſorum S. Franciſci in æs inciſæ, additis brevibus Elogiis.

Sanctorum Ordinis ſui Vitæ cum Notis.

Provincia inferioris Germaniæ fratrum Minorum, in qua de Cœnobiis Fratrum, Virginumque Monialium, de Martyribus & Scriptoribus M. S. His inſerta *Johannis à Capiſtrano* vita, nunquàm excuſa.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A. C. 1621.

JOHANNES ARNDT.

B*Allenſtadii* in Ducatu *Anhaltino* natus eſt A. C. 1555. die *S. Johannis* Evangeliſtæ, Patre Dom. *Jacobo Arndt*, Sereniſſ. Principis *Anhaltini Wolffgangi* Concionatore ibidem aulico, matre *Annâ Schöttingiâ*.

Cum A. 1563. Patre per mortem præmaturam fuiſſet orbatus, agnatorum adjutus ope in Scholis *Aſcherslebii, Halberſtadii* & *Magdeburgi* ſedulus prima ſtudiorum fundamenta poſuit.

Diſcipulus Aſcherslebii, Halberſtadii, & Magdeburgi.

A. 1576. Ætatis 21. ſtudia continuandi deſiderio flagrans, 4. ſucceſſivè Academias celebres, *Juliam, Wittenbergenſem, Baſileenſem*, & *Argentinenſem* adivit, & in duabus poſterioribus longiori tempore commoratus privatim Studioſis aliis Rhethoricam, Phyſicam, Ethicam, item *D. Pauli ad Romanos Epiſtolam* declaravit.

Studioſus Helmſtadii, Wittenbergæ, Baſileæ & Argentinæ.

Baſileæ Baroni cuidam *Polonico* Præceptor datus, cum aliquando in *Rheno* laväſſet, gurgiti immerſus à diſcipulo adnatante & crinibus eum trahente ex mortis faucibus per DEI gratiam ereptus eſt.

Mortis periculo ereptus.

Theologus abindè ſuccreſcens incomparabilis A. 1585. ad Verbi Divini Miniſterium a Sereniſſ. Principe *Anhaltino, Joachimo Erneſto*, clementer vocatus, & *Bernburgi* ordinatus eſt, & eodem anno deſponſatus cum virgine *Annâ*, Dom. *Chriſtoph. Wagneri*, Prætoris *Ermſchlebienſis* filiâ.

Miniſter Verbi Div. Bernburgi ordinatus.

Deſponſatus.

Cum verò 7. annis abindè Verbum DEI, ad normam *Confeſſionis Auguſtanæ, Ballenſtadii* & *Badebornæ* docuiſſet, Reformatis quod eorum doctrinæ conſentire nollet, exſul, & emigrare coactus A. 1590. *Quedlinburgum* vocatus, per 9. annos ibi ad *S. Nicolaum* Concionatoris munere fideliter functus eſt.

Paſtor Eccleſ. Ballenſtadii & Badebornæ.

Concionator Quedlinburgi.

A. 1599. In urbem *Brunſvigam* indè, prægreſſâ vocatione legitimâ, diſcedens, novem ibi annos cum dimidio Verbi Divini Paſtor in Templo *Martiniano* fuit, multaſque tribulationes & perſecutiones â malevolis perpeſſus eſt.

Brunſvigæ Paſtor,

A. 1609. *Islebiæ* Paſtor Templi ad *S. Andream*, & unà Conſiſtorii Aſſeſſor conſtitutus, in eo munere annos duos cum dimidio exegit, generoſis Comitibus *Manſfeldicis*, Dominis Collegis, totique cœtui auditorum propter eruditionem ſingularem & Conciones devotas chariſſimus.

& Islebiæ.

Et licèt vitam ibi ſuam finire decreviſſet, vocationi tamen *Cellenſi* ad Concionatoris & Superintendentis generalis in Ducatu *Lunæburgenſi* munus A. C. 1611. obtemperavit, & per decennium obivit.

Generalis Superintendens Cellenſis.

Vocationes intereà diverſas alias, *Northuſam* A. 1594. Superintendentiam in Comitatu *Schwartzenburgico* A. 1597. *Weiſenfelſam* A. 1609. *Magdeburgenſem* etiam ad Concionatoris in Templo cathedrali munus, & *Hamburgenſem* modeſtè recuſavit. Scriptis intereà ſpiritum divinum redolentibus cum vitæ ſanctitate per totam ferè Germaniam clarus, â Magnatibus multis per epiſtolas manibus propriis ſcriptas ſæpiùs ſalutatus eſt.

A Magnatibus in honore habitus.

Alii verò Proceres virum adeò ſanctum videndi & alloquendi gratiâ ultra 70. milliaria Germanica iter ſuſceperunt.

Libros ejus, præter alios, generoſus Comes *Jacobus Gardius*, regni Suecorum Generalis Campi-Mareſcallus, & imprimis libros 4. de vero Chriſtianiſmo adeò dilexit & coluit, ut illos non ſolùm pacis tempore domi diligenter perlegerit, ſed etiam bello graſſante in caſtris ſecum ferre ſolitus fuerit. Imò, quod mirandum, adverſarii *Lutheranorum* ipſi Libros *Arndtii* Theologicos laudibus efferunt, inter quos Prælatus quidam Catholicus, poſtquàm 4. libros de Chriſtianiſmo legiſſet, mirari ſe dixit, quod hæreticus *Lutheranus* adeò ſpiritualiter ſcribere potuerit.

Catholici cujusdam elogium.

Id ipſum quoque Deus 7. Jan. A. 1624. miraculo confirmavit, cum miles quidam Locumtenens in *Haſſiâ* degens hoſpitæ *Libellum Arndtii Hortum Paradyſi* vocatum, ex manibus ereptum, in ignem fornacis comburendum projecit, quem illa carbones, ut pullos gallinaceos Locumtenenti aſſaret, è fornace extrahens illæſum, & integrum miraculoſè produxit.

Miraculum.

3. Maji A. 1621. Concionem ultimam in Templo habuit ex Pſalmo 126. *cum lachrymis ſementes cum gaudio metent*, mox domum reverſus de faucium dolore conqueſtus, ad uxorem dixit: *Hodiè Concionem funebrem dixi.*

Concio ejus ultima.

Indies abindè viribus infirmior ſermonibus ſubindè ſacris ſe conſolatus, ultimo vitæ die dixit & oravit ex Pſalmo 143. *Domine ne intres in judicium cum ſervo tuo*: mox dormivit aliquantiſper, & expergefactus oculis ſublatis ex Joh. cap. 1. dixit, *Videbamus gloriam ejus, gloriam quaſi filii Patris unigeniti.* Et cum uxor eum interrogâſſet, *quando gloriam illam vidiſſet? jam modò vidi illam* reſpondit, *ô qualis gloria, quam nec oculus vidit, nec auris audivit!* Brevi pòſt cum horologii hora nona pulſâſſet, verbum effatus eſt ultimum: *Nunc vici!* Quietus abindè jacens circa medium noctis, inter adſtantium preces

Oratio ejus ultima.

Ultimum ejus verbum.

ces placidè exſpiravit, die 11. Maji, quo *Moritur.* Solis eclipſis viſa fuit, A.C. 1621. ætatis 66. Miniſterii 39.

Cum 15. Maji ſeq. ſepultus fuiſſet, Sereniſſ. Dux *Brunſvicenſis Chriſtianus*, electus Epiſcopus *Mündenſis*, cum fratribus in præſentiâ ſuâ funus honoravit, & ſtatuam ejus juxta ſepulchrum in Templo Cathedrali *Cellæ* erexit.

Libros ſcripſit & edidit linguâ vernaculâ:

Scripta. **Poſtill/ oder Auslegung der Evangelien**: in fol.

Pſalm-Predigten: in fol.

Auslegung des *Catechiſmi Lutheri* **in 8. Predigten/ und in 60. Predigten.**

4. Bücher vom wahren Chriſtenthum.

Paradisgärtlein.

Informatorium Biblicum, **das iſt/ Chriſtlicher Unterricht ſeelig zu leben und zu ſterben.**

Lehr- und Troſt-Büchlein.

Süſſe anmuthige Lehr von der Vereinigung Chriſti mit den Glaubigen: in 8vo.

Chriſtianiſmum genuinum ex S. Scripturâ, unici noſtri Salvatoris vitâ, interno conſcientiæ externoque naturæ teſtimonio repræſentatum, in 12mo.

De Unione credentium cum JESU CHRISTO Capite Eccleſiæ, in 4to. & in 8vo.

Seelen-Artzney wider die Seuche der Peſtilenz: in 12mo.

* **Geiſtliches Brodkörblein / darinnen die übrige Broſamen /** *Meditationes* **und Andachten**: in 8vo.

10. **Predigten von den 10. Egyptiſchen Plagen**: in 4to.

Haus- und Hertz-Kirch / wie das Reich GOttes in uns zu bauen: in 8vo.

* *Ex vitâ & mortis Dom.* ARNDTII *deſcriptione Germanicâ, Poſtillæ ipſius Evangeliorum præmiſſâ.*

Obiit A.C. 1621.

EILHARDUS LUBINUS.

NAtus eſt 24. Martii A.C. 1565. in oppido *Ammerlandiæ Weſterſtede*, Patre Viro Reverendo *Friderico Lubino* ibidem Paſtore, & matre *Catharinâ Blinings.*

His honoratis Parentibus orto natura, ſeu potiùs Deus 4. ſumma dederat bona, indolem optimam, ingenii vim, memoriæ firmitatem, & judicii acumen. Quibus veluti alis ſubvectus per omnes diſciplinarum campos veloci curſu, ſub præſtantiſſimis Præceptoribus in Academiis *Lipſienſi*, *In 7. Academiis Studioſus.* *Colonienſi, Helmſtadienſi, Argentinenſi, Jenenſi, Marpurgenſi* & *Roſtochienſi* ad ſummum ferè doctrinæ apicem pervenit. Nam & artes, quæ humanitatis ſunt propriæ, præclarè novit, & in authoribus Græcis verſatus, in eâ linguâ familiam duxit, excellens Poëta & Orator, & Mathematicus. Latere enim eximia hujus Viri eruditio non potuit, ſed eum primò ad Poëſeos anno CHRISTI 1595. *Roſtochii Profeſſor Poëſ. & Theologiæ* deindè ad Theologiæ Profeſſionem in Academiâ *Roſtochienſi* extulit, ſimulque tunc Doctorâ caput ejus incinxit, quod factum A. 1605. *Theol. Doctor.*

Anno eodem, quo in Poëſeos Profeſſorem fuerat allectus, uxorem duxit *Gertrudim*, M. *Jacobi Backmeiſteri*, Ling. Hebr. in *Conjugium ejus duplex & Liberi.* in Academiâ *Roſtoch.* Profeſſoris viduam, quâ poſt 7. annos extinctâ Dom. *Wilhelmus Laurenbergius*, Medicus illuſtris, filiam ſuam *Catharinam* connubio junxit ipſi verè ſecundo. Nam cum ex prioribus nuptiis fuiſſet ἄπαις, in ſecundo Rector vidit progenitos ſibi 9. liberos, *Fridericum, Wilhelmum, Eilhardum, Johannem I, Johannem II, Petrum, Catharinam, Johannam Sophiam*, & *Agnetam*, è quibus *Johannes I*, & ex filiabus duæ poſtremæ ordine naturæ inverſo patrem anteceſſerunt. Febre quartanâ tandem à 10. menſibus exhauſtus in Rectoratûs munere mortuus eſt 2. Junii *Moritur* A.C. 1621. æt. 56.

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Antiquarius, ſive *priſcorum & minus uſitatorum vocabulorum brevis & dilucida interpretatio ordine Alphabetico digeſta*, in 12mo. & in 8vo. *Scripta.*

Phoſphorus de primâ causâ & naturâ mali, tractatus hypermetaphyſicus, in quo multorum graviſſimæ dubitationes tolluntur, & errores deteguntur, in 8vo. & 12mo.

Carmina Anacreontis cum Notis, in 4to.

Fax Poëtica, ſive *Genealogiæ & res præcipuè geſtæ Deorum Gentilium, Virorum Illuſtrium, Regum Græcorum, & Cæſarum Romanorum perpetuis tabulis illuſtrata*, in 8vo.

Florilegium, hoc eſt, *veterum Poëtarum Epigrammata Græco-Latina*, in 4to.

Clavis Græcæ Linguæ, ſive *Vocabula Latino-Græca*, in 8vo. & 12mo.

Q. Horatius Flaccus accuratiſſimè emendatus, & explicatus paraphraſi Scholaſticâ, in 4.

In Juvenalis & Perſii Satyras, in 4to.

Ecphraſis ſuccincta & perſpicua in Junii Juvenalis libros Satyrarum, in 8vo.

Tractatio Theologica de causâ peccati, ad Theologos Auguſtanæ Confeſſionis, in Germ. in 4to.

Epiſtolæ veterum Græcorum editæ Græcè & Latinè. Acceſſit Methodus conſcribendarum Epiſtolarum Græcè & Latinè, in 8vo.

Monoteſſaron, ſive *Hiſtoria Evangelica ex 4. Evangeliſtis in tribus Linguis, Græcâ, Latinâ & Germanicâ in unum corpus redacta*, in 4to.

Memoria illuſtr. Principis Caroli Ducis Megapolitani, in ejus funere recitata Oratio. in 4to.

Commentarii in Epiſtolas Pauli majores, in 4.

Exercitationes Theologicæ in minores omnes S. Apoſtolorum, Pauli, Petri, Johannis & Judæ Epiſtolas, in 4to.

Quadripartita Evangelicæ Hiſtoriæ Monas, ſive *quatuor Evangeliſtarum, in quâ ſinguli inconfuſi, & ſoli legi poſſunt, & rurſum una ex omnibus univerſalis, & continua hiſtoria ex*

tempore

Digitized by Google

tempore formari: cui utique tantum lucis acceſſit, ut lecturis Commentarii loco eſſe poſſit, in 4to.

Novum Teſtamentum Græco-Latino-Germanicum, in cujus novâ editione acceſſit Conſilium de Latinâ Linguâ compendioſè à pueris addiſcendâ, in 4to.

In Cerberum Jeſuitam toti mundo formidabilem, Carmen, in 4to.

Declamationes Satyricæ tres, in 8vo.

Diſputationes de Veritate Religionis Chriſtianæ, ex libro Phil. Mornæi, de Juſtificatione, contra Pontificios, de Peccato, de cauſa Peccati, de Fidei & Salutis fundamento, de Exorciſmo in S. Baptiſmo, de Converſione mulieris peccatricis, ex Luc. 7. quod charitas non cauſa ſit, ſed effectus remiſſionis peccatorum.

* *Ex Programm. fun. Senatûs Acad. Roſtoch.*

Obiit A.C. 1621.

JOHANNES NESERUS.

R*Otenburgi* ad *Tubarum* ex parentibus honeſtis inter primos Evangelii doctrinam amplexis in hunc mundum natus eſt A.C. 1553. Cum in Scholâ patriâ literarum fundamenta poſuiſſet, in Academiis deindè *Lipſienſi, Jenenſi* & *Tubingenſi* tantos in ſtudio Theologico fecit progreſſus, ut domum reverſo pagi *Adelsbofenſis* Miniſterium ultra biennium fuerit concreditum. *Miniſter Adelsbof.*

Exindè vocante Senatu patrio *Rotenburgi* Concionator Meridianus conſtitutus, 24. annos in eâ functione exegit, donec ad munus Superintendentis ibidem vocatus, eo per 17. annos fideliter functus eſt. *Superint. Rotenburg.* Intereà ſacras Cantiones multas Linguâ Germ. compoſuit, inter quas fuére præcipuæ: Chriſtus JEſus der theure Nam/ &c. & : Trübſeelig ſind die letzten Zeit.

Tandem inter Concionem in Templo correptus hemiplexiâ & domum ex cathedrâ portatus, octiduo poſt inter adſtantium preces in CHRISTO exſpiravit 25. Aug. A.C. 1621. æt. 69. *Moritur.*

Eteoſtichon *Jacobi Rhauppii:*

Antè gregIs ChrIstI *Paſtor* IaM *paſ*CI-*tVr Ipſe*

SIgnIferI CapIeus *paſ*CV*a* CL*ara* *po*LI.

JOANNES NESERUS.

Per *Anagr.*

Non ſanè ſervies.

Veni, ſerens, ſano.

RITE VOCATUS EGO VENI PROPE LUSTRA NOVENA

INFIRMO ET SANO DOGMATA SACRA SERENS.

MA. JOHANNES NESERUS.

Per *Anagr.*

I manes Serenus Noba.

M. JOANNES NESER.

Per *Anagr.*

Manes in ſereno.

MAGISTER JOHANNES NESERUS.

Per *Anagramma* triplex *Eraſmi Widmanni*, Cantor. *Rot.*

En ſervans homines res agit.

In ſenio ſere gratus manes.

Mane ſeres in ſenio gratus.

Diſticha duo *anagrammatica M. Joh. Hartmanni*, Poëtæ Laur. & Eccleſ. *Rotenb.* Diaconi:

M. JOANNES NESER, ROTEBURGO TAUBERANUS SUPERINTENDENS IBIDEM MERITUS, ET COETERA.

Tranſpoſitis literis:

In morbis & morte gravi non deſere JESUM,

Nec dubites, veteres aſtra ſuperna beant.

M. JOANNES NESERUS, SUPERINTENDENS AC PASTOR ECCLESIÆ PATRIÆ EMERITUS, &c.

Per *Anagramma:*

Ecce DEI mortis ſuperavi Numine ſpicla:

Aſtra ſerena patent, enſe nocere ſinet.

* *Ex Concione fun. Georgii Zyrlini, Superintend. Rotenburg.*

PAULUS SANSONIUS.

Obiit A.C. 1622.

M*Ediolanenſis* Ordinis *S. Antonii* Monachus.

Philoſophus fuit & Theologus inſignis, qui pluribus annis docendo, cum Commentaria in *Ariſtotelem* & totam Theologiam ſcripſiſſet, ex ſui Ordinis in Patriâ Cœnobio vivens tradidit. *Theol. Profeſſor Patav.* Tranſlatus ad Inquiſitionis munus *Patavii* illud prudenter exercuit. *Inquiſitor Patavii.* Cum tandem ab aliquot annis arteriæ pulſum ipſi contractiorem obſervâſſent Medici hydrope aſcite correptus obiit *Patavii* A. 1622. *Moritur.*

Corpore poſt mortem aperto folliculus è dextrâ cordis auriculâ extractus cum venulis ad nutritionem ipſi annexis, in quo & pinguedo ſine omni pure, quod morbi tantùm initio exſpuerat, â ſolo cordis defectu hydropem oriri poſſe Medicos docuit, cum jecur in ipſo ferè inculpatum fuiſſet.

* *Ex Elogiis Viror. doct. Jac. Phil. Tomaſini.*

JOHANNES SALMUTH.

Obiit A.C. 1622.

L*Ipſiæ* natus 29. Julii A.C. 1552, patrem habuit *Henricum Salmuth*, Superintendentem *Lipſienſem*, matrem *Eliſabetham*, filiam unicam *Johannis Pfeffingeri*, Theol. Doctoris & Concionatoris Evangelici primi in urbe *Lipſiâ*.

Hæc anno æt. 70. mortua 7. vidit filios literis excultos, & 5. filias honeſtè elocatas, cum 55. nepotibus.

23. Jan. A. 1573. in Acad. *Lipſienſi* Magiſterii gradum cum laude adeptus anno ſeq. *Fit Magiſter Philoſ.*

Paſtor ad S. Nicol. Lipſiæ. Patre adhuc in vivis, ibidem ad *S. Nicolaum* Eccleſiæ Paſtor factus eſt, cui functioni annos 11. fideliter vacavit.

Nubit. A. 1576. Deſponſatus *Lipſiæ* cum virgine *Marthâ, Wolffgangi Harderi*, Theol. Doctoris, Prof. & Superintendentis filiâ, cum eâ 46. annos in pacato conjugio exegit, ex eâque 10. filios & 3. filias ſuſcepit, è quibus 5. filii duæque filiæ patri ſuperſtites manſerunt. Nepotes verò 30. vivens vidit.

Lipſiæ Licentiatus in Facult. Theolog. creatus, Doctorales quoque honores aſſumere paratus fuit.

Concionator Aul. Dresdæ. A. 1584. *Dresdam* ab Electore *Chriſtiano I.* vocatus, ejus Concionator aulicus fuit. Sed exortis in eâ regione gravibus propter Exorciſmum diſſidiis, poſt Elect. mortem indè diſcedere coactus, in Academiam *Heidelberg.* veniens, Eccleſiam docuit, vocatus ab Electore *Friderico IV.*

Conſiliar. Eccleſiaſt. & Paſtor primar. Ambergæ. A. 1596. *Ambergam* accerſitus, ibi non modò Conſiliarius Eccleſiaſticus, ſed etiam Paſtor Eccleſiæ primarius factus eſt; quod munus annos 26. fideliter obivit, usque dum laboribus & ſenio confectus *Ambergæ* *(Moritur.)* placidâ morte exſpiravit 29. Maji A. 1622. æt. 70. Miniſterii 48. 2. Junii ſeq. *Ambergæ* in Templo *S. Martini* honorificè ſepultus.

* *Ex Concione funebri Johannis Cuneri, Miniſtri Eccleſ. Amberg.*

Edidit:

Scripta.
- Buß/ oder Bettags-Predigt.
- Jubelfeſts-Predigten.
- Auslegung über den 21. Pſalm.
- Zwo Predigten von Bedienung des H. Abendmals / mit dem Brodbrechen und andern Chriſtlichen Ceremonien.

Wigandus Spanhemius hoc ei fecit Epitaphium:

Epitaphium.

*Integra mens animi, ſanum cor, provida virtu*S
*Orthodocæ Fidei zelus, Conſtantia di*A
*Artificis Salpingis honos, ſacer Euepies ſa*L
*Nunc Paroreani flent heu Præconis ad Urna*M
*Nunc rauco carmen reboant heu flebile corn*U
*Ejus ad egreſſum Fidei vis enthea cinxi*T
*Salvus hu c Animus nunc: nobis reſtat at abla*H!

Obiit A.C. 1622.

PETRUS HINCKELMANNUS.

Parentes. Natus eſt *Roſtochii* Menſe Aug. A.C. 1571. piis honeſtisque parentibus: Patrem habuit *Petrum Hinckelmann*, ex *Franciâ Orientali* oriundum: Matrem *Catharinam.* Parentes hi filium ſuum peccato originis infectum, ad lavacrum baptiſmatis miſerè, per aquam & ſpiritum regenerari, & à peccatis ablui curârunt. Diligenter poſteà domi ſuæ in diſciplinâ ac timore Domini educatum, pietatis ac morum magiſtris inſtituendum commiſerunt, quorum ope, cum prima pietatis ac linguarum fundamenta feliciter jeciſſet, â parentibus ſuis *Stargardiam* fuit miſſus anno ætatis 18. ubi majores in ſtudiis fecit progreſſus. *Stargardiam miſſus.*

Biennio poſt ad Academiam *Francofurtenſem* cis *Viadrum* diſceſſit, ubi in album ſtudioſorum eſt relatus, paulò poſt *Roſtochium* patriam ſuam repetens, ſtrenuè ſtudio Philoſophico & inprimis Matheſi operam navavit, & famulæ favore ſibi conciliato, tanto faciliorem ad ipſam Dominam S.S. Theologiam ſibi aditum paravit, cui poſt ſummo inſervivit ſtudio, eosque in illâ fecit progreſſus, ut Concionibus ſacris ad populum habitis bonam de ſe omnibus ſpem concitârit. *Philoſophiæ & Matheſeos Studioſus, ut & Theologiæ.*

Poſtmodùm A. 1599. iter in *Franciam Orientalem* ad conſanguineos ſuos & agnatos ſuſcepit, quo paucis menſibus confecto, *Roſtochium* reverſus, denuò S.S. Theologiæ litavit usque ad A. 1601. quo ſummum tandem in Philoſophiâ gradum, præmium ſcil. exantlati laboris conſecutus eſt, & eodem anno *Roſtochio* diſcedens, Academiam *Wittebergenſem* adiit, ſtudioque Theologico gnaviter incumbens, & in privatis ac publicis Colloquiis ac Diſputationibus ſuam in Theologicis eruditionem oſtendens â Clariſſimis tunc temporis S.S. Theologiæ Doctoribus & Profeſſoribus *D. D. Hunnio, Geſnero, Rungio, Huttero,* clarus fuit habitus: Promotus, ob diligentiam ſuam, ab ipſis ad inſpectionem ac inſtitutionem *L. B. Chriſtoph. à Rappach:* quâ cum per annum fideliter eſſet defunctus, hanc reſignavit curam, & ſuperiorem peragravit *Germaniam*, celeberrimas in eâ Academias, *Jenenſem, Altorfinam, Heidelbergenſem, Marpurgenſem* viſitavit, viros doctos adiit, ac multorum ſibi conciliavit familiaritatem. *Iter in Franciam Orientalem. Philoſ. Magiſter. Et Wittenbergam adit. Ephorus L. B. à Rapach.*

A. 1604. *Roſtochium* reverſus 26. Aug. in Archidiaconum Templi *Jacobæi* legitimè electus eſt. *Archidiaconus.*

In Matrimonium *Urſulam*, Reverendi ac Clariſſimi Viri Dni. *Davidis Lobechii*, S.S. Theol. Doct. ac Profeſſ. relictam ſumſit viduam, quæ *Petrum* hunc filiorum duorum *Davidis & Petri*, & filiæ unius *Catharinæ* patrem fecit. *Matrimonium.*

Quo verò ſtudio ac curâ officio ſuo præfuerit eccleſiaſtico, & quanto Verbum DEI zelo prædicârit, hominesque ad reſipiſcentiam ipſe ſapiens adhortatus fuerit, mirum profectò dictu eſt. Collegia Diſputationum Theologicarum privata, quæ per 18. annos habuit, quæque poſt mortem in Studioſorum verſabantur manibus, id abundè dicebant. Verùm cum eſſet naturæ imbecillioris, cum variis ſæpè morbis colluctatus eſt, tandem quarto menſis Junii die morbo lethali correptus, placidè 14. ejusdem in Domino obdormivit, A. 1622. ætatis verò 51. *Præco Verbi Divini zelo ardens. Moritur.*

* *Ex Programm. funebr. Joh. Quiſtorpii Theol. D. & Profeſſ.*

DAVID

Obiit A.C. 1622.

DAVID PAREUS.

Nominis cauſa.

NAtus *Francoſtenii*, oppido Ducatûs *Munſterbergici* in *Sileſiâ* A. C. 1548. penult. Dec. die, quæ *Davidi* in faſtis eſt ſacra, nomen illud de voluntate parentum obtinuit: cum verò parentes *Wengleorum* cognomen uſurpâſſent, pro hoc adoleſcens in Scholâ *Hirſchbergenſi* à Præceptore *Chriſtoph. Schillingio* accepit & retinuit nomen *Parei*, quanquam & ſuis & Parentum ingratiis.

Fuerunt autem Parentes *Johannes Wengler*, Scabinatûs in patriâ primò Aſſeſſor, deindè Præſes, & *Magdalena Franckia*. Ab his puer opificiis manuariis, modò ſutoriæ modò Pharmaceuticæ arti deſtinatus, volente Numine, à Præceptore dicto deductus è *Sileſiâ Heidelbergam*, ibi celebri Theologo itidem *Sileſio Uratislavienſi*, qui præerat alumnis in Electorali Collegio, quod Sapientiæ vocant, traditus eſt.

Heidelbergæ in Collegio Sapientiæ ſtudia inchoavit.

Sub inſtitutione hujus Viri hauſit non ſolùm Linguarum, Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ cognitionem, ſed etiam Chriſtianæ doctrinæ fundamenta ſolidè jecit.

In Academiâ publicè audivit *D. Urſinum*, *Zanchium*, *Tremellium*, & *Boquinum*, lumina Theologorum, à quorum ore adeò pendulus hæſit, ut poſteà ſingulorum veſtigia cum laude calcârit, & tantùm non unumquemque eorum ſuperârit. A. ætatis 23. ad Miniſterium Eccleſiaſticum promotus, ab eodem ad Scholam illuſtrem *Heidelbergam* retractus, ab hâc rurſus ad Eccleſias gubernandas variis in locis traductus eſt, in quibus per 12. annos gregem Domini fideliter paſcendo multos adjunxit Christo fideles, donec A. 1584. è *Neoſtadlenſi Nemetum* Eccleſiâ *Heidelbergam* ad Collegium Sapientiæ juxtà cum celebri Theologo *D. Georgio Sohnio* gubernandum & informandum vocatus, in eâ ſtatione Domini negotium ſtrenuè egit, Eccleſiæque plantas infinitas ibidem conſevit. Tum doctrinâ & conſilio domum Domini domi & foris adjuvit: Domi quidem demandatam ſibi juventutem prælectionibus ſacris in Collegio & Academiâ ſedulò privatim & publicè imbuendo foris verò non minùs graviter cauſam Christi defendit, varia ingenii ſui monumenta Linguâ Latinâ & vernaculâ evulgans. Aſſeſſor etiam Senatûs Eccleſiaſtici factus, conſiliis ſuis res Eccleſiæ Archi-Palatinæ jugiter curavit. In omni vitæ curriculo pacem coluit & ſenſit, adeò ut cum mutuis diſſidiis Eccleſiam conflagrare cerneret, nihil antiquius & ſanctius haberet, quàm ut veri Evangelii inſtauratores in fundamento quidem inter ſe conſentientes, circa ſtipulas verò & paleas illi fundamento malo ſuperſtructas, nonnihil diſſidentes ad Chriſtianam concordiam cohortaretur: donec opus ipſorum igne verbi & Spiritus DEI in cordibus eorum exuratur, meliuſque ædificare ſuper fundamentum eis daretur. Eâ fini aureum ſcripſit Librum Votivum, quem Eccleſiæ & pacificorum deſideriis dicatum Irenicum inſcripſit.

Miniſter Eccleſiæ. *Collegii Sapientiæ gubernator.* *Aſſeſſor Senatûs Eccleſiaſt.* *Pacis cultor.* *Irenicum ſcripſit.*

Morbo poſtremo decumbens ex catarrho loquelâ privatus, integro tamen adhûc judicio præditus hæc verba ſuâ manu ſcripta Teſtamenti loco reliquit: *Vis catarrhi uſum mihi quidem ſermonis ademit, fidem atque conſtantiam non adimet: opportunè autem mihi fiet voluntas* Domini. *Omnia jam meliuſculè habent ad ſalutarem exitum.* Ita ſatur dierum mortuus eſt *Heidelbergæ* in *Pareano* ſuo, quò DEUS illum è moleſtiis exilii reduxit, 15. Junii A. C. 1622. æt. 74. Sepultus eſt in æde *D. Petri* in Sacello Academiæ. Patri devoti obſequii & amoris igitur ſuo & ſuorum nomine filius natu major *Philippus Pareus* hoc poſuit Monumentum:

Moritur. *Epitaphium.*

CHRISTO SERVATORI SACRUM.
DAVID PAREUS hocce tumbo eſt conditus,
E gente Sleſicâ, urbe Francoſteniâ.
Qui Veritatis orthodoxæ purius
Et hauriendæ & educendæ gratiâ
In patriam alteram Palatinique ſoli
Delatus ipſi luſtra dena atque inſuper
Bis tres Decembres ſtrenuè DEI gregem
Semente pavit Verbi DEI JESU, colligens
Eccleſiam, Juventam Academicam, docet
Viginti & ampliùs per annos inclitus
Profeſſor. Optat dein relinquere alteri
Orbam Scholæ cathedram, quando cœlitùs
Punit ſupremus Arbiter mortalium
Culpas Palatinis in oris, vindicans
Te Sacroſancti Nominis ſui decus.
Exul PAREUS Martis effugit cruces
Redditque Myrtiletum animam CHRISTO ſuo
Poſt rediturus, reddiditque protinùs
Solutus omni carcere atque vinculis.
Valete mundi perditi Satellites,
At vos havete æternitatis hoſpites:
DAVID PAREUS hoc triumphat in choro.

Scripta à *Pareo* edita ſunt ſequentia:

Scripta.

Oratio de Synodo Nat. Dordracenâ.
de Fide hæreticis ſervandâ.
De Statu quinquagenario Palatinæ Eccleſiæ, Oratio inauguralis.
De Pace & Unione Eccleſiar. Evangelicar. Oratio inauguralis.
Tractatus de S. Euchariſtiâ, in 8vo.
Chronologia Sacra edita à filio Philippo Pareo.
Exercitationum Philoſophicar. & Theologicar. Libri IV. in 8vo.
Corpus Doctrinæ Chriſtianæ Eccleſiar. à Papatu reformatar. continens Explicationes Catecheticas D. Zachar. Urſini, in 8vo.
Notæ in Symbolum Athanaſii.
Catecheſis Religionis Chriſtianæ.
Calvinus orthodoxus oppoſitus Pſeudo-Calvino Judaizanti.
Theſaurus Biblicus.

Tom.

Expoſitio & Vindicatio, 35. Locorum difficillimorum S. Scripturæ.

Commentar. in S. Matthæum.

in Epiſtolas Canonicas Jacobi, Petri, & Judæ.

in Apocalypſin Johannis.

in Geneſin.

in Epiſtolam Pauli ad Romanos.

Miſcellanea Catechetica.

Irenicum, ſive *de Unione & Synodo Evangelicorum conciliandâ.*

De Poteſtate Eccleſiaſticâ & Civili Propoſitiones Theologico-Politicæ.

Summariſche Erklärung der wahren Catholiſchen Lehr/ ſo in der Chur-Pfalz und andern vom Päbſtiſchen Sauerteig geſäuberten Kirchen geübt wird: in 8vo.

Decuria Collegiorum Theologicorum, quibus univerſa Theologia orthodoxa, & omnes Theologorum Controverſiæ explicantur, in 8vo.

* *Ex Vitis Viror. doctorum Jani Jacobi Boiſſardi.*

Obiit A.C. 1622.

TOBIAS SPECCERUS.

NAſcitur *Argentinæ* A. 1563. d. 18. Julii, patre *M. Melchiore Speccero*, Paſtore *Thomano*, & Profeſſore ſacrarum literarum, organique Ariſtotelici.

CreatusBaccalaureus Philoſophiæ A. 1581. Magiſter Artium A. 1583. d. 14. Martii, cum magni nominis Theologo *Salomone Geſnero*, *Sileſio*, & aliis: Paſtor in Ober-hausbergen/ cum adhuc degeret in Seminario: Diaconus ad *D. Nicolaum* A. 1587. Parochus ibidem, & ſimul etiam Canonicus defuncto *D. Joh. Thomæ* A. 1593. Profeſſor Hebraicæ Linguæ, extincto *D. Schadæo* A. 1594. Rector annis 1613. & 1620. Decanus Fac. Philoſ. A. 1599. Decanus Facultatis Theologicæ A. 1622. in novo Academiæ ſtatu: Profeſſor Theologiæ, mortuo *Naſſero* A. 1614. Doctor Theologiæ, isque primus, quem *Argentinenſium* Academia promovit, A. 1621. d. 15. Auguſti. Moritur in acidulis *Griesbacenſibus* ex ἰκτερία A. 1622. d. 5. Auguſti, ætatis anno 59.

Paſtor in Ober-hausbergen. Diaconus Argentinenſis. Profeſſor Hebrææ Linguæ. Doctor Theologiæ. Moritur.

* *Ex Catalogo Profeſſ. Argentin.*

Obiit A.C. 1622.

RAPHAEL EGLINUS, ICONIUS.

GErmanicè Götz von Münchhoff/ perantiquo ad *Turgeram* Feudô oriundus, natus fuit annô 1559. in die infanticidii, patre *Tobiâ*, Eccleſiaſte, matre verò nobili *Tigurinâ Eliſabethâ* Göldlin/ *Frauenfeldæ* municipio *Helvetico* ſeptem plagis ſubjecto. Is poſtquàm prima pueritiæ ſpatia attigit, ſub *Johanne Pontiſellâ*, Seniore, *Curienſium* Senatore & Scholæ Rectore ſe ſtudiis ex parentum conſecravit voto. Miſſus indè ad *Scipionem Lentulum Neapolitanum*, Paſtorem *Clavennæ Rhætorum*, â quo Linguam Italicam cum Latinâ didicit conjunctim, & in orthodoxâ Religione non parùm profecit.

Locus nativitatis. In Scholam Curienſem venit, & ad Scipionem Lentulum.

Parens igitur, cum profectibus ingenii non parùm gaviſus eſt, ſcripſit ad eum celeuſma his elegantibus Venuſini verbis:

Pyramidum ventis pereunt Regalia buſta,
Et monumenta Ducum diruit imber edax,
Sola animi virtus Libitinam vitat, & umbras
Effugit, atque novâ creſcere laude poteſt.
Hæc tibi ſumatur quæſita ſuperbia, Fili,
Ingenii meritis. Sic tibi cinge comam.

Sed poſteà patre peſte annô DOMINI 1574. extincto, patrum *Tigurinorum* liberalitatem expertus, & procurantibus id *Bullingero* & *Rudolpho Gualtero*, in *Ammiani* aulam, quam vocant, ubi quindecim aluntur â Senatu juvenes ſelecti, receptus, curſu claſſico biennio confecto ad publicas lectiones *Raphaël* traductus eſt, & ſub ipſum octogeſimum annum miſſus *Genevam* majoris ſub Theologis illic faciendi progreſsûs ergò.

In Ammiani aulam recipitur. Mittitur Genevam.

Commendatus igitur â *Gualthero* Dn. *Bezæ*, *Danæo*, *Fayo*, bis ſub *Bezâ* de Prædeſtinatione publicè diſputavit. Sed cum annô 1582. ſtructæ eſſent urbi inſidiæ, Scholâ dilapsâ, ipſe de ſuorum voluntate profectus eſt *Baſileam* ad audiendum *Grynæum*, ſub quo de Formâ DEI & Servi Diſputatio fuit ipſi.

De Prædeſtinatione publicè bis diſputavit. Baſileam profectus. Diſputat de Formâ DEI & Servi.

Dum verò *Neoſtadium* ad audiendum *Zangium* & *Urſinum* ſe petiturum conſtituit, ſubvenerunt illicò literæ, quibus â *Rhætis* ordinibus ad aperiendam trium fœderum in *Valletellynâ Sondrii* Scholam vocatus eſt. Examinatus igitur & imponente ei manum *Gualtero Seniore* Miniſterio conſecratus ordinibus ſiſtit ſeſe, â *Lanathelo* commendatus ultrò.

In Valletellynâ ad Sondrii Scholam vocatur.

Per Monachum autem *Balermitanum* excitato *Sondrii* tumultu, factum eſt, ut non tantùm Schola diſſipata, ſed periculum etiam vitæ omnibus Evangelicis exſtructum fuerit â Pontificiis.


Hinc Scholâ diſſipatâ *Eglinus* ad ſuos rediit *Tigurum*, ubi non multi abierunt dies, quum *Witoduri Tigurini* Primates ei de officio inſtaurandi Gymnaſii ſui proſpicerent, & jam ſtipendio decreto uberiori & adjecto Subdiaconatu in Suburbio.

Tigurum ad ſuos rediit.

Accidit verò per id tempus, ut *Claudius Alberius Luſannæ* turbaverit Eccleſias, cujus Orationes apodict. cum refutâſſet *Eglinus*, eô effecit, ut *Vitoduro Tigurum* evocaretur; ubi primùm 15. juvenibus illis ſelectis præfuit, indè â Senatu confirmatus, Monaſterii majoris Diaconatui, adjunctâ Novi Teſtamenti Profeſſione, poſteà verò Canonicatui, ubi ex Senatus juſſu *Cantum Eccleſiaſticum introduxit primus* in Eccleſiam.

Refutavit Claudium Alberium. Monaſterii majoris Diaconus, Novi Teſtamenti Profeſſor, & demùm Concionator.

Cumque jam per annum decimum eô perfungeretur munere, neſcio quâ infelicitate ſuâ *propter artem chymicam* acceptis è patriâ ſuâ dimiſſoriis, annô 1606. *Heſſorum* Principi *Mauritio* ſuam in Academiâ *Marpurgenſi* obtulit operam,




FRANCISCUS SALESI'.
Episcopus Gebonensis.
IOHANNES SALMUTH.
Theol. Amberg.
DAVID PAREUS.
Theol. Heidelb.
LEONHARDUS LESSIUS.
Soc. Iesu Theol.
IOHANNES OLEARIUS.
Superint Hallensis.
HENRIC, ECKHARDUS.
Superint Gen. Altenb.
PHILIPPUS GAMACHÆ,
Theol. Sorbon Paris.
ABRAHAM, SCULTET'
Theol. Prof. Heidelb.
HERMAÑ, RAVENSBERGER,
Theol. Prof. Gröningensis.
IOHAÑES WINCKELMAÑ,
Theol. Prof. Marpurg.
IOHANES PISCATOR.
Theol. Herbornensis.
BALTHASAR MEISNERU,
Theol. Witteb.
IOHAÑES IACOBUS REIHING.
Theol. Prof. Tubing.
ZACHARIAS THEOBALDUS
Theol. Noricus.
IOHAÑES IACOBUS GRASSER,
Theol. Basileensis.
BALTHASAR MENTZER
Theol. Prof. Marpurg.

Concionem habuit in Arce Caſſelland. Theologiæ Profeſſor. Doctor Theologiæ.

operam, quæ cum non diſplicuiſſet, poſterâ Pentecoſtes in arce *Caſſellanâ* Concionem habuit. Paucis indè diebus accepto viatico *Marpurgum* ablegatus eſt, ut in quartum Profeſſorem Theologiæ aſciſceretur; quod & factum anno proximo, cum à *Schönfeldio Seniore* 19. Martii SS. Theologiæ Doctor Principis beneficentiâ & liberalitate renuntiatus eſſet, quâ in Profeſſione ordinariâ deſerviens ſub anni 14. finem etiam ad Paſtoritium in arce munus evectus eſt.

In arce Paſtor.

Dyſenteriâ correptus moritur.

Annô demum 1622. dyſenteriâ correptus 20. Auguſti reddidit mortem naturæ debitam. Scripta edidit aliquot exegetica, dogmatica, prophetica, chymica, inter quæ ſunt ſequentia:

Scripta.

Oratio inauguralis de ſpirituali ædificio Eccleſiæ fundamento Apoſtolorum & Prophetarum ſuperſtructo, in 4to.

Neue meerwunderiſche Prophecey aus Daniel und der Offenbarung Johannis Zeitrechnung in 8vo.

Genealogia D. N. JESU CHRISTI ex Regiâ Davidis ſtirpe per Salomonis lineam rectam deducta, in 4to.

Aſſertio doctrinæ orthodoxæ de peccato in Spiritum Sanctum, in 4to.

Epharmoſis univerſi Divina Phyſicis hieroglyphicè conjungens, in 4to.

Explicatio Divini propoſiti de gratuitâ electorum ſalute & juſtâ reproborum damnatione, in 4to.

Conjecturæ Haliculicæ novæ & admirandæ è notis & Characteribus ternorum piſcium marinorum ad latera ſtupendo prodigio inſignitorum deſumptæ, in 4to.

* *Ex MSS. Marpurg.*

Obiit A.C. 1622.

SALOMO SCHWEIGGERUS.

NAtus eſt *Sultzæ* in Ducatu *Wirtenberg.* A.C. 1551.

A. 1568. *Albersbacum* in Scholam *Ducalem* miſſus, ibi quinquennium ſtudiis humanioribus inſumpſit.

A. 1573. In Academiam *Tubingenſem* veniens, S. Theologiæ dedit operam. 26. Sept. A. 1576. *Viennam Auſtriæ* conceſſit, ubi per 7. menſes in vico *Hernals* vocato Evangelicis concionando ſeſe exercuit.

Concionator aulicus cum Legato Caſ. Conſtantinopolin migrat.

10. Nov. A. 1577. Cum Barone *Joachimo à Sintzendorff*, Legato & Oratore Cæſareo, ad Portam *Ottomannicam*, Concionatoris Aulici munere functus, *Conſtantinopolin* migravit.

Terram ſanctam perluſtrat.

Exindè 3. Martii A. 1581. navi egreſſus cum ſociis itineris *Adamo Schlibbio*, Conſiliario *Brandenburg. Bernhardo*, Barone ab *Herberſtein*, adoleſcente, ejusque Præceptore *Wolffgango Bachelbelio* terram ſanctam perluſtravit, & ſoſpes *Auguſtam Vindelic.* reverſus eſt 20. Octob. A. 1581.

Itinerarium edit.

Hoc iter *Hieroſolymitanum* Linguâ vernaculâ cum plurimis figuris ligno inſculptis, typis evulgavit in 4to. cumque peritus fuiſſet artis pictoriæ, poſteà vivis coloribus illuſtratum Bibliothecæ *Noriberg.* dono dedit.

Memorabile de Sepulchro Jesu Christi.

In hoc libro ita ſcripſit inter alia memorabilia *de Sepulchro JESU CHRISTI lib. 3. cap. 32*: **Das H. Grab beduncket mich kein erdichtet Heiligthum/ ſondern in Warheit das Grab Chriſti zu ſeyn/ in Anſehung/ daß daſſelbe ohne Schrecken und Entſetzen von niemand/ es ſeyen Chriſten oder Türcken/ mag geſehen werden: dann als ich in das Gewölb hinein kam/ kam mich/ und auch die Herren aus der Geſellſchafft/ eine ſolche Forcht und Schrecken an/ daß uns alle Härlein gen Berg ſtunden/ und uns beduncket/ wir ſchwebten zwiſchen Himmel und Erden/ ja/ als wären wir von der Erden verzuckt/ es erwecket auch eine ſolche hertzliche Andacht und Eifer in uns gegen Chriſto zum Gebet und Chriſtlicher Danckſagung/ das über alle maſſen iſt.**

Paſtor ad S. Mariam Norimb. Moritur.

Norimbergæ factus Eccleſiæ Paſtor in Templo *S. Mariæ.* Ibi vitam beatâ morte clauſit A.C. 1622. ætatis 71.

* *Ex Itinerario Germ. Sal. Schweickeri.*

Obiit A.C. 1622.

FRANCISCUS SALESIUS.

NAtus eſt *Franciſcus de Sales*, filius *Johannis Saleſii*, anno ſeptimo & quinquageſimo ſuprà milleſimum quingenteſimum XII. Cal. Sept. in *Caſtello Sabaudico de Sales*, in Cubiculo *S. Franciſco Aſſiſinati* dicato; undè matris *Franciſcæ de Sionnas* conſilium, ipſum tanto Patrono dicandi, indendique *Franciſci* nomen in Baptiſmo.

A primâ verò infantiâ *Franciſcus* morem geſſit parentibus tàm perfectè, ut quocunque impellerent, eò perlubenter ſequeretur; ſexennis itaque traditus eſt in diſciplinam *Aneciensi* Gymnaſiarchæ, ubi brevi pòſt in literarum ſtudium ſic deinceps incubuit, ut diuturna penſa levia ſemper duxerit, multa ipſe de ſuo ultrò addiderit.

Lutetias Pariſiorum adit.

Dein *Lutetias Pariſiorum* cum Domeſtico Moderatore *Deagio* adiit, ubi admiſſus in Collegium Patrum Societatis Jeſu, ob mirum in literarum ſtudio progreſſum ſingularemque animi manſuetudinem, omnium quoque animos rapuit.

Theologiam autem ibidem audire ſecum conſtituit, ſic tamen, ut & inſimul exercitationibus iis, quæ in Nobilibus requiruntur adoleſcentibus, operam daret.

Poſtquàm verò annos ſex *Lutetiæ* exegiſſet, philoſophicum curſum feliciſſimo emenſus eventu, *Sabaudiam* repetiit. Dein *Patavium* illum miſere Parentes, ætatis anno 18. Juri civili operam daturum, quâ in Facultate cum miros faceret progreſſus,

pertæſus tamen hujus laboris, Theologiæ ſtudium arripuit, eam in rem ibidem *Patavii* Sacerdotem delegit, è Societate Jeſu virum apprimè doctum & religioſum, cui ſe moderandum permitteret, atque brevi iis omnibus defunctus eſt, quæ ad Doctoratum obtinendum neceſſaria erant, Pileum, inſigne Doctoratûs, ingenti applauſu ab Academiâ conſecutus eſt. Iiſdem cum plauſibus plerumque aliorum deductus domum de uxore ipſi legendâ ſermo injiciebatur, verùm *Franciſcus* intimos animi ſenſus aperuit amicis ſuis, quibus maximè confidebat: *nullam unquam animus meus propenſionem ſenſit ad copulandas in terrâ per conjugium affinitates: nullas inquam nuptias cogitavit, niſi vitæ Clericalis, in acerbitatibus Calvariæ, inque intimâ conjunctione cum JESU CHRISTO Crucifixo.* Et commodùm, ſub idem tempus redditæ ſunt *Rom.* literæ cuidam ex *Franciſci* conſanguineis, qui ipſo inſcio perfecerat apud Curiam, ut Summus Pontifex *Franciſcum* Præpoſitum *Gebennenſem* ritè juberet eſſe, quæ dignitas tunc vacabat, ex eo momento ipſe laicam veſtem Clericali mutavit, atque paulò pòſt oblatis Capitulo *S. Petri* literis Apoſtolicis, ad Præpoſituram admiſſus eſt, eâ admittentium ſtudii ſignificatione, quam præclara juvenis merita exigebant. Mox ſodalitatem illam ſub nomine Pœnitentium S. Crucis *Anecii* erexit. Colloquia multa cum Reformatis Miniſtris nectit, unumque ex iis convertit atque plures alios. Coadjutoris etiam *Epiſcopi Gebennenſis* dignitatem accepit.

Doctor Theologiæ. — *Coadjutor Epiſcopi Gebennenſis.*

Poſteà *Romam* profectus eſt, ubi de Theologiâ eruditiſſimè reſpondit, & cum à Summo Pontifice ea, quæ tum ad Beneficiorum Eccleſiaſticorum vel reſtitutionem, vel ſalutarem adminiſtrationem pertinebant, itemque ad rem fidei apud *Antuates* ſtabiliendam accepiſſet, poſt acceptam Pontificiam benedictionem ex urbe diſceſſit, ne verbulo quidem facto de Bullâ, quâ Coadjutor *Gebennenſis* Epiſcopi ritè declararetur. Redux igitur *Franciſcus* ad ſuos, nihil habuit antiquius, quàm ut per ſe luſtraret vicos, pagos, oppidaque ſingula; Parochos, Sacerdoteſque reliquos, atque Parœcias quinque & triginta ordinavit, Parochos, Vicarioſque totidem doctrinâ & virtute præſtantes conſtituit, ac ſingulis pendi curavit in annos ſingulos, undè & alerentur ipſi, & Eccleſiarum ſarta tecta curarentur, unà cum rebus aliis ad divinum cultum neceſſariis.

Epiſcopus Gebennenſis. Cùm *Claudius Granierius*, Deceſſor ejus, è vivis exceſſit, ad conſecrationem ſeſe comparans, Epiſcopatus *Gebennenſis* dignitatem conſecutus eſt.

Moritur. Obiit anno ſeculi hujus ſecundo & vigeſimo exeunte, V. Cal. Jan. horâ octavâ veſpertinâ, anno ætatis quinquageſimo ſexto, Epiſcopatûs vigeſimo.

Scripta. Edidit: **Librum de Amore DEI, & Iſagogen ad concionandum, atque ad piè vivendum,** animo delineavit.

* *Ex Vitâ Franciſci Saleſii â Franciſco Creuxio, Societatis Jeſu Sacerdote Latinè redditâ.*

CORNELIUS LANCILOTTUS.

Obiit A.C. 1622.

HEnrici frater, *Mechlinienſis*, Ordinis Eremitarum *S. Auguſtini*, S. Theol. Doctor Exprovincialis, quem urbs *Antverpienſis*, aliæque, quibus præſedit Prior, â comitate ac ſingulari benevolentiâ laudârunt, Ordo *Auguſtinianorum* univerſus ob mirificum zelum, Reformationis ſtudium, ac Monaſterior. per Provinciam multiplicationem in pretio habuit. Nimirùm citò elatum & ereptum omnes deplorârunt.

Monach. S. Auguſtini.

Moritur. Obiit *Antverpiæ* pridiè *S. Urſulæ* A.C. 1622. & ſepultus apud ſuos hoc Epitaphio in ſummo Choro:

Epitaphium.

D. O. M.

HÎC CONDITUR ÆDIS HUJUS CONDITOR ET COENOBII RECTOR ADMODUM R. P. CORNEL. LANCILOTTUS, S.T.D. QUI PROVINCIÆ CLAVUM TENUIT, ET COLONIAM AUGUSTINIANAM HÛC DEDUXIT.

VIRTUS ET DOCTRINA HUNC EXTULIT, SED EHEU! MORS ACERBA SUSTULIT INTER OFFICIA PIETATIS ÆGRUM AB ÆGRIS REVERSUM.

FINIIT ANNO VITÆ XLVIII. CIↃ IↃC XXII. XIII KAL. NOV.

R. I. P.

Scripſit:

Scripta. *Vitam B. Auguſtini puro ſtylo.*

Nectar & Antidotum confectum ex Medullâ Operum S. Auguſtini, digeſtum ordine alphabetico.

Pancarpium Auguſtinianorum, continens Vitam S. Auguſtini, Monicæ, Nicolai, Tolentinatis, B. Virg. Mariæ encomium, & Sodalitatis Corrigiolæ della conſolatione privilegia, cum Tractatu de Indulgentiis, & quibusdam Parergis.

In Regulam S. Auguſtini, ſed morte præventus extremam manum non potuit addere.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

JOHANNES OLEARIUS.

Obiit A.C. 1623.

VEſaliæ, Ducatûs *Clivenſis* urbe, natus eſt 17. Sept. A.C. 1546: Patre *Jacobo Kupfermanno*, cive honeſto, & olei expreſſore, (Germ. Oelſchlager) in patriâ, â quo patris opificio cognomen ipſe ſibi dedit, matre *Annâ Cronenbergeriâ*.

Nominis origo.

Ab his parentibus in Scholâ patriâ ad pietatem educatus cum adoleviſſet, ſumptibus ad ſtudia neceſſariis deficientibus,

Merca-

Mercaturæ deſtinatur. Mercaturæ deſtinatus eſt, & cum eam ob cauſam *Antverpiam* iter ſuſcepiſſent, peregrinantes quidam ipſis obvii ex adoleſcentis facie & ſermonibus aliquid ſingularis augurati, filii ſtudia promoverent ſeriò Parentes hortati ſunt.

In Gymnaſium itaque *Düſſeldorpenſe* famâ tunc celebre ſe conferens, brevi tantos fecit in ſtudiis Linguar. & Artium liberalium progreſsûs, ut paucis annis elapſis dignus fuerit habitus, qui *Marpurgenſem* in Academiam mitteretur: ubi *Hyperium*, *Victorem*, aliosque Theologos & Philoſophos celebres docentes audivit. *Marpurgum accedit.* Exinde in Academiam *Jenenſem* profectus, abſoluto curſu Philoſophico, Philoſophiæ Magiſter â Decano *M. Ambroſio Reudenio* cum laude creatus eſt: *Fit Philoſ. Magiſter.* & Theologos primarios *Heshuſium*, *Kirchnerum*, & *Wigandum* profitentes audivit. Cum iisdem *Jenâ Regiomontium* in *Boruſſiam* diſcedens, ibi 26. Julii A.1574. Archipædagogi munus adeptus, & 7. Junii A.1577. Linguæ Hebrææ Profeſſor in Academiâ illâ factus eſt. *Ling. Hebrææ Profeſſor Regiomontii.*

A. ſeq. 1578. Vocatus â *Julio*, Duce *Brunſvicenſi*, in Academiam *Juliam* dictam *Helmſtadii* recens erectam, in eâ 6. Oct. Theol. & Ling. Hebrææ Profeſſionem ſibi commiſſam auſpicatus, & 12. Octob. A. 1579. Theol. Doctor â *Timotheo Kirchero* Decano cum laude & honore creatus eſt, *Theologiæ Doctor & Profeſſor Helmſtadii.* eâdemque die nuptias celebravit cum virgine *Annâ*, D. *Tilemanni Heshuſii*, Theologi celeberrimi, filiâ. *Primum ejus Conjugium.* Ex hâc anno demum conjugii octavo, Chriſti 1587. filium ſuſcepit *Johannem* felicis ingenii, qui *Jenæ* Philoſ. Magiſter & Facultatis Philoſ. Adjunctus factus A. 1610. *Tubingæ* Theol. Studioſus ſummo cum Patris dolore vitâ defunctus eſt. *Filium Johannem amittit.*

Hunc duo ſubſecuti filii: *Jacobus* in adoleſcentiâ obiit, & *Tilemannus* Philoſ. Magiſter ſtudiis operam dedit. Ex 4. filiabus hujus conjugii *Eliſabetha* virgo obiit, cœteræ *Anna*, *Catharina*, & *Sophia* honeſtè fuerunt elocatæ.

Cum verò conjugem *Annam Heshuſiam* 3. April. A.1600. tertiâ poſt partum filioli *Tilemanni* ſeptimanâ morte ſurreptam luxiſſet, 8. Febr. A. 1602. iterùm conjugium iniit cum virgine *Sibyllâ*, M. *Nicolai Nicandri*, Eccleſiæ Paſtoris *Hallenſis* ad *S. Ulricum* filiâ: *Secundum Conjugium.* ex quâ tres quoque filios ſuſcepit, *Gotfridum* Theologum poſteâ *Hallenſem* celebrem, *Johannem*, & *Chriſtianum Wilhelmum*: filiasque 4, *Mariam* primam, & ſecundam, *Sibyllam*, & *Chriſtinam*.

26. Julii A. 1581. *Hallam Saxonum* vocatus, migravit, Superintendentis officio functurus, *Superintendens Hallenſis.* nihil â peſte tunc iis in locis ſæviente deterritus. Ibi etiam in Scholâ Linguam Hebr. profeſſus eſt.

Cum A. 1622. 4. Aug. alteram quoque conjugem ſenex imbecillis & â triennio rude donatus amiſiſſet, *Rude donatus.* eam poſt octidui tantùm decubitum ſubſecutus eſt, ex naturali magis virium defectu, quàm morte violentâ, placidè obdormiſcens 26. Jan. A.C.1623. æt. 77. Miniſterii 42. *Moritur.*

* *Ex Concione fun. M. Andreæ Merckii, Archidiaconi Hall.*

Edidit:

Oratoriam Eccleſiaſticam. *Scriptum.*

Johannes Olearius. Per Anag. *I, es re honos in aulâ.*

Joannes Olearius. *Olea es, non vireas!*

LEONHARTUS LESSIUS.

Obiit A.C. 1623.

Natus eſt *Brechtæ*, *Brabantiæ* pago, 1. Octob. A.C. 1554.

Societatis Jeſu Theologus, vir ſummâ ingenii, judicii & memoriæ vi præditus: Scientiis propè omnibus excellenter inſtructus: Hebraicè, Græcè juxtà & Latinè doctus: indefeſſus Librorum lector ſcriptorque: orbe toto de gravisſimis quæſtionibus pro oraculo conſultus.

Admirandâ explicandi perſpicuitate, ſingulari ſapientiâ, incredibili modeſtiâ, innoxio morum candore, moderatisſimâ victûs abſtinentiâ, invictâ gravisſimorum morborum tolerantiâ, perpetuâ cum DEO familiaritate, totius denique vitæ ſanctimoniâ ornatisſimus.

Theologiam 15. annis in Academiâ *Lovanienſi* cum laude & auditorum frequentiâ profeſſus eſt. In Jure utroque, Matheſi, Medicâ & Hiſtoricâ peritiâ præ multis excelluit. Dum in totam *Thomæ Aquinatis* Theologiam calamum pararet, *Lovanii* moritur ex calculi dolore 1. Febr. A.C.1623. ætatis 70. *Moritur.*

* *Ex Subſcriptione Effigiei æri inciſæ L. Leſſii, & ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Ingenii monumenta ab eo relicta:

De Juſtitiâ & Jure, cæteriſque Virtutibus Cardinalibus. *Scripta.*

Diſputatio Apologetica, de Gratiâ efficaci, Decretis Divinis, Libertate Arbitrii, & Præſcientiâ DEI conditionatâ.

Diſputatio de Prædeſtinatione, & Reprobatione Angelorum, & hominum.

De Prædeſtinatione CHRISTI.

De Attributis DEI.

Conſultatio, quæ Fides & Religio ſit capeſſenda, cum appendice, utrum quivis in ſuâ Fide ac Religione ſalvari poſſit?

Diſputatio de Antichriſto, ejusque præcurſoribus.

De Providentiâ Numinis, & Animi Immortalitate Lib. II. adverſus Atheos & Politicos.

De Numine. Lib. I.

De Poteſtate Pontificis.

Hygiaſticon ſeu vera ratio valetudinis bonæ & vitæ, unà cum ſenſuum judicii & memoriæ integritate ad extremam ſenectutem conſervandâ. Unà cum Tractatu Ludovici Cornari Veneti eodem pertinente, quem ex Italico in Latinum Sermonem tranſtulit.

Digitized by Google

De ſummo Bono, & æternâ Beatitudine Lib. IV.

De Perfectionibus Divinis Lib. XIV. in quibus pleraque Theol. myſteria.

De Statu vitæ deligendo, & Religionis ingreſſu.

De 50. nominibus DEI paucis antè mortem diebus abſolvit.

Obiit A.C. 1623.

HENRICUS LEUCHTERUS.

MElſungæ in *Haſſiâ* infer. natus eſt parentibus & civibus honeſtis *Nicolao Leuchtero* ejusque conjuge *Eliſabethâ* A.C. 1558. Puer in Scholam *Hirſchfeldenſem* miſſus, optimam de ſe ſpem Præceptoribus fecit, qui Patri ejus brevi pòſt mortuo ſuaſerunt, ut filium adeò bonæ indolis ſtudiis deſtinaret.

Fit Magiſter Philoſ. Marpurgi, & Theol. Doctor.

In Academiam itaque *Marpurgenſem* ablegatus, ibi A.1577. Baccalaureus primo loco, & an. ſeq. 1578. Magiſter tertio loco creatus eſt. Deindè ſtipendium Theologicum ab *Haſſiæ* Principe nactus per ſeptennium ſtudia Theologica tantâ cum diligentiâ tractavit, ut A. 1585. S. Theol. Doctor cum aliis â *D. Ægidio Humio* ſolenniter fuerit renuntiatus.

A.1586. *Kirdorffii* Paſtor Eccleſiæ factus, uxorem duxit *Catharinam Ortiam*, M. *Abrahami Cneſelii*, Paſtoris ejus loci relictam viduam.

Superint. Marpurgi.

A.1589. *Marpurgum* vocatus â *Ludovico Haſſiæ Landgravio Seniore* in locum M. *Helfrici Herdenii*, Superintendentis, ei muneri per 17. annos cum laude præfuit.

Concionator aulicus & Superintendens Darmſtat.

A. 1605. Poſt obitum Principis *Ludovici* cum aliis Eccleſiæ Paſtoribus diſcedere coactum *Ludovicus junior*, *Landgravius Darmſtatinus*, in aulam ſuam vocavit, & Concionatorem ſibi aulicum conſtituit. Triennio pòſt A.1608. poſt obitum M. *Joh. Angeli*, Superintendentis *Darmſtatenſis* ſenis in eum locum ſuffectus eſt. Ex 12. liberis 4. filios & tres filias reliquit ſuperſtites patriæ tàm in Eccleſiaſticis quàm Politicis Miniſteriis utiles.

Moritur.

Senio tandem exhauſtis & viribus corporis ſenſim deficientibus placidâ morte vitam finiit *Darmſtadii* 17. Aug. A.C.1623. ætatis 65. Miniſt. 39.

* *Ex Concione fun. D. Johannis Victoris, Concionat. aul.*

Clar. A.C. 1624.

ANTONIUS WALÆUS.

NAtus eſt *Gandavi* 3. Oct. A.C. 1573, Patre *Jacobo de Wale Flandro*, Matre *Margarethâ Wagenaers Gandavenſi*. Cum annum ætatis 10. attigiſſet, â Parentibus in diſciplinam domeſticam traditus eſt *Franciſco Lansbergio*, Eccleſiæ Paſtori.

Sed cum urbs ea A. 1584. in Principis *Parmenſis* poteſtatem dederetur, cum Parentibus ſuis *Middelburgum Zeelandiæ* metropolim Religionis causâ ſeceſſit.

Theol. Studioſus Leydenſis.

A. 1596. Sumptuum partem offerente Magiſtratu *Middelburgenſi* in Academiam *Leydenſem* miſſus diverſis Lectionum & Diſputationum exercitiis uſus, ad Verbi Divini Miniſterium ſe paravit.

Geneva.

A. 1599. Ex *Zeelandiâ* in *Galliam* diſceſſit, & eâ unà cum *D. Apollonio Scholio*, poſteâ in ſupremâ *Hollandiæ & Seelandiæ* Curiâ Conſiliario, perluſtratâ, *Genevam* conceſſit, ubi integrum ferè annum commoratus eſt, hoſpitio uſus *D. Caroli Perotti*, Paſtoris & Profeſſoris.

Baſilea.

Hinc *Lauſanam* ac mox *Bernam* profectus, ad duos menſes ibi hæſit, & cum Profeſſoribus familiaritatem contraxit. Indè demùm *Baſileam* adiit.

Eccleſiæ Miniſter Middelburg.

A.1601. Per *Germaniam* ſalutatâ Academiâ *Heidelbergenſi*, & Scholâ *Bremenſi*, domum reverſus, paulò pòſt ad Verbi Divini Miniſterium vocatus eſt in pagum *Middelburgo* vicinum, cui â *Lauchis* eſt nomen, atque indè biennio exacto in ipſam urbem *Middelburgum*, ubi & uxorem duxit virginem *Paſchaſiam* â *Thenhout* ex patritiâ familiâ, ex quâ 3. filios & 4. filias ſuſcepit.

Profeſſor honorarius Philoſ. & Ling. Græcæ.

Triennio pòſt, defuncto Rectore *Jacobo Grutero*, ab urbis Magiſtratu rogatus in Philoſophiâ & Linguâ Græcâ Lectiones honorarias habuit, nullâ Miniſterii interim parte per annos 12. neglectâ.

Miniſter extraord. Hagæ.

Fuit in Synodo Dordracenâ.

A.1617. A Principe *Mauritio* & Eccleſiâ *Hagienſi Hagam Comitis* extra ordinem vocatus eſt, ut ferventibus Remonſtrantium diſſidiis ibidem ad tempus Miniſterio fungeretur. Sed cum malum indies ingraveſceret, & â Remonſtrantibus nulla ſaniora conſilia admitterentur, cum veniâ Principis rurſum ad ſtationem rediit, & anno ſeq. 1618. ab Ordinibus generalibus ad Synodum *Dordracenam* inter Profeſſores *Belgas* eſt evocatus, in quâ partes ſuas obivit, & ſub finem Synodi juſſu Principis *Hagam* vocatus, ibi *Barnefeldio* ad mortem condemnato conſolatione adſtitit, unà cum Dn. *Johanne Lamotio*.

Theol. Profeſſor Leyd. & Theol. Doctor.

A.1619. A Principe per literas â *Middelburgenſi* Magiſtratu rogatus, ægrè licet dimiſſus, cum familiâ in Academiam *Leydenſem* migravit ad S. Theologiæ Profeſſionem. Ibi â *D. Johanne Polyandro* Doctoris titulum accepit, & Locorum Communium Prælectiones auſpicatus eſt. Frater verò ejus minor natu *Jacobus Walæus*, tunc temporis Eccleſiæ *Dumburganæ* Paſtor, in locum ejus *Middelburgum* venit.

Edidit, antequàm in Academiam *Leydenſem* vocaretur, librum de auctoritate Magiſtratûs in rebus Eccleſiaſticis, oppoſitum Libro *Johannis Utenbogardi*, de eâdem materiâ vernaculâ linguâ propter Remonſtrantium diſſidia conſcripto.

* *Ex Vitis Profeſſorum Leyd.*

Edidit:

Scripta.

Opera Theologica varia.

Enchiridion Religionis Reformatæ.

PAU-

Obiit A. C. 1624.

PAULUS ROSSELIUS.

NAtus eſt *Reichenbachi*, *Variſcorum* oppido 11. Dec. A. 1593. Patremque habuit *Caſparem*, matrem *Mariam Cleſſiam*, cives honeſtos. Poſitis in patriâ literarum rudimentis, conceſſit *Plaviam*, atque in Rhethorum & Dialecticorum Scholâ exercere ſe cœpit, donec A. 1610. M. Oct. Academiam *Wittenberg.* ingreſſus Philoſophiæ ſtudium auſpicatus eſt. Ac licet parentum res tenues & Mecœnatum penuria conatûs ejus egregios morari nonnihil viderentur, magno tamen animo per adverſa omnia eluctatus eam doctrinam ſibi comparavit, ut A. 1615. *Fit Magiſter Wittenbergæ.* dignus videretur, qui Magiſterii Philoſophici Laureâ ornaretur.

Indè in Philoſophicis diſciplinis & Theologicâ eruditione quà legendo quà diſputando ſingularem de ſe opinionem concitavit, ſed Hebraicæ cumprimis literaturæ tam peritum ſe oſtendit, ut paucos inter æquales habere videretur eo tempore, qui cum ipſo comparari mererentur.

Inſpector Alumnor. Bebamicor. Adjunctus Facult. Philoſophicæ. Indè factum, ut A. 1617. non modò *Bebamicorum* alumnorum inſpectio ipſi demandaretur, ſed & in Philoſophorum Collegio inter Adſcriptos vel Adjunctos ei tribueretur locus.

A. 1620. Illuſtriſsima Domina *Anna*, *Joh. Sigiſmundi*, Elect. *Brandeburgici* vidua ipſi in *Concionator aulicus Brand.* aulam evocato Concionatoris aulici munus contulit, quo quidem ita perfunctus eſt, ut conſcientiæ ſuæ & Principis votis abundè ſatisfecerit.

Eodem anno neceſſaria ipſi in *Sveciam* profectio cum Illuſtr. Dominâ ſuâ fuit inſtituenda. Ibi cum hæſiſſet aliquanto tempore, in ſcorbuticam paſsionem illi regioni familiarem incidit, quâ cum liberari *Wittenbergæ mor. ſcorbuto.* non poſſet, ex gratiâ Principis *Wittenbergam* rediit, ibique, cum paulò antè cognatos & amicos in patriâ ſalutâſſet, valetudini recuperandæ unicè dedit operam. Sed doloribus ſcorbuticis indies accreſcentibus placidè tandem, dum Pſalm. 111. ipſi, ut juſſerat, prælegeretur, obdormivit, A. C. 1624. ætatis 30.

* *Ex Programm. fun. Aug. Buchneri.*

Obiit A. C. 1624.

JOHANNES DEL RIO.

B*Rugenſis*, Juriſconſultus, S. R. E. Protonotarius, ex Archidiacono & Officiali Decanus Eccleſiæ Cathedralis *Theol. Pontif.* *Antverpiæ*, & Vicarius. Poſtquàm Clericis Societ. Jeſu Bibliothecam ſuam legâſſet, *Moritur.* placidiſsimâ morte obiit *Antverpiæ*, pridie trium Regum, A. C. 1624.

Scripſit & edidit:

Scripta. *Orationem in funere Miræi Antiſtitis Antverp.*
Expoſitionem moralem in Pſalmum 118.
in 7. Pſalmos Pœnit.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A. C. 1624.

CUNRADUS ASLACUS.

NAtus eſt *Bergis* in *Norvegiâ* 28. Junii A. C. 1564. Parentibus honeſtis, *Aslaco Magni* & *Chriſtinâ Jacobi*. Sexennis fidæ Dn. *Thomæ*, Concionatoris *Bergenſium*, curæ erudiendus traditur. Privatam autem hanc educationem cum publicâ Scholæ *Diſcipulus Scholæ Bergenſis,* patriæ anno exacto commutavit. Ubi poſtquàm ad annum ætatis 14. boni & induſtrii Diſcipuli partibus eſſet defunctus, ſuaſu & hortatu Dn. *D. Johannis Skelderupii* & Dn. *Andreæ Coldingenſis* jam orphanus *Malmogiam Scanorum* acceſſit A. 1578. in *& Malmogiæ.* cujus Scholâ ubi ea doctrinæ & honeſtatis fundamenta poſuiſſet, quibus altiora ſuperſtrui poſſent, nomen ſuum in Academiâ *Hafnienſi* primùm profeſſus A. 1584. d. 27. April. Rectore D. *Nic. Theophilo*, ac Decano *M. Joh. Saſceride*, in civium Academicorum numerum relatus eſt.

Ibi Capituli *Bergenſis* Antiſtites, propter ſpem optimam, quam de eo conceperant, ſtipendium ei contulerunt. *Hafniæ Capituli Bergenſ. Stipendiar.*

Tunc non uni ſtudior. generi ſe adſtrinxit, ſed ex omnibus floſculos quoſdam decerpſit, quos ſibi in ſuccum & ſanguinem aliquando converteret, & ex quibus unum aliquod eruditionis corpus effingeret. Quapropter A. 1590. id ſedulò egit, ut in familiam nob. Viri *Tychonis Brahei*, Atlantis *Mathemat. Tych. Brahæo gratus.* *Danici*, admitteretur, cujus favore & gratiâ ita ad triennium gaviſus eſt, ut in rebus Mathematicis non tantùm multùm profecerit, ſed literis etiam illius commendatitiis liberale Regis ſtipendium, quo ſe in exteris aleret, impetraverit.

A. 1593. Supremam in Philoſophiâ Laurum Decano *D. Andreâ Kragio* impetravit. *Philoſ. Magiſter.* Eodem anno de Rectoratus *Malmogienſis* munere Scholaſtico ſollicitatus, ita quidem illud adiit, ut indè doctior & melior A. 1599. *Rector Scholæ Malmogienſis.* *Hafniam* redierit. Sexennium deindè patrium ſolum reliquit, primùmque *Teutonas* ſalutavit, & ex iis *Roſtochienſes*, *Wittebergenſes*, *Herbornenſes*, *Sigenenſes* & *Heidelbergenſes*. *Peregrinationes ejus. Per Germaniam.* Illinc *Baſileam* acceſſit, & *Helvetiam* omnem ad finem usque *Italiæ* peragravit.

Rectâ hinc in *Galliam* ivit, & *Genevæ*, *Per Galliam.* *Pariſiis* atque *Aureliis* aliquantùm ſubſtitit.

Poſt *Galliam Anglia* ipſum excepit, ubi *Per Angliam & Scotiam.* *Oxonienſem* & *Cantabrigienſem* Academias inprimis inviſit. *Scotiam* ſicco pede non præteriit, ſed in eâ *Edinburgum*, *Andreapolin* & *Letham* adiit.

Undè in patriam ſolvens, A. 1600. *Culinburgum* terminum itineris ſui poſuit, ubi parenti generoſo generoſum filium *Ottonem Braheum* ab exteris reducem ſtitit.

A. 1600. Diſcedente ex Academiâ *Hafnienſi* M. *Laurentio Scavenio*, Profeſſorium *Hafniæ Philoſ. Profeſſor.* munus ſibi commiſſum eâ fide & dexteritate usque ad obitum adminiſtravit, ut non pauci ex diſciplinâ ejus prodierint, qui magno patriæ bono ad Eccleſiarum & Scholarum gubernaculum ſederint.

 Intereà

Digitized by Google

Theol. Profeſſor & Doctor. Intereà non Linguas ſolùm Latinam ab A. 1600, Græcam ab A. 1602. poſt *D. Nic. Kragium*, & Hebræam ultra ſexennium hîc docuit, ſed Divina quoque Elogia poſt *D. Georg. Dybvadium* tradidit, quorum etiam Doctor operâ *D. Petri Vinſtrupii* 22. Oct. A. 1607. proclamatus eſt. Dum in Facultate Philoſophicâ erat Decanus deſignatus A. 1605. Baccalaureos 36. creavit.

Conjugium ejus & Liberi. A. 1603. In matrimonium ſibi deſponſavit virginem *Barbaram, Olai Martini*, Conſulis *Hafnienſis*, filiam.

Conjugium illorum Deus ſextuplici prole fœcundavit, trinâ maſculâ & trinâ fœmellâ. Filiarum *Catharina* M. *Chriſtiano Johannis* f. Profeſſori Gymnaſii *Othinienſis*, *Chriſtina D. Claudio Plumio*, Profeſſori *Hafnienſi* nupſit.

Rectoratum Academiæ geſſit A. 1614. & 1620. Vir fuit, cujus vultus ad modeſtiam, ſermo ad ſuavitatem & affabilitatem erat compoſitus.

Morbus ejus lethalis. A. 1623. Febrilis horror corpus ejus occupavit, undè omnem hujus vitæ curam ſepoſuit, & viribus ſenſim deficientibus ſpiritum efflavit 7. Febr. A. 1624. atque ita Cœli hujus literarii Sol ſexagenarius occidit.

Funus Programmate publico â Rectore *D. Caſp. Brockmanno* indictum eſt. Sepultus in Templo *D. Virg.* ubi monumentum illi poſitum cum hâc inſcriptione:

Epitaphium.

MEMENTO MORI.

VIRO REVERENDO ET CLARISSIMO DN. DOCTORI CUNRADO ASLACO, BERGIS NORRVEGORUM ANNO M D LXIV. NATO: INSIGNI VERO ECCLESIÆ DAMNO HAVNIÆ DANORUM ANNO M DC XXIV. DENATO: SS. THEOLOGIÆ IN ACADEMIA HAVNIENSI PROFESSORI PRIMARIO, MARITO DESIDERATISSIMO, SEX LIBERORUM PARENTI OPTATISSIMO: CUI AMOREM ET OBSEQUIUM VIVO AMPLIUS TESTARI CUM NON POSSET CONJUX MOESTISSIMA BARBARA OLAI F. INTEMERATUM IN DEMORTUI OSSA AFFECTUM HOC QUALICUNQUE MONUMENTO TESTARI VOLUIT, INVITA LICET ISTUD MARITO PRÆSTET OFFICIUM, QUOD SIBI A MARITO EXSOLVI UNICE OPTASSET. TU QUISQUIS HÆC LEGIS, MEMOR MORTALITATIS TUÆ ÆTERNITATEM MEDITARE.

Scripta:

Scripta. *Diſputationes de Mundo tres.*

De Siderum Ortu & Occaſu Poëtico.

Diſputationes Theologicæ, D. S. Scripturâ & DEI Cognitione, de Creatione, de Libero Arbitrio, de Peccato, De Immanuele noſtro vero DEO & vero homine in unâ indiviſâ Perſonâ.

De Immanuele noſtro D. JESU CHRISTO Diſſertatio Theologica 4. membris comprehenſa, quorum 1. eſt de duabus JESU CHRISTI Naturis, 2. de duarum naturarum Unione hypoſtaticâ, 3. de unitarum naturarum Communione, 4. de Communicatione idiomatum, & operationum Divinarum.

Tractatus de Naturâ CHRISTI triplicis.

Phyſica & Ethica Moſaica duobus libris tradita, quorum 1. Phyſica Chriſtiana generalis & ſpecialis de rebus creatis, 2. Ethica Chriſtiana continetur.

Oratio Theologico-Hiſtorica de Religionis per Lutherum reformatæ origine & progreſſu in Germaniâ, & ejuſdem in Regnis Daniæ & Norvegiæ ab A. 1517. plantatione, irrigatione, propagatione & conſervatione: Cui annexa eſt Tabula Chronologica & Hiſtorica breviter exhibens res præcipuas tum in Daniâ tum in exteris ab A. 1517. ad 1621. geſtas.

Oratio in obitum Dom. Chriſtiani Friſii de Borreby Cancellarii Regii.

Orationum & ſacrarum Homiliarum Decas.

De Electione.

De dicendi & diſſerendi ratione.

Grammatica Hebræa.

* *Ex Acad. Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

MARTINUS BECANUS. *Obiit A.C. 1624.*

Theol. Soc. Jeſu. ORiundus ex *Hilvarenbecâ*, *Campaniæ Brabanticæ* municipio, undè illi nomen: Societatis Jeſu Theologus, magno ingenio, & ad omnem literaturam nato, *Profeſſor Theol. Mogunt.* in Philoſophiâ & Theologiâ, quam multos annos *Moguntiæ* docuit, clarus fuit. Ob modeſtiam & pietatem *Ferdinando II.* *Moritur.* Imp. â Confeſſionibus, vitâ exceſſit *Viennæ Auſtriæ* 9. Kal. Febr. A.C. 1624.

Scripſit:

Operum Theologicorum Tomos III, quorum I. continentur:

De Prædeſtinatione Calviniſtar. deſperatâ, & Catholicorum orthodoxâ.

De Auctore peccati, ſeu an alius ſit Calviniſtarum, alius Catholicorum Deus?

De Juſtificatione Calviniſtarum, & Catholicorum.

De merito ac juſtitiâ bonorum operum ſecundùm Calviniſtas, & Catholicos.

De Auxiliis gratiæ CHRISTI ſecundùm Calviniſtas & Catholicos.

De Circulo Calviniſtico, contra Davidem Paræum, cum Appendice.

Quæſtiones Calviniſticæ, contra eundem Paræum.

Aphoriſmi doctrinæ Calviniſticæ, cum brevi Reſponſione ad Aphoriſmos falſò Jeſuitis impoſitos.

De Officiis Angelorum circa homines.

De Differentiâ inter Pelagianos, Calviniſtas, & Catholicos in negotio Prædeſtinationis.

Brevis Refutatio quarundam Propoſitionum Philippi Pleſſæi de Euchariſtiâ.

Tomo II.

Tomo II.

Diſputatio de Fide hæreticis ſervandâ, cum Appendice.

Quæſtiones miſcellaneæ de eâdem Naturâ, contra Batavum Calviniſtam.

De Antichriſto Reformato.

An Eccleſia Romana defecerit à fide?

De triplici Cœnâ, Calviniſtarum, Lutheranorum, & Catholicorum.

De Communione ſub utrâque ſpecie, contra Huſſitas, Lutheranos, & Calviniſtas.

Epiſtola ad Franciſcum Balduinum, ejusdem Argumenti.

Refutatio Apologiæ Regis Angliæ de Primatu Eccleſiæ.

Refutatio Torturæ Torti, ſeu *in Sacellanum Regis Angliæ, quod cauſam ſui Regis negligenter egerit.*

De Purgatorio Calviniſtarum.

De triplici Sacrificio, Naturæ, Legis, & Gratiæ.

Tomo III.

Examen plagæ Regiæ.

De Fide DEO ſervandâ.

Privilegia Calviniſtarum.

Quæſtiones Batavicæ.

Diſsidium Anglicanum, de Primatu Regis.

Duellum.

De Pontifice veteris Teſtamenti.

His ſeorſim acceſſerunt:

Controverſia Anglicana de Poteſtate Regis & Pontificis, contra Lancellotum Andream, Sacellanum Regis, pro defenſione Cardinalis Bellarmini.

Theologiæ Scholaſticæ Partes III.

De DEO & attributis Divinis.

De Trinitate.

De Angelis.

De Operibus VI. dierum.

De Statu Innocentiæ.

De Beatitudine.

De Actibus humanis.

De Peccatis.

De Legibus.

De Gratiâ.

De Fide, Spe, Charitate.

Manuale Controverſiar. hujus temporis Lib. V.

Epiſtola ad Georg. N. ex Calviniano factum Catholicum, de Comparatione Eccleſiæ & Synagogæ.

De Invocatione Sanctorum.

Epiſtola ad Johannem Sartorium, Lutheranum, de S. Euchariſtiâ.

Analogia veteris & novi Teſtamenti.

De Judice controverſiarum, ſive ea Scriptura ſit, ut volunt Hæretici, ſive Eccleſia ut docent Catholici.

De Republicâ Eccleſiaſticâ Libri IV. adverſus Marc. Anton. de Dominis, Apoſtatam, qui obiit Romæ in arce Angeli A. 1624. Eccleſ. Cathol. reſtitutus.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

HENRICUS ECKARDUS.

Obiit A.C. 1624.

NAtus eſt *Wetteræ* in *Haſſiâ* 19. Octob. A. C. 1582, Patre *Johanne Eckardo, Grunbergenſi*, Præfecto *Wetterenſi*, matre *Dorotheâ Reinhardiâ.* Cum in Scholâ patriâ ſub manuductione Rectoris *Georgii Mercatoris* fundamenta Linguarum Latinæ & Græcæ, Logicæ ac Rhethoricæ, nec non doctrinæ Sphæricæ percepiſſet, anno ætatis 14. *Marpurgum* ad fratrem *Albertum Eckardi* profectus, Lectiones publicas Profeſſorum frequentavit, & cum ſtudio Theologico præ cœteris delectaretur, ad pedes *D. Balthaſ. Mentzeri* ſedens, ex Collegiis ejusdem plurimùm profecit.

Marpurgi ſtudium Theol. incipit.

Ibidem A. 1598. Promotore *Rudolpho Goclenio*, primam in Philoſophiâ Lauream, inter 35. Competitores primo loco obtinuit, & anno ſeq. 1599. inter 19. Candidatos itidem primus ab eodem *Goclenio* Philoſ. Magiſter ſolenniter creatus eſt. A. 1607. 16. Nov. Doctor Theol. unà cum fratre *Alberto* primus in Univerſitate tunc novâ renuntiatus, cum paulò antè in Univerſitate *Gieſſenſi* Diſputationem Inauguralem ſub Præſidio D. *Johannis Winckelmanni* habuiſſet, de tribus Quæſtionibus controverſis: 1. *An DEUS Verbum proprias ſuas excellentias realiter aſſumtæ humanitati communicaverit.* 2. *De Locutionibus abſtractivis & concretivis in myſterio communicationis Idiomatum explicando.* 3. *De Manducatione Sacramentali in S. Cœnâ.*

Philoſ. Magiſter.

Doctor Theol. primus Marpurgi.

A. 1601. 28. April. A Facultate Theol. *Marpurgenſi Wildungam* in Comit. *Waldecenſi* miſſus, ibi â Superintendente *Labacenſi* M. *Zachariâ Victore* ordinatus, & poſteà â Dom. *Georgio Burggravio, Kirchbergenſi*, Domino *Varnrodæ* Concionator aulicus, ſuſceptus cum eo *Varnrodam* diſceſſit, 8. April. A. 1603. in oppido *Singâ* Comit. *Schwartzenburgici* Paſtor Eccleſiæ conſtitutus eſt. 29. Febr. A. 1608. â *Ludovico, Landgravio Haſſiæ*, *Gieſſam* ad Profeſſionem Theologicam vocatus eſt.

Concionator aulicus Varnrodæ.

Prof. Theol. Gieſſæ.

31. Mart. A. 1610. *Carolus Guntherus*, Comes *Schwartzenburgicus*, Superintendentem eum *Franckenhuſæ*, & A. 1616. Sereniſſ. Elector. *Sax. Joh. Georgius* tutor tunc Ducum *Saxon. Altenburgicorum Joh. Philippi, Friderici, Joh. Wilhelmi, & Frid. Wilhelmi*, Generalem Superintendentem Ducatus *Altenburgici* conſtituit.

Generalis Superint. Altenburg.

6. Martii A. 1603. Nuptias *Varnerodæ* celebravit cum virgine *Ottiliâ, Henrici Vogelii Gothani* filiâ: ex quâ tres ſuſcepit liberos: *Dorotheam Barbaram*, quæ 12. Dec. A. 1603. *Singæ* nata 11. Nov. A. 1623. *Altenburgi* deſponſata fuit M. *Philippo Horſtio*, in Univerſ. *Jenenſi* Profeſſori publico: *Laurentium* Med. D. & Phyſicum in oppido *Thuringiæ Franckenhuſâ* vitâ defunctum A. C. 1640. æt. 35. & *Eliſabetham*, natam 1. Nov. A. 1606, & nuptam M. *Jacobo Freislebio*, Diacono, tunc & poſtmodùm Concionatori & Conſiſtorii Aſſeſſori *Altenburgico*.

Nuptias celebrat.

Cum

Cum verò eo *Gieſſæ* propter honores Doctorales abſente uxor ejus morte fuiſſet abrepta, 30. Aug. A. 1608. cum alterâ conjuge deſponſatus eſt virgine *Sabinâ, Friderici Bornii*, Præfecti Comitum *Schwartzenburg.* filiâ, quæ 11. ei liberos peperit, omnes in pueritiâ demortuos, præter *Chriſtianum* S. Theolog. Candidatum *Altenburgi* mortuum 1. April. A. 1639. æt. 27. *Johannem Philippum*, Conſulem *Altenburgicum* A. 1616. 7. Octob. à Duce *Joh. Philippo Altenburgico* è S. Baptiſmo ſuſceptum: *Reginam* M. *Michaëli Crellio*, Concionatori *Altenburgico* A. 1634. nuptam, & *Juditham* A. 1641. M. *Chriſtophoro Keſtnero*, Paſtori tunc *Meuſelwitzenſi* deſponſatam.

Alterum Conjugium.

Phthiſi tandem conſumptus morte beatâ vitam clauſit 22. Febr. A. C. 1624. ætatis 42.

Libri ab eo typis emiſſi ſunt ſequentes:

Scripta:

Diſputatio Philoſophica de Methodo contra Zabarellam.
Theologica de Viribus Liberi Arbitrii.
de Baptiſmo.
Architecti turris Babylonicæ, hoc eſt, *Archi-Synagogi Scholæ hæreticorum, à temp. Apoſtolor. ad hæc uſque tempora, Logica methodo digeſti.*
Von der Barmhertzigkeit GOttes 10. Predigten.
Der himmliſche Jonathas / in 3. Predigten.
Papa Phariſaizans, Papiſtar. & Phariſæorum conſpiratio.
Tabulæ Hæreſiologicæ.
Faſciculus Controverſiarum Theolog.
Scopæ diſſolutæ Nic. Arnoldi.
Bornfels-Predigt: in 4to.
Compendium Theologiæ Patrum.
Tract. de Pœnitentiâ.
De Causâ meritoriâ Juſtificationis contra Joh. Piſcatorem.
Diſputationum Theologicar. Gieſſenſium Tomi III.
Analyſis Epiſtolæ S. Johannis.
Inſtruction von der Theurung.
Tract. de Deſcenſu CHRISTI *ad inferos.*
Unterſchiedliche Leichpredigten.
Geburts-Predigt Hertzog *Joh. Philippi.*
Opuſculum de Ordine Eccleſiaſtico & Politico.
Iſagoge in Catechiſmum Lutheri.
Auslegung des 119. Pſalms / in 4. Predigten.
Spiegel der Regenten und Unterthanen / in 4. Predigten verfaſſet.
Pandectæ Controverſiarum Religionis.
Predigten über den gantzen Pſalter.

* *Ex Concione fun. M. Petri Zelleri.*

Obiit A. C. 1624.

JOHANNES AFFELMANNUS.

Fil. Senatoris Suſat.

SUſati in *Weſtphaliâ* parentibus honeſtis natus eſt M. Nov. die *Catharinæ* A. C. 1588. Parentem habuit Dom. *Henricum ab Affelen*, Reipubl. patriæ Senatorem, *matrem Annam*, Dom. *Simonis Michaëlis*, Conſulis ibidem filiam.

Poſtquàm pietatis & artium fundamenta in Scholâ patriâ jecit, Scholam *Tremonienſem*, inter *Weſtphalicas* tum propter *Beurhuſii* & *Schafmanni* in eâ docentium diligentiam maximè celebrem adiit, & poſteà *Corbachianam* & *Lipſienſem* viſitavit.

Scholaſticus Tremoniæ.

A. ætatis 15. *Marpurgum* conceſſit, ubi tum parentis conſilio, tum tacito naturæ inſtinctu, ſtudium Theologicum ſelegit, ad quod omnes actiones ſuas dirigeret. Ut verò animum ſuum ad ſtudium hoc rectè præpararet, Linguarum & artium liberalium cognitionem laudabilem ſibi comparavit. Codicem ſacrum præterea legendo & relegendo ſibi familiarem fecit, dicere ſolitus. *Apellis proverbium erat in ætate virili: Nulla dies ſine lineâ; meum fuit in ætate juvenili: Nulla dies ſine lectione Biblicâ.* Lectiones publicas D. *Joh. Winckelmanni* & D. *Baltaſ. Menzeri* frequenter viſitavit.

Marpurgi Studioſus Theol.

Cum verò A. 1605. Reformatorum Religio *Marpurgi* introduceretur, in comitatu Theologorum *Gieſſam* conceſſit, ubi etiam ſub D. *Mentzeri* præſidio anno æt. 17. publicè diſputavit.

Gieſſæ Diſput. Theol. defendit.

A. 1607. Academiam *Roſtochienſem* ingreſſus, & biennio pòſt ab ejus urbis Senatu inter Theol. Profeſſores cooptatus eſt anno æt. 21, quo ipſo & ſummos in Theol. honores cum laude conſecutus eſt.

Theol. Profeſſor & Doctor Roſtochii A. ætat. 21.

A. 1619. Illuſtriſſ. Princeps Dom. *Adolph. Fridericus*, Dux *Megapolitanus*, eum ad ſe *Swerinum* vocavit, & auditum muneribus clementer affecit.

Anno eodem, quo Laureâ Doctoris fuit ornatus, virginem *Annam*, Dom. *Joh. Corfinii*, Conſulis *Roſtoch.* filiam in matrimonium accepit.

Eodem anno maritus.

Aliquoties cum fuiſſet Rector Acad. morbo tandem ex lucubrationibus nimiis contracto iter carnis univerſæ eſt ingreſſus, & ex *Roſtochienſi* in cœleſtem Academiam migravit 28. Febr. A. C. 1624. ætatis 36.

Scripta ab eo edita & relicta ſunt ſequentia:

Scripta.

Examen Concionis Rhuelianæ, das iſt / gründliche Schulführung und Abfertigung der Sophiſterey / Grillen und Flatterſtichen / damit *Johannes Rhuelius, Apoſtata*, ſeine Predigt vom H. Abendmal durchſpicket hat: in 4to.
Calviniſche Heuſchrecken / das iſt / Erklärung des Geheimnüß von den Heuſchrecken / ihren Eigenſchafften / ihren König / und ihrer Zeit der 5. Monden / aus dem 9. Cap. *Apocal.* auf die Calvinianer gezogen: in 4to.
Conflictûs Anti-Jeſuitici tres, ſive Anatomia fœtûs Jeſuitici Hierophantarum novæ Academiæ Padebornâ Weſtphalæ, in 8vo.
Cenſura Cenſuræ Lampadianæ Theologica & Scholaſtica, de Omnipotentiâ CHRISTI *ſecundùm naturam ejus humanam*, in 4to.

Syntagma

Syntagma Exercitationum Academicarum de Articulis fidei inter Pontificios & Calvinianos controverſis.

Diſputatio de Peccato in genere & ſpecie pro Gradu Doct. Præſide D. Eilh. Lubino.

Illuſtres Quæſtiones de JESU CHRISTO.

Reſolutio verborum ſeptem Teſtamenti CHRISTI *in cruce.*

Noſce te ipſum, ſive de Homine ejusque conditione primogen. De bonis Operibus: de fide Infantum baptizatorum, de Sacramento Pœnitentiæ.

Synopſis Controverſiarum de S. Cœnâ.

Manuductio ad doctrinam de Prædeſtinatione: De Antichriſto.

De Peccato in Spiritum Sanctum.

De Philippiſmo fugiendo.

De ferendis hæreticis non auferendis.

* *Ex Memoriâ D.* Joh. *Aſſelmanno celebratâ ab Erneſto Coccio, Theol. Stud.*

Obiit A.C. 1624.

GEORGIUS NUDINGUS.

WEiſſenburgi, oppido Imperiali *Norico*, vitam auſpicatus eſt 18. Octob. A. C. 1558, Patre *Caſparo*, Mechanico, matre *Barbarâ Wernleiniâ.*

Auguſtæ Vind. in Gymnaſ. Annæo diſcipulus.

Cum in Scholâ patriâ ſub diſciplinâ *Chriſtophori Münderlini*, *Weiſenburg.* & *Pauli Pſamii Noriberg.* Rectorum, fundamenta Linguarum Latinæ & Græcæ poſuiſſet, A. 1572. miſſus *Auguſtam Vind.* in Gymnaſio *Annæo* ſeptennium in ſtudiis tranſegit ſub auſpiciis *Hieronymi Wolfii*, Viri de re literariâ præclarè meriti, cujus etiam commendatione *Joh. Henricus Linckius*, Scholarcha *Auguſt. Nudingum* hunc A. 1579. in Acad. *Jenenſem* ſumtibus ſuis ablegavit, & *Johanni Schrötero*, Medico Clariſſ. commendavit, qui filios ſuos ipſius informationi tradidit. Ibidem A. 1583. 29. Jan. unà cum *Wolfgango Heidero*, aliisque 18. Competitoribus ſummum in Philoſophiâ Gradum tertio loco accepit.

Jenæ Philoſ. Magiſter.

Rector Weiſſenburg.

Eodem anno 10. Oct. ſuaſu Mecœnatis ſui *Linckii Jenâ* diſceſſit in Academiam *Tubingenſem.* 17. Mart. A. ſeq. 1584. Rectoris munus in Scholâ patriâ ſibi delatum aggreſſus, Collegas habuit M. *Leonhardum Kölerum, Ambergenſ.* & M. *Georgium Volcartum.*

Diaconus.

13. Maji ſeq. Diaconus Eccleſiæ *Weiſſenburg.* à Senatu conſtitutus, & publicè ordinatus eſt, quod munus 40. annos fideliter obivit.

Conjugium ejus & Liberi.

17. Sept. A. 1584. 3. Nov. Nuptias in patriâ celebravit cum virgine *Mariâ, Davidis Hertelii*, Paſtoris Evangelici *Gundelsheimenſis* filiâ, quæ 40. annor. conjugii tempore 5. ei filios & 9. filias peperit. Ex filiis ſuperſtites poſt obitum ſuum reliquit, *Theophilum*, Diaconum Eccleſiæ *Schwaningenſis*, & *Georgium*, Theol. Studioſum. Filiarum trium ſuperſtitum natu major *Barbara*, *Matthiæ Reblino*, Paſtori Eccleſiæ *Schambachenſis* deſponſata fuit.

Concionator Weiſſenburg.

Cum verò 26. Sept. A. 1593. Concionator *Weiſſenburg. Reichartus Vogtius* vitâ exceſſiſſet, *Nudingus* mox quidem â Senatu ſubſtitutus, ſed anno demùm 1596. confirmatus eſt, & Collegas tum habuit in Miniſterio ſacro *Johannem Dor, Altorfinum*, ac *Vitum Burcardum*, *Weiſenburgo-Noricum.*

Moritur.

Durante Miniſterio ſuo Libros S. Scripturæ præcipuos pro Concionibus declaravit, cumque tandem 5. ſeptimanis æger decubuiſſet, accedentibus paroxyſmis epilepticis, placidè in CHRISTO exſpiravit 8. Aug. A.C. 1624. æt. 66. ſepultus 11. Aug. ſeq. Paſtor fuit Evangelicus *Weiſenburgi* ſeptimus:

1. *fuit Andreas Munderlinus, anteà Catholicus*, 5. annis.
2. *Wolfgangus Sallinger* 13. ann.
3. *Sebaſtianus Stibarus* 7. ann.
4. *Wolfgangus Eckius* 26. ann.
5. *Johannes Albrecht* 3. ann.
6. *Reichardus Vogtius* 9. ann.
7. *Georg. hic Nudingus* 31. ann.

M. GEORGIUS NUDINGUS.

Per *Anagramma:*

Ergo ſum dignus ungi.

Arithmologia Obitûs, & Sepulturæ:

AVgVſto LVX *nona Vago ſVper aXe reſVrgIt,*
Vt *Mens NVDIngI regna ſVperna ſVbIt.*

VnDeCIes Vt LVX *AVgVſto* LVXIt *ab aXe*
CaVtè *NVDIngI Corpora teCta ſoLo.*

* *Ex Concione fun. M. Caſp. Agricolæ, Miniſtri Weiſenburg.*

ObiitA.C. 1625.

PHILIPPUS GAMACHÆUS.

INter Theologos, quos *Sorbona Pariſina* doctrinâ, pietate, & virtute præſtantes dedit, non poſtremus fuit *Philippus Gamacheus* S. Theol. Doctor in eâdem *Sorbonâ Pariſ.* Natus is eſt anno â bono publico 1568, exactisque cum ſingulari pietatis & eruditionis laude annis 57. obiit 21. Julii A.C. 1625.

Theologus Sorbon. Pariſ.

Moritur.

Author Summæ Theologicæ.

Quanta Viri fuerit eruditio, quantum ingenium, ſatis clarè loquitur illius *Summa Theologica*, opus magnum, varium, & multiplici Theoſophias ſcientiâ repletum, quod prodiit *Lutetiæ* Privilegio Regis exornatum, accedente Virorum magnorum approbatione & encomio.

Memoriæ ejus nonnemo hos Verſûs conſecravit, quos imagini ejus ſubjecit:

Vix benè tam parvâ ſpiras, Gamachæe, tabellâ,
Nec par in ære nitet, qui fuit ore, lepor.
Sed tua te vivâ depinxit imagine virtus,
Huic doctrina oculos præbuit, illa manum.

Iii Edidit;

Digitized by Google

Edidit:

Scripta. *Theologiam Scholaſticam*, *Speculativam*, *Practicam*, ſive *Commentarios in 3. partes Summæ D. Thomæ*, in fol.

* *Ex Vitis Viror. doctorum Jani Jacobi Boiſſardi.*

Obiit A.C. 1625.

JACOBUS HASEBART.

HAſniæ natus eſt A. C. 1591, Patre Doct. *Jacobo Haſebarto*, Archiatro Regio, matre *Chriſtinâ Nicolai* f. Anno ætatis 10. cum publicæ inſtitutioni habilis videretur, pio Parentum conſilio in Scholam Regiam *Sorenſem* miſſus eſt, in quâ cum pluſculos annos confeciſſet, ad Academiam *Hafnienſem* ſe contulit. *Diſcipulus Scholæ Sorenſis.*

Philoſ. & Theol. Stud. Hafniæ. Ab eo tempore non ſolùm eos, qui ſcientias Philoſophicas, ſed etiam S. Theologiam publicè profitebantur, ad triennium ſedulò audivit; uſus intereà Præceptore privato M. *Canuto Bieskio* Græcæ Linguæ Prof. publico. *Baccalaureus.* 9. Julii A. 1611. Laureâ primâ Philoſophicâ donatus, & idoneus fuit judicatus, qui pueris Nobilium in convictu & famulitio Sereniſs. Principis *Chriſtiani*, Regis *Chriſtiani IV.* filii, informandis præficeretur. Quam ſpartam cum aliquandiu ornâſſet, tandem expetitus fuit *Præceptor nobilium adoleſcenti* Præceptor filiorum Nobilis Viri Dom. *Holigeri Roſenkrantzii*, Senatoris Regii, quos in omnibus literariis exercitiis domi primùm ad triennium inſtruxit, poſteà A. 1615. comitante ipſos Parente, ſecum abduxit in *Germaniam*, ut perluſtratis longo itinere *Super.* & *Inferioris Germaniæ* Civitatibus, & Academiis inſignioribus, doctiſſimorum quorumcunque mores ac ſtudia cognoſcerent, eorumque viva exempla ſibi ad imitandum proponerent.

A. 1619. In patriam cum ſuis diſcipulis redux, ab iiſque bonâ Parentis gratiâ dimiſſus, eidem nihilominùs tum in Legatione *Sveticâ* ad Nuptialem feſtivitatem Sereniſs. GUSTAVI ADOLPHI, Regis *Svetiæ*, tum aliis itineribus adhæſit in annum uſque 1621, quo ad publicam inferiorum Mathematum Profeſſionem â Senatu Academico vocatus eſt, *Profeſſor Mathem.* ornatus primò ſupremâ Philoſophiæ Laureâ â Spectabili Decano M. *Wolfg. Rhumanno*. *Philoſophiæ Magiſter.*

A. 1622. Vitæ ſociam ſibi delegit virginem *Magdalenam*, Dom. *Ottonis Canutii*, Conſulis *Otthinienſis*, filiam, quorum conjugium trium annor. trinâ prole DEUS fœcundum eſſe voluit. *Conjugium ejus, & Liberi.* Eodem anno ad docendum in Eccleſiâ *Hafnienſi* Evangelium CHRISTI publicè ordinatus eſt Paſtor & Præpoſitus ad D. Virginem. *Eccleſiæ Paſtor Hafniæ.*

Huic muneri Apoſtolico ita præfuit, dum vixit, ut ob eximiam pietatem, ſpectatam vitæ ſanctimoniam, & ſalutarem docendi rationem Vir deſideriorum ab omnibus Auditoribus ſit vocatus.

Sed amiſsâ in partu Uxore A. 1625. dolorem adeò contraxit magnum, ut non multò pòſt ipſemet ægrotare cœperit. Vicit autem morbum, mundum, & mortem firmâ in CHRISTUM fide, patientiâ Chriſtianâ, ac ſpe beatæ reſurrectionis, cum 5. Sept. A. 1625. piam animam DEO Creatori piè redderet, poſtquàm producta ei fuit hæc vitæ fabula in annum ætatis 34. *Moritur.*

Funus publico Programmate â Rectore Academiæ *D. Claudio Plumio* indictum eſt, & ſepultus in Templo *D. Virginis*.

* *Ex Academiâ Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

Obiit A.C. 1625.

ABRAHAMUS SCULTETUS.

VIrum hunc, quem ob aureum eloquentiæ flumen verè *Chryſoſtomum* nominare poſſumus, in hanc lucem tulit *Grunberga*, *Sileſiorum* urbs, A.C. 1556. die 24. Aug. *S. Bartolomæo* ſacrâ, parente *Georgio*, Tribuno plebis, & matre *Catharinâ*, viri Conſularis filiâ.

In patriâ Scholâ primos ingenii formatores invenit *Petrum Titum*, conſtantem fidei defenſorem, & *Jacobum Ebertum*, Linguar. Orientalium peritiâ clarum, nec non elegantis doctrinæ Virum *Paulum Bernavum*. *Præceptores ejus Grunbergæ.*

Fundamentis primæ literaturæ jactis A. 1582. ſe contulit *Uratislaviam*, ubi ſtudiorum ſocios nactus eſt inter alios *Bartolom. Pitiſcum*, *Amandum Polanum*, & *Chriſtophorum Pelargum*, quorum eximiis donis DEUS poſteà non uno in loco uſus eſt. *Diſcipulus Uratislaviæ.*

Indè *Freiſtadium* adiit, ad audiendos præcipuos illos Viros è diſciplinâ *Philippi Melanchthonis*, *Nicolaum Ludovicum Glogavienſem*, & *Abrah. Bucholtzerum*, Theologum atque Chronologum magnum. *Freiſtadii.* Ex hâc Scholâ digreſſus eſt in *Gorlicenſem*, in quâ nactus eſt primos Magiſtros *Laurent. Ludovicum* & *Mart. Mylium* Philologos & Theologos claros. *Gorlicii.*

Ignea verò vis ingenii diutiùs eum intra Patriæ fines ſubſiſtere non eſt paſſa. Adjutus igitur liberali benignitate Nob. Equitis *Sileſii*, *Joach. â Bergen*, *Wittenbergam* ſalutavit, in quâ per Philoſophiæ utriusque & Theoricæ & Practicæ latifundia pleno velut curriculo evagatus eſt. *Studioſus Wittenbergæ.*

Antequàm verò è *Saxoniâ* diſcederet, *Deſſaviam* abiit, ad viſendum & ſalutandum Martyrem illum deſignatum, quem appellat *Tertullianus*, *D. Caſp. Peucerum*, *Philippi Melanchthonis* generum.

Dehinc rectâ A. 1590, tanquàm ad montem Sionis, *Heidelbergam* iter ſuum parat: ad quam cum appuliſſet, attentiſſimè audivit Clariſſ. Theologos, *Danielem Toſſanum*, & *Franciſcum Junium*. *Heidelbergæ Theol. Stud.*

Nec diſcendo ſolùm, ſed & docendo ſe ipſum exercuit, Prælectionibus habitis ex arte Dialecticâ, Oratoriâ, morum & ſiderum doctrinâ, quas diſciplinas præcepit pluribus Nobilibus adoleſcentibus.

Hæc

Philoſ. Magiſter. cum Melch. Laubano.

Hæc ſedulitas effecit, ut ſeq. anno 1591. Cal. Martii honor Magiſterii Philoſ. & ipſi & populari, ſtudiorum ſocio & comiti individuo, *Melchiori Laubano*, â Senatu Philoſophico decerneretur.

Docendi itaque Facultatem adeptus, aſpirat ad ſacrum Miniſterium, cui ſe totum ex ſacro quodam impulſu devoverat.

Concionator. Aul. Palat.

Aulicis proinde Concionibus habendis â Sereniſſ. Electore addictus, flumen illud Eloquentiæ ſuæ innatæ tantâ ſuavitate diffudit, ut non ſolùm Principi ſuo, Aulæ, & Civitati ſummoperè probaretur, ſed etiam ad exteros quoque ejus ſuadæ efficacia pervaſerit.

Scholar. & Eccleſiar. Inſpector.

Factum eſt enim, ut poſtquàm domi deſignatus fuit Scholarum & Eccleſiarum Inſpector, ab exteris Principibus deſideraretur abuſuum reformator in agro *Juliacenſi*, Electoratu *Brandeburgico*, Comitatu *Hanovienſi*, ac denique A. 1619. unà cum *D. Paulo Tuſſano* & *D. Henrico Altingio*, Synodo *Dordracenſi*: quibus in locis Evangeliſmi ſemina feliciter ſparſit, Eccleſias atque Scholas feliciter conſtituit.

Fuit in Synodo Dordracenſi.

A. 1612. Cum Electore *Friderico V.* in *Angliam* abiit: ubi Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, ipſiusque Regis gratiam oppidò ſibi demeruit. Redux aliquantò poſt vocatur ad S. Theologiam in Academiâ docendam: quæ eapropter Doctorales honores, Promotore *D. Davide Pareo*, in illum ſolenniter contulit 20. Aug. anno 1618.

In Angliam profectus.

Theolog. Prof. Heidelbergæ, & Doctor.

A. 1619. Conſiliarius Eccleſiaſticus unà cum *Joh. Alberto*, Com. *Solmenſi*, *Ludovico Camerario*, *Georg. Frid. Paſtorio*, aliisque Legatis Electoralibus *Francofurtum* ad Comitia Imp. propter electionem Cæſ. *Ferdinandi II.* inſtituta profectus eſt.

Ingruebant illo tempore impetuoſæ procellæ, quæ *Palatinatum*, adeòque univerſam *Germaniam*, miſerè inundabant. Avulſus ergò â ſuſceptâ Provinciâ Academicâ in *Bohemiam* pergit, è quâ poſt miſerabilem cladem tanquam Ulyſſes modò huc modò illuc ab imperio fortunæ diſpellitur, donec ſedem reperit in *Friſiorum Embdâ*, ubi Evangelium publicè annuntiavit, donec exilii onera vitæ dies illi decurtarent: occubuit enim 24. Octob. A.C. 1625. ætatis 59.

Eccleſiæ Paſtor Embdæ.

Moritur.

Ingenii monumenta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta.

Medullæ Theologiæ Patrum Syntagma, in quo Theologiâ priſcorum Eccleſiæ primitivæ Doctorum à Roberti Bellarmini, & aliorum corruptelis vindicatur.

Annalium Evangelii paſſim per Europam 15. Salutis partæ ſeculo renovati Decados: quarum duas tantùm exegit, cum reliquæ in direptione *Pragenſi* perierint.

Idea Concionum Dominicalium, Latinè & Germanicè edita.

Idea Concionum in Prophetam Eſaiam, Epiſtolas D. Pauli ad Romanos, ad Hebræos, & Pſalmos Davidis.

Deliciæ Evangelicæ Pragenſes, hoc eſt, *Obſervationes Grammaticæ, Hiſtoricæ & Theologicæ in Hiſtoriam JESU CHRISTI nati, educati, baptizati & tentati.*

Bibliſche Betkunſt / darinn von Eigenſchafft und Würckung deß Gebets gehandelt wird.

Wegweiſer vor alle die jenige / welche vorwenden / ſie können ſich in die Zwiſpalt der Religion nicht ſchicken / noch wiſſen / welcher Glaub recht oder unrecht ſeye.

Gebet-Büchlein.

Kirchen-Poſtill.

Pſalm-Poſtill.

Poſtilla Ungarica.

Auslegung des 20. Pſalms.

Bericht von den Götzen-Bildern.

Axiomata concionandi Practica, edita operâ M. Chriſtiani Kyferti.

Predigten von der Aufferweckung *Lazari.*

Obſervationes Grammaticæ, Logicæ, Hiſtoricæ, & Theologicæ in Hiſtoriam Concionum & Miraculorum â DOMINO noſtro JESU CHRISTO editorum.

De Precatione Tractatio Logica, Theologica: & Johannes Baptiſta Logicè deſcriptus.

Hiſtoriſcher Bericht / wie GOTT ſeine Kirche *reformiret* und regiret.

Bericht / wie die Kirchen-*Reformation* von 100. und mehr Jahren angangen.

* *Ex Parte II. Vitar. Viror. doctor. Jani Jacobi Boiſſardi.*

HERMANNUS RAVENSBERGERUS.

Obiit A.C. 1625.

IN oppido Comitum *Naſſoviæ Sigenâ* natus eſt 30. Sept. A.C. 1586. Patre cognomine, matre *Eliſabethâ Münserianâ*. Horum paternâ curâ in Gymnaſio patrio bonis literis imbutus, cum ad capeſſendum ſublimioris Facultatis ſtudium maturuiſſe videretur, primùm Jurisprudentiæ ſe dedidit ductu *D. Antonii Matthæi*, poſteà Juris Profeſſ. primarii.

Jurisprudentiæ ſtudet.

Huic ſtudio cum ad tempus tum in *Scholâ Naſſovicâ Herbornæ*, tum in Academiâ *Palatinâ Heidelbergæ*, ſatis feliciter eſſet operatus, ad S. Theologiam animum appulit, cui tum *Herbornæ*, Ductore & Doctore *Johanne Piſcatore*, Theologo eximio, tum poſteà in Academiâ *Marpurgenſi* ſub D. *Schönfeldio* incubuit. Cujus induſtriæ præmium maturè ſatis adeptus eſt, A. C. 1609. ætatis 23. in eâdem Academiâ Theologiæ Doctor publicè renuntiatus.

deindè Theologiæ.

Theol. Doctor, & Profeſſor Herbornæ.

Mox anno ſeq. â Comitibus *Naſſoviis* Profeſſio ei Theologica in Gymnaſio *Herbornenſi* eſt demandata.

Triennio vix exacto Comites *Benthemici* ſolenni vocatione indè eum exciverunt, ipſique A. 1614. non tantùm in Gymnaſio ſuo *Steinfurtano* Profeſſionem Theologi-

Prof. Theol. Steinfurt.

cam, ſed & Eccleſiarum per Comitatûs ſuos regendum clavum commiſerunt.

Grŏning. Intereà paulò pòſt ab Illuſtribus *Grŏningæ* & *Omlandiæ* Ordinibus ad eorum Academiam tunc recens apertam, primus Profeſſor Theologiæ vocatus, eam ſpartam quoad vixit per annos 11. voce vivâ, ſcriptis quoque nonnullis ornavit. Recturam ejus ter cum gloriâ geſſit, quartamque gerere aggreſſum mors occupavit: nam morbo lento per annum confectus, cœleſtem vitam anhelans, inter preces Dom. *Cornelii Hillenii*, Verbi Divini Miniſtri,

Mor. 20. d. Decemb. A. C. 1625. ætat. 39. placidè exſpiravit.

* *Ex Vitis Profeſſor. Grŏning.*

Obiit A. C. 1626.

NICOLAUS DE ODDIS.

Patavii A. 1560. natus, & in flore ætatis mundo valedicens, Congregationis *Olivetanæ* clauſtrum adamavit. In eo ſanctitate vitæ clarus, & literis humanioribus expolitus, cum præviis Congregationis dignitatibus egregiè perfunctus eſſet, Abbatiam demùm ſortitus eſt, quam annis ferè 30. ſplendidè rexit. *Abbas Patavii.*

Bibliothecam inſtruxit. Frugalitate & expenſis propriis perampIam Bibliothecam publicæ Cœnobii conſtruxit utilitati, in quâ cum juventâ ſenectutem poſuit. *Torquatum Taſſum*, Poëtam ſibi ſummâ familiaritate conjunctum, è ſævientis fortunæ manibus multoties eripuit. Obiit *Patavii* Id. Febr. A. C. 1626. ætatis 66. *Moritur.*

Jacobus Pighettus Bergomas, Scriptorum ejus utriusque ſtyli, Epiſtolarum & Opuſculorum aliquot Poëticorum hæres, hoc Elogio amicos conſolatus eſt:

Epitaphium.

SISTE QUÆSO VIATOR, AC PERLEGE.
NICOLAUS ODDUS
OLIVETANÆ CONGREGATIONIS ABBAS ET PARENS HÌC SITUS EST.
NOBILI GENERE ORTUS ADHUC ADOLESCENS
TERRENAS OPES DESERUIT, UT SE DITARET COELESTIBUS.
CONSILIO FUIT SEMPER SENEX, INNOCENTIA INFANS,
MONACHORUM SENATUS PRÆCIPUAS DIGNITATES CONTULIT:
SAPIENTIA MAGIS EXTULIT.
SPLENDIDAM NATURA MENTEM INDIDIT,
SPLENDIDIORA VIRTUS EDIDIT.
PATAVINO IN COENOBIO MUSIS DELUBRUM
SUMMA CUM GLORIA EREXIT.
TORQUATUM TASSUM DIVINUM ILLUM POETAM, CUI INTIMUS FUIT, E SÆVIENTIS FORTUNÆ MANIBUS MULTOTIES ERIPUIT.
VERUM, (EHEU!) TANTUM TUNC VIRUM AMICI CO LACHRIMANTES A MORTE ERIPERE NEQUIVERUNT.
QUOD TAMEN ILLI PERJUCUNDUM EXTITIT, SIQUIDEM MORTALES RELIQUIT EXUVIAS, UT IMMORTALES INDUERET.
VIATOR
TUMULUM LACHRIMIS DECORA ET DISCE:
LIBITINAM POSSE QUIDEM VITAM ADIMERE, NON AUTEM ACQUISITAM VIRTUTE FAMAM.

* *Ex Elogiis Viror. illuſtr. Jac. Phil. Tomaſini.*

JOHANNES PISCATOR.

Obiit A. C. 1626.

Theologum hunc incredibilis diligentiæ genuit *Argentina*, fœcunda doctor. Virorum mater, A. C. 1546. cum *Germania* civili arderet bello. Prima juventutis ſtudia ferè in Logicis detrivit meditationibus, conjungens cum *Ramo Ariſtotelem*, idque majore propè quàm quisquam alius felicitate. Factis jam ſolidioribus in re Theologicâ fundamentis, *Herbornam Naſſoviorum* vocatus, multis annis Profeſſoris munus in eâ Scholâ obivit, gratus ſtudioſæ juventuti, adeò ut multi non ex utrâque tantùm *Germaniâ*, ſed & *Galliâ*, *Ungariâ*, *Poloniâ* regnisque Septentrionalibus eò confluerent, non territi exiguitate loci. Obiit *Herbornæ*, cum annum ætatis octogeſimum ageret, 26. Julii A. C. 1626. *Logicus excellens.* *Theologiæ Prof. Herbornæ.* *Moritur.*

Quod imagini ejus Carmen ſubjecit *J. H. Heidfeldius* Lectori inſtar amplioris Hiſtoriæ eſto:

Hæc PISCATORIS faciem tibi ſculpta tabella
Exhibet, ingenium pinxit at ipſe ſuum.
Quicquid Ariſtotelis Ramique volumina pandunt
Rimatus vigili mente manuque fuit.
Biblia difficili, queîs gaudet Teuto, labore
Tranſtulit in patrios non ſine laude ſonos.
Atque eadem Latiis pòſt commentaria verbis
Scripſit in æternos haud peritura dies.
Tentârunt hoſtes fruſtrà hæc arrodere Scripta,
Quos duce Scripturâ vicit ubique Sacrâ.

Lucubrationes ab eo relictæ ſunt:

S. Biblia penitùs de novo ex *Hebræo Sermone* in *Germanicum* multis vigiliis *tranſlata*. *Scripta.*

Analyſes Logicæ & Theologicæ in plerosque S. Codicis Libros, præſertim Novi Teſtamenti.

Exul Chriſtianus ad patientiam & reliquas Virtutes plenè informatus, in 12mo.

Commentar. in Apocalypſin S. Johannis.

Tractatus de Gratiâ DEI, in 8vo.

Tract. de Prædeſtinatione, in 8vo.

Ausführlicher Bericht von den Hauptſtücken Chriſtlicher Religion: in 8vo.

Comment. in libros Chron. & Sam.
in Esd. & Nehemiam uti & Eſther.
in Exod.

* *Ex Vit. Viror. doctor. Jani Jacobi Boiſſardi Part. II.*

JOHAN-

Obiit A. C. 1626.

JOHANNES WINCKELMANNUS.

NAtus eſt *Homberga* in *Haſſiâ* A. C. 1551. Patre homonymo Senatore, matre *Mariâ Witzelianâ*. Enutritus in Scholâ patriâ ablegatus eſt ad *Alsfeldenſem*. A. 1567. de conſilio M. *Juſti Victoris*, Paſtoris *Alsfeldenſis*, translatus eſt *Marpurgum*, ubi A. 1570. ſub M. *Petro Nigidio* Baccalaureatus, & A. 1572. ſub Doct. Juris & Philoſ. Profeſſore Dn. *Bernhardo Copio* Magiſterii gradum conſecutus eſt.

Baccalaur. & Philoſ. Magiſter Marpurgi.

Dehinc Scholæ patriæ *Homburgenſi* præfectus, & brevi pòſt *Marpurgum* revocatus eſt, ubi ſub ſummo Theologo *D. Ægidio Hunnio* tam maſculè ſeſe & auſcultando & diſputando & Conciones habendo exercuit, ut licèt Phyſicæ Profeſſor â Senatu Academico nominaretur, tamen potiùs ad Academiam *Heidelbergenſem* ad continuanda ſtudia Theologica â *Dn. Wilhelmo & Dn. Ludovico Haſſiæ Landgraviis* ablegandus cenſeretur.

Nominatus Phyſicæ Profeſſor Marpurgi.

Hâc occaſione inviſit Academias, *Heidelbergenſem*, *Tubingenſem*, *Argentoratenſem* & *Baſileenſem*, in quâ A. 1581. gradu Theol. ſummo inſignitus fuit.

Theol. Doctor Baſileæ.

In patriam redux factus eſt Concionator Aulicus *Caſſellanus*, & brevi pòſt ſibi in matrimonium adjunxit virginem *Margaretham*, Dom. *Eduardi Ungefugii*, Archimagiri, filiam, quâ cum annos 13. pacatè exegit.

Concionator aulicus Caſſellanus.

A. 1592. In locum Dom. *D. Ægidii Hunnii Marpurgo Wittebergam* evocati, ſurrogatus, officio Profeſſionis primario fungi cœpit, & faſces Acad. ſibi ſecundâ vice concreditos cum laude geſſit.

Theologiæ Profeſſor Marpurgi.

Ad vota ſecunda exacto Viduitatis quinquennio tranſiit cum virgine *Marthâ*, Dn. *Davidis Multneri*, Cœnobii *Heidenſis* Præfecti filiâ, quæ tamen primo Conjugii anno â latere ejus abſque lecti pignore eſt avulſa. A. C. 1607. poſtquàm *Ludovicus* junior, *Haſſiæ Landgravius*, Religione *Marpurgi* mutatâ, Academiam *Gieſſæ* erexiſſet, eidem tunc *Winckelmannum* præfecit, in quâ Profeſſoris primò primarii, deindè Eccleſiaſtis, & tandem Superintendentis munus ac onus ſibi imponi paſſus fuit. Recturam Academiæ *Gieſſenſis* quartâ vice adminiſtravit.

& Gieſſæ.

An. 1612. Poſtquàm ad tertia tranſiviſſet vota cum Virgine *Eliſabethâ*, Dom. *Johannis Albini*, Paſt. *Wetterani* filiâ relictâ, vix & hâc thori ſociâ ſpatio ſemeſtri gaviſus, iterùm viduus factus eſt.

Quia verò & Profeſſorio, & Eccleſiaſtico & Oeconomico onere ferendo ſolus haud par erat, ideò ad quarta vota cum Virgine *Barbarâ*, Dom. *Juſti Stumpffii*, Senatoris *Alsfeldenſis* filiâ, tranſivit, cum quâ pacatè vixit annos 13. Ex 4. conjugiis parens factus eſt 18. liberorum, qui tamen omnes naturæ debitum præmaturè ſolverunt præter filiam unicam Dom. Doct. *Philippi Krebſii* conjugem.

Ex 4. uxoribus 18. liberor. parens.

A. 1623. Academiâ *Marpurgenſi* reſtauratâ, ex Academiâ *Gieſſenâ* eò translatus in priſtinum Profeſſionis primariæ locum reſtitutus fuit: quò etiam ſæpiùs *Gieſſâ* conceſſit, & tandem in actu Doctorali Reverendi Viri Dom. *Georgii König*, Theol. Prof. & Paſtoris in Academiâ *Altorfinâ* A. 1626. Præſidem ac Promotorem, licèt valetudine minùs firmâ, egit. Exindè *Gieſſam* reverſus vitâ defunctus eſt 3. Aug. A. 1626. æt. 75. Miniſterii 45.

Iterum Theol. Profeſſor Marpurgi. *Dom. D. Georgii König Promotor.* *Moritur.*

JOHANNES WINCKELMANNUS.

Per *Anagramma:*

Anne hic unus numine καλός?
En in auſu numen: hinc καλός.

Scripta ejus ſunt ſequentia:

Scripta.

Orationes fun. in obitum Dom. Georgii Haſſ. Landgrav. D. Chriſtoph. Helvici, & *Dom. Johannis Berlepſch*, in 4to.

Commentarii in 12. Prophetas Minores, in 8vo. *Francof. 1603.*

Comment. in Evangelium de JESU CHRISTO ſecundùm Lucam, & *Marcum*, in 8vo. *Francof.*

Comment. in Apocalypſin S. Johannis, in 8vo. *Francof. 1601.*

in utramque Epiſtolam S. Petri Apoſtoli, in 8vo. & *S. Jacobi. Gieſſæ 1608.* in 8vo.

in Epiſtolam S. Pauli ad Rom. in 8.

ad Gal. in 8.

Faſciculus Theſium Theol. de Controverſiis horum temporum, in 8vo. *1610. Francof.*

Diſputationes contra errores Schwenckfeldii, in 4to.

Articuli Auguſt. Confeſſionis Theſibus comprehenſi, in 8vo.

Modeſta Reſponſio ad conciliationem pugnæ Sacramentariæ contra Anton. Sadeelem, in 4to.

Conſideratio Tabulæ Raphaëlis Eglini controverſiam de Cœnâ DOMINI *concernentis*, in 4to.

Errores Calvinianorum de Baptiſmo, Cœnâ DOMINI, *Perſonâ* CHRISTI, & *Electione, quos Paulus Toſſanus Germanicæ S. Bibliorum verſioni D. Lutheri â ſe nuper editæ in margine ad ſeducendum ſimplicem lectorem aſſuit*, & *multa dicta Scripturæ depravavit*, in 4to.

De S. Cœnæ Adminiſtratione ſub utraque liber.

Neceſſaria Reſponſio ad virulentum Scriptum Pauli Toſſani, ſub titulo: Apologia pro his Notis Biblicis, editum, in 8vo.

Repetitio præcipuorum Capitum doctrinæ Chriſtianæ è S. Scripturâ deſumpta, in 12mo.

Diſputationes in Academiis Marpurgenſi & *Gieſſenſi habitæ, de Uſurâ: de Carne* & *Spiritu, de Partibus hominis ſubſtantialibus: de fugâ tempore peſtis. Aliæque variæ.*

Digitized by Google

Bericht / daß fromme Chriſten an Päpſtiſchen Oertern das Abendmal unter einer Geſtalt, nicht empfangen mögen: in 4to.

Zwo Chriſtliche Leichpredigten vom H. Abendmal: in 4to.

Predigt von der ewigen Gottheit und Menſchwerdung Chriſti: in 4to.

Die tröſtliche Lehre von der Gnadenwahl oder Erwehlung der Kinder Gottes / in Frag und Antwort verfaſſet: in 12mo.

Predigt vom Gebet: in 4to.

32. Hochzeit-Predigten über auserleſene Sprüche der H. Schrifft: in 4to.

Unterſchiedliche Leichpredigten: in 4.

Gründliche Erklärung der Wort der Stifftung im H. Abendmal: in 4to.

Haus- und Kirchen-Poſtill aller Evangelien auf alle Feſt und Feyertäge: in fol.

* *Ex Threnologiâ Quadrigæ Theologicæ D. Johannis Himmelii.*

Obiit A.C. 1626.

BALTHASAR MEISNERUS.

NAtus eſt *Dresdæ*, *Saxoniæ* metropoli 3. Febr. A. 1587. Patre cognomine Eccleſiaſte *Dresdenſi* per 40. annos, & Philoſ. Magiſtro: Matre *Annâ*, *Franciſci Crantzii*, Elect. *Auguſti* domeſtici intimi filiâ.

A. 1602. In Academiam *Wittenbergenſem* profectus, vix ibi biennio integro ſtudiis operam dedit, cum 17. annor. adoleſcens A. 1604. ſummum in Philoſophiâ gradum, qui Magiſterii dicitur, conſequeretur, Promotore *D. Jacobo Martini*, Theol. Profeſſore. *Fit Philoſ. Magiſter Wittenbergæ.*

Indè S. Theologiæ ſtudium auſpicatus eſt, ſed nihilominus in Philoſophicis quà prælegendo quà diſputando egregiè ſe exercuit, ut in Philoſophici Ordinis numerum cooptaretur Adjuncti nomine. *Adjunctus Fac. Philoſ.*

A. 1609. 23. Mart. *Wittenbergâ Argentinam* verſus iter auſpicatus eſt, quam ubi 11. April. feliciter ingreſſus eſſet, mox Diſputatione publicâ ſub *D. Johanne Pappo* habitâ brevi ob ingenii dotes ſingulares innotuit.

M. Oct. ſeq. Poſtquàm viſâ Baſileâ *Tubingam*, deindè præterlapſis 7. menſibus *Gieſſam Haſſorum* acceſſiſſet, in hâc tum præcipuis Theologis, tum cumprimis *D. Balthaſari Mentzero* adeò ſe comprobavit, ut nunquàm ſe divelli ab eo, ſi per ipſum ſtetiſſet, fuiſſet paſſus.

Quocircà cum A. 1611. in Academiam *Wittenberg.* ad Profeſſionem Ethicam ſuſcipiendam evocaretur, invitus, ſed amore patriæ compulſus, vocationem eam aggreſſus eſt. *Profeſſor Ethicæ.*

A. 1612. 21. Jan. Theologiæ Doctoris titulo ornatus primùm, deindè cum virgine *Magdalenâ*, *Ludovici Perſonii*, Juris Prof. & Conſiliarii Elect. filiâ ſolennibus matrimonii cæremoniis copulatus eſt. Ex eâ 9. ſuſcepit liberos, è quibus filii tres & filia unica patrem vitâ ſuperârunt. Decimam ſobolem vidua gravida poſt mortem mariti poſthumam peperit. *Doctor Theologiæ. Nuptias celebrat.*

A. 1613. Profeſſionis Theologicæ Cathedram conſcendit. A. 1624. inter Eccleſiaſtici Conſiſtorii Aſſeſſores eſt adſcriptus. Rectoris Academici officio ter functus eſt. Vir judicii acrimoniâ, diſſerendi ſubtilitate & doctrinâ ſummâ præditus, lenitatem animi tantoperè probavit, ut duas illas Salvatoris voces *Beati Mites*, quarum literæ initiales ipſius nomen adumbrabant, pro *Symbolo* ſibi elegerit. Corpore imbecilli & morbis ſæpiùs infeſtato præditus, cum tandem per tres ſeptimanas febre ardente laborâſſet, accedentibus ſymptomatibus aliis, è vivis piè deceſſit in ipſo Academiæ Rectoratu tertio 29. Dec. A. C. 1626. æt. 40. Sepultus jacet in Templo Arcis, quod voce ſuâ per annos quaſi 13. animavit. *Profeſſor Theol. Aſſeſſor Conſiſt. Eccleſ. Symbolum ejus. Moritur.*

Libri ab eo editi ſunt ſequentes: *Scripta.*

Diſſertatio de Legibus in 4. libellos diſtributa, quorum I. agit de Lege in genere, II. de Lege æternâ, III. de Lege naturæ, IV. de Legibus humanis tum Politicis tum Eccleſiaſticis.

Diſſertatio de Summo Bono in 8vo.

Tractatus de Purgatorio, contra quendam Glogovienſem Priorem apologeticus.

Peculiarem Precum libellum, quo privatim quotidiè uſus eſt, ſibi concinnavit.

Predigten über das Buch der Augſpurgiſchen *Confeſſion*, in 4to.

Prob der Calviniſchen Religion: in 8.

Unterricht/daß man ſich vor der Calviniſchen Lehr hüten ſoll: in 12mo.

Anthropologia ſacra in Decadibus tribus, in 4.

Scholæ Academicæ, ſive Diſputationes V.

Murus Babylonis Romanæ, oppoſitus 12. muris novæ Jeruſalem Catholicæ Jacobi Reihingii, tunc Jeſuitæ.

Oratio de Jure Canonico, in 4to.

Collegium Adiaphoriſticum contra Calvinum, in XII. Diſputationibus.

Chriſtologiæ ſacræ Diſputationes L. in 8vo.

Meditationes ſacræ in Evangelia, in 8vo.

Collegii de S. Scripturâ Diſput. XX.

Collegii de Sacramentis Diſputationes XX.

Papa & Papatus proprio gladio jugulatus, in 8vo.

Philoſophia ſobria, h. e. *Conſideratio Quæſtionum Philoſophicarum in Controverſiis Theol. â Calvinianis motis*, in 4to. & in 8vo.

Ejusd. Philoſ. pars ſecunda, in quâ Controverſiæ Papiſticæ ſuccinctè diſcutiuntur, in 4.

Ejusd. Philoſ. pars III. in qua Problemata Ethica & Politica in Controverſiis Papiſticis diſcutiuntur, in 4to.

Diſputatio de Fide Juſtificante.

Conſultatio de Fide Lutheranâ capeſſendâ & Romanâ deſerendâ, oppoſita Leonh. Leſſio.

Prima Victoria de Joh. Paulo de Czarnkow.

Diſputatio de ficto Petri & Papæ Primatu.

Diſpu-

Digitized by Google

Diſputationes de Antichriſto.

De ſictâ Rom. Pontificis in ſpiritualibus & temporalibus poteſtate.

Præter modò Scripta, ab eo etiam edita ſunt ſequentia:

Diſſertatio de Antiquâ vitiosâ Theologicè diſputandi ratione, in 4to. *Gieſſæ 1611.*

Brevis Conſideratio Theologiæ Photinianæ.

Chriſtianus in publicâ Panegyri deſcriptus, in 4.

Dica ob crimen calumniæ Pontificiis ſcripta, in 4to.

Orationes, Prior de Arcâ Noachi, cum quâ comparatur Academia: Poſterior de Cherubinis, quibus Studioſi debent eſſe ſimiles, in 4to.

Brevis Admonitio de M. Cornelii Martini, Prof. Helmſtad. maledicentiâ, in 8vo.

Conſilia de Studio Theologico & lectione Biblicâ rectè inſtituendis, in 8vo.

Opuſcula de Indulgentiis & fictitio Papiſtarum Purgatorio, in 8vo.

Davidis Hertz-Seuffzerlein aus dem 51. Pſalm: in 12mo.

Meditationes ſacræ Germanicæ, oder geiſtliche Andachten über die Sonntägliche *Evangelia*, in 8vo.

Catholiſche Antwort auf die ketzeriſche Frag der Jeſuiten: Wo die Kirch vor *Luthero* geweſen ſey?

Eines ſeeligen Menſchen dreyfacher Schatz: Der HErr Chriſtus / Chriſtheiliges Wort / aus dem Wort geſchöpffte Buß: in 8vo.

Ein ſeeliger Menſch / 6. Predigten aus dem 1. Pſalm: in 8vo.

6. Weinacht-Predigten.

7. Oſter-Predigten.

6. Pfingſt-Predigten.

5. Engels-Predigten.

Diſputatio de Excommunicatione.

Fides Jobi de CHRISTO ex Cap. XIX.

De Calviniſmo fugiendo ob Principium ejus incertum.

De Religione Diſſertatio.

De bonis infinitis humanæ CHRISTI naturæ communicatis.

Diſputatio, an Lutherani & Calviniani in fundamento fidei conveniant?

Diſp. de Prædeſtinatione æternâ, contra Piſtorium.

Commentarius in Hoſeam.

Adornavit etiam *Collegium Practicum*, quo diſputaturum ſe de viâ & modo tollendi & corrigendi ea, quæ non tantum in Eccleſiâ, ſed etiam in Republicâ ſecus fiunt, decrevit. Quo ex opere quanti fructûs in Remp. Chriſtianam redundaturi fuiſſent, ſi perficere potuiſſet, nemo non videt.

BALTASARUS MEISNERUS.

Per *Anagr.*

Satum ſalubre inſeras.

BALTHASARUS MEISNERUS, DOCTOR.

Per *Anagr.*

O ſalubre ſatum choris tradens.

EPITAPHIUM ejus:

BALTHASARI MEISNERO, DRESDENSI, S.S. THEOLOGIÆ D. ET PROFESSORI PUBL. VIRO EXTRA CONTROVERSIAM SINGULARI, IN QUO INGENIUM CUM INDUSTRIA, DOCTRINA CUM ANNIS, PIETAS CUM COMITATE SEMPER CERTARUNT. MAGDALENA PERSONIA, CUM LIBERIS QUINQUE SUPERSTITIBUS CONJUGI INCOMPARABILI ET SUPRA QUAM DICI POTEST AMATO, NON TAM MEMORIÆ, QUAM IMMORTALEM SIBI AC PERPETUAM EDITIS SCRIPTIS COMPARAVIT, QUAM TESTANDI SANCTISSIMI AFFECTUS CAUSA, ET UT RECONDITI CORPORIS LOCUS INDICARETUR, HOC SAXUM POSUIT. *Epitaphium.*

NATUS EST ANNO M D LXXXVII. DIE III. M. FEBRUARII. DENATUS ANNO M DC XXVI. DIE XXIX. DEC. IN IPSO TERTIO SUO RECTORATU, CUM JAM XIII. AN. S.S. THEOLOGIAM PROFESSUS, PUBLICE NON MODO HANC ACADEMIAM, SED UNIVERSUM ORBEM CHRISTIANUM IN SUI AMOREM ET ADMIRATIONEM CONVERTISSET.

Juxta ſuggeſtum Effigies ejus depicta extat, cui hæc verba adſcripta leguntur: BALTHASAR MEISNERUS, S.S. THEOL. D. ET PROF. PUBL. NEC NON P. T. RECTOR. OBIIT ANNO M DC XXVI. ÆT. XL.

Occiduum quicquid circumtulit ac moribundum
MEISNERUS, tumuli marmor id omne premit.
At quæ poſt cineres ſemper victura perennant,
Vel pia fama vehit, vel rutila aſtra tenent.

* *Ex Programm. fun. Aug. Buchneri,* & *Jubil. Witteb. D. Joh. Meiſn.* & aliis.

ZACHARIAS THEOBALDUS.

Obiit A.C. 1627.

PAtriam habuit *Schlaccowaldam*, *Bohemiæ* oppidum. Natus verò eſt 29. Martii A. C. 1584.

Halberſtadii, Decano M. *Jacobo Martini* Logices Profeſſore, Philoſ. Magiſter creatus eſt A. 1604. *Fit Magiſter.*

Erneſto Comite *Mansfeldio* copiarum ad *Pilſam* in *Bohemiâ* militiæ Duce, ſub Comite *Löwenſtenio*, Paſtor Caſtrenſis fuit.

Hinc æger *Norimbergam* delatus, curato morbo, factus eſt Eccleſiæ Paſtor in pago Norico Krafftshoff. *Paſtor in pago Norimberg. Krafftshoff.*

Cum vox tandem rauca ad munus concionandi redderet ineptum, deſignatus eſt Profeſſor Mathematum in Univerſ. *Altorfinâ*. *Deſignatus Profeſſor Mathematum.*

Sed antequàm illûc veniſſet, mortuus eſt Jan. A. C. 1627. æt. 43.

Libri

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta. Huſſiten-Krieg / darinn das Leben / die Lehr und der Tod *M. Johannis Huſſi* begriffen / &c. in 4to.

Chronologica Bohemicæ Eccleſiæ adumbratio, in 4to.

Arcana naturæ, das iſt / ſonderliche Geheimnüß der Natur / aus glaubwürdigen *Autoribus* und Erfahrung zuſamm getragen: in 4to.

Kinder-Büchlein in kurtzen Fragen von den fürnehmſten Feſten im Jahr: in 12mo.

Bedencken / was von dem Bergfall im Biſtumb Bamberg bey Ebermanſtatt zu halten / welcher den 22. *Febr. A.* 1625. ſich begeben.

Von dem ſeeligen Anſchauen GOttes im ewigen Leben.

Salomonis Braut.

De Anabaptiſtis.

M. Chriſtoph. Crineſius, Theol. Prof. *Altorfinus*, hoc ei ſcripſit Eteoſtichon:

Te perIMIt, *TheobaLDe ſagaX*, VIs *FebrVa*, IVX*ta*
At genIV*s* VegetV*s* VIV*et* I*n* aXe Σοφῶν.

* *Ex Concione fun.* & al.

ObiitA.C. 1627.

JACOBUS GRETZERUS.

Societ. Jeſu ingreſſus. NAtione *Germanus*, patriâ diœceſis *Conſtantienſis* admodum adoleſcens Societ. Jeſu ingreſſus in eâ Græcæ Latinæque linguæ, Philoſophiæ item atque Theologiæ operam dedit. Deindè humaniores *Theologiæ Profeſſor Ingolſtadii.* literas *Friburgi*, Philoſophicas verò & Theologicas Theologus pereruditus *Ingolſtadii* profeſſus eſt.

Moritur. Obiit A. C. 1627.

Scripſit:

Scripta. *De Cruce Tom. II.*

De variis Cœlis.

Grammaticæ Græcæ Lib. III.

Apologiam in Lib. V. diſtributam pro vitâ P. Ignatii, Societ. Jeſu fundatoris, â Petro Ribadeneirâ conſcript. adverſùs calumnias cujuſdam Chriſtiani Simonis Lithi Miſeni.

Apologiæ Gallicanæ aſſertionem ad Regem Galliæ Henricum IV. ab ejuſdem Lithi Miſeni criminationibus vindicatæ.

Epiſtolam Græcam ejuſdem Simonis Lithi cum pharmacis ob Jeſuitarum in Galliam revocationem, & admonitionem de miraculoſis in venerabili Sacramento apparitionibus ad eundem Miſenum.

Panegyricum Miſenicum.

Stigma frontis Miſenicæ.

De ſubterraneis animarum receptaculis contra Sectarios, præſertim Ubiqueiſtas, qui ut cœlum ita infernum ponunt ubique.

De Sanctiſſimæ Trinitatis myſterio.

Defenſionis Controverſiarum Rob. Bellarmini Volumen I.

Conſiderationes ad Theologos de Immunitate Eccleſiaſticâ.

Ad Theologos Reſponſa quædam.

Orationes & Quæſtiones de LUTHERO.

De Romano-Catholicæ doctrinæ, & Controverſiarum Religionis judice.

Reſponſum ad Theſes Hunnianas recognitum.

Deſtructionem Labyrinthi Hunniani, quem Papiſticum inſcripſit, de Scripturâ, de Perſonâ CHRISTI, *de Officio* CHRISTI *Redemptoris & Mediatoris.*

Lib. II. de More & Jure probibendi, comburendi, & caſtigandi libros hæreticos.

Exercitationum Theologicarum Lib. VI.

Apologeticum adverſùs Introductionem in artem Jeſuiticam Gabr. Lermei.

Hiſtoriam Ordinis Jeſuitici Eliæ Haſenmülleri editam, à Polycarpo Lyſero correctam & refutatam.

De Cognatione & Affinitate.

Honorarium Polycarpicum.

Prædicantem vapulantem.

Augurationem Doctoralem.

Judicium de Normâ & Normato.

Bavium & Mævium, ſeu de Fidei judice & normâ.

De modo agendi Societatis Lib. II.

De Supplicationibus Lib. II.

De ſacris Peregrinationibus Lib. IV.

De Juſtificatione.

De ſpontaneâ diſciplinarum & flagellorum Cruce Lib. III.

De Cruce ſpiritnali Lib. ſingular.

Demonſtrationes fidei ex communibus loquendi formulis auctas.

Præter hæc, quæ in vulgus exierunt, ſcripſit etiam *Comœdias nonnullas ſacras*, quæ non ſunt excuſæ, neque etiam *Verſio XII. Librorum S. Gregorii Nyſſeni, contra Eunomianos*, pro *S. Baſilio* fratre ſuo.

* *Ex Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

CORNELIUS CORNELII A LAPIDE. ObiitA.C. 1627.

EBuro, patriâ *Bucoldianus*, Societatis Jeſu *Societ. Jeſu* Clericus, Theologus, & Linguæ He- *Clericus.* braicæ ac Sacræ Scripturæ apud *Lova-* *Theol. Pro-* *nienſes* 17. annos magnâ cum laude Pro- *feſſor Lovan.* feſſor. Poſteà *Romæ* in Collegio *Romano* Theologiam docuit. Obiit A. C. 1627. *Moritur.*

Scripſit:

Encomium Sacræ Scripturæ. *Scripta.*

Commentaria in omnes D. Pauli Epiſtolas.
in Libros V. Moyſis, in fol.
in Libr. Joſ. *Jud. Ruth. Sam. Reg. & Paral.* in fol.
in IV. Prophetas Majores, & XII. Minores, in fol.
in Eccleſiaſticum.
in Acta Apoſtolorum.

* *Ex Athenis Belgicis Franc. Swertii*, & aliis.

JACO-

Obiit circa A.C. 1617.

JACOBUS REIHINGIUS.

EX familiâ Patritiâ natus eſt *Auguſtæ Vindelicorum* anno ſupra milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimo nono, patre *Jacobo Reihingio*, Patritio *Auguſtano*, matre *Catharinâ Veblinâ*, nobili item atque ornatisſimâ fœminâ.

Literis operam dat.

Iis poſteà artibus imbutus, quarum capax prima ætas eſſe ſolet, ad Academiam *Ingolſtadienſem* à ſuis miſſus eſt, ubi tantos ſub Præceptorum ductu fecit progreſſus, ut celeriter æqualibus antecelleret. Cum verò intra iſtius ætatis ſpatium conſiſteret, quo olim *Romæ* toga dari ſolebat, votum nuncupavit, ſi ex morbo, quo graviter laborabat, cum bonâ valetudine in gratiam rediret, ſe ordinem Clericorum Regularium, qui Societatis Patres appellantur, amplexurum.

Ex voto Ordinem Clericorum Regularium ſuſcipit.

Societatem autem invitâ & renitente matre ingreſſus, in ſtudio Philoſophico Theologicoque adeò feliciter eſt progreſſus, ut brevi diverſa docendi munia ſibi delata atque impoſita magnâ cum laude obierit, Poëticam quidem *Oeniponte* in Sodalium Collegio, Philoſophiam autem & Theologiam *Ingolſtadii* eo ſucceſſu, ut *Claudii Aquavivæ*, Præpoſiti generalis, calculo dignisſimus judicaretur, qui ſupremum in Theologiâ gradum reportaret.

Poëticam, Philoſophiam & Theologiam docet.

Theologiæ Doctor.

Ab eo autem tempore tantus tamque flagrans ipſius pro vindicandâ Eccleſiæ Romanæ auctoritate zelus enituit, ut præter tria ſolemnia paupertatis, caſtitatis & obedientiæ vota quarto inſuper ſe obligarit, h. e. ſpecialiter ad Pontificis Romani arbitrium & voluntatem ſe totum compoſuerit. Factum hinc, ut Societatis Patres eum, Principi recens tum ad eorum caſtra traducto *Wolffgango Gullielmo*, Comiti *Palatino Rheni*, ex tanto Sociorum numero Concionatorem aulicum deſtinaverint, ac ſimul provinciam ſtylum contra Evangelicos ſtringendi demandaverint.

Concionator aulicus Neoburg.

Quam ſpartam ut promptè & alacriter ſuſceperat, ita unum hoc noctes dieſque intendit, ut *Auguſtanam Confeſſionem* machinis quibuscunque poſſet, aut oppugnaret aut everteret, Pontificia verò dogmata, (quibus innutritus ab ineunte ætate fuerat,) modis omnibus ſtabiliret.

Sed cum Auditores ejus *Neoburgi*, (hanc ipſe in ſermone revocatorio converſionis ſuæ rationem reddidit,) magnam partem Evangelici, aut ad Papatum recens allecti Scripturis aſſueti, Scripturas requirerent, ad Scripturas identidem provocarent & compellerent, Scripturis ſacris ipſi inhærendum fuit & inſiſtendum, ne inter tenellos auditorum animos cauſam prodere videretur, itaque è ſacrarum literarum monumentis Papatum firmare eſt auſus, ſed fruſtrà, ipſe enim exindè Evangelii lucem, cum Evangelicos libris editis impugnâſſet, agnovit, hincque 5. Januarii 1620. clàm *Neoburgo* diſcedens, Principis *Palatini Neoburg.* Matrem Viduam *Höchſtetti* acceſſit, indè *Ulmam*, *Stutgardiam*, & tandem *Tubingam* venit, ubi Confesſionem *Auguſtanam* amplexus, publicè orationem dixit revocatoriam. 2. Jan. A. 1621. ſtatim tunc ipſi publica demandata eſt Profesſio Sacrarum ſcilicet Controverſiarum explanatio, quam cum munere quoque concionandi & illuſtris ſtipendii inſpectionis eximiâ dexteritate decentique gravitate ad ultimum usque ſpiritum adminiſtravit.

Ex lectione Scripturæ S.

Confeſſionem Auguſtanam amplectitur Tubingæ. Profeſſor Theol. Controverſ. Concionator. Stipendii Inſpector.

Intereà verò multis blanditiis atque promisſis *Reihingo* conſtantiam extorquere laboraverunt ſodales priſtini, lautas fecerunt pollicitationes, pingueſque propoſuerunt conditiones. Lubricam inſuper illi permiſerunt opinionem, utrum ſcil. in *Lojolæ* familiâ manere, an verò in Canonicum aut Laicum ſe componere eligeret, dummodò ad ſinum Eccleſiæ *Romanæ* rediret, Conſtantiam verò ita ſibi habuit propriam *Reihingus*, ut omnes inſidiantes ſcopulos ſurdâ aure prætervexerit.

Sodales priſtini fruſtrà Reihingum abducere conantur.

Sexto tandem converſionis anno nondum plenè elapſo, hydrope infeſtari cœpit, cujus tumore poſteà vices collapſæ ſupremaque fati dies eſt illapſa, cum enim ex Medici Conſilio quieti ſe pauliſper dediſſet, catarrho paulò pòſt ſuffocativo placidisſimè in CHRISTO obdormivit.

Moritur.

Funebrem ipſius ſcripſit laudationem *Joh. Mart. Rauſcherus.*

Opera *Reihingii* antè Converſionem edita:

Scripta.

Muri Civitatis ſanctæ, h. e. *Fundamenta XII. Religionis Catholicæ*, quibus inſiſtens Princeps *Neoburgicus*, *Lutheraniſmo* abdicato, in Eccleſiam pedem intulit. *Colon.* 1615. in 4to.

Excubiæ Angelicæ Civitatis ſanctæ, ſeu *defenſio prioris operis, adverſus Balthaſar. Meisnerum & Fabritium Baſſecourt.* Neoburg. 1617. in 4to.

Opera poſt Converſionem edita:

Laquei Pontificii contriti, quibus adjuvante DOMINO *liberatus Liberatori ſuo publicas gratias dicere voluit in Acad. Tubing.* 1621. in 4to.

Araneorum operæ contra laqueos Pontificios contritos ſuſpenſæ à Georgio Stengelio, Simone Schaitenreiſſer, & Laurentio Forero, Jeſuitis, nunc ſtylo dejectæ, in 4to. 1613.

Diſſertatio de verâ CHRISTI in terris Eccleſiâ adverſus larvatum Jeſuitam Dillinganum 1622. in 4to.

Apologeticus pro diſſertatione ſuâ de Eccleſiâ CHRISTI 1624. in 4to.

Opera Germanica:

Muri Civitatis S. Ingolſtad. 1615. in 4to.

Enchiridion Catholicum, *Manuali D. Hoë oppoſitum.* Neoburg. 1617. in 4to.

Laquei Pontificii contriti Germ. prodierunt Tubing. 1621. in 4to.

Sermo de Sacrificio Miſſæ Papiſtico, Ibid. 1621. in 4to.

Digitized by Google

Retractatio Enchiridii olim contra Matth. Hoë evulgati. Ibid. 1623. in 8vo.

* *Ex Templo Honoris reſerato Adriani Spizelii, & aliis.*

Obiit A.C. 1627.

JOHANNES BAUMANNUS,

OLaviæ, urbe *Ducali* in *Sileſiâ* natus eſt, patre *Johanne*, fabro ferario, matre *Annâ Seligeriâ* A.C. 1558.

Cum in Scholâ patriâ pietatis, artium, & linguarum fundamenta poſuiſſet, A. 1575. miſſus in Gymnaſium *Uratislavienſe* ad *S. Mariam Magdalenam* ſub Rectore celebri *M. Brittmamo* per quinquennium profectûs fecit eximios, & Conciones *D. Lucæ Pollionis* diligenter audivit. *Diſcipulus Uratislaviæ.*

A. 1580. Studii Theologici gratiâ *Wittenberg.* Academiam adivit. A. 1582. in patriam reverſus, juſſu Sereniſſ. Dom. *Georgii*, Principis *Lignitienſis*, à Rectore & Profeſſoribus Gymnaſii *Briegenſis* in auditorio publico examinatus, & mox *Raudenæ* in Scholâ Præceptor deſignatus eſt. Tunc concionando quoque ſe exercere ſolitus A. 1587. Prægreſsâ *Lignitii* ordinatione conſuetâ ad S. Miniſterium *Wolaviæ* urbe Ducali Diaconatum Eccleſiæ nactus, in decimum annum Pædagogi quoque munus fideliter obivit. *Præceptor Scholæ Rauden.* *Diaconus & Pædagogus Wolaviæ.*

A. 1597. Cum *Mart. Wagnerus* Concionator illius Eccleſiæ, juſſu Sereniſſ. Principis *Lignitienſis Joach. Friderici*, propter ſenium rude fuiſſet donatus, hic in ejus locum ſucceſſit. *Concionator & Senior.*

5. Febr. A. C. 1583. Matrimonium iniit cum *Barbarâ*, Dn. *Andreæ Ubiſcheri*, Conſulis *Rauden.* viduâ, ex quâ tres filios reliquit ſuperſtites, *Johannem*, *Fridericum*, & *Caſparum*, *Polckwitzii*, *Riedſchitzii*, & *Simſii* reſpectivè Eccleſiarum Paſtores.

3. Aug. A. C. 1624. in horto ſuo obambulans, veſperi vertigine ſubitò correptus, ſubſecutâ mox lateris dextri paralyſi corruit, & ſemimortuus in lectum delatus, ope poſteà *D. Mentzelii*, Medici *Glogavienſis*, memoriæ tamen gravi læſione remanente, per DEI gratiam convaluit.

A. ſeq. 1625. cum conjugem apoplexiâ tactam amiſiſſet, viribus ex mœrore magis debilitatis, filiorum ſuaſu, dimiſſionem à munere Eccleſiaſtico à Principe *Lignitienſi* ſupplex petiit, & clementer obtinuit.

Tum ad filium natu majorem *Polckwitium* ſe conferens, ibi hydropico tumore aliquandiu lecto detento, accedente apoplexiâ, vitam morte beatâ clauſit 15. Jan. A. C. 1627. ætatis 69. Miniſterii 40. *Moritur.*

Raudenam, ſicut in lecto fatali petierat, poſt mortem revectus, ibi ad latus uxoris terræ mandatus eſt.

* *Ex Concione fun. Johannis Heermanni, Poëtæ Laur. & Eccleſ. Paſtoris Cobenenſis.*

Obiit A.C. 1627.

JOHANNES JACOBUS GRASSERUS.

BAſileæ natus, patre *Lucâ Graſſero*, ad *D. Claram* primùm, poſteà ad *S. Theodorum* Eccleſiaſte, à primis incunabulis in pietate & literis ingenuis diligenter inſtitutus eſt.

Accreſcente deinceps non minùs ætate quàm eruditione, poſtquàm Magiſterii Gradum in patriâ adeptus eſſet, animum ad S. Theologiæ ſtudium, tum Poëtarum & Hiſtoriarum lectionem adjecit. *Magiſter Philoſ. Baſileæ. Poëta & Hiſtor.*

Hanc induſtriam porrò peregrinationibus illuſtravit, & juxta linguarum exoticarum cognitionem in *Italiâ* poſtmodùm, *Patavii Antenoris*, ab illuſtri Viro *Ferrando de Amadi*, peculiari ex privilegio eam in familiam olim ab Imp. *Carolo IV.* collato, Comitis *Palatini Lateranenſis*, Civis item *Romani* inſignibus ſolenniter inauguratus eſt. *Comes Palat. & Civis Rom.*

Domum reverſus, primùm in pago patriæ vicino *Bernwyl*, deindè *Baſileæ* in Templo ad S. Theodorum Eccleſiam DEI fideliter docuit. Theologus fuit cordatus, & vitiorum oſor acerrimus, qui præ genuino, quo cum adolevit, candore, aperti vir pectoris nihil minus ferre potuit, quàm fucos, arrogantiam, injuſtitiam, & alias id genus virtutum bonorumque peſtes. *Paſtor Eccleſ. Baſileæ.*

Cum tandem per 10. annos doloribus podagricis excruciatus fuiſſet, vitam morte beatâ finiit *Baſileæ* 21. Martii A. C. 1627. ætatis 49. *Moritur.*

* *Ex Concione fun.*

Scripta ejus ſunt ſequentia:

Speculum Theologiæ myſticæ.

Geiſtliche Sturm- und Bet-Glocke/ das iſt/ die Klaglieder *Jeremiæ* in 27. Predigten und Gebeten erkläret.

Kinderſpiel/ das iſt/ geiſtlicher Abriß/ was maſſen junger Kinder ſchwere Kranckheiten und unverſehen Abſterben ſoll betrachtet werden.

Commentarii in Horatii Flacci Opera.

Poëmata.

Diſſertatio de Antiquitatibus Nemauſenſibus.

Rerum Polonicarum compendioſa deſcriptio: quibus acceſſerunt de moribus Tartarorum, Lituanorum, Moſcorum, Samoſagetarum, & Armeniorum, ex Michalo Lithuano.

Augmentum Politico-Hiſtoricum, in Theatrum Joh. Raviſii Textoris.

Itinerarium Hiſtorico-Politicum, quod ex Mœno Francofordiâ per Helvetiam & regni Arelatenſis urbes in univerſam extenditur Italiam.

Obiit A.C. 1627.

PAULUS WAGNERUS.

NAtus *Winsbemii*, oppido Imperiali 18. Nov. A. 1567, patrem habuit *M. Georgium Wagnerum*, Eccleſiæ patriæ Paſtorem, matrem *Annam*, *Conradi Zeiderlini*, Conſulis *Winsheimenſis* filiam.

Cum

Cum in Scholâ patriâ ſub Præceptoribus M. *Simone Ebenrittero* & M. *Azariâ Schallingio* fundamenta linguarum & artium poſuiſſet, â parentibus A. 1585. in Academiam *Altorſinam* miſſus, & in ſtipendiariorum numerum receptus eſt. Ibi 22. Dec. A. 1586. â *D. Scherbio*, Medico, & tunc Facult. Philoſophicæ Decano, Baccalaureus publicè renuntiatus, & 29. Jun. A. 1588. Gradum Magiſterii cum laude adeptus eſt.

Stipendiar. Altorſ.

Magiſter.

A. 1589. æt. 22. A Senatu *Winsheimenſi* in patriam ad Eccleſiæ Diaconatum vocatus, in eo munere fidelem ſe præbens, patris ſenio confecti quoque vices per annos 12. cum honore obivit.

Nubit. Eodem anno nuptias celebravit cum virgine *Barbarâ*, *Valentini Fuhrmanni*, Typographi *Norimbergenſis*, filiâ. Hæc 3. ipſi filios & 8. filias peperit: ex quibus ſuperſtites reliquit unicum duntaxat filium cognominem Med. Doctorem, & 4. filias, omnes, dum viveret, honeſtè elocatas.

Archidiaconus Amberg. A. 1601. Eccleſiæ *Ambergenſis* in *Palatinatu ſup.* Archidiaconus & Concionator in xenodochio factus eſt.

Inſpector Weydenſis. A. 1619. Paſtor Eccleſiæ *Weydenſis* & vicinar. Inſpector conſtitutus, ibi ad finem uſque vitæ fideliter Eccleſiam docuit: cumque tandem per 14. dies ægrotâſſet, & morti proximus Eccleſiam ſuam JESU CHRISTO commendâſſet, cum vixiſſet annis 60, placidè obiit 25. April. A.C. 1627. hoc diſticho expreſſo:

Moritur.

SI, qVæ præterIIt, fVerat MIhI fVnerIs hora,
Iſta hoDIerna, tIbI CraſtIna forſan erIt.

* *Ex Concione funebri Leonharti Münchmayeri, Weyd. Diaconi.*

Obiit A.C. 1627.

BALTHASAR MENTZERUS.

LUcem primam aſpexit A.C. 1565. *Allendorf.* oppido infer. *Haſſiæ*. Pater ejus fuit *Juſtus Mentzerus*, Præfectus fontis *Salinarum*, mater *Margaretha*, Dom. *Joh. Zahnii*, Senatoris *Allendorfenſis* filia.

Anno ætatis 12. in Scholam *Hersfeldenſem* deductus, tanto ſtudio artes & linguas coluit, ut A. æt. 18. *Marpurgum* profectus, annô eodem adhuc Laureâ Philoſophicâ ornatus, anno ſeq. Magiſterii honoribus ornatus, & anno ſeq. æt. 20. in numerum Stipendiariorum Majorum receptus ſit.

Marpurgi Philoſ. Magiſter.

Tunc non Lectionibus tantùm ſedulò interfuit, ſed & in Diſputationibus cum publicis tum privatis graviter ſe exercuit, ideò publici Philoſophiæ Profeſſores, Logicus, Ethicus, Græcus negotiis ſuis præpediti, raro exemplo, ſuas publicè legendi vices ei ſæpiùs demandârunt. Anno æt. 24. Illuſtriſſ. *Ludovici* Senioris *Haſſ. Landgravii* mandato Paſtoratum Eccleſiæ *Kirtorfenſis* eſt aggreſſus.

Paſtor Eccleſ. Kirtorff.

Septennio pòſt, cum Dom. *D. Daniel Arcularius*, Theol. Profeſſor *Marpurg.* in quietem cœleſtem emigrâſſet, *Mentzerus* hic, jubentibus *Ludovico* Seniore & *Mauritio* Principibus, ſuffragante Senatu Academico, ad Profeſſionem illam publicam & Ephoriam alumnorum *Haſſ.* vocatus, ibidemque Doctor creatus eſt.

Theologiæ Profeſſor Marpurgi.

Doctor Theologiæ.

In Medicinâ quoque tantos fecit progreſſus, ut doctiſſimi ſtudio Medicorum eum ſæpiùs ſint admirati.

A. 1589. Uxorem primam duxit virginem *Julianam*, ex præclarâ *Wolfiorum* proſapiâ oriundam, quâ morte præmaturâ ſublatâ, ad ſecundas animum adjecit nuptias, deſponſatus cum virgine *Margarethâ*, Dom. *Georgii Orthii*, Senatoris *Marpurg.* primarii filiâ, ex quâ tres filias & filium *Johannem* quadrimeſtrem tantùm hujus mundi incolam ſuſcepit. Hâc etiam A. 1601. morte ſibi ereptâ, tertium conjugium inivit cum virg. *Eliſabethâ*, Dom. *D. Joach. Struppii*, Archiatri Dom. *Georgii* Senioris, *Haſſiæ Landgravii*, filiâ, quam A.C. 1603. in torum ſuum recepit. Ex hâc tres filios totidemque filias ſuſcepit, ſed duos tantùm filios duasque filias cum matre ſuperſtites reliquit.

Conjugium ejus triplex.

Poſt brevem tandem ex morbo decubitum morte placidâ obdormivit A.C. 1627. ætatis 62. *Moritur.*

Scripta ejus ſunt ſequentia:

Scripta.

Exegeſis Auguſtanæ Confeſſionis, in 8vo. & 12mo.

Collatio Auguſtanæ Confeſſionis cum doctrinâ Calvini, Bezæ, & Sociorum, in 8vo.

Defenſio Collationis Auguſtanæ Confeſſionis, cum doctrinâ Zwinglianorum & Calviniſtar. oppoſita Urbano Pierio & Ludovico Crocio, in 4to.

Anti-Crocius, ſeu contra Apologeticum Lud. Crocii pro Auguſt. Confeſſione, in 4to.

Examen Cenſuræ Crocianæ, in 4to.

Abſterſio Calumniarum Johannis Crocii, in 4to.

Reſponſio ad Defenſionem ſecundæ partis Converſationis Prutenicæ.

Elenchus errorum Antonii Sadeelis, in 8vo.

Elenchus alter errorum Ant. Sadeelis.

Reſponſiones contra Matthiam Martinium, in 4to. & 8vo.

Refutationes Sophiſmatum Matthiæ Martini, in 8vo.

Diſputationes Anti-Steinianæ, in 4to.

Tetras præcipuorum Chriſtianæ Religionis Articulorum ex Germanicâ in Lat. Linguam tranſlata â M. Joh. Philippo Ebelio, in 8vo.

Breve Examen brevis Reſponſionis Johannis Appelii, in 4to.

Trias Diſputationum Theologicarum in Synodum Dordrechtanam, in 4to.

Repetitio Chemniciana, hoc eſt, *Propoſitiones de præcipuis Chriſtianæ Religionis Capitibus excerptæ ex Locis Theologicis D. Mart. Chemnicii*, in 8vo.

Tractatus de Conjugio, in 8vo & 12mo.

Manuale Catholicum, ſeu *breve compendium veræ, antiquiſſimæ, & Catholicæ doctrinæ.*

Apologia Diſputationis primæ Anti-Piſtorianæ.

Prodiit A.1607. *Mentzeri Tractatus de Electione filiorum DEI.*

Analyſis Cap. 9. ad Rom.

Synopſis Methodica Locor. Commun. S. Theol. 1670. in patenti.

Diſputationes variæ.

Neceſſaria & juſta Defenſio contra Tubingenſes, in 4to.

Anti-Piſtorius, ſeu *Diſputationes Theologicæ contra Joh. Piſtorium*, in 4to.

Kurtzer einfältiger Bericht vom H. Abendmal: in 12mo.

Gründliche Erklärung der Wort der Stifftung des H. Abendmals: in 12mo.

Bedencken über den andern Abweiſer *Dan. Angelocratoris* von dem Brodbrechen.

Trophæum Calviniſticum, oder herliche Sieges-Zeichen dero Calviniſchen zu Marpurg ausgeſchrienen *Victorien* über der Sacramentiriſchen *Analogiâ* des Calviniſchen Brodbrechens: in 4to.

Cenſura Relationis Marpurg. Germ.

Examen Apologiæ Steinianæ. Germ.

Reſponſio ad Tractatum Steinii de Fraternitate Evangelicorum. Germ.

Chriſtlicher und in GOttes Wort wolgegründeter Bericht von den 4. fürnehmſten Stücken der Chriſtlichen Lehre: 1. von Chriſti Perſon: 2. der H. Tauffe: 3. vom H. Abendmal: 4. von ewiger Gnadenwahl: in 8vo. & 12mo.

Drey Send-Brieff von der Allgegenwärtigkeit (Allgegenhalbenheit) des Leibs Chriſti: in 4to.

Erklärung des Communion-Streits/ darinnen die zu Padeborn gedruckte *Laterna Evangelii* beſichtiget / und daß die Entziehung deß geſegneten Kelchs im Abendmal ein Kirchen-Raub ſey / erwieſen wird: in 12mo.

Neue Ausklopffung / das iſt / wiederholte Erläuterung des Religion-Streits: in 4to & 12mo.

Examen des zu Herborn gedruckten Buchs von der wahren menſchlichen Natur Chriſti.

Informatio diſcipuli Herbornenſis, oder Heimweiſung der vermeinten gründlichen Antwort des vermeinten Herborniſchen Schulers: in 4to.

Collatio der Augſpurgiſchen *Confeſſion* und Zwinglianiſchen Lehr: in 12mo.

Catholiſch Neu-Jahr/oder Auflöſung des dreyfachen Stricks/ durch welchen diejenigen / ſo ſich von der Catholiſchen recht Apoſtoliſchen Lehr des *Evangelii* abſöndern/ verſtricket und gebunden gehalten werden. in 8vo. & 12mo.

Kurtzes Urtheil einer langen Cenſur eines Calviniſchen Pfarrherrs zu Bergen von der Tauffe: in 4to.

Erklärung auf die Antwort *Joh. Appelii* von der H. Tauff und Abendmal: in 4to.

Erklärung der Frag: Ob der Menſch aus zweyen weſentlichen Stücken / Leib und Seel/ oder aus 3. weſentlichen Stücken / Geiſt / Seel und Leib beſtehe? Entgegen geſetzt den Weigelianiſchen Irr- und Wirr-Geiſtern: in 4to.

Kurtzer Bericht aus GOttes Wort/ 1. von den 10. Geboten / 2. von den Bildern / 3. vom Brodbrechen im H. Abendmal / 4. von der Weiſe recht zu reden von der Perſon und Amt JEſu Chriſti in 12mo.

Catholiſch Handbüchlein/oder kurtzer Begriff der rechten wahren uralten Catholiſchen Lehre/darinn die fürnehmſten Stücke der Chriſtlichen Religion aus dem Wort GOttes erkläret werden: in 8.

Leich-Predigt *D. Jeremiæ Victoris*, Darmſtadtiſchen *Superintendenten.*

* *Ex Oratione Parentali D. Menonis Hannekenii.*

FRIDERICUS BALDUINUS.

Obiit A.C. 1627.

NAtus *Dresdæ* 17. Nov. A. 1575. Patrem habuit *Paulum Balduinum*, Pellionem: Matrem *Magdalenam Sperlingiam.*

Puer in Scholam patriam traditus ſub Præceptoribus *Thomâ Pitſchio* & *Michaële Rackelmanno* brevi ita profecit, ut commilitones ſuos facilè præverteret.

A. 1590. *Miſenam* in Ludum Electoralem ad *Albim* miſſus, annos ibi tres cum dimidio in literis conſumpſit.

A. 1593. In Academiam *Wittenbergenſem* venit, ubi quamvis initio ob tenuitatem, quâ conſtrictæ erant Parentum res, arctè ſibi vivendum eſſet, tamen virtute ſuâ mox impetravit, ut *Fridericus Guilielmus*, Pro-Elector *Saxoniæ*, numerato ſtipendio 30. primùm, deindè 40, tandem 90. florenorum fortunam ejus ſublevaverit.

Stipendiar. Wittenberg.

Hoc fretus præſidio, mirum quantâ alacritate animi literas Hebræas, Græcas, & Latinas coluerit, in Matheſi M. *Reuchardum* & M. *Hagium*, in Theologiâ verò *D. Polycarpum Lyſerum* & *D. Salomonem Gesnerum* publicè docentes ſedulus audiens.

Hinc factum, ut 15. Martii A. 1597. *à Friderico Tilemanno*, J. U. D. & Hiſtoriar. Profeſſore, tunc temporis Collegii Philoſ. Decano, inter 43. Competitores ipſe primo loco poſitus Philoſophicâ, & A. 1599. Poëticâ Laureâ à *D. Nicolao Reuſnero*, JC. & Prof. *Jenenſi* ſolenniter ornaretur.

Magiſter Philoſ.


Poëta Laureat.

A. 1601. Cum *Wittenbergæ* inter Adjunctos, quos vocant, Collegii Philoſophici adſcriptus eſſet, cum *Ægidio Hunnio* & *Davide Rungio*, S. Theol. Doctoribus & Profeſſoribus *Ratisbonam*, ubi Colloquium cum Pontificiis inſtituendum erat, profectus eſt, quibus in excipiendis & conſignandis dictis

In Colloq. Ratisbon. Notarius.

Digitized by Google


RIDERIC' BALDUINUS.
Theol. Witteberg.
VINCENTI' SCHMUCKIUS
Theol. Prof Lips:
GEORGIUS VOLCARTUS.
Theol. Amberg.
SEBASTIAN' HEMMINGER'
Superint. Ratisbon.
ELIAS URSINUS.
Theol. Hernals Iuxta Viennam
WOLFGANG' FRANTZIUS
Theol. Prof. Witteb.
PAULUS TOSSANUS.
Theol. Heidelb.
THOMAS WEGELINUS.
Theol. Argentin.
CAROLUS SCRIBANIUS.
Soc. Iesu Theologus.
IOHANNES WOLLEBIUS.
Theol. Basileensis.
CASPAR' FINCKIUS.
Superint. Coburg.
IOHANNES STUMPFIUS.
Superint. Byruthinus.
ULRICUS SCHMIDIUS.
Theol. Ulmensis.
IOHANNES CLUVERIUS
Superint. Ditmarsiensis.
LAURENTI' LAELIUS.
Theol. Onoldinus
CHRISTOFOR' SCHLEUPNER'
Superint. Culmbac.
Franck sc.



dictis actisque Colloquii egregiam operam navavit.

Indè reverſus, duobus Baronibus *Hungaricis* Præceptoris loco præpoſitus, brevi pòſt *Fribergam* evocatus eſt, ut ibi Diaconi partes ſuſciperet, quas cum per ſeſquiannum adminiſtràſſet, & interim cum virgine *Dorotheâ*, *Balthaſaris Meisneri*, Eccleſiaſtæ *Dresdenſis* filiâ feciſſet nuptias, *Olsnicenſis* in *Voitlandiâ* Eccleſiæ Superintendens ordinatus eſt.

Diaconus Friberg.

Superint. Olsnicenſis.

A. 1604. Cum *David Rungius Wittenbergæ* deceſſiſſet, Profeſſionem Theol. vacantem ſuſcipere juſſus, Doctoris Theologi Gradum ſolenniter aſſumpſit, & vocationem ſuam aggreſſus eſt A. 1605.

Profeſſor & Doctor Theol.

A. 1607. Senatûs Academici & oppidani ſuffragiis in *D. Georgii Mylii* locum ſubrogatus, Eccleſiæ *Wittenberg.* Superintendens, anno verò ſeq. 1608. Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſor conſtitutus eſt. Brevi pòſt Eccleſiarum territorii *Saxonici* viſitationem, Sereniſſ. Electoris juſſu, cum magnâ fidei & diligentiæ laude peregit.

Viſitat Eccleſias Sax.

A. 1610. Cum Electore *Sax. Chriſtiano II. Pragam* ivit, & Concionatoris Aulici munere ad interim functus eſt, nam *Polycarpus Lyſerus* paulò antè deceſſerat.

Licèt verò in eo itinere ſæpiùs per Electoris Conſiliarios de prorſus ſuſcipiendâ provinciâ illâ ſollicitaretur, malebat tamen in Academiâ quàm Aulâ vitam traducere.

Oſor vitæ aulicæ.

A. 1616. Defuncto *D. Leonharto Huttero*, Collegii Theol. Senior renuntiatus eſt.

A. 1622. Uxorem amiſit 10. filiorum & 2. filiarum matrem, ex quibus ſex filii patre mortuo fuère ſuperſtites: *M. Baltaſar, Chriſtianus, Fridericus, Gotfridus, Johannes*, & *Paulus*. A. 1624. Secundam duxit conjugem virginem *Sophiam*, *Eucharii Barwaſſeri*, Prætoris *Torgenſis* filiam. Eodem anno Synodis *Dresdenſi* & *Lipſienſi* ob quædam Religionis negotia inſtitutis interfuit.

Tandem propter tuſſis vehementiam cum tumore abdominis aquoſo lecto affixus, Podagricis etiam & Nephriticis doloribus ſæpiùs anteà debilitatus ad vitam meliorem emigravit 1. Martii Acad. *Witt.* natali A. C. 1627. æt. 52.

Ejus morbi & mors.

Libri ab eo ſcripti ſunt ſequentes:

Scripta:

Idéa Diſpoſitionum Biblicarum, quâ ratione tractandi Textûs Bibliorum in Concionibus. Witteb. 1622. in 8vo.

Defenſio Auguſtanæ Confeſſionis. Witt. 1623. in 4to.

Adventus CHRISTI Typicus, ſeu *doctrina de adventu CHRISTI in carnem, ad judicium, & ad mentes hominum Typis veteris Teſtamenti adumbrata.* Witteb. 1620. in 8vo.

Examen Compendii Theologici D. Chriſtoph. Pelargi. Witteb. 1617. in 4to.

Paſſio CHRISTI Typica, Paſſionem & Mortem Domini in nobilioribus aliquot Perſonis præfiguratam adumbrans. 1616. Witt. in 8vo.

Diſſertatio de Pane Vitæ. Witteb. in 4to. 1615.

Diatribe Theologica de Antichriſto in gratiam Caſp. Scioppii apoſtatæ & amaſii Thaidis teterrimi. Witteb. 1615. in 8vo.

De Meritis bonorum Operum.

Refutatio Catechiſmi Arriani, qui Cracoviæ in Poloniâ A. 1608. excuſus eſt.

Tractatus luculentus poſthumus de Caſibus Conſcientiæ lib. 4. comprehenſus. 1654. Witteb. in 4to.

Comment. in omnes Epiſtolas Pauli, & in Epiſt. ad Hebræos.

Collegium S. S. Trinitatis. Witt. in 4to.

Homiliæ in Evangelia Dominicalia. 1621. Witteb. in 8vo.

Parentatio anniverſaria pro D. Mart. Luthero.

Floſculi & Emblemata præcipuarum abſurditatum, quas Jeſuitæ in Colloquio Ratisbonenſi evomuerunt, carmine deſcripta, in 4to.

Tractatio Theologica & Scholaſtica de Diſputatione cum Diabolo, Apologetici loco, in gratiam Nicolai Serarii, in 8vo.

Oratio de Scrutinio rationis humanæ in myſteriis Divinis.

Oratio inauguralis de quadruplici facie Eccleſiæ novi Teſtamenti à tempore CHRISTI & Apoſtolor. ad hoc uſque ſeculum.

Oratio de Tenebris Papatûs circa doctrinam de Sanctis & eorum cultu.

Oratio Panegyrica de Impedimentis Religionis veræ.

Oratio de modo convertendi homines Papiſtico.

Edidit etiam:

Diſputationes complures.

XXII. Diſputationes pro Articulis Smalcaldicis.

XIII. Diſputationes pro aureolo Viſitationis Miſnicæ libello.

Commentar. in Prophetas Haggæum, Zachariam, & Malachiam. Witteb. 1610. in 8vo.

in Pſalmos Davidis Pœnitentiales. 1609. in 8vo. Witt.

Speculum Idololatriæ Papalis.

Epiſtolam Apologeticam, in quâ reſpondetur Epiſtolæ Mart. Becani. Witteb. 1610. in 8vo.

Examen Apologetici Schoppiani pro libris Bellarmini de indulgentiis. Witt. 1605. in 4to.

Reſponſionem ad Antitheſes Pelargi.

Scripta Germ. *Frid. Balduini*:

Chriſtliche Sterbens-Gedancken aus dem 31. Pſalm/ in 5. Predigten.

Erklärung des Haußbüchleins Ruth/ in 22. Predigten; und das Buch der Richter.

Pſalmi graduum von dem 120. biß 135. Pſalm.

Predigten aus dem 110. Pſalm.

10. Oſter-Predigten.

2. Pfingſt-Predigten.

Digitized by Google

Bedencken wie man ſich zum Tod ſchicken ſoll / und ob man in Sterbens-läufften fliehen könne?

Antwort auf das Läſter-Buch eines Berliniſchen *Politici*, warum die Reformirten mit D. Luthers Lehr nicht eins ſeyn wollen.

Bibliſches Betbüchlein.

Gegen-Bericht auf *D. Abrah. Sculteti* Schrifftmäſſigen Bericht von Götzen-Bildern.

Gründliche Erklärung deß Buchs *Joſuæ*, in 68. Predigten.

Inveſtitur-Predigt aus dem *Luc. 5.* von der geiſtlichen Fiſcherey / ſo GOTT durch ſein Predig-Amt verrichtet.

Funebrium, oder Chriſtlicher Todten Gedächtnus 1. und 2. Theil.

Reſponſio ad 12. Rationes Calvin. Lutheranis oppoſitas. Germ.

* *Ex Programm. fun. Aug. Buchneri, & aliis.*

Caſp. Cunradus in Proſopographiæ Melicæ Millenar. II. hoc ei ſcripſit diſtichon honorarium:

In Cathedrâ magni reſidens, FRIDERICE, LUTHERI
Eſto Lutherani Duxque datorque boni.

FRIDERICUS BALDWINUS.

Per Anagramma *Georg. Theod. Hofmanni:*

Blandus fide curris: Vive.

EPITAPHIUM ejus *Witteberge* in Templo Parochiali:

Epitaphium. DEO OPT. MAX. ET ÆTERNÆ MEMORIÆ FRIDERICI BALDUINI, S.S. THEOL. D. ET PROF. PUBL. UT ET ECCLESIÆ HUJUS ANTISTITIS, VIRI VERE APOSTOLICI, ET NON NISI CUM MAXIMIS LAUDIBUS NOMINANDI, USQUE ADEO IPSUM ABSOLUTA ERUDITIO, SUMMA PIETAS, INUSITATA VITÆ INNOCENTIA, MORUMQUE SUPRA SÆCULI CAPTUM PROBITAS ADMIRABILEM OMNIBUS FECERANT, ET MAXIMORUM THEOLOGORUM GLORIÆ ÆQUARANT. SOPHIA BARWASSERA FILIIQUE SUPERSTITES AMISSIONE DESIDERATISSIMI CONJUGIS, PATRIS INDULGENTISSIMI, BENE MERITISSIMI QUOTIDIANA EJULATIONE DAMNATI S. P.

NATUS EST DRESDÆ AN. M D LXXV. DIE XVII. NOV. OBIIT WITTEBERGÆ ANNO M DC XXVII. DIE I. MARTII, CUM XII. ANNOS THEOLOGIAM IN HAC ACADEMIA DOCUISSET PUBLICE, XX. ANNOS REXISSET ECCLESIAM.

O MORS, QUANTUM VIRUM EXTINXISTI!
SED BENE HABET.
VIRTUS BALDUINI IMMORTALIS EST.

VALERIUS HERBERGERUS.

Obiit A. C. 1627.

FRauenſtadii in Sileſiâ natus eſt 21. April. A. C. 1562. Patre *Martino*, cive honeſto, qui obiit A. 1571. Cum verò mater ejus poſt obitum mariti ſutori cuidam nupſiſſet, qui privignum hunc artificio ſuo dicare volebat, ſuſceptor ejus *Martinus Arnoldus*, Paſtor tunc Eccleſiæ *Frauenſtadienſis*, ne id fieret, obſtitit, quod etiam patri ejus morti proximo facturum ſe promiſerat.

Educatus itaque poſt mortem patris â ſorore matris ſuæ *Barbarâ, Georgii Wendeni*, lanii uxore per annos 8. commoratus eſt apud eam, quam poſteà ſenio debilitatam in ſextum annum usque, quamdiu vixit, in ædes ſuas receptam ſuſtentavit.

Pædagogus Freyſtad. A. 1579. A Dom. ſuſceptore ſuo *Freyſtadium* promotus, ibi per triennium Pædagogum egit apud *M. Petrum Scultetum*, Notarium, & præter alios diſcipulum habuit *D. Fridericum Cloſium*, JC. celebrem.

20. Junii A. 1582. Academiam *Lipſienſem* acceſſit, & â *Michaële Barthio*, Med. D. ſumtûs ad convictum in Collegii Menſâ communi largiente ſuſtentatus eſt.

A. 1584. In patriâ ad Pædagogiam vocatus, *Chriſtophoro Floriano* Baccalaureo ſucceſſit. Ibi 13. Martii A. 1588. Dominicâ Reminiſcere primam Concionem habuit, hortatore *Mart. Arnoldo*.

Paſtor Eccleſ. Freyſtad. A. 1590. Diaconus in Patriâ, & A. 1598. Paſtor Eccleſiæ conſtitutus eſt, Concionator in Templo ad Præſepe CHRISTI, primamque de Nomine JESU Concionem habuit.

A. 1615. *Lignitium* vocatus in locum *Andreæ Baudiſii*, Superintendentis, modeſtè ſe excuſavit.

Nubit. A. 1590. Matrimonium iniit cum virgine *Annâ Rudingerianâ*, quæ duos ipſi peperit filios, *Zachariam*, Philoſ. Magiſtrum, & patris in Miniſterio Eccleſiaſtico ſucceſſorem, & *Valerium*, qui morte ſuâ patrem præceſſit.

Votum ſingulare. A. 1598. Votum DEO fecit quotidiè ſub veſperam unum ex Pſalmis Davidis precandi, quod abindè quotidiè præſtitit, & expertus eſt, ex hoc voto Pſalterii ſibi fata ſua cuncta fuiſſe prædicta, ſicuti annotata in Pſalterium ſuum teſtata ſunt.

A. 1623. In Vigiliâ 19. poſt Trinit. cum ſeq. Dominicâ concionaturus eſſet de Paralytico, lateris ſiniſtri ſenſu privatus DEUM cum Evangelio ludere ſecum dixit, quia tamen loquelam integram retinuit, die ſeq. Concionem habuit. Sed Dominicâ Invocavit A. 1627. Recidivam paſſus, poſt finitam Concionem matutinam, â meridie tamen, diſſuadente licèt Medico Regio *D. Vechnero*, Dom. *Abrahamo Bock* Concionem funebr. in Templo dixit: quæ quidem Concio fuit ipſius ultima. Cum enim acceſſiſſet paralyſi gravis dolor & tumor pectoris, placidè tandem ſubindè nomen JESU in ore habens exſpiravit *Moritur.*

18. Maji

18. Maji A. C. 1627. ætatis 66. VaLerIVs *HerbergerVs.*

A.C. VaLerIVs *HerbergerVs* MVnDo LIberatVr.

Vel: VaLerIVs *HerbergerVs* MVnDo alt VaLe.

Diſtichon Chronologicum annum, menſem, diem cum nomine offerens:

SpIrItVs eCCe VaLerI *HerbergerII* InVoLat *aſtrIs.*
BIs noVIes MaI LVX Vt CoLLVXIt In *aXe.*

VALERIUS HERBERGERUS.

Per *Anagr.* addit. a.

Es revera Urbis regula.

Et addit. e.

JESUS war Geber Lehrer.

* *Ex Concione funebri M. Valentini Preibiſii, Paſt. Eccleſ. Glogov.*

Typis edidit:

Scripta. Hertz-Poſtill.
Das himmliſche Jeruſalem/ aller rechtglaubigen Chriſten gewünſchte Freude/ in 10. Predigten beſchrieben.
Horoſcopiam Paßionis DOMINI, Paſſion-Zeiger/ JESU Chriſti Feyertag/ aller Rechtglaubigen Hertzſtiller/ in die Ordnung der 24. Stunden eingetheilet.
Trauerbinden.
Magnalia DEI.
Pſalter-Paradies.
Calendar. Chriſtian.
Gloriam Lutheri.
Librum Vitæ.
Geographiam Reg. vivorum.
Köſtl. Perl.
Quaſimodogeniti, Freuden-Name der Kinder GOttes.
Hochzeitlich Blumen-Feld.
Vom Sigel deß lebendigen GOttes.
Hochzeit-Rätzel.
Waſſer-Krügl. der Samaritiſchen Frauen.
Labtrüncklein König Davids.
Moſchel.
Tautröpfflein.
Hertzblümlein.
Regiments-Nagel/ *ex Eſ. 22. v. 15.*

LAURENTIUS BEYERLINCK.

Obiit A. C. 1627.

NAtalem habuit *Antverpiæ* M. April. A. C. 1578, ibique ſub Patrum Societ. Jeſu diſciplinâ Grammaticam didicit, & Philoſophiam, quam feliciter *Lovanii* abſolvit. Theologiæ deindè ſtudium amplexus, & in eâ Lauream Doctoralem adeptus, Rhethoricam in *Vaulxiano* legit, & Rector fuit Parochiæ cujusdam, Decanatum poſteà ſub jurisdictione Archiepiſcopi *Malinarum* obtinuit. (*Doctor Theol.* — *Decanus.*)

Præfectus tandem A. 1605. ſeminario Epiſcoporum, quod *Johannes Miræus*, Epiſcopus *Antverp.* inſtituit, in eo munere 20. annos cum magno juventutis fructu exegit.

Pro laborum prœmio factus Archipresbyter in Templo Patriæ Cathedrali, in eo & alibi Verbum DEI cum magno auditorum frequentium fructu docuit, & vivendi finem fecit *Antverpiæ* in Epiſcoporum Seminario 22. Junii A. C. 1627. ætatis 49. Sepulchro parentum illatus in Sacello *S. Thomæ.* *Archipresbyter Antverp.*

Symbolum ei fuit: *Currite, ut comprehendatis.*

Scripta ab eo ſunt ſequentia:

Apophthegmata Chriſtianorum. *Scripta.*
Opus Chronographicum ab A. 1570. usque ad A. 1612.
Chronici Opmerii Auctuarium.
Commune Sanctorum in 4. Tomis.
Conciones ſelectæ.
Promptuarium morale ſuper Evangelia Feſtorum totius anni.
Biblia ſacra variarum Translationum Tomis III.
Parentalia dicta in fun. Johannis Miræi, Epiſcopi Antverp.
Matthæi Hovii, Archiepiſcopi III.
Laudatio funebris Philippi III. Hiſp. Regis.
Alberti, Archiducis Auſtr.
Tractatus ad Synodum Dordracenam, ubi de Synodorum inſtitutione.
Reſponſa Catholica ad quæſita obvia prætenſa Religionis Reformatæ.
Examen Conſilii profectionis Marci Ant. de Dominis Archiep. Spalatenſis.

Linguâ *Belgicâ* ſcripſit:

Vitas trium Apoſtolorum Antverpienſium, Eligii, Willebrodi & Norberti vernaculo ſermone.

Theatrum Vitæ humanæ in compendium redigere cœpit, ſed abſolvere nequivit.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

ANGELUS ANDRONICUS.

Obiit A. C. 1627.

VEnetus, Ordinis *S. Dominici* per annos 40. publicum Theologi munus tantâ cum facilitate vocisque contentione, magno auditorum commodo, ſuſtinuit, ut nihil in eo ad publicum Gymnaſii *Patavini* ſplendorem deſideraretur. Senectute tandem confectus, ab omni oſtentatione alienus, ſine ullis ingenii monumentis editis Vir priſci candoris d. 25. Novemb. A. C. 1629. deceſſit. *Theol. Profeſſor Patav.* — *Moritur.*

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Jac. Philippi Tomaſini.*

* * *

Hic Vir Philoſophiæ & Theologiæ laude clarus, magnâ ſapientiâ & probitate orna-

Digitized by Google

ornatus, ad eam hominum exiſtimationem devenit, ut cum *Venetiis* degeret, plurimi Patricii & Senatores *Veneti* apud eum de peccatis ſuis confiterentur, ac ſalutem animarum quærerent, ideòque neceſſe haberet in Gymnaſii vacationibus *Venetias* ſe conferre, ab omnibus ferè ſummoperè expetitus. Cumque adhibitus eſſet A. 1584. ad ea explicanda, quæ Metaphyſica nuncupantur, in eâque explicatione maximè excellere videretur, præcipuè tamen inter Theologos enituit, eâque de causâ tandem ad Theologiæ Profeſſionem fuit traductus, Collega factus celebris Theologi *Hieronymi Pallanterii*.

Metaphyſica Prof.

* *Ex Gymnaſio Patav. ab Antonio Riccobono deſcript.*

Obiit A.C. 1628.

VINCENTIUS SCHMUCKIUS.

Natus eſt *Schmalcaldiæ* in finibus *Franconiæ* & *Haſſiæ* 17. Octob. A. C. 1565: Patre *Michaële Schmuckio*, Typographo & oppidi Senatore, matre *Agnete*, *Nicolai Mülleri*, ibidem Senatoris, filiâ.

Studia incboat Schleuſingæ.

A. 1579. A patre miſſus in celebrem Scholam *Hennebergicam*, quæ *Schleuſingæ* eſt, ferè totum ibi ſexennium, ſub Præceptoribus M. *Wolffgango Müllero*, Rectore, M. *Johanne Hartungo*, Conrectore, M. *Sebaſtiano Amthor*, & M. *Baltaſ. Müllero* in Linguis Græcâ, Latinâ, & Hebr. diſcendis inſumpſit. A. 1585. Exindè venit in Academiam *Lipſienſem*, in quâ 3. Aug. A. 1586 Baccalaureus, & 25. Junii A. 1588. Magiſter Philoſ. publicè renuntiatus eſt. Paulò pòſt Curator factus in tertiâ Curatione Collegii *Paulini*, & A. ſeq. 1589. Collega deſignatus Scholæ Senatoriæ ad *S. Nicolaum*.

Fit Lipſiæ Philoſ. Magiſter.

11. Mart. A. 1592. In Facult. Philoſophicam cooptatus eſt, poſtquàm in S. Theologiâ ſpecimina tum Academica, tum Eccleſiaſtica edidiſſet egregia.

A. 1593. A Senatu *Lipſ.* ad Cathedram Eccleſiaſticam evocatus, Diaconatum ad *S. Nicolaum* exorſus eſt M. Martio.

Diaconus ad S. Nicol.

Paulò pòſt deſponſatus cum virg. *Catharinâ*, *Chriſtophori Reibandi* filiâ, quâ cum in conjugio vixit ſuavi annis 35, liberosque ex eâ ſuſcepit 11, 7. filios & 4. filias, ex quibus ſuperſtites reliquit duas filias virgines, & totidem filios, quorum major natu *Martinus*, Licentiati titulum in arte Medicâ adeptus, cum eandem annis aliquot *Hersprucci*, dit. *Norimberg.* oppido, exercuiſſet, ibi vitâ defunctus eſt A. C. 1640. Tres verò filii paucis antè parentem annis morte præmaturâ ſublati ſunt, duo quidem adoleſcentes egregiæ ſpei, tertius *Vincentius*, J. U. Doctor & Profeſſor Publ.

Conjugium.

A. 1594. Archidiaconus ejusdem Eccleſ. ad *D. Nicolaum* deſignatus, A. 1602. primam in Theologiâ Lauream accepit. Anno 1604. *D. Zachariâ Schiltero*, & *D. Cornelio Beckero* è vivis ſublatis utrique ſucceſſit, huic in Paſtoratu Eccleſiæ *Nicolaitanæ*, & Theologicâ ſimul Profeſſione, illi verò in Electorali Conſiſtorio *Lipſienſi* Aſſeſſor. A. 1605. Gradum Licentiæ, & anno ſeq. Doctoris in Facultate Theologicâ adeptus eſt. Jan. A. 1607. receptus in Collegium Theologicum, in quo Decani munere ſepties functus eſt. Paulò pòſt electus Canonicus *Zizenſis*, deſignatus etiam *Bavaricæ* Nationis Senior, & Collega majoris Collegii Principum.

Paſtor ad S. Nicol.

Doctor Theol.

A. 1611. Ad Collegium Decemvirale adſcitus, in eo rebus Oeconomicis reſtabiliendis operam navavit egregiam. A. 1614. Morte ſublato *D. Burcardo Harbarto*, Canonicorum *Miſnenſium* Ordini adſcriptus, & 25. Aug. A. 1617. poſt obitum *D. Georgii Weinrichii* Eccleſiæ *Lipſ.* Superintendens inauguratione ſolenni conſtitutus eſt.

Superint. Lipſ.

A. 1620. Communibus Nationum ſuffragiis Rector Academiæ *Lipſ.* per æſtivum ſemeſtre deſignatus eſt.

A. 1627. Ex ſcorbuto morbo jam à multis annis ipſi familiari in affectum melancholicum incidit, conjunctum cum memoriæ & phantaſiæ læſione manifeſtâ, & partium extrematum paralyſi: quibus cum tandem dolores nephritici & vigiliæ acceſſiſſent, viribus attritis placidè pièque ſpiritum DEO reddidit 1. Febr. A. C. 1628. æt. 63.

Ejus morbi & mors.

SChMVCCIVs hIC rVtILI ſenIor ſVbIt atrIa CœLI.

VINCENTIUS SMUCCIUS, Theologiæ Doctor, Superintendens et Professor meritissimus.

Per Anagramma *M. Georgii Calbitii*:

Suſtinui omne, DEUS, poſt mortem gloria feſſo
Vincenti, (vincis CHRISTE,) decor ſupereſt.

* *Ex Concione fun. D. Polycarpi Lyſeri, & ex Programm. fun. Rect. Lipſ.*

Libros edidit:

Scripta.

Bibliſche *Chronica*, von der Welt Erſchaffung an/biß auf den Tod Johannis deß Evangeliſten.

Exercitium Crucis, 40. Andachten über den 91. Pſalm.

Bibel-Büchlein / teutſche *Monoſticha* auf alle Capitel heiliger Schrifft.

Engels-Feſt/Bibliſche Text von Engeln.

Hand-*Poſtilla*.

50. Leichpredigten / zu Leipzig gehalten.

3. Jubel-Predigten.

Bedencken über den neuen Heſſiſchen Catechiſmum.

4. Oſter-Predigten.
6. Pfingſt-Predigten.
7. Weihnacht-Predigten.

Caſpar

Caſpar Cunradus, Med. Proſopographiæ Melicæ Millenar. II. ita ſcribit de eo:

SCHMUCKIUS & vitam & munus virtutibus ornat:
Theologus demùm hic optimus eſſe poteſt.

Obiit A.C. 1628.

GEORGIUS VOLCARTUS.

NOrimbergæ natus eſt 22. April. A.C. 1558.

Theologiæ Profeſſor Altorf. A. 1585. In Academiâ *Altorfinâ* Diaconus Eccleſiæ & Profeſſor Publicus S. Theologiæ factus, munere ſuo 19. annos fideliter functus eſt.

Concionator Amberg. Eccleſiæ deindè *Lutheranæ* Antiſtes, & ad *S. Martinum* Præco fuit *Ambergæ* 22. annis ab A. C. 1604. ad 1626, quo cum Collegis exul factus *Norimbergæ* exſpiravit 13. Martii A. C. 1628. æt. 70.

* *Ex Concione fun. filio ejus Alberto Norībergæ habitâ.*

Obiit A.C. 1628.

SEBASTIANUS HEMMINGERUS.

GRüningæ in Ducatu *Würtenbergico*, patre *Conrado Hemmingero* ejus loci Conſule natus eſt 20. Jan. A.C. 1577.

Cum in Scholâ *Stutgardienſi* literarum primitias didiciſſet, in Scholas Cœnobiales *Adelspergæ* & *Bebenbuſæ*, exindèque *Tubingam* miſſus, inter ſtipendiarios Academicos receptus eſt. Ibi tantos brevi tempore profectûs in ſtudiis linguarum & Philoſophiæ fecit, ut ſummâ cum laude Philoſophiæ Magiſter creatus fuerit. *Philoſ. Magiſter Tubingæ.*

Hiſce inſtructus inſtrumentis ſtudio Theologico animum applicuit, Lectiones & Diſputationes publicas ſedulus frequentavit, & A. C. 1599. Concionator & Præceptor in Cœnobio *Würtenberg. Blaubeurienſi* conſtitutus eſt. *Concionator & Præceptor Blaubeurii.*

Eccleſ. Paſtor Rotenackeræ & Altingæ. A. 1603. ad Eccleſ. Paſtoratum *Rotenackeram*, & A. 1606. *Altingam*, oppida Ducatûs *Würtenbergici* promotus, tandem A. 1611. prægreſſâ vocatione legitimâ, cum familiâ *Ratisbonam* conceſſit, Archidiaconi functionem aggreſſus, in quâ verſatus eſt usque ad A. 1620, quo reverendum Miniſterium Paſtorem eum & Superintendentem Eccleſiæ *Ratisbonenſi* præſentavit. 4. Jul. A. 1627. Cum Templum novum ad S. Trinit. ſolenniter fundaretur, ipſe Concionem inauguralem habuit, præſente, cum plebe, toto Senatu. *Superintendens Ratisbon.*

Conjugium ejus & Liberi. A. 1604. Nuptias celebravit cum virgine *Barbarâ*, Dn. *Jacobi Fabri*, *Gimbringenſis* in Ducatu *Würtenberg*. Paſtoris, relictâ filiâ, ex quâ 3. filios & 7. filias ſuſcepit, ſed 4. tantum filias poſt obitum cum matre viduâ reliquit.

Apoplexiâ tandem in Muſæo ſuo ſedens correptus, poſt paucas horas inter preces adſtantium obdormivit *Ratisbonæ* 9. Julii A.C. 1628. ætatis 51. *Moritur.*

* *Ex Concione fun. M. Johannis Seitzii, Concionat. Ratisbon.*

Edidit:

Scripta. Predigt 4. *Julii A. 1627.* gehalten bey Legung der erſten Steine zu dem vorhabenden Gebäu einer neuen Kirchen zu den Evangeliſchen Predigten.

ELIAS URSINUS.

Obiit A.C. 1628.

NAtus eſt *Koneræ*, Archiepiſcopatûs *Magdeburgici* in *Saxoniâ* oppido M. Febr. A. C. 1579. Patre *Petro Urſino*, 20. & aliquot annor. illius loci Concionatore Evangelico, matre *Juſtinâ Müllerîâ*.

Anno ætatis quarto, patre orbatus, ob egeſtatem panem præ foribus cantando mendicare coactus, deinceps Præceptorum ſuaſu *Wettini*, *Martispurgi*, & *Magdeburgi* ſtudiis humanioribus inſudavit. A. 1600. æt. 21. *Viennam Auſtriæ* Univerſitatem accedens ad M. *Petrum Hofmannum* Poëſeos Profeſſorem venit, mox verò apud Baronem *Stephanum Heimium* â *Reichenſtein* convictum nactus eſt, cujus liberos triennio informavit, & eodem tempore Lectionum Philoſophicarum ac Diſputationum Theologicarum in Collegio *Jeſuitico* diligens auditor fuit. *Puer egenus. Præceptor privatus Viennæ.*

A. 1604. In *Italiam* iter ſuſcipiens, *Venetias*, *Mediolanum*, *Mantuam*, *Patavium*, *Genuam*, & *Florentiam* acceſſit, in quibus locis quinquennio commoratus, Linguam *Italicam* perfectè didicit, & ſtudia ſua Philoſophica continuavit. Eo tempore cum *Florentiæ* Dux *Coſmus II. Ferdinandi* filius A. 1608. cum *Mariâ Magdalenâ*, *Caroli*, *Archid. Auſtr.* filiâ nuptias celebrâſſet, ipſe Sereniſſimis Sponſis carminicè gratulatus, muneris loco Lauream Poëticam reportavit. *Iter ejus Italicum. Poëta Laureat. Florentiæ.*

A. 1609. Ex *Italiâ* reverſus in *Germaniam*, *Lipſiæ* per annum adhûc ſtudio Theologico dedit operam, & A. 1610. prægreſſâ ibidem ordinatione conſuetâ, *Roſſatii* in *Auſtriâ infer.* vocatus â nobili viduâ *Eliſabethâ Geymanniâ*, Paſtoris Eccleſiaſtici munus ſuſcepit, eoque per ſeptennium fideliter functus eſt usque ad annum 1617. quo vocatus *Hernalſium* â generoſo Barone *Helmardo Jörgero*, *Simoni Mannio*, Concionatori *Auſtriæ* Evangelico ſucceſſit. *Paſtor Eccleſ. Roſſatii, & Hernalſii,*

22. April. A. 1621. *Confeſſionis Auguſt.* exercitio *Intzersdorfium* translato, ibidem unà cum Collegis ſuis munere ſuo functus eſt usque ad A. 1627. quo reformatione per *Auſtriam* factâ in exilium diſcedere coactus, *Ratisbonam* cum familiâ ſuâ conceſſit. *& Intzersdorfii.*

Intereà deſponſatus eſt *Roſſatii* 27. Febr. A. 1611. cum virgine *Sophiâ*, Viri nobilis *Franciſci Heydii* filiâ, quâ poſt primum partum unà cum fœtu vitâ defunctâ, ſecundas nuptias celebravit *Roſſatii* A. 1612. cum *Conjugium ejus duplex.*

Digitized by Google

virgine *Salome Lucretiâ*, nobilis *Jeremiæ Kapleri*, hæreditarii in *Oberbergen* filiâ, quæ 4. ei filios, totidemque filias peperit, ſed duos tantùm filios *Johannem Eliam*, & *Petrum Laurentium*, cum filiâ ſuperſtites reliquit.

Mort. Ratisbonæ exul.

A. 1627. Cum & hæc ejus uxor morte fuiſſet abrepta, morbis ipſe variis exhauſtus vitæ reſiduæ breve tempus in exilio viduus abſolvit, *Ratisbonæ* vitâ defunctus 22. Julii A. C. 1623. ætatis 49.

Edidit:

Scripta.

Tubam Angelicam, den letzten Poſaunen-Schall von den 4. letzten Dingen des Menſchen / darinnen 16. Buß-Predigten.

* *Ex Concione funebri Chriſtoph. Sig. Donaueri, Concionat. Ratisbon.*

Obiit A. C. 1628.

WOLFFGANGUS FRANZIUS.

PLaviæ, *Variſcorum* oppido antiquo, natus eſt A. C. 1564. M. Octob. Patrem ſortitus *Philippum*, civem honeſtum, matrem *Martham*, *Wolffgangi Mulingii*, Senatoris ibidem & Camerarii, filiam.

In patriâ Scholâ cum prima rudimenta literarum poſuiſſet, *Francofurtum Marchicorum* ad patruelem *Joachimum Frantzium* Philoſ. Magiſtrum amandatus eſt, ut majorem ingenii cultum capeſſeret. Indè *Wittebergam* conceſſit, in Album Academiæ & numerum Studioſorum adſcriptus A. 1585. & Magiſterii titulo publicè ornatus A. 1587.

Magiſter Philoſ. Wittenbergæ.

Nubit.

A. 1591. die 21. Febr. nuptias fecit *Wittenbergæ* cum virgine *Annâ*, M. *Petri Harringii*, Superattendentis *Comenſis* filiâ, ex quâ ſuſcepit filios tres, cum filiâ unicâ: ſed omnes præter *Wolffgangum*, qui in *Luſatiâ* fixit larem, in flore ætatis obierunt.

Doctor Theol.

A. 1598. Hiſtoriarum Profeſſor conſtitutus, paulò poſt Doctoris Theologi ſolenniter aſſumpſit Gradum. A. 1601. *Kembergenſi* Eccleſiæ Præpoſitus datus.

Quadriennio pòſt A. 1605. Academici Patres ipſum revocârunt, cooptatum in Profeſſorum Theologiæ numerum, & Academico Templo, quod in Arce eſt, deſignârunt Præpoſitum. Quo munere quantâ cum laude, quà legendo & diſputando, quâ Conciones habendo de ſuggeſtu functus ſit, eximia, quæ publicavit, loquuntur Scripta.

Iterùm nubit.

A. 1618. Ad ſecunda vota tranſiit, cum matrimonio ſibi jungeret virginem *Sabinam*, *Erneſti Hettenbachii*, Med. Profeſſoris & Senioris filiam, quam ſemper arctiſſimè amavit, etiamſi per illam nunquam factus eſſet Pater.

Apoplecticus mor.

At 1620. Paroxyſmo Apoplectico tam vehementer fuit correptus, ut ex eo in publicum egredi & demandati officii partibus fungi minimè potuerit. Cum verò paroxyſmus ille recurreret, piè & placidè diem ſuum obivit d. 26. Octob. A.C. 1628. ætatis 64.

Libros edidit:

Scripta.

Hiſtoriam ſacram animalium, quam Theologi pariter ac Philoſophi in oculis habent.

Commentarium in Auguſtanam Confeſſionem, contra Photinianos præcipuè pugnantem.

Aſſertionem ſolidiſſimam ſatisfactionis CHRISTI *pro peccatis mundi, recentibus Arrianis & Photinianis oppoſitam.*

Vindicias Diſputationum pro Auguſt. Confeſſ. contra Valent. Schmaltzium.

Tractatum de Interpretatione S. Scripturæ maximè legitimâ.

Tractatum de Sacrificiis, vel Scholam Sacrificiorum Patriarchalium.

Prælectionum in totum Moſen Commentarios, Opus poſthumum.

Syntagma Controverſiarum Theol. cum Calvinianis, Pontificiis & Photinianis intercedentium XII. Diſputationibus incluſum.

Diſputationes XXXIV. ſuper Auguſt. Confeſſionem.

Diſputationes per Deuteronomium.

de Perſonâ JESU CHRISTI.
de Indulgentiis Pontificiis.
de Satisfactione CHRISTI.
de Paſſione CHRISTI, *ex Eſ. 53.*
de Uſurâ.
de Creatione Mundi; hominum & Angelorum.
de Aſcenſione CHRISTI *in cœlum.*
de Diſtributione Præceptorum.
Decalogi. De Officio CHRISTI.
de Baptiſmo.
de Eccleſiâ CHRISTI *in his terris militante.*

Zwo Predigten vom reichen Mann und den falſchen Propheten.

Hiſtoriſche Erzehlung der beyden Heiligthümer in der Schloß-Kirchen zu Wittenberg/ und zu Hall in Sachſen.

Orationes edidit:

Cur Dominus noſter JESUS CHRISTUS ſit vocatus EMMANUEL?

De Initiis & Progreſſu certaminum Neſtorianorum & Eutychianorum in articulo de Perſonâ CHRISTI.

In Jubilæo Lutherano habit. anno 1617.

De Jeſuitarum cruentis machinationibus, adverſus Principes à Romano Pontifice alieniores.

* *Ex Programm. fun. Aug. Buchneri.*

EPITAPHIUM:

Epitaphium.

WOLFGANGUS FRANZIUS, THEOLOGUS MAGNI NOMINIS, ET EBRÆÆ LINGUÆ INTERPRES FELICISSIMUS, WITTEBERGÆ MORTALITATEM EXUIT ANNO M DC XXVIII. DIE XXVI. OCTOB. CUM VIXISSET ANNOS LXIV. PAU-

Digitized by Google

Obiit A.C. 1619.

PAULUS TOSSANUS.

D*Anielis* filius, natus fuit *Montargirii* in *Galliâ*, apud *Renatam Ludovici XII.* *Gall.* Regis filiam, Ducis *Ferrariæ Herculis II.* viduam, quæ patrem cum familiâ in arce & tutelam ſuam receperat, 27. Sept. A. C. 1572, uno poſt lanienam *Pariſienſem* menſe.

Mater fuit *Maria Coveta, Pariſienſis*, non minùs virtute quàm genere nobilis.

In Baptiſmo infantem ſuſcepit eximius Theologus & Concionator *Johannes de Spinâ*, eique nomen *Pauli* indidit, haud vano præſagio auguratus, futurum, ut ſacrum aliquando Evangelium, avi & patris exemplo prædicans, Evangelii Præconem Apoſtolum *Paulum* referret.

A. 1573. Ex *Galliâ* in *Germaniam* transportatus, *Heidelbergæ* primos tenellæ ætatis annos exegit.

Diſcipulus Neapoli Nemetum.

A. 1578. In ludo *Neapoli Nemetum* literarum elementa diſcere cœpit, Præceptoribus uſus *Johanne Zwengelio* & *Jonâ Scheidio*.

Heidelbergæ.

A. 1584. Reverſus *Heidelbergam*, Præceptores in illuſtri Pædagogéo nactus eſt Viros eruditione præſtantes *Quirinum Reuterum*, *Henricum Altenbovium*, *Bartolomæum Stadlerum*, *Johannem Eberhardum*, â quibus Latinas & Græcas literas cum Præceptis Rhethoricæ ac Logicæ didicit.

A. 1587. Æt. 15. peracto per omnes Claſſes Scholaſticas curriculo, ad audiendas lectiones Academicas promotus, & in album Studioſorum *Heidelbergæ* inſcriptus fuit, Rectore Magnifico Illuſtriſs. Principe *Friderico V.* Comite *Palat.* & Electoratûs hærede, Pro-Rectore *D. Georgio Sohnio*, Theologo.

A. 1590. Menſe Aug. *Altorfium*, in Academiam *Noricorum*, Philoſophis *Nicolao Taurello*, *Philippo Scherbio*, *Matthiâ Bergio*, aliisque celebrem â Patre miſſus fuit, ut ſtudium Philoſophiæ ibidem excoleret.

Philoſ. ſtud. Altorfii.

Antequàm indè diſcederet, quod ſeq. A. 1591. factum, publicam habuit Diſputationem de Animâ, Præſide *Nicolao Taurello*, quam cum alii Academiæ Profeſſores, tum celeberr. JC. *Hugo Donellus* non tantùm ſua præſentiâ, ſed etiam Objectionibus quibusdam in medium allatis ornârunt. 6. April. A. 1592. Gradum Magiſterii in Academiâ *Heidelbergenſi* poſt aliquot dierum examen adeptus eſt, promotore M. *Simone Stenio*.

Diſputat. habuit de Animâ.

Magiſter Philoſ. Heidelbergæ.

Eodem anno *Baſileam* profectus, inſignes Theologos *Joh. Jacobum Grynæum*, *Amandum Polanum*, & *Jacobum Covetum* avunculum ſalutavit: indè *Genevam* perrexit, ubi humaniſſimè â ſummis Theologis *Theodoro Bezâ*, *Antonio Fayo*, *Carolo Perotto* cognato, aliisque exceptus fuit, quos in Eccleſiâ & Scholâ docentes aſſiduè audivit.

Theol. Studioſus Genevæ.

Genevæ valedicere noluit, quin prius publicè de Traditionibus ſub Præſidio Dn. *Antonii Fay* diſputâſſet. A. 1594. ſub finem nundinar. *Francofurtenſium*, *Lugdunum Batavorum* petiit, quò etſi non docendi, ſed diſcendi gratiâ ſe contuliſſet, â Proceribus tamen illius Academiæ perſuaderi ſibi paſſus eſt, ut primùm *Daventriæ*, deindè *Amſtelrodami* Scholæ gubernacula ſuſciperet, & Græcos ac Latinos Oratores & Poëtas ſtudioſæ juventuti interpretaretur.

Rector Scholæ Daventr. & Amſtelrod.

A. 1598. In *Angliam* trajecit, ubi *Oxonienſem* & *Cantabrigienſem* Academias adiit, & notitiam cum doctiſſimis Theologis, imprimis *Johanne Rainoldo*, contraxit. Aulam quoque acceſſit, & *Reginam Eliſabetham* cum ſplendido gynæceo vidit.

In Angliam trajecit,

Indè in *Galliam* transvectus, cum celebriores aliquot Urbes, *Rotomagum*, *Lutetiam*, *Aurelianum*, & *Mediomatricum* urbem perluſtraſſet, *Heidelbergam* ad Patrem ſe recepit, ibique ſtudio Theologico per aliquot menſes ſe dedidit, donec A. 1599. 12. Martii S. Theol. Doctor in Acad. *Baſileenſi* crearetur, Promotore *D. Joh. Jacobo Grynæo*.

& Galliam.

Theol. Doctor Baſileæ.

A. 1600. Dominicâ Trinitatis, primam Concionem habuit *Francothalii*, & Eccleſiæ *Gallicanæ* Miniſterium illîc exercere cœpit, in quo munere octennium perſtitit.

Miniſter Eccleſ. Gall. Francothalii.

A. 1608. *Heidelbergam* â Sereniſſ. Electore *Palat.* vocatus, & in numerum Conſiliariorum Eccleſiaſticorum cooptatus fuit.

Conſiliar. Eccleſiaſt. Heid.

A. 1618. M. Octobri in *Hollandiam* ab Electore *Palat*, ad Synodum *Dordracenam* unà cum *D. Abrab. Sculteto* & *D. Henrico Altingio* miſſus, orthodoxam doctrinam contra *Arminianorum* corruptelas aſſeruit.

Miſſus ad Synodum Dordrac.

Tandem Electorali *Palatinatu* luctuoſi belli calamitatibus oppreſſo, *Hanoviam* conceſſit, ubi Paſtores Eccleſiæ & Ludimoderatores exules, quâcunque ratione potuit, benignè fovit & conſolatus eſt. Ibidem obiit A. C. 1629. æt. 57.

Hanoviæ Paſtor.

Moritur.

Edidit, præter alia quædam ingenii monumenta:

Biblia Germanica, Notis ad marginem, quibus textus explicatur, illuſtrata: quo opere benè de poſteritate, & imprimis de Eccleſiis & Scholis Germaniæ mereri ſtuduit.

Acta Colloquii Jac. Regis Angl. cum D. Hoë.

Recapitulationem Examinis Würtenbergici.

* *Ex Vit. Viror. doctor. Jani Jacobi Boiſſardi Part. II.*

Obiit A.C. 1629.

THOMAS WEGELINUS.

P*Atriam* habuit *Auguſtam Vindelicorum*. Parentibus ortus eſt tenuibus, lanificio victum quæritantibus.

Materno gremio & cunis major, cum non contemnendi ingenii documenta dediſſet, literis & Muſarum cultui eſt conſecratus, ac feliciſſimis auſpiciis ad Scholas venit publicas, ubi exquiſitos Scripturarum ſacrarum diſcendarum Duces nactus, in id totâ mente incubuerat, ut ad latera ſemper eſſet Magiſtrorum ſuorum.

Literis operam dat.

Aſt cum neceſſariorum ſumtuum nulla amplius ſpes in patriâ affulgeret, in *Auſtriam*

Ratisbonam venit. ſtriam iter inſtituit, & cum *Ratisbonam* transire neceſſum haberet, ubi provincia Poëtica in Gymnaſio literario tum vacabat, ſingulari DEI providentiâ gradum ſiſtere, & Scholaſticæ juventuti erudiendæ operam ſuam navare debuit vocatus.

ubi in Colloquio Amanuenſis. Quo ipſo tempore cum celeberrimum *Ratisbonenſe* colloquium ſit habitum, *Wegelinus* non tantùm ſedulus per omnes ſeſſiones auditor fuit, ſed & Theologorum orthodoxorum amanuenſis, menſeque uno vel altero plura didicit, quàm ſi controverſiarum lectioni diutiſſimè alibi incubuiſſet.

Argentoratum venit. *Librum edit.* Offerebantur verò paulò pòſt ipſi Nobiles aliquot adoleſcentes, quibuscum ad inclytam *Argentoratenſem* Academiam profectus, mox ſuum in ſacrarum literarum ſtudio redintegrando & continuando fervorem laboremque indefeſſum celebratiſſimis *Argentinenſis* Academiæ Doctoribus teſtatum fecit, cumprimis egregio quodam *Trophæo Auguſtiniano de Scripturâ ſacrâ, fidei principio*, in quo ex ipſo *Auguſtino* ſingula de Scripturis Divinis dogmata aſtruxit, & *Auguſtanæ* cum *Auguſtinianâ* Confeſſione harmoniam egregiè demonſtravit. Libellus avidiſſimè exceptus, authoris ſui famam auxit tantoperè, ut *Tubingenſis* etiam Academiæ Profeſſores præclaras *Wegeliniani* ingenii dotes probè æſtimantes, tacitè per amicos ſupremum in Theologiâ honorem obtulerint.

Theologiæ Doctor Tubingæ. *Pfortzhemii docet.* *Tubingam* itaque profectus, honores ſibi jam decretos obtinuit, quâ nominis dignitate auctus, ad priſtinam Muſarum ſedem ſe recepit, atque relictis Academiis tandem *Pfortzheimium* ſe contulit, in ſacratiſſimum Miniſterium cooptatus.

Colloquii Durlacenſis hiſtoriam ſcribit. Ne verò ibi diutius nominis ejus lateret fama, Colloquium quoddam in causâ fuit Theologicum cum Jeſuitis Gallicanis *Durlaci* inſtitutum, cujus ipſe poſteà veram conſcripſit hiſtoriam, & cum accuratâ de novo *Jeſuitarum* contra omnes hæreſes amuleto diſſertatione in publicum emiſit: Colloquium enim illi offerentes poſtulârunt, ut ſola Biblia collocarentur in medium, & ex iis formalibus verbis ſcriptum exhiberetur: *Miſſa non eſt Sacrificium: Matrimonium non eſt Sacramentum: Non eſt purgatorium*, &c. Quam diſputandi rationem Scripturæ Sacræ, orthodoxæ vetuſtati, & Rom. Doctorum praxi protinus adverſari demonſtravit.

Profeſſor Theol. & Præſes Conventus Eccleſiaſtici. *Moritur.* Tandem *Wegelinus* A. 1623. *Argentinam* rediit, ab Ampliſſimo Senatu ad Profeſſionem Theologicam vocatus, & Præſidium Conventus Eccleſiaſtici, accedente verò paucos poſt annos tuſſi, reſpirandi difficultate atrophiâ vitam commutavit cum morte placidâ anno 1629.

Opera ipſius ſunt ſequentia:

Scripta. *Relatio Phorcenſis de Diſcurſu Theologico inter Georgium Fridericum, March. Badenſem, & Franciſcum Ducem Lotharingiæ &c. Acceſſit judicium de novo Jeſuitarum contra omnes hæreſes amuleto.* Francof. 1614. in 4to. Relatio hæc etiam prodiit Germ.

Theſes de CHRISTI Incarnatione, Naturarum Unione, & idiomatum communicatione.

Trophæum Auguſtinianum de Scripturâ Sacrâ fidei principio. Argent. in 4to.

Diſputationum triga. I. De Scriptorum Propheticorum & Apoſtolicorum authoritate, & librorum Canonicorum numero. II. De variis eorundem Verſionibus. III. De Sufficientiâ, Interpretatione & Judicio.

Hypomnema Theologicum.

De Majeſtate CHRISTI Diſſertatio.

Orationes de V. Paulis Epiſcopis.

Prodromi in Evangelium Johannis Diſputationes II.

Diſp. de Indulgentiis.

Theſes de Theologiâ in genere.

De triplici fato Metaphyſico, Phyſico & Aſtrologico. Witteb. in 4to.

Prælectiones in Pentateuchum.

MSS. in Evangelium Johannis.

Judicium de Controverſiâ Tubingenſi.

* *Ex Templo honoris reſerato Spizelii*, & aliis.

JOHANNES TARNOVIUS.

Obiit A.C. 1629.

Filius Theol. Natus *Grevismolæ* A.C. 1586. 19. April. Patrem habuit *Hermannum Tarnovium*, Paſtorem Eccleſiæ ibidem, matrem *Margaretam Bremers, Hamburgenſem.* A pueritiâ in pietate & literis inſtitutus, primùm in patriæ ludo literario cum ab aliis, tum â *Tilemanno Eilero* fuit.

A. 1599. *Lubecam* miſſus in diſciplinam *D. Ottonis Gualtperii* & Collegarum, præcipuè popularis & civis ſui *M. Joach. Drenckhanii*, tum Sub-Conrectoris ibidem, poſt Rectoris Scholæ *Stralſundenſis*.

A. 1603. *Hamburgum* perrexit ad avunculum ſuum *Johannem Bremerum*, â quo *M. Pauli Sperlingii*, ejuſque Collaboratorum inſtitutioni traditus fuit.

Studioſ. Roſtochii. A. 1604. *Roſtochium* profectus eſt, uſus privatim domeſticâ conſuetudine & informatione patrui Dom. *Pauli Tarnovii*, Prof. primarii, cui & publicè operam dedit, uti & aliis Profeſſoribus cum Philoſophiæ tum Theologiæ.

Baſileæ. A. 1613. *Argentoratum* acceſſit, invitatus â *Joach. Clutenio, Parchimenſi* Juris Anteceſſore, cum quo ibidem aliquandiu, & poſteâ *Baſileæ* tres menſes hæſit, converſatione fruens quotidianâ Dom. *Joh. Buxtorfii*, ut in iis, quæ de Linguis Orientalibus & de Rabbiniſmo hìc didicerat, confirmaretur. In iſtâ peregrinatione vidit ſuperioris Germaniæ Academias præcipuas, *Heidelbergenſem, Argentinenſem, Friburgenſem, Baſileenſem, Tubingenſem, Gieſſenſem, Marpurgenſem, Erfordienſem, Jenenſem, Lipſienſem, Wittebergenſem.*

A. 1614.

Theol. Profeſſor Roſtoch. & Doctor. A. 1614. *Roſtochii* Theol. Profeſſor conſtitutus eſt ab Illuſtriſſ. Principe *Adolpho Friderico.*

Philoſ. Magiſter Argent. Eodem anno *Argentinæ* ſummum in Philoſophiâ Gradum conſecutus eſt, & in Theologiâ A. 1619. 15. April. quo die etiam priores nuptias celebravit cum virgine *Dorotheâ*, filiâ *Joach. Ruters*, ex quâ duas puellas *Margaretham* & *Dorotheam* ſuſcepit. A. 1624. Alteram duxit uxorem *Eliſabetham*, M. *Georgii Knorkenii* & *Catharinæ Krelliæ* filiam, ex quâ filium *Johannem*, & *Catharinam* filiam reliquit.

Morbus, quo ſuperatus deceſſit, fuit febris continua, quæ eum cibi ſumendi & ſomnum capiendi facultate ab ipſo invaſionis initio privavit, nec remiſit, donec *Moritur.* vivendi in his terris finem afferret 12. Jan. A. C. 1629. ætatis 43.

Scripta ejus ſunt ſequentia:

Scripta. *Tres Eliæ*, id eſt, *Comparatio trium Eccleſiæ DEI Reformatorum, Eliæ Theſbitæ, Johannis Baptiſtæ, & Martini Lutheri*, in 4to.

Exercitationes Biblicæ, in 4to. & 8vo.

Oratio de Academiæ bono, ex Pſal. 85. in Jubilæo Acad. Roſtoch. habita.

Comment. in Epiſtolas S. Pauli ad Epheſios, Philippenſes, Theſſalonicenſes, & Coloſſenſes, in 4to.

Oratio Theologico-Politica, de Quæſtione: An in Republ. Chriſtianâ à Magiſtratu Politico ſalvâ conſcientiâ plures, quàm una tolerari queant Religiones? in 4to.

Commentarii in Prophetas, Joëlem, Amos, Micham, Nahum, Malachiam, Jonam.

in 7. Pſalmos pœnitentiales, in Pſalmos paſſionales, in 12. Prophetas minores.

in Threnos Jeremiæ, in 9. Caput Eſaiæ.

Medulla Evangeliorum tum Dominicalium, tum quorundam Feſtivalium edente Eliâ Taddelio, in 4to.

Nucleus Epiſtolarum Dominicalium & Feſtivalium, in 4to.

Diſputationes Roſtochii habitæ: de S. Scripturâ, de Scripturæ ſenſu: de DEO Trino, de Angelis bonis & malis, de Imagine DEI in homine, de Juſtificatione hominis peccatoris coram DEO, de Lege & Evangelio, de novo Evangelio, de libero hom. arbitrio, de æternâ Prædeſtinatione hominum in fide juſtificante ad finem uſque vitæ perſeverantium, de Vocatione, Ordinatione, Immunitate, & dimiſſione Miniſtrorum Verbi, de univerſali CHRISTI Merito, de Perſeverantiâ Sanctorum, de Pœnitentiâ: Num & quæ fœdera cum diverſæ Religionis hominibus ſalvâ iniri poſſint conſcientiâ? de Eccleſiâ: de Præſtantiâ Sacerdotii CHRISTI & Novi Teſtamenti.

* *Ex Programm. fun. D. Thomæ Lindemanni, Jur. Prof. & Rect. Roſtoch.*

GEORGIUS ROSTIUS.

Obiit A. C. 1629. IN Comitatu urbeque *Mansfeldenſi* A. C. 1582. hanc lucem primùm aſpexit, Parentibus ortus *Johanne*, illius loci cœmentario, & *Annâ Crauſinâ*. Puer 12. annor. *Wolferbytum* ablegatus, per biennium telam ſtudiorum pertexuit, & choro ſe Muſico addixit. Poſteà Seminarii *Hannoverani* diligens extitit alumnus, donec dignus judicaretur, qui ad altiora aſpiraret. *Filius Cœmentarii. Alumnus Hannoveræ.*

In *Boruſſiam* itaque diſcedens, *Dantiſcum* & *Regiomontium* perluſtravit. In reditu *Megapolim* ſalutavit, & in Academiam *Roſtochienſem* ſe contulit, ubi ita vixit, ut induſtrii Studioſi nomen reportârit. *Roſtochii Studioſus Juris, Med. & Theol.*

In diſciplinis enim Philoſophicis adeò probè verſatus eſt, ut ſumma in iiſdem munia obire poſſet. In Legibus interpretandis inſignem ſibi ſcientiam comparavit, nec minori induſtriâ medendi artem addidicit.

Verùm divina Providentia aliorſùm eum deſtinavit, ut amicorum ſuaſu ad abdita Theologiæ penetralia cognoſcenda animum tandem applicaret. Quare *Wittenbergam* profectus, magni ibi nominis Theologis dilectus fuit. Cum verò bonæ eum mentis ſoror, rerum nempè neceſſariarum inopia, vix ultra annum in illuſtri hoc Athenæo ſubſiſtere permitteret, rediit *Roſtochium*, & cum Doct. *Joh. Affelmanno* arctam contraxit amicitiam. *Theologiæ Studioſus Wittenbergæ.*

A. 1616. â Magiſtratu *Mansfeldenſi* in patriam ad Eccleſiæ Diaconatum legitimè vocatus, hanc provinciam non minùs ſedulò quàm prudenter, dum illi præfuit, adminiſtravit. *Diaconus Eccleſ. Mansfeld.*

Anno ſeq. cum *Lupæ* aulicus Eccleſiaſtes deſideraretur, â Principe *Megapolitanâ Sophiâ*, accedentibus Dom. *Nicolai Siegfridi*, Ephori *Wiſmarienſis*, commendatitiis, clementer hoc ei munus demandatum fuit, quod per 12. annor. decurſum ſuſtinuit. *Eccleſiaſtes aulicus.*

Uxorem habuit *Annam*, præfati Domini *Sigfridi* filiam primogenitam, ex quâ filium *Adolphum Fridericum* in tenerâ ætate denatum, duaſque filias *Sophiam* & *Annam Helenam* ſuperſtites genuit. Animâ tandem poſt brevem decubitum placidè emiſſâ, ad beatorum ſedes emigravit d. 26. Januarii A. C. 1629. ætatis 47. *Moritur.*

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta. *Anti-Crocius de Auctore peccati*, in 8vo. & 12mo.

Admonitio ſuper Controverſiis de Joh. Arndtii vero Chriſtianiſmo, inter Luc. Oſiandrum & Henricum Varenium, in 12mo.

Commentarii in Threnos Jeremiæ, Canticum Canticorum, & Epiſtolam Judæ, in 8vo.

Bericht von den neuen Photinianern/ neben Widerlegung deß Photinianiſchen Catechiſmi.

Theologiſche Weiſſagung vom Jüngſten Tag/ was von der *computation* der Roſen-Creutzer und *M. Pauli Nagelii Prognoſtico Cabaliſtico* zu halten ſey. in 4to.

Evangeliſcher Triumph-Wagen/ auf welchen Chriſtus herum fähret. in 12.

Güldene Himmels-Leiter / mit ihren unterſchiedenen Sproſſen. in 12mo.

Helden-Buch vom Roſen-Garten / oder gründlicher Bericht von den neuen Propheten/ Roſen-Creutzern/ Chiliaſten und Enthuſiaſten. in 4to.

Dreyfacher Spiegel / als 1. neuer Ketzer-Spiegel. 2. Wipper- und Kipper-Spiegel. 3. Krieg- und Zeit-Spiegel / Predigten aus *Hoſea* im 11. Cap. in 4to.

Niniviti ſch Teutſchland / Erklärung deß Propheten *Jonæ*. in 4to.

Vorſchmack deß ewigen Lebens/ oder Troſt-Büchlein. in 12mo.

Formula pacificatoria, oder Frieden-Mittel. in 12mo.

Medulla fidei Theoretica & Practica, in 12.

Neu Catholiſch Handbuch wider das Pabſtthum. in 12mo.

* *Ex Concione fun. M. Caſp. Wagneri.*

Obiit A.C. 1629.

WILHELMUS SCHWÆGERUS.

Villaci in *Carinthiâ* natus eſt 9. Sept. A. 1590. Patre *Chriſtophoro*, Senatore, matre *Margaretâ Niederlinâ*, â quibus parentibus ſuis, antequàm natus eſſet, cultui Divino conſecratus erat.

Aug. A. 1602. E patriâ propter Evangelicæ fidei Confeſſionem cum parentibus in exilium migrare coactus *Noribergam* venit, ibique Scholam *Ægidianam* annis aliquot frequentavit.

Argentorati ſtudia Linguar. tractat.

Aug. A. 1606. *Argentoratum* â Patre deductus, ibi brevi temporis ſpatio tum in Linguis Hebraicâ, Græcâ & Latinâ, tum in ſtudiis artium liberalium adeò profecit, ut omnes publicè diſputantem vel perorantem audientes ingenium ejus admirarentur.

Fit Philoſ. Magiſter.

Jun. A. 1607. Ibi cum 26. Competitoribus Baccalaureus ſecundo loco creatus, & 16. Martii A. 1609. Gradum Magiſterii cum 26. Candidatis quinto loco cum honore adeptus eſt. Deindè licèt in Jurisprudentiæ & Medicinæ ſtudiis cognitionem non exiguam nactus eſſet, præcipuè tamen S. Theologiæ mancipavit, & eodem anno ibidem in Leproſorio primam Concionem habuit.

Wittenbergæ Theolog. ſtudet.

2. Jan. A. 1610. *Noribergam* ad Parentes reverſus, M. Aprili ſeq. *Wittenbergam* uberiorum profectuum causâ conceſſit, ubi Profeſſoribus acceptus eruditionis ſpecimina præclara edidit.

Ecclеſ. Paſtor Volcmarcæ.

Nuptias celebrat ter.

13. Julii A. 1611. Ab illuſtri Barone *Auſtriaco, Bartol. Kevenhüllero*, Paſtor Eccleſiæ *Volcmarcæ* factus, 2. Aug. *Ratisbonæ* Miniſter Verbi Divini ordinatus eſt. Ibi 30. Julii A. 1612. primas nuptias celebravit cum virgine *Annâ*, *Tobiæ Scheideri*, Judicis filiâ, ex quâ filios ſuſcepit *Samuelem* & *Emanuelem*. Eâ A. 1618. mortuâ, alteram duxit 21. Oct. A. 1619. deſponſatus cum virgine *Sarâ*, *Zachariæ Dürrenbacheri* filiâ, quæ filium ei peperit *Chriſtoph. Wilhelmum*, & A. 1623. gravida exſpiravit.

27. Sept. ejusdem anni tertias celebravit nuptias cum virg. *Magdalenâ, Laurentii Kaufmanni*, Paſtoris Eccleſ. *Altenſteinenſis* in *Franciâ Orient.* filiâ, quæ trium filiorum *Chriſtophori Andreæ*, *Georgii*, & *Johannis Leonharti* mater facta fuit.

Paſtor Eccleſ. Hersprucc.

A. 1624. Ex *Auſtriâ* propter fidei mutationem diſcedere coactus, *Noribergam* cum familiâ reverſus eſt, & A. ſeq. 1625. *Herspruccі*, ditionis *Noricæ* oppido Paſtor Eccleſiæ conſtitutus, *Stephano Wechslero*, *Nordlingam* diſcedenti, ſucceſſit. Ibi Verbum DEI ad finem vitæ fideliter docuit, & tandem phthiſi correptus, cui hydrops acceſſit, placidè in CHRISTO exſpiravit 11. Martii A. C. 1629. æt. 38. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri.*

Obiit A.C. 1629.

JOHANNES WINTERUS.

Fil. Theologi.

Mundum hunc per nativitatem ingreſſus eſt *Numburgi* in *Thuringiâ* d. 14. Sept. A. C. 1585, Patre Viro Reverendo M. *Bernhardo Wintero*, Diacono *Numburgenſi*, Matre *Mariâ Grauliâ*.

Puerum felicis ingenii Parentes A. æt. 14. in Scholam Electoralem *Portenſem* ablegârunt, in quâ præter ſtudia humaniora Muſicam excoluit. A. 1605. In Academiam *Lipſ.* progreſſus, ſtudiis Philoſophicis adeò ſedulus incubuit, ut A. 1606. primam in Philoſophiâ Lauream, & A. 1609. M. Jan. alteram Magiſterii cum laude & honore reportârit.

Baccalaur. & Philoſ. Magiſter

Abindè ſtudio Theologico deditus, Profeſſorum Lectiones publicas frequentavit, in Collegiis privatis diſputando & concionando ſe exercuit, & tantos fecit progreſſûs, ut prægreſſis Examinibus & Diſputationibus ſolitis, A. 1613. S. Theol. Baccalaureus, A. 1617. Licentiatus, & tandem A. 1628. Doctor ſolenniter creatus & renuntiatus fuerit.

S. Theolog. Baccalaur. Licentiat. & Doctor.

Diaconus Magdeb.

Intereà 21. Jan. A. 1617. ad munus Diaconi in Templo Cathedrali *Magdeburgi* vocatus, fidelem ſe præbuit Eccleſiæ ſuæ Miniſtrum. A. 1619. Conjugii ſocietatem iniit cum virgine *Eliſabethâ*, Dn. *Johannis Neldelii*, JC. & Logices Prof. *Lipſ.* relictâ filiâ, ex quâ filiam *Annam* A. 1620. ſuſcepit.

Superint. Torgav.

A. 1627. *Torgaviæ* Paſtor Eccleſiæ & Superintendens factus, ex Lege & Evangelio Conciones ſuas ſingulari cum auditorum gratiâ protulit, eosque vitâ inculpatâ æquè ac voce docuit, omnibus gratus, & cum Collegis pacem colens.

Apoplecticus in cathedrâ obiit.

Inter Concionem tandem, cum vix exordium abſolviſſet, apoplexiâ vehementi tactus loquelam amiſit; prolapſus in ſellâ domum ſuam deportatus, rationem tamen, auditum & viſum retinuit, donec quatriduo pòſt placidâ morte extinctus obiit Dominicâ Judicâ A. C. 1629. ætatis 43.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNES WINTER.
Per Anagramma:

Anne inter vivos?
Anne inter vivos Winter? quid quæris amice?
Vivus in æternum poſt ſua fata manet.

Edidit:

Scholam Tentationis Paulinam ex ejus Epiſtolâ ad Romanos.

* *Ex Conc. fun. D. Pauli Röberi, Superintend. Witt. & Generalis Inſpectoris Circuli Sax. Elect.*

CAROLUS SCRIBANIUS.

Obiit A.C. 1629.

IN *Flandriâ* natus *Bruxellis*, ex urbe *Alexandriâ* nobilis ſuæ familiæ originem deduxit. Adoleſcens mundo valedicens Patribus Societatis Jeſu acceſſit, & cœleſtibus contemplationibus deditus, perfecti Religioſi nomen adeptus eſt.

Pater Soc. Jeſu.

Quicquid verò temporis ab exercitiis Divinis reſiduum habuit, id omne ſtudiis Philoſophicis & Theologicis impendit, teſtibus Scriptis eruditis, quæ edidit. *Juſti Lipſii*, dum viveret, amiciſſimus, patrocinium poſt mortem ſuſcepit. Collegii *Antverpienſis* & *Bruxellenſis* Rector multos annos, Hiſtoricus, Philoſophus, & Theologus Linguam *Gallicam*, *Hiſpanicam*, & *Italicam* exactè calluit. Ob *Belgica* Societatis negotia *Romam* ſecundò profectus eſt.

Juſti Lipſii defenſor.

Provincialis tandem in *Flandriâ* Societatis ſuæ factus, ex hâc vitâ migravit 24. Junii *S. Johanni Baptiſtæ* ſacro A.C. 1629.

Provincialis Soc. Jeſu. Moritur.

Libri ab eo ſcripti & editi ſunt ſequentes:

Scripta.

Amphitheatrum honoris contra Calviniſtas, ſub nomine Clari Bonarſcii, quod per anagramma legitur, *Caroli Scribanii.*

Ars mentiendi Calviniſtica, ſub nomine Romani Veronenſis edita.

Commentar. in Dominici Baudii Gnomas.

Juſti Lipſii Defenſio poſthuma.

Origines Antverpienſium.

Antverpia, de Urbis civiumque laudibus ac moribus.

Orthodoxæ fidei Controverſa Lib. VI.

Meditationum ſacrarum Tomi II. Belgicè & Latinè, Johanne Briſſelio interprete.

Medicus religioſus.

Superior religioſus.

Philoſophus, & Politicus Chriſtianus.

Adoleſcens prodigus.

Inſtitutio Politico-Chriſtiana.

De Divino Amore.

* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini, & ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

CHRISTOPHORUS CRINESIUS.

Obiit A.C. 1629.

EDitus in hanc lucem fuit A. C. 1584. in opp. *Bohem. Schlaccowaldâ.* Parentibus *Chriſtophoro Crineſio*, urbis illius Diacono, & *Annâ Guntherâ.* Jactis in Scholâ patriâ ſtudiorum fundamentis A. 1603. *Jenam* primùm, deindè *Wittenbergam* miſſus fuit, ubi curriculum Philoſophiæ abſolvit adeò feliciter, ut A. 1607. Magiſterii teſtimonio publico ornatus, inter 35. Candidatos nonum locum obtinuerit. Hinc Theologiæ ſe dedidit, & peritiam Linguar. exoticarum, *Hebrææ*, *Chaldææ* ac *Syriacæ* ſibi comparavit.

Fit Magiſter Wittenberg. Philologus.

A. 1613. A Barone *Auſtriaco*, *Wolffgango Sigiſmundo Loſenſtenio*, Conſil. *Cæſ.* legitimè vocatus, munus Concionatoris Aulici in Arce Gſchwend ſexennium obivit: ac intereà A. 1615. virginem *Reginam Dörflingeram* ſibi matrimonio copulavit.

A. 1618. In aliam *ſup. Auſtriæ* Parochiam (nomen loco eſt Grub/) â nobili Viro *Johanne Fenzelio* accerſitus, itidem ſexennium cum Eccleſiæ fructu exegit.

Concionator aulicus.

A. 1624. Cum Religionis incideret mutatio, ſolum vertere juſſus, in *Noricum* advenit, & â Senatu *Norimbergenſi* primùm Extraordinarius, mox etiam Ordinarius Theologiæ in Univerſitate *Altorfinâ* Profeſſor, Eccleſiæque Diaconus eſt conſtitutus.

Theol. Profeſſor Altorfii: & Diaconus Eccleſ.

Tandem Comitiali morbo, benè anteà valens, ſubitò correptus, cui mox apoplexia fortis acceſſit, exſpiravit 28. Aug. A. C. 1629. ætatis 45.

Moritur.

Ingenii Monumenta reliquit:

Scripta.

Grammaticam Syriacam, Præfatione M. Laurentii Fabritii S. Linguæ in Univerſ. Wittenberg. Profeſſoris commendatam.

Lexicon Syriacum, quod primus in Germaniâ edidit.

Lexicon Chaldaicum.

Analyſin Novi Teſtamenti in Tabulis 27.

Diſputationem de Confuſione Linguarum.

* *Ex Programm. fun. Mich. Virdungi, Hiſtor. Prof.*

Edidit etiam:

Gymnaſium Syriacum, hoc eſt, *Linguæ JESU CHRISTI vernaculæ perfectam Inſtitutionem, ex Novo Teſtamento Syro, & aliis rerum Syriacarum Scriptoribus collectam, & novis characteribus adornatam.*

Lexicon Syriacum è novo Teſtamento Syro, & rituali Patriarchæ quondam Alexandrini collectum, tribusque linguis Cardinalibus expoſitum.

Exercitationes Hebraicas.

Epiſtolam S. Pauli ad Romanos Linguâ Syriacâ ex Teſtamento Syriaco Viennenſi deſumptam.

Gymnaſmata Theologica V.

Concordantias Hebraicas.

Linguam Samaritanam.

Babel, ſive Diſcurſum de Confuſione Linguarum.

ANGE-

Digitized by Google

ObiitA.C. 1629.

ANGELUS GRILLUS.

Monachus S. Bened. devotus

PAtritius *Genuenſis*, & Monachus *Caſſinenſis S. Benedicti*, lumen fuit clariſſimum Congregationis ſuæ, cujus in diverſis locis Abbas extitit. Poëta etiam excellens omne tempus in monaſterio ſuo precibus reſiduum Poëmatibus ſacris componendis impendit. Epiſcopatûs *Alerienſem* in *Corſicâ*, & *Albengenſem* â Cardinale *Pinello* ſibi Summi Pontificis conſenſu delatum utrumque recuſavit, oneribus hujusmodi vitam Monaſticam & quietam præferens.

Epiſcopatum recuſavit.

Ultimis vitæ ſuæ annis contemplationi Paſſionis tantùm JESU CHRISTI, aliisque rebus Divinis intentus, vitam beatâ morte clauſit *Parmæ* M. Septembri A. C. 1629. Sepultus in Templo Monaſterii *S. Johannis*, cujus Abbas fuerat.

Mort. Parmæ Abbas.

Edidit:

Scripta.

I Pietoſi affetti, un Capitolo al Crucifiſſo nel Venerdi Santo.

Due Volumi di lettere.

Poemi, Canzoni, & Sonetti.

* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

ObiitA.C. 1629.

JOHANNES WOLLEBIUS.

NAtus eſt *Baſileæ* die *S. Johannis* A. C. 1586.

Paſtor Eccleſ.

A. 1611. In Patriâ Paſtor Eccleſiæ ad *S. Eliſabetham* factus, brevi pòſt uxorem duxit *Catharinam Falckeſiam*, ex quâ 12. liberos ſuſcepit, cum eâque ſex reliquit ſuperſtites. A. 1618. Templi Cathedralis Paſtor primarius, & S. Theol. Doctor creatus eſt. A. 1619. S. Theol. Profeſſor declaratus, Vetus Teſtamentum publicè explicuit.

Theol. Profeſſor.

Poſtquàm Academiæ Rectoratum bis, Decanatum verò aliquoties cum laude geſſiſſet, peſte tandem correptus morte beatâ vitam clauſit 22. Nov. A. C. 1629. ætatis 44.

Mor. peſte.

* *Ex Concione fun.*

Edidit:

Scripta.

Faſciculum Concionum Miſcellanearum.

Compendium Theologiæ Chriſtianæ.

ObiitA.C. 1629.

ANDREAS AMBERGERUS.

NAtus A.C. 1568. Patrem habuit *Leonhardum*, civem & agricolam in ſuburbio *Wittenbergenſi* cum conjuge *Annâ*, *Magni Baueri*, Judicis *Diſenſium* filiâ degentem. Studiorum fundamenta in Scholâ Oppidanâ jecit tanto cum fructu, ut tertio anno, poſtquàm alumnus ejus eſſe deſierat, Laureâ Magiſterii Philoſophicâ inter 33. Competitores ipſe ſeptimus ordine inſigniretur A.C. 1589.

Philoſ. Magiſter Witt.

Poſt hæc ſtudio Theologico ſe totum dedit, & non domi tantùm in libris aſſiduus, ſed foris quoque in auſcultandis Lectionibus & Diſputationibus publicis frequentisſimus fuit: cum interim concionando quoque, ſi daretur occaſio, ſe exerceret. His dum diſtineretur ſtudiis, accidit, ut A. 1591. nec Antiſtitem haberet Eccleſia, (nam qui functus iis partibus erat, detinebatur in carcere,) & Diaconi plerique, quod non ſatis orthodoxi viderentur, dimittendi eſſent. Senatus igitur oppidanus cum *Ambergero* hoc egit, ut donec univerſa res Eccleſiaſtica conſtitui rectiùs poſſet, ipſe interim concionando ad populum Diaconi vices præſtaret.

Diaconus Vicarius Witt.

Has partes magno in ſe ſuſcepit animo, & primam Concionem 11. Dec. ejus anni habuit: quâ cum mirum in modum ſatisfeciſſet auditoribus, id reſtabat, ut in Eccleſiâ pro more ritè ordinaretur. Sed cum hîc magnas turbas darent adverſarii, ne majori periculo objiceretur Reſp. conconſultius viſum, *Lipſiam* mitteretur, ut ibi manu Epiſcopi impoſitâ legitimam poteſtatem ſacra adminiſtrandi conſequeretur.

Ordinatus Lipſiæ.

Indè reverſus, cum paulò pòſt quos ex *Jenenſi* Academiâ ad obeundum Miniſterium Verbi accerſerat Senatus veniſſent, de loco cum quoquam contendere â ſe alienum exiſtimavit, facilè paſſus, ut ultimus ſibi aſſignaretur. Sed non docendo modò ac explicando privatim præcipua fidei capita, ſed diſſerendo etiam ac diſputando cum fructu eorum, qui ſe ſub ipſo in illo ſtudiorum genere exercere voluiſſent, ſtudiis illis conſulebant.

Quò factum, ut tertio pòſt anno ex ultimo in ſecundum locum eveheretur, quem usque in A. 1620. tenuit: tunc enim M. *Henr. Silbermanno* mortuo in Archidiaconatu ſucceſſit.

Archidiaconus Witt.

Conjugem habuit *Catharinam*, *Lucæ Frommichii* filiam, quam A. 1594. duxerat, ex quâ ſuſcepit & reliquit *Lucam*, *Leonhardum*, *Jacobum*, *Johannem*, *Catharinam*, & *Suſannam*.

A. 1626. Tertiâ feriâ Pentecoſtes, inter quæ adminiſtranda habebat ſacra, paroxyſmo apoplectico correptus fuit, qui reſolutis membris propè omnibus ad obeunda vitæ munia ita reddidit inutilem, ut perpetuò ipſi in lecto decumbendum eſſet. Ingruente tandem apoplexiâ forti animo plenusque ſpei, quam prædicaverat, mortem excepit 20. Dec. A. C. 1629. æt. 61.

Moritur.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Witteb.*

Clar. A.C. 1630.

HUBERTUS STURMIUS.

HUnc *Eiflia* protulit, quanquàm tempus, quo aut natus aut denatus eſt, ignoretur. Ad Theologiæ ſtudium cum applicuiſſet animum, *Heidelbergam* ſe recepit, ubi Præceptores habuit *Hieronymum Zanchium*, *Zachar. Urſinum*, *Petrum*

Theol. ſtud. Heidelbergæ.

Boqui-

Boquinum, & *Emanuelem Tremellium*. Cum famam eruditionis aliquam comparâſſet, ad Profeſſionem ejusdem in Academiam *Lugduno-Batavam* evocatus, eo munere aliquandiu cum honore eſt perfunctus. Hinc cum in *Palatinatum* iterum ſe contuliſſet, ut ingenii, quod ibidem adoleſcens excoluerat, fructûs redderet, tandem illic diem obiit. — *Theologiæ Profeſſor Leyd.* — *Moritur.*

Edidit:

Diatriben de æternâ Prædeſtinatione. — *Scriptum.*

* *Ex Vitis Profeſſor. Leyd.*

JOHANNES WIDERUS.

Obiit A.C. 1630.

VOelcklabrucci in *Auſtriâ ſup.* natus A. 1583. Patrem habuit *Andream Widerum*, in patriâ Senatorem & Judicem: Matrem *Margaretam*, *Benedicti Döbneri*, Jur. Doctoris *Kittingenſis*, filiam.

Jenæ & *Wittenbergæ* Jurium ſtudiis primùm, deindè Theologiæ operam dedit, Poëta quoque, Philologus, & Hiſtoricus inſignis exiſtens. In patriam redux, apud Baronem *Hildebrandum Jörgerum* Præceptoris officio functus eſt.

A. 1607. Deſponſatus cum virgine *Magdalenâ Schnabliâ*, *Lintzii* Advocati locum adeptus eſt. In ſecundo conjugio cum virg. *Mariâ Botzheimeriâ* vixit, quam viduam reliquit.

A. 1607. Rector Scholæ *Grieskirchenſis*, poſteà *Steinkirchæ* Paſtor Eccleſiæ factus eſt, A. 1620. indè militum furore depulſus & ſpoliatus *Cellam* in *Mablandiâ* venit, ibique Eccleſiaſtæ munere functus eſt usque ad A. 1624. quo propter Reformationem generalem in *Auſtriâ ſup.* ſuſceptam in exilium migrare coactus, *Ratisbonam* conceſſit.

A. 1625. A Senatu *Norimb.* ad Diaconatum, & A. 1628. ad Paſtoratum in æde *D. Mariæ* legitimè vocatus eſt, quam vocationem hoc diſticho expreſſit: — *Concionator ad S. Mariam Norimbergæ.*

Natalis Patriæ mihi præſtitit Auſtria quondam,
Fatalis Patriæ nunc Noriberga vicem.

Cum per decennium arthritide ſæpiùs affligeretur, eâ tandem cervicem occupante ſpiritum emiſit *Norimbergæ*, 30. Maji A. ætatis 47. CHRISTI 1630. — *Moritur.*

AVgVſtana ConfeſſIo In NorIbergâ ſIt & DVret In æVVM.

Cum filiâ ſeptem reliquit filios ſuperſtites:

1. *Georgium Andream*, Patrem ſecutum 2. Aug. ſeq.

2. *Johannem Chriſtophorum*, Gymnaſii Poëtici Rectorem *Ratisbonæ*.

3. *Johannem Ludovicum*, *Noribergæ* in Eccleſiâ *S. Jacobi* Diaconum.

4. *Johannem Jacobum*, ibidem Scholæ *ad Spiritum Sanctum* Rectorem.

5. *Zachariam*, Eccleſiæ *Weiſenburgenſis* Diaconum.

6. *Theodoſium*, Superintendentem *Sultzbacenſem*.

7. *Johannem Septimium.*

* *Ex Concione funebri M. Cornelii Marci, Diaconi ad S. Mariam.*

Tribus ante obitum diebus inter dolores acerbiſſimos hoc Epigramma fecit, quo liberos ſuos DEO commendavit:

CHRISTE, tibi ſoli mea pignora viva relinquo,
Quorum poſt mortem Tu Pater eſto meam.
Fac ut ſuccreſcant veræ pietatis in uſum,
Et teneant verbo pectora fida tuo.
Qui cunctis vitæ miſerum me jugiter annis
Paviſti, largam dans mihi ſemper opem:
Tu quoque paſce meos, defende, tuere, doceque,
Et tandem ad cœli gaudia transfer, Amen.

In mortis agone conſtitutum cum filiolus natu minimus *Joh. Septimius* rogaret, ut ſibi dictum memorabile relinqueret, voce debili reſpondit:

Mein Vatter/und mein HErre GOtt/
Der mir beyſteht in aller Noth.

Filio verò natu maximo *Georgio Andreæ* hoc diſtichon ſubindè memoriâ revolvendum reliquit:

Mi fili, Fili filumque ſtylumque ſupremi
Diſce, nec à Verbo cede, George, DEI.

Georg. Theodoricus Hofmannus, Theol. exul & Poëta inſignis, hoc eum honoravit Anagrammate:

M. JOHANNES WIDTERUS.

Tu ruens animo dives.

JOHANNES WIDTERUS.

Tu ruens in DEO aves.

JORDANUS MOSCATELLUS.

Obiit A.C. 1631.

VIcentiæ natus eſt A. C. 1592. *D. Hieronymi* Societatem ingreſſus, Philoſ. & Theolog. ſtudiis incubuit. Lectoris & Concionatoris munere laudabilis, *Philippum Fabrum Faventinum* Præceptorem ſuum adverſùs *Marialem D. Dominici* Theologum duobus Libellis defendit, quibus ita famam ſibi adauxit, ut Cardinalis *Bevilaqua* eum ſibi Theologum nominârit. Cum jam ad altiora ſibi parâſſet aditum, febre lentâ correptus in patriâ, peſte *Lombardiam* pervagante, catarrho accedente, interiit A. C. 1631. ætatis ſuæ 39. — *Monachus Hieronymit. Concionator.* — *Mor.*

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Ingenii monumenta reliquit:

Controverſiarum pro defenſione Philippi Fabri, adverſùs Patrem Xantem Marialem Part. II. — *Scripta.*

De Potentiâ neutrâ adverſùs eundem.

CAMILLUS PANCETTA.

Obiit A.C. 1631.

SErravalli Venetorum natus eſt *Franciſco*, J.C. patre, matre *Æmiliâ Plazzoniâ*, A.C. 1568.

Doctor Philoſ. Theol. & Juriſprud. Patavii literis incumbens, Philoſophiæ, Theologiæ, & Juriſprudentiæ Lauream cum laude reportavit. Varia Carmina *Hetruſca* & *Latina* cecinit, varias etiam Orationes in Academiis habuit, præſertim in Cœtu *Ricovratorum*, qui tunc florebat.

Canonicus Patavinus. Ad patriam redux Deoque dicatus, Canonicus *Cenetenſis* poſtmodùm electus eſt. *Romam* hinc profectus, Canonicatum *Patavinum* S. P. *Pauli V.* beneficentiâ obtinuit. *Profeſſor Juris Canonici.* Ibidem Juris Canonici Profeſſionem amplo honorario ſuſtinuit. Vicarii generalis pariter titulo â Cardinale *Valerio* cohoneſtatus, totam Epiſcopatûs molem ſuſtinuit.

Moritur. In patriâ tandem vitam clauſit A.C.1631. ætatis 63.

Nepotem habuit ex fratre *Antonium Pancettam*, Medicum *Venetum*, & alium *Sertorium Pancettam*, J.C. & Judicii Aſſeſſorem *Patavii*.

Edidit:

Scripta. *Poëma Heroico, Venetia liberata.*
Del bever freſco.

* *Ex Elogiis Viror. doct. Jac. Phil. Tomaſini.*

Conditus eſt honorifico tumulo in æde *S. Andreæ Serravalli*, unà cum *Antonio* ex fratre nepote, Medico clariſſimo in urbe *Venetâ*, cum hoc Epitaphio:

Epitaphium.

HOSPES SISTE AC PERLEGE.
CAMILLUS PANCETTA E VENETIIS,
PATAVII IN CATHEDRALI ECCLESIA CANONICUS,
ET IN GYMNASIO JURIS PONTIFICII AD VESPERAS INTERPRES PRIMARIUS,
ANTONIUSQUE EX FRATRE NEPOS MEDICUS CLARISSIMUS,
HOCCE CONDUNTUR TUMULO.
ILLE JURISPERITIA ALIARUMQUE SCIENTIARUM GLORIA CONSPICUUS, ECCLESIÆ, OPTIMO EXEMPLO, PRINCIPI, EXIMIA VIRTUTE INSERVIVIT.
IN JURE DICUNDO PRÆSTANTIAM ROMÆ QUOQUE MAGNI VIRI MAGNIS IN NEGOTIIS SÆPIUS SUNT EXPERTI.
DEVOTO ERGA VENETAM REMP. AFFECTU IMPULSUS
VENETIARUM LIBERTATEM HEROICO CECINIT CARMINE.
ALTER PRÆCLARO PATRUI DUCTU PHILOSOPHIA AC MEDICINA FELICITER EXCULTUS,
DUM VENETIIS NULLI MEDICORUM SECUNDUS MORTALIBUS EGREGIE OPITULATUR,
PARCARUM INVIDIA ORBI ADEMPTUS EST.
FRANCISCUS CAN. CENET. THEOL. ET J. U. DOCTOR, FRATRIS ATQUE NEPOTIS CELEBRI MEMORIÆ, DOMUSQUE INCREMENTO ADDICTISS. UT POSTEROS AD DOMEST. VIRT. ÆMULAT. INCITARET, NON SINE LACRYMIS MON. PONI JUSSIT.

CASPAR FINCKIUS.

Obiit A.C. 1631. IN lucem hanc editus eſt *Gieſſæ Haſſorum* oppido 19. Octob. A. C. 1578, Parentibus *Balthaſare Finckio*, lanifico, & Præfecto Fiſci Eccleſiaſtici, & *Annâ* matre, tenuioris quidem fortunæ, ſed honeſtis ultra 50. annos conjugibus. *Parentes ejus ultra 50. annos conjuges.*

Cantando victum acquirit. Horum & Præceptorum operâ in patriâ per aliquot annos ſalutari pietatis lacte nutritus & rudimentis literarum informatus, cum pauper eſſet, cantando per urbem panem acquirere coactus eſt, quo tempore Rector Scholæ patriæ ſenex ſæpè caput ejus manu tangens dixit: Diß Bübgen wird vor andern ein Mann werden!

Marpurgi Præceptor privatus. A. ætatis 10. *Marpurgum Haſſorum* Academiam, (*Gieſſenæ* enim Athenæ nondum fuerant apertæ,) acceſſit, & aliquandiu in ædibus *Hermanni Kircheri*, JCti celebris, Pædagogicam præſtitit operam.

A. 1598. Ibidem Baccalaureatûs, quem vocant, Gradum, & anno ſeq. ſupremos in Facult. Philoſ. honores, Magiſtrales nimirum, cum applauſu publico adeptus eſt. *Magiſter. Philoſ.*

Ab eo tempore per 15. annorum decurſum in arenâ partim Philoſophicâ, partim Theologicâ, diſcendo, docendo, diſputando ſe exercuit. Nam primùm â Senatu *Gieſſenſi* ſtipendio minore, ut vocant, adjutus, deindè clementiâ Illuſtriſſ. Principis *Ludovici* Senioris *Haſſiæ Landgravii* in numerum ſtipendiariorum Majorum receptus, ſtipendiarios Minores aliosque in diſciplinis Philoſ. informavit. *Stipendiarius.*

Corrector Typographicus. Pòſt A. 1602. Correctoris ac Pædagogiæ officio â Typographo Academico *Paulo Egnolpho* præpoſitus eſt, quod ita benedicente DEO ornavit, ut cum ille generum ſibi eligere non dubitaret, datâ in fidem conjugalem filiâ, cum quâ nuptias auſpicatus A. 1604. matrimonium illud ad 28. annum produxit, pater effectus 7. filiorum & unius filiæ, è quibus filiam & 5. filios partim *Marpurgi*, partim *Gieſſæ* in cœlum præmiſit, & filius *Gotfridus* paucis antè Patrem annis in Univerſitate *Lipſienſi* obiit. Superſtites verò manſêre filii M. *Joſeph Balthaſar*, Theol. Stud. & *Joh. Conradus*, Med. Stud. *Deſponſatus.*

Philologus eximius. *Marpurgi* verò diligens in ſtudiis, apiculæ inſtar, per variorum autorum, Grammaticorum, Philologorum, Hiſtoricorum, Oratorum, & Poëtarum libros veluti per hortos fragrantes quotidiè volitans, nectar humanitatis literatæ ſuaviſſ. indefeſſò ſtudio collegit, inſuper in campis Logicorum, Phyſicorum, Metaphyſicorum, Mathematicorum, Ethicorum & Politicorum ſine intermiſſione verſatus, flores amœniſſimos ingenii calatho recondidit. Indè factum, ut pretioſiſſimum cognitionis Linguarum, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, eruditionis Philologicæ, politioris literaturæ, variæ lectionis, Philoſophiæ deniquè Theſaurum progreſſu temporis haberet repoſitum.

Quid

Digitized by Google

Gieſſæ Profeſſor Philoſ. & primus Decanus. Quid ergò mirum, ſi ſub initium Gymnaſii *Gieſſenſis* ipſi Logices, Phyſices, Metaphyſices, & Rhethorices Profeſsio, officium inſuper Præſidis in omnibus Diſputationibus Philoſophicis, unà cum primo Decanatu commendatum fuit? Quid mirùm, ſi poſteà, cum A. 1607. impetratis S. Cæſ. Majeſtatis Privilegiis, Academia *Gieſſenſis* conſtituta eſſet, ipſe Logices & Metaphyſices Profeſſor, ac omnium Diſput. Philoſ. Præſes conſtitutus fuit?

Theologiæ Profeſſor, & Eccleſiaſtes. A. 1609. Suffectus eſt in locum *D. Jeremiæ Victoris*, Theol. Profeſſoris & Eccleſiaſtæ, cum à compluribus Eccleſiis priùs ad Officia Eccleſiaſtica invitatus fuiſſet, *Hamburgum, Lubecam, Stadhagam, Oldenburgum, Hildesheimium, Fridbergam* in *Wetteraviâ*, *Francofurtum* ad *Mœnum*, & *Spiram*, famâ donorum tanto viro Divinitùs conceſſorum invitatis.

Theol. Doctor Gieſſæ. A. 1612. Jubente & ſumtùs clementer erogante Celſiſsimo Principe *Ludovico* juniore, *Haſſiæ Landgravio*, S. Theol. Doctor *Gieſſæ* renuntiatus eſt, unà cum Competitoribus *D. Johanne Webero*, poſteà Superintendente *Orteruſſenſi*, & *D. Chriſtoph. Helvico*, Profeſſ. *Gieſſenſi*, ipſe primo loco. *Frater ejus Theol.* Fratrem habuit *Joh. Melchiorem Finckium*, Eccleſiæ Paſtorem primarium *Regiomontii Haſſorum*.

Superintendens Generalis Coburgi. A. 1616. Curâ Principis Illuſtr. *Joh. Caſimiri*, Ducis *Saxoniæ* &c. *Coburgi* Paſtor, Superintend. generalis, Aſſeſſor Conſiſtorii, Scholarcha, & Profeſſor conſtitutus, arduis his non minùs quàm honorificis muneribus ad finem uſque vitæ curas & operas indefeſſas impendit.

Morbi ejus. Cum autem eſſet non tantùm Vir variæ lectionis, ſolidæque rerum cognitionis, ſed etiam Theologus in ſcribendo laborioſus & indefeſſus, in docendo diſputandoque accuratus & acutus, in concionando gravis & nervoſus, in conſulendo prudens & felix, in omnibus ingenii expediti; Viator tamen fuit, qui in veram patriam, jure mortalitatis eſſet emigraturus: quod docuerunt cum mortis anteambulones febres, cum quibus ei multùm diuque fuit colluctandum.

Sed initium anni 1631. ad finem vitæ viam ſtravit, dum febre cum pleuritide, febre etiam hecticâ & chronicâ vires exercente ſuas ſenſim ita conſumtus eſt, ut ſceleto ſimilis redderetur. Poſtquàm igitur Confeſsionem fidei ſuæ voce expeditâ edidiſſet, Principibus ſuis pro beneficiis multiplicibus gratias egiſſet, Dominis Collegis, uxori, filiis, non ſine adjunctis admonitionibus ſalutaribus, de zelo in Religione ſervando, de pace colendâ & aliis valedixiſſet, indè Chriſtianis precatiunculis, qualibus ſanum delectatum fuiſſe conſtitit, ſe ad viam inſtruxiſſet, tandem deficiente loquelâ, & ſenſibus externis vim ſuam non ampliùs exſerentibus, placidè in DOMINO *Mors ejus.* occubuit, ut non mori, ſed obdormiſcere viſus fuerit d. 25. Jun. A. C. 1631. æt. 53.

Certè Conſtantes AVgVſtæ ConfeſſIonIs DoCtores æternæ VItæ beneDICtIonIbVs CoronantVr.

CASPAR FINCKIUS, Doctor,

Per Anagramma:

Fucos cantu carpis rodis.

* *Ex Parentatione D. Andr. Keſleri, Superintend. Eisfeld. & ex Concione fun. Sebaldi Krugii, Superint. Heltburg.*

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

In *Philoſophiâ*:

Scripta.

Grammatica Latina ejuſque Compendium.
Tractatio Sphærica.
Theſaurus Logicus de Syllogiſmo.
Exercitationes Metaphyſicæ.
Exercitationes Academicæ.
Poëmata varia.
Schediaſmatum partes tres, in 8vo.
Apologia Schediaſmat. contra Gutberletum.
Hyperaſpiſtes pro abſtergendis calumniis Neomarpurgenſium.
Jocularis Apologia pro bono nomine contra Jonam Melideum.
Poëtica Latina.
Oratio Panegyrica in Baccalaureorum itemque in Magiſtrorum promotione.
Diſputationes de Analogiâ, contra Goclenium.
Prodromus modeſtæ Reſponſionis contra Goclenium.

In *Theologiâ*:

Diſputatio de Nomine JESU.
Diſputationes Catecheticæ in Decalogum & Symbolum Apoſtolicum.
Diſputationes Anti-Gocleniane, in 8vo.
De Cantico Simeonis, vel Cygnea Simeonis Cantio locis communibus illuſtrata, in 4to.
Clavis Theologiæ, & univerſæ Scripturæ ſacræ, hoc eſt, *de Ratione ſcrutandi, legendi, & intelligendi S. Scripturam.* in 4to.
Synopſis Locorum Theologicor. in 8vo.
De Canonibus aliquot S. Scripturæ.
Canonum Theologicor. naturam S. Scripturæ enucleantium Centuriæ IV.
Explicatio Pſalmorum.
Meditationes in Paſſionem CHRISTI.
Tractatus de Baptiſmo.
Tract. de Cœnâ DOMINI.
Tract. de Monachis, in 8vo.
Ars benè orandi, in 4to.
Oratio Inauguralis, de Quæſtione: An Lutherus unquàm ad partes Cinglianorum deceſſerit?
De diebus Feſtis & Feriatis, qui in Eccleſiis Auguſtanæ Confeſſionis celebrantur, Libri II.
Compendium Theologiæ ſuper Auguſtanam Confeſſionem.
Syllog. Quæſtionum illuſtrium Theolog. maximè Practicar. Sectiones III.

Digitized by Google

Linguâ *Germanicâ* ab eo editi ſunt
Libri ſequentes:

Catechiſmus Lutheri.

Luterus redivivus: das iſt / Widerlegung aller Argumenten / ſo die Calviniſten aus dem *Luthero* vom H. Abendmal einführen.

Vade mecum, Geiſtliches Haus- und Reiß-Büchlein. in 12mo.

Libellus Cantionum.

Leichpredigten 2. Theil.

Kirchen-und Schul Poſtill/in 4. Theilen. in 4to.

Feſt-Poſtill.

Spruch-Poſtill/ in 3. Theilen. in 4to.

Centuriæ Legendorum Papiſticorum, das iſt/ hundert Päbſtlicher Unwarheiten/ aus ihren eigenen Büchern zuſamm gezogen und widerleget.

Mendacia Judaica refutata.

Regulæ vitæ Chriſtianæ.

Tag- und Stündliche Ubung der Gottſeeligkeit / durch allerhand kurtze Stoß- und Schoß-Gebetlein. in 12mo.

Explicatio Orationis Dominicæ.

Ars benè vivendi & moriendi.

Leyd und Freud der glaubigen Chriſten.

Bericht von dem Jüngſten Tag / Jüngſten Gericht / ewigen Leben / und der Höllen. in 4to.

Predigten vom H. Abendmal.
von der Tauff.

Pugna Jacobi.

Geheimnüs der perſönlichen Vereinigung.

BENEDICTUS BOVIUS.

Obiit A.C. 1631.

NAtione *Feltrenſis*, Vir profundæ & vaſtæ memoriæ ad admirationem usque. Juvenis Concionibus ſacris & privatis Lectionibus deditus, poſtquàm Ordinis *S. Dominici* Monachis ſeſe aſſociâſſet, ita inclaruit, ut Regentis, quod vocant, munere *Patavii* ornatus, & â Cathedrâ Gymnaſii Metaphyſicâ ad Theologicam progreſſus, mira ediderit doctrinæ ſpecimina.

Monachus S. Dominici. *Theol. Profeſſor Patav.*

Orator inſignis maximorum Virorum funera honeſtavit.

Magiſter.

Sæviente tandem peſte *Venetiis* occubuit 12. Dec. A.C. 1631. ætatis 50.

* *Ex Elogiis Viror. doct. Jac. Phil. Tomaſini.*

VALENTINUS PREIBISIUS.

Obiit A.C. 1632.

NAtus eſt *Boleslaviæ* in *Sileſiâ* 14. Febr. A. 1588. Patrem habuit *Davidem Preibiſium*, Senatorem ſuæ Civitatis & Prætorem: Matrem *Annam Henniſcheliam.*

Cum literarum tyrocinia in Scholâ patriâ poſuiſſet, *Uratislaviam* miſſus, ibi *Franciſci Langeri*, J. U. D. filiis Pædagogus datus eſt. Et cum egregios in omni literaturâ humaniore ſub ductu M. *Joh. Hæckelhoſii*, Ludimoderatoris, feciſſet profectûs, 20. ætatis anno *Francofurtum* profectus, Academiæ illi Civem dedit. Ibi A.1612. Magiſterii Laureâ decoratus, anno ſeq. ad capeſſendum Rectoratum Scholæ *Megalo-Glogovienſis* vocatus eſt, eumque ſuſcepit.

Magiſter creatur Francof.

A.1620. Cum Paſtor ejus Eccleſiæ M. *Chriſtophorus Quartus* obiiſſet, ei ſubſtitutus usque ad A. 1627. munus ſuum fideliter adminiſtravit. Nam cum eo tempore tyrannis Pontificia invaleſceret, ipſe quoque cum aliis in carcerem compactus, & poſt pecuniæ mulctam non exiguam in exilium actus eſt. Ex quo reductus tandem eſt ab Electoris *Brand.* copiarum Præfecto Generali *Joh. Georgio ab Arnimb*, qui eum ſibi â Concionibus eſſe voluit. Hunc ſecutus in *Bohemiâ* cumprimis ita ſe geſſit, ut preſſa in illis locis Eccleſia magnum caperet ſolatium.

Paſtor Eccleſ. Glogov. *Concionator militaris.*

M. Sept. A. 1631. ab Electore *Brand.* ad ſuſcipiendam Præpoſituram Eccleſiæ *Berolinenſis* invitatus, promptè aſſenſit. Sed cum auditus eſſet â populo probandi causâ, eo ipſo die 1. Jan. A. 1632. febri vehementi correptus eſt: cui curandæ cum ſe vix comparâſſet, nuntius triſtis de obitu Conjugis ejus *Eliſabethæ, Davidis Knoblochii*, Scholæ *Glogovienſis* per 40. annos Rectoris, filiæ, advolavit *Wittenbergâ*, quam ante annos 19. duxerat, ex eâque 5. filios & filiam reliquerat. *Wittenbergam* itaque properans, iterùm ibi lethaliter ægrotavit, & uxorem ſecutus placidè exſpiravit 19. Jan. A.C. 1632. ætatis 44.

Præpoſitus Berolinenſis. *Mor. cum uxore.*

* *Ex Concione fun. D. Pauli Röberi, Theol. Prof. Witt.*

JACOBUS RENNERUS.

Obiit A.C. 1632.

MUndum ingreſſus 12. Sept. A.C. 1596. Patrem habuit M. *Leonhart. Rennerum*, Eccleſiæ *Schmalfeldenſis* Paſtorem, & Capituli *Creilsheimenſis* Seniorem, matrem *Barbaram Gräteriam*, *Hallâ Suevorum* oriundam.

Cum puer in Scholâ *Rotenburgenſi* aliquot annos exegiſſet, Teſtimonio M. *Eliæ Ebingeri*, Rectoris, inſtructus, in Academiam *Altorfinam* venit, in quâ A. 1614. Baccalaureus, & A. 1616. Phil. Magiſter creatus eſt.

Phil. Magiſter Altorfii.

Exindè *Tubingam* profectus, Theologiæ operam dedit. A. 1618. vindemiæ tempore domum, ut Parentem viſitaret, reverſus, & ad ſtudia ſubſidium â Conſiſtorio *Onolsbacenſi* per Epiſtolam ſupplicem efflagitans, mox Diaconus *Suabaci*, & Vicarius unà *Cammerſteinenſis* declaratus eſt, & A. 1623. Poſt obitum Dn. *Georgii Renneri*, Decani & Concionatoris *Svabacenſis* â Conſiſtorio *Onoldino* ſuffectus eidem.

Diaconus Suabaci. *Decanus & Concionator.*

1. Junii A. 1619. Sponſalia celebravit *Suabaci* cum virgine *Barbarâ Mariâ*, Dom. *Laurentii*

Uxorem ducit.

Digitized by Google

rentii Lælii, Concionatoris *Onolsbacenſis*, & Conſiſtorii ibidem Aſſeſſoris primarii filiâ, quæ nullâ prole vivâ relictâ A. 1630. vitam finiit. 3. Maji A. 1631. ad ſecunda vota tranſiit conjugio junctus virgini *Helenæ Margarethæ*, Rever. Viri Dn. *Johannis Meelfüreri*, Abbatis *Heilbronn.* filiæ.

Alteram duxit.

Noribergæ tandem in exilio degens, viribus collapſis, octavo pôſt die, præſente ſocero & ſocru, placidè exſpiravit 5. Oct. A.C. 1632. æt. 36. Sepultus 9. Oct. ſeq. ad *S. Rochum.*

Moritur.

* *Ex Concione fun. M. Cornelii Marci, Concionat. ad S. Mar. Norimb.*

Obiit A.C. 1632.

MATTHÆUS HEFFNERUS.

B*ayreuthi, Marchionum Brandeburg.* ſede vitam auſpicatus 25. Dec. A. 1568. patrem habuit *Vitum Heffnerum, Culmbacenſem*, aurifabrum, & poſteà Senatorem *Byruthinum*, matrem *Annam*, ex antiquâ *Ottendorferorum* familiâ, in oppido *Cronaco* oriundam.

In Scholâ patriâ ſub diſciplinâ Rectoris *Matthæi Hofmanni* & M. *Adami Schrammii*, tertii Collegæ, in linguâ Latinâ & Diſciplinis inſtrumentalibus egregia fundamenta poſuit. A. 1584. æt. 15. in Gymnaſium *Curienſe* ſtipendio Ducali inſtructus diſceſſit, in quo ſexennio ſtudiis deditus, aliquoties Græcè & Latinè peroravit, eique cum applauſu Auditorii in metro Græco valedixit, cum indè *Jenenſem* Academiam A. 1590. acceſſiſſet. In hâc Academiâ Theologos celebres, *D. Ambroſium Rendenium, Georg. Mylium, Samuelem Fiſcherum*, & *Nicolaum Reuſnerum*, JC. ac Philologum, alioſque publicè & privatim docentes ſedulus audivit. Ibidem 14. Julii A. 1593. ſub M. *Mich. Hopfio, Rotenburgo Tuberano*, de Loco Phyſico publicè diſputavit.

Græcè peroravit in Gymnaſio Curienſi.

Jenæ Diſp. Phyſicam habuit.

Paulò pôſt â Conſiſtorio Ducali *Brandeburgico Culmbaci*, præter omnem ſpem Scholæ patriæ *Byruthi* Præceptor tertius denominatus, mox eò profectus, munus ſibi datum, alacriter aggreſſus eſt. Anno ſeq. 1594. hortatu veteris amici ſui & conterranei *Frid. Taubmanni*, Poëtæ & Profeſſoris publ. *Wittebergenſis*, eò ſe contulit, & 19. Martii ſub Decanatu M. *Petri Ottonis*, Matheſ. Profeſſoris publ. Magiſterii Gradum ſuſcepit, poſtquàm ei 13. locus inter 64. Competitores fuiſſet aſſignatus.

Præceptor in Scholâ Byruthinâ.

Magiſter Wittenbergæ.

Domum reverſus, brevi pôſt ſponſalia celebravit cum virgine *Mariâ*, Dom. *Floriani Hedleri* per 32. annos Quæſtoris *Bayreuthenſis* filiâ, cum quâ 13. annos feliciter exegit, ex eâque 6. filios & 4. filias ſuſcepit. Filii omnes infantes obierunt, præter natu majorem *Wolfgangum Matthæum*, qui variis in Academiis Studioſus, & poſt ſeptennii peregrinationem *Stockholmii* in Aulâ Regis *Sveciæ* triennio Miniſter *Culmbaci* ſummo cum Patris dolore A. 1629. mortuus eſt. Filiæ verò omnes honeſtè elocatæ fuerunt, & quidem *Cunigunda Maria, D. Johanni Stumpfio*, Superintend. *Byruthino, Anna Maria, Georgio Friderico Guttbätero* in *Bärwitſch, Barbara Lucretia, D. Johanni Krebſio*, JC. Equitum *Franciæ Orient.* Advocato, tandemque Vice-Cancellario *Culmbacenſi*, & *Aurelia*, M. *Johanni Snoilſkio*, Concionatori & Profeſſori in Cœnobio *Heilsbronnenſi*, poſtmodùm Concionatori primario in *Friſiâ Orientali Eſenæ*, nupſerunt.

Conjugium ejus, & Liberi.

A. 1597. In patriâ ad munus Diaconi Eccleſiaſtici promotus, cum A. 1602. peſtis ſæviiſſet, & Superintendentem Dom. *Conradum Bauerſchmid* cum duobus Diaconis abripuiſſet, ipſe ſolus per 25. ſeptimanas Eccleſiæ præfuit, & ægrotos inviſit.

Diaconus Byruthi.

A. 1603. Paſtor Eccleſiæ *Droſtenfeldenſis* conſtitutus eſt, & cum eodem tempore per incendium maximum Templum & Schola *Byruthi* cum 137. domibus civium conflagrâſſent, Conſiſtorium *Culmbacenſe Heffnerum* ad Superintendentis munus *Byruth.* vocavit, quod 13. annis fideliter geſſit. Eo tempore ad Templi Scholæque reſtaurationem 1000. florenos elargitus eſt.

Superintendens Byruth.

A. 1605. Conjunx ipſi per mortem abrepta eſt: ideò ad ſecunda vota tranſiit, A. 1609. deſponſatus cum *Annâ, Michaëlis Zickii*, Capitanei *Culmbaci* civilis relictâ viduâ, Dom. *Jacobi Heldii, Zagelheimer* vocati, *Bambergenſis* filiâ, ex quâ duos filios & filiam ſuſcepit, omnes in primâ infantiâ denatos.

Alterum ejus Conjugium.

A. 1617. Superintendens *Culmbacenſis* factus, antequàm eò diſceſſiſſet, conjugem alteram amiſit. A. 1623. Tertiam duxit uxorem *Helenam Roſinam, Friderici Glaſeri*, Præfecti *Byruthini* filiam, cum quâ ad vitæ finem, ſine liberis, conjugium exegit.

Superintendens Culmbacenſis. Tertium Conjugium.

Calculi tandem doloribus & hecticâ conſumptus, & ad ultimum ferè halitum officio ſuo Eccleſiaſtico functus, poſtquàm manè Dominis Collegis adſtantibus horam mortis ſuæ prædixiſſet, horâ noctis undecimâ placidè exſpiravit *Culmbaci* 5. Nov. A.C. 1632. ætatis 64.

Moritur.

* *Ex Concione fun. Caſp. Steinigeri, Archidiaconi Culmbac.*

Obiit A.C. 1632.

JOHANNES STUMPFIUS.

Q*Uintus in ordine Superintendens Baruthinus*, & S. Theologiæ Doctor fuit famigeratiſſimus, qui A.C. 1613. Rector Scholæ *Baruthinæ*, deindè ab A. 1618. uſque ad A. 1625. partim Diaconi, partim Archidiaconi & Camerarii munere cum laude functus, denique Paſtor & Superintendens, nec non Conſiliarius Eccleſiaſticus & illuſtris Conſiſtorii Aſſeſſor primarius evaſit.

Rector Scholæ Baruth. Archidiacon. & Camerar. Conſil. Eccleſiaſt. Conſiſtorii Aſſeſſor.

Præter alias, quas in vitâ ſuâ perpeti debuit, calamitates, A. 1632. unà cum 22. viris aliis à *Marcheſe de Grand* ad maturandam

dam pro redimendâ Urbis *Barutbenſis* conflagratione ſolutionem captivus abductus, tandemque multo ære redemtus, & ad ſuos reverſus, non longè pòſt, die 17. Nov. ejusdem anni calcare viam lethi debuit, vir de Eccleſiâ & Scholâ *Barutbinâ* optimè meritus.

Moritur.

Edidit:

Scripta.

Poſtillam Allegoricam.
Commentar. in Epiſtolam Judæ.

Filium reliquit M. *Job. MatthæumStumpfium*, primùm Scholæ *Barutbinæ* Rectorem, deindè Eccleſiæ ibidem Diaconum, pòſt Archidiaconum, & Capituli Camerarium, ut & illuſtris *Chriſtiano Erneſtini* Collegii Theol. Moral. Profeſſ. Publ. præmaturâ morte 18. Mart. A. C. 1673. abreptum.

* *Ex Orat. de Superintendentibus Barutbinis Ludov. Liebbardi.*

Obiit A. C. 1633.

POLYCARPUS LYSERUS, FIL.

IN lucem hanc editum excepit *Wittenberga* 20. Nov. A. C. 1586. Patrem habuit *Polycarpum Lyſerum*, Elect. Aulæ *Sax.* Concionatorem, & Conſiliar. Eccleſiaſticum: Matrem *Eliſabetbam*, *Lucæ Cranacbii*, Conſulis *Wittenbergenſis* & Pictoris celeberrimi filiam.

Brunſvigæ literis initiatur.

Puer *Brunſvigæ*, ubi poſteà Dominus Parens ejus Superintendentis locum tenebat, nec non *Dresdæ* ſub tyrocinio privato rudimenta pietatis & artium percepit. Poſteà A. 1597. in Ludum *Miſnenſem* miſſus, ſexennium in eo perduravit.

Wittenbergæ ſtudiis operam dat.

Exindè *Wittenbergam* venit A. 1602, quo ipſo Academia ſub Rectoratu illuſtriſſ. *Sax.* Principis *Auguſti* feſtum ſeculare celebravit. Ibi Theologi celeberrimi *D. Ægid. Hunnius*, *D. Georg. Mylius*, *D. Salomo Geſnerus*, *D. David Rungius* & *D. Leonbart. Hutterus* ob fraternam cum parente neceſſitudinem prolixo amore eum ſunt complexi. Commendatus autem fuit privatæ inſtitutioni *Henrici Velſtenii*, poſteà Profeſſoris Ethici, cujus manuductioni multum ſe debere non tantùm agnovit ipſe, ſed etiam duo fratres ejus, *Fridericus*, Eccleſiæ *Eilenbergenſis* Antiſtes, & *Wilbelmus* Theol. Profeſſor *Wittenbergenſis*, & Alumnorum Electoralium Ephorus. Ibidem A. 1605. Magiſter Philoſoph. renuntiatus eſt, quo facto locum inter Magiſtros *Lipſienſes* petiit, & habitâ prius Diſputatione publicâ facilè impetravit. Reverſus *Wittenbergam*, ſtudio Theologico totum ſe dedidit, in quo, Directore *D. Leonbarto Huttero*, felices progreſsûs fecit.

Philoſ. Magiſter.

Tubingæ Theol. ſtudet.

A. 1608. Dom. Patre volente, *Tubingam* ſe contulit, ubi Theologos celeberr. ſibi conciliavit, biennium ibi commoratus. In patriam redux, ad Profeſſionem Theologicam extraordinariam vocatus eſt, quam functionem anno ſeq. 1611. exceperunt inſignia Doctoris cum applauſu Academiæ ipſi collata. A. 1613. Cum *Lipſiæ* per obitum *Johannis Mulmanni*, Theol. Licentiati Profeſſio quarta vacaret, eam legitimè ambiens â Collegio obtinuit, ſed priusquàm id muneris adiret, mortem quoque oppetiit Senior Collegii *D. Burcardus Harbartus*, *Prutenicæ* Nationis Præſes: hinc reliquis duobus Collegis ſuccedaneâ promotione altiùs aſcendentibus, nactus eſt tertiam Profeſſionem, cumque illâ *Cizenſis* Canonici dignitatem, & Ephoriam Alumnor. Electoralium.

Wittenbergæ Theol. Profeſſor extraord.

Theol. Doctor.

Theol. Profeſſor Ord. Lipſiæ.

Porrò A. 1617. è vivis excedente *D. Georgio Weinricbio*, ſecundum locum inter Profeſſores Theologos tenuit, ſimul in *Miſnenſe* Capitulum cooptatus. Eodem anno vocatus eſt Paſtor Eccleſiæ ad *S. Thomam*, idque officium maximo cum auditorum fructu geſſit usque ad A. 1628, quo *D. Vincentius Schmuckius* ad beatos ivit. Ei in arduâ Superintendentis functione, de mandato Sereniſſ. Electoris ſurrogatus, de fervore priſtino nihil remiſit.

Superintend.

A. 1617. Poſt obitum *D. Weinricbii*, in Conſiſtorio Eccleſiaſtico, & A. 1622. ab Eccleſiâ Cathedrali *Miſnenſi* in Seniorem, & tandem etiam in Decanum A. 1631. 13. Oct. electus eſt. *Wurcenſis* etiam Eccleſia, â cujus capitulo ante triennium in Canonicum receptus fuerat, illum ſibi Præpoſitum delegit.

Rectoris Academici provinciam bis A. 1617. & 1625. adminiſtravit, ſemel etiam Pro-Rectorem egit Principi *Januſio Ratzivilio* adjunctus, cum ipſi A. 1629. faſces Academici deferrentur. Decani Theologici munus quinquies eſt executus, ſed ſextâ vice ſuſcepti periodum mors interrupit. Dignitatem Pro-Cancellarii, hoc eſt, facultatem dandi Licentiam, ſeu poteſtatem capeſſendi ſummum in Theologiâ honorem, ſemel ac iterùm â *Martisburgicâ* Gubernatione accepit. Adminiſtrationem trium veterum Academiæ villarum adiit A. 1628, eamque finito anno conceſſit alteri, prout moris eſt antiqui.

Pro-Cancellarius.

Maximè autem Virum ſe præſtitit, in graviſſimis conſultationibus, quarum cauſâ conventûs *Dresdæ* & *Lipſiæ*, mandato Sereniſſ. Electoris, ſunt inſtituti, ut de novis Religionis quibusdam Capitibus, deque Pupillæ Statuum Evangelicor. in Imp. *Rom.* neceſſariâ defenſione, aliisque bonum publicum attinentibus negotiis diſpiceretur.

21. Octob. A. 1625. nuptias celebravit *Lipſiæ* cum virgine *Sabinâ*, *Nicolai Volcmari*, mercatoris honeſti relictâ filiâ. Ex eâ raro exemplo 7. ordine filios ſuſcepit, *Polycarpum*, *Nicolaum*, qui paulò ante parentem obiit, *Lucam*, *Fridericum Wilbelmum*, *Chriſtianum*, *Caſparum*, *Michaëlem*, tandem puellam *Sabinam Eliſabetham*, & poſtremum natu *Johannem*.

Nuptias celebrat.

7. Ordine filiorum Pater.

Candidi ſui erga ſacrum Miniſterium affectûs monumentum poſthumum reliquit, dum Theologicæ Facultati *Lipſienſi* 100. florenos,

renos, Miniſterio *Thomano* 75. flor. & minori Principum Collegio 50. florenos legavit.

Febre tandem malignâ correptus, cui haud dubiè fomentum præbuit gemina Urbis obſidio, & cui gangræna in crure acceſſit, ſeptimâ morbi die inter preces adſtantium animam Creatori ſuo reddidit 15. Januarii A. C. 1633. ætatis 47.

Mor. gangrend cruris.

Edidit:

Scripta.

Diſputationes, de Prædeſtinatione contra Polanum.
in Catechiſmi omnes partes.
in Epiſt. Pauli ad Galatas.

Conciones in Evangelia, & in Libros Samuelis.

Comment. in Auguſtanam Confeſſionem.
in Formulam Concordiæ.
in Locos communes Philippi, pro lectionibus publicis.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Lipſ. & ex Concione funebri D. Johannis Höpneri, Prof. Publ.*

Editi etiam ab eo ſunt ſequentes libri:

Centuria Quæſtionum Theologicarum de Articulis libri Chriſtianæ Concordiæ.

Decades III. Diſputationum Theologicarum.

Harmonia Calvinianorum & Photinianorum in doctrinâ de S. Cœnâ, Orationis auſpicatoriæ loco delineata.

Vindiciæ Lyſerianæ, An Syncretiſmus in rebus fidei cum Calvinianis coli poſſit, & in Politicâ converſatione Pontificii illis præferendi ſint, oppoſitæ calumniis Pareanis.

Drey Jubel-Predigten/ zu Leipzig gehalten.

Diſputationes publicè habitæ: de Pace Eccleſiæ Evangelicæ: de Scripturâ Sacrâ: de Perſonâ CHRISTI: de verâ CHRISTI præſentiâ in Cœnâ: de Regimine Spiritus Sancti: de Æternitate Filii DEI: de Incarnatione CHRISTI: de abſurdâ Theſi Photinianorum, quod CHRISTUS tempore Quadrageſimæ in cœlum aſcenderit, ibidemque Theologiam didicerit: de Sacramenti Euchariſtici re terrenâ & cœleſti: de libero Arbitrio: de Confeſſione Veritatis Evangelicæ: de Coactione ad Religionem: de Fœderibus: de Imaginibus: de causâ ſeceſſûs Lutheranor. ab Eccleſiâ Papali: de abſoluto DEI decreto Calvinianorum pro gradu Doctorali.

Obiit A. C. 1633.

PAULUS TARNOVIUS.

Natus eſt *Grevismolæ*, oppido *Megapolitano* die 29. Junii A. C. 1562, ex patre *Johanne Tarnovio* multos annos Conſule, matre *Magdalenâ Grævià.* Ab his domi ac *Johanne Schrödero*, *Roſtochienſi*, publicè in rudimentis pietatis & literaturæ informatus ita profecit, ut anno ætatis 12. *Lubecam* parentes cum unà cum fratre natu majore *Hermanno* ablegârint.

Lubecæ ſtudia auſpicatus.

Præerant eo tempore Scholæ M. *Joach. Hanſius, Francof. Marchicus* Rector, & *Nicol. Vorſtius*, Conrector, â quibus non modò ut diſcipulus in Lat. & Græc. linguâ dicendique artibus informatus, ſed etiam ut filius paternè amatus fuit usque in A. 1578, quando ſub autumni initium peſtis contagium migrare *Luneburgum* adegit.

Eò profectus M. *Alb. Lonicero*, & Dn. *Lucæ Loſsio*, viris de juventute benè meritis, qui tum Scholam gubernabant, charus fuit. Augebant hunc affectum literæ commendatitiæ Dom. *D. Simonis Pauli* ad veterem ſuum Præceptorem *Loſſium* miſſæ. Sed ſumptuum gravitate preſſus intra annum ad ſuos rediit.

A. 1581. Clariſſimi Dom. *D. Johannis Caſelii* literis commendatus Viro nobili *Henrico ab Oldenburg*, operam ſuam informandis ejus liberis addixit, & in annum tertium præſtitit.

A. 1585. Reverſus eſt *Roſtochium*, Hebrææ linguæ diſcendæ potiſſimùm causâ, cujus ſtudium aggreſſus eſt duce M. *Nicolao Goniæo*, ejus Profeſſore Publ. nec tamen omiſit cœtera, quæ vel ad ipſam Theologiam pertinent, vel adminicula ex artibus promittunt, qualia de Ethicis, Politicis, Mathematicis diſciplinis proponebant *Caſelius*, *Stockmannus* & *Bruceus.* Theologis verò potiſſimùm operam dabat *D. Davidi Chytræo*, *D. Lucæ Bacmeiſtero* & *D. Valent. Scachtio.*

Ling. Hebræam didicit Roſtochii.

Theol. Stud.

Hæc dum agebat, Reverendus Vir Dom. M. *Antonius Boccatius*, Eccleſiar. in diœceſi *Parchimenſi* Superintendens, de Rectore Scholæ ſolicitus, conſilia amicorum in Academiâ *Roſtoch.* ſuper hoc negotio requiſivit, quorum plerique cum *Tarnovio* ad hanc provinciam deligendo conſentirent, factum eſt, ut ei labor iſte deferretur.

Rector Scholæ Parchimenſis. & Roſtochienſis.

Huic muneri cum 4. annos & ſemeſtre præfuiſſet, ampliſſ. Senatus *Roſtochienſis*, ſpectatâ ejus in erudiendâ juventute dexteritate, decedenti M. *Nathani Chytræo* ipſum ſurrogavit, cujus muneris partes ſibi demandatas cum ſuſcepiſſet, Scholæ, quæ migrante *Chytræo* magnam ſui floris jacturam paſſa videbatur, brevi tempore priſtinam gloriam recuperavit.

A. 1604. Ex pulvere Scholaſtico in cathedram collocatus, & Dom. *Davidis Chytræi* Succeſſor factus eſt, quando ei lectionis Theologicæ argumentum â Decano, conſenſu reliquorum, fuit injunctum, primus liber Moſis, in quo enarrando aliquot annos inſumpſit.

Theol. Profeſſor.

Conjugium, quod A. 1596. cum virgine *Annâ*, filiâ *Joachimi Schulten* inivit, tranquillum & multis benedictionibus divinis ornatum fuit. Nam in eo 4. liberorum *Magdalenæ*, *Joachimi*, *Johannis*, & *Annæ* pater factus eſt, & cum priores tres â DEO repeterentur, poſtrema in ſolatium patris relicta eſt, quam paucos ante obitum ſuum menſes nuptam vidit Dom. *Joachimo Stockmanno*, Med. Doctori & Profeſſori, tunc-

Conjugium ejus & Liberi.

Socer D. Joach. Stockmanni, Med. Prof.

que

que Rectori Academiæ *Roſtoch.* Magnifico.

In Templo tandem ſedens morte placidâ ex voto ſublatus eſt 7. Martii A.C. 1633. ætatis 71.

Scripta ab ipſo edita & relicta ſunt ſequentia:

Scripta.

De Conjugio Libri III. in 8vo.

De S. Miniſterio Libri III. in 8vo.

Oratio de Vitâ & obitu D. Lucæ Backmeiſteri, Senioris Theologi, & in Academiâ Roſtochianâ Profeſſoris, in 4to.

De S. Miniſterio Verbi Divini & Sacramentorum in Eccleſiâ rectè ſuſcipiendo ſuſtinendoque Commonefactio pia & neceſſaria, in 4to.

Synopſis veræ & orthodoxæ doctrinæ de fide juſtificante, in 4to.

Liber de SS. Trinitate, oppoſitus Fauſti Socini Refutationi, in 4to.

Commentarius in S. Johannis Evangelium, in 4to.

Diſputationes publicè habitæ: de Miniſtrorum Verbi Divini Officio: de legitimâ Sacramentorum adminiſtrandorum ratione: de Miniſterii Evangelici apud Lutheranos veritate, fructu & efficacia: de Miniſtrorum Verbi Divini abdicatione, translatione, dimiſſione: Examen doctrinæ Pontificiorum de Oratione: de bonis Operibus: de Peccato Originis: de Diſcrimine Peccati venialis & mortalis: de novo Evangelio: de Clavibus Regni Cœlorum: de Magiſtratu Politico.

* *Ex Programm. fun. Pro-Rectoris Roſtoch. Joh. Huswedelii Philoſ. Practicæ Profeſſoris.*

Obiit A.C. 1633.

ULRICUS SCHMIDIUS.

U*Lmæ* natus eſt ex parentibus honeſtis 27. Febr. A.C. 1601. Cum in Scholæ patriæ Claſſibus literarum fundamenta poſuiſſet, A. 1618. â Magiſtratu ſtipendio inſtructus Academiam *Gieſſenſem* acceſſit, in quâ A. 1620. Magiſter renuntiatus, abindè linguis Hebraicæ & Græcæ imprimis operam dedit, & S. Theologiæ ſtudium conjunxit.

Philoſ. Magiſter.

A. 1622. Revocatus in patriam Linguæ Græcæ & Hebrææ Profeſſor, nec non Præceptor in Gymnaſio Claſſicus, A. 1625. Concionator in Templo primario, quod Monaſterium vocatur, & A. 1628. S. Theol. Profeſſor, & Bibliothecarius conſtitutus eſt.

Græcæ & Hebr. Ling. Profeſſor. Concionator primar. Ulmæ. Theol. Prof. & Bibliothecar.

1. Sept. A.C. 1623. Conjugium iniit cum virgine *Eliſabethâ Rubeliâ*, ex quâ 2. filios cum filiâ reliquit. Hâc vitâ defunctâ tranſiit ad ſecunda vota cum *Jacobinâ Mülleriâ*, quam cum duobus filiolis reliquit viduam.

Valetudine uſus â primâ ætate ancipiti, cum â 14. diebus æger decubuiſſet, placidè exſpiravit *Ulmæ* 25. Maji A.C. 1633. æt. 32.

Moritur.

Anno, quo SChMIDIVs abIVIt â nobls agltqVe In ſVperIs beatVs.

Symbolum ejus fuit:

Amor meus crucifixus eſt.
In cruce fixus amor meus eſt.

Ejus Symbolum.

JEſUS/ mein Lieb/ gecreutzigt iſt/
Mein Lieb ſteht zum Creutz JEſU Chriſt/
Sein Creutz lieb iſt zu aller friſt.

* *Ex Concione fun. M. Marci Wollaibii, Diaconi Ulm. ad S. Trinit.*

Obiit A.C. 1633.

JOHANNES CLUVERUS.

N*Atus* eſt A. C. 1593. die 16. Febr. *Crempis* in *Stormariâ*, Parentibus *Michaële Cluvero*, ſartore ac mercatore, & *Margaretâ Meitzendorfiâ*. Hi pietatis fundamenta filio ſuo â primâ pueritiâ fideliter inculcârunt, imò mater eum legere & ſcribere domi docuit, donec A. ætatis 10. ſtudium Latinæ Linguæ, inſtinctu *Pauli Evandri*, Scholæ Patriæ Rectoris auſpicatus eſt, invito licet Patre *Michaële*, qui, ſumptibus parcere volens, arti ſartoriæ filium deſtinaverat. Sed puer intra paucos annos tantum in Græcâ & Latinâ linguis profecit, ut A. ætatis 14. continuandorum ſtudiorum gratiâ *Hamburgum* mitteretur, ibique â Dn. *Hieron. Mollero*, Canonico Pædagogus reciperetur.

Filius Sartoris.

Pædagogus Hamburgi.

Hamburgi ſtudiorum ſuorum viam tam ſtrenuè eſt perſecutus, ut anno 1610. Scholæ, Oratione, de diſciplinæ publicæ præſtantiâ habitâ, cum laude valediceret, & anno proximè ineunte, ætatis 18. in Academiam *Roſtochienſem* ſe conferret. Ibi poſtquàm per biennium firma Theologiæ fundamenta, adjuncto indefeſſo Philoſophiæ ſtudio, jeciſſet A. 1613. ad tempus diſceſſit ad perluſtrandam *Germaniam*. Quod iter DEUS adeò clementer fortunavit, ut viſis præcipuis *Germaniæ* urbibus & Academiis, inque iis ingenti cum fructu Theologis primariis compellatis, eum ad Parentes reduxerit incolumem. Ibi 14. Oct. A. 1613. ſolenniter Magiſter artium liberalium renuntiatus eſt.

Philoſ. Magiſter Roſtochii.

Hoc affectus honore aperuit ſtatim Collegium Logicum diſputatorium, & in ædibus Dn. D. *Eilhardi Lubini Heſiodum* commilitonibus ſuis prælegit. Imò Philoſophicæ Facultati Adjunctus, Metamorphoſin *Ovidii* publicè in Auditorio Philoſophico eo cum applauſu explicavit, ut publica Poëſeos Profeſſio ipſi offerretur.

Poëſeos Profeſſor.

A. ſequenti 1614. Ludimagiſter *Crempenſis* deſignatus, eodem die circa veſperam â *Meldorpienſi* Eccleſiâ ad habendam Concionem probatoriam, ut vocant, rogatus, poſtridiè â Pro-Rege Dom. *Gerardo Ranzovio* ad Conrectoratum *Haderslebienſem* accitus eſt. Ex quibus conditionibus *Dithmarſiam*, & 22. Maji habitâ Concione promptis auditorum ſuffragiis *Meldorpienſibus* Eccleſiaſtes eſt conſtitutus.

Eccleſiaſtes Meldorpienſis.

Eodem

Eodem adhûc anno, ætatis 21. cum virgine *Annâ*, Reverendi Dom. *Petri Roggii*, Paſtoris *Halenſis* filiâ, *Krempis* nuptias celebravit. *Meldorpii* in hoc ſuo officio integrum ſeptennium deſudavit, cœpitque in *Pſalmos Davidis* commentari, harum verò ſuarum lucubrationum diluculum primum A. 1620. linguâ vernaculâ divulgavit.

A.1621. â *Marnentibus* ibidem in *Dithmarſiâ* multis precibus invitatus in Paſtorem eſt ſuſceptus. A. 1623. in Academiâ *Roſtochienſi* examine Theologor. probatus, pro ſummo in Theologiâ gradu publicè diſputavit, & poſt menſes aliquot â Sereniſſimâ Reg. Majeſtate ad explorandam eruditionem in arcem *Steinburgenſem* accitus, Profeſſor Theol. & Paſtor in novâ tunc Academiâ *Soranâ* deſignatus eſt. Ibi ex continuâ ſeptennali & ferè quotidianâ converſatione Illuſtris Dom. *Juſtini Hög*, tunc Academiæ Directoris, *D. Johannis Meurſii*, Hiſtorici, *D. Johannis Laurenbergii*, Mathematici, *D. Joach. Burſeri*, Phyſici, Dom. *Chriſtophori Heidmanni*, Philologi, Dom. *Mart. Troſtii*, Linguar. Oriental. Profeſſoris, ſolidam tandem doctrinam ſibi comparavit.

Roſtochii pro Gradu Theol. diſputavit.

Theol. Profeſſor & Paſtor Soræ.

A. 1626. In Academiâ *Hafnienſi*, ſic jubente Regiâ Majeſtate, & Facult. Theol. *Roſtochienſi* diſpenſante, S. Theologiæ Doctor eſt creatus.

Theol. Doctor Hafniæ.

A. 1630. E *Daniâ Meldorpium* in *Dithmarſiam* remiſſus, ejus Provinciæ Superintendens Regius eſt conſtitutus.

Superint. Regius Meldorpii.

A. 1632. Uxorem, quæ 6. ei filios & 3. filias peperit, poſt diuturnam ægritudinem præmiſit. Ipſemet quoque ultra annum febre quartanâ laboravit.

Hæ tamen calamitates â ſtudiis illum nullatenùs potuerunt retrahere, ſed inter medias illas turbas Hiſtoriam ſuam ad annum ſibi fatalem 1633. continuavit, atque priſtinum ardorem Eccleſiæ & Reip. literariæ inſerviendi usque ad extremum vitæ halitum conſervavit.

Tandem laboribus defatigatus, mœrore confectus & corporis viribus ſpoliatus A. C. 1633. die nativitati Servatoris ſui ſacro animam Creatori reddidit, cum vixiſſet annos 40. & menſes 10.

Moritur.

Ingenii monumenta Scripta ab eo & relicta ſunt ſequentia:

Scripta.

Elementa Eloquiorum DEI, ſeu *Catecheſis minor D. Lutheri illuſtrata*, in 12mo.

Epitome Hiſtoriarum totius mundi usque ad annum 1630. è ſexcentis ampliùs authoribus ſacris profaniſque deducta. Acceſſit deindè continuatio ad A. 1633. Aucta porrò ad annum 1653. Prodiit denique continuatio usque ad annum 1667. in 4to.

Oratio de verâ Animi Tranquillitate, in 4to.

Diſſertatio anniverſaria, quâ oſtenditur, Romam Pontificiam eſſe Jeroſolymam Apoſtaticam Domini interfectricem ex Apocal. 2. in 4.

Computus Chronologicus de certitudine numeri annorum ab orbe condito ad CHRISTUM natum, in 4to.

Harmonia Evangeliſtarum ſecundùm Paſchata & itinera DOMINI, paulò accuratiùs, quàm vulgò ſolet, digeſta, in 4to.

Orthotomia Apoſtolica omnium 14. Epiſtolar. Paulinarum veram Analyſin exhibens, in 4to.

Tuba Sionis, quâ Perlochæ ſolennes, quas Evangelia dicimus, ſingulari methodo explicantur, in 4to.

Diluculum Apocalypticum, ſeu *Commentarius poſthumus in S. Apoſtoli Johannis Apocalypſin*, in fol.

Primum Diluculum Apocalypticum, oder Erſtes Morgen-Licht der Offenbarung *S. Johannis*, in 8vo.

Diſpoſitiones & Explicationes LXXX. Pſ. David.

Diſcipulus Emaunticus, ſ. *Scrutinium Scripturarum, CHRISTI Paſſiones, Crucem &c. prædicantium.*

Pinax Hæreſeologon, ſeu *ſeries præcipuarum Hæreſium à tempore Apoſtolorum ad annum usque 1626.*

* *Ex vitæ deſcriptione à filio ejus M. Michaële Cluvero editâ.*

JANUS DIONYSIUS JERSINUS.

Obiit A.C. 1634.

NAtus eſt in pago *Sedlandiæ Jerſie*, Patre Eccleſiæ iſtius Paſtore *Dionyſio Jani f.* Matre *Helenâ, Johannis f.*

Adoleſcens ad diſcendas literas in Scholam *Herlovianam* miſſus eſt: ubi Rectori Scholæ *Villichio Veſthovio* ita indolem & ingenium probavit, ut è diſciplinâ illâ emiſſus, & Civitate Academicâ donatus, ab eodem in Collegium Præceptorum ejusdem Scholæ adſciſceretur. In eo munere perſtitit ad Maji finem A. 1607. Poſteà ad Exteros abiit.

Præceptor Scholæ Herlovianæ.

Ut in patriam revertit, Magiſter Artium renuntiatus eſt â Decano *M. Johanne Jano Alano* A. 1610. Rector deindè Scholæ Regiæ *Sorenſis* fuit ab A. 1611. usque ad A. 1615. Quo tempore rurſus in Germaniam abiit, ſtudia & peregrinationem Nob. juvenis *Magni Krabbe* directurus.

Magiſter Artium.

Rector Scholæ Sorenſis.

Redux in patriam, conſtitutus eſt Profeſſor Metaphyſicæ Profesſionis tunc recens inſtitutæ A. 1619. Et ſimul ſtudiis filiorum Regis naturalium præfuit aliquandiu *Soræ*. A.1626. Dimiſſus ab Aulâ *Soranâ*, munus *Hafniæ* Paſtoris Eccleſiæ *D. Virginis* & Præpoſiti ſuſcepit.

Hafniæ Prof Metaphyſicæ.

Paſtor Eccleſiæ D. Virg.

Demùm Epiſcopus *Ripenſis* factus eſt A. 1629, & creatus Theol. Doctor 28. Sept. A. 1630. â *D. Reſenio*.

Epiſcopus Ripenſis, & Theol. Doctor.

Uxores tres habuit, & ex primâ filium *Johannem*, qui Magiſter Artium, Paſtor Eccleſiæ *Stegenſis* in Inſulâ *Monâ* fuit: ac duas filias, unam *M. Nicolao Suenonio*, Lectori Theologiæ in Gymnaſio *Chriſtianenſi*, qui ob diſſenten-

tes à fide horum Regnorum opiniones his Regnis ceſſit; alteram M. *Johanni Paulino*, Paſtori Eccleſiæ *Helmſtadienſis* nuptam. Ex mediâ Conjuge filium habuit *Chriſtianum*, Magiſtrum Artium, adverſi fati. Ex poſtremâ filium *Jacobum*, Magiſtrum Artium, Paſtorem Eccleſiæ *Calingburgenſis*.

Obiit tandem in *Fyoniâ*, *Hafniam* ire cogitans A. 1634. Uxori mediæ defunctæ, & in Templo *D. Virg.* ſepultæ, hoc monumentum in ſepulcrali lapide poni curavit:

Epitaphium uxoris.

MARGARITÆ FIRINGIÆ, VENUSTÆ, CASTÆ, PROBÆ, ET VERE IN JESU CHRISTO PIÆ, UXORI JUGITER DESIDERATÆ: QUAM DIE FILIOLI A PARTU XVII. ANNOS, XVI. MENSES XI. NATAM, VERUS SPONSUS JESUS CHRISTUS AD SE DEDUXIT ANNO M DC XXVIII. XIX. MART. JANUS DION. JERSINUS M. P.

Scripta:

Scripta.

Brevis Tractatus, continens officia Diſcipulis ad doctrinam conſequendam neceſſaria, ſcriptus ad diſcipulos in Scholâ Herlovianâ Carmine Heroico.

Orationes duæ Academicæ, Lutherus Thaumaturgus, & Ant-Irenicum.

Linguâ Danicâ: De Miraculis.

Fidei Certamen & Victoria.

Vera Via Vitæ.

Sermo funebris in Obitu D. Caſp. Bartolini, de Enochi vitâ & moribus.

* *Ex Acad. Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

Obiit A.C. 1634.

LAURENTIUS LÆLIUS.

IN pago *Franciæ Orient.* Klein Lanckheim vocato natus 15. April. A.C. 1572. Patrem habuit *Valentinum Lælium*, ejus loci Prætorem *Brandenburgicum*, Matrem *Eliſabetham*, *Georgii Rauſcherti Prinſtadii* filiam.

Cum in Scholâ *Onoltzbacenſi* ſeſquianno, & in Gymnaſio *Heilsbronnenſi* itidem ſeſquianno ſtudiorum fundamenta poſuiſſet, A. ætatis 17. Academiam *Jenenſem* acceſſit, in quâ triennio pòſt, A. æt. 20. cum laude Magiſter Philoſ. tertius ordine renuntiatus eſt.

Philoſ. Magiſter Jenæ.

A. 1593. Studii Theol. gratiâ *Wittebergam* conceſſit, ubi per quadriennium opponendo, diſputando, & Conciones habendo Candidati Theol. nomen promeruit, & jam tunc vocationes aliquot honeſtas in *Styriam* & *Friſiam Orient.* modeſtè recuſavit.

Candidat. Theol. Witteb.

Diaconus Onolsbac.

A. 1597. Poſt *S. Johannis* feſtum, *Onolsbacum* veniens, cum aliquoties concionatus eſſet, A. 1599. Eccleſiæ Diaconus in Templo primario conſtitutus eſt. A. 1601. Unà cum M. *Abdiâ Wicknero*, Concionatore aulico, ad Colloquium *Ratisbonenſe* inter Theologos *Saxonicos* & *Palatinos* cum Patribus *Soc. Jeſu Ingolſtadienſibus* miſſus, eo finito mox anno ſeq. 1602. Rector Gymnaſii *Heilsbronnenſis*, & trienio pòſt A. 1605. Concionator primarius, unàque Conſiſtorii Eccleſiæ Aſſeſſor declaratus eſt *Onolsbaci*.

Rector Gymnaſii Heilsbronnenſis. Concionator & Conſiſtorii Aſſeſſor Onolsbaci. Conjugium ejus duplex & Liberi.

In Conjugio duplici vixit: 1. cum *Apolloniâ, Johannis Hertelii*, Scholæ *Heilsbronnenſis* Rectoris, relictâ filiâ, cum quâ deſponſatus eſt 29. Maji A. 1598, ex eâque 11. liberos ſuſcepit, ſed duos tantùm filios & 4. filias ſuperſtites reliquit, quarum natu major *Barbara Maria* M. *Jacobo Rennero*, Decano *Swabacenſi* nupſit. 2. Cum *Annâ Mariâ, D. Johannis Strebelii*, Conſil. *Brandeburgici* & Advocati filiâ, quam duxit 22. Febr. A. 1622, ex eâque 9. ſuſcepit liberos, duabus tantùm filiolis in vivis relictis. À 20. annis doloribus nephriticis & arthriticis frequenter afflictus, à menſe tandem dyſpnœâ gravi laborans, ſenſibus integris ad finem vitæ remanentibus, poſtquàm hiſce verbis gute Nacht! valedixiſſet, in CHRISTO placidè exſpiravit 26. Julii A.C. 1634. ætatis climacterico 63. Sepultus *Onolsbaci* ad *S. Crucem*.

Moritur.

* *Ex Concione fun. Johannis Meelfüreri, Concionat. Onolsbac.*

LAURENTIUS LÆLIUS.
Per Anagr.
LUTERI LINEA SALVUS.

LAURENTIUS LÆLIUS, der oberſte Pfarrer und *Conſiſtorial*-Raht ſeeliger Gedechtnuß.

Mit verſetzten und etlichen veränderten Buchſtaben:

Ach! iſt unſer alter Geiſtlicher Vatter todt?
Liß/Chriſt/nur aus den Pſalter: O Freud! er lebt in GOTT.

Libros edidit:

Scripta.

Gegründete Urſachen / warum ein Evang. Chriſt bey ſeiner Religion beſtändig bleiben / und ſich davon nicht abwendig machen laſſen ſoll.

Scripturam loquentem, das iſt: der H. Schrifft klare Antwort auf die Religions-Frage: Wo ſtehets geſchrieben?

Criterium fidei, Prob deß Glaubens zwiſchen den Lutheriſchen und Reformirten.

Indicem Hæreſium, quæ Eccleſiam DEI à nato CHRISTO exercuerunt.

NICOLAUS PETRÆUS.

Obiit A.C. 1634.

NAtus eſt *Aurileſiæ*, *Sædlandiæ* vico A.C. 1601. Parentibus honeſtis, *Petro Nicolai*, & *Dorotheâ Johannæâ*. Hi filiolum inter crepundia & incunabula primis pietatis elementis informari curârunt.

Anno ætatis octavo privatæ inſtitutioni annuo ſpatio domi addictus, poſteà primùm

Digitized by Google

Diſcipulus Schola Coagienſis & Roeskildenſis, ac Herlovianæ.

mùm ad annum *Coagienſi*, indè quadriennium *Roëskildenſi* Scholis pietatis & diligentiæ Sacramento ſe obſtrinxit.

A. 1615. *Herlovianæ* militiæ nomen dedit ſtudiorum ſuorum Ducibus M. *Johanni Knobbio*, & M. *Jacobo Eraſ. Brockmanno* acceptus.

Studioſus Hafniæ.

A. 1621. In Academiam *Hafnienſem* conceſſit, cujus Sacris initiatus, eâ Linguarum artiumque cognitione ſe inſtruxit, ut crebrâ diligentiâ in majus indies profecerit. Præter publicas enim Lectiones & Diſputationes, quibus Præceptoribus induſtriam ſuam probavit, publicis ipſe exercitiis ſubindè vacans, & Ajentis & Negantis partes, modò Diſceptator, modò Orator cum laude ſuſtinuit.

Biennio pòſt M. *Jacobus Brockmannus*, valetudinis firmandæ cauſâ, ad Thermas *Carolinas* in *Bohemiam* conceſſurus, omnem corporis & rerum ſuarum curam fidei ſui *Petræi* & diligentiæ credidit. Cum autem Vir optimus ſpe ſuâ recuperandæ valetudinis fruſtraretur, poſt aliquod tempus in patriam reverſus, Præceptori ſuo feralia officia perſolvit.

Eo tempore Nobilis Matrona *Catharina Das de Oelingſæ* ſtudiis filii *Erici Pors* eum præficiendum expetiit. Cum hoc itaque Nob. *Porſio* primò *Roſtochium*, *Wittebergam* deindè ſe contulit.

Cum nobili Erico Porſio venit Wittebergam.

A. 1624. In patriam revocatus, ſub Præſidio Theologi Celeberr. Dom. D. *Caſp. Brockmanni*, ſolenni ad præſcriptum Regium Diſputatione habitâ, ſtipendium Regium obtinuit. Has partes cum applauſu exſecutus, *Wittebergam* ad *Porſium* ſuum rediit, ſemeſtre adhùc ibi commoratus. Deindè in Acad. *Tubingenſem* tranſeuntes, Urbes in itinere *Lipſiam*, *Jenam*, *Coburgum*, *Noribergam*, *Altorfium* perluſtrârunt. *Tubingæ Thummio*, *Oſiandro*, *Müllero*, *Schickardo*, & aliis Academiæ luminibus acceptus fuit, quibus memoriam ſui commendavit eruditâ Diſputatione de Juſtificatione integrum biduum continuatâ atque *Bellarmino* oppoſitâ, Moderatore *D. Thummio*.

Stud. Tubingæ.

Diſputationem habuit de Juſtificatione.

Indè *Baſileam* concedens, ob inſignem Linguæ ſanctæ peritiam *Johanni Buxtorfio*, ejuſdem Linguæ Profeſſori, acceptus fuit. *Genevæ* poſteà annum ſubſiſtens, denuò in regiones remotiores ſe contuliſſet, niſi literis *Brockmanni* & Cancellarii *Friſii* fuiſſet in patriam revocatus. Tunc à latere nob. ſui *Porſii* iter in *Italiam* parantis divulſus, cum non niſi extremo ſalutis diſcrimine per *Germaniam* reditus in patriam ipſi pateret, *Galliis* peragratis *Oceanum Occidentalem* trajecit, etiam tertiùm A. 1626. *Helſingoræ* patrio ſolo ſe ſtitit. *Hafniam* itaque actutum ipſi accito, præviâ Diſputatione Hebræo-Chaldæo-Aramæo-Arabicâ, ad Statuta Academica, Orientalium, Linguarum Profeſſio demandata eſt.

Hafniæ Profeſſor Linguar. Orientalium.

Philoſ. Magiſter.

28. April. A. 1627. Supremam in Philoſophiâ Lauream à Decano Facultatis M. *Petro Gelſtrupio* accepit. A. 1630. à *D. Johanne Reſenio*, *Sedlandiæ* Epiſcopo, inſignibus Doctoralibus ornatus eſt, qui priorem Profeſſionem cum Theologicâ commutare eum gratioſè voluit. Intereà ſummum in Academiâ Magiſtratum A. 1632. geſſit.

Theol. Doctor & Profeſſor.

An. 1628. Sociam ſolitario thalamo adſcivit Virginem *Metthan*, D. D. *Petri Vinſtrupii*, Epiſcopi *Sedlandiæ* filiam natu juniorem: quæ familiam maſculâ unâ, quadruplâ verò fœmellâ prole auxit, & ſextum gravida Viro ſuperſtes fuit.

Conjugium ejus & Liberi.

Morbo tandem lethali correptus, fruſtrà obnitente Medicâ curâ, animam exhalavit 4. Oct. A. C. 1634. nondum completo anno æt. 34.

Moritur.

Funus publico Programmâte indictum à Rectore Academiæ M. *Chriſtiano Longomontano*. Sepultus in Templo *D. Virg.* ubi momumentum poſitum cum hâc inſcriptione:

Epitaphium.

D. O. M.

NICOLAO PETRI, S. S. THEOL. ET PHILOS. PROFESS. INGENIO ET INDUSTRIA INCOMPARABILI: QUI POSTQUAM VARIAS GERM. ET GALL. ACADEMIAS LUSTRASSET, IN REGIA HAC PRIUS PER QUADRIENN. FERME ORIENTAL. LINGUAR. PROFESS. FRUCTUOSE EGISSET; AC POST PER TOTIDEM ANNOS CUM SEMESTRI CATHEDRAM THEOL. RELIGIOSE ANIMASSET, ANIMAM CREATORI SUO IV. OCTOB. AN. CHR. M DC XXXIV. ÆTATIS VERO XXXIV. PIE REDDIDIT. MEDEA VINSTRUPIA CUM IV. FILIABUS, PRÆMISSIS II. FIL. POST CONJUG. VI. ANN. ET V. MENS. SUPERSTES, MARITO DESIDERATISS. HOC MONUMENTUM P. C.

Scripta:

Scripta.

Diſputatio de Bono Originali, Tranſcendentali, Naturali, & Morali.

Diſputatio de Juſtificatione contra Bellarminum.

Diſputatio Hebræo-Theologica, Hebræo-Grammatica, Hebræo-Peruſcbica, Chaldæo-Grammatica, Syriaco-Lexica, Arabico-Grammatica, Arabico-Targumica, Critico-Maſorethica & Thalmudica.

Enchiridion Politicum.

Compendium Grammaticæ Hebrææ.

Colloquia Hebræa.

Nomenclator Hebraicus.

Lexicon Hebraicum.

Nahum & Habacuc Prodromi.

Diſputationes Theologicæ tres de S. Scripturâ, cum Animadverſionibus in Galatinum de Arcanis Catholicæ Veritatis.

Meditationes Spirituales.

* *Ex Acad. Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

Obiit A.C. 1634.

ZACHARIAS SEIDELIUS.

PHiloſophiæ Magiſter A. 1618. Scholæ *Baruthinæ* Rector, pòſt A. 1622. Paſtor

Archidiaconus Baruth. in Gefrees / & deinde A. 1627. Eccleſiæ *Baruthinæ* Archidiaconus & Capituli Camerarius conſtitutus eſt. Cum autem A. 1632. à *Marcheſe de Grand* unà cum Collegis ſuis, aliisque ex Equeſtri & Senatorio Ordine viris *Barutho* abductus, in urbe *Egrand* obſes detineretur, factum intereà temporis eſt, ut Senatus *Curienſis* eundem in Superintendentis locum *Curiæ Variſcorum* tunc vacantem peteret, & etiam obtineret ſufficiendum. *Superint. Curienſis,*

Non tamen ſubire ipſi functionem hancce licuit; ſiquidem A. 1633. beato *Joh. Stumpſio* in Presbyterio *Baruthino* ſurrogatus, anno proximè ſequenti, d. 20. Oct. peſte, quâ *Baruthum* tunc temporis laborabat, decedens, placidè in CHRISTO obdormivit. *& Baruthinus. Moritur.*

* *Ex Orat. de Superintendentibus Baruthinis Ludov. Liebhardi.*

Obiit A.C. 1635.

JOHANNES SAMSTAGIUS.

PHiloſ. Magiſter per 17. annos in *Curienſium* Gymnaſio primùm Conrectoris, deindè Rectoris officio defunctus A. 1620. per legitimam vocationem Parochiam in Wonſees obtinuit. *Rector Curienſis. Parochus Wonſees.*

Sed A. 1632. Marte & Vulcano ad incitas redactus primùm *Culmbaci*, pòſt *Baruthi*, & denique *Curiæ Variſcor.* refugium quæſivit, donec poſt beatum M. *Wolfgangi Mauereri* ex hâc vitâ diſceſſum, Superintendentis *Baruthini* munus A. 1635. ipſi fuit commiſſum, quod tamen eodem anno è corporis vinculis liberatus iterum depoſuit. *Superint. Baruth.*

Ita Urbs *Baruthina* tunc temporis intra vertentis anni ſpatium duos vidit Superintendentes, jam vivos & in ſuggeſtu conſtitutos, mox verò defunctos atque loculo incluſos.

* *Ex Orat. de Superintendentibus Baruthinis Ludov. Liebhardi.*

Clar. A.C. 1635.

JOHANNES COMBACHIUS.

NOn plebejus aliquis Philoſophus, ſed in Divinarum juxtà atque humanarum artium liberaliſſimis ſtudiis atque doctrinis ita verſatus, ut infinitam penè illarum vim & materiam ſcientiâ comprehenderit ac cognitione, *Wetteris* natus annô à natô Chriſtô 1585. die 5. Decembris à meridie intra 2. & 3. horam, Patre *Joh. Cambachio*, cive *Wetterano*, matre *Catharinâ*, *Scipionis Waſmundi*, Paſtoris *Schlemenſis*, in viciniâ *Marpurgenſi* filiâ. *Locus nativitatis.*

Is in patriis primùm, pòſt etiam in exteris Gymnaſiis ſubtiliùs eruditus, quæ Oratorum, Philologorum & Hiſtoricorum myrotheciis, itemque *Ariſtotelis*, Peripateticorum & Scholaſticorum, *Petri Rami* etiam articulis continentur, quaſi in viſceribus condidit ac medullis. *In patriis & exteris Gymnaſiis ſubtilè eruditur.*

Atque hoc quidem animi cultu, ceu quodam humanitatis cibo, ad neceſſaria magis & graviora SS. Theologiæ ſtudia defluxit, ut in rebus ad ſalutem æternam attinentibus ab animô tanquàm ab oculis divinâ aſpirante gratiâ depelleret caliginem, & de iis ipſis erudire poſſet, atque CHRISTO lucrari alios, eo ſanè progreſſus, ut in hoc ſtudiorum genere Licentiæ, quam appellant, dignitatem A. 1618. menſ. Junio obtinuerit. *In Theologiâ Licentiæ dignitatem obtinuit.*

Cœteroquin is quidem primùm annô 1610. Julii 14. extra ordinem (quod ordinarius locus non vacaret,) tanquàm Philoſophus publicè *Ariſtotelis* moralia & politica explicare cœpit, & ex intimâ Philoſophiâ depromere, multa humanitate condire. *Moralia & Politica extra ordinem explicare cœpit.*

At poſtmodùm cùm ſe *Goclenius* junior ad Mathematicas diſciplinas tractandas contuliſſet, annô 1612. menſe Decembri in Philoſophorum ordinariorum Claſſe collocatus, in abſtruſiore Philoſophiæ parte, quæ in inveſtigandis rerum naturalium cauſis vertitur, intendit atque defixit animum.

A. 1619. Logicam Profeſſionem ſuſcepit. A. 1622. Rectoratum geſſit in Academiâ *Marpurgenſi*. A. 1625. Menſe Sept. *Felsbergam* vocatus, Eccleſiaſten eo loci egit, usque in annum 1634. Intereà ſimul *Caſſellis* Profeſſio tum Philoſophica tum Theologica ei fuit demandata. In hâc Academiâ Pro-Rectoratum geſſit à menſe Martio 1633. ad annum 1644. Decanatum Philoſophicum A. 1635. *Logicam docet. Phyſicæ Profeſſor Ordinarius.*

Scripſit & edidit:

Phyſicam & Metaphyſicam. *Scripta.*

* *Ex MSS. Marpurg. & aliis.*

Obiit A.C. 1635.

DANIEL ANGELOCRATOR.

COrbachienſis *Waldeccus*, natus 19. Oct. feriâ 4. lunâ 11. anno uſitatæ æræ CHRISTI 1569. Parens ipſi fuit *Juſtus Engelbart*, tenuis fortunæ Piſtor, ſed ob animi pietatem & morum probitatem aliquoties conſulari dignitate honoratus, qui obiit 4. Novembr. anno 1614. ætatis 79. Mater *Anna Embdena* anno 1584. 2. Nov. puerperio ſuccumbens, Pſalmos canendo, & ubi vox deficeret, cœterique eam ex mœrore relictam deplorarent, *Daniele* adhuc puero precibus præeunte deceſſit.

Ab anno ætatis 6. *Daniel* Scholæ patriæ addictus, progreſſus non infelices fecit, deindè triennium *Laubachii* in Scholâ *Solmenſium* vixit usque ad annum ætatis 12. quo rediit *Corbachium*, & in artibus Logicis & Mathematicis aliquantum inſtructus fuit.

fuit. Tum *Caſſellis* in *Haſſiâ* biennium ſudavit & alſit, undè *Marpurgum D. Hunnio* profitente abiit.

Poſthæc *Stadæ Saxonum* ad *Albim* biennio Grammaticum cum laude & honore egit, cujus tandem laboris pertæſus, & ſacra meditans Eccleſiis in *Haſſiâ* paſcendis legitimè fuit adhibitus, & quidem primò in *Mertenhagen* propè *Caſſellas* quadriennium. Deindè *Ibſtæ* propè *Wolfhagium* annos quatuor cum dimidio: tum *Francobergæ* ſexennium emendandæ doctrinæ & diſciplinæ Eccleſiaſticæ invigilavit.

Paſtor in Mertenhagen, Ibſtæ itidem & Francobergæ.

A. 1611. Approbante Illuſtriſſimo *Haſſiæ Landgravio*, & vocante Eccleſiâ *Marpurgenſi* ejus loci Archidiaconum triennium egit, & honores tandem Magiſterii in ſe conferri paſſus eſt.

Archidiaconus Marpurgenſis.

Anno 1614. die 30. Auguſti votis fermè omnibus totius Synodi conſpirantibus, & Principe ea confirmante, in locum defuncti Superattendentis ſucceſſit.

& Superintendens.

Anno 1618. ab *Haſſiæ Landgravio* Dn. *Mauritio*, cum aliis Theologis, ad Synodum nationalem *Belgicam* deputatus abiit, cujus Acta proſtant.

Anno 1624. Feria 6. ante Lætare, *Marpurgi* cum cœteris Eccleſiæ Miniſtris & Scholæ Profeſſoribus ob Religionem à Dn. *Ludovico Haſſiæ Landgravio*, Principatum illum judicio Cæſaris occupante, ab officio fuit remotus.

Anno 1625. *Gudensbergæ* Paſtor ab impio Cæſaris milite, ut & cœteri cives, omni domeſticâ re fuit nudatus, cumque uxore & liberis indignè habitus.

Anno 1626. Conſiſtorii *Haſſiaci Caſſellis* Aſſeſſor fuit.

Conſiſtorii Haſſiaci Caſſellis Aſſeſſor.

Anno 1627. ab Illuſtriſſimo & Celſiſſimo Principe Dn. *Ludovico Anhaltino* Principe vocatus circa Paſcha, *Cöthenis* Paſtoratum & Superintendentiam ſuſcepit.

Paſtor Cothen.

Moritur. Obiit *Cöthenis* anno CHRISTI 1635. d. 30. Julii currente ætatis anno 66.

Opera ejus literaria ſunt hæc:

Operis Chronologici libri quatuor.

Scripta.

1. *Sacrum Chronologiæ fundamentum.*
2. *Hiſtoria & Doctrina de Kalendariis.*
3. *Ephemerides, quibus ad ſtylum Julianum accommodantur omnia aliorum populorum Kalendaria ab initio Mundi uſque ad annum D. 1656. & adjectæ ſunt Obſervationes Mathematicæ.*
4. *Annalium tabulæ, quibus per quinquagenos annos continuâ ſerie & connexione nobiliorum ærarum & regnorum res maximè memorabiles indicantur à Geneſi uſque huc.*

Operis hiſtorici Univerſalis tomi quatuor:
Tomus primus dividitur in *libros ſeptem*, qui ſunt:

1. *Lexicon Topographicum.*
3. *Doctrina de Ponderibus, monetis & menſuris.*
3. *DEI miracula, plagæ, ſigna & prodigia illuſtriora.*
4. *Hiſtoria a Geneſi ad Evangelium ac tabulas Annalium directa.*
5. *Index Eccleſiaſticus, qui ſub novo Teſtamento oſtendit*
   1. *Puriores Eccleſiæ Doctores.*
   2. *Hæreticos, & eorum deliria.*
   3. *Concilia, & eorum ſancita.*
   4. *Decreta & Ritus Roman. Pontificum.*
   5. *Epitomen Conciliorum.*
   6. *Academiarum & Scholarum illuſtrium indicem.*

Tomus ſecundus de Regimine Eccleſiaſtico continet vitas & res geſtas eorum, qui rebus divinis præfuerunt, libris 8.

1. *Libro deſcribuntur ſummi Sacerdotes veteris Teſtamenti, item Sapientes, Seniores & Rabini, qui tanquam caput Synagogæ Judaicæ ſuum Talmud, ſeu doctrinam oris ad poſteros tranſmiſerunt, cum cenſurâ.*
2. *Epiſcopi Orientales ſub novo Teſtamento, nempe Hieroſolymitani, Antiocheni, Alexandrini, Epheſini, Cæſareenſes, Conſtantinop. &c.*
3. *Epiſcopi, Patriarchæ & Pontifices Romæ in Italiâ.*
4. *Cardinales Eccleſiæ Romanæ, Mediolanenſes Archiep. Aquilejenſes & Gradenſes. Ravennates. Papienſes.*
5. *Germaniæ ſeptem Archi-Epiſcopi, & horum omnium Suffraganei.*
6. *Galliæ Epiſcopi.*
7. *Epiſcopi in Hiſpaniâ.*
8. *Angliæ Epiſcopi cum Appendice.*

Tomus 3. de Magiſtratu Politico abſolvitur libris 6.

1. *Deſcribuntur, qui apud populum DEI fuerunt à Geneſi uſque ad excidium Jeruſalem.*
2. *Qui circa DEI populum habitarunt.*
3. *Qui præterea Reges fuerunt ante CHRISTUM natum in Aſia, Græcia, Sicilia & Italia.*
4. *Faſti Romanorum Conſulares.*
5. *Romanum Imperium in Oriente & Occidente.*
6. *Reges & Duces in Germaniâ.*
7. *Reges & Duces circa Germaniam &c.*

Tomus quartus eſt

Alphabetarium hiſtoricum, continens Ordine Alphabetico vitas & res geſtas eorum illuſtrium, quorum certa ſeries & ſucceſſio in tempore non potuit haberi, ut ſunt quidam Reges, Principes, Comites, Barones, milites: Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores: Scriptores, Doctores, Profeſſores: Philoſophi, Poëtæ, Medici, Juriſperiti, Theologi: fratres omnium ordinum, hæretici: artifices, rerum inventores, & alii undecunque clari Viri.

Quatuor iſtis Tomis Hiſtoricis adjecit *Brevem Ideam Chronici Mundani.*

Præterea conſcripſit:

Carminum Librum.
Artem Poëticam.
Phraſes Poëticas.

Metrorum genera & Syllabarum quantitates.
Grammaticam Ramo-Ramæam.
Rhetoricam Thalei illuſtravit.
Quædam Polemica contra Ubiquetarios &c.
Zeit-Gebete / fürnemlich auf die Wochen-Tage.
Zeit- und Schrifftmäſſige Erklärung über den Propheten Daniel.
Uber die Offenbarung JEſu Chriſti eine Auslegung.
Predigten über die Evangelia / Epiſteln / Pſalmen / &c.
Sieben-Luſt / darinn Reimen-weiſe alle Wunder-Sachen / ſo in ſieben Zahl nach Göttlicher und menſchlicher Weisheit offenbaret ſind / mit Luſt erzehlet werden.

Obiit A.C. 1635.

CHRISTOPHORUS SCHLEUPNERUS.

NAtus eſt *Drumsdorfii* pago *Marchionatus Brandenburg.* ſuperioris 19. Sept. A.C. 1566. Patre *Cyriaco*, eius loci Eccleſiæ Paſtore, cujus pater *Dominicus Schleupnerus*, initio Canonicus *Uratislav.* poſteà *D. Lutheri* & *Melanchthonis* amicorum operâ *Norimbergæ* in Templo *S. Sebaldi* primus Evangelii Præco fuit.

Cum in Scholâ *Curienſi* literarum fundamenta poſuiſſet, A. 1583. In Academiam *Wittenbergenſem* veniens, famuli officium obivit apud Dominum *Johannem Zölerum*. Ibi cum pro more Academico Depoſitionis ritu initiaretur, M. *Johannes Grunius* Ethicæ Profeſſor ad diligentiam in ſtudiis eum hortatus, bono animo eſſe juſſit, qui aliquando â DEO exaltatus Magnatibus familiariter ſit uſurus, quod eventus docuit. Non multò pòſt cum Dom. *Zölerus* in patriam diſceſſiſſet, ſtudioſis varia deſcribendo inſerviens ægrè vitam ſuſtentavit, nihilominùs tamen ſtudia ſedulus tractavit. *Wittenbergæ famulum egit.*

A. 1587. Febri laborans in patriam aëris mutandi gratiâ regreſſus ſtatim *Culmbaci* Eccleſ. Miniſter ordinatus eſt, & in Pago Gſeeß Diaconi officio functus eſt usque ad A. 1589. quo *Byruthum* ad Eccleſiæ Diaconatum vocatus venit 19. Sept. *Diaconus Baruthi.*

A. 1598. *Wittenbergæ* Theol. Doctor creatus Decano *D. Ægidio Hunnio* mox *Græcium* in *Styriâ* conceſſit, futurus ibi loco defuncti *D. Wilhelmi Zimmermanni*, Scholarum *Styrenſium* Inſpector. Sed brevi pòſt in exilium pulſus ab illuſtribus *Styriæ Ordinibus* per ſeſquiannum ſuſtentatus, & A. 1600. *Hildesheimii* Superintendens factus eſt. *Theol. Doctor.*

A. 1607. Invitus indè diſcedens, Comitatûs *Mansfeldici* Superintendens Generalis conſtitutus, *Eisllebiam* migravit. A. 1612. In Patriam revocatus, *D. Aurelio Streibergero* in Superintendentis Generalis munere *Culmbaci* ſucceſſit. A. 1632. Principis ſui conſenſu *Herbipoli* Superintendens Generalis & Director Conſiſtorii factus, & A. C. 1634. indè depulſus *Erfordiam* pro pathmo ſuo ſelegit, ubi beatâ morte vitam clauſit 10. Aug. A.C. 1635. ætatis 69. nullâ ex 4. uxoribus ſuſceptâ prole. *Superint. Generalis Mansfeld. Superint. Gener. Culmbaci & Herbipoli. Mor. Erfordiæ.*

Libri ab ipſo editi ſunt ſequentes: *Scripta.*

Poſtilla.
Harmonia veteris Teſtamenti.
Harmonia Epiſtolico-Evangelica.
De quadruplici modo concionandi.
Theophonia, Geſpräch einer glaubigen Seel mit GOTT.
Schola Danielis, Schul-Predigten.
Kreutz-*Muſica* der Chriſten.
Confutatio Deſiderii Chriſtiani de Erroribus Miſſæ.
Widerlegung Huberiſcher Irthum wider D. Recken.
Tractat wider das Fluchen.
Jubelfeſt-Predigten von Pabſtthum.
Leich-Predigten.
Einweyhungs-Predigten der Kirchen Bayreuth.
Eliæ Himmelfahrt.
Schwanen-Geſang vom ewigen Leben.

* *Ex Concione fun.*

Pro *Symbolo* uſus eſt hoc Epigrammate:

Quid mea vita? Dolor, Fortunæ turbo, Labores,
Gratia quos celſi temperat alma DEI.
Hìc te, CHRISTE, meâ portavi cordis in arcâ,
Illìc ætherea me quoque in arce geras.

Obiit A.C. 1635.

CHRISTIANUS JANUS.

HAfniæ natus eſt 24. Jan. A. C. 1596. Patre *Jano Chriſtiani*, matre *Annâ*, *Chriſtiani* f. Prima bonarum artium fundamenta Scholæ patriæ debuit, in quâ annos 10. eruditus eſt.

A. 1611. Numero Muſicor. Regiorum adſcriptus eſt, ſed exorto inter vicina Regna bello, in Scholam Regiam *Sorenſem* eſt miſſus: undè â Rectore Scholæ M. *Jano Dionyſio Jerſino* dimiſſus, A. 1614. Civitatem Academicam *Hafniæ* impetravit, vixitque hìc annum & ſemeſtre, plerumque apud M. *Longomontanum*. *Muſicus Regius. Diſcipulus Scholæ Sorenſis. Studioſus Hafniæ.*

A. 1616. In exteras Academias conceſſit, & *Wittebergæ* biennium ſubſtitit, ſumtibus acceptis ex Præbendâ Capituli *Bergenſis*, quam ipſi procurârat Cancellar. *Chriſtianus Fris de Borreby*. *Wittebergæ.*

Cum A. 1618. rediiſſet in patriam, *D. Caſp. Brockmanni* commendatione ſtipendium *Chriſtiani Thomæi* cum Principis *Chriſtiani* Aulæ Magiſtri obtinuit, quod ipſi ſumtûs, quos iterùm *Wittebergæ* fecit, biennii penè morâ ſuppeditavit.

 Rever-

Philoſ. Magiſter Hafniæ. Rector Scholæ Ottonianæ.

Reverſus in patriam A. 1621. d. 14. Maji Philoſ. Magiſter creatus à Decano M. *Wolfgango Rhumanno*, primùm Conrector, deindè A. 1622. Rector Scholæ *Ottonianæ* conſtitutus eſt.

Profeſſor Linguæ Græcæ. Paſtor Eccleſ. Vedelenſis.

Anno ſeq. 1623. Profeſſionem Græcæ Linguæ in eodem Gymnaſio ſuſcepit, quam reliquit A. 1624. inauguratus Eccleſiaſtico muneri Urbis *Vedelenſis*, ab Epiſcopo *D. Hemmelæo*. In eâ Urbe Viduam M. *Clementini*, cui ſucceſſerat, *Eliſam*, *Johannis* F. uxorem duxit. Ex eâ natus filius M. *Laurentius Chriſtiani*, Paſtor Eccleſiæ *D. Canuti Ottinienſis*. Filia *Helena* nupta M. *Johanni Mulenio*, Paſtori Eccleſiæ *Nyburgenſis*.

Concionator Regius. Theol. Profeſſor.

A. 1627. Dicto d. 24. Januarii Sacramento Regius Concionator conſtitutus eſt. A. 1627. Theologiæ Profeſſor in Academiâ *Hafnienſi*, Succeſſor *D. Caſp. Bartolini* deſignatus, Sacramento ſe Academiæ obſtrinxit. Quo minus autem docendi munere fungi inciperet, dimiſſa juventus Academica ob ſævientem luem obſtitit. A. 1630. ſignificatum ipſi eſt à Cancellario Regio *Chriſtiano Fris de Kragerup*, Regem velle, ut omiſsâ Profeſſione in munere Concionatorio perſiſteret, ſtipendiique augmentum acciperet ex *Nidroſienſi* Præbendâ. Eodem Anno 28. Sept. Theologiæ Doctor renuntiatus eſt à *D. Johanne Pauli Reſenio*.

Theol. Doctor.

Moritur.

Obiit tandem *Fridericiburgi* 5. Jan. A. C. 1635. ætatis 39. Corpus conditum eſt in Templo *D. Virginis Hafnienſis*, habetque Lapis Sepulchri hanc Inſcriptionem:

Epitaphium.

Arctoi Nathan fuit alter Regis in aula
Qui cubat hic. Satis est. Coetera fama dabit.

Jesum et animam reducem præstolatur heic tumulatus Venerabilis Vir CHRISTIANUS JANUS, Hafniensis, S.S. Theologiæ Doctor, qui natus Anno M D XCVI. XXIV. Januarii Rector quondam Scholæ Otthonianæ X. Mensibus. Professor Gymnasii Otthoniani Mensibus II. Pastor Viellensis Annis III. Concionator Aulicus primum binis Annis. Designatus Theol. Professor in Regia Academia Hafniensi V. Mensibus. Iterum Concionator Aulicus Annis V. Maritus Ann. XI. Parens liberorum IV. Filiorum II. et Filiarum totidem. Fredericeburgi beate obiit Anno ætatis XXXIX, Anno CHRISTI MDCXXXV. X. Januarii. Id quod cippo moestissime voluit testatum Vidua superstes ELISA JOHANNIS Ripens. Consulis Hottersnesiensis filia.

Ego vadam ad eum, Ille vero non revertetur ad me. II. Sam. XII, 23.

Scriptum.

Scriptum:

Sermo funebris in Exequiis Reginæ Sophiæ Ann. 1631. 14. Novemb. Roëskildiæ habitus.

* *Ex Acad. Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Pauli f. Vindigio.*

BERNHARDUS ALBERTUS.

Obiit A.C. 1636.

Auguſtæ Vindelicorum natus 25. Maji A.C. 1569. Patrem cognominem habuit ſclopetorum opificem, & civem honeſtum, Matrem *Barbaram Sprenzingiam*. Cum in Scholâ Patriæ ad *S. Annam* literarum fundamenta poſuiſſet, tantos brevi tempore fecit progreſſus, ut A. ætatis 14. privatim poſt Scholam finitam alios informare potuerit, usque dum Collaboratoris in primâ Claſſe munus ab *Adamo Gumpelzheimero* Claſſis illius Præceptore induſtrio & Muſico celebri ſibi traditum ſuſceperit.

Collaborator in Gymnaſio Annæo.

Jenæ Theol. Stud.

A. æt. 21. Academiam *Jenenſem* accedens Studioſis duobus primùm famuli loco inſerviit, & miſerè ſe ſuſtentans S.que Theologiæ ſtudia verſans, ſtipendii cujusdam ſubſidio nixus, A. 1590. Dominicâ II. Adventûs in pago Lichtenhan *Jenæ* proximo primam Concionem publicè habuit. In pagis poſteà pluribus, inque Templo *Jenæ* primario ſæpiùs ſeſe concionando exercens, non modò Diaconorum, ſed Superintendentis quoque *D. Samuelis Fiſcheri*, & Theologi celeberr. *D. Georgii Mylii* Vicarium egit, & ab hoc poſtremo 13. Aug. A 1591. honores Magiſtrales ſolenniter accepit. Ab eodem anno ſeq. receptus in ædes, ejusque filiis Præceptor privatus datus eſt.

Concio ejus prima.

Theol. Magiſter Jenæ.

Amanuenſis D. Georg. Mylii.

A. 1594. Cum *D. Georgio Müllero Wittenbergam* profectus, amanuenſis ejus fuit in diſceptatione Theologicâ, quam Theologi celebres *D. Ægid. Hunnius*, *D. Salomo Geſnerus*, & *D. Polycarpus Lyſerus* cum adverſario *D. Samuele Hubero* habuerunt. Reverſus mox cum diſcipulo ſuo *Laurentio Ohmio Halam Saxonum* abiit, ibique Rev. Miniſterii rogatu quater publicè concionatus Miniſterii proximè vacantis ſpem accepit, id quod factum fuiſſet, niſi à Mecœnatibus ſuis ſub ſpe promotionis in patriam fuiſſet revocatus. In eâ 11. Febr. A. 1596. nuptias celebravit cum virgine *Juditha*, M. *Caſp. Sauteri*, Eccleſiaſtæ *Auguſtæ* Senioris, filiâ natu majore, cum quâ 38. annos in conjugio felici exegit, ex eâque 5. filios totidemque filias progenuit, quatuor verò ſexûs utriusque ſuperſtites reliquit. Ex filiis M. *Georgium Albertum* in Eccleſiâ patriâ Diaconum vidit. Ex filiabus *Urſula* M. *Davidi Steudlino*, Concionatori poſteà, & Senatori *Campidonenſi*, deſponſata fuit. Generum ex aliâ filiâ accepit M. *Joh. Georg. Wibelium*, Specialem Superintendentem *Pfortzhemii*. 12. Octob. A. 1633.

Halæ quater concionatus.

Conjugium ejus, & Liberi.

Filius ejus Georg. Albertus Theolog.

Digitized by Google

Conjugium alterum. A. 1633. Ad ſecunda vota tranſiit deſponſatus cum *Suſannâ Morauerîâ*, viduâ honeſtâ, quam ſenii conſortem fidelem reliquit ſuperſtitem.

Paſtor Eccleſ. Pölnboſii. A. 1594. Eccleſiæ Miniſterium auſpicatus *Pülnboſii*, *Palatinatûs Neoburgi* pago, Paſtor factus eſt. A. 1603. vocatus â Senatu *Auguſtano*, *Diaconus Auguſtæ Vind.* Diaconi munus in Templo *Franciſcanorum* ſuſcepit. A. 1605. tranſlatus exindè ad Diaconatum *S. Annæ*, 27. Junii A. 1619. *Concionator ad S. Crucem.* Concionator ad *S. Crucem* electus, tandemque 17. Junii A. 1625. Miniſterii Eccleſiaſtici Senior declaratus eſt. *Senior Miniſterii.* Intereà *Auguſtæ* 1284. conjuges deſponſavit, & 501. Conciones funebres habuit.

A. 1629. Ob fidei Reformationem *Auguſtæ* ſuſceptam remotus anno ſeq. *Nordlingam* *Exul Nordlingæ.* diſceſſit, ibique M. *Stephani Wechsleri* podagrici vices in munere Eccleſiaſtico obivit. A. 1632. Revocatus in patriam, *Auguſtam revocatus.* Concionatoris officium priſtinum obivit uſque ad A. 1635. quo iterum cum toto Miniſterio, duobus exceptis, â Miniſterio ſacro remotus eſt; anno ſeq. 1636. ætatis 67. *Moritur* morte beatâ vitam terminavit.

M. *BernharDVs ALbertVs SenIor AVgVſtanVs, TheoLogVs InſIgnIs prob! obIIt.*

* *Ex Concione fun. M. Joſuæ Wegelini, Miniſtri Poſon.*

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta. Haus- und Kirchen-Schatz / das iſt / Gebet und Danckſagungen auf jeden Tag in der Wochen: Item / auf die Feſt und Zeiten im Jahr.

Magia, oder Bericht von der Zauberey.

Der Kirchen GOttes feſte Burg / das iſt / 7. Predigten über den 46. Pſalm.

Handbüchlein.

Melancholia, das iſt / Bericht von Melancholey und Schwermütigkeit.

Bericht / wie man in Sterbläufften die *inficirte* Perſonen aus GOttes Wort tröſten ſoll.

Autophonia, das iſt / Bericht von denen Chriſten / die ſich ſelbſt um ihr Leben bringen.

Donner- und Wetter-Büchlein / das iſt / Bericht aus H. Schrifft / woher die ſchwere Donner und Wetter kommen.

PETRUS FORERIUS.

Obiit A. C. 1636.

M*Irecuria Lotharingiæ* oppidum, annô 1565. pridiè Calend. Decembris *Petrum* orbi dedit. Parentes erant *Dominicus Fourier*, & *Anna Vacquart*. Hic ab infantiâ ſacris Altaribus deſtinatus fuit: Cumque verba formare & balbutire potuit, ludum literarium frequentare juſſus eſt. Obſtupuêre Magiſtri, in hoc parvulo *Tobia* nihil puerilis levitatis reperiri. Cum ætas permiſit, ad *Muſſipontanam* Academiam ablegatus eſt, quæ per id tempus maximè florebat, ubi humaniores literas cum tanto profectu terminavit, ut præter linguam Latinam, quam perfectè poſſidebat, Græcam etiam uti vernaculam calluerit, eâ tam familiariter uſus, ut ad altiores Claſſes promotus ſuum *Ariſtotelem* ſine interprete, & in linguæ ejuſdem puritate legerit. Porrò etiam artem Poëticam non mediocriter calluit, Rhetor quoque peritiſſimus.

Cùm annos numeraret ætatis viginti, in *Lotharingiâ* Canonicorum Regularium ſe aſſociavit Ordini, atque Parochus *Matincuriæ* denominatus eſt. *Canonicus Regularis. Parochus Matincuriæ.*

Cùm aliquando *Forerius* corpus omni ex parte ulceroſum ſucceſſu tàm felici curâſſet, ſtatuit publico dare librum *La Pratique des Curez* inſcriptum: quod opus è manu adeò probatâ elaboratum apud quosvis magnam inveniſſet fidem, ſi completum reliquiſſet.

Superiores deindè ipſo ad obeundas miſſiones & inſpectiones in ſuis Diœceſibus & Jurisdictionis ſuæ Territoriis uſi fuerunt; Canonicorum etiam regularium Reformator extitit. Bellô coactus excedere *Grajacum Burgundiæ* Comitatûs oppidum attigit, ubi febri quartana duplicata anno 1636. ex hâc vitâ in cœlum migravit. *Moritur.*

* *Ex Vitâ Petri Forerii â Dominico Biſſelio Latinè edita.*

ALOYSIUS CERCHIANUS.

Obiit A. C. 1636.

V*Icentiæ* natus A. C. 1603. A primis annis ad Eloquentiæ & Poëſeos ſtudia propenſus, adoleſcens Clericus Regularis congregationis *Somaſchæ* factus, *Clericus Regularis.* ſub optimis Ordinis ſui Patribus bonas literas & ſacras diſciplinas hauſit. Poſtquàm deindè *Bergomi* inferiores juventuti diſciplinas tradidiſſet, *Venetiis* in Seminario Patriarchæ Oratoriam palæſtram, ſimulque Academiam titulo Generoſorum aperuit. *Aperit Venetiis Academiam Generoſorum.*

Indè *Romam* accitus, ut ibidem ingenium ſuum Societati accommodaret, cum Oratione quâdam Legati *Hiſpanici* aures offendiſſet, illicò Patrum ſuorum Conſilio in *Lombardiam* reverſus, *Venetias* denuò ad intermiſſas exercitationes rediit.


Quod otii reliquum erat, Ordinis ſui Hiſtoriæ deſtinaverat, & *Patrum Elogia* cum iconibus aliquot editioni jam habebat parata.


Cum verò Patres ipſum Rectorem *Biellæ* deſignâſſent, eo in itinere febri acuta correptus hoſpes in alienâ domo vivere deſiit *Alexandriæ â Paleâ* A. C. 1636. ætatis 33. *Rector Biellæ deſignatus. Moritur.*

Reliquit


BERNHARDVS ALBERTVS
Theolog. August.



GEORGIVS CRVCIGER.
Theol. Marpurg.


JOHANNES FABRICIVS
Theol. Norib.


ZACHARIAS HERMANNVS
Theol. Vratislav.


JOHANNES GERHARDVS
Theol. Jenensis.


DANIEL CRAMERVS.
Theol. Stetinensis.



GEORGIVS ZEÆMANNVS
Theol. Campodun.



CONRADVS DIETERICVS
Superint. Vlmens.


EBERHARDVS KOLBIVS.
Theol. Argentin.


LVDOVICVS DVNTE.
Theol. Revelensis.


JOHANNES POLYANDE
Theol. Leydens.


STANISLAVS LVBIENSKI
Episcopus Plocensis.


JOHANNES MEELFÜHRER
Abbas Heilbrunnensis.



FRANCISCVS GOMARVS.
Theol Prof. Gröningensis.


JOACHIMVS WILLIVS.
Theol. Norib.


PETRVS HVBERVS.
Theol. Vlmens.

Azelt sc.

Digitized by Google



Scripta. *Reliquit Orationum & Poëmatum Volumen.*

Triumphum Pietatis de S. Ivone pauperum Advocato Panegyricum.

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Jac. Philippi Tomaſini.*

Obiit A.C. 1636.

JOH. JACOBUS PARSIMONIUS.

AUguſtæ Vindelicorum mundum ingreſſus eſt 4. Nov. A.C. 1579, patre *Johanne Parſimonio*, Pictore celebri, matre *Sabinâ Guckeriâ*.

Cum puer in patriâ, *Ulmæ* & *Stutgardiæ* fundamenta bonarum literarum poſuiſſet, A. 1595. inter Alumnos Collegii Evangelici *Auguſtani* receptus, ſub Inſpectoribus *Davide Schrammio* & M. *Johanne Wegelino* per quinquennium ſtudiis humanioribus operam dedit. *Alumnus Auguſtæ Vind.*

A. 1600. In Academiam *Tubingenſem* progreſſus 1. Apr. A. 1601. primam Baccalaureatûs, & 11. Aug. A. 1602. ſecundam in Philoſophiâ Lauream cum laude & honore adeptus eſt. Abindè ſtudio Theologico ſe conſecrans, docentes publicè Theologos celeberrimos *D. Stephanum Gerlachium, D. Matthiam Haſenrefferum*, & *D. Joh. Georg. Sigwartum* diligenter audivit, in diſputando & concionando ſe exercuit, primamque Concionem *Muckenſturmii* habuit. *Baccalaur. & Philoſ. Magiſter Tubingæ.*

Nobilibus intereà *Gemmingenſibus* à Dn. *D. Sigwarto* commendatus 7. Aug. A. 1603. Paſtor Eccleſiæ *Gemmingenſis*, prægreſſis Examine & Ordinatione conſuetis, factus eſt, A. 1613. *Halle Suevor.* Concionator ad *S. Michaëlem* declaratus, & A. 1615. Capituli Decanus electus. *Paſtor Gemming. Concionator, & Decanus Capituli Hallenſ.*

Miniſterii ſui tempore, præter Evangelia, Libros Biblicos diverſos, *Lib. V. Moyſis, Lib. Joſuæ, Judicum, Ruth, Lib. II. Samuelis & Regum* concionando declaravit.

Intereà vitam in duplici conjugio traduxit, primò deſponſatus 8. Nov. A. 1603. cum *Catharinâ Craſtiâ Geislingenſi*, M. *Davidis Burcardi Vogelmanni*, Concionat. *Gemming.* relictâ viduâ, ex quâ filiolam ſuſcepit, brevi poſt partum denatam. Deindè A. 1608. cum virgine *Rebeccâ*, Dom. *Davidis Krantzii*, Paſtoris *Betlingenſis* filiâ, quam ſine liberis viduam reliquit ſuperſtitem. *Conjugium ejus duplex.*

Ab Eccleſiâ tandem Militante ad Triumphantem evocatus obiit 17. Aug. A.C. 1636. æt. 57. *Moritur.*

* *Ex Concione fun. M. Nicolai Glockii, Concionat. Hall. ad S. Michaëlem.*

Clar. A.C. 1636.

GEORGIUS CRUCIGER.

MAgnorum Theologorum *Crucigerorum*, avi, (quo in Reformatione Eccleſiæ *Lutherus* olim & *Philippus* Paraſtatâ gaviſi ſunt ac Symmyſtâ,) & patris orthodoxæ fidei Aſſertoris conſtantiſſimi, nepos & filius natus eſt *Merſburgi* 24. Septemb. anno 1575.

Sicut is autem à puero ſtatim Linguarum artiumque liberalium culturâ ſummoperè fuit delectatus; ita cum eiſdem ſimul pietatis cognitionem, partim patris curâ, partim operâ Præceptorum, cumprimis verò Doctoris *Johannis Bilſtenii*, qui ſingulari dexteritate juventutem aliquandiu erudivit, animo cupidiſſimo imbibit.

Quæ Linguarum, Philoſophiæ & Theologiæ ſtudia porrò apud exteros, primò quidem in *Naſſovico* Gymnaſio *Sigenenſi*, ſub *Johannis Piſcatoris* inſtitutione, ultra biennium; poſtmodò verò, perluſtratis tamen antè A. 1597. *Lipſienſi* & *Wittebergenſi*, ubi per annum ſubſtitit ferè integrum, Univerſitatibus, in *Heidelbergenſi* Academiâ toto triennio continuo coluit uberiùs *Keckermanno, Toſſano, Calamino, Reutero* & *Paréo* uſus Præceptoribus, quorum commendatione ac teſtimonio egregiè honeſtatus, anno 1600. rediit *Caſſellas*, ubi edito prius ſpecimine ex *Mauritii* Principis juſſu Scholæ præficitur aulicæ, in quâ ſelectiorem juventutis florem in humaniore literaturâ & verâ informavit pietate. *In Naſſovicum Gymnaſium Sigenenſe profectus eſt. Academiam Lipſienſem & Witteb. viſitavit Heidelbergam venit. Scholæ Aulicæ Caſſellanæ Præfectus.*

Sed perſpectâ illius in adminiſtratione muneris, quod toto quinquennio geſſerat, fide & ſolertiâ, jam ampliùs voluntate Principis, judicioque Academiæ Procerum anno 1605. in Profeſſorum *Marpurgenſium* cooptatus eſt numerum, aſſignatâ ipſi Logices Profeſſione ordinariâ, in cujus etiam exorſum protinus Cal. Septembris in publico conſeſſu, præſente ipſius Celſitudine peroravit, auctus non multò pòſt ſupremâ Philoſophiæ Laureâ à *Johanne Hartmanno* ritè deſignato Agonotheta. *Logices Profeſſor Marpurg. Itidem Orationem habet præſente Principe. Magiſter Philoſophia.*

Cœterùm biennio pòſt in præluſtri Gymnaſio *Betſanio* Profeſſio Theologica ipſi delata eſt, miſſis eâ de re literis ſimùl ad *Haſſiæ* Principem. Verùm cum is hujus ſui Profeſſoris operâ & laboribus Academiam ſuam deſtitui neutiquam vellet, eundem acceſſione ſtipendii factâ devinxit arctiùs. Cal. indè Jan. an. inſequentis, conſpirante patrum Academiæ conſenſu, ipſe caput Univerſitatis & Rector electus eſt, ac Cal. Septembris ex decreto Facultatis Theologicæ, ſubſequente reliquarum Facultatum aſſenſu à *Raphaële Eglino* ei impoſita eſt Doctoralis Infula. *Rector Academiæ. Doctor Theologiæ.*

At ipſis Cal. Octob. à Principe ad Nationalem deputatus & miſſus eſt Synodum *Dordraci* in *Hollandiâ* inſtitutam, intereà obiit vicariam Rectoratus adminiſtrationem *Theodorus Vietor*. Sed cùm Synodus illa opinione omnium longiùs protracta eſſet, Rectoratus quoque dignitas & honos in ſubſequentem Crucigero prorogata eſt annum. *A Principe ad Nationalem Synodum Dordrac. in Holland. miſſus eſt. Rectoratus dignitas in ſubſequentem annum prorogata.*

Solutâ & finitâ Synodo, *Marpurgum* ipſi reverſo nova eaque gemina oblata provincia eſt. Cum enim eo tempore ſimul & Hebræo-Theologica ob triſtem *D. Johannis Moltheri* obitum vacaret Profeſſio, & ob *Hebræo-Theologica Profeſſio ipſi demandata eſt.*

Ooo ſenectu-

ſenectutis incommoda venerandus ſenex D. *Caſpar Sturmius* officio Ephoriæ ſe ultrò abdicaret, utraque munia hæc ipſi demandata ſunt, atque inſuper anno 1631. Theologicæ Facultatis factus eſt Decurio.

Eccleſ. & Scholar. Ephorus. Theologicæ Facultatis Decanus.

Ex Scriptis ejus prodiit vix tandem, ſuaſoribus atque impulſoribus amicis, *Harmonia quatuor Linguarum cardinalium*, in quâ ex Hebræâ, ceu fonte, reliquarum origo & earundem inter ſe cognatio clarè oſtenditur.

Scriptum.

* *Ex MSS. Marpurg.*

Obiit A.C. 1636.

JOHANNES SCHEIDA.

NAtus eſt *Biſtritzii*, oppido *Moraviæ* ad fines *Bohemiæ* ſito A. 1565. Patrem ſortitus *Matthæum Scheidam*, Notarium Civitatis, matrem *Dorotheam*, honeſtam fœminam.

Fundamenta pietatis & literarum in Scholâ patriâ jecit, deindè *Pragam* miſſus, cum aliquandiu ibi eſſet verſatus, celebriorum alumnus Scholarum, tandem nobiles pueros informare inſtituit.

Pragæ Præceptorem agit.

A. 1604. Nuptias fecit cum virgine *Catharinâ*, *Wenceslai Duchoslai Spaldovii*, civis & Notarii *Przibramenſis* filiâ.

Nubit.

Quarto anno pòſt 1608. â Reverendo Viro *Nicolao Paradiſio* & Curatoribus *Ægidiæ* Diœceſeos, in veteri *Pragenſi* Urbe Diaconus deſignatus, *Wittenbergam* profectus eſt, ut ordinaretur, quâ occaſione Theologum celeberr. *Leonhart. Hutterum* ſalutavit.

Diaconus Prag.

Eas partes cum in annum tertium adminiſtrâſſet, Anteſignano ſuo vitâ functo Succeſſor datus eſt.

Deindè ad ædem *D. Alberto* ſub rupe ſacram Verbum Divinum docuit, & in eâ provinciâ triennium confecit. *Taborii* etiam *Nadezeradecii* Decani functionem cum laude ſuſtinuit.

Nakovanicium â generoſo Dom. *Carlovecio* honeſtis conditionibus invitatus, ejusque Eccleſiæ Paſtor declaratus, ſeptennium illi muneri præfuit. Indè *Lyſſum* vocatus, poſt triennium decedere officio diritate temporum coactus, *Pragam* quidem A. 1631. rediit, & Verbum DEI in Cathedrali Eccleſiâ prædicare fidelibus cepit, ſed paulò pòſt captus, & ægrè liberatus ex carcere, *Wittenbergam* repetiit, & quod ſupererat vitæ ibi exegit. Suſcepit filios 4. & unam filiam, ex quibus *Joh. Samuelem* poſt ſe reliquit.

Paſtor Eccleſ. Nakovanicii, & Pragæ.

Lento tandem morbo conſumptus, felicem ærumnoſæ vitæ clauſulam impoſuit 12. Sept. A. C. 1636. æt. 71.

Mor. Wittenbergæ.

* *Ex Programm. fun. Aug. Buchneri.*

Obiit A.C. 1637.

MATTHÆUS GROSSERUS.

LIbeſtadii in *Miſniâ* natus eſt 5. Julii A. 1604. Patre *Eliâ* illius oppiduli Conſule, matre *Annâ Meckiâ*. Prima rudimenta domi cum hauſiſſet, *Dresdam* miſſus eſt, ut artes liberales uberiùs imbiberet. A. 1623. in Academiam *Wittenberg.* venit, & inter communis menſæ famulos eſt cooptatus, quod munus poſt tempus aliquod cum Lecturâ commutavit. Cumque ſtudia tum Philoſophica tum Theologica diligenter tractâſſet, id conſecutus eſt, ut A. 1626. Magiſtri titulo publicè ſine impenſâ ornaretur, & A. 1628. inter Adjunctos Philoſophici Ordinis adſcriberetur.

Magiſter Philoſ. Wittenb.

A. 1632. 5. Sept. adjunctus eſt Seniori Superintendenti *Jeſſenſis* Eccleſiæ, ut ſuſtineret vices, quas ille per ætatis incommoda explere non poterat. Simul autem ille deceſſit vitâ, ejus locum hic ſtatim tenuit, & laude ornavit. Matrimonium eodem tempore iniit, quo Sacerdotium acceperat, nuptias faciens cum virgine *Roſinâ*, M. *Michaëlis Uhlii*, Scholæ Oppidanæ Moderatoris filiâ, ex quâ filium unum ſuſcepit. Cum verò eſſet infirmo corpore & tabi diu obnoxio, febre malignâ tunc graſſante *Wittenbergæ* correptus, quo tribus ante ſeptimanis infirmæ valetudinis curandæ cauſâ venerat, inter medias preces exſpiravit A. 1637. æt. 33.

Superint. Jeſſenſis. *Nubit.* *Mor. Wittenbergæ.*

* *Ex Programm. fun. Aug. Buchneri.*

Obiit A.C. 1637.

JOHANNES FABRITIUS.

IN pago *Fürth* propè *Norimbergam* natus 18. Aug. A. C. 1560, & die ſeq. è S. Baptiſmo ſuſceptus â Dn. *Bartol. Gebharto*, Paſtore Eccleſiæ in pago vicino Poppenreit; Patrem habuit M. *Joh. Baptiſtam Fabritium*, primò Diaconum ad *S. Ægidium Norimbergæ*, deindè per annos 21. Paſtorem Eccleſiæ *Fürthenſis*, ubi obiit 27. Nov. A. C. 1578. æt. 46. Mater ei fuit *Gertrudis*, *Blaſii Senſii*, civis *Juterboci*, in ditione *Magdeburgenſi*, filia, quæ *Norimbergæ* deceſſit 6. Febr. A. 1606.

Parentes ejus.

In pueritiâ valetudinarius, colicæ paſſioni, febribus, ictero, tuſſi, & catarrhis frequenter obnoxius, cum domi literarum primitias deguſtâſſet, *Altorfium* in Gymnaſium recens ibi fundatum A. 1575. â Parentibus miſſus, & A. C. 1578. *Ingolſtadii* more Academico per Depoſitionis actum ſtudiis initiatus fuit.

Per depoſitionem ſtudiis initiatur.

A. 1583. *Altorfii* â *Nicolao Taurello*, Med. D. & Philoſ. Prof. Magiſter Philoſophiæ unâ cum 6. aliis Candidatis ſolenniter renuntiatus eſt. Ibidem per triennium adhùc commoratus, Collegia Philoſophica privata ſtudioſis habuit, donec ſuadentibus ex Senatoribus quibuſdam *Norimbergam* conceſſit, & ibi Scholam privatam aperuit, unàque ſedulus in ſtudio Theologico perrexit, usque dum 1. Sept. A. 1586. ad Examen Theologicum vocaretur.

Philoſ. Magiſter. *Scholam aperuit.*

Eodem anno in uxorem duxit *Cunigundam*, M. *Simonis Eberitteri*, Rectoris *Winsheimenſis* viduam.

Nubit.

A. 1588.

A. 1588. In pago *Norico* Fiſchbach primam Concionem habuit. A. 1589. Cum 27. April. juſſu Dom. *Hieronymi Baumgartneri*, Scholarchæ, Concionem probatoriam habuiſſet in Templo *S. Catharinæ* ſacro, 11. Dec. ſeq. Senatu jubente, Miniſterium Verbi Divini ad *S. Ægidium* aggreſſus, in Diaconatu M. *Wolffgango Streitbergero* ſucceſſit, eo Miniſterio functus eſt ad A. C. 1593, quo Paſtor Eccleſiæ ad *S. Claram* factus eſt.

Diaconus ad S. Ægidium.

A. 1596. Diaconus in Templo *Sebaldino* nominatus, munus id biennio cum laude geſſit, & bis Conciones Catecheticas ante Paſchatos Feſtum pro more habuit. A Paſchatos deinde Feſto usque ad finem A. 1598. unâ cum Collegâ ſuo M. *Georgio Wernero*, Concionatore poſteà ad *Spiritum Sanctum*, Conciones Dominicales ad *S. Sebaldum* alternis vicibus habuit. Tunc in eodem Templo Concionator & M. *Henrici Schmidelii* vitâ defuncti Succeſſor conſtitutus à Senatu, primam ibi habuit Concionem 1. Jan. A. 1599. Hoc officio Eccleſiaſtico fideliter ad vitæ ſuæ finem perfunctus reverâ præſtitit id, quod Muſæi ſui parieti inſcripſerat:

Concionator ad S. Sebald.

Cum rectè vivas, ne cures verba malorum:
Arbitrii noſtri non eſt, quid quisque loquatur.

A. 1613. Uxore biennio antè vitâ defunctâ, ſecundas celebravit nuptias cum virgine *Suſannâ*, *Sebaldi Ayreri*, Mercatoris primarii filiâ, ex quâ duos ſuſcepit filios, *Danielem* paulò pôſt demortuum, & *Johannem* poſtmodùm Concionatorem egregium ad *S. Mariam*.

Alteram conjugem duxit.

Viribus tandem ob ſenium deficientibus vitam morte beatâ finiit 20. Jan. A. C. 1637. æt. 77. Miniſterii Eccleſ. 49.

Moritur.

A M. *Johanne Gundermanno* hoc honoratus fuit Epitaphio:

Epitaphium.

ECCe ſVb hoC ſaXo PaſtorIs In æDe SebaLDI
Iohann FabrICII pVLVerea oſſa CVbant.

* *Ex Concione funebri M. Johannis Ferberi, Diaconi Sebaldini.*

HENRICUS RAMSDENUS.

Obiit A. C. 1637.

IN Agro *Eboracenſi* natus, ex aulâ *Magdalenenſi* in Collegium *Lincolnienſe*, *Oxoniæ*, adſcitus ſocius A. 1621. tum quoque artium Magiſter, poſt quinquennium loco ceſſit, in Urbe *Londinenſi* Prædicator factus; deinde fratri ſuo *Hugoni Ramsden*, in Eccleſiâ de Hallyfax/ in eodem agro ſucceſſit.

Prædicator Londinenſis.

Obiit 7. Cal. Mart. 1637. & in ipſo Eccleſiæ ſuæ choro ſepultus eſt.

Moritur.

Scripſit *Conciones varias* Lond. 1639. Angl.

Scripta.

* *Ex Hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

JOHANNES PERCA.

Obiit A. C. 1637.

TEuſchnitii, Epiſcopatûs *Bamberg.* oppido, mundum ingreſſus eſt ſub initium A. C. 1563, patre *Simone* Pretſch/ ibidem Senatore & ſartore, matre *Annâ Kampſiâ*. His parentibus puer orbatus, â fratre *Johanne Pretſchio*, Eccleſiæ *Wartenfelſenſis* tum Paſtore, in ædes receptus, ab eoque in Scholam miſſus, & Sartorum opificio diſcendo deſtinatus fuit. Sed cum uxor hujus *Pretſchii* puerum inſtar filii proprii dilexiſſet, maritum perſuaſit, ut nepotem ex fratre A. 1576. in Scholam *Curienſem* ablegârit, eique ſumptûs ad ſtudia neceſſarios ſuppeditârit, donec in Contubernium pauperum receptus fuit, in quo ſexennium cum aliis condiſcipulis pauperibus exegit.

Fil. Sartoris.

Curiæ in Contubernio pauperum diſcipulus.

A. 1583. Patruo volente, *Lipſienſem* Academiam acceſſit, in quâ mox â *D. Hieron. Guntbero*, J. C. ſuſceptus filiorum ejus Præceptor fuit, ejus Lectiones publicas ſedulus inviſit. Ibi A. 1585. unâ cum aliis 16. Studioſis artium & Philoſophiæ Baccalaureus, & A. 1587. iterum cum 16. competitoribus Philoſophiæ Magiſter ſolenniter creatus eſt.

Lipſiæ Philoſ. Baccalaur. & Magiſter.

Statim deinde *Wartenfelſium* ad fratrem ſe conferens, eodem adhuc anno, conſentiente Conſiſtorio *Culmbacenſi*, muneri Scholaſtico adjudicatus, *Münchberge* Adjunctus primùm fuit, quotannis præter penſionem 10. modò florenos pro didactro habens, ſed non multò pôſt, defuncto *Caſp. Maulio* in Ludimoderatoris munere ſucceſſit, in quo per quadriennium verſatus eſt.

Adjunctus Scholæ, & Ludimoderator Münchbergæ.

A. 1591. 7. Oct. ad Diaconatum Eccleſiæ *Münchbergenſis* â *D. Aurelio Streitbergero*, Superintendente *Curienſi* inveſtitus. Sed cum â *D. Nic. Selneccero*, Theologo *Lipſ.* Conſiſtorio *Brandeburgico* de meliori notâ fuiſſet commendatus, anno ſequenti 1592. 18. Oct. *Culmbacum* ad Diaconatum vocatus, & Dom. primâ Adventûs â Superintend. M. *Nicolao Gramanno* S. Miniſterio inauguratus eſt.

Diaconus Münchberg.

& Culmbac.

A. 1600. *Wonſidelii D. Friderico Stretzio* demortuo Superintendenti Succeſſor â Sereniſſ. *Marchione Brand. Georgio Friderico* denominatus, & â Conſiſtorio Eccleſiaſtico legitimè vocatus eò cum familiâ ſe contulit, & Dom. primâ Adventûs â *D. Aurelio Streitbergero* Eccleſiæ ſibi traditæ præſentatus ac inveſtitus eſt. In eo munere totos 37. annos verſatus eſt, & licèt aliquando Sereniſſ. *Marchio Brand.* Concionatorem eum aulicum ſibi petiviſſet, & poſt obitum *D. Aurelii Streitbergeri* Conſiſtorium Superintendentem *Curienſem* denominâſſet, ſubmiſſè tamen, ut in ſtatione ſuâ vitæ tempus reſiduum ſibi liceret exigere petiit & obtinuit.

Superint. Wonſidelii.

Conjugium duplex contraxit, primùm A. 1591. *Münchbergæ* cum virgine *Sibyllâ*, Dom. *Chriſtoph. Hofmanni* filiâ, ex quâ filium reliquit ſuperſtitem, & 4. filias præmiſit.

Conjugium ejus duplex & Liberi.

Digitized by Google

A. 1602. Cum alterâ conjuge virgine *Catharinâ*, M. *Laurentii Kellermanni*, Paſtoris *Eſchenbacenſis* in *Palatinatu* filiâ deſponſatus, duos ex eâ filios cum 4. filiabus poſt obitum in vivis reliquit. Ex filiis M. *Johannes*, Paſtor Eccleſiæ *Röslenſis*, & M. *Joh. Fridericus*, Diaconus *Wonſidelii* facti ſunt. Ex filiabus *Margaretha Johanni Schreyero*, *Anna Maria Gabrieli Jahnio*, Judici *Wonſidelenſi*, *Eva* M. *Jacobo Elrodio*, ibidem Diacono, & *Magdalena Georgio Geſellio*, Mercatori *Lipſienſi* deſponſatæ fuerunt.

Duos filios Eccleſ. Paſtores vidit.

Cum tandem â 3. ſeptimanis ex tumore pedum & aſthmate decubuiſſet, placidâ morte ſublatus, vivendi finem fecit *Wonſidelii* 15. Martii A. C. 1637. ætatis 75. Miniſt. 50.

Moritur.

MartIa LVX ter qVInta rapIt te ætate ſenILI,
O SVperIntenDens, heV pater OrbIs eras.

M. JOHANNES PERCA, SENIOR.
Per Anagr.
Nonne hæc pia Mors? Erit.

* *Ex Concione fun. M. Henr. Teubelii, Superintend. Curiæ.*

ca idem tempus Coll. *Chelſeienſis* ſocius, & poſt decennium, Doctoris in Theologiâ Gradu in hac Academiâ ornatus. Vir tam doctrinâ quàm pietate eximius, linguis *Latinâ*, *Græcâ*, *Hebraicâ*, *Chaldaicâ*, *Arabicâ*, *Æthiopicâ*, ad Criticiſmum usque peritus, Vernaculæ Bibliorum editionis noviſſimæ pariter & accuratiſſimæ Author, inter nominatiſſimos conſpicuus, Paſtor oculatiſſimus, Verbi Divini Præco maximè ſedulus, & de Eccleſiâ DEI, laboribus privatis & publicis, optimè meritus.

Doctor Theologiæ.

Obiit 15. April. 1637. ætat. 70. & in Choro Eccleſiæ de *Quainton* eſt ſepultus.

Moritur.

Græca quædam in Latinum ab illo verſa ſunt ſequentia:

Scripta.

Vitæ Sanctorum Evangeliſtarum Johannis & Lucæ, à Simone Metaphraſte concinnatæ. Oxon. 1597.

Agatharchidis & Memnonis Hiſtoricorum, quæ ſuperſunt omnia. Oxon. 1597.

Iconum ſacrarum Decas, in quâ è ſubjectis Typis compluſcula ſanæ doctrinæ capita eruuntur. Oxon. 1603.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

ObiitA.C. 1637.

JACOBUS BRANDMÜLLER.

Filius *Jacobi Brandmülleri*, Diaconi *Baſileæ* ad *S. Theodorum* vitam auſpicatus eſt 30. Oct. A.C. 1598. Adoleſcens felicis ingenii, ſtatim ac Claſſes egreſſus eſſet, Magiſter Philoſophiæ cum laude creatus, abindè ſtudio Theologico ſe dedit. A. 1620. ad munus Concionatoris *Aſſeldrangam* in *Turgaviâ* vocatus, A. 1621. *Bielam* indè conceſſit, & ſexennio Verbum DEI fideliter docuit.

Eccleſ. Paſtor Bielæ.

Intereà Conjugii ſocietatem iniit cum eâ, quam viduam reliquit, conjuge. A. 1628. *Baſileam* revocatus, defuncto Dn. *Jacobo Groſſio*, in Diaconatu ad *S. Claram* ſucceſſit. Tandem A. 1630. Concionator ad *S. Theodorum* electus, in eo munere morte beatâ vitam clauſit 19. Martii A. C. 1637. ætatis 39.

Baſileæ Concionator ad S. Theodorum. Moritur.

* *Ex Concione fun.*

ObiitA.C. 1637.

RICHARDUS BRETTUS.

Generoſâ Familiâ *Londini* in *Angliâ* natus, quindecim annos numerans, in Aulâ *Cervinâ* primùm ſtuduit 1582. Mox ante Gradum Bacc. in Artibus ſuſceptum, *Collegii Lincolnienſis* in Univerſitate *Oxonienſi* ſocius electus eſt. Et cum in volvendis libris totus eſſet, in Linguarum peritiâ, Theologiâ, omnique literaturâ inclaruit.

Collegii Lincolnienſis Oxoniæ ſocius.

Poſt aliquot annos, Rector de *Quainton* juxta *Aylesburiam* in Comitatu *Buckinghamenſi* inſtitutus eſt A. 1595. nec non cir-

---

ObiitA.C. 1637.

ZACHARIAS HERMANNUS.

Urathslaviæ natus eſt 14. Febr. A. 1563. Patre *Michaële Hermanno*, Theologo Seniore, & Diacono in Templo *Mariæ Magdalenæ*: Matre *Hedwige Namsleriâ*. Fratrem habuit *Eſaiam*, ad *D. Eliſabetham* Diaconum.

Cum in patriâ ſub inſtitutione fideli Præceptorum fundamenta poſuiſſet in ſtudiis humanioribus, in Academiam *Wittenbergenſem* miſſus, ſubſidio ſtipendii â Senatu ſibi conceſſi, Theologicum ſtudium ſedulus tractavit, & docentes audivit *D. Georgium Mylium*, *D. Polycarpum Lyſerum*, aliosque.

Wittebergæ Theol. ſtudet.

Domum reverſo, â Senatu patrio in Scholâ *Mariæ Magdalenæ* locus inter Præceptores primarios aſſignatus, & unà exercitium Concionatoris ad *S. Salvatorem* in novo cœmiterio concreditum eſt.

Uratislaviæ Præceptor Scholæ.

Brevi pòſt ad Diaconatum in Templo *Mariæ Magdalenæ* vocatus, Concionator poſtmodùm ad *S. Trinitatem* factus, & tandem A. 1611. Paſtor ad *S. Eliſabetham*, unàque Templorum Scholarumque Inſpector conſtitutus, eodem tempore *Francofurti ad Oderam* Theologiæ Doctor cum honore renuntiatus eſt, cum jam anteà prægreſſis aliquot annis Magiſterii Gradum fuiſſet adeptus.

Diaconus. Paſtor Eccleſ. Theol. Doctor.

16. Jan. 1590. Conjugium iniit cum virgine *Marthâ*, *Iſaaci Drechsleri*, civis in patriâ primarii filiâ, ex quâ 9. liberos ſuſcepit, & duos filios *Michaëlem* & *Zachariam*, cum duabus filiabus reliquit ſuperſtites.

Conjugium init.

Hâc

Hâc conjuge defunctâ cum alterâ deſponſatus eſt 4. Sept. A. 1617. *Urſulâ Schubartiâ*, *Jeremiæ Geſneri*, Med. Doctoris relictâ viduâ. Senio tandem & virium defectu laborans beatâ morte vitam finiit *Uratislaviæ* die Aſcenſionis CHRISTI A.C.1637. ætatis 75. Miniſterii 50. *Mor.*

* *Ex Conc. fun. M. Joachimi Fleiſcheri.*

SACHAREJAS HERMANNUS.
Per Anagr.
Vera ſacra ſeminans.

SACHARIAS HERMANNUS, DOCTOR.
Per Anagr.
Hic ornas artes mundo charas.

24. Febr. A. C. 1620. *Fridericum* Electorem *Palat.* & electum Regem *Bohemiæ*, *Uratislaviæ* â Senatu ſplendidè exceptum, & Templo *S. Eliſabethæ* appropinquantem, hic *Hermannus* cum cœteris Paſtoribus Evangelicis ad fores Templi ſtans Oratione Latinâ excepit, & in Templum ad altare deduxit.

27. Febr. ſeq. in eodem Templo, præſente Rege *Friderico* cum Proceribus *Sileſiæ* Concionem habuit ſuper dictum *S. Pauli*: *Time DEUM & honora Regem.*

* *Ex Relat. Francofurt.*

JOHANNES VATERUS.

Obiit A.C. 1637.

NAtus eſt *Lipſiæ*, die *Johannis Baptiſtæ*, A. 1589, patremque habuit *Ericum Vaterum*, piſtorem, matrem *Annam Jedicciam*. Qui cum adverterent puerum literarum ſtudiis teneri, maturè ipſum in Scholam *D. Nicolai* tradiderunt. Hic cum egregiè in Linguis & artibus profeciſſet, autoritate Gymnaſiarcharum, Academiæ ſpatia ingreſſus, publicis Lectionibus & Philoſophiæ imprimis operam navare cepit.

A. 1605. Baccalaureus artium, & tertio anno pòſt Magiſter Philoſophiæ creatus publicè eſt. Ex eo tempore S. Theologiæ incubuit maximè, privataſque Scholas Philoſophicas domi ſuæ inſtituit, nec non in Concionibus exercitii cauſâ habendis multus fuit. Quo factum, ut A. 1613. â Capitulo *Merſburgenſi* ad capeſſendum Paſtoratum *Beblenſis* Eccleſiæ vocaretur: quas partes cum 9. annos ſummâ induſtriâ adminiſtrâſſet, *Seidanæ* Eccleſiæ Paſtor & Superintendens præfectus eſt. *Magiſter Philoſ. Lipſiæ.* *Paſtor Eccleſ. Beblenſis.* *Superintendens Seidanus.*

A. 1613. Legitimis nuptiis ſibi conjugem junxit virginem *Sabinam*, M. *Joh. Giesbachii*, Electoralis Fiſci Procuratoris & Cauſidici *Lipſienſis* filiam. Ex eâ liberos ſuſcepit 9, ſex maſculini & tres fæminini ſexûs. Reliquit filios tres: reliqui omnes dudùm obiêre, præter natu majorem filiam, quæ paucis ante patrem diebus obiit. *Nubit.*

M. Majo cum *Wittenbergam* ob pericula bellica ſe ſubduxiſſet, receptus â futuro ſibi genero *Samuele Heſſio*, Notario publico, paulò pòſt morbo correptus, decumbere cepit, & placidè exſpiravit 3. Junii A.C. 1637. ætatis 48. *Moritur.*

* *Ex Programm. fun. Aug. Buchneri.*

JOHANNES GERHARDUS.

Obiit A.C. 1637.

NAtus eſt *Quedlinburgi*, *Saxoniæ* infer. urbe 17. Octob. A.C. 1582. Patrem habuit *Bartolomæum Gerhardum*, Patritium & Senatorem ejus loci A. 1598. vitâ defunctum: Avum *Andream Gerhardum*, Abbatiæ *Quedlinburg.* Conſiliarium: Fratrem *Andream*, Cancellarium *Schwartzenburg.* Mater ei fuit *Margareta*, *Johannis Bemdes*, Reip. *Halberſtatenſis* Scabini, filia, quæ obiit A. 1624.

In hujus gravidæ alvo adhuc detentus puerulus noſter maximo fuit expoſitus periculo; Pater enim commoto irritatoque animo magni ponderis fuſtem in bibacem ſervum conjecturus, prægnantis maritæ, quæ de improviſo obviabat, corpus tam duriter petiit, ut hoc jactu fœtus tenelli jacturam omnes præſagirent. Enixa autem mater præter ſpem eſt filiolum, ſine ictus quidem judicio, non tamen ſine ſingularis fati præſagio integrum & illæſum.

In Scholâ patriâ Præceptores nactus M. *Henricum Fabrum*, Rectorem, & M. *Henricum Alstorfium*, Conrectorem, tam felices in curſu ſtudiorum fecit progreſſûs, ut A. 1599, poſtquàm in Scholâ *Halberſtatenſi* ſemeſtre ſub Rectore M. *Paulo Dolſchio* exegiſſet, in Academiam *Wittenbergenſem* ablegaretur.

Ibi privatim & publicè docentes audivit, in Logicis & Ethicis M. *Antonium Evonymum*, & M. *Johannem Sommerum*, in Rhetoricis M. *Mart. Helwigium*, in Hiſtoricis *D. Wolffgangum Franzium*, in Matheſi M. *Eraſmum Schmidium*, in Phyſicis M. *Johannem Meelfürerum*, & *D. Jacobum Cocum*. A. 1600. Theologos quoque docentes audire cœpit *D. Salom. Geſnerum*, & *D. Leonhardum Hutterum*. *Wittenbergæ ſtudia Philoſ. tractat.*

A. 1601. Ex conſilio *D. Andreæ Rauchbari*, Conſiliarii & Vice-Cancellarii *Saxonici*, amitini ſui, ad ſtudium Medicum animum applicuit, ejuſdemque Profeſſoribus tunc publicis *D. Johanni Jeſſenio*, *D. Andreæ Scatoni*, & *D. Erneſto Hettenbachio*: & privatim M. *Gregorio Horſtio*, poſteà Med. D. induſtriam ſuam probavit. *Medicinæ operam dat.*

A. 1602. *D. Andr. Rauchbaro Hemſendorfium*, in prædium ejus avocatus, & liberorum inſtitutioni præfectus fuit, ubi ſimùl Medicinam facere cœpit.

A. 1603. Cum *D. Rauchbari* filio natu majore *Michaële Jenam* conceſſit, & in *D. Johannis Stromeri*, J.C. Prof. ædes & convictum receptus eſt. Tunc verò recordatus voti,

 quod

Digitized by Google

quod A. 1597. in morbo melancholico de ſtudio ſacro tractando fecerat, & internâ conſcientiæ admonitione ſtimulatus, ad ſtudium Theologicum regreſſus eſt, adeòque Theologorum tunc temporis *Jenenſium D. Georgii Myli, & D. Ambroſii Reudenii* Lectiones Sacras, Hebræas verò *D. Petri Piſcatoris* ſedulus inviſit.

Voti cauſâ Theologiæ ſtudium completi-tur Jenæ.

Fit Magiſter Philoſ. Eodem anno 1603. 2. Aug. Magiſterii Gradu inter 12. Competitores agmen ducens inſignitus eſt. A. 1604. Cum diſcipulo ſuo *Marpurgum* profectus, & in convictum *D. Baltaſ. Mentzeri*, Theologi, receptus, Theologos docentes audivit *D. Joh. Winckelmannum*, *D. Balt. Mentzerum*, & M. *Johannem Schollium* in Hebraicis.

Adjunctus Facult. Philoſ. A. 1605. Sui rurſùm juris factus *Jenam* reviſit, & in Adjunctorum Facultatis Philoſoph. album adſcriptus pro loco conceſſo Diſputationem de Vero publicè habuit 31. Dec. & abindè concionari cæpit. A. 1606, quo Meditationes ſacras edidit, à *Johanne Caſimiro*, Duce *Saxoniæ* vocatus Eccleſiæ *Heltburgenſis* in *Franconiâ* Inſpectionem, & unà Theologiæ Profeſſionem *Coburgi* in Collegio *Caſimiriano* ſuſcepit, Menſe Junio.

Meditationes ſacras edit.

Theol. Profeſſor Coburgi, & Doctor. 13. Nov. ſeq. Eodem Principe ſumtûs erogante Doctor Theol. creatus eſt *Jenæ*. A. 1615. Generalis Ducatûs *Coburgenſis* Superintendens factus, *Melchiori: Epiſcopo* ſucceſſit.

Theol. Profeſſor Jen. A. 1616. Cum Principis ſui conſenſu *Jenam* ad Theologiæ Profeſſionem reverſus, & unà Conſiliarii Eccleſiaſtici munere apud Principem functus, ibi ad finem vitæ ſuæ Sacris deditus fuit, & Rectoratum Academiæ quater adminiſtravit.

Bis nubit. In Conjugio vixit gemino, priori *Vinariæ* inito 19. Sept. A. 1609. cum virgine *Barbarâ, Joh. Georgii Neumeieri* relictâ filiâ, ex quâ 24. Dec. A. 1610. filiolum ſuſcepit *Johannem Georgium*, anno ſeq. rurſùs denatum, cum matre ſuâ.

Poſteriori conjugio junctus eſt 1. Martii A. 1614. cum virgine *Mariâ, Johannis Mattenbergeri*, Med. Doct. & Conſulis *Gothani* filiâ, quæ prolis eum denæ parentem fecit, *Georgii Sigiſmundi & Margarethæ* rurſùs denatorum, *Eliſabethæ, Joh. Erneſti, Johannis, Mariæ, Polycarpi* defuncti, *Johannis Friderici, Joh. Andreæ, & Annæ Chriſtinæ* iterùm denatæ. Inter hos *Johannes Erneſtus* Linguar. Orient. callentiſſimus *Jenæ* Hiſtor. Profeſſor Publ. factus eſt A. 1650. Ipſe tandem, poſtquàm per 5. dies febri ardente decubuiſſet, vitam finiens hiſce verbis: *Veni, veni DOMINE, veni, Amen!* ad cœlites beatos emigravit 17. Aug. A. C. 1637. æt. 55.

Mor. Jenæ.

Libri ab eo editi, quos ſemel manu ſuâ ſcriptos nunquàm correxit, ſunt ſequentes:

Scripta: *Meditationes ſacræ, quæ in Germanicam, (etiam rhytmicè,) Gallicam, Anglicam, Italicam, Polonicam, & Græcam Linguam converſæ fuêre.*

Enchiridion conſolatorium morti & tentationibus in agone mortis opponendum, in 8vo.

Exercitium Pietatis quotidianum quadripartitum.

Confeſſionis Catholicæ Volum. IV.

Locorum Communium Iſagoge, in 4to.

Diſputationes Iſagogicæ.

Quæſtionum Politicar. Centuria.

Fulmina bruta Pontificiorum.

De legitimâ S. Scripturæ Interpretatione.

De Compoſitione Pacis Dillingenſis.

De Appellatione in Vallem Joſaphat.

Diſputationes Theologicæ, quibus dogmata Papalia juxta ſeriem Bellarmini expenduntur.

Annotationes in Pſalmos priores.

in Prophet. Amos & Jonam.

in Matthæum.

in Acta Apoſtolorum.

Bellarminus orthodoxias teſtis.

Methodus ſtudii Theologici in Tabulas redacta.

Scholæ Pietatis Libri V.

Schola Conſolatoria.

Patrologia.

Angelologia Sacra.

Aphoriſmi Sacri Theoretici & Practici.

Aphoriſmi ſelecti.

Poſtilla Evangeliorum, & Salomonea, aus dem Hohen Lied *Salomonis*, auf die *Evangelia* gerichtet.

Annotationes in Apocalypſin S. Johannis, & in Epiſtolam Judæ.

Commentarii in Geneſin, Deuteronomium, Epiſtolam Petri, & ad Hebræos.

in Epiſtolas Pauli ad Romanos, & ad Timoth. & Coloſſenſes.

Chiliaſmi Fundamenta deſtructa.

Chiliaſmus, pariterque de Gog & Magog. Item *de Judæor. Converſione.*

Bedencken / ob ein Evangeliſcher Chriſt den Prageriſchen Frieden mit unverletztem Gewiſſen annehmen könne?

Hand-Büchlein zu Troſt der Sterbenden.

Tractätlein von Auslegung der H. Schrifft.

Hohe Feſt-Bündelein/oder Weinacht-Oſter- und Pfingſt-Predigten.

Diſputationum Theologicarum Volumina III.

Evangeliſcher Wegweiſer. in 12mo.

Geiſtliche Seelen-Artzney. in 24mo.

Frommer Hertzen Geiſtliches Kleinod. in 12mo.

Betrachtung der Geiſtlichen Auferſtehung und Himmelfahrt der wahren Chriſten. in 4to.

Loci Communes Theologici in 9. Tomos & Exegeſin diviſi. Francof. & Hamb. in fol. 1627.

Harmoniæ 4. Evangeliſtarum à Mart. Chemnitio inchoatæ, à Polycarpo Lyſero continuatæ, & à Joh. Gerardo abſolutæ.

Commentaria in Harmoniam Hiſtoriæ Evangelicæ de Paſſione, Crucifixione, Morte & Sepulturâ CHRISTI.

Sacra

Sacræ Homiliæ in Pericopas Evangeliorum Dominicalium, & præcipuorum totius anni Feſtorum.

De Vitâ JESU CHRISTI Homiliis 25. illuſtratâ Meditationes ſacræ, das iſt / Erklärung etlicher ſchöner Sprüche und Hiſtorien von dem Leiden Chriſti.

Diſputationes.

Vindicatio Eckardiana.
Quæſtiones Philologico-Theologicæ:
De Divinitate CHRISTI.
De CHRISTO Bimo.
De Prædeſtinatione.
De Morte & Mortuorum Reſurrectione.
Aliaque plura.

* *Ex Programm. fun. Rect. Jen. D. Joh. Himmelii; & ex Concione fun. D. Joh. Majoris.*

Obiit A.C. 1637.

DANIEL CRAMERUS.

NAſci ipſi contigit A. C. 1569. die 20. Januarii. Patriam ſortitus eſt *Neomarchiæ* oppidum *Retziam*, Patrem Reverendum Dom. *Martinum Cramerum*, Eccleſiæ ibidem Paſtorem; Matrem *Gertrudem Crugerianam*. *Filius Theologi.*

Infans ex lumbricis lethaliter laboravit. Vix Trimus lumbricis naturalem ſedem glomo ita obſtruentibus, ut tympani inſtar venter extumeſceret, ad mortem usque per triduum laboravit: Verùm affulgente divino auxilio tandem eluctatus eſt.

In Scholâ patriâ ad 13. usque ætatis annum primis veræ pietatis ac literarum rudimentis excultus A. 1581. *Landsbergam* miſſus, Præceptorem accepit M. *Jacobum Capitonem*, ex quo ſolidam Græcæ & Latinæ Linguæ hauſit cognitionem, eique propter fidem *Landspergâ* expulſo per annum inſuper adhæſit. *Landsbergæ ſtudia inchoavit.*

Diſcipulus Stetini & Gedani. Hinc cum ab A. 1584. usque ad 1588. partim in Pædagogio *Stetinenſi*, partim in Gymnaſio *Gedanenſi* ſtudia ſua magis excoluiſſet, tandemque luis peſtiferæ metu domum reverſus, Scholæ patriæ Rectore deſtitutæ operam ſuam usque ad Feſtum *Michaëlis* locâſſet, *Roſtochium* ſe contulit, ibique per annum menſâ beneficiariâ uſus fuit. Tum in Philoſophiâ præter cœteros Profeſſores publicos Doctores nactus eſt privatos M. *Duncanum Liddelium*, natione *Scotum*, & M. *Gotſchovium*, ex quorum illo Mathematum diſciplinas, Arithmeticam, Geometriam, Sphærologiam; ex hoc Computum Aſtronomicum probè percepit. *Mathemat. Stud.*

A. 1590. In lucem publicam prodiens, ſub Præſidio M. *Duncani Liddelii* theſes in totum *Ariſtotelis* organum, non ſine multorum invidiâ, reſpondendo defendit, atque deinceps Ethicam *Ariſtotelis* ab *Heilando* comprehenſam aliquot Studioſis privatim explicavit. *Philoſophicè diſputavit.*

Intereà miſſus ad Acad. *Roſtochienſem* illuſtris Viri *Dom. Georgii Roſenkrantzii* Pro-Regis *Daniæ* filius *Oligerus Crameri* inſpectioni commendatus eſt, qui liberaliter ſuppeditatis ſumptibus ingenio ad ſublimia evolaturo alas aptavit exoptatas.

A. 1591. Meritis Magiſterii honoribus ornatus, multa cœpit aperire Collegia, Problemata propoſuit, quæ in utramque partem ventilando priori die defendit, poſteriori negavit. Quin & aſſumptis 10. Theol. Studioſis, Diſſertationibus ſacris diligenter ſe exercuit. *Philoſ. Magiſter. Diſputans in utramq; paratus.*

Profectus dehinc cum *Roſenkrantzio* ſuo in *Daniam*, indèque poſt aliquot menſium recreationes varias in *Germaniam* cum eodem remiſſus, in celebri *Wittenbergenſium* Academiâ aliquot annos ſubſtitit. *Theol. Stud. Wittenbergæ.*

Inter complures ſibi in hâc Academiâ vocationes oblatas ſplendidas, ad Rectoratum nempè Ducalis Pædagogii *Pomeraniæ* A. 1593, â Senatu *Roſtochienſi* ad Profeſſionem Ethicam, â Celſiſſimo Adminiſtratore *Saxoniæ* ad Profeſſionem extraordinariam Organi ſuſcipiendam, ultimam hanc prioribus poſthabitis ſuſcepit. Paulò pòſt *Opus Logicum Dn. Matthiæ Flacii Illyrici*, hinc A. 1594. *Iſagogen Metaphyſicam*, & inter alios libros Scriptum Theologicum contra *Stevarcium* Jeſuitam, nec non *Orationem publicam, qualenam Papa Romanus ſit animal?* edidit. *Log. Prof. extraord.*

Hoc anno etiam ipſi Inſpectio ſtipendiariorum, addito ſalario annuo 150. florenor. *Miſnicorum* commendata eſt. Inter hos labores Philoſoph. & Theologicos abſoluta S. Theol. complementa, quæ in vitæ hujus fragilitate obtineri poſſunt, ex ejus loci Theologis celeberr. *D. Hunnio*, *Hubero*, *Geſnero* feliciter hauſit. *Inſpector Stipendiariorum.*

Tandem ad Archidiaconatum Eccleſiæ *Marianæ Stetinenſis*, ut & Profeſſionem in illuſtri Pædagogio, nec non Aſſeſſionem in Conſiſtorio Eccleſiaſtico ab Illuſtr. *Pomeraniæ* Principe evocatus, paruit quidem vocationi, ſed priusquàm officium adiret, *Wittenbergam* reverſus, Gradum Licentiati ſuſcepit, atque deindè in *Daniam* profectus diſcipulum hactenus ſuum *Oligerum Roſenkrantzium* omni diſciplinarum genere ita inſtructum, ut excelleret, prælustribus Dominis Parentibus reſtituit, indèque non ſine magnifico honorario dimiſſus, magno cum zeli ardore officium demandatum aggreſſus eſt. *Stetini Archidiaconus. Profeſſor, & Conſiſt. Eccleſiaſt. Aſſeſſor. Licentiat. Theologiæ.*

Ac in primo quidem ejus limine Viſitationi Scholæ *Stargardianæ*, ut & Eccleſiarum diſtrictûs *Stetinenſis*, mandato Principis ſui interfuit. A. 1597. Solenni inauguratione Paſtor Eccleſiæ *Marianæ*, & Ducalis Pædagogii Inſpector mandato Ducali renuntiatus, fidelemque Achatem & Collegam accepit *M. Joach. Prætorium*. *Paſtor Eccleſ. Marianæ. Inſpector Ducalis Pædagogii.*

A. 1598. *Wittenbergæ* S. Theol. Doctor ſolenniter creatus eſt. Hinc factum, ut ipſi undiquaque luculentæ vocationes deſtinarentur, è *Boruſſiâ* ab Ordinibus Provincialibus ad *Boruſſiæ* Epiſcopatum, *Dantiſco* ad Paſtoratum, â Cancellario *D. Chemnitio* ad locum Superintend. Occid. *Pomer.* quæ *Theologiæ Doctor.*

quæ tamen ipſo locum mutare nolente, in actum deductæ non ſunt.

Conjugium ejus duplex. Matrimonia iniit duo. Prius cum virgine *Erdmunde*, Reverendi Viri Dom. *Jacobi Fabri, Pomeraniæ Orient.* Superintend. & Concionatoris aulici filiâ A. C. 1595. Poſterius cum virgine *Eliſabethâ Bartolomeviâ* A. 1609. Ex priori 4. ſuſcepit filios & 3. filias: ex quibus unicus duntaxat filius M. *Joh. Jacobus Cramerus*, Eccleſiæ *Gedanenſis* lumen, & filia *Regina* Excell. Dn. *Alexandri Seifarti*, J. D. & Archidicaſterii *Pomer.* Advocati uxor remanſerunt. Ex poſteriori 3. filios & 6. filias genuit; quorum duo tantùm filii, *Philippus* & *Fridericus*, poſt obitum patris vixerunt.

Moritur. Piiſſimâ tandem morte ſublatus vivere deſiit 5. Octob. A. C. 1637. ætatis 69.

Concio ei habita fuit funebris ex Pſalmo 23. *Stetini* â *Chriſtiano Groſſen*, S. Theol. Licent. Archidiac. Profeſſ. & Conſiſt. Eccleſ. Aſſeſſore.

Epitaphium hoc ſibi ipſi vivus confecit:

Epitaphium.

Vixi aliis, nunc vivo mihi, quia reddor ut hoſpes
Cœlo, jam poſſum vivere, CHRISTE, mihi.
Vixi homini, nunc vivo DEO, quia mortuus ut ſum,
CHRISTE, age, jam poſſum vivere & eſſe tuus.

Symbolum ejus fuit:

Symbolum. *DOMINI doctrina coronat.*

Vel, ut alicubi de ſe ipſo cecinit:

Nil ſcio, nil poſſum, nil ſum quoque, quod tamen eſſe
Scire & poſſe aliquid dicar, id omne DEI eſt.

DANIEL CRAMERUS, DOCTOR.

Per Anagramma *Georg. Theod. Hofmanni:*

En carus mel cordi trado.
En cura mel cordis trado.

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta. *Orationum illuſtrium Liber unus*, in 8vo.

Orationes funebres habitæ Ducibus Pomeraniæ, Joh. Friderico, Barnimo, Caſimiro, Bugiſlao XIII, Georgio, Philippo II, Franciſco, Udalrico, Bugiſlao XIV, Viduæ Wollinenſi.

Orationes in Cap. IX. Apocalypſ. de Themate, quale animal ſit Papa? contra Bellarminum, qui in eodem loco Scripturæ, qualenam animal ſit Luteranus? monſtroſè finxit.

Valedictoria de veris veræ DEI Eccleſiæ notis.

Panegyrica de Anno Jubilæo.

De Colloquio Ratisbonenſi, in 4to.

Extractum Protocolli Ratisbon. ſecundùm omnes circumſtantias hiſtoricas.

Oratio de dulciſſimo nomine JESU, cum *Jubilæo S. Bernhardi de Nomine JESU*, in 8.

Diſputatio Theologica & Scholaſtica de Peſte, in 8vo.

Emblematum Sacrorum Decades X. ex S. Scripturâ de dulci Nomine & Cruce JESU CHRISTI, figuris æneis inciſis & Verſibus Latinis, Germanis, Italicis & Gallicis ornatæ, in 8vo.

Emblemata Moralia nova LXXX. in 8.

Eccleſiaſtes Chriſtianus, ſive *de Vanitatibus Chriſtianæ & humanæ vitæ*, in 12mo.

Iſagoge ad libros Propheticos & Apoſtolicos, in 8vo.

Arbor hæreticæ conſanguinitatis, hoc eſt, *Hæreſiologica deſcriptio, in quâ præcipuæ hæreſes veterum, ex uno poſt natum CHRISTUM principio deductæ, in 4. Claſſes dirimuntur, explicantur, refelluntur, & ad duo Anti-Chriſtianiſmi capita revocantur*, in 4to.

Epiſtolæ ad D. Chriſtoph. Pelargum, in 4to.

Scriptum contra Servatium Jeſuitam.

Schediaſma apologeticum contra Frid. Beurhuſium, in 8vo.

Synopſis Organi Ariſtot. contra Petrum Ramum, in 8vo.

Synopſis Rhetoricæ Apoſtolicæ, in 8vo.

Problemata Philoſophica.

Iſagoge in Metaphyſicam Ariſtot. in 8vo.

Tractatus de ſublimi corporis ſpiritualis beatorum Myſterio, in 4to.

Hypomneſes in Epiſtolam Pauli ad Titum, in 8vo.

Societatis Jeſu & roſeæ Crucis vera Emblemata, in 8vo.

Exegema de Regno CHRISTI.

Tractatus de Deſcenſu CHRISTI ad inferos, in 8vo.

Schola Prophetica Articulorum Symboli Apoſtolici, è Prophetis excerptorum 6. Claſſibus comprehenſa & diſtincta, in 8vo.

Sana doctrina de Prædeſtinatione in brevem ſummam methodicè redacta, in 8vo.

Flores fragrantiſſimi, meditationum, precumque ſacrarum ex hortulo animæ excepti, in 12mo.

Tabula in libros Rhetoricos Phil. Melanchthonis, in 4to.

Areteugenia, de Aretino & Eugeniâ, quod nobiles artes & virtutes premantur, non opprimantur, Fabula Comicè deſcripta, in 8vo.

Tyrocinium apologeticum pro D. Polycarpo Lyſero, in 4to.

Tractatio Theologica & Scholaſtica de diſtinguendo Decalogo, quoad Præceptorum numerum pro communi & â D. Mart. Luthero receptâ diſtinctione, contra illam, quam Calviniani amplectuntur, in 8vo.

Ein Lutheriſch Neu-Jahr den Jeſuiten verehrt / daß die Papiſten keinen wahren GOTT haben / und daß ſie nichts von der Schrifft halten: in 4to.

Antiquarium von unheiliger Heiligkeit / und heiliger Unheiligkeit der Päbſte / Cardinäle / Biſchoffe / Jeſuiten und Mönche. in 4to.

Zwo Hiſtoriſche Jahr-Predigten vom Evangeliſchen Jubel-Jahr. in 4to.

Groſſ

Digitized by Google

Groſſe Pommeriſche Kirchen-*Chronica*, in fol.

Von der Haupt-Frage: Ob auch einem Ketzer Treu und Glauben zu halten ſey/ wider eine blutdürſtige Predigt Peter *Scharga*, Jeſuiters/ in der Stadt Wilde gehalten. in 4to.

Schöne Bibliſche Figuren altes und neues Teſtaments mit Reimen. in 8vo.

Der weiſſe gerechte Knecht/ und unſchuldiges Lämblein GOttes JESUS Chriſtus / aus dem *LIII. Cap. Eſaiæ*, in 5. Predigten erkläret. in 4to.

Gründlicher Beweiß von der Vollkommenheit der H. Bibel. in 4to.

Purgatorium, oder Poliermühl deß nagelneuen Jeſuiter-Spiegels / wider die Jeſuiten zu Braunsberg. in 4to.

Nutzlicher Bericht von den fürnehmſten Streiten zwiſchen den Lutheriſchen und Calviniſten.

Der heilige Berg deß Königs zu Zion/ aus dem 2. Pſalm/ in 4. Predigten erklärt. in 4to.

Die troſtreiche Himmels-Leiter Jacobs / in 7. Weinacht-Predigten erklärt. in 4to.

Offenbarung *S. Johannis*, ſamt einer richtigen Erklärung / ſo wol wegen hiſtoriſcher Erzehlung als aller und jeder darinn enthaltener Geheimnus. in 4to.

Der erſte und andere *Tomus* deß groſſen Bibliſchen Wercks / oder Auslegung der gantzen H. Schrifft. in fol.

42. Leichpredigten / zu unterſchiedlichen Zeiten gehalten. in 4to.

Der kleine *Catechiſmus Lutheri*, wie er in den Pommeriſchen Kirchen unter der Jugend getrieben wird. in 8vo.

Des Neuen Teſtaments Auslegung. in fol.

Die vernünfftige lautere Milch des H. *Catechiſmi* in 10. Predigten erklärt: in 4to.

* *Ex Programm. fun. M. Mart. Leuſchneri, Rectoris Stetin.*

Obiit A.C. 1637.

JEREMIAS SPIGELIUS.

VItam auſpicatus eſt in *Thuringiæ* oppido Langenſaltz 17. April. A.C. 1589. Patre cognomine Paſtore Eccleſiæ in pagis *Thuringicis* Zimmern & Mülverſtatt: Matre *Anna*, M. *Marci Bretſchnideri*, Superintend. *Langenſalzæ* filiâ.

Cum in Scholâ patriâ ſub diſciplinâ Rectoris M. *Winshemii*, ejuſque Collegar. *Joh. Schmidii*, & *Chriſtophori Gutbier* literarum fundamenta poſuiſſet, A. 1604. in Scholam *Portenſem* miſſus, Præceptores ibi nactus eſt M. *Juſtinum Bertuchium*, M. *Hierorymum Kromayerum*, M. *Andream Scibam*, M. *Eliam Kleinium*, M. *Mart. Rothum*, & M. *Bartol. Schererum*.

Diſcipulus in Scholâ Portenſi.

A. 1610. Academiam *Wittenbergenſem* acceſſit, â quâ miſſus ad Comitem *Georgium Thurzonem, Palatinum Hungar.* filium hujus *Emericum* diſciplinæ ſuæ â Dom. Patre commiſſum in Academiam *Wittenbergenſem* deduxit, & in literis informavit, tanto cum ſucceſſu, ut Comes hic *Emericus Thurzo* Rectoratum Academiæ ſibi delatum cum laude adminiſtrârit. Hic poſteà diſcedens Libro Concordiæ his verbis ſubſcripſit:

Com. Emerici Thurzonis Præceptor.

In Nomine S.S. TRINITATIS.

Ego Comes Emericus Thurzo de Arva, &c. Regni Hungariæ Palatini filius, Academiæ Witteberg. hactenùs Rector, hâc manu meæ ſcriptione planè ſpontaneâ fateor me in omnibus Religionis noſtræ capitibus conſentire cum illis, quæ Auguſtanæ Confeſſionis & Concordiæ Libro continentur. Promitto ſanctè, me, Auxiliante DEO Opt. Max. in hac Confeſſione vivere & mori velle. Id quod me DEUS adjuvet. Mppr.

A. 1616. Profeſſor *Wittenbergæ* Eloquentiæ factus, M. *Adamo Theodoro Sibero* ſucceſſit, & brevi pòſt nuptias celebravit cum virg. *Annâ*, M. *Michaëlis Reicharti*, Oratoriæ Prof. filiâ, quæ 7. ei peperit liberos, ex quibus duos tantùm filios *Michaëlem* & *Jeremiam*, cum filiâ *Anna*, ſuperſtites reliquit.

Profeſſor Eloquent. Witt.

Kembergæ poſteà Superintendens conſtitutus, munere ſuo fideliter functus, ex hydrope tandem cum aſthmate lethali vitâ defunctus eſt d. 22. Oct. A.C. 1637. æt. 49.

Superint. Kemberg.

Moritur.

* *Ex Conc. fun. D. Pauli Röberi, Theol. Prof. Witt.*

Obiit A.C. 1638.

GEORGIUS ZEÆMANNUS.

NAtus eſt 7. Maji A.C. 1580, *Hornbaci* in Ducatu *Bipontino*, Patrem nactus Virum Reverendum M. *Chriſtophorum Zeemannum*, Gymnaſii ibidem tum Profeſſorem, Eccleſiæ poſteà *Burglengenfeldenſis* & *Schwandorfenſis* Paſtorem: Matrem *Annam*, Reverendæ pariter dignitatis Viri Dom. *Nicolai Rotarii*, Eccleſiaſtæ quondam *Hornbacenſis*, filiam.

Cum vix octavum attigiſſet ætatis annum, *Bipontinum* vel *Palatinum Catechiſmum*, Parentis ſui inſtinctu, addiſcere minimè voluit, etiam tum puer rejecit, quem poſteà Vir factus fortiter impugnavit. Quocircà triennio elapſo ad celebre, quod *Laugingæ* erat, Gymnaſium amandatus, & â Sereniſſ. *Palatino* Principe *Philippo Ludovico* in Alumnorum numerum clementer ſuſceptus eſt.

Puer Catechiſmum Palat. rejecit.

Alumnus Lauingæ.

In hoc Athenæo habuit inter alios Præceptorem Theologum inclutum *Philippum Hailbronnerum*, ſub cujus umbone ternas de gravibus fidei articulis inſtituit Diſputationes. Hîc ſub idem tempus æquè ac in vicinis pagis plebem doctis homiliis imbuere cœpit. Imò antequàm ex Ephebis planè excederet Dominicâ Miſericordiæ de bono Paſtore, bonus & ipſe aliquando futurus Paſtor, cum admiratione primam

Adoleſcens Concionator.

Digitized by Google

indolis ſuæ ſegetem ex ſuggeſtu edidit: nec tum minus in publico auditorio aliquoties Græco Latinoque peroravit idiomate. *& Orator.*

A. 1598. A Principe ſuo, unà cum majore ſuo natu fratre, *Wittebergam* abire juſſus fuit, ubi Magiſterii Philoſ. dignitatem anno ætatis 19. dignus obtinuit. Ab eo tempore Theologiæ ſacris ſe totum mancipavit, & *Ægid. Hunnium, Leonh. Hutterum*, *Salom. Geſnerum* ac *Davidem Rungium* publicè privatimque docentes audivit.

Philoſ. Magiſter Witteberga.

Cùm autem *D. Hunnius* A. C. 1602. ad arduum cum Papiſtis ineundum certamen *Ratisbonam* deſtinaretur, adeò in hujus amorem pronus erat, ut itineris comitem præ aliis eligeret. *Wittebergam* reverſus ſingulari Profeſſorum Licentiâ Philoſophica juxtà & Theologica adaperuit Collegia.

Æg. Hunnii comes in Colloq. Ratisbon.

A. 1603. Religioſus Princeps *Palat. Philippus Ludovicus*, ut munus Profeſſorium in *Lauingiano* ſuſciperet Gymnaſio, divinaque juventuti dogmata proponeret, evocavit. Cui tanquàm Divinæ vocationi paruit, & ſplendido ab Ordine Theologico ſtipatus teſtimonio, *Wittebergâ* diſcedens, *Neoburgum* pervenit, ubi habitis aliquot coram Sereniſſimo Concionibus, ad Verbi Divini Miniſterium ordinatus, moxque per Principis Delegatos in S. Theologiæ Profeſſorem prædicti Gymnaſii ſolenniter inauguratus fuit.

Theol. Profeſſor Lauinge.

Ordinatus Neoburgi.

Anno ſeq. ex voluntate Domini ſui gratioſi *Tubingæ* Doctoris titulo ornatus, mox in conjugium ſibi delegit Virginem *Urſulam*, graviſſimi Theologi *D. Jacobi Heilbronneri* filiam, ex quâ poſteà 12. thori pignora, 7. filios & quinque filias ſuſcepit, ſed unicum duntaxat filium M. *Fridericum*, cum 4. ſororibus ſuperſtitem reliquit.

Theol. Doctor Tubingæ.
Gener D. Jac. Heilbronneri.

Poſtquàm ita per 14. annos in Auditorio *Lauingenſi* docuiſſet, nervoſum illud *D. Heerbrandi* Compendium Theologiæ aliquoties explicando & ventilando abſolviſſet, pleraſque Divi *Pauli* Epiſtolas Commentariis illuſtrâſſet, plurimas quoque Diſputationes contra vicinos *Ingolſtadienſes* atque *Dillingenſes* Jeſuitas publicè inſtituiſſet, A. 1617. à Principe *Palat. Wolfgango Wilhelmo*, qui jam ad Pontificiam defecerat Religionem, dimiſſionem obtinuit.

Tunc Imperialis civitas *Campidonenſis* Eccleſiæ ſuæ regimen ac primarium Paſtoratum benignè ipſi tradidit. Et licèt plurima præcipuæ dignitatis officia oblata ipſi fuerint, quibus exornandis dignus judicabatur, utpote Profeſſio ſimulque Ephoria *Megapolenſis*, Superintendura *Herrenalſenſis* in *Auſtriâ infer.* Theologica Profeſſio in *Altorfinâ* & *Argentinenſi* Academiis, maluit tamen *Campoduni* ſubſiſtere, quàm altiora appetere. Triviali præterea Scholæ non parùm emolumenti attulit, dum Claſſe eandem auxit, variaque pro diſcentium captu ſagaci curâ inſtituit.

Campoduni Paſtor Eccleſ. primarius.

Scholam Campidon. Claſſe auxit.

12. Dec. A. C. 1628. poſteaquàm manè ex Pſalmo 7. habuiſſet Concionem per duos S. Cæſ. Majeſt. Delegatos ablatus, & militari comitatu ad celebre *Tyrolenſe* fortalitium *Ehrenbergam* deductus eſt. In quo ſuo quaſi Pathmo integris 62. ſeptimanis detentus, innocentiæ & patientiæ illuſtria edidit ſpecimina. *Captivus 62. ſeptimanis Ehrenbergæ.*

Liber deindè ſuique factus juris, ad Ephoriam *Stralſundenſem* præter ſpem ſuſcipiendam honeſtè invitatus eò 7. Octob. A. 1630. ſalvus cum familiâ ſuâ pervenit, & ultimâ poſt Feſtum *Trinitatis* Dominicâ primam Concionem habuit. Poſt Concionem tandem in Feſto *Pentecoſtes* ultimam lethali correptus morbo placidè exſpiravit 5. Sept. A. C. 1638. ætatis 58. *Superint. Stralſund.* *Moritur.*

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia: *Scripta.*

De Colloquio Ratisbonenſi Theologica & Scholaſtica Tractatio, Examini Tanneriano & notis Anonymi cujusdam oppoſita, in 4to.

Diſputationes 7. de Scripturâ Sacrâ, in 4.

Jeſuita vapulans, ſeu *Apologetici Gretzeriani de Flagellatione Refutatio Theologico-Scholaſtica, tribus Diſputationibus comprehenſa*, in 4.

Carnificina Eſauitica, ſeu *4. libri ſpontaneæ flagellationi oppoſiti*, in 8vo.

Baſis fidei, ſeu *Controverſia de S. Scripturâ, in 7. Quæſtiones tributa*, in 8vo.

Idea Controverſiæ de gratiâ primi hominis, in 4to.

Gretſerus triumphans, ſeu *Jeſuitæ revapulantis Defenſio*, in 4to.

Commentar. in Epiſtolas Pauli ad Galatas, Epheſios, Philippenſes, Coloſſenſes, & in utramque ad Theſſalonicenſes: in primam ad Timotheum.

Bibliſche Bet-Quell und Ehrenkron. in 8vo & 24to.

Chriſtlicher Haus- und Schul-Spiegel/ 3. Kinder- oder und Schul-Predigten. in 4to.

Bet-Glocken oder 10. Bet-Predigten. in 4to.

Apoſtoliſcher Wecker und Wetter-Glöcklein / oder 7. Neu-Jahrs-Predigten. in 4to.

Zwo Heers-Predigten / aus dem 60. Pſalm.

Athleta larvatus & ſtramentitius, id eſt, *Pſeudoathlethicæ Gretſerianæ contuſio*, in 4to.

Controverſia difficillima de Imagine DEI in primo homine ſtatuque innocentiæ: item de Paradiſo, arbore vitæ, arbore ſcientiæ boni & mali, & cognatis arduis Quæſtionibus, in 4.

Offenbarung des uncatholiſchen Pabſtthums/ wider Jacob Kellern. in fol.

Nothdringende Ableinung der wider Georg Zeämann ausgeſprengten Lügen und Läſterung / die ewige Jungfrauſchafft der Mutter GOttes betreffend. in 4to.

Drey Evangeliſche Jubel- und Danck-Predigten von des Antichriſtes Reich/ Lohn / und Leben/ wie auch von deſſelben Offenbarung. in 4to.

Evan-

Digitized by Google

Evangeliſcher Chriſt-Schatz / oder 3. Chriſt-Predigten. in 4to.

Einweihungs-Predigt der in des H. Reichs-Stadt Kempten erweiterten und erneuerten Lateiniſchen Schulen zu S. Anna. in 4to.

Ordnung der Cenſur oder geiſtlichen Kirchen-Gerichts zu Kempten. in 4to.

20. Theurung- und Wuchers-Predigten. in 4to.

Neuer Wunder-Spiegel/oder 10. Wunder- und Walfarts-Predigten. in 8vo.

Apologia des Wunder-Spiegels/wider Elias Grafen und Jacob Bidermann. in 8vo.

GOttes Wunder-Wagen/eine Stralſundiſche Antritts-Predigt. in 4to.

Planctus Coronæ, oder zwo Predigten auf des Königs GUSTAVI ADOLPHI Tod.

Unterſchiedliche Leichpredigten.

Diſputationes præter jam dictas habuit: de Sacrificio Miſſatico: de Sacrâ Scripturâ: de Librorum Canonicorum numero: de Colloquio cum Pontificio ineundo.

* *Ex Concione fun. D. Philippi Henrici Friedliebii.*

Obiit A.C. 1638.

JOHANNES PAULI
RESENIUS.

Natus eſt in *Cimbriæ* Provinciâ *Harſaliâ*, in Parochiâ *Reſenianâ* Nomarchiæ *Skodborgenſis* d. 2. Febr. A.C. 1561, Patre Viro Reverendo Dom. *Paulo Johannide*, Paſtore Eccleſiarum in *Reſen* & *Hommelum*, Matre *Johannâ Bartolini* f. *Filius Theologi.*

Puer â Parentibus ad omnia religioſæ pietatis exercitia aſſuefactus. A. 1572. ad Scholam *Holſato-Pontanam* mittitur. Quo in loco integrum quadriennium ſub præſtanti Duce *Tychone Nicolao* prima ſtipendia fecit. Cum autem excitati probæ indolis igniculi quotidiè in flammas erumperent, ad altiora ſubſellia occupanda *Ripas* A. 1576. ablegatus eſt. *Diſcipulus Scholæ Ripenſis.* Quo ſimul ac veniſſet, in familiam Viri Reverendi M. *Petri Hegelundii* iſtâ ætate Scholæ *Ripenſis* Rectoris, tandemque Diœceſeos ejusdem Epiſcopi adſcitus eſt.

Diſcip. Gymnaſii Viburg. A. 1578. *Viburgum* divertens, in contubernium receptus Viri Reverendi M. *Jacobi Holmii*, Gymnaſii illius Moderatoris primarii, deinceps verò *Alburgenſis* diſtrictûs Superintendentis, brevi tempore adeò profecit, ut reliquos commilitones tàm in Latinis quàm Græcis literis ſuperaret.

Poſitis hoc pacto in inferioribus literarum officinis Artium Linguarumque initiis, A. 1581. in *Hafnienſem* Academiam conceſſit, *Baccalaur. Hafniæ.* cujus ſacris cum ſolenni ritu initiatus eſſet, mox *Roſtochium* ſe contulit: in quâ urbe cum viſendæ inprimis Academiæ gratiâ diebus aliquot ſubſtitiſſet, Academiam Regiam repetiit. Ibi Senatus Academicus eodem anno primâ Philoſophiæ Laureâ eum honeſtavit.

Hanc ſpartam decenti & vitâ & induſtriâ ornavit, atque ſequentis anni 1582. die 28. Octob. publicâ in Pædagogio Diſputatione habitâ exornavit.

A. 1583. Patrios reviſere lares impulit eum Peſtilentiæ contagio, ſed non ſine dextro omine. Illuc enim cum appuliſſet, vicariam ipſius in juventute informandâ operam (Conrecturam vocant,) poſtulavit, â cujus nutu paucis retrò annis computatis Tyro pependerat. *Conrector in Patriâ.*

Brevi pòſt arceſſitus â Cancellario Regio Dom. *Nicolao Kaaſio*, Generoſo Dom. *Frederico Roſenkrantz* Artium & vitæ Dux atque Magiſter præficitur. *Frid. Roſenkrantz Gubernator.* Nobile hoc itaque comitum par A. 1584. 25. Aug. die ſolventes ad *Rhodopolin* applicant, ubi hoſpitio Dn. D. *Lucæ Bacmeiſteri* Senioris, & Theologi eximii excepti in ann. 1586. fixas ſedes habuêre.

Indè *Vitebergam* diſcedentes in annum 1589. ibidem vixerunt. Et tanto fervore ab utroque literis Philoſophicis & Humanioribus litatum eſt, ut alter Philoſ. Magiſter è 38. primus ordine renuntiaretur, alter eodem honore, quippè dignus, mactandus eſſet, niſi Equeſtris ortûs ratio habenda fuiſſet. *Wittebergæ Philoſ. Magiſter.*

Reverſi indè 16. Martii A. 1589. *Bolleram* officii ſui memores 29. Julii iter accelerant, & *Francofurtum* 7. Sept. appulſi 12. Octob. *Patavii* conſederunt. Indè *Romam* 15. April. A. 1590. ventum eſt. *Italiam perluſtravit.* Luſtratis autem ibi priſcis ac recentibus monumentis *Siciliam* petunt. Indè viciſſim 3. Junii infeſto ob Turcicos Piratas itinere in *Meliten* Inſulam contendunt. Hanc cum ſuo more, voce, oculis, auribus & mente perreptâſſent, vela ventis explicantes 26. Aug. *Patavium* revertuntur.

Quicquid intereà effluxit temporis, non minus ſeriis, ubi licuit, ſtudiis atque exercitiis equeſtribus, quàm Linguis cumprimis *Italicæ* addiſcendis impenderunt.

Athenas tandem *Antenoreas* A. 1591. linquentes, per *Venetias* initio, deindè per *Lombardos*, *Rhætos*, *Helvetios*, *Sabaudos*, *Allobrogas*, *Burgundos*, & *Alſatos* inſtituto itinere *Francofurtum* ſalvi pervenêre, ſedesque paternas contigere.

Tandem *Reſenius* poſt 7. peregrinationis annos â Dom. *Nicol. Kaaſio*, Cancellario Regio, ad geminam in Academiâ *Hafnienſi* Profeſſionem vocatur, Logicam nimirùm & Theologicam extraordinariam, duplo ipſi pariter ſtipendio aſſignato. *Logicæ & Theol. Profeſſor.*

Profeſſorio itaque juramento poſtquàm ſeſe Academiæ 4. Dec. obligâſſet, 16. ejusdem die publicarum Lectionum initium fecit, diebus Mercurii & Saturni Theologicis, reliquis 4. Philoſophicis Prælectionibus impenſis.

Cui officio cum ſextum annum ad 3. April. A. 1597. præfuiſſet, & Philoſ. Facultatis Decanus deſignatus A. 1594, iteratâ vice 17. juvenes primâ, & 9. ſummâ Philoſophiæ Laureâ donâſſet: ab illuſtri

 Viro

Digitized by Google

Viro Dom. *Chriſtiano Friſio de Borreby*, Cancellario magno, Ordinarius Facultatis Theologicæ Profeſſor pronuntiatur. Inſtitutâ porrò 11. Junii pro conſequendis in eâdem Facultate honoribus Doctoralibus, Præſide Reverendo Viro Dn. *D. Georgio Dybvadio*, Facult. Theol. Decano & Seniore, Diſputatione, eâque maſculè propugnatâ, tandem ab eodem ſolenni ritu in Templo Academico S. Theol. Doctor proclamatur.

Theol. Profeſſor Ord.

Theol. Doctor.

14. Julii A. 1594. Uxorem duxit *D. Andreæ Laurentii*, quondam Profeſſoris Theologi filiam *Barbaram*, Rev. Viri *D. Johannis Laurentii*, Canonici quondam *Roëkildenſis*, relictam viduam.

Uxorem duxit.

Ea peſte graſſante A. 1601. *Roëskildiæ* vitâ exceſſit, relictis 4. liberis, ſeptennis connubii pignoribus. E quibus filius *Johannes* poſteà Theol. Doctor & Profeſſor in Academiâ *Hafnienſi*, ac Epiſcopus *Sedlandicus* fuit: *Johanna* M. *Chriſtiano Glob*, Paſtori *Coagienſi* & Præpoſito: *Anna* primùm *Erico Clementino*, J. U. Doctori, Secretario Regio & Canonico *Lundenſi*, deindè *Nicolao Paſchaſio*, Theol. Doctori & Epiſcopo *Bergenſi* nupſit.

Cum verò pio zelo verſaretur in exponendis S. literarum monumentis, Sereniſſ. Rex *Chriſtianus IV.* verſionem utriusque Teſtamenti vernaculam ipſi imperavit: quam tantâ felicitate & pernicitate adornavit, ut integræ Novi Fœderis tabulæ Cenſurâ Theologicâ approbatæ A. 1605. formâ minori excuderentur. Nec abfuiſſet, quin toti operi ſummam ſtatim impoſuiſſet manum, niſi cum Rege ſuo in *Angliam* A. 1606. Regii Theologi munere functurus, eundum ipſi fuiſſet. Reverſus tamen paucis elapſis menſibus, tanto fervore ſacrum illud acceleravit opus, ut omnes utriusque Teſtamenti Libri uno Volumine in formâ quartâ, ut vocant, A. 1607. publicis typis exſcriberentur.

Novum Teſtamentum edidit.

Poſtquàm autem annis 18. ſacras literas in Acad. *Hafnienſi* docuiſſet, Regiâ Vocatione in locum *D. Petri Vinſtrupii Sedlandiæ* Epiſcopi A. 1615. ſurrogatur.

Epiſcopus Sedlandiæ.

Cum autem 15. annos viduos cum liberis transmiſiſſet, ſolitario toro diſceſſurus Matronam nobilem *Annam*, *Eliæ Eiſtenbergii* filiam, Anteceſſoris ſui viduam, vitæ conſortem accivit, & ſponſalia *Hafniæ* 24. Sept. celebravit.

Alteram Conjugem duxit.

Ut autem honeſtâ refectione graviora ſtudia leniret, Muſicam impenſè æſtimabat. Ipſe enim voce & fidibus ad numeros canere doctus librum S. Cantionum M. *Johannis Thomæi* multis locis emendavit.

Muſicâ delectatus.

In Politicis Academiæ negotiis prudentiam cum ſinceritate conjunxit. Quater A. 1602, 1611, 1617. & 1626. Rectori deſignato Academiæ faſces ſunt prælati. Sed cum quintum A. 1625. Senatus Academicus eosdem Seni honores detuliſſet ob ætatem & valetudinem ſe excuſavit.

A. 1608. *Andream Michaëlium Coldingenſem*, deſignatum Epiſcopum *Bergenſem* Philoſ. Magiſtrum & ſimul Theol. Baccalaureum renuntiavit. A. 1615. M. *Caſp. Brockmannum* Theol. Profeſſorem: A. 1616. M. *Johannem Michaëlium* Concionatorem Aulicum, & M. *Nicol. Paſchaſium* Epiſcopum *Bergenſem*, A. 1620. M. *Ivarum Hennetæum* Epiſcopum *Ripenſem*, M. *Johannem Vandalinum* Epiſcop. *Viburgenſem*, M. *Matthiam Jani* Epiſcopum *Lundenſem*, & M. *Petrum Stureum* Concionat. aulicum, A. 1626. *D. Caſp. Bartolinum* Theol. Profeſſorem *Hafnienſem*, & M. *Johannem Cluverum* Theol. Profeſſorem *Sorenſem*, A. 1630. M. *Janum Dionyſium Jerſinum* Epiſcopum *Ripenſem*, M. *Chriſtianum Jani* Concionat. aulicum, & M. *Nicol. Petræum* Theol. Profeſſorem, Theol. Doctores creavit. Eccleſiarum Antiſtites Epiſcopali purpurâ 12. ornavit. Propriæ Diœceſeos Paſtores 406. officio Eccleſiaſtico conſecravit.

13. Doctores Theol. creavit.

12. Epiſcopos, & 406. Eccleſiar. Paſtores ordinavit.

Anxiâ curâ pueriles annos pietate & doctrinâ Catecheticâ imbuendos curavit, ut pueri vix ſeptennes fidei ſuæ rationem ad ſtuporem usque reddere nôſſent. Cum autem Divinâ benedictione dives evaſiſſet, plurimis quoque ſuâ liberalitate opitulatus eſt, legatis in pios uſûs 5500. Imperialibus. Præterquàm enim quod Nobilium Scholæ *Herlovianæ* Conditorum honori, Dn. *Hermolai Trolle* & Dn. *Brigittæ Goë* monumentum geminum dedicâſſet, binos è Scholaſticâ pube Alumnos, annuo mille thalerorum fœnore diſtributo, iſtîc loci ſuſtentari voluit: cujus etiam Præfecto mille alios unciales credidit, quorum uſura 50. Joachimicorum ad Feſtum Pentecoſtes Theologicæ Facultatis Inſpectori numerari præcepit.

Liberalis erga pauperes.

Noſocomio etiam ſuburbano mille Imperiales aſſignavit, quorum annuos ſemiſſes duobus ſternendis lectis totidemque pauperrimis alendis impendendos Teſtamento vocavit.

Imprimis Scholam *Hafniæ Marianam* ſummâ 2000. Uncialium, quorum proventu Alumni inopiâ oppreſſi alerentur, liberali manu donavit. Nec ingrato animo Scholæ *Holſato-Pontanæ*, in quâ puer educatus fuerat, benignitatem agnovit, ſed privati beneficii gratiam publicâ 200. Imperialium munificentiâ pauperibus Scholaſticis alendis inſumendorum reponendam ſtatuit.

Per plures annos ſæpiùs arthritidis calculique doloribus afflictus, ad cœleſtem tandem patriam lætus emigravit 14. Sept. A. C. 1638. ætatis 78. Funus Civibus Academiæ Programmate publico â Rectore *D. Johanne Eraſmo Brockmanno* indictum eſt. Concio in Sacrâ æde habita â M. *Nicolao Scandorſio* Paſtore & Præpoſito, linguâ vernaculâ, publicis typis deſcripta eſt, ſub titulo, Pontificis Jojadæ vita & geſta. Corpus in ſummo Choro Templi *D. Virginis* in Sepulcro *D. Palladii* compoſitum: novo

Morbus ejus & obitus.

impo-

impoſito cippo, cum hâc Inſcriptione Carminicâ:

Hujus tam patuli recubat ſub tegmine buſti
Non modò PALLADIUS, ſed quoque RESENIUS.
Sicut utrique fuit ſpiranti Spiritus unus,
Unica nunc ambos ſic tegit urna duos.
RESENIUS poſt PALLADIUM dum vixit in orbe
Claruit ut lumen, perſtitit ut columen.
Præclarus patrii Doctor fuit ille Lycéi,
Sæpiùs ejusdem Rector & ille fuit.
Multos ille fuit Præſul Sædlandicus annos,
Zelo pro cœlo præditus eximio.
LUTHERI fuit ille ſui ſincerus amator,
Ejus ſincerus quin imitator erat.
Numine quàm plenus fuerit, quàm lumine plenus
Enthea ſcripta docent, enthea facta probant.
CHRISTUS cum cœlo redivivum ſiſtet, ut illic,
Qui fuit hîc lumen, ſtella ſit æque micans.

P. V. D.

Monumentum etiam habet in Templo Scholæ *Herlovianæ* hujus Inſcriptionis in marmore *Olandico* parieti infixo:

Monumentum.

MEMORIÆ VIRI INCOMPARABILIS R. D. JOHANNIS PAULI RESENII, ECCLESIARUM SÆDLANDICARUM EPISCOPI, ET REGIÆ ACADEMIÆ HAVNIENSIS PROFESSORIS THEOLOGI. IS HERLOVIANÆ PIETATIS ADMIRATOR SCHOLAM HANC ANN. M DC XXVII. BINIS ALUMNIS ARGENTO GRAVI REDEMTIS LOCUPLETAVIT, PONDEREQUE PARI STIPENDIUM VINSTRUPIANUM DANO STUDIOSO IN EXTERIS ACADEMIIS SE EXERCENTI HINC EROGANDUM AUXIT. EVERGETA EXIMIUS, ET ILLUSTRIBUS MERITO ADNUMERANDUS, COETERA QUOQUE MAXIMUS: INGENIO FELICISSIMO, JUDICIO ACERRIMO, MEMORIA FIRMISSIMA, DOCTRINA OMNIS GENERIS STUPENDA, FACUNDIA EXPEDITA, ANIMO IN ADVERSIS INFRACTO, IN SENTENTIIS INCORRUPTISSIMO, LABORIBUS OFFICII INDEFESSO, ZELO PIETATIS ARDENTISSIMO, INNOCENTIA VITÆ SANCTISSIMO, CUM PARI IN LITERATOS ET ORPHANOS MUNIFICENTIA, OCTUAGENARIO PROPIOR HAVNIÆ ANNO M DC XXXVIII. ANIMAM SERVATORI REDDIDIT, RELICTIS IBIDEM TEMPLO ACADEMICO EXSUVIIS MORTALIBUS, ORBI FAMA ET EXEMPLO, AC SCHOLIS ET ECCLESIIS SUMMO SUI DESIDERIO, HIC ETIAM HONORARIUM MERUIT, EXSPECTANS SOLIDIOREM OPERUM MERCEDEM IN RESURRECTIONE JUSTORUM.

P. P. ECCLESIASTES AC PRÆPOSITUS PAULUS JANUS COLDINUS.
M DC XXXIX.

Uxori priori *Roëskildiæ* defunctæ, & in Templo Cathedrali ſepultæ ipſe Monumentum hoc poſuit:

Conjugis monumentum.

D. M. E. P. S.

CONJUG. PIENTISS. DULCISS. BEATISS. BARBARÆ, D. ANDR. LAUR. F. QUÆ, UT NATA ERAT ROESKILDIÆ VIII. MART. A. J. CH. M DLXXVIII. ITA IBIDEM PLACIDE EXSPIRAVIT XXIX. OCTOB. ANN. M DC I. VID. LONGE MOESTISSIMUS JOHANNES PAUL. RESENIUS.

BARBARA cara nihil minus at quàm BARBARA conjux
Dic age te careo? vel mage non careo?
Civis ſum CHRISTI, non BARBARA, care marite,
Spiritus ante DEUM eſt, corpore fortè cares.
Corpore fortè cares mortali hoc: aſt ego quæ ſum
Corpus cum CHRISTO, corpore fortè cares?
Ergò quà talis, ſeu quatenus intima CHRISTI
Sponſa ea: te totam jam tenerè teneo.
Nam te CHRISTUS habet, tu CHRISTUM, me quoque CHRISTUS,
CHRISTUM ego: per CHRISTUM nos ſumus ergò ſimul
Cum CHRISTO juncti ſincerè animoque fideque,
Ex carne illius nos ſumus una caro.
Quos junxit CHRISTUS, qui vita eſt certa, beatos
Dividere hos unquàm mors neque ſæva poteſt.
Mirandum fœdus, miranda hæc vincula cunctis,
Corpus mirandum, maxime CHRISTE, tuum.
BARBARA RESENII, magis & poſt fata, Mariti:
RESENIUS magis eſt BARBARA cura tuus.
Maxima ſed reſtat conjunctio tempore, quo poſt
Tecum erit æternum BARBARA RESENIUS.

Scripta:

Scripta.

Diſputationes Logicæ variæ.

Grammatica, Logica, Rhethorica, Nomenclator pro Scholis puerilibus.

Scholia ſuccincta & facilia in Arithmeticam Gemmæ Friſii edita à Petro Gelſtrupio.

Initia Geometrica, ſeu in Euclidem Iſagoge compendioſa.

Biblia in vernaculam linguam translata Hafniæ, cum Notis marginalibus.

Commentar. in Novum Teſtamentum totum, exceptâ Apocalypſi.

Comment. in Epiſtolas Pauli & Canonicas, geminus, diffuſus pariter & ſubſtrictus, in uſum Apparatûs Evangelici, prout & ordine nonnullis ſcripta cenſentur.

 Cate-

Catecheſis LUTHERI, *ex unis ferè* LUTHERI *explicationibus polita.*

Jubilæus Chriſtianus.

LUTHERUS *Triumphans in annum* 1645. *productus.*

Partitiones Evangelicæ, in quibus compendio ſubjiciuntur oculis διατυπώσεις *rerum ſeu Hiſtoriarum, & harmoniæ verborum ſeu textuum ex* 4. *Evangeliſtis, prorſus per omnia in locis ſuis.*

De ſanctâ Fide in verum DEUM, *& quem ille miſit* JESUM CHRISTUM, *cum veri Catechiſmi Lutheri vindiciis ſimul contra quasdam calumnias Neſtorianicas &c. Libellus Apologeticus.*

Diſputationes V. de Gratiâ univerſali pro D. Nicolao Hemmingio, contra Johannem Piſcatorem, Theologum Herbornenſem.

Diſputationes II. de Verbo DOMINI, *quod manet in æternum.*

Diſputatio de Agapis, quarum mentionem facit Judas verſ. 12.

Diſputationes IV. de illuſtr. Gratiâ DEI ex Epiſt. ad Titum cap. 2.

Diſputatio de DEO Triuno.

Diſputationes II. de uno Mediatore DEI & hominum.

Conciones in publicis ſupplicationibus proponendæ. Item Funebres.

Catechiſmi Lutheri minoris Viſitatio linguâ Danicâ.

Concio de Vitâ Laudatiſſimæ Reginæ ANNÆ CATHARINÆ *verſa in Linguam Latinam â Profeſſore M. Hermanno Nicolai.*

De Officiis Studioſorum Reg. Academiæ Hafnienſis.

De Locis Communibus Theologicis Philippi, & eorum diverſis formis ſeu ætatibus vera & neceſſaria narratio.

Exegeſis Aphoriſtica Paradoxi, quod CHRISTUS *pro nobis factus exſecratio Gal.* 3. 13.

* *Ex Acad. Hafniæ repræſentatâ ab Eraſmo Pauli f. Vindingio.*

Obiit A.C. 1638.

LUCAS BACKMEISTERUS, FIL.

EX præclârâ ortus proſapiâ felici natus eſt ſydere *Roſtochii* M. Nov. A.C. 1570. Parente *Lucâ Backmeiſtero* Seniore, Theologo eximio, qui cum in Academiâ *Leucoreâ Philippo Melanchthone* uteretur familiariter, ab eo *Chriſtiano III.* Regi *Daniæ* religioſo, cum is Pædagogum pro filiis & adoleſcentibus nobilibus in aulâ quæreret, commendatus, triennio iſti officio præfuit. Indè reverſus *Wittebergam*, non multò pòſt, viduâ Reginâ *Dorotheâ Saxonicâ* Concionatorem aulicum petente, iterum eò miſſus eſt. Demùm in urbem *Roſtochienſem* vocatus, in eâ per 46. annos docuit, donec A.C. 1608. ex hâc miſeriarum valle in cœlum receptus, æternam nominis ſui memoriam reliquit: poſtquàm raro exemplo 4. filios ſummis honorum gradibus ornatos vidiſſet, *Lucam* puta hunc Theologum, *Henricum* J.C. *Johannem* & *Matthæum* Phil. & Med. Doctores.

Filius Theologi celebris.

Trium Doctorum frater.

Cum verò in ipſo adhùc puero præſtantis ingenii non obſcura apparerent indicia, egregiis ac doctis Viris publicè & privatim erudiendus â patre fuit traditus M. *Davidi Woldero* poſteà Eccleſiaſtæ *Hamburgenſi*, M. *Theodorico Daſſovio*, poſteà Myſtæ *Buxdebudenſi*, & M. *Feliciano Claro*, pòſt Superintendenti *Hertzbergenſi* in *Miſniâ*: ſub quibus Præceptoribus mediocres Latinæ & Græcæ Linguæ profectûs fecit, ut æquales in Scholâ patriâ, quæ tum moderatorem habebat *Nathan. Chytræum*, facilè ſuperaret. *Diſcipulus Nathanis Chytræi.*

A. C. 1587. Poſtquàm puer adhûc præcipuas *Seelandiæ* ac *Scaniæ* urbes perluſtrâſſet, *Argentoratum* miſſus, ibi per triennium commoratus eſt: cumque anno præced. totam ferè *Helvetiam* peregrinationis ergò perluſtrâſſet, in hâc Academiâ, quæ in patriâ cœperat, ſtudia feliciter continuavit. *Studia inchoavit Argentorati.*

Indè diſcedens, *Germaniæ* Academias illuſtriores *Heidelbergenſem*, *Jenenſem*, *Lipſienſem*, *Helmſtadienſem* & *Wittebergenſem* luſtravit.

Domum reverſus, ſtudio Philoſophiæ porrò perdius & pernox incubuit. De Parentis autem conſenſu, & quod animus ita ferre videbatur, paulatim ad Juris ſtudium ſe accinxit, & Inſtitutiones Juris profitentes audivit D. D. *Martinum Nordanum* privatim, publicè verò D. D. *Henricum Camerarium*. *Juris Stud. & auditor Henrici Camerarii.*

Sed cum frater ipſius natu major *Jacobus* Theol. ſtudio addictus eo tempore diem ſuum obiiſſet, parens apud hunc filium ſuum inſtitit, ut quemadmodum nominis, ſic & Facultatis ſuæ hæres eſſe ſtuderet. Parentis itaque voluntati libenter ceſſit, & relicto ſtudio Juris, Theologiæ ſe totum dedit, nec tamen artium & linguarum ſtudia neglexit. *Patre volente Theol. Stud.*

A. 1593. Gradum Magiſterii aſſumpſit, Decano & ſimul Rectore Dom. *Magno Pegelio* Mathematum Profeſſore. Deindè uberioris ingenii cultûs ergò *Wittebergam* conceſſit, & tribus Theologis clariſſimis *D. Hunnio*, *D. Geſnero*, & *D. Rungio* ſedulam operam dedit. *Philoſ. Magiſter.*

Factum eſt autem cum inibi degeret, ut operâ Dom. *Oligeri Roſenkrantzii* in familiam Nob. Dom. *Caſp. ab Ebeleben* Præfecti aulæ illuſtr. Pro-Electoris *Saxoniæ* adſciſceretur, qui filium ſuum unicum hujus *Bacmeiſteri* inſtitutioni commiſit. *Nob. ab Ebeleben Præceptor.*

Verùm cum ſe fruſtrà laborare videret, nec diſcipulum docilem aut morigerum haberet, pertæſus biennii labore, reſignavit illud officium, & A. 1597. domum reverſus Theologico ſtudio, ut antè, incubuit.

Anno ſeq. cum commoda ſe obtuliſſet occaſio, in *Flandriam* & *Brabantiam* uſque excurrit. *Lovanienſem* quoque Academiam, & in eâ *Lipſium*, Philologum illum accuratum, vidit & ſalutavit. *Lovanii Lipſium ſalutavit.*

Suis

Suis incolumis redditus, cum virilis jam ætas appropinquaret, de certâ aliquâ functione ſolicitus fuit. Nec confiſa DEO ſpes hæc confuſa receſſit. Nam divinâ ſic diſponente gratiâ, cum nihil tale appeteret, ab *Ulrico* Principe *Megapolitano* A. C. 1600. ad Theologiæ in Academiâ *Roſtochianâ* Profeſſionem publicam vocatus, & duobus, qui tantùm in Principum Collegio antè fuerant, tertius ſuperadditus, cum totius Academiæ applauſu receptus eſt.

Theol. Profeſſor Roſtochii.

Conjugium ejus.

Tum verò animum etiam ad Conjugium applicans Virg. *Eliſabetham*, Dom. *Nicolai Papkenii*, civis honeſti filiam domum duxit, & larem ſibi conſtituit. A.C. 1604. cum *D. Johannes Frederus*, Theol. Profeſſor & Superintendens circuli *Roſtochienſis* cœtui mortalium intereſſe deſiiſſet, nec adhûc magno illi *Davidi Chytræo*, qui ante triennium mundos exceſſerat, Succeſſor idoneus inventus fuiſſet, tandem in Collegio Profeſſorum Principum ſurrogatus eſt *D. Chytræo M. Paulus Tarnovius, Fredero* verò in Profeſſione M. *Eilhardus Lubinus*. Sed ad Superintendentis officium *Bacmeiſterus* hic ab illuſtr. Duce *Carolo Megapol.* vocatus eſt.

Superint. Roſtoch.

A. 1605. Unà cum M. *Paulo Tarnovio*, M. *Eilhardo Lubino*, & Dom. *Thomâ Lindemanno* competitoribus, ſummos in Theologiâ honores & Doctoratûs Inſignia, promovente Decano *D. Valentino Schachtio*, adeptus eſt.

Theol. Doctor.

A. 1612. Celſiſſ. Princeps *Joh. Albertus*, Dux *Megapol.* Diœceſis etiam *Guſtrovienſis* circuli Ephoriam ipſi per nobiles Viros *Gebhardum Moltken* & *Joach. Oldenburgium* clementer detulit, & Dom. *D. Jacobo Colero* ſuccedere juſſit.

Superint. Guſtrovienſis.

Conjugium ejus 6. liberorum procreatione fœcundum fuit; Quos inter eſt Vir Reverendus M. *Lucas Bacmeiſterus*, S. Theol. in patriâ Profeſſor. Alter filius *Nicolaus Bacmeiſterus* Jur. Studioſus avum maternum & avunculum nomine retulit. Ultimus natorum *Jacobus* Theol. Studioſus, juvenis in patriâ obiit.

M. Octob. A.C. 1637. â deductione diverſorum funerum laſſus & debilis occiduo ſole domum reverſus, cum in quartum diem decubuiſſet, & multa veræ pietatis, fidei, patientiæ ac conſtantiæ τεκμήρια edidiſſet, tandem fato ac naturæ conceſſit 4. Idûs Octob. A.C. 1638. ætatis 68.

Moritur.

Habita ei Parentatio eſt eodem anno *Guſtrovii* â M. *Georg. Schedio*, Scholæ Rectore.

Scripta ab eo relicta & edita ſunt ſequentia:

Scripta.

Oratio de Jubilæo, in 4to.

Commentar. in Threnos Jeremiæ, in 8vo.

Explicatio 7. Pſalmor. Pœnitential. nec non Pſalmi 16. & 22. in 8vo.

Explicatio typorum Veteris Teſt. adumbrantium CHRISTUM, ejusque Perſonam, Sacerdotium, ſacrificium, & beneficia, in 8vo.

Formæ Precationum piarum collectæ ex Scriptis Phil. Melanchthonis, in 8vo.

Diſputationes Theol. 23. oppoſitæ Decretis Concilii Tridentini, in 4to.

Locus Doctrinæ Chriſtianæ de Lege cum in genere tum in ſpecie, de Decalogo, 13. Diſputationibus variisque Quæſtionibus illuſtratus, in 4to.

Anleitung/ wie *Johannis Rhuelii* Grün-donnerſtags-Predigt vom H. Abendmal recht zu leſen ſey. in 4to.

Faſciculus Quæſtionum Theologicar. darinn enthalten etliche Fragen und Bedencken/ mit deren deutlichen Antwortungen. in 12mo.

Das kindlich groſſe Geheimnuß von der Gottſeeligkeit / von der Menſchwerdung des Sohns GOttes. in 12mo.

Zwo Predigten von der überſchwencklichen Gnade GOttes/ durch den Dienſt *D. Mart. Lutheri* erwieſen. in 4to.

Erörterung der Frag/ ob in den Lutheriſchen Kirchen eine *Reformation* der Lehr/ Lehrer/ und Ceremonien halben nöthig. in 4to.

Eigenes und freywilliges Bekanntnus vieler Calviniſchen Lehrer / daß man bey der Lutheriſchen Religion gar wol könne ſeelig werden. in 12mo.

Diſputationes habuit: *De Creatione*, *de SPIRITU SANCTO*, *de Conciliis in genere*, *de Vocatione Miniſtrorum Eccleſiæ*, *de Sacramentis*.

* *Ex Oratione Parentali Joach. Cuſteri Roſtochii habitâ.*

RICHARDUS JAMESIUS, vulgò JAMES.

Obiit A.C. 1638.

NEuporti in Inſulâ *Vecti* natus. *Oxonii* in *Collegio Corporis CHRISTI* Scholaris, 1608. Socius & Artium Magiſter 15. & poſt novem annos S. Theol. Baccalaureus. Vir judicio longè ſubactiori, quàm Avunculus ejus *Thomas Jameſius Novi Collegii* ſocius; multarum regionum ſimul & literarum expertiſſimus. Quippè qui Græcæ Linguæ, criticæ, rei antiquariæ, Theologiæ denique peritiſſimus erat.

Oxonii Socius, & artium Magiſter in Colleg. Corpor. CHRISTI. S. Theol. Baccalaureus.

Johannes Seldenus ſe ipſi non leviter obſtrictum agnoſcit, ob operam ſibi collatam in explicandis marmoribus *Arundellianis*, in cujus libri præfatione eum compellat *virum multijugæ doctrinæ ſtudiique indefatigabilis*. Nec minus utilem ſe præſtitit *Cottonis*, patri & filio, qui ob operam in Bibliothecâ eorum ordinandâ ab eo locatam, multum ſe debere profitentur. Fuit ſanè Vir maximè induſtrius, & quantiscunque laboribus par.

Seldeno charus.

Obiit *Weſtmonaſterii* in ædibus *D. Thomæ Cotton* Baronetti, præ nimio, ut creditur, ſtudio, 7. Dec. A. C. 1638. & in Eccleſiâ *S. Margarethæ* ibidem ſepultus eſt.

Moritur.

Edidit:

Digitized by Google

Edidit:

Scripta. *Duas Conciones ad Clerum.* Oxon. 1625. & 33. Lat.

Conciones varias ad populum. Impreſſ. 1629. 30. 32.

Poëmata quædam in mortem D. Rob. Cottonis, & Thomæ Allen. Oxon. 1633. Lat.

Decanonizationem D. Thomæ Cantuarienſis. Libris vel part. 2. MS. Angl.

Vertit porrò è Latino *Minutii Felicis Octavium.*

Multa prætereà *ex antiquitate Collectanea* habuit, quorum aliqua ſparſim inter privatos, aliqua in Bibliothecâ *Seldenianâ* reſervantur.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

Obiit A.C. 1639.

JOHANNES SALKELDUS.

Weſtmorlandenſis *Anglus*, *Oxoniæ* in Collegio *Reginenſi* tempore exiguo commoratus eſt, quo pariter & Religione Reformatâ abſcedens in *Hiſpaniam* navigavit, & in *Conimbricenſi*, *Cordubenſi* & *Complutenſi* Univerſitatibus familiæ *Jeſuiticæ* ſocius fuit, ubi ad promovenda *Franciſci Suarezii* & *Michaëlis Vaſquezii* ſtudia non parùm contulit.

At verò cum ſollicitandis *Anglis*, ut fidem *Romanam* amplecterentur, *Oxoniam* denuò remearet, comprehenſus eſt, & ad Regem *Jacobum* delatus, cujus firmiſſimis argumentis ſuccubuit, & ad ſanitatem revertebatur, ac Rectoriâ quâdam in Agro *Somerſetenſi* donatus, Regium ſe proſelytum, haud ſine jactantiâ, nuncupavit. *Rector Eccleſiæ cujusd Somerſetenſis.*

Infinitâ enimverò lectione cultiſſimum reddiderat ingenium, adeò ut (quod ipſe ſibi gloriæ plusquam humanæ ducebat,) *Eruditus Salkeldus* in operibus Regiis nuncupatus fuerit.

Quod concionandi Facultatem attinet, haud egregiâ quidem pollebat, ſed neque Inſomniis quibusdam Pontificiis ad mortem usque renunciavit.

Moritur. Mortem oppetiit paulò ante bella civilia, hoc eſt circa an. Dom. 1639.

Scripſit præter alia:

Scripta. *Tractatum de Angelis.* Lond. 1613. Angl.
Tractatum de Paradiſo. Lond. 1617. Angl.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

Obiit A.C. 1639.

THOMAS HUTTON.

Londinenſis *Anglus*, & è Scholâ Mercatorum Sciſſorum, *Oxon.* in Collegio *Joh. Baptiſt.* Scholaris electus an. 1584. ætatis 19. Deindè Socius & Artium Magiſter, tum S. Theol. Baccalaureus, & Paſtor Eccleſiæ de Lew boreali, in agro *Devonienſi*, nec non *S. Keviæ*, in *Cornubiâ*, & Eccleſiæ *Exonienſis* Præbendarius. *S. Theol. Bacc. Ox. Paſtor Eccleſ. de Lew & S. Keviæ. Præbendarius Eccl. Exonienſ.*

Obiit A.C. 1639. & ſepultus in Eccleſiâ *S. Keviæ.* *Moritur.*

Scripſit:

Reſponſum Rationibus quibusdam, eorum, qui Liturgiæ Eccleſiæ Anglicanæ ſubſcribere recuſârunt. *Scriptum.*

* *Ex hiſtoriâ & antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

Obiit A.C. 1639.

ROBERTUS BURTON, vulgò DEMOCRITUS JUNIOR.

Oxonii è *Collegio Æneonaſenſi Ædis Eccleſiæ CHRISTI* alumnus cooptatus A.C. 1599. Abſoluto artium & ſcientiarum Academicarum curriculo ſacris Ordinibus initiatur, & Vicariâ *D. Thomæ* in ſuburbiis *Oxonienſibus* poſitâ à Decano & Capitulo donatur. *Vicarius D. Thomæ in Suburb. Oxon.*

A. 1614. Theologiæ ſuſcepit Baccalaureatum, paucisque ante obitum annis Rectoriam de Segrave in agro *Leyceſtrienſi*, ex dono *Georgii* Baronis *Berkley* conſecutus eſt, neque munus porrò aliud Eccleſiaſticum adeptus comparet. *Theologiæ Baccalaureus. Rector Eccleſ. de Segrave.*

Matheſin accuratè calluit, & lectione penè omnigenâ vir erat; literarum verò humaniorum potiſſimùm peritus; quamvis verò ſtudiis præſertim vacaret, librorum helluo, ingenioque tetrico & acerbo præditus haberetur, morum tamen probitate nemini erat ſecundus, imò nonnunquàm colloquio hilari & feſtivo juvenes pleroſque amicos ſuperabat, elegantioribus Poetarum & Oratorum floſculis, pro more tunc temporis obtinente, ſermone interſperſo.

Diem in Æde *Eccleſiæ CHRISTI Oxon.* obiit eodem penè tempore, quo ſubductis ex Aſtrologorum ſententiâ calculis, moriturum ſe prædixerat; quippè monumentum ejus ſepulchrale, (quod quidem *Guilielmi*, fratris chariſſimi, pietati acceptum refertur,) unà cum Epitaphio & nativitatis, quam vocant, calculatione, in Eccleſiâ Cathedrali, propè tumulum Doctoris *Weſton* conſpicitur hunc in modum: *Moritur.*

Epitaphium.

PAUCIS NOTUS, PAUCIORIBUS IGNOTUS,
HIC JACET
DEMOCRITUS JUNIOR,
CUI VITAM DEDIT ET MORTEM
MELANCHOLIA,
OBIIT VIII. ID. JAN. A. C. MDCXXXIX.

R. B. natus
1576. 8. Feb.
hor. 3. Scrup. 16.
Long. 22. O.
polus 51. 30.

Scripſit:

Melancholiæ Anatomiam. *Scriptum.*

* *Ex hiſtoriâ & antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

CLAU-

Obiit A.C. 1639.

CLAUDIUS JOHANNIS JEGERUS.

NAtus eſt *Hafniæ* A. C. 1565, Patre Viro Reverendo M. *Johanne Thomæo*, Paſtore Eccleſiæ *D. Virginis*, Matre *Magdalenâ*, *Matthiæ* f.

Nobilium adoleſcent. Gubernator.

Vixit in exteris Academiis annos 13, & intereà Director ſtudiorum & peregrinationis fuit Nobilium juvenum *Othonis Georgii Skugaard*, *Tagonis Tot*, *Erici* f. & *Chriſtophori Ulfeldii*, qui duo poſteà Equites aurati & Regni *Daniæ* Senatores fuerunt.

Profeſſor Pædagogicus. Paſtor Eccleſ. Amagrienſis.

Magiſter Artium, Profeſſor Pædagogicus factus eſt A. 1602. Indè poſt M. *Laurentium Scavenium* Paſtor Eccleſiæ *Amagrienſis* A. 1605.

Eodem anno duxit Uxorem è Gynæceo Sereniſſ. Reginæ *Annæ Catharinæ Marinam*, *Jani Torbernii*, Regiæ annonæ Scribæ filiam, ſuſcepitque ex eâ liberos utriusque ſexus ſeptem. E filiis *Johannes* Patri in munere Paſtorali ſucceſſit: *Thomas* Eccleſiæ *Averſienſis*, & *Chriſtianus Hellelandienſis* in *Norrigiâ* Paſtores facti. Filia *Anna* M. *Chriſtiano Tauſano*, Epiſcopo *Scavangrienſi* nupſit.

Moritur.

Obiit A.C. 1639. ingreſſus annum ætatis 74.

* *Ex Acad. Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

Obiit A.C. 1639.

JOHANNES GEORGIUS NOTTERUS.

NAſcitur *Argentinæ* A. 1601. Menſe Majo. Literis tingitur primùm in Gymnaſio & Academiâ patriâ.

Fit Baccalaureus & Magiſter Philoſophiæ.

Baccalaureatu A. 1619, & Magiſterio Philoſ. A. 1621. acquiſito, peregrinatur in variis Univerſitatibus *Germaniæ*.

Profeſſor Theol. Argent.

Vocatur *Argentorat.* ad Theologicam Profeſſionem A. 1630. *D. Wegelino* defuncto.

Anno eodem d. 24. Decemb. initium functionis ſuæ facit ab Oratione, uti moris eſt, ſolenni & inaugurali.

Paſtor Eccleſiæ Evang. Spir.

Verùm certis de cauſis *Spiram* abiit A. 1633, d. 3. Martii, ibique Paſtoratum Evangelicæ Eccleſiæ amplectitur.

Moritur.

Corporeâ mole levatur ibidem A. 1639. d. 21. Martii.

* *Ex Catalogo Profeſſ. Argentinenſium Melchioris Sebitzii.*

Obiit A.C. 1639.

CUNRADUS DIETERICUS.

NAtus *Gemundæ* in *Haſſiâ ſup.* 9. Jan. A.C. 1575, Patrem habuit *Nicolaum Dietericum*, ejus loci Prætorem, militem anteà ſtrenuum in bello *Smalcaldico*, *Landgravio Haſſiæ Ludovico* charum, A. 1584. mortuum. Matrem *Eliſabetham Zimiam*.

Marpurgi ſtudia incipit.

A. 1585. A matre in Scholam privatam ablegatus, & anno ſeq. 1586. domum revocatus, 1. Maji *Marpurgum* venit, à *Johanne Ferinario*, Hiſtoriar. Profeſſore & Pædagogiarchâ in Pædagogium receptus.

A. 1590. Ibidem Decano *Ottone Walperio*, Græcæ & Hebrææ Linguæ Profeſſore, & Rectore *Philippo Matthæo*, U. J. D. unà cum 14. Condiſcipulis quarto loco ad Lectiones publicas promotus eſt.

Itinera ejus.

A. 1591. Regiones exteras perluſtrandi gratiâ *Francofurtum* ad *Mœnum* profectus, indè *Wormatiam*, *Heidelbergam*, *Tubingam*, & *Ulmam* acceſſit. Exindè *Danubio* vectus cum urbes adjacentes *Lauingam*, *Dillingam*, *Ingolſtadium*, *Ratisbonam*, *Paſſavium*, & *Lintzium* perluſtrâſſet, *Viennam* Cæſaris *Rom.* ſedem pervenit. Profectus deindè per *Hungariam*, *Bohemiam*, *Miſniam*, & *Thuringiam*, in Patriam DEO favente feliciter rediit.

Theol. ſtudium incipit. *Concionator Caſtrenſis.* *Miniſterio ſacro inauguratur.* *Diaconus Marpurg.*

Marpurgum ad ſtudia reverſus, in Logicâ & Phyſicâ Præceptorem habuit *Rudolphum Goclenium* Seniorem, in Ethicis *Petrum Nigidium*, in Matheſi *D. Hartmannum*, in Græcis *D. Ottonem Walperium*, & M. *Chriſtoph. Cramerum*: in Theologiæ verò ſtudio primùm nactus eſt Præceptorem *D. Ægidium Hunnium*. A. 1593. Ibidem Baccalaureus & Philoſ. Magiſter creatus. 1. Julii A. 1595. Cum *D. Daniel Arcularius* ſtipendii Ephorus eſſet, inter ſtipendiarios primi ordinis receptus, tunc ſtudium Theologicum unicè aggreſſus in Diſputationibus & Concionibus ſeſe exercuit, Sacra tunc docentibus Doctoribus *Ægid. Hunnio*, *Winckelmanno*, *Arculario*, *Mentzero* & *Moltbero*. A. 1599. A Comite *Solmenſi*, *Johanne Georgio*, *Laubacum* vocatus, ejusque filio Comiti *Philippo*, Militiæ Duci, Concionator *Caſtrenſis* adjunctus, nec non *Mauritio Haſſiæ Landgravio*, 22. Febr. *Marpurgi* à *D. Henrico Leuchtero*, Superintendente, manuum impoſitione Miniſterio Sacro inauguratus eſt. In hoc munere per *Haſſiam*, *Weſtfaliam*, *Geldriam* profectus, cum Comes ipſius in obſidione *Reeſii* ſclopeti globo percuſſus *Arnhemii* in *Geldriâ* obiiſſet, ipſe ad Comitem *Joh. Georgium* regreſſus, dimiſſionem petiit, & obtinuit. Tunc *Marpurgum* reverſus, volente *Landgravio Ludovico* Seniore Hypo-Diaconus Templi factus eſt.

Nubit.

6. Jan. A. 1601. *Marpurgi* nuptias celebravit cum virgine *Margaretâ*, *Danielis Lunckeri* Senatoris filiâ, quam viduam reliquit. Ex eâ liberos ſuſcepit A. 1606. *Joh. Danielem* Med. Doctorem: A. 1610. *Annam Eliſabetham* Doct. *Davidi Guthero* J.C. nuptam: A. 1612. *Joh. Hermannum*, A. 1616. *Cunradinum*, & A. 1623. *Julianam*.

Gieſſæ Profeſſor Theol.

A. 1605. Cum Eccleſia reformaretur, cum aliis Profeſſoribus dimiſſus, ipſe inter primos Gieſſam conceſſit, & Academiam ibi erigere cœpit, per 9. annos deinceps ibi Profeſſoris Theologici functus officio. 1. Jan. A. C. 1609. Cum *Gieſſæ Johannes Georgius Holſatiæ* Dux Rector Univerſitatis

tis fuiſſet electus, ejusdem Pro-Rector conſtitutus eſt.

3. Maji A. 1614. A Senatu *Ulmenſi* vocatus, *Ulmam* acceſſit, ſuccedens D. *Johanni Weſenbecio* A. 1612. demortuo, & 5. Maji primam Concionem habuit in Templo Cathedrali.

8. Maji *Gieſſam* regreſſus, ibi 14. Maji pro Gradu Doctorali, de Formulâ Concordiæ *Wittenbergenſis* publicè diſputavit, & 2. Maji ſeq. in S. Theologiæ Doctorem ſummâ cum laude promotus eſt. *Fit Doctor Theologiæ.*

20. Aug. Cum familiâ ſuâ feliciter *Ulmæ* appulit, ibique 24. Augusti die *S. Bartolomæo* ſacro â M. *Petro Hubero* in Templo primario ſuis auditoribus tanquàm futurus eorum Superintendens præſentatus & commendatus eſt. *Superintendens Ulmenſis.* Ibidem Dom. 16. Trinitatis Templum recens exſtructum S. Trinitatis Concione habitâ ſolenniter inauguravit. A.C. 1620. Gymnaſium etiam inſtituit, cujus ipſe Director 17. annis cum laude fuit.

Hydrope tandem â trimeſtri afflictus in CHRISTO exſpiravit *Ulmæ* 22. Martii A.C. 1639. ætatis 65. Miniſterii *Ulm.* 25. *Mor. hydrope.*

* *Ex Concione funebri Ludovici Epiſcopi Concion. primarii Ulm.*

CONRADUS THEODORICUS
per Anagr.
In hoc es Doctor arduus.

Libri ab eo editi ſunt ſequentes: *Scripta.*

Analyſis Logica Evangelior. Dominical. & Feſtivalium, in 4to.

Inſtitutiones Logicæ, Oratoriæ, & Rhetboricæ, in 8vo.

Canones Logici, in 8vo.

Hermes Logicus.

Inſtitutiones Catecbeticæ, in 8vo.

Diſcurſus Politicus de Munitionibus & Propugnaculis, quem poſteà M. Joh. Philippus Ebelius Gymnaſii Ulm. Conrector Germanicè tranſtulit, in 8vo.

Myſteriologia Sacramentorum Vet. & Novi Teſtamenti, in 8vo.

Comment. in Lib. Sapientiæ Salom. Tom. II. Teutſch. in fol.

Pœnitentia Davidica, das iſt / die *VII.* Buß-Pſalmen in unterſchiedlichen Predigten erklärt.

Ulmiſche Kriegs- und Buß-Predigten.

Zwo Ulmiſche Jubel- und Danck-Predigten. in 4to.

Salomonis Zeit-Predigten. in 4to. Oder 12. Predigten von der Zeit.

Sonderbarer Predigten von unterſchiedlichen Materien 4. Theil. in 4to.

Diſcurs von unterſchiedlichen Träumen. in 4to.

vom Kriegs-Raub und Beuthen. in 12mo. & in 4to.

vom Allmoſen. in 12mo.

Der Alten Spiegel / darinn ſich Alte und Junge wol zu beſpiegeln haben / aus dem 12. Capitel deß Predigers *Salomonis* erklärt.

Oratio Panegyrica, de malâ hæreticorum in diſſeminandis, introducendis ac propagandis erroneis ſuis dogmatibus ac ritibus novis prudentiâ, in 4to.

Elenchus geminus, continens Refutationem exceptionum & argumentorum, quæ à Judæis contra adventum Meſſiæ afferri ſolent, in 4.

Diſcurſus Theologicus de Formulâ Concordiæ, in 4to.

Quæſtiones Theologicæ de Fanatiſmo Schwenckfeldianorum, & aliorum de Verbo DEI ſcripto ac prædicato, itemque Chiliaſtarum veterum ac recentium, de ultimo quod ſibi hoc ultimo ſæculo ſomniant, gratiæ ſæculo, in 4to.

Ulmiſcher Regenten-Baum aus Daniel. 4. Cap. in 4to.

Ulmiſche Käiſerliche Glückwünſchungs-Predigten aus dem 2. Cap. Daniel. in 4to.

Leich-Klage über dem König in Schweden *GUSTAVO ADOLPHO*. in 4.

Das Buch der Weisheit in unterſchiedenen Predigten erklärt. in fol.

Der Prediger Salomo in unterſchiedenen Predigten erklärt. in fol.

63. Predigten über den Propheten Nahum. in 4to.

Diſputavit de Cœnâ Dominicâ: de Baptiſmo: de cauſâ Electionis impulſivâ, ſive meritoriâ, & de pluribus materiis aliis.

EBERHARDUS KOLBIUS.

Obiit A.C. 1639.

EX Parentibus honeſtis *Argentorati* natus 18. Aug. A. C. 1593, in Gymnaſio patrio ab A. 1610. præclaros fecit in pietate, Linguis & artibus liberalibus progreſſus, ut cum laude ad Lectiones publicas fuerit admiſſus, & triennio poſt A. 1613. Gradum utrumque Philoſophicum cum laude acceperit. *Philoſ. Magiſter. Argent.*

Eodem adhùc anno Diaconatus ei in xenodochio fuit concreditus, quem vicariâ operâ 6. ſeptimanis antè obiverat. *Diaconus in xenodochio.*

A. 1617. *Doſenhemium* ad Eccleſiæ Paſtoratum, & A. 1619. in Patriam revocatus, Templi primarii, quod Monaſterium vocatur, Diaconus factus eſt. *Paſtor Doſenhemii.* In hoc munere totos annos 18. verſatus, anno demum 1637. Concionator ejusdem Templi declaratus eſt. *Diaconus Monaſterii Arg. Concionator.*

Cum uxore ſuâ 21. annos in felici conjugio exegit, & 11. cum eâ liberos progenuit, ſed 5. tantùm poſt fata ſuperſtites reliquit.

Ab eo demùm tempore, quo pons *Rheni* collapſus, ipſum cum aliis funus quoddam comitantibus in aquas præcipitem dedit, vires colligere non potuit, ſed viribus corporis ſenſim deficientibus placidè exſpiravit 30. Martii A. C. 1639. ætatis 46. *Ponte Rheni collapſo in aquas cecidit.* *Moritur.*

* *Ex Concione funebri D. Johannis Schmidii, Theol. Prof.*

SAMUEL

Digitized by Google

Obiit A.C. 1639.

SAMUEL BOHLIUS.

GRyphenbergæ, civitate *Pomeraniæ*, natus eſt M. Majo A. C. 1611, Patre Dom. *Paulo Bohlio*, loci illius Senatore & Advocato, Matre *Anna Friedbornii*.

Poſtquàm puer in Scholâ patriâ prima ſtudiorum elementa feliciter locâſſet, Parentes eum ad Scholam minorem *Gryphiswaldenſem* & indè *Stralſundenſem* ablegârunt.

Witteberga & Regiomontii Linguar. Oriental. ſtud. A. 1629. Ad Academiam *Wittenbergenſem* ablegatus, ibique per triennium commorans, ſtrenuè literis incubuit, poſteà *Regiomontium* conceſſit A. 1632. Qualem ſe ibi per triennium geſſerit, literæ teſtimoniales Rectoris & Senatus Acad. *Regiomont.* *Inſigne ſtudior. teſtimonium.* hiſce verbis teſtantur: *Poteſtate ipſi factâ tum privatim legendi tum diſputandi, eâ ita uſus fuit, ut & Academiæ noſtræ magno ornamento, & ſtudioſæ juventuti inſigni emolumento fuerit, & ſibi immortale apud nos nomen comparârit. Nam & ante Promotionem Collegia, tum Chaldaico-Syriacum Grammaticum & practicum, tum Arabicum, in quo Paſſionem Dominicam explicuit, tum aliud Grammaticum, in quo Grammaticam Hebræam ſuopte Marte conſcriptam propoſuit; & poſt Promotionem, Propheticum, tum ſuper Eſaiam, Oratorium, in quo & verum Vatis ſenſum tradidit, & in certas eum orationes ſive Conciones tribuit, ad quarum imitationem ſex quoque Orationes Hebraicæ, ipſo Moderatore, approbantibus eas priùs Dominis Theologis, â Studioſis ſtylo Prophetico publicitùs fuerunt habitæ; tum ſuper Malachiam, Grammaticum, in quo præcepta Grammaticæ Hebr. ante promotionem dictata accuratè revidit, clariùſque explicuit; tum Rabbinicum diſputatorium privato publicum ſuper Danielem ex Rabbi Joſeph Jachiade; tum Arabicum, ſive Chaldaico-Syriacum ſuper Eſdram & Epiſtolam ad Romanos. Undè ipſo ibidem Directore Orationes Chaldaicæ & Syriacæ aliquot habitæ â Linguar. Orient. Studioſis publicè fuerunt: Ad hæc tres Diſputationes ſuper Eſaiam anti-Rabbinicas, conſenſu Dominor. Theologorum, publicè habuit. Ut ita hoc elogium verum â nobis nunc reportet: Linguas Orient. in Academiâ Regiomantanâ indè â primâ ejus fundatione nunquàm floruiſſe magis, quàm vivente in eâ ac florente M. SAMUELE BOHL.* Hactenùs verba Academiæ *Regiomont.*

Stetini convictor D. Jac. Fabricii. Diſcedens indè A. 1635. invitatus fuit â Rever. Dom. *D. Jacobo Fabritio*, Generali *Pomeraniæ* Superintendente, ut apud ſe tanquàm filius aliquantiſper commoraretur, quod per annum factum eſt.

Stetino Roſtochium venit A. 1636, & ſtudium Linguæ Sanctæ auditoribus commendavit. Cumque Reip. hujus Senatui ipſius diligentia & in Linguâ Hebræâ ſingularis ſcientia innoteſceret, locum vacantem Reverendi Dom. *Stephani Clotzii*, Theol. Doct. & Prof. poſteà Generalis Superintend. *Holſatiæ* ipſi aſſignavit. *Theol. Profeſſor Roſtoch.* Spartam hanc aſſiduo labore ita ornavit, ut in ſemetipſum & propriam valetudinem injurius quodammodò videri poſſet. Officium enim, quod 4. Junii A. 1638. aggreſſus eſt, non diu quidem cum morbo conflictatus, 10. Maji anni ſeq. 1639. per mortem depoſuit, annos natus 28. *Subitò mortuus.*

Nec mirum corpus ejus aliàs robuſtum viribus fractis ita ſubitò proſterni. Referentibus enim diſcipulis illius, Herculeos ſuſtinuit labores, proponendo Grammaticam Hebræam quinquies, Chaldæam bis, Syriacam ſemel, additis textibus & authoribus inſtituto ſuo inſervientibus. Nec minùs ſæpiùs publicè concionando multorum cum applauſu auditus fuit. *Philologus ſingularis.*

Vates, ut refertur, ſuæ mortis fuit, triduo enim antequàm lecto affigeretur, dixiſſe dicitur, ſibi in ſomno viſum apparuiſſe, & ſe *Stralſundium* evocatum eſſe, ut Concionem haberet ſuper hæc verba: *Homo de muliere natus brevi vivit tempore, & plenus eſt laborum ac ærumnarum:* Et adſtantibus dixiſſe perhibetur paulò ante mortem: *Poſt horam tertiam auditam mundo exibo, & ad cœleſtia commigrabo.* *Mortis ſuæ vates.*

Scripta ab eo relicta & edita ſunt ſequentia:

Scripta.

Commentar. Biblico-Rabbinicus in Eſaiæ cap. 7. in 4to.

Pro Regulâ ruſticâ introducendâ in explicatione S. Scripturæ Diſputationes XIII.

Tractatus contra matrimonium Comprovignorum, in 4to.

Tractatus de quibusdam, quæ DEO propriè competunt, in 4to.

Vera diviſio Decalogi ex infallibili principio accentuationis data, in 4to.

Comment. & Diſputationes in Prophetam Malachiam, in 4to.

Grammatica Hebræa.

Analytica Paraphraſis Pſalmorum, in 12mo.

Ethica ſacra, ſive Commentar. in Proverbia Salomonis, poſt autoris obitum continuatus per Georgium Witzlebium.

Diſputatio ſuper Pſalmum XVI.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Roſtoch. D. Joh. Cothmanni.*

EDOARDUS CHETWYND.

Obiit A.C. 1639.

ANtiquâ ac generoſâ proſapiâ *Ingeſtriæ* in Comitatu *Staffordiæ*, nec procul ab urbe ejus primariâ, oriundus eſt anno quaſi 1577. A. 1592. in Univerſitate *Oxonienſi* Collegii *Exonienſis* Suggenariis acceſſit, quos inter annos quatuordecim ſummâ pietate & induſtriâ tranſegit.

A. 1606. A Majore & Municipio *Abendonenſi* Concionatoris, quem Prælectorem appellant, munere donatus eſt; ſub initium verò anni ſequentis â Doctore *Henrico Airay* Vice-Cancellario, & Doct. *Joh. Rainolds* Coll. *Corp. CHRISTI* Præſide *Briſtoliam*, ad conſimile munus obeundum aman- *Concionator Abendonenſis, & Briſtolienſis.*

Digitized by Google

amandatus eſt, efflagitante Prætore, Aldermannis, & Senatu Urbano.

A. 1613. *Annæ* Reginæ â Sacris admiſſus eſt, annoque 1617. per Sereniſſimum *Jacobum* Decanatu *Briſtolienſi* adauctus, non ſine ingenti civium lætitiâ ac plauſu. *Decanus ibidem.*

Eodem anno in Theologiâ incœpit, utque quàm ſibi eſſent chari *Briſtolienſes* teſtaretur, Rectoria de **Sutton-Colfield** in Agro *Warwicenſi*, cujus annui fructus Decanatus cenſum ſuperabant, ultrò ceſſit.

Verbi Divini, maximo cum auditorum profectu, conſtans erat & indefeſſus Annunciator, Philoxenus, ut qui maximè, pietate denique ac morum ſuavitate cujuſcunque ſortis hominibus acceptiſſimus.

Scripſit, præter alia, Conciones Anglicanas in

Scripta.
Act. XX. v. 24. Oxon. 1608.
Luc. XIII. v. 23. 24. Lond. 1612.
Lament. V. v. 15. 16. Ibid. eod. an.
Pſalm. LI. v. 10. Ibid. 1610.

Moritur. E vivis migravit 13. Maji A. 1639. *Briſtoliæ* verò in Choro Eccleſiæ Cathedralis, intra Cancellos, nec longè â ſacræ Synaxeos menſâ jacet.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

Obiit A.C. 1639.

ALBERTUS CAMPANA.

NObilis *Florentinus*, Ordinis *S. Dominici* Monachis aſſociatus.

Politioribus literis non minùs quàm Philoſophiæ & Sacrarum literarum clarus cognitione.

Theol. Profeſſor Patavii. E Gymnaſio *Piſano* poſt aliquot annorum moram in *Patavinum* ad Sacri Codicis Lecturam evocatus, valetudine quamvis dubiâ, omnium expectationi ſatisfecit. Sed cum antiqua crurum ulcera mulieris cujuſdam operâ curari ſibi voluerit, derepentè apoplecticus obiit, transmiſſâ ad caput excrementorum illâ colluvie, quæ per ulcera conſueverat expurgari, 22. Sept. A. C. 1639. *Patavii.* *Mor. apopleƈt.*

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Jac. Phil. Tomaſini.*

Ejus monumenta ſunt plura, ſed typis ſolummodò legitur

Scripta. *Lucanus Verſibus Hetruſcis redditus.*

Obiit A.C. 1639.

BARTHOLOMÆUS BATTUS.

VItæ initium duxit *Hamburgi* eo tempore, quo conventus *Dreſdæ* habitus, & Formula illa conſenſus ſcripta eſt, ac quo *Franckenthaliæ* Theologi cum *Anabaptiſtis* locuti ſunt A. C. 1571. Patre ſpectatæ integritatis Viro Dom. *Johanne Batto*, Matre *Mariâ Krakeriâ*, *Aloſto Frandris*. Artium, ſcientiarum, Linguarumque fundamenta in Scholâ patriâ, ſub ſedulâ curâ & ſolerti manuductione M. *Gwtneri Rolfinckii* Scholæ Rectoris jecit. Quod cum feliciter præſtitiſſet A. 1589. ad Academiam *Roſtochienſem* ablegatus eſt, ubi cum in annum quintum commoratus eſſet, ſtudiorumque ſuorum Philoſophicorum, quibus Linguarum Orientalium cognitionem adjecerat, fiduciam habebat, â Collegio Philoſophico, honores conferente Viro experientiſſimo *Magno Pegelio*, Philoſ. & Med. Doctore, Facult. Philoſ. tùm Decano, auguſtâ Magiſtrali Laureâ ſummo omnium applauſu ornatus eſt. *Philoſ. Magiſter Roſtochii.*

Non multò pòſt *Witteberganı* adiit. Ibi per triennium ſacris potiſſimùm ſtudiis addictus, indèque peragratâ maximam partem ſuperiore *Germaniâ*, *Roſtochium* rediit. *Theol. ſtud. Wittebergæ.*

Vacabat eo tempore A. C. 1596. in hâc Academiâ Profeſſio Logica, & cum de perſonâ idoneâ ſubſtituendâ conſilia agitarentur, perfulgens verò *Batti* eruditio paſſim explorata eſſet, ideò ab Illuſtr. Principe *Pomeran.* Dom. *Bogislao XIII.* ad vacantem Profeſſionem *Roſtochii* vocatus, inque Senatorium Facultatis Philoſophicæ ordinem adſcitus, profitendi provinciam hîc obtinuit. *Logicæ Profeſſor Roſtochii.*

A. 1597. Vitæ ſociam delegit, & auſpiciis felicibus exambivit Virginem *Emerentiam*, Dom. *Joach. Schwartzii*, Senatoris *Gryphiswaldenſis* filiam, cum quâ annos 26. in optato nec ſterili vixit conjugio, utpote è quâ ſuſcepit filios duos, Dom. *Johannem*, civem *Stralſundenſem*, & Dom. *Abrahamum*, Rectorem in Academiâ patriâ poſteà Magnificum, & totidem filias, *Eliſabetham* Dom. *Michaëli Canuto*, Academiæ Secretario elocatam, & *Emerentiam* nuptum collocatam Reverendo Viro Dom. *Timotheo Martzan*, Paſtori in *Kentzet-Diviz*. *Conjugium ejus & Liberi.*

Hâc conjuge A. C. 1623. beatè extinctâ, ad ſecunda vota tranſiit cum Virgine *Juditha*, Dom. *Joh. Parow*, Mercatoris *Stralſundenſis* filiâ, cum quâ annos 14. in conjugio vixit jucundo, infœcundo tamen.

A. 1599. Defuncto Reverendo Viro Dom. *Matthiâ Flegelio*, in Paſtoratu *Jacobæo* & Profeſſ. Theologicâ ſuffectus eſt, ſuſcepto ſtatim in ſeq. anno ſummo in Theol. Gradu, Promotore Dom. *Friderico Rungio*, S. Theol. Prof. & Eccleſ. *Occid. Pomer.* Superintendente Generali. Tempus abindè vitæ reliquum aſſiduis ſacris Meditationibus, piiſque & vero Theologo competentibus actionibus conſumpſit. *Theol. Profeſſor & Doctor.*

2. Aug. A. C. 1637. Hemiplexia dextrum ejus latus divina tetigit manus, hinc paralyſi ab illâ corporis parte laborare cœpit. Tandem â 4. Octob. omnium vitioſarum affectionum maturitas erumpere cœpit. Varii enim morbi, febris, calculus, tuſſis agmine quaſi facto, corpus ejus oppugnare aggrediebantur, & tandem 3. Nov. A. C. 1639. catarrhus ſuffocativus cor planè obruit. Organo itaque animæ cor- *Obiit ex catarrho ſuffocativo.*

Digitized by Google

corrupto, ad vitæ terminum placidè delatus, ſomno quaſi obdormiſcens, dolorum expers, animam Creatori ſuo reddidit. Profeſſor 44. annorum, Theologus annor. 39. & inter homines homo 68. annor.

9. Nov. ſeq. Oratione panegyricâ laudatus eſt â Dom. *Hermanno Quireno*, U. Jur. Doct. & 15. Nov. â Reverendo Dom. *Nicolao Viſmaro*.

Ejus Scripta ſunt ſequentia:

Scripta. *Tres Diſputationes, de æternâ ſalvandorum Prædeſtinatione*, in 4to.

Oratio de CHRISTO Salvatore, contra Fauſtum Socinum, in 4to.

De Juſtificatione hominis peccatoris coram DEO libri tres, Bellarmini libris de Juſtificatione oppoſiti, in 8vo.

Syſtema Theologiæ 22. Diſputationibus incluſum, in 4to.

Diſputationes 8. de S. Scripturâ, in 4to.

Vindiciæ veritatis de Probabilitate Apoſtaſiæ Sanctorum contra Synodum Dordrechtanam, & in ſpecie Sebaſt. Benevellum, Theol. D. & Prof. Oxonienſem, in 8vo.

Diſputationes 26. in Auguſtanam Confeſſionem, in 4to.

De Poſſibilitate Apoſtaſiæ Sanctorum, ſive amiſſionis gratiæ in electis, in 8vo.

Commentar. in Epiſt. ad Galatas, Epheſios, & Philippenſes, in 4to.

* *Ex Programm. fun. Academiæ Gryphiswald. Pro-Rectoris Matthiæ Stephani, J. C. & Anteceſſoris.*

Obiit A.C. 1639.

LUDOVICUS DUNTE, vel DUNTHIUS.

PRotulit eum *Revalia*, inclutum *Livoniæ ad Oceanum Balthicum* Emporium 21. Nov. A. C. 1597. Patrem nactus eſt Dom. *Jodocum Dunten*, Reipubl. patriæ Senatorem, Matrem *Dorotheam Holtzhauſiam*.

Rigæ diſcipulus Hermanni Samſonii. Puer ubi literarum rudimenta in patriâ percepit, *Rigam* ad Virum Reverendum M. *Hermannum Samſonium* miſſus eſt, cujus ductu Linguarum & Artium ſtudiis per quinquennium gnaviter incubuit.

Gieſſæ Stud. Theol. Cum verò altioribus percipiendis idoneus videretur ad mercatum doctrinæ uberiorem *Gieſſam* commigravit, ubi primùm humanioribus literis operam dedit, mox ſummis tum Theologis *Joh. Winckelmanno, Baltaſ. Mentzero, Joh. Gieſſenio, & Juſto Feurbornio* ſuam egregiè probavit induſtriam, ac in tertium annum audiendo inibi & diſputando ingenii ſui aciem exercuit.

Wittebergæ Magiſter. Poſteà diſcedens *Argentinam*, *Tubingam*, & *Jenam*, tandemque *Wittebergam* acceſſit. Hîc A. C. 1622. Magiſterii Gradum prolixâ eruditionis laude conſecutus eſt. Publicis proindè ac privatis inſtitutis Collegiis nihil prætermiſit, quod ad ſolidam ſibi ſcientiam acquirendam neceſſarium eſſe duxit.

Exacto ita *Wittebergæ* triennio, *Lubecam* & *Hamburgum* inviſit, invenitque fratrem *Jodocum*, cum quo *Batavium* adivit.

Belgium, Galliam, & Angliam perluſtravit. Ingruente autumno *Rigam* rurſus adiit, & per *Boruſſiam* ac *Pomeraniam Roſtochii* appulit. Ibi generoſos juvenes *Johannem & Antonium Willemannos* fratres, Archiſtrategi *Suecici, Jacobi de la Gardie*, ſuaſu, inform. ſuſcepit, quibuſcum ultra triennium peregrè vixit, & ſtudiorum gratiâ in *Belgio*, *Angliâ*, & *Galliâ* ſubſtitit. In hoc itinere Bibliothecâ *Oxonienſi* inſigni cum fructu uſus eſt. Linguam inſuper his populis vernaculam *Anglicam* & *Gallicam* adeò feliciter memoriæ ſuæ infixit, ut poſteà, S. Evangelii Præco conſtitutus, peregrinis ægrotantibus divinas ſuggerere conſolationes potuerit.

Eccleſiæ Miniſter Revaliæ. *Conjugium ejus & Liberi.* Sic demum curſu ſtudiorum & itinerum feliciter abſoluto *Revaliam* A. 1627, cum illûc â Senatu jam evocatus eſſet, incolumis reviſit. Mox prævio, ut inibi moris eſt, examine, Venerando Miniſterio Eccleſiaſtico initiatus eſt. Non diu pòſt animum ad honeſtum matrimonium adjecit, nuptiasque cum nobili Virgine *Gertrudâ*, Viri conſularis *Georgii â Wangerſen* filiâ 29. Oct. celebravit, quod liberis utriusque ſexûs fœcundum habuit: trium quippè filiorum & 4. filiarum Pater factus eſt, è quibus ſuperſtites maſculum unum tresque ſequioris ſexûs reliquit.

Academiam novam Dorpati in Livoniâ introduxit. Biennio elapſo ad D. *Olai* Diaconus & Eccleſiaſtes merito ſuo conſtituitur. Cum verò A. 1632. die 15. Octob. Academia in *Livoniâ* recens fundata, & *Guſtavo Adolphina* dicta ſolenni ritu *Dorpati* eſſet introducenda, â Venerabili S. Miniſterii Ordine illûc præ aliis amandatus fuit. Reverſus ſingularem de præſtantiâ & uſu Academiarum Concionem habuit, quam typis exſcribendam commiſit.

Inſpector Scholar. Reval. A. 1636. Scholarum Inſpectio ipſi quoque commiſſa, quibus ingenti cum diſcentium fructu præfuit ac profuit, dum fuit. Probitatem verò ejus, ut umbram corpus inſecutum fuit haud rarò malevolum odium, & diræ perſecutiones.

Cathedra ipſi immeritò interdicta. Hinc quoque factum, ut aliquando ob officium Elenchticum pro delicti gravitate neceſſariò adhibitum cathedra ipſi Eccleſiaſtica immeritò interdiceretur.

Moritur. Tribus ita hebdomadibus elapſis planè quidem priſtino honori ac dignitati reſtitutus fuit, nihilominus eâ, quâ antè gaudebat, impoſterùm mentis alacritate caruit: Antagoniſtis tamen ſuis ex animo remiſit, quicquid in innocentem hactenùs commiſerunt. Id tandem hâc animi ſui ægritudine conſecutus eſt, ut in morbum acutum & hecticum incideret, ex quo 2. Dec. A. C. 1639. intrepidè pièque exſpiravit, cum in exilio terreno 43. annos exegiſſet.

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia:

Scripta. *Buccina Evangelii*, das iſt / ein kurtz Tractätlein / darinn erwieſen wird / wie GOTT

Digitized by Google

GOTT gefallen habe/durch der Poſaunen Schall der mündlichen Predigt Jhm eine Kirche zu ſammlen/ die Menſchen zur Seeligkeit zu bringen. in 4to.

Das kleine Catechiſmus-Büchlein. in 8vo.

Praxis Pietatis, in 8vo.

Chriſtliche Predigt von der Herrlichkeit der hohen Schulen/ bey der *Introduction* der Univerſität zu Dorpat in Liefland gehalten. in 4to.

Wiſchtüchlein deß Angſtſchweiſſes der Gebärerin/ und der Thränen hinterlaſſener Wittwer/ *ex* 1. *ad Timoth.* 2. in 4to.

Deciſiones mille & ſex caſuum Conſcientiæ, das iſt / kurze und richtige Erörterung eintauſend und ſechshundert Gewiſſens-Fragen. in 4to.

** Ex Concione lugubri M. Eberhardi à Renteln.*

Clar. A.C. 1640.

JOHANNES POLYANDER.

NAtus eſt *Metis* 28. Martii A.C. 1568, Patre *Johanne*, Eccleſiaſte quondam *Embdano*, ex patritiâ *Gandavenſium* familiâ van der *Kerckhoven* oriundo: Matre *Chriſtinâ* von *Houten*, *Flandrâ*.

A. 1569. A Parentibus his ob fidei Confeſſionem exulibus in *Palatinatum* deductus *Franckenthalii* educatus eſt.

In Scholâ Embdanâ diſcipulus,

A. 1570. Hinc Patre *Embdam* ad Verbi Divini Miniſterium â *Gallo-Belgis* vocato, in Scholis primùm *Gallicæ*, deindè *Latinæ* & *Græcæ Linguæ* uſque ad annum ætatis 14. operam impendit.

& Bremæ.

A. 1582. A Parentibus *Bremam* miſſus *Chriſtoph. Pezelii* Lectiones per triennium audivit, jactiſque ibidem Philoſophiæ & Linguæ Hebrææ fundamentis *Heidelbergam* profectus, ibi quadriennium in Theologiæ ſtudio deſudavit ſub Præceptoribus *Daniele Toſſano*, *Franciſco Junio*, *Georgio Sohnio*, & *Fortunato Crellio*.

Theol. ſtud. Heidelbergæ,

& Genevæ.

A. 1588. *Genevam* profectus, *Theodori Bezæ* & *Antonii Fay* lectiones ædeſque frequentavit. Ibidem familiariter uſus eſt Theologo eximio *Antonio Sadeele*.

Dordraci Eccleſiæ Paſtor, & in Scholâ Philoſ. Profeſſor.

A. 1589. Ab Eccleſiâ *Dordracenâ* ad munus Paſtorale vocatus, eam per annos 20. Verbi Divini pabulo pavit, & Senatûs poſtulatione ibidem Logicam ac Ethicam triennium cum dimidio extra ordinem in Scholâ profeſſus eſt.

A. 1611. Ægrè dimiſſus *Lugdunum Batavorum* ſe contulit, â Curatoribus Academiæ vocatus ad S. Theologiæ Profeſſionem. Ibi Rectoratum ſeptimum Academiæ geſſit A.C. 1640.

** Ex Vitis Profeſſor. Leyd.*

Edidit:

Scripta.

Concertationes Anti-Socinianas.
De exiſtentiâ eſſentiali JESU CHSISTI.
Syntagma Exercitationum Theologicar.

ANDREAS MERCKIUS.

Obiit A.C. 1640.

QUerfurti, oppido *Saxoniæ* vetuſto, die *S. Andreæ* A. C. 1595. natus eſt Patre *Chriſtophoro Merckio*, Juris Practico, ibi A. 1598. defuncto, Matre *Catharinâ Reinbottia*.

Cum in Scholâ patriâ & *Hallenſi* ſtudiorum fundamenta poſuiſſet, A. ætatis 15. ſtipendio Senatorio inſtructus, Academiam *Helmſtadienſem* acceſſit, ubi Diſputationem Philoſophicam de Oppoſitione ſub M. *Granii* Prof. Publ. præſidio defendit.

Philoſ. ſtud. Helmſtadii.

Exindè *Wittenbergam* veniens, ſtudium Philoſoph. ſedulus continuavit, & ſub *Jacobo Martini* de Mundo publicè diſputavit. Ibi A. 1614. Gradum Magiſterii cum honore accepit, & Lectiones Theologiæ Doctorum *Hutteri*, *Balduini*, & *Frantzii* frequentavit.

Magiſter Philoſ. Witt.

Exindè *Jenam* venit, ubi tum diſputando, tum concionando ſe exercuit, & Diſputationes proprio Marte elaboratas, *de Libero Arbitrio*, *de Lege*, *de Conjugio*, *de Baptiſmo* ſub Præſidio *D. Gerardi*, unamque *de Cœnâ DOMINI*, Præſide *D. Majore* publicè defendit.

A. 1617. Univerſitatem *Gieſſenſem* acceſſurus, *Halæ Saxonum* in tranſitu detentus, â Magiſtratu & Miniſterio mox Archidiaconus Templi Cathedralis ad *S. Mariam* conſtitutus eſt.

Archidiaconus Halæ Sax.

Brevi pòſt Sponſalia celebravit cum virgine *Eliſabethâ* D. *Onuphrii Kirchovii*, *Medici Islebienſis* filiâ, ex quâ 7. ſuſcepit filios, *Chriſtoph. Andream*, *Fridericum*, *Erneſtum Wilhelmum*, *Auguſtum*, *Adolphum Siegfridum*, *Carolum*, & *Chriſtianum*, brevi poſt partum A. 1635. defunctum; cum 4. filiabus, quarum natu major *Catharina Eliſabetha* Licentiato *Johanni Oleario*, Superattendenti *Querfurtenſi* A. 1637. nupta fuit.

Conjugium ejus & Liberi.

A. 1620. Munus ei injunctum eſt â Magiſtratu, *Johannem Olearium*, per 42. annos ibi Paſtorem, & Superattendentem emeritum Concionibus ſublevandi, cui deindè A. C. 1623. vitâ defuncto in Superintendentis munere â ſummo Magiſtratu ſuffectus eſt.

Superint. Hall.

Eodem volente *Jenæ* Theol. Doctor ſolenniter creatus eſt 14. Dec. A. 1624, habitâ prius Diſputatione inaugurali ſub Præſidio *D. Joh. Himmelii de modo Juſtificationis & Salvationis per fidem*.

Theol. Doctor Jenæ.

A. 1634. Generalis Superintendens totius Archiepiſcopatûs *Magdeburgenſis* & Aſſeſſor Conſiſtorii Eccleſiaſtici declaratus. Eodem anno Superintendentis *Brunſvicenſis* munus ſibi oblatum modeſtè recuſavit. Scholarcha etiam ſedulus fuit Gymnaſii *Hallenſis*.

Generalis Superintendens Magdeb.

Scholarcha.

Cum A. 1619. *Querfurti* ædes matris unà cum 137. ædibus aliis per incendium fuiſſent deſtructæ, illam in ædes ſuas receptam per vitam reſiduam ſuſtentavit. Sub initium anni 1640. in Templo concionaturus, ex animi deliquio in Sacriſtiâ concidit, nihilo-

Pietas erga matrem.

Digitized by Google

nihilominus, tamen cum omnium auditorum admiratione Concionem ſuam cum novi anni voto feliciter abſolvit. Sed mox calore febrili accedente & viribus ſenſim deficientibus placidè exſpiravit 7. Jan. ſeq. A.C. 1640. æt. 45. *Moritur.*

* *Ex Concione fun. D. Gotfridi Olearii, Eccleſ. Hall. Paſtor. ad S. Ulricum.*

Obiit A.C. 1640.

JOACHIMUS CRUSIUS.

Hallæ Saxonum natus 25. Jan. A.C. 1604. Patrem habuit Dom. *Auguſtinum* Krauſe / Senatorem A. 1621. mortuum: Matrem *Margaretam*, M. *Chriſtoph. Cæſaris*, Gymnaſii *Hallenſis* per 40. annos Rectoris filiam.

Cum in patriâ Grammaticæ rudimenta percepiſſet, A. 1615. Auxilio *D. Philippi Hahnii* Concionat. primarii *Magdeburgi* Scholam ad *S. Mariam* biennio frequentavit. *Diſcipulus Magdeburgi:*

Febre deindè correptus, & ad parentes reductus, poſtquàm convaluiſſet, in Gymnaſium *Hallenſe* veniens, ſtudia continuavit uſque ad A. C. 1624. quo *Lipſiam* conceſſit ad fratrem *D. Chriſtoph. Cruſium*, Advocatum poſteà & Judicii *Hallenſis* Aſſeſſorem. Ibi in Magiſtrum Philoſ. A. 1626. promotus, in ſtudiis ſuis ſedulus perrexit. *Hallæ. Magiſter Philoſ. Lipſiæ.*

A. 1630. *Wittenbergam* progreſſus, & ſtudiis Theologicis addictus, binas ſub *D. Pauli Röberi* Præſidio Diſputationes publicè defendit, unam de 19. Quæſtionibus, alteram de Conciliis. A. 1633. Sacris *Wittenb.* initiatus, Paſtor Eccleſiæ *Schmidbergenſis*, & Adjunctus Superintendentiæ *Kembergenſis* factus eſt, quorum oppidorum jus Patronatûs ad Academiam *Wittenberg.* pertinet. *Theol. ſtud. Wittenbergæ. Paſtor Schmidberg. & Kemberg.*

Eodem tempore Conjugii ſocietatem iniit cum virgine *Annâ Eliſabethâ*, *D. Jacobi Martini*, Theol. Profeſſoris *Wittenbergenſis* filiâ, *Schmidbergæ* cum eâ deſponſatus: ex quâ 3. filias ſuſcepit, tertium fœtum in utero matris poſt fata ſuperſtitem reliquit. *Conjugium ejus & liberi.*

A. 1637. Oppido *Schmidbergâ* per vim bellicam in cineres redacto & deſtructo, *Kembergam Wittenbergenſes* ipſum vocarunt, & Præpoſitum ac Superintendentem, confirmante Sereneniſſ. Dom. Elect. *Sax.* conſtituerunt. Ibi cum â 7. diebus ex catarrho cum febre æger decubuiſſet, placidâ morte ſublatus exſpiravit 20. Jan. A.C. 1640. ætatis 36. *Præpoſ. & Superintendens Kemberg. Moritur.*

* *Ex Concionum funebr. Arcûs Triumphalis D. Pauli Röberi Tomo III.*

Obiit A.C. 1640.

STANISLAUS LUBIENSKI.

Genus illi vetuſtum & nobile, biſontis ſive bubali caput transverſo gladio tranſactum inſigne gerens, *Pomianum* vulgò nuncupatum: eò quod *Vieniavius* familiæ hujus auctor, fraternæ cædis Decani *Uladislavienſis* reus, expiato cum piis, tum præclaris pro patriâ factis (ut tum belli erant tempora,) ſcelere, villaque illius hæreditaria *Lubanie* Eccleſiæ *Uladislavienſi* adjudicata, inſuper Principis juſſu, avitum ſtemma *Wieniawa*, biſontis ſive bubali capite enſe transfixo mutaverit.

Pater ejus fuit *Suentoslaus Lubienski*: Mater verò *Barbara de Zabolice*, *Matthiæ de Buzenin Pſtrokonski* Epiſcopi *Uratislavienſis* & *Pomeraniæ*, Regni ſupremi Cancellarii ſoror conſobrina, honeſto & amplo, opibus, gloriâ, orta genere. *Parentes.*

Sub talium parentum domeſticâ curâ *Stanislaus* uſque ad id tempus ætatis, quod literis capeſſendis idoneum eſt, habitus, iiſque quà *Siradiæ*, quà *Caliſſii*, loco nobiliſſimo Clericorum Societatis Jeſu Gymnaſio illuſtri, prompto ſemper & facili ingenio hauſtis, atque in *Lencicienſis* Caſtri Cancellariâ, juris patrii (quod non audiendis publicè Magiſtris, ſed uſu in iis locis, in quibus Regii Præfecti jus reddunt, addiſcitur,) comparatâ notitiâ, relictiſque ibi diligentiæ monumento manu ſuâ conſcriptis tabulis, toto deinceps tempore, quoad *Pſtroconius*, Epiſcopus *Uladislavienſis* & *Pomeraniæ*, Regniſupremus Cancellarius vixit, non alumnus modò ejus domeſticæ diſciplinæ, ſed adjutor laborum fuit: *Literis operam dat Siradiæ & Caliſſii.*

Nam inprimis cum *Johannis Tarnovii*, Regni Pro-Cancellarii beneficio, Regiam Cancellariam regeret *Pſtroconius*, in aulam Regiam evocatum *Lubienium*, ſcribendiſque Regio nomine literis adhibitum, in *Sueciam* (Rege capeſſendi Regni paterni causâ eò proficiſcente,) ſecum duxit: deindè reverſum, graviorumque literarum causâ, primò *Gratium* in *Styriam*, poſteà in *Italiam* profectum, illiſque doctum illinc excivit, expertuſque jam eſt tunc Epiſcopi *Premiſſienſis*, & Regni Cancellarii munus gerens, egregiam *Lubienii* ſui in omnibus Cancellariæ negotiis operam, & induſtriam: præſertim turbulento illo tempore, quo paucorum audaciâ moti agitatique populi, fide ac reverentiâ erga legitimum Principem *Sigismundum Tertium* exutâ, ferrum contra eundem parabant, quod mox ſtrinxerant. *Cancellariæ negotiis præeſt.*

Extant confecti â *Lubienio* cum profectionis *Sigismundi Tertii* in *Sueciam*, tum motuum civilium Commentarii, ſermoniſque â *Pſtroconio*, tum *Præmiſſienſi* Epiſcopo, de rectè gerendo Epiſcopatu habiti monumentum, *Lubieniana* erga eum gratitudinis non leve ſpecimen.

Pſtroconio intra paucos dies ab obtento Epiſcopatu *Uladislavienſi* morte ſublato, patuit mox *Lubienio* benignitas *Laurentii Gembicii*, *Pſtroconii* in Cancellariatu Succeſſoris, *Andreæ Luceorienſi*, *Petro Præmiſſienſi* & Regni Supremo Cancellario, Epiſcopis, *Johanne* Regni *Secretario*, nepotibus & diſciplinæ illius alumnis, rati prætereà ingenii

genii

Digitized by Google

genii felicitate, & humanitatis famâ ad poſteros clari: qui *Lubienium*, tunc Præpoſitum *Gneſnenſem*, judicisque pro eâdem Eccleſiâ munere in univerſali judicio Regni, (quod vulgò Tribunal vocatur,) functum ad aulam revocavit, gravioribus curis adhibendum.

Præpoſitus Gneſnenſis.

Cœterùm *Lubienius* cumulatè operâ & induſtriâ *Gembicio* probatâ, poſtquàm provinciam luſtrandi Archivi Regni, fratre *Matthiâ* laboris ſocio adjuncto, â Rege nactus, iterum ab aulâ ſeceſſit, accuratâ recognitione illius cartophilacii peractâ, nuntio aulæ remiſſo, vitam privatam agere ſtatuerat: cùm apud *Petrum Tylicium* Epiſcopum *Cracovienſem*, qui in partem laborum Epiſcopalium aſſumptum, Curiæ ſuæ Cancellarii titulo, & Archidiaconatu *Cracovienſi* ornaverat, agentem, honores non petentem invenit, *Felice Criſcio*, Regni ſupremo Cancellario, Regentis Cancellariæ Regiæ munus ad eum ultrò deferente.

Epiſcopi Cracovienſis Cancellarius Curiæ. Archidiaconus Cracovienſis. Cancellariæ Regiæ regens.

Quod ipſemet, *Tylicio* ſuadente, ſuſceptum, triennio geſſit, usque dum Abbatiæ *Tinecenſis* ſuſcepit regimen, templo ibidem magnificè & parte monaſterii ab eô exſtructâ memorandum. Sed ante omnia induxerat animum, Religionis Divi *Benedicti* Sacramento ibidem ſe obligare; verùm deſideria ejus, ſecreta Regis *Sigismundi* deſtinata morabantur, qui ultrò apud ſedem Apoſtolicam effecerat, ut *Lubienio* Vicario Abbatiæ illius cura quinquennio ampliùs continuaretur.

Regens Abbatiæ Tinecenſis.

Habebat hoc inter cœtera prudentisſimi ſui arcana imperii *Sigismundus tertius*, cùm recentisſimæ ſemper memoriæ Rex, tùm ante omnia, quæ ei ſua virtus fortunaque dederat, pietate in DEUM, & beneficiis in hanc Rempublicam inſignis; ut Regii judicii trutinâ, cujusque mores & ingenium penſando, quos probatos habebat in animi ſui occulto, Eccleſiis Magiſtratibusque olim præficiendos teneret.

Hâc Regii judicii ſtaterâ diu examinatum *Stanislaum Lubienium*, ad Epiſcopatum *Lucæorienſem* promovendum Sedi Apoſtolicæ nominavit; jamque Epiſcopali dignitate conſpicuum novo honore auxit, Pro-Cancellariatu Regni ad eum delato, quem non ampliùs triennio ſuſtinuit; quippè deſideranti ſe ab aulâ ſubducere, totamque operam in gerendo Epiſcopali munere ponere; voto potiendi opportunam facultatem *Plocenſis* Cathedra tunc vacua, & in Pro-Cancellariatu egregia *Jacobi Zadzik*, id temporis *Culmenſem*, inpræſentiarum verò *Cracovienſem* Eccleſiam laudabiliter moderantis merita, inveterataque prudentiæ fama ſucceſſorem dedit.

Epiſcopus Lucæorienſis. Pro-Cancellarius. Epiſcopus Plocenſis.

Raro quispiam aliàs tali Succeſſore felix, non ob amicitiam modò, quæ ſumma inter eos â primâ juventute viguit, ſed raras præterea viri quâ Chriſtianas & morales, quâ civiles virtutes.

In gerendis Magiſtratibus haud ſemper magnis magni ſuccedunt, potens enim eſt in hæc quoque ſicut per omnia humana varietas, & viciſſitudo. Ob calamitates, quæ, belli *Suecici* turbine agitatâ *Pruſſiâ*, vicinam *Plocenſem* diœceſin univerſam premebant, parùm proſpera prima Epiſcopatus nactus erat, effeceratque imminens Territorio *Gornenſi* (quo *Plocenſis* Eccleſiæ patrimonium eſt,) ab hoſte *Sueco* periculum, ut ibi teneret ducentorum ferè militum præſidium ad prohibendas ſaltim hoſtium incurſiones: ſed commiſſo paulò pòſt in *Gornenſibus* campis prælio, ſuisque acie victis, non in *Gornenſe* modò oppidum incendio, ſed in vicinâ in villâ aliisque oppidis templa expilationibus ab hoſte ſævitum eſt.

Pace tandem patriæ reſtitutâ, lætior rerum facies, faciliorque ratio regendæ Diœceſis ſucceſſit: quam ille medio intra cenſorium rigorem & incuriam tenore, inſtitutis ſæpiùs Cleri viſitationibus, actis Synodis, ex præſcripto ſacrorum Canonum, prudenter & paternè gubernans, ſecundam quoque partem Epiſcopalis in *Poloniâ* officii, hoc eſt, ſenatorium munus, implere contendit.

Quidquid utile in publicum, ſapientiâ præviſum, ore, calamo, promere, urgere, monere, prout res poſcebat Magiſtratus, ad Comitia in tempore venire, prima etiam initia non negligere, Comite ſemper fratre *Matthiâ*, in publicis negotiis muneribusque obeundis more neſcio, nunc verò *Uladislavienſis* Eccleſiæ pedum & infulam, Metropolitanæ *Gneſnenſis* pallio, virtute duce, communique omnium plauſu permutante.

Nihil unquàm gravioris publicè contigit negotii, cui expediendo *Stanislai Lubienii* rara in capiendo conſilio prudentia non adhiberetur, non fœdera ſancita, non pacta cum vicinis firmata, non reſcripta edita, non Legati Regiis inſtructi mandatis, non de publicis negotiis ad ordines relatum, niſi vel â Principe, vel iis, qui Regiæ Cancellariæ ſummâ cùm poteſtate præfuerunt, appellato priùs & conſulto *Lubienio*.

Ejus laus.

Hoc etiam: quod proximè morte *Sigismundi tertii* anteceſſit Interregno, cum convocationis conventum, Electionis & Coronationis Comitia, ſplendido & frequenti amicorum & clientum comitatu obiret, nihil neque in publico conſilio deliberatum, neque inter eos agitatum, qui publicè delecti, privatis in conſesſibus difficiliores materias tractabant, ubi ejus conſilium, auctoritas, vox, non intervenerint.

Regno tandem communi Ordinum omnium ſuffragio (magno rei *Poloniæ* bono,) ad *Uladislaum quartum* delato, potisſimus ab eo electus eſt, qui nunquàm interituras laudes *Sigismundi Tertii* Regis (cui tunc & *Conſtantiæ* Reginæ ſub tempus Comitiorum Coronationis parentabatur,) funebri proſequeretur oratione, quâ quadra-

Digitized by Google

quadraginta ſpatio annorum, in variis negotiis muneribusque obeundis, navatam optimo Principi operam clauſit.

Neque neſcius ſum, fuiſſe interdum reprehenſam ejus quaſi nimiam in publicis negotiis ſolicitudinem, & â plerisque habitum, qui parva etiam pericula, quâdam animi ægritudine in majus acciperet: cœterum quisquis ita exiſtimat, tribueret id potiùs ingenii perſpicuitati, omnia ſcrutantis perpendentisque: in humanis utique cum de publicâ ſalute agitur, nihil tam leve eſſe, quod non magnæ interdum rei momentum in utramque partem faciat.

Affulgente melioris ævi ſpe, cum *Uladislaus quartus* devictis, vel aliis ſola oſtentatione armorum ad pacem compulſis hoſtibus, adeptum *Poloniæ* Regnum, triumphis glorioſum, pace felix effecit: convertit *Stanislaus Lubienius* oculos liberalemque manum, ad comparanda nova ſponſæ Eccleſiæ *Plocenſi* decora.

Ejus liberalitas. Ille inſignem illius Baſilicæ ſtructuram temporum injuriâ, & diuturnâ incuriâ collabentem ſuffulſit, & picturis exornavit; ille in ea Collegium uno de viginti Sacerdotum & Subdiaconorum ad pſallendum nocturnis diurnisque horis fundavit, Muſæoque ſponſæ ſuæ conſtituendo ornamento annuos reditus aſſignavit; ille diuturnæ de finibus territorii *Gornenſis* controverſiæ, recuperato amplo fundi tractu finem impoſuit, atque beneficentiæ ſuæ partem in literas & literatos derivans, Collegii *Pultovienſis* Societatis Jeſu, & *Noſcoviam Cracovienſis* Contubernii inopiam, luculentis pecuniæ ſummis ſublevavit, & inſuper inſignem Bibliothecam Epiſcopis *Plocenſibus* donavit; in quâ poſteri minoresque noſtri ejus in liberaliſſima ſtudia amorem perpetuò legent.

Non hîc ſtetiſſet ardens ejus cultus Divini propagandi ſtudium, niſi interceſſiſſet fatale heroicorum facinorum magnis Viris impedimentum, mors: quæ *Varſaviæ* Comitiorum cauſâ degentem, ſexto ante ſupremum diem menſe, languore corporis animique correptum, *Viſcoviæ* ad ultimum certamen ſe præparantem, die ſextâ Aprilis de more quidem languidum & imbecillem, cœtera nullâ novâ tentatum ægritudine, recitatis pro more Eccleſiaſticis precibus matutinis ſequentis diei, momento temporis animi corporisque viribus deſtitutum, interim ſanctiſſimum JESU & DEI Matris nomina cientem, adſtante illi *Simone Pruski*, Societatis Jeſu Presbytero, conſcientiæ moderatore ſine cruciatu ſenſuque doloris ſuſtulit, Anno ab adepto Epiſcopatu *Plocenſi* decimo tertio, ætatis ſexageſimo ſeptimo, Salutis 1640. *Moritur.* Cujus ſupremis *Matthias* frater natu major, Archiepiſcopus *Gneſnenſis*, tunc *Uladislavienſis*, præcoci fraterni fati ictu cunctis altiùs confoſſus honorem habuit, cineresque tumulo in Cathedrali *Plocenſi* intulit.

Libri ab ipſo ſunt editi:

Brevis Narratio profectionis in Sueciam Sigismundi Tertii Regis Poloniæ & Sueciæ, dum â morte Johannis Sueciæ Regis parentis ſui hæreditarium Regnum capeſſeret. *Scripta.*

De motu civili in Poloniâ libri 4.

Cauſæ, cur Sigismundus, Poloniæ & Sueciæ Rex, bellum Moſchis intulerit ad Potentiſſimum Romanorum Imperatorem Matthiam miſſæ.

De Rebus Sileſiacis Diſcurſus.

Reſponſio ad ſeptuaginta Rationes, quibus ficti nominis Eques, dum Sereniſſimo Regi & Polonis, ne ſe motibus Hungaricis & Bohemicis immiſceant, perſuadere conatur, falſis rationibus jura Regni intervertere nititur.

Diſſertatio de Jure Regni Poloniæ ad Ruſſicas Moſchoviticasque ditiones.

Stanislai Zolkievii Generalis exercituum Regni Poloniæ Ducis de bello Turcico Epiſtola Deliberatoria ab Auctore in Latinum verſa.

Epiſtola narrationem Belli Turcici ad Chocimum geſti continens ad Gregorium XV. Summum Pontificem miſſa.

Ferdinando II. Romanorum Imperatori de eodem bello Relatio.

De Statu Rerum Polonicarum, ac militari confœderatione, quæ Anno 1622. accidit, diſſertatio & querela.

Reſponſum ad Proteſtationem, quæ nomine dignitariorum Officialium & Nobilitatis Palatinatuum Poſnanienſis & Caliſſienſis contra ſtatum ſpiritualem in lucem prodierat.

Amica Parænesis Thomæ Zamoſcio, dum Regni Vice-Cancellarius renuntiaretur, data.

Errata Julii Belli Laureæ Auſtriacæ Scriptoris taxata.

Monita de rectè gerendo Epiſcopatu.

Vitæ Epiſcoporum Plocenſium.

Vita Pſtroconii.

Epiſtolarum Decades tres.

Sigismundi Tertii, captâ arce Smolenſcenſi, Varſaviam reducis nomine Capituli Varſavienſis gratulatoria ſalutatio.

Ejuſdem laudatio funebris ſcripta.

In funere ejuſdem Sigismundi III. Oratio dicta.

* *Ex Stanislai Lubienski, Epiſcopi Plocenſis, Operib. poſthumis.*

THOMAS JACKSONIUS.

Obiit A. C. 1640.

NAtus eſt ad *Wittonam* ſuper *Weeram* fluvium in diœceſi *Dunelmenſi*, in feſto *S. Thomæ* Apoſtoli A. 1579. *Oxonii* Scholaris factus in Collegio *Corporis* CHRISTI A. 1596. & Artium Magiſter A. 1603. Deindè poſt tres annos ſocius, & S. Theol. Prof. 1622. A. 1624. ex Donatione Collegii ſui ad Beneficium quoddam in patriâ ſuâ promotus eſt. Quo tamen mox diſceſſit, Eccleſiæ *S. Nicolai ad Novum Caſtrum* Vicarius factus. Tandem hujus

Fit Magiſter artium Oxon. in Collegio Corp. Chriſti.
Theol. Prof. ibid.
Vicarius Eccl. S. Nicolai ad Nov. Caſt.

Digitized by Google

hujus Collegii Præſes, illud quoque muneris reliquit, factus Præbendarius *Wintonienſis*, Vicarius de Witney, in agro *Oxonienſi*, & Decanus *Petroburgenſis*. *Præbendarius Wintonienſis. Decanus Petroburgenſis.*

Linguis, nec non artibus & ſcientiis, præſertim verò Metaphyſicâ inſtructiſſimus, in Patrum Scriptis verſatisſimus, & judicio ſolidisſimus. Inter ea autem, quæ ſcripſit, prælucere videntur, quæ *de DEI attributis* compoſuit, ut omittam, quæ non ſine rigore adverſus Pontificios publicavit. *Scripta.*

Fuit vitâ & moribus inculpatus, comis & pius, in ſtudiis denique indefeſſus; & ob ea *G. Laudo* Archiep. *Cantuar.* chariſſimus, Presbyterianis interim (ut par erat,) exoſus.

Moritur. Obiit 21. Sept. 1640. & in Collegii *Corporis* CHRISTI ſacello ſepultus eſt.

* *Ex hiſtoriâ & antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

PAULUS SPERLINGIUS.

Obiit A. C. 1640.

Filius *Lazari Sperlingii*, Pellionis *Dreſdenſis*, & *Catharinæ*, *Pauli Wagneri*, Sartoris ibidem filiæ, natus eſt *Dreſdæ* 20. Dec. A. C. 1568.

Theol. ſtudet Wittenbergæ. A. 1583. *Wittenbergam* ſtipendio Electorali munitus veniens, & in Cœnobio *Auguſtiniano*, in quo *D.* LUTHERUS olim habitavit, convictum habens, per 4. annos ſtudia, Theologicum imprimis, excoluit, præter alios Profeſſores *D. Georgii Mylii* auditor induſtrius.

A. 1587. *Freibergam*, *Miſniæ* oppidum, digreſſus, ibi per ſemiannum in ædibus *Johannis Blumii*, Chirurgi, Pædagogum egit. Deindè *Merſburgi*, Dom. *Gabrielis Schützii*, Cancellarii *Saxonici* liberos privatim inſtituit usque ad A. 1590, quo in Caſtellum *Freiburgenſe* vocatus eſt à Viro nobili Dom. *Johanne Georgio ab Oſterhauſen*, ad liberorum ejusdem inſtitutionem. *Præceptor privatus.*

Paſtor Eccleſ. Zeuchfeld. & Laucha. A. 1592. *Zeuchfeldiam* ad munus Eccleſiaſticum vocatus, eo per annos 12. functus eſt. A. 1605. *Laucham* ad Verbi Divini Miniſterium accerſitus, ibi ad finem vitæ per annos 35. Eccleſiam fideliter docuit. Unà verò Diœceſeos *Friburgenſis* Adjunctum egit.

Nuptias ter celebrat. 4. Dec. A. 1593. Primas nuptias celebravit *Friburgi* cum virgine *Dorotheâ*, *Pauli Kindelii*, lanii ibidem filiâ, ex quâ 10. liberos ſuſcepit, omnes antè patrem mortuos, præter duos filios *Paulum* S. Theol. Licentiatum & Superintendentem *Freybergenſem*, & M. *Johannem*, Profeſſorem Phyſicæ in Academiâ *Wittenbergenſi*.

A. 1608. Alteram duxit uxorem *Annam*, *Baltaſaris Habermaltzii*, Judicis *Lauchenſis* filiam, quæ tres ei liberos peperit, & in quarto partu vitâ defuncta eſt 10. Junii A. 1617.

28. Nov. A. 1620. cum tertiâ conjuge deſponſatus eſt virgine *Blandinâ*, Viri Reverendi *Jacobi Gölneri*, Paſtoris *Burgſcheidingenſis* filiâ, cum quâ 17. annos in conjugio pacato vixit, & 6. liberos ex eâ procreavit, è quibus patre vitâ defuncto in vivis fuêre filius unicus, & tres filiæ, tribus Eccleſiæ Paſtoribus in conjugium poſteà elocatæ, *Maria* M. *Chriſtoph. Schirmero*, Paſtori *Naumburgenſi*, *Catharina Adamo Keslero*, Paſtori *Zeuchfeldenſi*, & *Dorothea* M. *Georgio Zinsmanno* Paſtori *Bamſtettenſi*, & Inſpectori *Querfurtenſi*.

Poſt morbum tandem diuturnum vitam beatâ morte finiit 27. Sept. A. C. 1640. ætatis 72. Miniſt. 47. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri M. Chriſtoph. Dauderſtadii, Superintend. Friburg.*

JOHANNES BALLUS.

Obiit A. C. 1640.

Caſſingtoniæ in *Angliâ* (obſcurus ille vicus eſt, ad quartum ab *Oxoniâ* lapidem, verſus Borea-Zephyrum poſitus,) in lucem prodiit, anno autem 1602. Collegium *Ænei Naſi Oxon.* ingreſſus eſt, undè ad Aulam *B. Virginis* quadriennio pòſt migravit, ubi artium Baccalaureatum A. C. 1608. capesſivit, quo gradu altius deindè non perrexit. *Artium Baccalaureus Oxon.*

Sub idem tempus in agrum *Ceſtrienſem* profectus, Generoſi cujusdam liberos diſciplinis primoribus informandos ſuſcepit, atque indè Beneficium quoddam *Whitmoriæ* in agro *Staffordienſi* collocatum, adivit. *Concionator Whitmoriæ.*

Theologiæ Scholaſticæ peritus admodùm, optimus Grammaticæ Præmonſtrator, Concionator quoque aſſiduus habebatur, qui non ſine ſummo rei divinæ fructu ſua edidit opera, tametſi enim Eccleſiæ *Anglicanæ* diſciplinam & Ceremonias aliquas haud ita probaret, corruptelas tamen iisdem ineſſe, quæ à Communione ſacrâ arcerent, omninò negavit, imò ſententiam hâc ex parte ſuam argumentis validisſimis confirmavit.

Mortuus eſt 20. Octob. A. C. 1640. & in Eccleſiâ *Whitmorianâ* ſepultus jacet. *Moritur.*

Scripſit: *Scripta.*

Tractatum de Teſtamento Gratiæ. Lond. 1645.

Tractatum de Fide, deque naturâ ejus & vitâ. Lond. 1631. ib. 37.

Catechiſmum, *Anglicè* frequentiùs procuſum, & in Linguam *Turcicam* per *Seamannum* quendam transfuſum.

De Pietatis virtute, prout doctrinam ſpectat & praxin dilucidatâ &c. Lond. 1657. fol.

A Schiſmate cavendum; ſive *formam Eccleſiæ novam* in *Angliâ tum veteri tum novâ, ad examen revocatam.* Cantabrigiæ 1640.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

JOSE-

Obiit A.C. 1640.

JOSEPHUS BALLUS.

NObilis *Panormita*, Canonicus Templi Regalis *Parienſis*, Theologiæ Doctor, & Sacerdos Religione & ingenii præſtantiâ clarus, cum juvenis Philoſophiæ Scholaſticæ & bonis literis impenſè operam navâſſet, in *Hiſpaniam* emigrans, Sacris literis animum adjecit.

Theol. ſtud. in Hiſpania.

In patriam reverſus, poſtquàm Sacris ſe addixiſſet, plura in rebus Theologicis ſecum meditabatur, quæ diutiùs cum Viris claris agitata, tandem, ſuadentibus amicis, chartis vulganda mandavit.

Patavii Theol. Scholaſticæ deditus.

Ætate ingraveſcente A. 1635. *Patavium* ſeceſſit, librorum Scholaſticorum ſupellectile onuſtus, cum famulâ prætereà & utenſilibus domeſticis in Collegio Jeſuitarum domicilium obtinuit. Ibi aliquandiu moratus vulgatis lucubrationibus aliquot ingenioſâ literarum nominis traductione *Phœbus alliſus* vocari voluit.

Lætus deindè reverſus in patriam, poſtquàm aliquandiu quietè vixiſſet, cogitare cœpit de lucubratione circa *S. Eucharistiæ* Sacramentum, quam 30. jam annis meditatus fuerat, eamque Cardinali *Bellarmino* ſæpè communicaverat. Hanc ut in lucem proferret A. 1640. majori poſteritatis quàm valetudinis aut ætatis ſtudio denuò *Patavium* acceſſit. Sed vix Libellum ſuum, cui titulus: *Reſolutio de modo evidenter poſsibili tranſſubſtantionis Panis & Vini in Sacroſanctum* DOMINI *JESU corpus & ſanguinem*, cum *Apologiâ* evulgaverat, deſtillatione ferali cum febre correptus, teſtamentum condidit, quo Patres *Theatinos* librorum ſuorum hæredes inſtituit.

Bibliothecam ſuam Patribus Theatinis Patavii legavit.

Moritur.

Sic viribus deficientibus d. 2. Novemb. A. C. 1640. ætatis 72. animam DEO reddidit, quam per tot annos ei ſanctè dicaverat. Sepultus jacet *Patavii* in Templo *Theatinorum*.

Scripta.

Edidit, præter *Lib. de Eucharistiæ Sacramento*

Libellum ſubtilem de Fœcunditate DEI.

Alium de motu corporum naturali.

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Jac. Philippi Tomaſini.*

Obiit A.C. 1640.

BALTHASAR GUALTHERUS.

A*Llendorfio Thuringus*, natus eſt 1. Maji A. C. 1586.

Ling. Græcæ & Hebr. Prof. Jenæ.

Jenæ impetravit Philoſophi cùm Doctoris inſignia 5. Aug. A. 1606, tùm Profeſſoris munia A. 1611. Initiò tantùm Græcas, brevi Hebraicas quoque literas docuit. 1. Aug. A. 1621. *Jenâ* abiit *Gotham* ad Ephoriam Eccleſiaſticam: exindè A. 1636. *Brunſvigam*, in quâ obiit 15. Nov. A. C. 1640. ætatis 54.

Superintendens Gothæ, & Brunſvigæ.

Anteceſſorem habuit in Coadjutoratu *Fabianum Natum*, Theol. Doctorem *Jenæ* A. 1628. promotum, & in Ephoriâ ſeu Superintendentiâ M. *Daniel. Münchmayerum*: Succeſſorem autem reliquit *D. Jacobum Wellerum*, Theol. D.

* *Ex Nomenclat. Prof. Jenenſ.* qui hoc ei adſcripſit Epigramma:

BALTHASARUM dixit GUALTHERUM Jena Magiſtrum,
Et Profeſſorem Gotha Ephorumque ſuum.
Brunopolis ſummi dignata eſt nomine Miſtæ,
Defunctum lachrymis & comitata ſuis.

Obiit A.C. 1640.

JOHANNES MEELFÜRER.

NAtus eſt *Culmbaci*, Marchionatûs *Brand. ſup.* urbe 25. Dec. A. 1570. Patre cognomine cive & ſtannario, Matre *Dorotheâ Haſneriâ*.

A Patre ad idem vitæ genus deſtinatus, & in Scholam miſſus eſt, ut literas modò ad artificium hoc exercendum ſcitu neceſſarias addiſceret. Cum verò Præceptores ex variis indiciis eum ad ſtudia magis idoneum futurum judicâſſent, Patri perſuaſerunt, ut eum in urbem regionis primariam *Curiam* deductum Gymnaſii examini ſubjecerit, & pro eo ſtipendium â Principe ſollicitârit. Sed Pater paulò pòſt morbo ſubitaneo correptus obiit, 7. relictis orphanis.

Curiæ ſtudia incipit.

Mater nihilominùs filium ſtudiis deſtinatum *Curiam* miſit, & ope Rectoris Gymnaſii ſtipendium ei 15. florenorum impetravit, cum quo *Johannes*, ægrè licèt, honeſtè tamen ſe ſuſtentavit, & in ſtudiis brevi tempore tantos fecit progreſsûs, ut ſæpiùs publicè perorârit, Latina, Græca & Hebraica Carmina cum admiratione Superiorum recitârit, & ita cunctorum favorem conciliârit.

A. 1592. Cum *Onolsbaci* pro more fuiſſet examinatus, *Wittenbergam* miſſus eſt, ubi per 8. annos ſtudia ſedulus tractavit, privatâ diſcipulorum inſtitutione multùm adjutus.

Magiſter Wittenb.

A. 1596. Ad dignitatem ibi Magiſterii evectus, inter 45. Competitores locum quintum ſortitus eſt. Deindè Collegia privata Theologica, Philoſophica & Hebraica inſtituit, â multis Viris eruditione claris poſteà frequentata, inter quos fuerunt *Johannes Gerardus*, Theol. D. *Philippus Eyſelius*, J.C. *Brand. Joh. Schröderus*, Theol. *Norimberg.* & *Laurentius Lælius*, Paſtor Eccleſ. *Onoldinus*. Quin etiam â *D. Ægidio Hunnio* Theol. Profeſſore filiorum ſuorum inſtitutioni privatæ per 4. annos adhibitus eſt.

A. 1599. A Profeſſoribus *Wittenberg.* Adjunctus Facultatis Philoſ. factus eſt.

Superint. Generalis Culmbaci.

A. 1600. In Patriam revocatus, Generali Superintendenti *D. Johanni Streitbergero* ſubſtitutus, & Collegio Conſiſtoriali adjunctus eſt.

Concionator Onolsbaci.

A. 1602. A *March. Brand. Georg. Friderico*, *Onolsbacum* vocatus, Templi primarii

Digitized by Google

Concionator, & Gymnaſii *Heilsbronnenſis* Viſitator factus eſt.

Paulò pòſt 7. Sept. Nuptias celebravit cum Virgine *Eliſabethâ*, Dom. *Nicolai Grammanni*, Superintendentis *Culmbacenſis* relictâ filiâ. Ex eâ 38. annorum Conjugii tempore 5. filios & 4. filias ſuſcepit, è quibus 6. adhùc Patre defuncto in vivis fuerunt: ex filiis verò duos in Verbi Divini Miniſterio, ex DEI favore ſingulari, Coadjutores habuit. *Conjugium init.*

A. 1610. Abbas Cœnobii *Heilsbronnenſis* nominatus, â *March. Brandeburg. Joachimo Erneſto* confirmatus, & anno demùm ſeq. die *S. Jacobi* ſolenniter introductus eſt. *Abbas Heilsbronn.*

A. 1631. Scholâ ob belli tumultûs turbatâ ex Cœnobio *Heilsbronnenſi Norimbergam*, ſecuritatis gratiâ, ſe conferens, ultra biennium ibi exegit. *Norimberga exul degit.*

A. 1634. Iterum *Onolsbacum* migrans ad munus Concionatoris priſtinum reverſus eſt, & *Laurentio Lælio* ſucceſſit.

Tandem cum toto ferè vitæ ſuæ curriculo ſanitate firmâ gaviſus eſſet, ex catarrho ad pectus delapſo vires cum reſpiratione ſenſim diminuente, placidè in CHRISTO exſpiravit 3. Dec. A. C. 1640. æt. 70. *Moritur.*

Johannes Saubertus, Theol. *Norimberg.* hoc eum Eteoſticho honoravit:

OCCVbVIt MeeLſVrerVs! ECCLeſIa pLange,
Et LVge tantI ſVnera, grata, VIrI.

* *Ex Concione fun. Joh. Samuel. Hohenbergeri, Diaconi Onoldini.*

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta.

Poſtilla Davidica, darinn auf ein jedes Evangelium ein Pſalm Davids erklärt/ und mit demſelben verglichen wird. in 4.

Poſtilla Evangelica Proverbialis, Haus-Sermon über die Evangelien / aus den Sprüchen *Salomonis* verfaſſet. in 4to.

Clavis Linguæ Hebrææ. in 8vo.

Hiſtoriſches Spruch-Büchlein / darinnen 100. Sprüch aus GOttes Wort mit heilſamen Lehren fürgeſchrieben werden. in 12mo. Erſter und anderer Theil.

Predigten von der Gnaden-Wahl: von den freyen Mittel-Dingen: vom langſamen Kirchengehen: von der ſubtilen Faſenacht: von Cloſter-Schulen.

Vindiciæ Evangelicæ, id eſt, *Diſputationum Quæſtionum controverſarum ſuper omnia Evangelia Anniverſaria, Decades VI.*

Auctuarium Vindiciarum Evangelicar. continens Evangelia Feriar. Apoſtolicar.

Vindiciarum Apoſtolicarum Hexas, & Dodecas.

Commentar. in Epiſt. Pauli ad Philippenſes.

Inſtitutio, & Clavis Linguæ Hebrææ.

Manuale Lexici Hebraici juxta regulas Grammaticas diſpoſitum.

Sylloge vocabulorum notiſſimorum pro tyronibus.

FRANCISCUS GOMARUS.

Obiit A. C. 1641.

Brugis, *Flandrorum* urbe, poſt *Gandavum* primariâ natus eſt 30. d. Jan. A. C. 1563. parentibus honeſtis *Franciſco*, & *Johannâ Mermans*, qui filium â teneris ſtudiis conſecrârûnt.

Cum pietatis veræ luce imbutus eſſet, eam verò tunc tutum non eſſet profiteri, Parentes in *Palatinatum* conceſſerunt, filium autem hunc *Argentinam* ablegârunt, ubi ſub diſciplinâ magni illius *Johannis Sturmii* ſeptuagenarii in tertium usque annum literis humanioribus incubuit. Hinc *Neoſtadium Palatinorum* profectus A. 1580. ſtudia linguarum & artium perſecutus eſt, Præceptoribus in Hebraicis *Franciſco Junio*, *Simone Stenio* in Græcis, *Lamberto Pithopæo* in Latinis, ac in Philoſophiâ *Fortunato Crellio* & *Johanne Jugnitio*.

Tandem etiam ad Theologiam animum applicuit, cujus cauſâ A. 1582. *Oxonium* in *Angliam* ſe contulit, ubi *Johannem Reinoldum*, mox indè *Cantabrigiam* progreſſus, *Guilielmum Whitakerum*, Theologos Sacra docentes, audivit. Hîc quoque, impellente *Guilielmo Tempello*, Philoſophica ſtudia reſumſit, & Magiſterii gradum impetravit A. 1584. *Fit Magiſter Philoſ.*

Reſtitutâ ſub *Joh. Caſimiro*, Elect. Palat. Adminiſtratore *Heidelbergâ* ad illam Academiam ſe contulit A. 1585, & Theologiæ ſtudium gnaviter continuavit, ac intra biennium abſolvit.

A. 1587. Cum Eccleſia *Belgarum Francofurti* ad *Mœnum* Miniſtrum deſiderâſſet, eam vocationem ſibi oblatam libenter admiſit, in eâque ſtatione 7. annos perſeveravit. *Eccl. Belg. Miniſter Francof.*

A. 1594. Vocatus per literas â Curatoribus Academiæ *Leydenſis* ſcriptas ad Profeſſionem Theologicam, priusquàm novo muneri ſe ſiſteret, *Heidelbergam* recurrit, ibique Teſtimonium Doctrinæ Theologicæ petiit & conſecutus eſt, poſt prævia examina privatum publicumque, Diſputationis de *S. Cœnâ* Præſide *Petro Calamino* habitæ, Licentiam ipſi *Daniele Toſſano* Decano, Docturam verò *Jacobo Kimedontio* Promotore conferentibus. *Doctor Theol. Heidelbergæ.*

Sic igitur *Lugdunum Batavorum* profectus, Profeſſionem adiit, Novi Teſtamenti interpretationi potiſſimùm incumbens. *Prof. Theol. Lugd. Bat.* A. 1603. cum *Franciſco Junio Jacobus Arminius* ſuffectus dogmata *Pelagiana* voce & ſcriptis ſpargeret, contra eum *Gomarus* fortiter cauſam veritatis egit, non tantùm intra Academiæ ſepta, ſed etiam coràm ſummo *Hollandiæ* Ordinum conſeſſu cum *Arminio* congreſſus, ſolus cum ſolo A. 1608, ſequenti verò ſociatis hinc indè quaternis Paſtoribus, absque tamen ſucceſſu optato, cum *Arminius* excuſatione uſus valetudinis infirmæ poſtremum colloquium abruperit, domumque reverſus, paulò pòſt vivere deſierit. *Cum Arminio diſputavit.*

At

Digitized by Google

At non ſimul mortuæ, quas in Eccleſiam & Academiam intulerat, controverſiæ: nam ſucceſſit ei in Profeſſione *D. Conradus Vorſtius* impietatis *Socinianæ* famoſus aſſertor. *Gomarus* igitur cernens, vix locum ſanæ doctrinæ *Lugduni* relictum, A. 1611. miſſionem ab Academiæ Curatoribus impetravit, & *Medioburgum Zeelandiæ* metropolim conceſſit, ad munus publicum in Eccleſiâ & Scholâ obeundum. Ibi cum Theologicis Hebræa conjungens, ſubſtitit ad annum usque 1614, quo in *Galliam* tranſiit *Salmurium* Theologiam profeſſurus.

Eccleſ. Paſtor Medioburg.

Theol. Prof. Salmurii.

Sed mox altero anno *Gröningæ* & *Omlandiæ* Ordines eum ad ſe vocârunt, delatâ ipſi Profeſſione primariâ Theologiæ, quo tamen anno demum 1618. potiri potuerunt, ſemel autem nactum per annos 22. retinuerunt, quo toto tempore bis tantùm Academia *Gröningenſis* vivam ejus vocem deſideravit: ſemel cum ad Synodum Nationalem *Dordracenam* componendis *Arminianis* controverſiis ablegatus fuit A. 1618. iterum cum A. 1633. recognoſcendæ novæ Bibliorum Vet. Teſt. verſioni *Lugdunum Batavorum* fuiſſet evocatus.

Theol Prof. Gröning.

Aliàs conſtans ſonuit ſemper, Commentariis analyticis & exegeticis plurimos Novi Teſtamenti libros illuſtrans, quos acto ſemel labore in orbem redeunte magis magisque expolivit. Recturam Academiæ annuam legitimè delatam quater geſſit.

Quater Rector Gröning.

A. 1639. Catarrhis crebriùs in coxam defluentibus, iſchiadicis paſſionibus vexari cœpit, undè inceſſus & ſeſſionis uſu ſenſim privatus lectoque affixus eſt. Ex his præcurſoribus fatalem ſibi diem imminere præſentiſcens, ad DEI evocantis voluntatem totum ſe compoſuit, nec minus Eccleſiæ totius quàm ſuam ſalutem intimis ſuſpiriis cœleſti Patri commendavit, cui tandem piam animam vitæ hujus ſaturam alterius cupidam reddidit 11. Jan. A. C. 1641. ineunte, ætatis verò ſuæ 78. excunte.

Obitus.

Vir fuit excellenti ingenio, memoriâ ſtupendâ, diffuſâ in Philoſophicis ac Philologicis doctrinâ, Linguarum plurium, ſed inprimis Orientalium peritiſſimus, Theologus ſummus, cujus memoriam Scripta ab ipſo edita in omnem poſteritatem conſervabunt.

Primum ejus & tertium matrimonium, illud cum *Annâ Emerentiâ Muſenbol Francofurti*, hoc cum *Annâ Mariâ la Noye Middelburgi* inita ſterilia fuêre, at ſecundum cum *Mariâ l'Hermite* utroque Parente nobili itidem *Francofurti* contractum verè ſecundum fuit & fœcundum, ex quo filiam natu minorem *Davidi de la Haye Eccleſiæ Gall.* Paſtori nuptam, nepoteſque complures ſuperſtites reliquit.

Triplex ejus Conjugium.

Libros edidit:

Scripta.

Speculum veræ Eccleſiæ CHRISTI, in quo errores Franciſci Coſteri, Soc. Jeſu, in ſuo Enchiridio confutantur.

Conciliatio orthodoxæ Doctrinæ de Providentiâ DEI.

Examen Controverſiarum de Genealogiâ CHRISTI.

Inveſtigatio ſententiæ & originis Sabbathi, & inſtitutionis diei Dominici conſideratio.

Poëtica Hebraica, ſive *Commentarius de Lyrâ Davidis*, poſtremum ſenectutis ipſius opus.

* *Ex Vitis Profeſſor. Gröningenſium.*

JOACHIMUS WILLIUS.

Obiit A. C. 1641.

Schwartzenbachii *Variſcorum* mundum ingreſſus eſt A. C. 1609, Patre *Paulo Willio*, rei metallicæ Præfecto, Matre *Eliſabethâ*. Ab his A. 1620. *Noribergam* miſſus, quinquennium in Scholâ *Sebaldinâ* literaturæ humanioris fundamenta ponens inſumpſit.

A. 1628. *Coburgum* diſcedens, in Gymnaſio *Caſimiriano* ſtudia ſua continuavit. Anno ſeq. in Academiam *Argentinenſem* profectus, quinquennium ibi in ſtudiis Philoſophicis ac Theologicis exegit. A. 1634. in Univerſitatem *Jenenſem* venienti, Domini Profeſſores ſponte, nec tale quid deſideranti, Magiſtrales honores obtulerunt & contulerunt.

Coburgi diſcipulus.

Argent. Phil. & Theol. ſtud.

Jenæ Philoſ. Magiſter.

15. Jan. A. 1636. *Noribergam* reverſus, mox Diaconus in Templo *Ægidiano* factus, unâque Concio ei ad *S. Salvatorem* veſpertina demandata fuit, quod munus per annum hunc in magno auditorum concurſu Concionator facundus obivit. 9. Martii ejusdem anni nuptias celebravit cum Virgine *Anna Mariâ*, M. *Chriſtophori Welhammeri*, Concionatoris ad *Spiritum Sanctum* filiâ, quæ 4. eum filiorum, uniusque filiæ parentem fecit, ex quibus tres patrem morte præceſſêre. A. 1637. Inclytus Senatus *Norimberg.* ob præclaras in concionando dotes & eruditionem ſingularem ad *S. Mariam* Concionatorem conſtituit, in quo munere tempus breve vitæ ſuæ reſiduum tranſegit. Phthiſi intereà diuturnâ conſumptus, morte placidâ exſpiravit *Norimbergæ* 7. Febr. A. C. 1641. ætatis 32.

Norimb. Diaconus ad S. Ægid.

Nuptias celebravit.

Concionator ad S. Mariam.

Obiit Phthiſi.

Typis edidit:

Scriptum.

Symphoniam S. Apoſtolorum S. Pauli & Jacobi, oder Schrifftgründliche Erweiſung/ daß der Spruch *Jacobi cap. 2. v. 24.* So ſehet ihr nun/daß der Menſch durch die Werk gerecht wird / und nicht durch den Glauben allein/ keines wegs zu entgegen ſeye den Worten *Pauli Rom. 3. v. 28.* So halten wir nun/daß der Menſch gerecht werde ohne deß Geſetzes Werk/ allein durch den Glauben.

* *Ex Concione fun. M. Joh. Gundermanni, Diaconi Sen. Ægid.*

Digitized by Google

Obiit A.C. 1641.

BARTHOLOMÆUS PARSONS.

SOmerſetenſis Anglus, Oxoniæ in Collegium Orielenſe anno quaſi 1594. admiſſus eſt, qui quamvis egregia optimæ indolis ſpecimina ederet, ſocii tamen munus fruſtrà ambivit. Gradu Magiſtrali honeſtatus Theologiæ ſtudio ſe totum dedit, ſacrisque Ordinibus initiatus, in Evangelio annuntiando operam indefeſſam navavit.

Theologiæ Baccalaureus. Suſcepto Theologiæ Baccalaureatu Vicaria de **Collingborne**/ & Rectoria de **Ludgershall** in agro *Wittonienſi* denatus eſt, & earum utramque ad obitum usque tenuiſſe perhibetur.

Rector Ludgershallenſis Eccleſiæ. Sepultus autem eſt in Eccleſiæ *Ludgershallenſis* cancello, ſub latere ejus auſtrali, 27. Febr. anno 1641.

Scripta. Scripſit *Angl.* in

Deut.33.v.11. Oxon.1637.
Iſa.57.v.1, 2. Ibid.1636.
Ruth.4,v.11. Ibid.1633.
Matth.3.v.10. Lond.1616.
Act.9.v.36. Oxon.1631.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

Obiit A.C. 1641.

PETRUS HUBERUS.

NAtus eſt *Ulmæ* 10. Martii A.C. 1569. Patre cognomine tabernariorum curione, matre *Barbarâ Königiâ.* Jactis in patriâ Scholâ pietatis & humanitatis fundamentis A. 1588. *Argentoratum* abiit, ea, quæ reſtarent, ſuperſtructurus. Ibi anno 1592. Magiſterii honore cum aliis 8. Competitoribus ornatus, anno ſeq. in Collegio *Wilhelmitico* 40. alumnis Inſpector ordinatus eſt.

Philoſ. Magiſter Argent. Inſpector Collegii Wilhelmit.

A.1595. In patriam revocatus, primùm *Leipheimenſis* Paſtoris labores adjuvit: elapſo autem ſemeſtri in numerum Eccleſiaſticorum ſummi Templi *Ulmenſium* cooptatus eſt, Concionatoris abindè munere per annos 45. gnaviter functus.

Diaconus Leipheim. Concionator in Templo ſummo Ulm.

A. 1596. Uxorem duxit Virginem *Euphroſynam*, Dom. *Petri Ammani* filiam, ex quâ genuit duas filias, quarum *Anna* primâ ætate vitâ eſt functa, *Regina* verò nupſit Dom. *Joh. Jacobo Bachmanno*, Reip. patriæ â ſecretis & actis publicis: ipſa verò inverſo naturæ ordine pium parentem antevertit, relictis duabus neptibus, quarum una honeſtè elocata eſt, altera verò Parentis domum adminiſtravit.

Conjugium ejus primum & Liberi.

Poſtquàm autem prima hæc ejus conjunx fœtus ſui ſepulchrum facta, familiam deſtituit, *Huberus* damnum hoc compenſaturus de novâ matrefamiliâs, virgine nempè *Roſinâ, Davidis Stromayeri*, materiarii tormentariorum, filiâ ſibi proſpexit, cum quâ piè & pacatè, ſed ſine liberis, reliquum vitæ tempus transmiſit, eâ quoque parte felix, quod illam viduam non reliquerit.

Conjugium alterum ſterile.

Quantâ fidelitate Miniſterium adminiſtrârit, exindè apparet, quod ſenex jam vices cùm *D. Weſenbecii*, tùm *Dieterici* agendo fidem ſuam & induſtriam omnibus comprobârit, quod paucis anteà *Ulmæ* contigit. Et quemadmodum in totâ vitâ meruit applauſum, ita neque in ultimo actu fabulæ hujus concidit, ſed pulchrè ſtetit. Catarrhis enim ſubindè defluentibus dignè ad mortem præparatus 24. Maji latere dextro apoplexiâ tactus eſt, amiſſóque ſermonis uſu mentis vim natura benigna mirificè exeruit, ſignis plurimis editis, illum mortem fortem fortiter ferre, ut cum CHRISTO, cui adhûc miniſtrâſſet, æternùm viveret.

29. Maji tandem corpus ejus in periculo hoc ultimo ſuccubuit, anima verò in cœleſte propugnaculum feliciter elapſa eſt A. C. 1641. æt.72. *Moritur.*

* *Ex Programm. fun. & ex Concione fun. M. Lud. Epiſcopi, Concionat. Ulmenſis.*

MagIſter PetrVs HVberVs fVIt SenIor & Præſes ECCLLeſIaſtICI *Con-VentVs præCLarVs.*
1641.

MAGISTER PETRUS HUBERUS, IN MINISTERIO ULMANO DIRECTOR.
Per Anagramma:
Mihi & Gratis noſtris verum Urbis Lumen, Doctrinâ, Opere.

JOHANNES THORNBOROUGH.

Obiit A.C. 1641.

IN Civitate *Sarisburienſi* natus, & in Collegii *Magdalenenſis Oxon.* Semicommunarium A.1570. ætat. ſuæ 18. & non ultrà, adſcitus eſt. Poſt triennium Artium Baccalaureus factus, nec ultrà in hâc Academiâ proceſſit.

Fuit autem primò Reg. *Eliſabethæ* â Sacris, tum Decanus *Eboracenſis*; & A.1593. Epiſcopus *Limericenſis* in *Hiberniâ.* Undè ob merita, â R. *Jacobo* ad ſedem *Briſtolienſem* anno 1603. & indè *Wigornienſem* translatus eſt.

Decanus Eboracenſis. Epiſcopus Limericenſis, Briſtolienſis & Wigornienſis.

Vir erat eruditione, prudentiâ, fortitudine, cœterisque, quæ vel Epiſcopum decent, virtutibus inſtructiſſimus, præcipuè verò in Spagyricâ, iſtius ævi pauciſſimis notâ, eminuit; cujus etiam adminiculo ad tam provectam ætatem vitam ſuam creditur produxiſſe. Scripſit de eâdem librum, cui titulus:

Scripta. *Nihil, aliquid, omnia: In Gratiam eorum, qui artem auriferam Phyſico-Chymicè & piè profitentur.* Oxon. 1621. Lat.

Tractatum de Euchariſtiæ Sacramento.

Hiſtoriam unionis Angliæ & Scotiæ; ſub adventum R. Jacobi.

De Unitate & Pace Eccleſiæ.

Obiit

Digitized by Google

Moritur. Obiit in Caſtro ſuo *Hertleburienſi* 9. Jul. A.1641. & in Eccleſiâ Cathedrali *Wigornienſi* ſepultus eſt, juxta monumentum pulcherrimum alabaſtrinum, quod ante annos quatuordecim ſibi poſuerat. Huic etiam Epitaphium non inſacetum ipſe inſcripſerat, ſed brevi, flagrante mox civili bello, utrumque penitus deformatum eſt.

Supereſt, ut de hoc Viro paucula quædam è quibusdam memorabilibus, ad iſtam Eccleſiam ſpectantibus excerpta, heic ſubjungam. Dum hic ſedit, (videlicet *Wigorniæ*,) quam multa novit nova mirum eſt recolere. Nam officia & beneficia ab ipſo conferenda, ſingula (nonnulla pluries) contulit. Decanos Eccleſiæ tres ad Epiſcopatus promotos vidit. Præbendarios, (qui ſunt numero decem,) ſingulos, Archidiaconos ſuos duos, Commiſſarios duos, Regiſtrarios totidem, Eccleſiarum Paſtores, quos invenit ferè omnes, (ut cives taceam,) novit extinctos. Denique diu vivendo, multa quæ noluit novit viditque; cum hoc *Elizabethani* (ut ita dicam,) omnes exſpirârunt Præſules: cum hic ab illâ Reginâ *Limirienſis* primùm in *Hiberniâ* fuerit conſtitutus.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

ROBERTUS BURHILL.

Obiit A.C. 1641.

IN *Angliâ* apud Dymock / in agro *Gloceſtrienſi* natus, 28. Febr. A. 1572. *Oxon.* in Collegio *Corporis Chriſti* Scholaris 1587. Socius A. 1594. & per uſitatos in artibus gradus, S. Theol. Baccalaureus 1603. Vir in Patrum & Scholaſticorum Scriptis verſatiſſimus, Linguæ Hebraicæ non vulgariter peritus, Diſputator & (in annis juvenilibus) Poëta eximius *D. Gualtero Rawleigh* præcipuè charus, quippè qui ejus operâ multum uſus eſt (in hiſtoriâ ſuâ terrarum Orbis componendâ,) in eruendis quamplurimis, autorum, tùm Græcè tùm Hebraicè obſcuris locis, quæ ad Chronologiam iſtius operis, multum conferebant. *S. Theol. Baccal.*

Rector Eccleſiæ de Northwolo. Sub initium Parliamenti (quod *longum* vocant,) ingruente jam bello civili, ad Rectoratum ſuum de Northwold juxta *Thetfordiam* in agro *Norfolcienſi* receſſit, & *Moritur.* obiit menſe octobri, aut circiter A. 1641. & in ejuſdem Eccleſiæ choro, ad auſtrale latus, non longè ab ipſo aditu ſepultus, ſub lapide, cui nulla inſcriptio inciſa eſt.

Scripſit ipſe *Latinè*:

Scripta. *In Controverſiam in Johannem Howſon, & Thomam Pyum de novis poſt divortium nuptiis.* Oxon. 1606.

Pro torturâ Torti (contra Becanum) Lond. 1611.

De Poteſtate Regiâ & uſurpatione Papali pro Torturâ torti contra parellum And. Eudæmon Johannis, Oxon. 1613. Lat.

Aſſertionem pro Jure Regio contra Martini Becani Jeſuitæ controverſiam Anglicanam. Lond. 1613.

Pro Buckridgii Epiſcopi Elienſis Reſponſione ad Apologiam Bellarmini. Ibid. eod. anno.

In difficiliora Job. Vol. 2. MS. Lat. in Biblioth. Collegii *Corp. Chriſti.*

Tractatum contra Monarchomachos & Hierarchomagos pro Regibus & Epiſcopis. MS. in Bibl. *Bodleiana* Lat.

Britanniam Scholaſticam, Latino carminè compoſitam, MS. *D. Thomæ Bodlejo* dedicatam, & in ejus archivis repoſitam.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

FAUSTINUS BLENNO.

Obiit A.C. 1641.

NAtus eſt *Stetini* 8. Febr. A. C. 1582, Patre Reverendo *Johanne Blennone*, qui per annos 50. in vineâ CHRISTI ſtrenuam navavit operam, & A. 1593. in Synodo *Pomeraniæ* ſplendidâ veræ Religionis vindicem ſe præſtitit: Matre verò *Urſulâ*, *Pauli Jaſteri*, ob ſinceræ Religionis Confeſſionem duriora quæque ab Abbate *Colbazenſe* in primordio Reformationis innocenter perpeſſi filiâ.

Cum puer in Scholâ patriâ artium fundamenta non contemnenda induſtrius jeciſſet, ulterioris profectûs gratiâ de Conſilio ſui Parentis A. 1596. in Gymnaſium *Gymnaſii Thuron. diſcipulus.* *Thuronenſe* abiit, ibique per quadriennium commoratus non modò ſtudiis indefeſſus incubuit, ſed etiam Linguam *Polonicam* *Ling. Polonicam didicit.* ita ſibi familiarem reddidit, ut cuivis obvio linguam hanc ſibi vernaculam vendicanti ſufficienter ſatisfacere, & deinceps tempore Miniſterii ſui *Polonis* Confeſſionem edentibus ſacram *Polonico* idiomate peccatorum abſolutionem impertiri potuerit.

A. 1600. miſſus in Academiam *Argentinenſem* biennium in eâ manſit, & operâ *Theol. ſtud. Argent.* Viror. excellentiſſ. *D. Melch. Junii* Oratoris, *D. Haſenreuteri*, *D. Bartol. Naſſeri*, *D. Marbachii*, & inprimis *D. Johannis Pappi*, Miniſterii *Argent.* Præſidis & Profeſſoris Theologi, tùm in Philoſophicis, tùm Theologicis profectûs non ignobiles fecit.

Priuſquàm verò *Argentorato*, Parente ſic monente, abiret, *Alſatiam*, & ex parte *Helvetiam*, in iiſque Civitates celebres, *Baſileam* imprimis & *Briſcojam*, perluſtravit.

Relictâ *Argentinâ*, *Wittenbergam* ſe contulit, & non modò ſtudium Theologicum ope *D. Mylii*, *D. Jacobi Martini*, *D. Hutteri*, & *D. Ægidii Hunnii* adjutus fideliter continuavit, ſed etiam Linguas Græcam, Hebræam & Syriacam Theologiæ ſocias fecit, ductore *D. Laurentio Fabricio*, Linguar. *Linguar. Orient. ſtud.* Oriental. peritiſſimo.

Peracto *Witteberga* quinquennio Parens ejus decrepitâ ſenectâ viribus deficiens, ut ad patrios lares ſe reciperet monuit, & hunc

Digitized by Google

hunc filium inter ſeptem natu minimum pro ſcipione elegit. Singulari tunc DEI diſpoſitione factum, ut unanimi Dom. Patronorum conſenſu A. 1607. æt. 26. Eccleſiæ *Nicolaitanæ* Antiſtes legitimè ſit conſtitutus, & Parentis ſenio confecti Succeſſor fuerit declaratus.

Antiſtes Eccleſ. Nicolait. Stetini.

Hoc officio ſacro per annos 34. fideliter functus eſt, ita ut Eccleſia *Nicolaitana* præ cœteris rarâ hâc gaudeat felicitate, quod viderit Parentem & filium præeſſe uni Cathedræ per integros 70. annos, perindè ut *Pyritiæ* tres M. *Fauſtini Blennones* per totum ferè ſeculum CHRISTO Eccleſiam colligendo fideliter ſervierunt. Horum primus, (quod ſicco pede haud prætereundum,) poſtquàm *Lipſiæ* Magiſterii gradu inſignitus, *Wittenbergam* vidit, & in patriam reverſus eſt, ob orthodoxam de articulo Juſtificationis Concionem â Magiſtratu Pontificio 50. Marcas pœnæ loco perſolvere coactus eſt, indè injuſtum eſſe ratus Conciones pecuniâ redimere, ſtudio Juris animum adjecit, inque hoc brevi laudabiles fecit progreſſus, ita ut Patria ipſum primùm in Secretarium, ab hoc in Camerarium & ſic deinceps in Conſulem elegerit. Poſteà verò lumine Evangelii ibidem pleniùs accenſo communi Collegarum ſuorum ſuffragio â Conſulatu Paſtor Eccleſiæ vocatus & deſignatus eſt, quoniam verò exacto claruit judicio, Senatus in gravioribus Reipublicæ cauſis fideli ejus informatione ſemper uſus eſt. Hæc majorum ſuorum veſtigia in Divino pietatis & Religionis zelo pro virili ſemper preſſit.

Alius Fauſtinus Blenno à Conſulatu Paſtor Eccleſiæ vocatus.

Conjugium ejus triplex.

Conjugia tria iniit: 1. 25. Jan. A. 1608. nuptias celebravit cum virgine *Annâ*, Dom. *Georgii Maderi*, Conſulis *Pyrizenſis* filiâ, ex quâ 5. filios & 3. filias ſuſcepit, ex quibus duo tantùm filii ſuperſtites manſêre, quorum natu major *Fauſtinus* Paſtoris functus eſt officio ad *D. Gertrudis*, *David* verò fidelem in Parentis ſui vicibus ſuſtinendis navavit operam.

Filios duos vidit Eccleſ. Paſtores.

Conjuge hâc inopinâ morte A. 1620. ſubreptâ A. ſeq. ſociam ſibi aſſumpſit alteram *Mariam Bancken*, *Caſpari Benters*, civis quondam primarii *Neoſtadienſis* in *Sileſiâ* viduam, cum quâ 8. annos totidemque hebdomadas tranſegit, ex eâque duorum liberorum Parens factus eſt, qui tamen ambo in puerili ætate vitâ functi ſunt.

Sed & hâc conjuge orbatus elapſo ſeſquianno, tertiò matrimonium iniit A. 1630. 8. Nov. cum Virgine *Eliſabethâ*, Dom. *Valentini Wilhelmi*, Ducum *Pomeran.* & *Megapol.* Quæſtoris generalis filiâ, quâ cum 11. annos ἄτεκνος vixit.

Durantibus his conjugiis cum variis calamitatum procellis luctandum ei ſæpiùs fuit. A. enim 1625. Filiam virginem nubilem peſte repentè extinctam, & A. 1631. intra triduum, ædibus expulſus, tres filios peſte peremtos amiſit. Nec minoris agonis fuit illud, cum filiâ ex 4. una ſuperſtes itidem peſte extingueretur.

5. Liberos peſte extinctos vidit.

Cum verò per totum vitæ curriculum tenuioris fuiſſet valetudinis, & morbis variis tentatus, ultimo vitæ anno graviter decubuit, ita ut medicamenta nihil proficerent, ſed morbo indies accreſcente vires ſubindè evaneſcerent, donec tandem placidâ morte ſublatus exſpiravit 7. Nov. A. C. 1641. ætatis 60.

Moritur.

* *Ex Oratione fun. M. Johannis Rhetii.*

GEORGIUS WEBBE.

Obiit A. C. 1641.

Brumhamiæ in agro *Wittonienſi* natus 26. Maji 1581. *Oxon.* in Collegio *Corporis* CHRISTI Scholaris A. 1599. & poſt intermedios in artibus gradus S. Theol. Baccalaureus A. 1597. quo tempore Rector erat de Steple-Aſhon in eodem agro. Anno 1621. Rector Eccleſiæ *SS. Petri & Pauli* in oppido *Bathonienſi*, & poſt tres annos S. Theol. Prof. in Academiâ *Oxonienſi*, nec multùm poſt *Carolo I.* Sacellanus ordinarius, quo etiam tempore Infantem Regium, recens tum natum, qui tamen ultra horam non ſuperfuit, nomine *Carolo Jacobo* baptizavit 13. Maji A. 1629.

S. Theol. Baccalaureus Oxon.

Rector Eccleſ. S. S. Pet. & Pauli in Opp. Bathon.

Pietate ſuâ & vitæ probitate, ut etiam eximiâ tùm ſcribendi tùm concionandi facultate (quâ mirum in modum inter Aulicos placebat,) ad ſedem *Limericenſem* in *Hibernia* promoveri meruit; Eccleſiæ *Anglicanæ* addictiſſimus.

Obiit captivus in caſtro *Limericenſi* â Rebellibus detentus, ſub exitum anni 1641. ex dyſenteriâ.

Moritur.

Scripſit *Anglicè:*

Scripta.

Catalogum, ſive *Calendarium proteſtantium*, ſive *iſtius Religionis notitiam ante Lutherum.* Lond. 1624.

Linguam pro tribunali. Lond. 1619.

Viri Chriſtiani optionem in hâc vitâ. Lond. 1621.

Conciones circiter viginti, inter annos 1610. & 16. &

Vertit è *Latino* in *Anglicum:*

Terentii fabulam, Andriam.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

FESTUS HOMMIUS.

Obiit A. C. 1642.

Natus eſt *Hulſtemi*, *Friſiæ* oppido, in territorio *Leovardienſi* A. C. 1576, Patre *Homero Hommingâ* humanioribus literis tincto, Matre *Annâ*, ex familiâ *Schloethuſiâ*.

Novennis Præceptoribus traditus, *Vibrando Revio Hallemio*, & poſt hujus obitum *Johanni Jungaro* cognato ſuo Gymnaſii *Leovardienſis* Rectoribus, trivialium ſtudiorum curſu feliciter peracto, A. 1593. ad Academiam *Franeckeranam* deductus eſt. Ibi â *Sibrando Lubberto* Theologo in convictum receptus, Philoſophiæ & Theo-

Diſcipulus Leovard. in Gymnaſio.


Theol. ſtud. Franeckeræ.

logiæ



FESTUS HOMMIUS
Theol. Leydens.


ALBERTUS CHANOWSKY
Soc. Jesu Theologus.



JOHANNES HIMMELIUS
Theol. Prof. Jenensis.


HENRICUS HÖPFNERUS
Theol. Lipsiensis.


PHILIPPUS PAREUS
Theol. & Philos. palat. inf.


SIMON EPISCOPIUS
Theol. Prof. Leydens.


NICOLAUS HUNNIUS
Superint. Lubecensis.


ANDREAS KESLERUS
Superint. Gen. Coburg.


JOHANNES KROMAYERUS
Superint. Gen. Vinariens.


HENRICUS ALTINGUS
Theol. Prof. Gröning.


MATTHIAS HÖE
Conc. Aul. Dresd.


CHRISTOPHORUS WELHAMMERUS
Theol. Norib.


ERASMUS ZOLNERUS
Theol. Ratisbon.


CORNELIUS MARCI
Theol. Norib.


DANIEL TANNERUS
Theol. Ratisbon.


JOHANNES SAUBERTUS
Theol. Norib.

Azelt f.

Digitized by Google



Digitized by Google

logiæ præceptis inſtitutus eſt, uti quoque à *Johanne Druſio* in Hebraicis, & à *Johanne Arcerio* in Græcis, à *Joh. Boggio* verò in Mathematicis diſciplinis.

Rupellæ. *Lugduni Bat.* *Ibi uxorem duxit.*

Biennio ibidem exacto, cum excitati in Academiâ illâ tumultûs ſtudiorum progreſſum remorarentur, in *Gallias* profectus, *Rupellæ* aliquandiu commoratus, & Linguæ *Gallicæ* uſu auctus A. 1596. in Academiam *Leydenſem* ſe contulit. Ibi per triennium moratus, *Johanni Kuchlino* Collegii Theologici Regenti ita ſe probavit, ut ei poſtmodùm filiam ſuam *Johannam* elocaverit.

Paſtor Eccleſ. Doccomienſis. *Concionator Caſtrenſis.*

Excitatâ ibidem crebris Diſputationibus, Orationibus, & Concionibus de ſe famâ, Eccleſia *Doccomienſis* in *Friſiâ* illum ex Academiâ vocavit. Huic Eccleſiæ cum fide & induſtriâ præfuit ferè triennium. Anno 1602. miſſus fuit ab Ordinibus, ut exercitui Fœderatorum Ordinum Concionibus *Caſtrenſibus* inſerviret, interfuitque *Graviæ* in *Brabantiâ* Urbis obſidioni & expugnationi.

Miniſter Eccleſ. Belg. Leyd.

Reverſum è caſtris *Leydenſes* in locum *Lucæ Trelcatii* junioris, qui Patri in Miniſterio Eccleſiæ *Gallicæ* ſucceſſerat, ad *Belgicæ* Eccleſiæ Miniſterium vocârunt. Tum publica negotiorum Eccleſiaſticorum cura ſæpiùs ei à Synodis fuit concredita.

Cum *Jacobus Arminius*, S. Theol. in Academiâ *Leydenſi* Profeſſor, novorum dogmatum introductione Academiæ & Eccleſiarum Pacem turbaret, huic ejus conatui cum *Gomaro*, *Trelcatio* juniore, & *Kuchlino* ſe quoque pro muneris ſui ratione oppoſuit.

Franc. Gomaro adſtitit contra Jac. Arminium, *& contra Remonſtrantes.*

In collatione, quæ hâc de cauſâ in Conventu Ordinum *Hollandiæ* inter *Gomarum* & *Arminium* A. 1609. inſtituta fuit, *Gomaro* adſtitit. Defuncto verò *Arminio*, cum Paſtores aliquot ejus diſcipuli novos quoſdam Articulos illuſtribus *Hollandiæ* & *Friſiæ Occidentalis* Ordinibus, inſciis Eccleſiis, per *Remonſtrantiam*, ut vocant, (undè *Remonſtrantes* deinceps ſunt vocati,) A. 1610. obtuliſſent, ſimulque allaborâſſent, ut iidem Eccleſiis publicâ authoritate obtruderentur, huic quoque illorum conatui ſe cum aliis Eccleſiarum Deputatis cordatè oppoſuit.

In Conventu Hagenſi diſputavit cum Remonſtrantibus.

Cumque illuſtres Ordines A. 1611. ſtatuiſſent, ut de iiſdem Articulis *Hagæ* in ipſorum Conventu publica inter *Remonſtrantes* & Paſtores cœteros haberetur Collatio, ad eandem ab Eccleſiis *Hollandicis* cum 5. aliis Paſtoribus electus eſt, in quâ cum ipſi à Collegis Collocutoris partes eſſent impoſitæ, receptam Eccleſiarum Reformatarum doctrinam de Prædeſtinatione & Gratiâ Divinâ adverſùs *Adrianum Borrium*, *Nicolaum Grevinchovium*, *Johannem Arnoldi Corvinum*, & *Simonem Epiſcopium*, qui à *Remonſtrantibus* per vices ipſi opponebantur, ita tutatus eſt, ut plurimi ex Proceribus cauſæ *Remonſtrantium* jam ferventiores de hâc Doctrinâ deinceps rectiùs benigniuſque ſentirent, ſtatutumque ab Ordinibus fuerit, Articulos iſtos Synodi eum in finem convocandæ judicio eſſe ſubjiciendos. Hoc judicium cum *Remonſtrantes* omnibus modis ſubterfugerent, anniti non deſtitit *Hommius*, ut convocatâ Synodo Paci Eccleſiæ conſuleretur.

In Collatione Delfenſi oppugnavit Remonſtrantes.

A. 1613. Ex conſilio Comitis *Guilielmi Ludovici Naſſovii*, *Friſiæ* Gubernatoris, autor fuit, ut nova cum *Arminianis* in urbe *Delfenſi* inſtitueretur Collatio, in quâ ipſorum de Satisfactione CHRISTI, de Juſtificatione, de Fide ſalvificâ, de Peccato Originali, de Perfectione hominis in hâc vita, & de certitudine Fidelium ἑτεροδιδασκαλίας ſingulari prudentiâ detexit.

Scriba in Synodo Dordracenâ. *Præſes in Synodo Leydenſi.*

Cum tandem Ordines Generales ad tollendas ex Eccleſiis *Belgicis* turbas Synodum *Dordrechti* A. 1619. convocâſſent, ad eandem Deputatus, eique munus demandatum fuit Synodi Acta conſignandi. Hac finitâ, dedit operam in Synodo *Leydenſi* particulari, cui præfuit, ut *Remonſtrantes* Synodi *Dordracenæ* Decretis acquieſcerent. Sed cum plerique id recuſarent, multos à docendi munere removeri neceſſe fuit.

Legatus ad Regem Angliæ.

Cum Synodi *Dordracenæ* Acta typis fuiſſent excuſa, placuit Ordinibus Generalibus per ipſum eadem mittere ad Sereniſſimum *Jacobum*, *Magnæ Britanniæ* Regem, à quo benevolè fuit exceptus, ut & à *Georgio Abbato*, Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, aliiſque Regni Proceribus.

Oxonii inter Theologiæ Doctores cooptatus.

Cum utramque ibi Academiam, *Cantabrigienſem* & *Oxonienſem* perluſtrâſſet, ex voluntate Illuſtris Comitis *Pembrochtii*, Academiæ *Oxonienſis* Cancellarii, in numerum S. Theologiæ Doctorum ritu Academico ſolenni cooptatus fuit.

Præfectus Collegii Theol. Leyd. *Miniſter Eccleſ. Leydenſis.*

A. 1619. Cum illuſtres Ordines, Academiæ *Leydenſi* reformandæ intenti, Collegium, quod ibi habent, Theologicum inſtaurandum judicarent, nemini tunc tutius, quàm huic *Hommio* Collegii Præfecturam committi poſſe exiſtimârunt. In hoc munere, ac ſimul in Miniſterio Eccleſiæ *Leydenſis* ad finem vitæ verſatus eſt, quem obtinuit A. C. 1642. ætatis 66.

Edidit: *Scripta.*

Collegium Anti-Bellarminianum Diſputationibus LXX. comprehenſum.

Specimen Controverſiarum Belgicarum.

Narrationem Hiſtoricam ortûs & progreſſûs Controverſiarum Belgicarum.

Diſputationum Theologicarum adverſus Pontificios Decadem primam de S. Scripturâ.

* *Ex Vitis Profeſſorum Leyd.*

ALBERTUS CHANOWSKY.

Obiit A.C. 1642.

Ejus Familia.

Familia in *Boëmiâ* pervetus & prænobilis eſt in plures diviſa ramos, *Chanowſkyorum*, nempe *Czaſtolarorum* & *Dlawhoweſkyorum*, agnomen autem habent omnes *de Longâ Villâ*.

Digitized by Google

Ex *Chanowſkyorum* autem numero hic Reverendus *P. Albertus* octavo loco genitus eſt A. 1581. in *Swiradiæ* pago, parentibus ejus ſubdito, in diſtrictu *Prachenſi*. Cumque in juventute equos inacutè tractâſſet, ab eorum ferociâ nocumentum, detrimentumque accepit valetudinis.

Miſſus itaque cum fratre ſuo *Bohuſlao*, natu antè ſe proximo, *Pragam* adhuc admodum puer, ad literarum ſtudia in Academiâ Societatis Jeſu decurrenda. *Pragam mittitur.*

Ex Academiâ *Pragenſi* translatus eſt cum fratre ſuo *Krumlovium*: ubi Societatem Jeſu cogitare & expetere cœpit; eaque ipſâ nocte, quâ ad patrem cedere jubebatur, fugam in *Moraviam Brunam* verſus, ubi Tironum Societatis Jeſu eſt domicilium, arripuit, relictis poſt ſe ad parentes literis, quibus conſilium ſuum de Societate Jeſu ineundâ aperiebat, veniamque id exequendi humiliter poſtulabat, quod & in præſentiâ matris factum. *Societati Jeſu nomen dat.*

Sacerdotio poſt hæc initiatus in *Stiriâ Albertus*, Convictum *Pragenſem* Regens gubernavit: ubi & ſacram Scripturam & Hebraicas literas, (quarum egregiè erat gnarus,) explicuit. *Clomucii* etiam Mathematicas tradidit diſciplinas, ubi cum, ſpectante Academiâ univerſâ, vellet nonnulla ratiocinio & intellectu deprehenſa etiam opere ipſo in horto Collegii exhibere: demonſtratio hæſiſſe dicitur, nullumque res tota habuiſſe ſucceſſum, tanto non ſolùm riſu, ſed & indignatione omnium, ut â ſtudio Matheſeos plerorumque ſtudioſorum ipſiusque *Alberti* animus fuerit averſus. *Clomucii Matheſin docet.*

Conformabat ſe dein ad vitam & ſanctitatem *Martini Strakonickii* cognomine Propheta. Usque etiam adeò totum ſeſe dabat ſtudio ſanctæ Orationis, ut vita ejus perpetua quædam ad DEUM precatio, & de rebus divinis meditatio fuiſſe, poſſet judicari.

Eximia fuit in P. noſtro *Alberto* magnanimitas, & firmiſſima in DEI adjutorium fiducia, qua uſus, dum *Stakoricenſis* civitas univerſa A. 1640, â *Suecorum* militibus rueretur.

Statuam ligneam pueruli Jeſu ſemicubitalem ſæpè per omnes ſuas miſſiones, peregrinationesque circumferebat in manibus publicè.

In toto *Boëmiæ* tractu, nec unicum eſſe putatur templum, cui ipſe beneficii aliquid non præſtitiſſet.

Amor Crucis ac dolorum in eo permagnus. Cibum potumque delicatum fugiebat, dicens aliquando: *Vobis, ô Domini, vobis dulcia competunt, mihi olera, & hordeum & fruſtum panis.* Ordinarius cibus ipſi fuiſſe videtur fames: potus verò quotidianus ſitis.

Podagrâ & Chiragrâ laborabat. Doloribus colicæ, & calculi vexabatur.

Per annos viginti itinera per diſtrictum *Prachenſem*, *Pilſnenſem*, *Podbrdenſem* & *Bechinenſem*, *Auſtriæ*, *Bavariæ*, & *Palatinatui* vicinos, fecit plurima. *Ejus itinera.*

Toto anni tempore juvandis animabus & obeundis miſſionibus Apoſtolicis diligenter vacabat, nullum vitæ ſuæ terminum vel ſpatium proponebat, ſed ut ſors ferret & occaſio, huc illuc ſe convertebat.

Cantiones eum quàm maximè delectabant. Humilitas, paupertas, caſtitas, cultus Virginis ſanctiſſimæ & obedientia patris *Chanowſky* ſatis, quoad vixit, nota fuit omnibus.

Vocationis ſuæ æſtimationem eximiam & ſublimem ſemper præ ſe tulit; erga Societatem ſuam amor & reverentia fuit inſignis.

Obitum quod ſpectat Patris Rever. A. 1643. obiit, ætatis ſexageſimo ſecundo, Religionis quadrageſimo ſecundo, Profeſſionis editæ vigeſimo ſecundo. *Moritur.*

Erat ſtaturâ P. ALBERTUS procerâ, naſo magno, pleno oblongo, ore amplo, colore pallido & fuſco, manibus â chiragrâ contortis. *Ejus ſtatura.*

THOMAS GODWYNUS.

Obiit A.C. 1642.

S*omerſetenſis*, primùm *Oxoniæ* in Aulâ *B. Mariæ Magdalenæ* ſtuduit A. 1602. ætat. 15. poſt unum vel alterum annum Collegii *Magdalenenſis* ſemicommunarius factus, Philologiæ & Linguarum ſtudio operam dedit, tandemque Artium Magiſter, & mox Scholæ *Abendonenſis*, in agro *Bercherienſi*, Ludimagiſter, ubi ſummâ induſtriâ nec minori famâ literas docuit, quod tot, & ab Eccleſiâ & â Republicâ benè meriti Viri ab illo educati, teſtatum faciunt. *Ludimagiſter Scholæ Abendonenſis.*

Tandem tam laborioſâ provinciâ laſſatus, ſuſcepto prius in S. T. Profeſſoris Gradu, A. 1637. ad Eccleſiæ de Brightwell/ juxta *Wallingfordiam*, in eodem agro Rectoratum præſentatus, ibique vixit & mortuus eſt. *Rector Eccleſiæ de Brightwell.*

Vir fuit, (ut ait *Georgius Kendallus* in vitâ & victoriâ *Tuiſſii* edit. 1657. p. 78.) ſuo genere eruditiſſimus, in Antiquitatibus Latinis, Græcis, Hebraicis, non ſine multâ meritâque laude verſatus.

Sepultus eſt in choro Eccleſiæ ſuæ de Brightwell / tumuloque ipſius marmore contecto hoc inſcriptum Epitaphium: *Moritur.*

Depositum THOMÆ GODWYN, S.T.P. Viri integerrimi, pietate, literatura, morum svavitate Spectabilis, Rectoris hujus Ecclesiæ Vigilantissimi: Cujus merita melius posteris transmittunt Scripta, quam Marmor. Hunc lapidem uxor ejus PHILIPPA GODWYN amoris ergo moerens posuit. Obiit Martii XX. Anno Dom. M DC XLII. *Epitaphium.*

Scripſit:

Expoſitionem Antiquitatum Romanarum &c. lib. 4. edit. primo Oxon. 1613. Lond. 1623. Ibid. 1671. *Angl.* *Scripta.*

De

De civilibus & Eccleſiaſticis Ritibus, in uſu apud antiquos Hebræos. lib. 6. primo edit. Lond. 1625. Ibid. 1647. *Angl.*

Judaicas Antiquitates. Oxon. 1616. Lat.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

Obiit A. C. 1642.

JOHANNES BARCHAM.

Sacellanus Archiep. Cantuar. Decanus & Rector de Bocking. Theol. Prof. Oxon. Moritur.

D*Evonienſis Anglus, Exoniæ* natus, Collegii *Corporis* CHRISTI *Oxon.* Scholaris anno 1588. Socius 1596. & deindè *Bancrofto* Archiepiſcopo *Cantuarienſi* Sacellanus domeſticus. Tum Decanus & Rector de **Bocking** in agro *Eſſexienſi*, & ſub eodem tempore in Academiâ *Oxonienſi* S. Theol. Prof. Vir Linguarum, rei Criticæ, hiſtoricæ, antiquariæ, ſimul & Theologicæ peritiſſimus; modeſtiâ inſuper, probitate, & charitate in proximum ornatiſſimus. Obiit 25. Martii 1642. & in Eccleſiâ ſuâ *Bochingianâ* ſepultus eſt.

Scripſit

Scriptum. *Vitam Johannis, Regis Angliæ*, Angl.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

Obiit A. C. 1642.

JOHANNES HIMMELIUS.

N*Atus Stolpæ, Pomeraniæ citerioris* oppido 27. Dec. A. C. 1581, Patrem habuit civem ejus loci primarium *Andream Himmelium*, qui A. 1593. ætatis ſuæ 63. extremum vitæ diem confecit: Matrem *Annam Hopfeniam*, quæ A. 1606. itidem ætatis 63. vitâ defuncta eſt.

Studet Wittenbergæ.

Cum in Scholâ patriâ literarum initia hauſiſſet, cujus tunc Rectorem egit M. *Rudolphus Rolevincus*, *Magdeburgâ Saxo*, poſtmodum Theol. Doctor, & apud Comitem *Barbienſem* Eccleſiaſtes aulicus; A. 1601. in Academiam *Wittenberg.* â matre viduâ fuit ablegatus, ubi ſedulus literas Philoſophicas coluit, & præcipuè Theologiam, quam tum profitebantur *Hunnius*, *Geſnerus*, *Rungius* & *Hutterus.* Concionibus etiam ad populum habitis ſeſe ſæpius exercuit.

Jenæ.

A. 1606. Exindè *Jenam* conceſſit, ubi diligentiæ ſuæ teſtes reliquit Diſputationes duas anno ſeq. M. Majo & Auguſto *de Sacrâ Scripturâ*, & *de Perſonâ CHRISTI*, ſub Præſidibus *Ambroſio Reudenio*, & *Petro Piſcatore* cum applauſu propugnatas.

Gieſſæ.

A. 1608. Cum prius de fictâ *Donatione Conſtantini* publicè perorâſſet, in Academiam *Gieſſenſem* ſe contulit, ibique de ſtudiorum fervore nihil remittens, M. Octobri, ſub D. *Baltaſaro Mentzero* Præſide, *de Diſcrimine Sacramentorum* cum laude diſſeruit.

Eodem anno iter in *Germaniam ſuperiorem*, quemadmodum triennio antè in *Saxoniam inferiorem* inſtituit, ut urbes moresque hominum videret, & Viros eruditione celebres compellaret.

Fit Rector Durlacenſis.

Sub finem ejuſdem anni 1608. â *Georgio Friderico, March. Badenſi* ad Gymnaſii *Durlacenſis* Rectoratum vocatus, eo munere cum laude quadriennio functus eſt.

Gymnaſiarcha & Concionator Spiræ. Theol. Doctor.

A. 1612. Reſpubl. *Spirenſis* operam ejus expetiit, ut in Gymnaſio ibi inſtaurato Recturam & Profeſſionem ſuſciperet, quam ipſi Marchionis *Badenſis* conſenſu addixit. Vix verò biennium Gymnaſiarchæ officio functus, ab eodem Senatu ad Eccleſiaſtæ primarii munus vocatus eſt. Tum ſummos in Theologiâ honores Doctorales, habitâ prius Diſputatione inaugurali *de Naturâ Eccleſiæ*, Promotore *D. Caſp. Finckio*, glorioſè obtinuit *Gieſſæ* 11. Maji A. 1615.

Theol. Profeſſor Jenæ.

Spirenſibus redditus ſub finem A. 1616. de Profeſſione Theologicâ in Academiâ *Noricorum Altorfinâ* ſuſcipiendâ vocationem accepit, quam eodem tempore Vocatio in Acad. *Jenenſem* prævertit, eamque aggreſſus, A. 1617. D. *Alberto Grauero* ſuccedens.

Intereà A. 1624. *Sidinorum* urbs *Pomeraniæ* Paſtoratum Eccleſiæ primariæ ad *S. Jacobum*, & A. 1635. *Saxonum* urbs *Brunſviga* Eccleſiarum & Scholarum ſuarum Superintendentiam ipſi obtulit: ſed utramque functionem modeſtè recuſavit. Dum verò per 25. annos in Academiâ *Jenenſi* Theologiæ Profeſſorem egit, Rectoris munus quater cum honore geſſit.

Duplex ejus Conjugium.

A. 1610. 21. Aug. *Durlaci* nuptiarum ſolennitates celebravit cum *Margarethâ*, *Nicolai Reinboldi*, Senatoris *Gersbacenſis* filiâ, 24. Nov. A. 1634. vitâ defunctâ. Ex eâ filios ſuſcepit *Enochum*, Theol. Doctorem & Superintendentem *Orlamundanum*, poſteà *Zizenſem*, *Eliam* Philoſ. Magiſtrum, Eccleſiaſten *Goslar. Hamburgi* degentem, & *Johannem*: Filias verò *Annam Margaretam*, *Tobiæ Seiſarto*, Scholæ *Altenburgenſis* Rectori elocatam, & *Johannam Reginam* A. 1641. M. *Bartolom. Elſtenio Weiſenfelſenſis* Eccleſiæ Diacono nuptui datam.

Liberos genuit præterea in infantiâ & pueritiâ demortuos *Johannam Reginam*, priorem, *Johannem Andream*, *Claram Mariam*, & *Johannem* priorem.

A. 1636. Secundas nuptias celebravit cum *Chriſtinâ*, viduâ *Joh. Chriſtoph. Schereri*, Reip. *Erfurtenſis* Præfecti in *Vargel*, cum quâ Conjugium illibere exegit.

Morbi ejus & mors.

M. Mart. A. 1640. Catarrho ſuffocativo correptus, brevi quidem Medicamentorum uſu convenienti fuit liberatus, exindè tamen pedetentim vires corporis decreverunt, donec pedum paralyſi tandemque maraſmo accedentibus placidè obdormivit 31. Martii A. C. 1642. ætatis 61.

* *Ex Programm. fun.*

M. Adrianus Beyer in *Nomenclat. Prof. Jenenſ.* hoc ei fecit Epigramma:

Epigramma.

Tres Charites uno vixerunt tempore, quarum
Nutu Salanæ pax ſtabilita Scholæ.

Digitized by Google

JOHANNES MAJOR Charis una: ſecunda GERHARDUS:
HIMMELIUS placidâ tertia ſorte fuit.

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta. *Analytica Diſpoſitio tum generalis Bibliorum, tum ſpecialis librorum. Spiræ 1616.*

Memoriale Biblicum generale & ſpeciale cum Chronologiâ Biblicâ.

Poſtilla Academica in Epiſtolas & Evangelia Dominicalia ac Feſtivalia.

Compendium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ à nato CHRISTO usque ad LUTHERUM, in quo 1. Epiſcopologia, 2. Patrologia, 3. Martyrologia, 4. Hæreſiologia, 5. Synodologia.

Tractatus de Canonicatu, Jure Canonico, & Theologiâ Scholaſticâ.

Analyſis Logico-Theologica Libri Concordiæ Chriſtianæ XIII. Diſputationibus propoſita.

Syntagma Diſputationum Theologicar.

Caſtrum Doloris, 16. Traur- und Klag-Predigten.

Prophetæ minores nervoſè explicati 4. trigis Propheticis.

Becanus enervatus, ſeu *Refutatio Compendii Manualis Mart. Becani.*

Anti-Meyerus, ſeu *Refutatio 8. fidei Controverſiarum Chriſtoph. Meyeri, Prof. Vienn.*

Matæologia Papiſtica, ſive *Papiſmus ex Pontificior. ſcriptis 16. Diſputationibus confutatus.*

Collegium Irenicum, ſeu *Pacificatorium.*

Collegium Auguſtanum Theologicum diſputat. XXII. propoſitum.

Collegium Anti-Calvinianum XIV. Diſputationibus propoſitum.

Calvino-Papiſmus.

Tractatus Methodicus de Invocatione.

Prima D. LUTHERI Parentatio donationem Conſtantini M. confictam exhibens.

Jeſuita Phariſaizans.

Commentarius in Epiſtolam ad Galat. & Philemonem.

Paſſionale. Witteb. 1658. in 8vo.

Anti-Alſtedius. Jenæ 1631. in 4to.

Collegium Anti-Leoninum. Ibid. 1630. in 4to.

ÆGIDIUS HUNNIUS, Fil.

Obiit A.C. 1642.

NAtus *Wittenbergæ* 19. Martii A.C. 1594. Patrem habuit *Ægidium Hunnium*, Theol. D. Prof. & Superintend. *Wittenberg.* Theolog. celeberrim. Matrem *Eleonoram, Johannis Feldneri*, Conſiliarii *Würtenbergici* filiam.

Fit Philoſ. Magiſter. 20. Sept. A. 1614. Philoſ. Magiſter Decano *D. Ambroſio Rhodio* Mathem. Prof. creatus, & paulò pòſt ob eruditionem *Adjunctus Facult. Philoſ. & Decanus.* Adjunctus Facultatis Philoſophicæ factus, A. 1622. Facultatis ejuſdem Decanatum cum laude exercuit.

A. 1618. Electoris *Saxoniæ* & Collegii Theologici teſtimonio commendatitio inſtructus, in Academiam *Gieſſenſem* profectus, aliquoties ibi cum laude diſputavit, ideòque Profeſſoribus dilectus, & in honore fuit habitus.

Cum deinceps ab A.C. 1620. ad 1622. Academias *Germaniæ* præcipuas perluſtrâſſet, matris rogatu 30. Aug. *Wittenbergam* reverſus, ibi ſub Præſidio *D. Baltaſ. Meiſneri* pro gradu Doctorali diſputavit, *de graviſſimis Pontificiorum criminibus*, quæ circa locum *de Scripturâ DEI* committunt.

6. Oct. ſeq. *Sangerhuſæ* Superintendens factus eſt. 16. Oct. A. 1623. *Wittenbergæ* cum duobus aliis Theologis Doctor ſolenniter renuntiatus, anno ſeq. 1624. Superintendens Generalis Ducatûs *Altenburgici* conſtitutus eſt. *Superint. Sangerhuſ. Theol. Doctor. Superint. Generalis Altenburg.*

12. Martii A. 1633. Nuptias celebravit cum virgine *Suſannâ Sibyllâ, Joh. Georgii Springfelderi*, Principum juniorum *Altenburg.* Inſpectoris filiâ. Ex eâ duas reliquit filias *Eleonoram Mariam,* & *Suſannam Margaretham.* *Nubit.*

Tandem ventriculi imbecillitate diuturnâ, catarrhis, tuſſi, aſthmate, & vigiliis exhauſtus placidè in CHRISTO exſpiravit 29. April. A. C. 1642. æt. 48. *Moritur.*

* *Ex Concione fun.*

HENRICUS HÖPFNERUS.

Obiit A.C. 1641.

L*Ipſiæ* vitæ primam uſuram hauſit 29. Nov. A.C. 1582. Patre cognomine, *Arnſtatenſi* Parocho, in Xenodochio *S. Georgii*: in cujus Familiâ antiquâ ante 200. annos ex *Wetteraviâ Cattorum* in *Thuringiam* traductâ præ aliis *Nicolaus Hopfnerus* Abbas ad A.C. 1539. Cœnobii *Homburgenſis* eminuit, qui poſteà ſub ortum Lucis Evangelicæ Papiſmo renuntiavit, & Electoribus *Sax. Mauritio* & *Auguſto* in multis arduis negotiis egregiam operam navavit.

Matrem autem ſortitus eſt *Anaſtaſiam*, *Friderici Einwagen*, Eccleſiaſtæ *Gerani Variſcorum* filiam, quæ poſt obitum Mariti A. 1585. M. *Andreæ Schreibero*, Paſtori *Ilenburgico* nupſit.

Hic privignum, annum agentem ſextum, *Delicium* ablegavit, & inſtitutioni M. *Johannis Stojæ*, Ludi ibidem Moderatoris, commendavit, ubi tyrocinia ſtudiorum egit ad annum æt. duodecimum cum dimidio. Hinc in Ludum ad *Albim Miſnenſem* miſſus, in eo M. *Danielem Menium* Rectorem, & M. *Michaëlem Rackelmannum* Conrectorem Præceptores nactus, tam felices in ſtudiorum curſu fecit progreſſus, ut anno æt. 19. ab his Præceptoribus dignus habitus fuerit, quem ſtipendio quodam ex tribus illis, quæ antehâc ipſi diſtribuere ſolebant, mactatum in Academiam Patriam remitterent. *Studia tractat Delicii, in Ludo Miſnenſi.*

Hîc ſtatim in numerum Alumnorum Electoralium cooptatus eſt, & ſub ſtudiorum directoribus M. *Johanne Neldelio*, Log. *Lipſiæ.*

& Eth.

Digitized by Google

& Eth. Prof. Publ. M. *Chriſtoph. Hunnichio*, & M. *Johanne Fridricho*, Hiſtor. Prof. per quadriennium Philoſophiæ publicè & privatim operatus tantâ cum induſtriâ, ut A. 1605. ſub Rectoratu Illuſtriſſ. *Adolphi*, Principis *Magdeburgici*, Lauream Magiſterii reportârit â Decano *Joh. Albino*, Poëſeos Prof. Tunc Collegia Studioſis aperuit Philoſophica tum lectoria, tum diſputatoria, quorum undecim abſolvit, usque ad A. C. 1617. unâ cum Oratorio.

Fit Magiſter.

In adyta quoque Theologiæ penetrare deſiderans, Prælectiones publicas Theologorum *D. Zachar. Schilteri, Burcardi Harbardi, Cornelii Becceri* & *Vincentii Schmuccii* aſſiduè inviſit, adjunctis Diſputationum Theol. exercitiis.

Ut verò & aliarum Academiarum mores & inſtituta cognoſceret, exactâ periodo ſtipendii Electoralis, ad *Jenenſium* & *Wittenbergenſium* Academias excurrit. *Lipſiam* reverſus, & Academicis porrò laboribus iuſudans effecit, ut inclyta Facultas Philoſophica A. 1609. ipſum Membrum ſuum & Aſſeſſorem conſtituerit. Comitata eſt hoc honorum Academicorum initium Profeſſio Logicæ A. 1612. ſubſecuta eſt 7. Junii prima in Theologiâ Laurea, quam unâ cum 13. Competitoribus, impetratis â Sereniſſ. Electore ſumtibus ad Promotionem, adeptus eſt.

Profeſſor Logicæ Lipſ.

Poſtero verò anno Stipendiatorum Ephoriam Philoſophicam obtinuit. Hinc A. 1617. mundo valedicente *D. Georg. Weinrichio* Eccleſ. *Lipſ.* & vicinar. Superattendente demandata ipſi fuit Profeſſio IV. Theologica, unâ cum Ephoriâ Stipendiatorum ejusdem Facultatis: quam ſpartam ut eo majori cum autoritate exornaret, ſeſquimenſe pôſt Licentiæ gradu in Theologiâ, & iterum binis menſibus elapſis in ipſo Jubil. *Luther.* 1617. die 6. Nov. Doctorali dignitate ornatus eſt. Quanta verò cum induſtriâ Provinciæ ſibi demandatæ præfuerit, teſtantur Scripta edita.

Ephorus ſtipendiar.

Profeſſor Theol.

Varia etiam habuit Collegia Theologica, in quibus Diſquiſitionibus piis libros Symbolicos Eccleſiar. *Lutheranar.* declaravit, *Chemnitii* Locos & Concilium *Tridentinum* tribus vicibus diſputando ad finem perduxit, 4. Evangeliſtas privatim expoſuit, omnes Epiſtolas Apoſtolicas diſputando explanavit, *D. Bergii* Scriptum *de Cœnâ DOMINI* examinavit & refutavit, *Bellarmini* controverſias *de gratiâ primi hominis, de Amiſſione gratiæ* & *ſtatu peccati* ventilavit, itemque dicta Scripturæ *de Verbo DEI* & *Perſonâ CHRISTI* ſummâ cum induſtriâ enucleavit.

Maximè quoque eminuit ejus dexteritas & judicium in gravibus de Religione Conſultationibus: quâ de cauſâ non tantùm Aulæ *Sax.* meruit gratiam, ſed & apud ſummos viros ſibi conciliavit favorem & æſtimationem. Admirati ſunt ipſum Philoſophi & Theologi in Academiis *Wittenbergenſi*, *Roſtochienſi*, *Jenenſi*, *Gieſſenſi*, & *Marpurgenſi*. Imò cognitionis Theologicæ ſoliditas ita ipſum commendavit *Altorfinæ* & *Marpurgenſi* Academiis, ut utraque Profeſſorem eum ſibi expeteret, illa per *Johannem Schröterum*, Theologum *Norimberg.* A. 1616, hæc per *D. Juſtum Feurbornium* A. 1627.

Inter Collegas *Majoris Principum Collegii* locum obtinuit 29. Sept. A. 1609. Rectorales faſces Academiæ cum gloriâ tenuit A. 1621. Decanatum, qui per Theologos in orbem ire ſolet, octies geſſit, ſemel autem *D. Polycarpi Lyſeri* vices, cum Decanatum ejus mors inopina interrumperet, ſuſtinuit. Senior omnium votis audiit in Natione *Miſnicâ* & *Collegio Principum Majore* A. 1628, in Collegio Theologico A. 1633, in Conſiſtorium Eccleſiaſticum cooptatus eſt A. 1628, Canonicus *Cizenſis* conſtitutus eſt A. 1623, *Miſnenſis* autem electus eſt ab Univerſitate 8. Febr. A. 1628, & paulò pôſt in Capitulum receptus, poſteroque anno dignitate, quæ theſaurarii nomine venit, annuente Sereniſſimo Electore, condecoratus eſt.

Munera ejus honorifica.

In Conjugio vixit gemino. Prius contraxit 16. Oct. A. 1620. cum virgine *Veronicâ*, *Hieronymi Jordani*, Civis & Mercatoris *Lipſienſis* ſobole unicâ, cum quâ triennium cum dimidio vixit ſuaviſſimè, & tres filios genuit, ſed qui omnes ut ſolſtitiales herbæ pauliſper fuêre. Hâc orbatus 27. Febr. A. 1624. poſt decennalem viduitatem matrimonium alterum iniit 28. Jan. A. 1634. cum *Mariâ*, *Gedeonis Hanmanni*, Senatoris & Mercatoris primarii viduâ, quæ 10. Dec. A. 1641. humanis exemta rebus acerbiſſimo luctu Maritum funeſtavit.

Conjugium ejus duplex.

Ex maraſmo tandem ſenili viribus conſumtus, qui per annum integrum, cum variis ſymptomatibus eum oppugnavit, inter preces devotas placidè extinctus eſt, ut adſtantes cum admiratione hoc intuitu petierint ab eo exemplum moriendi, quod factum eſt 10. Junii A. C. 1642. ætatis 60.

Maraſmo placidè mor.

Scripta ejus edita ſunt ſequentia:

Scripta.

Saxonia Evangelica.
Tractatus de S. Cœnâ Theoreticus & Practicus.
Commentarius in Organum Ariſtot. cum *ſpeciali Tractatu in poſt. Analyt.* Lipſ. in 8vo.
Commentarii ſuper Micheam, & Habacuc Prophetas.
Diſputationes de Apoſtaſiâ Romanæ Eccleſiæ.
de Ave Mariâ.
de Quæſtione: Ubi fuerit Eccleſia ante LUTHERUM?
de Satisfactionibus Papalibus.
de Indulgentiis.
de Jejuniis.
de Satisfactione CHRISTI *contra Photinianos.*
de Nominibus, Omnipotentiâ, & Infinitate DEI.
de Explicatione dicti Heb. XIII. JESUS CHRISTUS *heri & hodie &c.*

Digitized by Google

de Sacramentorum N.T. neceſſitate, numero, fine, convenientiâ cum Sacramentis V.T.
de Communione ſub utraque.
de Purgatorio.
de Matrimonio.
de Conciliis, contra Bellarminum.
Parallela Explicatio dictor. Habac. II. verſ. 4. Luc. XVIII. verſ. 14.
Μακαρισμὸς Davidicus ex Pſalmo XXXII.

Commentarius in Pſalm. VIII. XC. & CX.

Diſputationes 12. de Juſtificatione Fidei contra Chriſtoph. Meyerum.

Parentatio Memoriæ Michaëlis Wirthii, Jur. D. & Prof. Lipſ. in 4to.

Oratio ſive Meditatio de Advocatione SPIRITUS SANCTI, ex Joh. XIV. in 4to.

Commentarii in veterem quam vocant Logicam, ſeu in Libros Categoriarum, in 8vo.

Tractatus in Libros prior. & poſterior. Analiticorum Ariſt. in 8vo.

Oratio Parentalis D. Polycarpo Lyſero dicta, in 4to.

Iſagoge ad ſalutarem uſum Cœnæ Dominicæ, in 4to.

Opera MSS.

Commentarius in librum Pſalmorum.
IV. Evangeliſtas & omnes Apoſtolicas Epiſtolas.

Tractatus contra Bellarminum de Gratiâ primi hominis, Amiſſione gratiæ & ſtatu peccati.

Dicta Scripturæ de Verbo DEI & Perſonâ CHRISTI enucleata.

Loci Theologici & inprimis de S. Scripturâ & DEO.

Diſquiſitiones in libros Symbolicos, Chemnitii Locos, librum ejus de Perſonâ CHRISTI, nec non Meiſneri Chriſtologiam.

Examen Scripti Bergiani de S. Cœnâ.

Contra Manuale Becani.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Acad. Lipſ. Henrici X. jun. Rutheni Domini à Plaviâ.* & al.

Obiit A.C. 1642.

BARTHOLDUS KRAKEWITZIUS.

Edit hunc Virum orbi & Eccleſiæ nobilis in Inſulâ *Rugiæ Wittoviâ Krakewiziorum* Familia A.C. 1582. *Nobilis ortu.* Patrem habuit nobilem & ſtrenuum *Victorem Krakewitz*, Feudatarium in *Præſentz*, Matrem nobilem fœminam *Catharinam de Oſten*.

Pueritiam ejus Parentes rudimentis pietatis & Catechiſmo imbuerunt, additis privatis Præceptoribus, qui ipſum cum fratribus fundamenta Latinæ & Græcæ Linguæ docerent, in Claſſicis autoribus verum ſenſum aperirent, & ſententiarum ex illis delectu memoriam ſolidarent.

Diſcipulus in Gymnaſiis Magdeburg. Luneburg. & Stetin. His donis inſtructus in Gymnaſiis *Magdeburgi* & *Luneburgæ* florentes juventutis annos exornavit. Indè ad *Stetinenſe* Pædagogium, cui tunc M. *Chriſtoph. Stimmelius* moderabatur, profectus eſt. *Studioſus Theol. Gryphiswaldæ & Roſtochii.* *Gryphiſcam* hinc adiit Academiam, & ad ſtudium Theologicum rarâ noſtri ævi indole, animum adjecit. Poſitis hîc Theologiæ fundamentis *Roſtochium* abiit.

Opportunè A. C. 1605. ex utroque regimine Duces *Pomeraniæ Frantzburgi* cum primariis ſuæ Aulæ & Provinciæ Conſiliariis de gravibus rebus conſultaturi convenerant, inter quos conſultatio prima fuit de loco Generalis Superattendentis ab obitu Reverendi Dn. *Friderici Rungii* p. m. vacante rurſum explendo. *Deſignatus Generalis Superint. Pomeraniæ.* Cum modò hic modò alius præcipui nominis Theologus deſignaretur, ſolus hic *Krakewitzius*, cujus eloquentiam corâm Celſiſſimi Duces perceperant, dignus viſus fuit, qui ſpartam hanc honeſtaret.

Theol. ſtud. Wittebergæ. Quâ de cauſâ *Wittebergam*, ad acquirendam uberiorem in Theologiâ ſcientiam, liberali Principum ſtipendio ablegatus, Præceptores nactus eſt *D. Georg. Mylium, Leonhardum Hutterum, Wolfgangum Frantzium*, & *Frid. Balduinum*. Quo tempore etiam Evangelicam de Conjugio doctrinam contra Card. *Bellarminum* publico ſcripto aſſeruit. *Wittebergâ* diſcedens ſuperioris *Germaniæ* celebres Urbes & Academias perluſtravit.

Redux A. 1607. in Patriam â Celſiſſ. Duce *Pomeraniæ* Dom. *Philippo Julio*, Generalis anterioris *Pomeraniæ* & Principatûs *Rugiæ* Superattendens vocatus, & brevi pòſt *Wolgaſti* per Rever. Dom. D. *Georgium Fabrum*, Generalem Regiminis *Stetinenſis* Superattendentem inſtitutus eſt.

Theol. Doctor Roſtochii & Profeſſor. *Roſtochium* exindè repetens, ſummum Doctoris in Theologiâ Gradum â Facultate Theol. decenter petiit, abſolutisque examinibus, & habitâ ſub Præſidio Reverendi Viri *D. Eilhardi Lubini*, p. t. Decani, de *Poteſtate Papæ* inaugurali Diſputatione impetravit. In Univerſitate Rectoratum ter, Vice-Cancellarii & Decani munus aliquoties cum laude geſſit.

Illud ſtupendæ memoriæ indicium eſt, quod quotannis ſolenni Paraſceves die *Paſſionem Salvatoris JESU CHRISTI* per 4. horas è ſuggeſtu dilucidans auditoribus ſuis uſum & ſalutarem informationem imperierit.

Tandem ſenio confectus laborumque pertæſus, cum A. 1637. aditus in *Pomeraniam* ab exercitu Cæſareo occuparetur, & ipſe in Inſulâ *Rugiâ* diſcrimen aliquod formidaret, *Stralſundium*, quò ipſi propior eſſet, conceſſit, ſpeculaturus quem exorti motûs finem habituri eſſent. *Senex Stralſundium conceſſit.* Interim in *Rugiâ* prædium ſenectutis refugium ſuâ pecuniâ coëmit, Trigge vocatum, in quo morbo per menſes aliquot exhauſtus placidè obdormivit 7. Nov. A. C. 1642. ætatis 61. *Moritur.*

Gryphiswaldæ 21. Nov. ſepulto Concionem funebrem habuit *D. Philippus Henricus Friedlieb* ex *Apocal. cap. II.*

Scripta

Scripta ab eo relicta & edita ſunt ſequentia:

Scripta. *Tractatio Theologica de Conjugio, contra Rob. Bellarminum & Franc. Coſterum*, in 8vo.

Commentarii in Prophetas Hoſeam & Jonam, in 8vo.

Illecebræ Sacramentariæ, ſive Demonſtratio mediorum, per quæ doctrina Calviniſtica paſſim hodie propagatur, & Magnatibus inſinuatur, in 4to.

Diſquiſitio, Theologicæ de Cœnâ DOMINI Confeſſioni Reformatarum Eccleſiarum juſſu Sereniſſ. Electoris Brandeburgici publicatæ oppoſita, in 4to.

Oratio ſecularis de 4. inſignibus DEI beneficiis in Eccleſiam & Scholas ſuperiori ſeculo collatis, in 4to.

Oratio de Inſulæ Rugiæ præſtantiâ, in 4.

Confutatio Theologica, quâ Principibus Lutheranis Miniſterium Conſiliariorum Calviniſticorum ſuſpectum eſſe debere & fugiendum oſtenditur, in 4to.

Brevis & Chriſtiana Manuductio ad beatam ex hâc vitâ emigrationem, in 12mo.

Deß alten *Simeonis* Friedfahrt: in 4to.

Chriſtlicher Unterricht von der Perſon und Wolthaten deß neugebornen JEſuleins/ in 3. Predigten. in 4to.

Chriſtliche treuhertzige Warnung an alle und jede Gemeine in Pommern/ daß ſie ſich für Calviniſcher Lehr und Neuerung mit Fleiß vorſehen ſollen. in 12mo.

Teſtamentum Propheticum Jacobi, in 16. Predigten erkläret. in 8vo.

Chriſtliche Urſachen/ warum ein Lutheriſcher Chriſt ſich für Heyrathen mit den Sacramentirern wol vorzuſehen habe. in 4to.

Erklärung der Paſſion. in 4to.

Chriſtlicher und in GOttes Wort zuſtimmender Beichtſtul. in 8vo.

10. Urſachen/ warum die Lutheriſche Prediger in Pommern mit gutem Gewiſſen nicht verſtatten können/ daß Leute der Calviniſchen Religion im Leben zugethan/ mit denen in unſern Kirchen gebräuchlichen *ſolemnitäten* nach ihrem Tod bey ihnen begraben werden. in 4to.

Bedencken/ warum die Obrigkeit die Diener *CHRISTI* im Steuerausgeben überſehen ſolle. in 4to.

Diſputationes habuit: *De Perſonâ Verbi, de vero & religioſo cultu Adorationis, de univerſali Satisfactione CHRISTI pro omnibus omnium hominum Peccatis, de Reſurrectione mortuorum, de Poteſtate Papæ, de religioſâ Altarium demolitione, de Reſurrectione CHRISTI ex 4. Evangeliſtis, de præcipuis doctrinæ Chriſtianæ Capitibus, de præpoſterâ rituum Eccleſiaſticorum & Exorciſmi in ſpecie abrogatione, de Lege & Evangelio, de Sacræ Scripturæ authoritate, de Articulis Smalcaldicis à D. LUTHERO conſcriptis.*

* *Ex Programm. fun. Rectoris Gryphiswald. D. Franc. Stypmanni.*

PHILIPPUS PAREUS.

Obiit A. C. 1643.

DAvidis Parei & Magdalenæ Stibeliæ filius natus eſt 24. Maji A. C. 1576. ad caſtrum *Wormatienſis* Diœceſeos *Hemsbach*, in *Stratâ montanâ*, ubi parens Evangelii doctrinam primus annuntiavit.

Prima literarum elementa jecit *Neapoli Nemetum*, poſteà *Heidelbergæ* juventutis annos impendit Linguæ Latinæ, Græcæ, & ſtudiis Philoſophiæ, partim ſub inſtitutione Parentis Collegii *Sapientiæ* Præſidis, partim in Academiâ, auditor in Eloquentiâ quidem Latinâ & Poëſi *Lamberti Ludolphi Helmii, Pithopæi Daventrienſis*: in Græcis verò *Simonis Stenii, Lomacenſis Miſnici*, quorum inſtitutis tantiſper animum ſuum imbuit, quoad in utriusque Orationis Facultate par eſſet. *Studioſus Heidelbergæ Ling. Græcæ & Latinæ.*

Inſtructus ſic Linguar. ſtudiis, ad Philoſophiam & S. Theologiam animum adjecit, & Philoſophiæ Encyclopædiam hauſit â *Bartolom. Keckermanno*, in cujus contubernio triennium vixit, S. verò Theologiæ myſteria â Parente inprimis & *Daniele Toſſano* didicit, adeò quidem, ut eruditionis ſuæ ſpecimina publicè ederet in Diſputationibus, pro more Academiæ ſæpiùs defendendo Propoſitiones controverſas adverſùs varias hæreſes. *Philoſ. & Theol.* *Theologicas Diſput. defendit.*

Hoc modo ſolertiam ſuam Sereniſſ. Principi Nutritio ita approbavit, ut munifico ſumtu pro majori acquirendâ doctrinâ A. 1599. *Baſileam* miſſus fuerit, in quâ tres commoratus menſes, M. Mart. in ſolenni panegyri inter 3. Candidatos ipſe primus Magiſterii Philoſophici dignitate condecoratus eſt. Deindè totum ſe tradidit S. Theol. Profeſſoribus, *Jacobo Grynæo* & *Amando Polano*, quibus diſputando & legendo commendabilem ſe reddidit. Neque neglexit ad feliciores progreſſûs in Theologiâ faciendos addere cognitionem Linguæ Hebrææ, in quâ addiſcendâ uſus eſt Magiſtro *Johanne Buxtorfio*. *Philoſ. Magiſter Baſileæ.* *Linguam Hebr. à Joh. Buxtorfio didicit.*

Non multò pòſt ad *Allobrogum* conceſſit Academiam, ut *Theodorum Bezam*, cœterosque inibi Theologos celebres docentes audiret. *Genevæ* ſuprà annum ſubſtitit: indè ſalutatis prius Academiis *Friburgenſi, Tubingenſi* & *Argentinenſi*, domum revocatus regendis illuſtribus Gymnaſiis variis ad *Navam, Rhenum, Hartam*, & *Mœnum* præfectus eſt, in quâ curâ quantos Eccleſiæ & Reipubl. fructûs ediderit, non ſolùm auditores ipſius magno numero, ſed etiam monumenta ab eo edita loquuntur. *Genevæ Theol. Bezæ auditor* *Variorum Gymnaſiorum in Palatinatu Rector.*

Obiit tandem circa A. C. 1643. æt. 67. relicto filio *Daniele Pareo*. *Moritur.*

Edidit:

Scripta. *Catecheſin Religionis Chriſtianæ analyſi Logicâ explicatam.*

Epiſtolam D. Pauli ad Philemonem analyſi Log. & Commentario explicatam,

De

De DEO & verâ ejus agnitione Lib. III. adverſus Atheos, Arianos, Samoſatenianos, Photinianos, & Socinianos.

Theologiam Symbolicam de Sacramentis.

Lexicon Criticum, ſive Theſaurum Linguæ Lat. ex Juriſconſultis, Hiſtoricis, Antiquariis, Criticis, Orationibus, & Poëtis congeſtum.

Deſcriptionem vitæ & obitûs Davidis Paræi.

Orationem Panegyricam pro Muſis Hanovicis inſtaurandis.

Anti-Magirum, & Anti-Owenum, de ſeriis argumentis Theologico-Politicis.

Güldenes Kleinod / das iſt / gründlichen Bericht vom H. Abendmal.

Analyſin Epiſtolæ Pauli ad Romanos, ad Epheſios, & Apoſtoli Judæ.

Artis Logicæ Lib. II.

Lexicon Plautinum, & Symmachianum.

Orationem pro Aſſertione antiquæ Pronuntiationis Linguæ Græcæ.

Notas in Terentium, Plautum, Salluſtium, Symmachum, Ovidium, Statium, & Lucretium.

* *Ex Vitis Virorum Doctor. Jani Jacobi Boiſſardi.*

Obiit A.C. 1643.

JOHANNES STEUBERUS.

NAtus *Liſpergæ* 16. Jan. A. C. 1590. Parentem habuit cognominem, Paſtorem Eccleſiæ *Swikershuſanæ* & *Liſpergenſis*, Matrem *Barbaram*, Reverendi Viri Dom. *Matthæi Scævolæ*, Paſtoris in *Leidebeck* filiam.

Puer miſſus in Pædagogium primò *Marpurgenſe*, deindè *Gieſſenſe*, protinus admiranda edidit ſpecimina benigni & fœcundi ingenii, adeò ut omnibus condiſcipulis in Linguâ Græcâ dubiam fecerit palmam.

Philoſ. Magiſter Gieſſæ. A. ætatis 18. ſummum in Philoſophiâ gradum cum Philoſophicæ Facultatis applauſu obtinuit. Præpoſitus deindè informationi & inſpectioni filiorum nobilis Viri Dom. *D. ab Otterau*, Præfecti *Epſteinenſis*, *Nobil. juvenum Ephorus.* deindè nobilium juvenum â *Landſchaden*, non tantùm ſtudia ſua in Academiâ *Gieſſenſi* diligenter continuavit, ſed & in Academiam *Heidelbergenſem* ſe contulit, ubi celeberrimis illorum temporum Philoſophis & Philologis innotuit.

Latinè, Græcè, & Hebraicè diſputavit. *Gieſſam* indè reverſus, raro exemplo Latinè, Græcè & Hebraicè diſputando talem ſe præſtitit, ut res hæc non ſolùm Judæos, ſed & natione Græcos *Gieſſam* venientes, in ſtuporem dederit.

Raræ hæ dotes Patres Academiæ *Gieſſenſis* incitârunt, ut eum Juvenem adhuc Illuſtris Academiæ *Gieſſenſis* Patrono *Ludovico Fideli*, *Haſſiæ* Landgravio commendârint, â quo 1614. vocatus eſt *Gieſſæ Profeſſor Phyſicæ, & Linguæ Græcæ.* ad Profeſſionem Phyſicam paulò verò pôſt ſimul ei Profeſſio Græca concredita fuit.

A. 1616. Se matrimoniali nexu miſcuit Virgini *Eliſabethæ*, Dom. *Danielis Lunckeri*, Conſulis *Marpurgenſis* filiæ, ex quâ Pater factus eſt duorum filiorum & 4. filiarum: quarum unâ felici conjugio juncta eſt Viro Reverendo Dom. M. *Martino Erythropilo*, Aulæ *Butisbacenſis* Concionatori, & vicinarum Eccleſiarum Inſpectori. *Conjugium ejus & Liberi.*

A. 1620. Ad Profeſſionem Theologicam legitimè vocatus, & A. 1623. è manibus *D. Joh. Winckelmanni* coronam Doctoralem accepit. A. 1624. Reformationi Eccleſiarum *Smalcaldenſium* & *Marpurgenſium* aliisque ſolennibus per *Haſſiam* inſtitutis viſitationibus Eccleſiaſticis admotus, prudentiam ſuam in adornandâ Politiâ Eccleſiaſticâ probavit. *Theol. Doctor & Profeſſor.*

Eodem anno ei concredita eſt cura Bibliothecæ Academiæ. Cum laude quoque ſuſtinuit alia officia Academiæ. Nam munus promovendi Doctores in Facultate Theologicâ bis obivit. Officium Decanatus Philoſophici bis, Theologici quinquies, & Rectoratûs ſemel ſuſtinuit. *Bibliothecarius.*

Obiit tandem, eique Concio funebris habita eſt â *Menone Hannekenio*, Theol. Doct. & Prof. M. Febr. A. C. 1643. cum vixiſſet annos 53. *Moritur.*

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia: *Scripta.*

Grammatica Græca, in 8vo.

Phyſica generalis, cum doctrinâ de Animâ, in 4to.

De Animâ ſenſitivâ, in 4to.

Diſſertationes Theologicæ de Controverſiis inter Lutheranos & Calvinianos motis, in 4to.

Conſcientia boni & mali, in 4to.

Bericht vom Abendmal. in 12mo.

Widerlegung deß Buchs *Peſelii*, von der *Ubiquität*. in 12mo.

Theologia moralis, Tractatus de Conſcientiâ rectâ, erroneâ, & probabili, in 4to.

Chriſtliche Sterb-Kunſt/ in 10. Leichpredigten. in 4to.

Wahres GOTT wolgefälliges Chriſtenthum. in 8vo.

S. Eliſabethæ, Königs in Ungarn Tochter/ Landgräfin in Thüringen und Heſſen/ Leben/ Handel und Wandel beſchrieben. in 8vo.

Diſputationes habuit: De Electione filiorum DEI ad vitam æternam pro Gradu Doctorali: de Conjugio Prophetæ Hoſeæ: de Efficaciâ Verbi Divini, contra Weigelium ejusque complices: de Eccleſiâ: de Judice Controverſiarum: de Voce ELOHIM: *de S.S. TRINITATE: de Idololatriâ.*

* *Ex Programm. fun. Joh. Baltaſ. Schuppii, Pro-Rectoris in Academiâ Marpurg.*

SIMON EPISCOPIUS.

Obiit A.C. 1643.

LUcem conſpexit *Amſteldami* anno â CHRISTO Servatore milleſimo quingenteſimo octuageſimo tertio. Parentes habuit *Egbertum Romberti Epiſcopium* & *Gertruidem Johannis*, inculpatis utrumque moribus & Reformatæ Religioni, quam illis temporibus & loco profiteri *Parentes.*

fiteri valde periculoſum erat, addictiſſimos. Conjugali fœdere juncti fuerunt A. 1572. decemque unà liberos procreaverunt, qui omnes, excepto *Johanne* atque *Simone*, in puerili aut juvenili ætate fatis conceſſerunt.

Literis operam dat.

Simon hic filiorum penultimus, cum ſtatim à teneris unguiculis non obſcura felicis ingenii & memoriæ tenacis indicia daret, parentes, quamvis pro liberorum numero non ita amplas haberent facultates, ut ſuſtinendis ſtudiorum ſumtibus pares eſſent, nihilominùs inſtigante *Remberto* fratre; & privatim ſubſidium ultrò offerente *D. Cornelio Benninge*, Viro Conſulari, literis ipſum conſecrare animum induxerunt. Miſſus itaque quamprimùm ſub diſciplinam *Petri Vekemanni*, Rectoris Scholæ, tantos brevi temporis ſpatio progreſſus in Linguâ Latinâ & Græcâ fecit, ut à variis magni nominis Viris Ampliſſimo Senatui Reip. *Amſteldamenſis* commendatus fuerit; qui eum, (reluctantibus licet in principio parentibus, ſed tandem conſilio & hortatui *D. Joh. Kuchlini* & *D. Jacobi Arminii* cedentibus,) in ſuorum alumnorum numerum aſſumſit, & ſingulari dein benevolentiâ proſecutus eſt.

Lugdunum Batavorum abit.

Emenſo in urbe patriâ puerilium ſtudiorum curriculo, à Curatoribus Scholæ A. 1600. ſolemni ſententiâ dignus renunciatus eſt, qui in Academiam ad altiora ſtudia capeſſenda promoveretur. *Lugdunum* itaque *Batavorum* in Collegium illuſtrium Ordinum *Hollandiæ* & *Weſtfriſiæ* ablegatus eſt, cui præerat doctiſſimus Vir *Johannes Kuchlinus*, parentibus ejus, quo tempore apud *Amſteldamenſes* Miniſterio Eccleſiaſtico fungebatur, arctâ neceſſitudine junctus.

Philoſophiam colit.

Non diu ibi fuerat *Simon* noſter, cum dilectiſſimos parentes amiſit; primò patrem, quem DEUS ex hâc mortali vitâ ad ſe A. 1602. evocavit, deindè matrem ſequenti. Sed triſti hoc caſu in ſtudiorum curſu non tardatus nec impeditus, poſtquàm literis humanioribus, quantum neceſſe erat, ſedulò operam dediſſet, Philoſophiæ ſacris attentiùs operari, & penitiùs arcana ejus rimari conſtituit, atque iſti ſtudio per triennium magna cum diligentiâ incubuit.

Dein Theologiam.

Poſteà verò etiam cum Theologiæ, quæ aliorum ſtudiorum ſcopus erat, animum adjunxiſſet, eique jam non oſcitanter invigilaret, ſubindè ad eadem Philoſophiæ adyta recurrebat. Tandemque partim legibus & ſtatutis Collegii, in quo vivebat, partim rebus ipſius privatis ita poſtulantibus, Magiſterii titulum in Academiâ ambiit, quo poſt acre examen dignus judicatus, & à celeberrimo Matheſeos Profeſſore *D. Rodolpho Snellio* anno CIƆ IƆ CVI. publicè inſignitus eſt.

Magiſter creatur.

Quia verò Theologiæ, in quâ jam non parum profecerat, ſe conſecratum eſſe ſciebat, totum illi uni ſeſe deinceps dedere apud animum propoſuit, cumque voto & deſiderio exteras Academias inviſendi, quo admodum tenebatur, potiri non poſſet, biennium & ultrà *Leydæ* ſubſiſtere coactus eſt; ibique intereà doctiſſimorum Profeſſorum *Franciſci Gomari*, *Lucæ Trelcatii* & *Jacobi Arminii* Lectiones aſſiduus audiit, & in Diſputationibus atque Concionibus exercitatoriis, quas propoſitiones vulgò vocant, tam diligentem & induſtrium ſe exhibuit, ut qui ad Verbi Miniſterium vocaretur, dignus cenſeretur.

Præceptores Epiſcopii.

Sed cum deindè præcipuè à *D. Trelcatii* obitu infauſtum illud, quod poſteà totam *Hollandiam* concuſſit, de Prædeſtinatione diſſidium inter reliquos duos Profeſſores non tantùm occultè gliſceret, verùm etiam tandem in apertum erumperet, & *Epiſcopius Arminii* ſententiæ addictiorem ſe oſtenderet, ea cauſa fuit, ut Paſtores, qui ab altera parte ſtabant, minus ſibi faventes experiretur; adeò ut cum Ampliſſimi civitatis *Amſteldamenſis* Conſules, quibus ſingularis ejus eruditio & morum integritas perſpecta erat, ipſum ad Concionatoris munus promotum vellent, illi contrà moras necterent, & ſuis artibus conſilia illorum illuderent.

Paſtores minus ſibi faventes experitur.

Cujus rei pertæſus *Epiſcopius* de relinquendâ Academiâ *Leydenſi* cogitavit, & anno 1609. quo *D. Arminius* obdormivit, *Franeckeram Friſiorum* Academiam ſe contulit, excitatus inprimis fama Clariſſimi Viri & ſacræ Linguæ peritiſſimi Profeſſoris *Johannis Druſii*. Sed ibi quoque cum in Diſputationibus Theologicis, ut prompti ingenii juvenes ſolent, fervidior eſſet, non parum infenſum habuit *Sibrandum Lubbertum*, Academiæ illius Profeſſorem.

Franeckeram ſe confert.

Fervor ingenii odium Epiſcopio parit.

Itaque paucis pòſt indè menſibus exceſſit, & in *Galliam* profectus eſt, ubi intra breve temporis ſpatium tantam ſibi Linguæ *Gallicæ* notitiam comparavit, ut eam non ſolùm intelligeret, ſed etiam expeditè & purè loqueretur.

In Galliam proficiſcitur.

Exindè A. 1610. in patriam reverſus, eundem, quem anteà, Miniſtrorum Eccleſiaſticorum *Amſteldamenſium* erga ſe ſenſit animum. Sed illius virtus & eruditio, quæ ampliùs latere non poterant, obſtacula tandem omnia perruperunt, adeò, ut ab ampliſſimo Senatu *Rotterdamenſi* ad munus Paſtorale *Bleyswicum* ditionis ipſorum pagum vocatus fuerit. Ubi Colloquio inter ſenos Paſtores *Remonſtrantes* & totidem *Contra-Remonſtrantes*, in conſeſſu illuſtrium *Hollandiæ* & *Weſtfriſiæ* Ordinum anno 1611. *Hagæ Comitis* inſtituto, adhibitus eſt, & illic ingenium, & non vulgarem in ſacris literis & Controverſiis Theologicis peritiam omnibus conſpiciendam præbuit.

Amſteldamum redit.

Paſtor Bleyswycenſis.

Indè ipſius famâ longè latèque per *Belgium* diſperſâ, à non unâ celebri civitate, *Ultrajecto* præcipuè, ad Eccleſiaſticam functionem apud ſe obeundam ſollicitatus eſt.

Digitized by Google

Sed cum *Bleyſwycenſes* nullâ ratione induci poſſent, ut in ejus dimiſſionem conſentirent, ſpartam hanc aliquantisper adhuc ornavit.

Theologiæ Profeſſor. Tandem anno 1612. â Nobiliſsimis Academiæ *Leydenſis* Curatoribus in locum *Franciſci Gomari*, qui ultrò ſtationem illam deſeruerat, ad Profeſſionem Theologicam vocatus eſt, in quo munere unà cum *D. Polyandro* Collegâ diverſum licet ab ipſo in controverſiâ Prædeſtinationis ſentiente amicè & placidè verſatus eſt.

Studia & labores Epiſcopii. Quantâ fide verò & diligentiâ ſuſceptam hancce Profeſſionem Theologicam obierit, teſtantur accuratiſsimi ejus *Commentarii in 2. & 3. cap. Apocal. in 1. Epiſt. Johannis*, in Evangelium *Matthæi* & alia tunc temporis ab ipſo compoſita, præter Diſputationes Theol. tum publicas tum privatas.

Cumque tunc maximè controverſia illa Prædeſtinaria in *Belgio* ferveret, & ab Academiæ cathedris in Eccleſiarum primùm ambones, & poſteà in vulgus dimanâſſet, maximi tempeſtatum fluctus celeberrimos quosque doctrina inter *Remonſtrantes* feriebant, quibus veri ignara plebs omnem turbarum culpam imputabat.

Odium variorum erga Epiſcopium. Unum hoc ſufficiat, quod ipſi altero Profeſſionis ſuæ anno contigit: Cum *Leydâ Amſteldamum* ſe contuliſſet *Epiſcopius*, ut tanquàm teſtis in Baptiſmo *Gertrudæ* fratris ſui *Johannis* filiæ compareret, & Miniſter *Caſparus Heydanus* ipſum cum cœteris teſtibus interrogâſſet: *An non confiterentur doctrinam in veteri & novo Teſtamento atque in Symbolo Apoſtolico contentam, ſimulque id quod in illâ (Amſteldamenſi* videlicèt,) *Eccleſiâ docebatur, veram & perfectam eſſe ſalutis doctrinam*; additis inſuper his verbis, *quid vos ad hoc dicitis? Epiſcopius* inter illos præcipuus reſpondit: *Se pro verâ & ſalutari doctrinâ habere id omne, quod ſecundum DEI Verbum & Symbolum Apoſtolicum ibi docebatur, prout uſitatæ formulæ, ex quâ interrogatio fieri conſuevit, verba haberent.*

Calamitates ejusdem. Quod reſponſum, modeſtum licet, ita *Heydano* bilem movit, ut *Juvenem* per contemtum vocans, exprobraret, ipſum valdè audacem & præſumptuoſum eſſe, qui ita in CHRISTI Eccleſiâ loqui non vereretur.

Ad quæ iterum *Epiſcopius*, *ſe abire paratum eſſe, ſi Concionatores nollent admittere limitationem illam in formâ baptiſmi comprehenſam, ubi poſt Veteris & novi Teſtamenti Symbolique Apoſtolici mentionem factam, hæc verba adjiciuntur, & conſequenter in Eccleſiâ CHRISTI docetur.*

Sed *Heydanus* exprobratâ ipſi ſecundò audaciâ, & *Epiſcopio* nihil ampliùs reſpondente, infantem tandem illum baptizavit. Quo facto cum domum *Epiſcopius* recipere ſe vellet, â quibusdam ex fæce vulgi, qui *Heydani* ſermone in ipſum concitati fuerant, ſeditioſus atque Eccleſiæ perturbator appellatus fuit, & poſtquàm è templo exiiſſet, parum abfuit, quin pugnis contunderetur, aut lapidibus violaretur.

Nec multò pòſt in eâdem urbe accidit, ut faber quidam ferrarius fortè ipſum antè officinam ſuam prætereuntem conſpicatus, arrepto vecte ferreo, quem ſupra incudem fingebat, *Arminianum* & Eccleſiæ perturbatorem vocans, quaſi mactaturus inſequeretur. Similia *Epiſcopio* tum temporis obtigerunt plurima.

Tandem in Synodo *Dordracenâ*, ad quam *Epiſcopius* Illuſtrium *Hollandiæ* Ordinum literis invitatus, ut cum reliquis fœderati *Belgii* Profeſſoribus ibi ſederet, unà cum aliis Concionatoribus *Remonſtrantibus* ſtatim ab initio ſe contulit, nec ipſe nec alius ex *Remonſtrantibus*, niſi ut citatus, cœtui intereſſe permiſſus eſt, ſed ipſi, ne cauſæ deeſſe viderentur, neceſſitati cedentes in Synodum magno & intrepido animo ſunt ingreſſi, ibique eximiam illam, quæ in actis legitur, Orationem *Epiſcopius* recitavit. *Dordracum ad Synodum abit.* *Non auditur.*

Quo facto cum ſe ad collationem cum Synodo inſtituendam paratos eſſe dicerent, illa verò Præſidis ſui ore reſpondiſſet, ſe non ad conferendum, quod inter pares fieri ſolet, ſed ad judicandum conveniſſe, Remonſtrantes, præmiſſâ proteſtatione, ſe Synodum illam, utpotè maximam partem ex adverſariis conſtantem, qui ſe jam antè damnaſſent, pro legitimo controverſiarum judice agnoſcere non poſſe, ſe ad ſententiam liberè proponendam & defendendam accingebant; â Synodo verò ejecti, juſſu deputatorum Ordinum, ad ſententiæ ſuæ defenſionem Scripta illa, quorum potiſsima pars *Epiſcopio* debetur, concinnant, quæ unà cum actis Synodalibus aliquantò pòſt lucem viderunt. *Scriptis cauſam defendit.*

Tandem pronunciatum eſt judicium Synodicum, quo *Remonſtrantes* tanquàm corruptæ Religionis rei damnantur, & muneribus exauctorantur. Quod ut executioni mandaretur, alii Paſtores in ipſorum locum, quantumvis invitis & reclamantibus Eccleſiis, ſuffecti ſunt, & armatâ manu nonnullis in locis introducti. Et ne deinceps *Remonſtrantes* ſuæ ſententiæ addictos privatim docere pergerent, Ordines generales quendam ipſis actum proponunt, quo polliceantur, ſe impoſterum ab omni etiam privatâ Miniſterii ſui functione abſtenturos; cui cum per conſcientiam ſubſcribere non poſſent, ad perpetuum exilium damnati ſint. *Remonſtrantes damnantur.* *In exilium abducitur.*

Nec mora per Apparitores Ordinum in curribus ad id paratis extra *Fœderati Belgii* limites abducti ſunt, adeò, ut poſt octo menſium *Dordraci* detentionem, quo ſe ad liberam Synodum vocatos putabant, ne dies quidem unus ad familiis ſuis valedicendum, & res domeſticas componendum, ipſis petentibus, conceſſus fuerit.

Epiſco-

Digitized by Google

Antwerpiam ſecedit. *Epiſcopius* ergò & reliqui in vicinam *Brabantiam* ſe conferunt, & *Antverpiæ* durantibus inter *Hiſpaniarum* Regem & Ordines induciis domicilium eligunt, non ut cum hoſtibus conſilia agitarent, aut adverſùs Religionem *Reformatam* quicquam molirentur, quemadmodum malevoli quidam miſeriæ, illorum inſultantes dictitabant, ſed quia propinquus erat ille locus, & ex quo Eccleſiis ſuis dilectis & familiis commodiùs proſpicere poterant.

Quid illic *Epiſcopius* noſter egerit, teſtantur abundè ejus cum *Petro Wadingo*, Jeſuitâ *Antwerpienſi*, Diſputationes, & Antidotum adverſùs Synodi *Dordracenæ* Canones, prætereà Confeſſio fidei, quam unà cum cœteris Paſtoribus *Remonſtrantibus* adornavit, ad os iis obſtruendum, qui *Remonſtrantes* portentoſa dogmata, quæ divulgare non auderent, in ſinu fovere calumniabantur.

Redintegrato bello, cum *Epiſcopius* in *Brabantiâ* ſecurè ampliùs verſari non poſſet, in *Galliam* migravit, & modò *Rothomagi*, modò *Lutetiæ* habitavit, ubi ſcripſit *Paraphraſin & Obſervationes in 8. 9. 10. & 11. Caput Epiſtolæ ad Romanos, Bodecherum ineptientem, Examen Theſium Jacobi Capelli, Tractatum de Magiſtratu Chriſtiano, de Libero arbitrio Reſponſionem ad Joh. Cameronis defenſionem*, & alia. *Galliam viſitat.*

Ibi etiam cum *Stephano Curcelleo*, & *Edmundo Mercero*, Eximio Mathematico, amicitiam iniit, quam nulla poſteà locorum & temporum diſtantia diremit.

Tandem *Epiſcopius*, *Galliæ* penitiùs cognoſcendæ cupidus, *Lutetiâ* profectus, *Lugdunum* abiit, indè *Maſſiliam*, *Nemauſum*, *Montempeſſulanum*, *Tholoſam* inviſit; Poſteà *Burdegalam*, *Rupellam*, *Pictavium*, *Andegavum*, *Salmurium*, *Turonum*, *Cæſarodunum*, *Aureliam* contendit, undè *Lutetiam* & *Rothomagum* remeavit, ubi cum perſecutionum contra *Remonſtrantes* æſtum nonnihil in patriâ deſerbuiſſe audiviſſet, relictâ *Galliâ* anno 1626. *Roterodamum* ſe contulit, ut Eccleſiæ *Remonſtrantium* numeroſiſſimæ operam navaret, Latinè ibi edidit *Apologiam Confeſſionis Remonſtrantium*, *Reſponſionem ad ſpecimen Profeſſorum Leydenſium*, *Vedelium Rhapſodum*. Belgicè, *Tractatum de verâ Antiquitate adverſus Pontificios*, *Tres in Jacobum Triglandium ſeparatos libros*, aliaque plura. *Rotterdamum redit.* *Labores Epiſcopii.*

Ibi cum alterum jam annum ageret, & aliqua tranquillioris in poſterum tempeſtatis ſpes affulgeret, de adjungendâ ſibi vitæ ſociâ cœpit cogitare, & occaſione oblatâ, lectiſſimam fœminam *Mariam Peſſer*, viduam *D. Henrici Nicelii*, Concionatoris *Rotterdamenſis*, in uxorem duxit, cum quâ ſummâ cum concordiâ ad finem usque A. 1641. vixit ſine prole. *Nubit.*

Ambſteldamum migrat. Anno 1634. *Amſteldamum* migravit, ut *Remonſtrantium* ſeminario præeſſet, & juvenes, qui in ſpem Eccleſiæ aluntur, in Theologiâ inſtitueret, hinc Inſtitutiones ipſius Theologicæ & Reſponſio ad 64. quæſtiones ipſi à diſcipulis propoſitas, præter Conciones, item verum Theologum *Remonſtrantem*, & reſponſionem ad X. dilemmata cujusdam Pontificii Doctoris, & alia. *Ejusdem labores.*

Sed cum in tot gravium operum telâ pertexendâ occupatus eſſet, & quædam negotia ipſum *Rotterdamum* ire compuliſſent, in graviſſimum ibi morbum A. 1639. incidit, qui eum aliquot menſes lecto affixum tenuit, adeò, ut de vitâ ejus exigua ſpes ſupereſſet.

Tandem tamen cum DEUS vitæ reſtituit, ut ad ſuos *Amſteldamum* redux, non ſegniùs quàm anteà vocationi ſuæ incumberet.

Anno 1643. ætatis verò 60. in morbum lethalem eundem, quo & conjux obierat, incidit, Iſchuriam ſcil. eamque tam pertinacem, ut 11. dierum ſpatio ne guttulam quidem urinæ reddere potuerit. Undè cum ultra duos menſes decubuiſſet, aliquotque ante ſupremum diem ſeptimanis oculos amiſiſſet, ſermones prætereà alios non habuiſſet, quàm pietatem & fiduciam erga CHRISTUM ſpirantes, 4. Aprilis die, quâ Luna Soli oppoſita Eccliſin patiebatur, placidè in DOMINO obdormivit. *Et morbus.* *Moritur.*

Caſpar Cunradus, Med. in Proſop. Mel. Millenar. III. hoc in ejus honorem ſcribit diſtichon:

Candida ſimplicitas, Veri ſtudiumque Boniqùe
Perpes apud Belgas mî peperère decus.

Scripſit: *Scripta.*

Inſtitutiones Theologicas in 4. libros diſtinctas.

Conciones duas de Cauſis incredulitatis Judæorum.

Reſponſionem ad Quæſtiones Theologicas ſexaginta quatuor.

Tractatum brevem, in quo expenditur, an homini Chriſtiano liceat gerere Magiſtratum?

Reſponſionem ad duas Petri Wadingi, Jeſuitæ, Epiſtolas, unam de Regulâ fidei, alteram de Cultu imaginum.

Labyrinthum ſive Circulum Pontificium.

Reſponſionem ad dilemmata decem Pontificii alicujus Doctoris.

Examen Theſium Jacobi Capelli de Controverſiis, quæ Fœderatum Belgium vexant; Et ſatiùsne fuerit doctrinam Arminii tolerari, quàm damnari.

Tractatum brevem de Libero Arbitrio.

Examen ſententiæ Johannis Cameronis de Gratiâ DEI & libero hominis arbitrio.

Reſponſionem ad Defenſionem Joh. Cameronis, quam oppoſuit ſententiæ ſuæ Examini.

Judicium de Controverſiâ, quodnam ſit ordinarium converſionis medium, verbum ne externum, an verò internum?

Reſponſionem ad duas Epiſtolas Johannis Beverovicii, de vitæ termino, fatalis ne id ſit, an mobilis?

Paraphraſin & Obſervationes in Cap. 8. 9. 10. & 11. Epiſt. S. Pauli ad Romanos.

Ttt 2 *Notas*

Digitized by Google

Notas breves in 24. priora Capita Matthæi.

Oratiunculam Epiſcopii, cum ad Synodum Dordracenam avocatus diſcederet.

Lectiones Sacras in I. Epiſtolam Johannis Catholicam.

Lectiones ſacras in 2. & 8. Caput Apocalypſeos.

Orationem, an Philoſophiæ ſtudium neceſſarium ſit Theologiæ Candidato?

Orationem de optimâ Regni CHRISTI exſtructione.

Præfationem in Explicationem I. Epiſtolæ Catholicæ Johannis.

Præfationem in N. T. brevem Interpretationem, de Lectione Scripturæ.

Orationem habitam ab Epiſcopio in Synodo Nationali Dordracenâ.

Synodi Dordracenæ in Remonſtrantes crudelem iniquitatem.

Antidotum, ſeu genuinam Declarationem ſententiæ Synodi Dordracenæ.

Bodecherum ineptientem, ſeu *Defenſionem Confeſſionis Rem. à Socinianiſmo.*

Diſputationem A. Walæi de quatuor Controverſis Remonſtrantium articulis, nec non ejus Examen.

Confeſſionem ſive *Declarationem fidei Remonſtrantium.*

Apologiam pro Confeſſione Remonſtr. contra Cenſuram 4. Profeſſorum Leydenſium.

Reſponſionem ad ſpecimen calumniarum ex Remonſtr. Apologiâ excerptarum.

Vedelium Rhapſodum, ſeu *vindicias doctrinæ Remonſtr.*

Tripartitas Diſputationes Theologicas.

Optimam fidem Feſti Hommii in citatione Theſium Epiſcopii.

D. Brenii Examen Tractatûs Epiſcopii de Magiſtratu, cum Reſponſione Epiſcopii.

Verum Theologum Remonſtrantem falſo ac ſpurio oppoſitum.

* *Ex Vitâ Simonis Epiſcopii operibus ejus præfixâ, à Stephano verò Curcellæo deſcriptâ.*

NICOLAUS HUNNIUS.

Obiit A.C. 1643.

Theologi celebris filius.

NAtus *Martiſpurgi Haſſorum* A.C. 1585. Patrem habuit *Ægidium Hunnium*, Theologum incomparabilem, matrem *Eleonoram*, Dom. *Johannis Felderini*, arcis *Schonbarcenſis*, in Ducatu *Würtenbergico* Præfecti, filiam, quæ cum totos 8. dies in partûs doloribus hæſiſſet, filium, quem enixura eſſet, DEO conſecravit.

In utero matris DEO conſecratus.

Dominus Pater, cum A. 1592. prægreſſâ vocatione legitimâ ſe cum totâ familiâ *Wittebergam* conferret, ut amplam illam Profeſſionis, Superintendentiæ & Paſtoratûs provinciam aggrederetur, mox voti ſui conjugisque recordatus, omnem lapidem movit, ut filium hunc ſuum DEO redonaret. Et primùm ei præfecit *Johannem Schröterum*, eoque ad Paſtoratum *Noribergam* evocato, *Johannem Meelfürerum*, qui ad Abbatiam poſtmodùm Monaſterii Evangelici *Heilsbronnenſis* evectus eſt. Atque hoc iterum diſcedente privatâ Dom. Pater utebatur operâ M. *Chriſtophori Jordani*, qui ad *Bricenſem* tandem in Electoratu *Brandenburgico* vocatus eſt Superintendentiam.

Trium Theologor. diſcipulus.

Ab his privatis & præclaris Magiſtris tam laudabiles in Latinâ, Græcâ & Hebræâ Linguis, nec non artibus humanioribus fecit progreſſus, ut circa annum ſæcularem 1600. dignus cenſeretur, cui fores & Acroateria publicarum Lectionum pateſcerent. Tunc principiis Philoſophiæ rectè cognoſcendis totum ſe mancipavit.

Studioſus Philoſophiæ.

A. 1601. Ætatis 17. Dom. Parenti ſpem, quam de ſe concipere deberet, oſtendere aggreſſus, fratri *Helfrico Ulrico*, juveni felicis ingenii, publicam *de Naturâ* Diſputationem propugnanti animoſè ſe oppoſuit.

Eodem tempore ad Theologiæ Sacra progreſſus, publicas Profeſſorum Lectiones frequentare incepit, & quotidiana ipſi conſuetudo cum *Salom. Geſnero*, *Davide Rungio*, & *Wolfg. Franzio* interceſſit.

Theologiæ Studioſus.

Cumque circa idem tempus *Ratisbonæ* Colloquium de Religione fuiſſet inſtitutum, Dom. Patrem ad illud ab Electore *Sax.* delegatum comitatus eſt.

Cum Dom. Parente ad Colloquium Theol. Ratisbonam profectus.

A. 1604. Magiſter artium *Wittenbergæ* creatus, mox de diverſis Philoſophiæ partibus Collegium aperuit, ſuamque tunc temporis Philoſophiam profitentibus induſtriam tàm abundè probavit, ut eum in Ordinem Adjunctorum recipere non dubitârint.

Magiſter & Adjunctus Philoſophiæ.

A. 1612. Cùm paulò antè à *D. Georgio Weinrichio* in Ordinem Miniſtrorum Eccleſiæ fuiſſet cooptatus, Superintendens *Eulenburgenſis* ab eodem ſolenniter fuit inauguratus, & brevi pòſt Theol. Doctor renuntiatus.

Superintendens & Theol. Doctor.

Eâdem die matrimonio junctus eſt cum Excell. Dom. *D. Erneſti Hettenbachii*, Med. Profeſſoris & Senioris filiâ virgine, ex quâ 3. filios ac 5. filias ſuſcepit. Ex filiis natu maximus *Ægidius Erneſtus*, S. Theol. Studioſus *Regiomonti* morbo lethali ſuperatus exſpiravit. Alter *Nicolaus* infans obiit. Tertius in utero matris extinctus eſt, antequàm lucis uſurâ frueretur.

Conjugium ejus & liberi.

A. 1616. *Wittenbergæ* ad S. Theologiæ Profeſſionem publicam vocatus, *D. Leonharto Huttero* ſucceſſit.

S. Theol. Profeſſor.

A. 1623. *Lubecam*, prægreſſâ legitimâ vocatione, cum totâ familiâ profectus, & Templi *Mariani* Paſtor conſtitutus eſt, nec multò pòſt Eccleſiarum Scholarumque *Lubecenſium* inſpectio eidem demandata fuit.

Superintendens Lubecenſis.

Ob nimias tandem lucubrationes, & indefeſſum ſcribendi ſtudium, cui totas ſæpè noctes tribuebat, morbo lethali correptus, & urinæ ſuppreſſione per novendium afflictus, accedentibus aliis etiam ſymptomatibus, ſomno quaſi profundo per aliquot horas oppreſſus, placidè in CHRISTO Servatore ſuo obdormivit A. C. 1643. ætatis 58. Anni unius ſpatio fratris *Ægidii Hunnii* Eccleſiarum *Altenburgenſium* Superintendentis obitum ſecutus.

Moritur.

EPITA-

Digitized by Google

EPITAPHIUM.

Epitaphium. MEMORIÆ D. NICOLAI HUNNII, THEOLOGI INCOMPARABILIS, ECCLESIÆ LUBECENSIS PER XX. ANNOS SUPERINTENDENTIS MERITISSIMI, ANNO CHRISTI M D LXXXV. NATI, ANNO M DC XLIII. XII. APRIL. DENATI ANNO ÆTATIS LVIII.

HÆREDES POSUERUNT.

Undè ſibi Pietas Pietatem ſumere, Candor
Candorem, Sophien viſa eſt ſapientia poſſe;
Præſule quo ſacro per bis duo luſtra Lubeca,
Et Scriptis totum formante ſuperbiit orbem,
Par magno Patri ſoboles, heic conditur urnâ,
Tali NICOLEOS erat HUNNIUS ore videndus.

Scripta ab eo relicta & edita ſunt ſequentia:

Scripta. *Miniſterii Lutherani Divini adeòque legitimi demonſtratio*, in 8vo.

Capiſtrum Hunnio paratum Henrico Lancellotto injectum, in 8vo.

Canones Logici primam mentis operationem dirigentes, ad diſputandum propoſiti, in 8vo.

Controverſia de Univerſalitate meriti CHRISTI Eccleſiæ ob oculos poſita, in 8vo.

Examen errorum Photinianorum ex Verbo DEI inſtitutum, in 4to.

Diſquiſitio Theologica de fundamentali diſſenſu Doctrinæ Lutheranæ & Reformatæ, in 8.

Depulſio duarum accuſationum de Papâ Antichriſto, in 12mo.

Eccleſia Romana non eſt Chriſtiana, quia DEUM veneratur cultu à vero Chriſtianiſmo alieno, in 12mo.

Innocentia Lutheranorum in puncto injuriarum, contra J.C. Dillingenſium Pacis compoſitionem, & Tanneri Antichriſtum proſcriptum, in 8vo.

Pellis ovina Romanæ Eccleſiæ detracta, in 8.

XI. Jubel-Predigten. in 4to.

Chriſtliche Betrachtung des neuen *Paracelſiſchen* und Weigelianiſchen *Theologi*, in 8vo.

Epitome Credendorum, oder Kurtzer Innhalt Chriſtlicher Lehr. in 8vo.

Offenbarer Beweis / daß D. Martin Luther zu deß Pabſts *Reformation* rechtmäſſig von GOTT ſey beruffen worden. in 8vo.

Anweiſung zum rechten Chriſtenthum. in 8vo.

Conſultatio, oder Berathſchlagung / ob und wie man die in der Lutheriſchen Kirch ſchwebende Religions-Strittigkeit friedlich beylegen / oder fortſtellen und endigen möge. in 8vo.

Chriſtliches *Examen* alles Ruhms und Scheinheiligkeit / damit die Röm. Kirch pranget. in 8vo.

Diſputationes: De Ortu animæ rationalis: de DEO Trino & Uno: de Converſione hominis ad DEUM: de Signis veri falſique Eccleſiæ Doctoris: de animæ hum. ſtatu poſt mortem: de Pontifice Romano, Eccleſiæ ſeductore: Principia Theologiæ fanaticæ, quam Theophraſtus Paracelſus genuit, Weigelius interpolavit.

Diſputationes Anti-Photinianæ, de primo hominis ſtatu ante lapſum, de Lapſu primi hominis, & de Peccato originali, in 4to.

Apoſtaſia Romanæ Eccleſiæ ab antiquâ Apoſtolicâ puritate fidei, in 8vo.

Exercitationes Ethicæ, in 8vo.

Harmonia Evangeliorum Dominical. cum Hiſtoriâ vet. Teſtamenti, in 8vo.

Ausführlicher Bericht von der neuen Propheten Religion / Lehr / und Glauben / geſtellet durch das Predig-Ampt zu Lübeck / Hamburg und Lüneburg. in 4to.

Gründliche Beantwortung der ungereimten Frag: Woher die Lutheriſchen gewiß ſeyn können / daß ſie die H. Schrifft recht verſtehen und auslegen? in 8vo.

* *Ex Oratione fun. M. Sebaſt. Meyeri, Lubec. Scholæ Rectoris.*

ANDREAS KESLERUS.

Obiit A.C. 1643.

Coburgi natus eſt 17. Julii A.C. 1595. Patre *Andreâ*, ſartore, matre *Catharinâ*, â textore progenitâ. Ab his Parentibus in Scholam Senatoriam miſſus, cum Latinè loqui didiciſſet, in illuſtre Pædagogium, quod unà cum Auditorio publico Princeps *Saxoniæ Johannes Caſimirus* paulò antè fundaverat, accerſitus, & nondum anno exacto in Publicorum cœtum adoptatus eſt, Directore Gymnaſii *Andreâ Libavio*, Medico & Chymico celebri A. 1610.

A. 1614. Stipendio aulico instructus, Univerſitatem *Jenenſem* adivit, ibique triennii ſpatio Præceptores audivit in Philoſophicis *Wolffgangum Heiderum*, *Henr. Hofmannum*, *Mich. Wolfium*, & *Danielem Stahlium*: in Theologicis verò *Ambroſium Rendenium*, *Albertum Grauerum*, *Johannem Majorem*, *Joh. Gerardum*, & *Joh. Himmelium*. *Jenam accedit.*

A. 1619. Ibidem Lauream Magiſtralem eruditionis præmium obtinuit, cum paulò antè Baccalaureatûs dignitatem adeptus fuiſſet. *Fit Magiſter Philoſ.* Paulò pòſt *Wittenbergam* accedens, tantos in ſtudiis ſuis fecit progreſſus, ut inter Adjunctos primùm Facultatis Philoſoph. adſciſceretur, & mox inferiori Inſpectioni Collegii, quod â fundatore *Bebamicum* nuncupant, A. 1621. præficeretur. *Wittenbergæ Adjunctus Facult. Philoſ.*

A. 1623. *Coburgum* in patriam rediit, ad Profeſſionem Logicam accerſitus, & ſpartam ſibi commiſſam tùm diſputando, tùm docendo publicè ornavit. *Coburgi Prof. Logicæ.*

A. 1625. A Patriæ Proceribus Paſtor & Superintendens Eccleſiæ *Eisfeldenſis*, cui functioni olim *Juſtus Jonas* immortuus erat, conſtitutus eſt. *Superint. Eisfeld.* A. 1627. Dignitatem

Digitized by Google

Theol. Doctor. Doctoralem, quam haud magnoperè affectabat, amicorum ſuaſu ſuis ipſius ſumptibus in illuſtri *Salanâ* ſuſcepit, Rectore *D. Johanne Majore*, & Promotore *D. Johanne Gerbardo*, Theologis eximiis.

Deindè licet ei triplex functio fuiſſet oblata, *Mülhuſana* primò A. 1631, mox *Erfurtana*, & *Herbipolitana*, cum *Suecicarum* tunc partium eſſet urbs A. 1633, omnibus illis tamen, Patre Patriæ ſic jubente, nuntium remiſit.

A. 1632. Cum *Eisfeldiâ* per milites Cæſareos direptâ incendioque vaſtatâ magnam ſupellectilis quà literariæ quà domeſticæ jacturam feciſſet, anno ſeq. 1633. â *Suinfurtenſibus* accerſitus, veniam quidem diſcedendi â Principe ſuo impetravit, eâ tamen conditione, ut ubicunque locorum ipſius operâ indigeret, ad ſe reverteretur.

Suinfurti Eccleſiaſtes, & Director Gymnaſii. *Suinfurtum* igitur veniens, præter Eccleſiæ adminiſtrationem, etiam Gymnaſii, quod *Sueciæ* Regis auſpiciis Senatus excitavit, Directionem tenuit. Quam in curam dum ſedulus incumbit, A. 1635. *Coburgum* revocatus, in Epiſcopali dignitate, & cœteris, quæ huic annexa ſunt, muniis Doctori *Hugoni* defuncto ſubrogatus eſt, Eccleſiæ nimirùm Patriæ Paſtor, & per totum Principatum Superintendens Generalis, Conſiſtorii ibidem Aſſeſſor, Gymnaſiique *Caſimiriani* Scholarcha ac Profeſſor factus. *Coburgi Superint. general. & Scholarcha.*

Conjugium ejus duplex ſterile. Prolem ex gemino matrimonio propagavit nullam, quamvis tori ſocias habuerit viridis adhùc ætatis, primùm *Hedwigen Catharinam* è *Stumpfiorum* familiâ celebri; & hâc 26. Dec. A. 1636. vitâ defunctâ *Catharinam Lucretiam Waltziam* defuncto ſuperſtitem.

Morbus ejus & obitus. A. 1642. Cum Dominicâ Leproſorum in Concione mundi adverſùs DEUM ingratitudinem acerbiùs exagitâſſet, & paulò pòſt, Divino invocato numine, ut ſibi cum puſillo priorum grege feliciter hinc emigrare contingeret, inque hæc prorupiſſet verba: **O GOTT! hilff mir und allen frommen Chriſten zuvor hinauß / und bete wer beten kan**; jamjam è cathedrâ exceſſurus apoplexiâ correptus eſt, ita tamen, ut corpore proſtrato ſanitas mentis ſervaretur. Ab hâc tardè nec niſi poſt integrum ſemeſtre tùm precibus Eccleſiæ tum Doctoris Medici *Dippoldi* operâ ſanitati quadantenùs reſtitutus eſt, ita ut Dominicâ Judicâ A. 1643. quamvis ægrè ad publicum concionandi munus reverſus fuerit. Sed ſpes hæc brevi diſparuit, accedentibus enim per intervalla corpori debilitato, & ad mortem beatam diſpoſito, paroxyſmis Epilepticis vehementibus, è vivorum turbâ & turbis ad verè viventium quietem emigravit 15. Maji A. C. 1643. æt. 48. *Moritur.*

* *Ex Programm. & Concione funebribus.*

Libri ab eo editi ſunt ſequentes: *Scripta.*

Theologia Caſuum Conſcientiæ.
Phyſicæ Photinianæ Examen.
Methodus hæreticos convertendi.
Patientia Chriſtiana.
Bellum religioſum Petri Apoſtoli, & Papæ Romani.
JESU CHRISTI & Papæ Romani.
Epiphaniæ Dominicæ Hiſtoria Philologicè, Philoſophicè, Scholaſticè & Theologicè ex Sacris & Profanis autoribus explicata.
Lutheriſch Franckenthal.
Diæta Chriſtiana, **treuhertzige Anweiſung/wie ſich ein Menſch verhalten ſoll/ damit er bey geiſtlicher Seelen-Geſundheit im waaren Chriſtenthum zum ewigen Leben erhalten werde**, in 12mo.
Papiſtiſche Diſputir-Kunſt wider Simon Schreinern.
Pœnitentia Chriſtiana, **Bericht von den Buß-Predigten.**
Bericht vom Papſtthum und Lutherthum; das iſt/ von der Papiſten Urſprung / Lehr und Leben in ihrem vermeinten Chriſtenthum. Und von des Herrn D. Luthers Kirchen-_Reformation_**, Lehr / Leben / und Sterben / und dann von der genannten Lutheraner Urſprung/ Lehr und Chriſtenthum.**
Metaphyſicæ Photinianæ generalis & ſpecialis examen.
Tractatus Logicus de Conſequentiâ.
Logicæ Photinianæ Examen.
Faſciculus Diſputationum Phyſicar. publicè Wittebergæ habitarum.
Quadriga Diſcurſuum Philoſophico-Theologicorum.
Diſputationes Topicæ Coburgi habitæ.
Conſideratio brevis Scripti Foreriani Pupillæ Saxon. oppoſita, in 4to.
Reſponſio belli Ubiquitiſtici Forero oppoſita, in 8vo.
Protevangelium Scholaſticè & Theologicè explicatum.
Chriſtliches Handbüchlein der Glaubens-Regel.
Evangeliſcher Wegweiſer.
Cautela Chriſtiana.
Oratio valedictoria Wittebergenſis, de Methodo Theologiæ.
Auſpicatoria Coburgenſis de Judicio Logico formando.

Opera MSS. nondum edita ex relatione *Joh. Henr. Hagelganſii* recenſet *Theoph. Spizelius* in Templo honoris reſerato ſequentia:

Exegeſis Catechiſmi minoris Lutheri.
Volumen Orationum.
Schediaſmata Poëtica.
Exercitia Pœnitentialia, ex Cap. 18. Gen.
Poſtillæ Evangelicæ variæ.
Commentarius in Prophetam Jonam.
LIII. Cap. Eſaiæ Lat.

Tra-

Tractatus contra Photinianos de Magiſtratu Politico, de Bello & Juramentis.

Inſtitutiones Logicæ.

Auguſtana Confeſſio, per Quæſtiones explicata.

Comment. in Pſalm. 22.

Deſiderium Eccleſiæ Chriſtianum V. T. ex Eſ. 45. v. 8.

Concio ad Prov. XVIII. v. 10.

Conciones Paſſionales habitæ. 1626.

Poſtilla Prophetica, in quâ hiſtoriæ V. T. cum Evang. Dominic. explicantur.

De Fugiendo Papiſmo.

Nucleus Theologiæ Evangelicæ ex Job. III.

Conciones in librum Eſdræ.

Diſpoſitio Tractatus de rationali Theologo.

Conſideratio miſeriæ humanæ, ex Cap. I. Jobi.

Eccleſiaſtes Salom. Concionibus illuſtratus, Philologicè, Philoſophicè, & Theologicè explicatus.

Hiſtoria Theologiæ ab Orbe condito usque ad V. Sec. CHRISTI.

Explicatio Evangeliorum Dominicalium ac Feſtivalium.

Dicta Feſtivalia in Caſimir. Gymnaſio Theologicè & Phyſicè, Logicè & Philologicè, per quæſtiones illuſtrata.

MONUMENTUM KESLERIANUM.

Epitaphium.

ÆTERNÆ MEMORIÆ

ANDREÆ KESLERI, COBURGO-FRANCONIS, PLURIBUS MUNIORUM TITULIS AC ELOGIIS INSIGNITI, THEOLOGI SUMMI, PHILOSOPHI EXIMII, HISTORICI ACCURATI, POETÆ ELEGANTIS, VIRI ELOQUENTIÆ ET PRUDENTIÆ SINGULARIS, QUI PRINCIPIBUS REBUSQUE PUBLICIS ALIQUAMMULTIS EXPETITUS PATRIAM PRÆTULIT, QUAM TOT PRÆCLARIS, SEMPERQUE VICTURIS INGENII MONUMENTIS ILLUSTRAVIT; CUJUS SALUTEM TEMPORALEM, ÆTERNAM, MENTE, VOCE, CALAMO, QUIN ETIAM AUDITU, VISU, VULTU, NUTU, INCESSUQUE, ET QUOD MIRERE SILENTIO NON RARO PROMOVIT.

IN DEUM PIUS, IN PRINCIPEM FIDUS, IN COLLEGAS COMIS, IN AMICOS CANDIDUS, IN OMNES VELUT UT ERGA SE SUOSQUE AFFECTUS,

ANNO ÆTATIS XLVIII.

SARCINA DIGNITATUM ET CORPOREA LUBENTER DEPOSITA, E VIVORUM TURBA ET TURBIS AD VERE VIVENTIUM QUIETEM MIGRAVIT

ANNO MDC XLIII.

JOHANNES HEINRICUS HAGELGANS, PROFESSOR GYMNASII PUBLICUS, OPTIMO ET BENEMERENTI PATRONO

H. M. P.

JOHANNES KROMAYERUS.

Obiit A. C. 1643.

ORtu *Dobelenſis Miſnicus* natus eſt 8. Dec. A. C. 1576. ex veteri & nobili familiâ, quam Imp. *Maximilianus I.* ob præclara merita nobilitate donavit, & Rex *Rom. Ferdinandus* A. 1538. inſignium literis adauxit. Patrem habuit *Hieronymum*, civem *Dobelenſem* honeſtum, Matrem *Magdalenam Rentſchiam, Ortrantiâ*, oppido juxta *Albim*, oriundam. *Ortu nobilis.*

Supergreſſus ætatem prætextatam, cum jam in Scholâ patriâ, *Budiſſinâ, Stralſundenſi, Butzbacenſi*, tandemque *Naumburgenſi*, ubi tum temporis frater ejus, poſteâ Licentiatus Theol. & Superintendens *Plavienſis* vivebat, per varios caſus literis eſſet excultus, honeſtatis & ſedulitatis teſtimonio viaticatus *Lipſiam* profectus eſt.

Studioſus Theol. Lipſiæ.

Ibi cum auſcultando, diſputando, & concionando nihil cuiquam ſuorum æqualium faceret reliqui, factum eſt, ut non ſolùm ſtipendio liberali ab Illuſtr. *Sax.* Adminiſtratore donatus fuerit, ſed etiam nihil tale cogitans, de medio ſtudiorum ſuorum curſu evocatus, ad fungendum Diaconatu, & paulò pòſt Paſtoratu ad *D. Petri & Pauli Islebiæ*: quarum provinciarum primam illuſtriorem fecit gradu Magiſterii, quo A. C. 1600. merito ſuo exornatus eſt. *Diaconus & Paſtor Islebiæ. Philoſ. Magiſter.*

Famâ itaque inclareſcens, vocante eum ad ſe Illuſtr. Viduâ *Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium* Ducisſâ *Dorotheâ Mariâ*, munus Concionatoris aulici in ſe devolvi paſſus eſt. *Concionator aulicus.*

Poſtremò Superintendens Generalis ab Illuſtr. Duce *Vinarienſi Wilhelmo*, & Paſtor Eccleſiæ ab Urbis *Vinariæ* Senatu vocatus & conſtitutus, quam ſpartam per annos 44. feliciter adminiſtravit, morte tandem beatâ mundum egreſſus *Vinariæ* 13. Julii A. C. 1643. ætatis 67.* *Superintendens Generalis Vinar. Moritur.*

Scripta ab ipſo edita, & poſteritati relicta ſunt ſequentia:

Scripta.

Harmonia Evangeliſtarum, in 8vo.

Examen Libri Chriſtianæ Concordiæ, in 12mo.

Bet- und Beicht-Büchlein. in 24to.

Bericht von dem neuen *Methodo*, wie es im Weinmariſchen Fürſtenthum mit Unterweiſung der Jugend gehalten werden ſoll. in 4to.

Valet- und Anzugs-Predigt/ mit beygefügten Articuln/ ſo in der neuen *Inveſtitur* dem neuen Pfarrherrn und der Gemein vorgehalten worden/ ſamt darauf gethaner ſeiner Erklärung und Antwort. in 4to.

Spruch-Büchlein über die Evangelia und Epiſteln deß ganzen Jahrs. in 4to.

* *Ex Oratione Parentali Chriſtiani Chemnitii, Scholæ Rectoris.*

JACO-

Digitized by Google

JACOBUS HERMSDORFIUS.

Obiit A.C. 1643.

ROchlitzii natus 4. April. A. C. 1581. Patrem habuit *Michaëlem Hermsdorfium*, Præfectum *Schönburgenſem*, Matrem *Sibyllam*, Viri Reverendi Dom. *Æntii*, Paſtoris Eccleſiæ *Köningsfeldenſis* filiam.

Puer â Parentibus A. 1595. in Scholam Electoralem *Miſnenſem* miſſus, ſexennio poſt Academiam *Lipſienſem* adivit, & cum alterum ibi ſexennium in ſtudiis transegiſſet, A. 1604. Gradum ibi Magiſterii Philoſophici cum honore adeptus eſt.

Magiſter Philoſ. Lipſiæ.

A. 1606. In Patriam â Senatu ad Archidiaconi munus vocatus, eo per ſeptennium fideliter functus eſt, donec A. 1613. *Quedlinburgi* Superintendens & Scholarcha factus eſt.

Archidiaconus Rochlit. Superint. Quedlinburgi.

A. 1616. Nuptias celebravit cum Virgine *Roſinâ*, Dom. *Bartolomæi Stockmanni*, Conſulis *Rochlitienſis* filiâ, ex quâ 3. filios & 3. filias ſuſcepit, ex quibus filiolus primus & filiola in primâ ætate, filius *Bartolomæus* A. 1639. Juris Studioſus *Elbingæ* in *Boruſſiâ* obierunt: filius *Michaël* Syndicus *Leinungenſis* fuit factus, filia *Dorothea Nicolao Meiſnero*, & *Sophia M. Setho Calviſio*, Paſtoribus Eccleſiæ in urbe novâ *Quedlinburgi* nupſerunt.

Conjugium ejus & Liberi.

A. 1634. Die *S. Jacobi* hemiplexiâ lateris ſiniſtri percuſſus, & lecto affixus, miſerè vitam traduxit usque ad 5. Nov. A. 1643. quo vitam morte beatâ clauſit A. æt. 63.

10. Annos paralyticus obiit.

Moritur.

* *Ex Concione fun. D. Joh. Hoſeri, Superint. Quedlinburg.*

THOMAS MASTERS.

Obiit A.C. 1643.

ANgliæ in vico *Cotes* propè *Cirenceſtriam* in Agro *Gloceſtrenſi* natus, ſocius in Collegio novo Univerſitatis *Oxonienſis* Anno 1624. Theologiæ autem Baccalaureus evaſit A. 40. nullibi verò Beneficio aliquo functus eſt.

Socius Collegii novi & Theol. Baccalaureus Oxonii.

Continuâ ſtudiorum inventione & quotidianâ cum doctiſſimo quoque conſuetudine eruditus cumprimis emicuit; ſiquidem Artium penè omnium liberalium & Linguarum cognitione inclaruit, ab Arte Poëticâ & peculiari concionandi Facultate haud modicè laudatus.

Morbo *Caſtrenſi* epidemico ſub finem anni 1643. interiit, & in ſeptentrionali Collegii Novi Sacelli parte tumulum conſequebatur.

Moritur.

Scripſit

Scripta.

Orationem, cui tit. *Monarchia Britannica ſub Elizabethâ & Jacobo*. Edit. Oxon. 1661.

Menſam lubricam (ſeu Ludum vulgò Schovelboordplay/*) Carmine heroico deſcriptam*. Oxon. 1658. Lat.

Carmina Græca in Paſſionem CHRISTI. Ibid. eodem anno, *Latinè* reddita per *Henricum Jacobium*, Collegii *Mertonenſis* olim ſocium. *Anglicè* porrò reddidit *Abrahamus Cowley*, Poëtarum hujus ſeculi facilè Princeps.

Alia perplura conſcripſit, quæ in lucem nondum prodierunt; reticendum verò non eſt, quod *D. Edoardi Herbert*, Baronis de *Cherbury* opuſcula nonnulla in ſermonem latinum eleganter transfudit, & Hiſtoriam *Henrici VIII.* emendationibus quibusdam dilucidavit.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii â Wood.*

SAMUEL PETITUS.

Obiit A.C. 1643.

FUit olim *Pariſiis* nobilis & antiquâ *Petitorum* familiâ, cujus *Franciſcus* natu major, Juris utriusque Doctor, cum laniénâ verè Chriſtianorum, tùm ibi, tùm totius *Galliæ* urbibus crudeliſſimè patraretur, patriâ, bonisque omnibus derelictis, aſſumpto ſecum unico filio, in *Germaniam*, & hinc ad *Helvetios* commigravit, apud quos, innumeris ferè laboribus exantlatis, in CHRISTO DOMINO piè obdormivit.

Familia Petitorum.

Franciſci filius, relictâ *Helvetiâ*, *Genevam* pervenit, ubi factus Verbi DEI Miniſter, rebus *Gallicis* omninò pacatis, ad exercendum Miniſterium, in *Occitaniam* advocatus, ex Uxore chariſſimâ *Noëmi Oliciariâ* ſuſcepit *Samuelem Petitum*, qui die CHRISTI natalitio anni 1594. natus, & educatus inter bonarum literarum hoſtes pænè infenſiſſimos, non ſecus ac ſol puriſſimus, diſcuſſis nebularum caligine & obſcuritate, in ipſis etiam vitæ primordiis, ſcientiæ virtutisque radios emiſit clariſſimos. Nam in pueritiâ libros continuò, etiam graviſſimos, evolvebat, quibus tantum profecit, quantum vix â nemine cogitari poteſt. Magiſtros ſibi propoſitos ſæpè rogabat, rogata retinebat, retenta poſtmodùm condiſcipulos edocebat.

Puer literis deditus.

Primo ætatis ſeptenario varia, quæ vocant, prœmia reportavit. Ex Græcis & Latinis authoribus, cum puros latices exhauſiſſet, ineunte adoleſcentiâ, Rhethoricam & Oratoriam per annum didicit. Deindè Philoſophiæ partes omnes privatim & publicè intra biennium theſibus propoſitis & typis excuſis Parenti chariſſimo dedicatis variis quæſtionibus agitatis & peractis Diſputationibus, ſagaci animo perluſtravit.

Philoſophiæ operam dat.

Poſtmodum per aliquod tempus, inter ſuaves amplexus Parentis optimi commoratus, ab eodem, qui filium SS. Theologiæ conſecraverat, miſſus eſt *Genevam*, ubi per triennium *Deodatum* Theologum percelebrem, & in explicandis Scripturæ Divinæ locis Interpretem peritiſſimum, cœterosque Profeſſores clariſſimos cùm in Lectionibus Academicis, tùm in Concionibus diligenter & attentè audivit, quod reliquum ipſi temporis ſupererat, graviter impendebat in perdiſcendis Linguis Orientalibus,

Genevæ Theolog. ſtudet.

Hebrai-

Digitized by Google

Hebraicâ, Chaldaicâ, Syriacâ, Samaritanâ & Arabicâ, adeò ut jugi ac indefeſſo labore iis indeſinenter incumbens, per annum integrum, quod fidem exſuperare videtur; alternis noctibus, pernox & inſomnis evigilaret, ſequenti die officii munia æquè hilariter præſtabat, ac ſi totam noctem ſomno ſepultus traduxiſſet.

Quod reſcivit Pater, & indè filium, ne chartis ſenſim immori videretur, promptiſſimè revocavit, eundemque Synodo inferioris *Occitaniæ* repræſentans, ab ejuſdem Synodi Patribus, excuſſis prius Candidati moribus, & doctrinâ, initio 17. ætatis anni in hujus provinciæ Paſtorum album cooptatus venit.

Acad. Nemauſ. Profeſſor. Paulò pòſt Academiæ *Nemauſenſis* Theologiæ & Linguarum Hebrææ & Græcæ cum omnium laude & approbatione Profeſſor dignatus eſt; ubi præter ſolita Profeſſionis munia, & aſſidua bonarum literarum ſtudia, ſæpè concionabatur, ægrotos inviſebat, & precibus ad DEUM fuſis humaniter conſolabatur, litigantium diſſidia componebat, Collegas obſequio, divites lenitate, pauperes beneficiis, unumquemque demum divinæ charitatis & innatæ bonitatis officiis ſibi devinciebat. Neminem unquam verbis aut facto lædere cogitavit. Illatas ſibi injurias, etiam immanes, & ſævitie plenas, reis facilè condonabat. Ut exempli proponendi gratiâ, cum aliquando Judæorum Synagogam, quæ *Avenioni* eſt, unà cum amicis inviſendam adiret, Rabbi quiſpiam Hebræo ſermone cepit eoſdem maledictis proſcindere, ratus, uti putabat, neminem eorum intellecturum, quæ dicebat, cui tamen *S. Petitus* hebraicè illicò reſpondens, tantum maledico terrorem incuſſit, ut tremens ad pedes hujus provolutus, ab eo ſupplex petierit veniam, quam ultrò ipſi lubentiſſimoque animo benignus conceſſit, eumque linguâ Hebrææ purâ & eleganti ratiocinatione cohortatus eſt, ut deinceps ſaperet, & â Synagogæ (jampridem mortuæ, nunc verò mortiferæ,) figuris & umbris venturi Meſſiæ, ad CHRISTI veri illius, qui jamdiu venit, Meſſiæ, tot Prophetarum Oraculis decantati, veri ac unici Judicis, ac vitæ ſolis, jamdudum exorti, radios & lucem ſplendidiſſimam quàm citiſſimè verteretur.

Ejus ſtatura, & corporis habitus. Statura inſuper *Petiti* recta & procera fuit. Temperamentum nactus eſt ſanguineum paucisſimâ bile permixtum, formâ tandem venuſtâ & venerandâ fuit. Facies aperta, vultuſque hilaris internam animi lætitiam & probitatem teſtabantur. Tametſi profundioribus ſtudiis demerſus, omnibus ſemper lenis & conſuetudine comis & jucundus fuit ubique maximè ſobrius, caſtus, & pudicus. Veſtitu comptus erat, & ad miraculum uſque pingebat characteres Hebræos, Græcos & Latinos. Pollebat ingenii acumine, judicii gravitate, & memoriæ felicitate. Ad ſummum, virtutibus omnibus moralibus, prudentiâ, juſtitiâ, fortitudine, temperantiâ, modeſtiâ, comitate, liberalitate, ſed potiſſimùm pietate pectus ejus inſtructum erat.

Doctrinam ejus omnigenam, facilem, claram, profundam, omnibuſque numeris abſolutam probè noverit, qui ſinceris animi oculis introſpexerit, inexhauſto labore facta ejuſdem opera, cum Regis Chriſtianiſſimi privilegio *Pariſiis* excuſa ſumptibus *Caroli Morelli* in viâ *Jacobæâ* ad inſigne fontis.

Prodiêrunt enim autore *Samuele Petito*, anno 1630. *Miſcellaneorum libri IX, in quibus varia veterum Scriptorum loca, quæ Philologiam, Philoſophiam, & Chronologiam ſpectant, emendantur, illuſtrantur & explicantur. Ad Marchionem Deſiat.* *Scripta.*

A. 1631. Eclogæ Chronologicæ, in quibus de variis annorum Judæorum, Samaritanorum, Græcorum, Macedonum, Syromacedonum, Romanorum, aliiſque veterum Chriſtianorum Paſchat. diſputatur. Viro Illuſtriſſimo Nicolao Fabricio Peireſcio, ampliſſimo apud Provinciales Senatori dicatæ.

A. 1633. Variarum Lectionum Libri IV. in quibus Eccleſiæ utriuſque fœderis ritus, moreſque antiqui, ſacri item ejuſdem atque Eccleſiaſtici Scriptores illuſtrantur, explicantur, emendantur. Viro Illuſtri Chriſtophoro Juſtello, Regis Conſiliario, & ab epiſtolis dedicati.

A. 1635. Leges Atticæ, opus juris, & rei antiquariæ ſtudioſis utiliſſimum VII. Libris diſtinctum, in quo varii Scriptorum veterum Græcorum & Latinorum loci explicantur & emendantur. Illuſtriſſimo Viro Franciſco Auguſto Thuano, Jacobi Auguſti filio, libellorum ſupplicum in Regiâ Magiſtro dicatæ.

A. 1641. Obſervationum libri tres, in quibus varia veterum Scriptorum loca, quæ ad Philologiam, Juriſprudentiam, & ad utriuſque Eccleſiæ Judaicæ & Chriſtianæ hiſtoriam pertinent, illuſtrantur & emendantur. Illuſtriſſimis & potentiſſimis Ordinibus Friſiæ dicati.

Poſtremum & poſthumum denique fuit opus ejuſdem in Joſephum, in duo volumina diſtinctum.

Præterea *Samuel Petitus* annum ætatis *Conjugium.* agens vigeſimum ſextum *Iſaaci Cheironi*, Juris utriuſque Doctoris, & in Collegio *Nemauſenſi* Doctiſſimi Gymnaſiarchæ filiam uxorem duxit *Catharinam Cheironam*, quæ ipſi peperit, & enixa eſt quamplurimos liberos, qui omnes ætate tenelli & juniores obiêre, præter *Antoniam de Petit*, quæ ab ejuſdem parente vidua matrimonio conjuncta eſt *Petro Formio, Monſpelienſi* Doctori Medico.

Obiit tandem *S. Petitus*, literatorum de- *Moritur.* cus & ornamentum, pius & bonus, inquam, obiit *Nemauſii* die Decemb. 12. A. 1643. ætatis ſuæ quadrageſimo nono, & cum omnium luctu & deſiderio funebri pompâ corpus ejus terræ mandatum eſt.

Uuu Ejus

Ejus EPITAPHIUM à *Petro Formio* conſcriptum, eſt tale:

Epitaphium.

Siſte pedem, vultuſque tuos huc verte Viator,
Ecce tibi paucis multa legenda dabo.
Petitus celebri notus virtute, per orbem
Cantatus, ſtudiis pectora nata gerens;
Nobilis & famâ, multis memoratus in oris,
Inſigni clarum nomen honore ferens.
Heros Alcidem ſuperans, res digna relatu,
Forte cuique ratam non habitura fidem;
Innumeris pergens ditare laboribus orbem,
Senſim vitali lumine caſſus obit.
Tebaico tumulus, Pario nec marmore fulget,
Contectum corpus ceſpite claudit humus.
Terris diſceſſit ſuſpirans gaudia cœli,
Petitus patriam ſcandit ad aſtra ſuam.

Obiit A.C. 1644.

HENRICUS ALTING.

EMbdæ *Friſiorum* Emporio natus eſt A. 1583. d. 17. Febr. qui ut & dies emortualis Dominicus erat, Patrem habuit *Menſonem Alting*, Eccleſ. *Embdanæ* Paſtorem fidelem per annos 28, qui in agro *Gröningano* ad *Helpenam* ſub ipſâ *Albani* Ducis graſſante tyrannide, primus unà cum *Wichero Mileſio* & *Feitone Ruardi*, Verbi Divini ſemen ſpargere cœpit circa A. C. 1566.

Mater ejus *Maria*, *Henrici Biſchoff*, Scabini opp. *Gangelt* in agro *Juliacenſi* filia fuit.

A. 1590. In Scholâ patriæ Urbis literarum rudimentis imbui cœptus, Claſſes omnes intra ſeptennium emenſus *Gröningam* à parentibus ablegatus eſt. Ibi uno anno Conrectoris *Bunnigii*, tum tribus inſuper annis *Ubbonis Emmii* inſtitutione in ſtylo Latino Græcoque informatus, juſſu Patris A. 1602. *Herbornam* ſe contulit, ubi tunc clarebant *Johannes Piſcator*, *Matthias Martinius*, & *Guilielmus Zepperus*, Theologi.

His Magiſtris brevi tempore eos fecit progreſſus, ut Facultas ipſi à Profeſſoribus conceſſa Collegium Philoſophicum & Theologicum inſtituendi fuerit.

Triennio ibi exacto à *Johanne* Seniore Comite *Naſſoviæ*, commendantibus eum *Piſcatore*, *Zeppero* & *Martinio*, deſtinatus fuit Ephorus trium juniorum Comitum *Guilielmi Naſſovii*, *Conradi Ludovici Solmenſis*, & *Philippi Erneſti Iſenburgici*, qui tunc *Sedani* literis operam dabant, unà cum Principe *Palat. Friderico* pòſt *Bohemiæ* Rege, quam Ephoriam adiit ſub initium Sept. A. 1605.

Fit Ephorus 3. Comitum.

Sed Anno ſeq. cum Comitibus ſuis *Heidelbergam* ſe recepit, ubi in aulâ Electorali trigæ illi Comitum acceſſit *Job. Conradus Rheingravius*.

Ephorus Friderici Princ. Palat.

A. 1608. Cum Dom. *Zachariâ Colbio*, Principis *Palat. Friderici* ſtudiis abſolutè fuit præfectus, & cum ipſo *Sedanum* iterum ablegatus. Hic diurnas horas muneri ſuo ſic conſecrabat, ut nocturnas quieti ſuæ ſuffuratas Theologiæ impenderet.

A. 1610. Electore demortuo, *Heidelbergam* reverſus, illuſtre fidelitatis teſtimonium retulit, quando Princeps *Fridericus* ab ipſo fuit examinatus in omnibus Religionis capitibus, præſentibus Adminiſtratore *Palat. Johanne Bipontino*, *Petro Brederodio*, Legato *Belgico*, Cancellario & & Conſiliariis Curiæ, & Senatu Eccleſiaſtico, & ad omnia Latino ſermone expeditè reſpondit.

Hujus Magiſterii vel *Roma* teſtis eſſe poteſt, quæ in Bibliothecâ *Vaticanâ* inter cimelia *Heidelbergenſia* oſtentat themata & exercitia ſtyli Regis *Bohemiæ Altingii* manu emendata.

A. 1612. Decretâ Principis *Friderici* profectione in *Angliam*, cum *Altingius* quoque comitatus, eo in itinere præſentisſimum vitæ periculum unà cum *Abrahamo Sculteto* aliisque in lacu *Harlemenſi* 7. Octob. adiit, cum ſubitâ coortâ tempeſtate ſubmerſioni proximi ægrè tandem toto corpore madentes in proximam ripam evaſerunt. Eodem tempore *Menſo Alting*, hujus parens, *Embdæ* fatis conceſſit.

Cum Friderico Princ. Palat. in Angliam proficiſcitur.

A. 1613. Nuptiis Electoralibus inter *Fridericum* & *Eliſabetham* concelebratis M. Febr. in patriam cum generoſis diſcipulis ſuis 1. Mart. præmiſſus, *Zeelandiâ*, *Flandriâ*, *Brabantiâ*, *Limburgenſi*, *Juliacenſi* & *Colonienſi* ditionibus peragratis, 1. April. *Heidelbergam* rediit, Principe ſuo cum novâ nuptâ brevi pòſt ſubſecuto.

16. Aug. Theologicam Locorum communium Profeſſionem ſibi demandatam auſpicatus eſt, præſente Electore cum totâ aulâ. Sed quod per Leges Academicas præſidere publicis Diſputationibus non liceret, niſi Doctoribus ritu ſolenni creatis, præmiſſâ Diſputatione inaugurali à *Davide Paræo* tunc Decano Theol. Licentiatus, à *Bartol. Coppenio* verò Doctor ejuſdem renuntiatus eſt 18. Nov.

Theol. Prof.

Theol. Doctor.

A. 1616. 15. Oct. Cura & inſpectio Collegii Sapientiæ ei inſuper commiſſa fuit à Principe, ut cum Collegis duobus juventutem ſacris devotam privatâ inſtitutione & diſciplinâ ad Miniſterium præpararet.

Inſpector Collegii Sapientiæ.

A. 1618. Cum poſt mortem *Bartol. Coppenii* Theol. Profeſſio ſecunda illi deferretur, eam raro modeſtiæ exemplo recuſavit, & ut in *Abrah. Scultetum* transferretur effecit.

Eodem tempore cum ſopiendis controverſiis in *Belgio* ab *Arminii* ſequacibus excitatis Synodus Nationalis *Dordracum* indiceretur, eò ablegatus cum *Abrah. Sculteto* & *Paulo Toſſano* fidem ſuam luculenter approbavit.

Ablegatur ad Synodum Dordracenam.

A. 1621. Academiâ belli tumultibus turbatâ, & ſtudioſis cum Profeſſoribus præ metu dilapſis, ipſe, familiâ ſuâ *Heilbronnam* dimiſſâ, in ſtatione ſuâ perſtitit, Collegiique Sapientiæ membra in officio continuit, contra omnia pericula imminentia imperterritus.

A. 1622.

Digitized by Google

Heidelbergâ captâ vitæ periculum ſubit.

Anno 1622. *Heidelbergâ* impetu & vi â *Tillio* occupatâ, omniaque dira exempla direptionis, lanienæ & libidinis paſſâ, erat tunc *Altingius* in Muſæo ſuo, perceptoque triſti hoc nuntio, peſſulo januæ obdito, ad preces devotas confugit, in momenta ſicarios expectans. Sed DEUS illius curam habuit, ut ſubmonitus & excitus ab amico M. *Seebuſio*, Scholæ Rectore, duobus militibus eum in finem ſtipato, ſeſe per poſticum ſubduceret, & reciperet in ædes Cancellarii, quas *Tillius* direptioni exemptas voluerat, ob publica ibidem repoſita monumenta. Illis aſſervandis deſtinatus fuerat Protribunus legionis Comitis de *Hohenzollern* homo prædæ avidus, ad quem cum adduceretur *Altingius*, *hodiè*, jactabat Thraſo ille, *hâc manu* 10. *homines confeci*, *ad quos Doctor Altingius brevi adjiceretur*, *ſi ſcirem*, *ubi lateret. Tu verò quis es?* Ille tum imperterritus, eâdem ferè, quâ olim, in caſu ſimili, *S. Athanaſius* dexteritate uſus, *Ego*, inquit, *Ludimagiſter fui in Collegio Sapientiæ*.

Eâ nocte inſomni traductâ, cum ad ædes eas velut aſylum confugere pleroſque cerneret, veritus ne proderetur, ſe in ſupremum ejus recepit tabulatum. Ibi dum latet, truculentus ille Legatus imperio *Tillii* derepentè excedere ædibus illis, easque *Jeſuitis*, quibus aſſignatæ erant, cedere cogitur, ne quidem tempore conceſſo ad ſuum unà Ludimagiſtrum conquirendum & abducendum.

Ibi cum *Tillio* ipſi quoque inſtrueretur culina, eique unus ex coquis aulæ *Palatinæ* præficeretur, ab eo non ſolùm clam neceſſaria vitæ ſubſidia conſecutus eſt, ſed etiam conductis operâ ejus tribus militibus *Bavaris*, quorum præſidio in plateis tutus eſſet, dum *Jeſuitæ* toti ſunt in Templis ad Miſſas adornand. facultatem nactus eſt ædes ſuas reviſendi. Iſtic omnia reperit expilata, & in Muſæo ſuo dominantem Centurionem quendam, qui *hæc omnia nunc ſua eſſe* gloriaretur, facultatem tamen ei faceret, ſeriò ne an ſarcaſticè incertum, unicum quem vellet ſecum auferendi libellum. *Cui Altingius, ſi hæc*, ait, *tua ſunt, tibi diuturniorem eorum DEUS largiatur poſſeſſionem quàm priori Domino*, & cum dicto ultimo valedicto veteribus poſſeſſionibus pedem indè retulit ad latebras priores.

Tertio demum die elapſus per varias lethi imagines *Heilbronnam*, indè *Schorndorfium*, ubi ſuam offendit familiam, pervenit. Hinc â Rege in *Belgium* evocatus A. 1623. difficili itinere in patriam ſuam *Embdam* venit cum familiâ univerſâ, quâ ibi tantiſper relictâ in *Batavos* excurrit, & ſuo ſe Regi ſtitit, qui *Fridericum Henricum* primogenitum ſuum curæ & inſtitutioni ejus commendavit, nec *Emdanis* ad Miniſterium Eccleſiæ eum iteratò vocantibus, quò & animus ejus ferebatur, ſi Rex annueret, ut concederet, induci potuit.

Fit Præceptor Friderici Henrici Princ. Palat.

Hoc quoque anno 1623. grave adiit vitæ periculum propè *Purmerendam*, trahâ vectus per glaciem, eâ ſubſidente ſubmerſioni proximus, quâ DEI favore evitatâ in morbum incidit gravem, ex quo deindè perpetuum in brachio dextro languorem ſenſit. Evocatâ pòſt *Embdâ* ad ſe familiâ ſuâ, *Leidam* commigravit, â Rege filiorum ſuorum ſtudiis tantiſper præfectus, quibuscum maximam partem anni 1625. propter graſſantem *Leidæ* luem epidemicam *Hontslardicky* exegit.

Ibi dum eſſet, ad Academiam *Franequeranam* in locum *Sibrandi Lubberti* evocatus, Rege ita volente, honeſtè ſe excuſavit. Sed A. 1626. ad Academiam *Gröningenſem* in locum *D. Ravenſpergeri* primi in eâ Profeſſoris Theologi, honorificè vocatus, commeatu â Rege impetrato, eò venit, & operam ſuam circa Paſcha anni ſeq. 1627. Academiæ addixit, ac 16. Junii munus ſuum auſpicatus eſt.

Theol. Prof. Gröning.

Ibi Sceptrum Academicum ter ſibi commiſſum annis 1628, 1636, & 1641. cum Academiæ emolumento geſſit. In primo Rectoratu ab Illuſtr. Ordinibus Provinciæ beneficii menſæ publicæ augmentum impetravit, ut cum antè 40. ſolùm Studioſi in Contubernio victum caperent, 60. ab eo tempore locus fuerit. In altero Bibliothecæ Academicæ luculentam procuravit acceſſionem. In tertio item id effecit, ut Bibliothecarius Academiæ publicis ſumptibus *Leidam* amandaretur, qui ex *Gomari* Bibliothecâ publicâ auctione ibi diſtrahendâ non paucos melioris notæ libros *Gröningenſi* apponendos coëmeret.

Eccleſiæ *Gröninganæ* per ſeptennium Presbyter ſive Senior fuit. Collectæ *Anglicanæ* diſpenſatio ipſi, cum duobus aliis adjunctis, ab Electore *Carolo Ludovico* commiſſa fuit.

Præfuit item Sacris Largitionibus Viri Munifici Dn. *Ludovici de Geer*, earum etiam parte in ſpem futuram Eccleſiarum *Palatinarum*, ſive in Juvenes *Germanos* S. Theol. Studioſos pari prudentiâ & fide derivatâ.

A Principe *Palat. Ludovico Philippo Palatinatûs* Adminiſtratore *Heidelbergam* revocatus A. 1633. ad Profeſſionem Theologicam, & Senatum Eccleſiaſticum, & A. ſeq. ad Academiæ & Eccleſiarum reſtitutionem per *Palatinatum*, poſtquàm per varia pericula *Francofortum* usque proceſſiſſet, clades *Nordlingana* interveniens ſpem illam intercepit, & ipſe per extremas *Galliæ* oras, Principatum *Sedanenſem* & Provincias *Belgii Hiſpanicas* ad ſuos quarto poſt obitum menſe reverſus eſt.

Heidelbergam fruſtrà contendit.

Uxorem *Heidelbergæ* pauſò poſtquàm ad Profeſſionem inauguratus eſſet, duxit A. 1614. Virginem *Suſannam, Caroli Belierii*, Conſil. *Heidelb.* & Provinciæ Commiſſarii, ac *Franciſcæ Saureau* natione *Tornacenſium* filiam. Ex eâ 7. liberos ſuſcepit, ſed filiam tantùm unam filiosque duos ſuperſtites reliquit, quorum natu major *Menſo* U. J. D.

Conjugium ejus.

Uuu 2 ratio-

rationibus *Americanæ* ſocietatis per annos complures præfectus, poſteà *Daventriæ* Juris Profeſſor fuit: alter *Jacobus* ſuſceptis in *Angliâ* ſacris Miniſterii Ordinibus per annum præconio Verbi linguâ ipſorum functus, deinceps in Academiâ *Gröningenſi* Linguarum Orient. Profeſſor Ordinarius & Eccleſiaſtes factus eſt.

Cum 11. Oct. A. 1639. filiam primogenitam *Mariam* in florente ætate extuliſſet, ex mœrore in febrim quartanam incidit, quâ expugnatâ A. 1641. lethargo periculoſo correptus eſt, qui apoplexiam minabatur, ex quo tamen præter ſpem eluctatus vires colligere cœpit, etſi eas nunquàm integrè recuperaverit. Acceſſit tertius impetus ex obitu conjugis chariſſimæ, quam 15. Oct. A. 1643. amiſit. *Morbi ejus & obitus.*

Ab eo tempore variis afflictus ſymptomatibus, dilucida tamen intervalla habuit, quibus Profeſſioni vacaret. Quinto ante ſupremum die officii cauſâ inviſenti ſe *D. Mareſio* Collegæ firmâ adhùc voce decretos Recturæ honores gratulatus eidem Academiam & Eccleſiam commendavit. Pridiè obitûs ſui Pſalmum 130. ſacrumque aliud quoddam Canticum Germanicum velut Cygnéam Cantionem voce ſatis validâ DOMINO decantavit, & quod diei ſupererat, precibus impendit.

25. Aug. Die Dominicâ, peractis ſacris matutinis, amici veteres ejus *D. Ludovicus Camerarius* & Dom. *Paulus Strasburgerus* eum inviſerunt, quo alloquio paulò excitatior morbum â naturâ devictum autumabat, at vix digreſſis illis, ſenſit ceſſiſſe naturam morbo, ſuiſque prædixit, ante ſolis occaſum ſe ad DOMINUM abiturum. Indè cum vox eum deſtituiſſet, circa tertiam pomeridianam placidè, curſu ſuo conſummato, in DEO obdormivit A.C. 1644. ætatis 62. Prof. Theol. 32.

Scripta ab eo edita fuerunt:

Scripta. *Notæ in Decadem Problematum Johannis Behm de glorioſo DEI & Beatorum Cœlo.* Heidelbergæ apud *Joh. Lancelot*. A. 1618.

Hebræorum Reſpublica Scholaſtica A. 1652. Amſtelrod.

Theologia Problematica & Hiſtorica.

Schilo, ſeu, de Vaticinio Patriarchæ Jacobi.

Scripta Theologica Heidelbergenſia tribus Tomis, quorum continet

I. Locos Communes cum Didacticos tum Elencticos.

II. Problemata tàm Theoretica, quàm Practica.

III. Explicationem Catecheſeos Palatinæ, cum vindiciis ab Arminianis & Socinianis. Amſtelodami apud *Johannem Janſonium*. A. 1646.

Exegeſis Auguſtanæ Confeſſionis, unà cum Syllabo Controverſiarum Lutheranarum. Amſtelodami apud eundem A. 1647.

Methodus Theologiæ Didacticæ, & Methodus Theologiæ Catecheticæ. Amſtelodami apud eundem. A. 1650.

* *Ex Vitis Profeſſorum Gröningenſium.*

GUILIELMUS LAUD. *Obiit A.C. 1644.*

Parentibus probis ortus *Readingiæ*, in agro *Bercherienſi Angl.* 7. Octob. 1573. & 16. annos natus, ex ejuſdem oppidi Scholâ publicâ in Collegium *D. Joh. Baptiſtæ Oxon.* miſſus eſt; ubi ſocius factus eſt anno 1594. & poſt tres annos artium Magiſter. *Fit artium Magiſter Oxon.*

Tum ſacris Ordinibus initiatus, prælectorium in Theologiâ munus, in Collegio â Dominâ *May*, tum recens inſtitutum, obivit. A. 1603. Academiæ Procurator, & Comiti *Devonienſi* Sacellanus evaſit, ſub cujus patrocinio primam futuræ promotionis ſpem concepit. A. 1607. Vicarius *Stanfordienſis* in agro *Northantonienſi*, & ſequenti anno S. Theol. Prof. nec non *D. Nealle*, Epiſcopo *Roffenſi*, Sacellanus domeſticus. A. 1609. Rector de Tylbury/ *Occidentali* in *Eſſexiâ*, pro quâ advocationem, quam nactus erat, Eccleſiæ de Kilworth ad *Boream*, in agro *Leiceſtrienſi* commutavit. *Academiæ Procurator. Sacellanus Comit. Devon. Vicarius Stanfordienſis. S. Theol. Prof. Rector de Tylbury.*

Sequenti anno Patroni ſui Epiſcopi *Roffenſis* Beneficio, Rectoratu de Kuckſton in *Cantio* donatus eſt, quem eò, quod inſalubrioris ſitus erat, reliquit, & in Eccleſiam *Nortonenſem* inductus eſt. *Rector Eccleſ. Nortonenſis.*

Eodem anno, nempè 10. ſodalitio ſuo ceſſit; & anno ſequenti, Collegii Præſes electus eſt. A. 1614. â Patrono ſuo prædicto, qui Epiſcopus tum *Lincolnienſis* erat, iſtius Eccleſiæ Præbendarius factus eſt, & Archidiaconus *Huntingdonienſis*. *Archidiaconus Huntingdonienſis.*

Poſt biennium â Rege *Jacobo* Decanus *Glocestr.* & ſequenti anno, nempè 17. Rector de Jbſtock in agro *Leiceſtrienſi* A. 20. Præbendarius *Weſtmonaſterienſis* ſequenti anno â Rege *Jacobo* Epiſcopus *Menevenſis* factus eſt; cum veniâ inſuper retinendi in Commendâ (quam vocant,) non ſolùm Præſidentarium munus, verùm etiam Rectoratus, quos habuit, geminos, nempè Jbſtock prædict. & alterum de Creck/ in agro *Northantonienſi*. A.C. 1626. Epiſcopus *Batho-Wellenſis*, & poſt duos annos *Londinenſis*, tum hujus Academiæ Cancellarius, tandem 1633. Archiep. *Cantuarienſis*. *Rector de Jbſtock. Præbendarius Weſtmonaſterienſis. Epiſcopus Menevenſis. Epiſcopus Batho-Wellenſis & Londinenſis. Archiep. Cantuar.*

Vir animi planè heroici, vitâ & moribus ſanctiſſimus; literarum, Academiæ, Patriæ, Eccleſiæ denique *Anglicanæ* ingens columen, & decus. Ante omnia autem in literas adeò profuſè munificus erat, ut ſui planè immemor & negligens videatur, niſi quod ſibi cederet, quod eruditis donaverat; ſiquidem ipſe in doctiſſimis eſſet.

Sub initium belli Civilis, A. 1640. Presbyterianorum furiis, in turrim *Londinenſem* conjectus eſt. Et poſt quatuor ibi annos (iiſdem Autoribus) in colle vicino, ſecuri percuſſus 10. Jan. A. 1644. *Securi percutitur.*

Scripſit:

Summam Colloquii inter ſeipſum & Fiſcherum Jeſuitam. Lond. 1639. ib. 1673. fol. *Scripta.*

Oratio-

Orationem, in Camerâ ſtellatâ habitam. Lond. 1639.

Summulam devotionum. Oxon. 1667.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

Obiit A.C. 1644.

GUILIELMUS STRODE.

Canonicus Eccleſiæ Chriſti. FAmiliâ generoſâ in agro *Devonienſi* regni *Angliæ* natus, Collegium Eccleſiæ CHRISTI *Oxon.* ingreſſus eſt anno Dom. 1621. ætatis 19. & vel eodem tempore, vel non ita multò pòſt ejuſdem evaſit Alumnus.

Gradu Magiſtrali ornatus ſacris Ordinibus initiatur, & in Oratorem Academiæ publicum dein cooptatur; denique autem (anno nempè 1638.) iſtius Eccleſiæ Canonicatu â *Carolo I.* donatur, eodemque anno in ſacrâ Theologiæ Facultate incipit.

Virum hunc dotibus ingenii haud equidem vulgaribus inſtruxerat natura, cæterùm Concionator ſanè nervoſus erat, & ſententias breves ac elegantes in Verbo Divino prædicando adhibebat; ſermonis porrò Latini puritatem caſtigato ſtylo conſequebatur, primiſque ſeculi Oratoribus ac Poëtis annumerandis comparuit.

Moritur. Fatis conceſſit decimo Martii die, an. Dom. 1644. & in Eccleſiæ Cathedralis Sacello, Commiſſionibus Theologicis dicato, humatus fuit.

Scripſit

Scripta. *Comœdiam*, cui titulus: *Inſula fluctuans.*

Conciones tres.

Orationes, Epiſtolas, Conciones, &c. varias.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

Obiit A.C. 1644.

VALENTINUS MYLIUS.

MUndum nativitate ingreſſus 12. Aug. A.C. 1568. *Neoſtadii* Comitum *Stolbergicorum* vico, Patrem habuit cognominem Paſtorem ejus loci, & poſteà *Ilſeldiæ*, ubi vitam finiit 4. Mart. A. C. 1610. æt. 69. Mater ei fuit *Anna*, *Cyriaci Kehneri*, Pannificis & Senatoris *Northuſani* filia.

Cum in Scholis *Northuſæ*, *Stolbergæ*, & *Sondershuſæ* literarum primitias didiciſſet, *Stipendiar. Ilſeld.* in Cœnobio *Ilſeldico* inter Stipendiarios aſſumptus M. *Mich. Neandrum*, Scholæ Rectorem in tertium annum audivit docentem, & ſtudiis operam dedit.

A. 1588. *Neandro* commendante, *Warſchleviam* in *Saxoniâ* inferiori ad *Sixtum Hautoenum* venit, cujus filios *Joachimum*, *Ludovicum*, & *Chriſtophorum* fideliter inſtituit.

A. 1591. Univerſitatem *Juliam* accedens, ægre primùm ſe ſuſtentavit, ſtudia nihilominus Academica ſedulus tractavit, & ope *Helmſtadii Præceptor privatus.* Dnn. Profeſſorum apud Conſulem *Gertnerum* filiorum ejus Præceptorem per aliquod tempus egit.

A. 1593. Non procul ab urbe *Helmaſtadienſi Harbacci* nobili adoleſcenti *Bartoldo Veltheimio* Præceptor datus, ſtudia ſua in Academiâ continuavit, & anno ſeq. Promotore M. *Hartvico Smidenſtet* Decano in Magiſtrum bonarum artium & Philoſophiæ promotus, inter 7. Candidatos ſecundum locum promeruit. *Philoſ. Magiſter Helmſtadii.*

A. 1599. A nobilibus *Veltheimiis* Paſtor Eccleſiæ *Oſtravienſis* in Electoratu *Saxoniæ* declaratus, *Lipſiæ* prægreſſâ ordinatione ſolenni per *Georg. Weinrichium* tunc Theol. Licent. & Profeſſorem, munus ſuum Paſtorale alacriter aggreſſus eſt. *Paſtor Eccleſ. Oſtravienſis.*

A. 1599. 29. Apr. Sponſalia celebravit cum virgine *Catharinâ*, *Valentini Lehmanni*, Civis & ſcriniarii *Brunſvicenſis* filiâ, tunc miniſtrâ nob. Dom. *Veltheimenſis*, deſponſatus in templo *Harpeccenſi*. Ex eâ 6. filios & 4. filias progenuit, ſed partem dimidiam præmiſit. *Conjugium primum.*

A. 1608. Poſt obitum Dom. *Theodorici Meyeri* Paſtor Eccleſiæ *Harbeccenſis* â nobilibus *Veltheimiis* conſtitutus, in eo munere 36. annos ſummâ cum fidelitate verſatus eſt. *Paſtor Eccleſ. Harbeccenſis.*

2. Oct. A. 1627. Priore conjuge vitâ defunctâ ſecundum conjugium iniit, deſponſatus cum *Margarethâ Fiſcheriâ*, *Jacobi Loſſii*, Paſtoris *Budenſtetenſis* viduâ. *Conjugium ſecundum.* Liberos intereà ſuos omnes honeſtè vidit elocatos. Anno enim Jubilæi 1617. filiam natu majorem *Margaretham* in conjugium dedit M. *Johanni Hennen*, Paſtori *Oſtravienſi*. *Filias 3. Eccleſ. Paſtoribus tribus elocavit.* A. 1627. Altera ejus filia *Anna Sophia* deſponſata fuit *Johanni Hahnio*, Eccleſiæ *Levettenſis* in Principatu *Kalenbergico* Miniſtro. Anno ſeq. 1628. filiam natu minorem *Catharinam* dedit uxorem *Achatio Meyero*, Eccleſiæ *Schladenſis* in Epiſcopatu *Hildesheimico* Paſtori.

Filius ejus natu major *Achatius* A. 1635. Paſtor Eccleſiæ *Sommerſtorfii Hevenſæ* in Ducatu *Calenbergico*, tandem Senior & Generalis Superintendens *Hildesheimenſis* factus eſt. *Duo filii Eccleſiar. Paſtores.*

Alter filius *Valentinus* A. 1639. Patri Coadjutor in Miniſterio Eccleſiaſtico adjunctus: tertius *Burcardus*, ſartor *Amſtelrodami* in *Hollandiâ* nupſit, & ſedem poſuit.

A. 1636. Altera ejus uxor in viâ *Brunſvicum* verſùs, plauſtro delapſa vitam finiit. Biennio pòſt tertiâ vice deſponſatus, brevî pòſt uxore per mortem orbatus, ſenectutem in viduitate exegit, beatâ tandem morte vivis ereptus 15. Oct. A. C. 1644. ætatis 77. *Moritur.*

* *Ex Concione fun. Davidis Pichtii, Paſtor. Ummendorff.*

EPITAPHIUM hoc lapidi Sepulchrali voluit inſcribi:

Epitaphium.

QUIESCO HIC IN DOMINO CUM DUABUS UXORIBUS
CATHARINA LOHMANS, BRUNSVICENS.
MARGARETA FISCHERS, HELMSTAD.
FILIO NATU MINIMO ET NEPTE.

Digitized by Google

M. VALENTINUS MYLIUS, Ilfeld.
Nobiliſs. Velthemiorum Harbecc.
Paſtor.
Natus anno MDLXVIII. XII. Augusti d.
Evocatus ann. MDCXLIV. XV. Oct.
Ætatis LXXVIII. Miniſterii in Oſtrau
et Harbke XLV.
Pater Liberorum X.
Avus Nepot. XXXII.
Proavus Pronepot. III.
Credo in JESU CHRISTO Remiſſionem
peccatorum, carnis reſurrectionem,
et vitam æternam, Amen.

Emeritus vixi miles, jam rude donatus
Inter Cœlicolas CHRISTO cum Rege triumpho.

Obiit A.C. 1644.

CHRISTOPHORUS RICHTERUS.

Natus eſt *Biſchofswerdæ*, die *Concordiæ* A.C. 1590, Patre *Jacobo*, præfecto ærarii, & 19. annis Conſule: Matre *Mariâ Salome*, *Nicolai Seiffarti*, Conſulis ibidem, filiâ.

Cum in Scholâ *Budiſſinâ* & *Zittenſi* in linguis & artibus profectûs feciſſet eximios A. 1608. cum conſenſu Parentum in Academiam *Wittenberg.* diſceſſit, ubi Profeſſores Philoſophiam publicè docentes audivit, & A. 1611. cum laude Magiſter Philoſophiæ renuntiatus eſt. Abindè ſtudiis Theologicis deditus, Theologos celebres, *Wolfgangum Franzium*, *Leonhardum Hutterum*, & *Fridericum Balduinum* profitentes audivit, eorumque Diſputationibus interfuit.

Philoſ. ſtud. Wittenbergæ, & Magiſter.

A. 1613. Pædagogiam *Dresdæ* in ædibus viduæ *Matthiæ Hanitſchii*, Quæſtoris Electoralis, aggreſſus, unà ſtudia ſua continuavit.

A. 1615. In Scholâ *Portenſi* Collegæ munus adeptus, & A. 1617. Diaconi *Naumburgenſis*, 16. Sept. A. 1618. â Conſiſtorio *Dresdenſi* Superintendens *Eckardsbergæ* deſignatus, & 37. Paſtoribus diœceſeos ſuæ præpoſitus eſt.

Diaconus Naumburg.

A. 1620. Vocante *Henrico*, Domino *Plavienſi*, Eccleſiæ *Geranæ* Paſtor, & reliquarum *Ruthenicarum* Superattendens Generalis, Conſiſtorii *Ruthenici* Aſſeſſor primarius, & Scholæ *Rutheno*-Provincialis Inſpector conſtitutus eſt.

Superint. Generalis Ruthenic.

12. Maji A. 1618. *Naumburgi* nuptias celebravit cum virgine *Dorotheâ*, *Joh. Harniſchii*, civis honeſti filiâ, ex quâ 8. filios & 7. filias progenuit, tres verò filios & duas filias præmiſit. Ex filiabus *Suſannam* anno 1640. M. *Joh. Caſp. Zopfio* Theol. Baccalaur. & Archidiacono *Gerano* uxorem dedit. Filius *Ehrenfridus* A. 1641. *Lipſiæ* cum laude Magiſter creatus eſt.

Conjugium ejus, & liberi.

Arthritide multis annis excruciatus, ultimo vitæ triennio tantâ memoriæ debilitate laboravit, ut Conciones ſuas in Cathedrâ legere planèque tandem intermittere coactus fuerit.

Memoriam amiſit.

Accedente tandem hemiplexiâ morte placidâ extinctus obiit 8. Dec. A.C. 1644. æt. 55. Moritur.

SpLenDet VbI CeLſo LVX CœLo oCtaVa XbrIs
RIChterVs fato tranſIt aD aſtra bono.

Magister CHRISTOPHORUS RICHTERUS, Superintendens.

Per Anagramma:

In terris hic tum degens & Phosphorus aſtri Currens.

Joh. Entichii Paſt. Agav. Epigramma cancrinum, cujus Hexametri in ſe, Pentametri in Jambos recurrunt ſenarios.

Mors ô triſtior, ô atrox, ô dirior orbis
Unica tu noſtri Regna potenter agis.
Nulli parcere ſcis, celebres & Judicis auſus
Negligis, huncque audes falce necare Virum.
Muſæ plangite Pindi triſtes! plangite. Judex
Labilis è vitæ colle retortus abeſt.
Judex perbone, ſalveto, Laus, gloria Pindi,
Cœlitis in templi ſacra Corona choro.

* *Ex Concione fun. Zachariæ Appenſelderi, Concionat. aul. Gerani, & Epicediis.*

ÆGIDIUS WIDDOWES.

Obiit A.C. 1645.

Micklotonæ in *Angliâ*, apud *Glocestrenſes* natus, *Oxoniæ* in ſocium *Orielenſem* deligitur A. 1610. quo munere cum annos undecim functus fuiſſet, ultrò ceſſit, & Eccleſiæ *S. Martini* ad quadrivium *Oxon.* Rectoriam ingreſſus eſt.

Rector Eccleſ. S. Martini Oxon.

Vir erat omni penè culpâ immunis, libris SS. Patrum verſatus, diſputandi Facultate haud vulgari præditus, Eccleſiæ porrò *Anglicanæ* addictiſſimus, undè Fanaticos & Schiſmata foventes proſcindere nunquàm deſtitit; quâ de re lites ei cum *Guilielmo Prynne*, nupero ſuo pupillo, interceſſere A. 1630. quas modò dictus tandem depoſuit, majoris & momenti & ſceleris negotiis implicitus.

Tumulum accepit in Sacrario, vel Cancello Eccleſiæ *S. Martini* prædicti 4. Febr. A. 1645.

Edidit autem

Concionem in 1. Cor. 14. v. ult. cui *Catharo Schiſmatico* nomen fecit *Oxon.* 1630. Angl. Scripta.

Anti-Arminianiſmi etiam *Prynniani appendicem*, contra eandem *Concionem* propalatam, convitiis autem non Argumentis refertam in libro quodam hunc titulum gerente, confutavit: *Confutatio ejusdem Appendicis.* Oxon. 1631.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

MAT-

Digitized by Google

Obiit A.C. 1645.

MATTHIAS HOË ab HOËNEGG.

VIennæ in *Auſtriâ* ex familiâ nobili natus eſt 24. Febr. A. C. 1580.

Superintendens Plaviæ.

A. 1611. Poſtquàm 8. annos Superintendens *Plaviæ Variſcorum* fuiſſet, indè *Pragam* ad Eccleſiæ Miniſterium vocatus, Eccleſiæ ibi Evangelicæ Paſtor primarius, & Director fuit.

Director Eccleſiæ Evang. Pragenſis.

27. Julii ejuſdem anni cum *Pragæ* in urbe veteri Templi recens exſtructi lapis fundamentalis ſolenniter fuiſſet poſitus, Concionem inauguralem in magnâ auditorum frequentiâ habuit. Is verò Lapis ex marmore rubro cæſus, & Altari Templi impoſitus hâc fuit ornatus Inſcriptione:

GOTT LOB UND DANCK.
IM NAMEN DER ALLERHEILIGSTEN DREYEINIGKEIT, BEI REGIRUNG UND ALLERGNÄDIGSTER BEWILLIGUNG DES GROSMÄCHTIGSTEN KEYSERS RUDOLPHI II. IST DER EVANGELISCHEN KIRCH TEUTSCHER NATION ZUM SALVATOR ODER HEILAND GENANT, ERSTER GRUNDSTEIN GELEGET WORDEN XXVII. JULII AM TAG CAROLI ANNO ↀ Ⅾ CXI.

A.C. 1612. Poſt electionem Cæſaris *Matthiæ*, die 20. Junii *Pragæ* in Templo *S. Crucis* Concionem habuit gratulatoriam typis editam.

Anno Matthlas Cæſar DIgnVs & Pater bonVs ſIt. 1612.

Concionator aulicus Dreſd.

A. 1613. *Pragâ* diſcedens *Dreſdam* venit, factus Elect. *Saxoniæ* Concionator aulicus primarius.

Moritur.

Ibi vitam morte beatâ finiit 4. Martii A. C. 1645. ætatis 65.

Symbolum habuit ex Pſalmo 84.

Ejus Symbolum.

Elegi abjectus eſſe in domo DOMINI.

M. Oct. A. 1620. Cum Elector *Sax. Joh. Georgius Budiſſinum Luſatiæ* urbem nomine Cæſ. *Ferd. II.* ſubegiſſet, & cives Cæſ. fidelitatem juràſſent, ipſe Concionem habuit ex verbis *Eccleſiaſt. Salomon. Cap.* 8. Jch halte das Wort deß Königs / und den Eyd GOttes.

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta.

Tractatus tripartitus in Defenſionem Ægidii Hunnii. Witteb. 1604.

Civitas cœleſtis, ſeu *Comment. in Apocalypſin S. Johannis Lib. VIII.* in 4to.

Nova nova novorum ſtrenæ loco Pontificis transmiſſa, in 4to.

Apologeticus contra Bellarmini ſtolidum judicium pro ſancto Concordiæ Libro, in 8vo.

Tractatus de Diſputationibus Theologicis: quare, quomodo, à quibus, & de quibus ſint inſtituendæ? in 12mo.

Triumphus Calviniſticus contra Abrahamum Scultetum, in 4to.

Tractatus luculentus Anti-Calviniſticus Geomonti apologetico Baronis Wenceslai à Budowitz oppoſitus, in 4to.

Solida deteſtatio Papæ & Calviniſtarum, in 4to.

Calviniſtarum vera, viva, & genuina deſcriptio, ejusque ſolida & invicta aſſertio adverſus Libellum D. Ludovici Crocii, Profeſſoris Bremenſis, in 4to.

Gloria CHRISTI Feſto Conceptionis Mariæ prædicata.

Tres Conciones de Feſto Sanctorum.

Explicatio verborum Johannis: In principio erat verbum.

Diſſertatio Anti-Poniatoviana, an beati & cœlites DEUM in ſuâ eſſentiâ cognoſcant?

Reſponſio ad Appellationem Sam. Huberi, cum Delineatione articuli de Prædeſtinatione.

Velitatio Epiſtolaris inter ſe & D. Cutſenium ſuper quæſtione, an conſultum ſit, Eccleſiam Lutheranam deſerere?

Angeli Tubicines, ſeu inſigniores hæretici ſeptem.

Meditatio de incarnato DEO.

Oratio de LUTHERO Magno.

Apologia pro LUTHERO & Auguſt. Conf.

Labyrinthus Papiſticus Cretico-Gretſerianus.

Tractatio doctrinæ de Perſonâ CHRISTI.

Enarratio Pſalm. VIII. item CX. de CHRISTI exaltatione.

Quæſtionum & Problematum Theol. Decades II.

Panegyricus Chriſtiano II. Elect. Sax. dicatus.

Catal. Electorum Saxoniæ.

Philoſophiæ Ariſtotelicæ partes III.

Explicatio Evangelior. Dominic. & Feſtivalium. Germ.

Reſponſio ad 4. Quæſtiones. Germ.

Enchiridion Evangelicum dogmatibus Pontif. oppoſitum.

Ad libellum quendam Calvinianum reſponſio. Germ.

Quatuor Conciones de S. Cœnâ.

Calumniæ de Apoſtaſiâ Hoëi exploſio. Germ.

Ad Berlinenſes Evangelicos admonitio. Germ.

Refutatio libelli Calviniano-Berlinenſis, de DEO ejusque Verbo.

Reſponſio ad Calvinianorum Supplicationem in Aulâ Sax. & ad Diſſertationem Calvinianam moniteriam, & alios libellos Calvinianorum.

Diſcurſus, utrum Calviniana Religio extra Oecumenicum Conſilium poſſit condemnari.

Apologia contra Paulum Toſſanum.

Explicatio Epiſt. S. Pauli ad Galatas.

Deß Churfürſtenthums Sachſen Landes-Vatter/ausgeführt in einer Predigt auf dem Land-Tag zu Torgau A. 1628.

Zwo Predigten/ auf dem Churfürſten Tag zu Mülhauſen gehalten A. 1627.

Geiſt-

Geiſtliches Bet- und Buß-Glöcklein Davids. in 8vo.

De Franciſco ejusque miraculis.

Conciones duæ Gratulatoriæ Viennæ habitæ.

Conciones in Prophetam Haggai.

Prophetæ Joëlis Expoſitio.

Ad Jubilæum Lutheranorum præparatio.

Porta honoris Matthiæ I. erecta.

Aurea ars moriendi. Germ.

Conciones plures & minores tractatus.

De gravi luctâ fœminæ Canan. cum CHRISTO.

Septem Verborum CHRISTI Explicatio.

Ausführung der Evangeliſchen Lehr in Predigten verfaßt.

Chriſtliches Bedencken / wie ſich die jenige verhalten ſollen / denen Päbſtiſche Lehr anzunehmen / oder nur den Päbſtiſchen Kirchen-Verſammlungen beyzuwohnen will auferlegt und zugemutet werden. in 8vo.

Nothwendige Unterricht vom Beten und Opffern für die Abgeſtorbene / vom Fegfeur / vom *Cælibat* oder Prieſter-Ehe / und vom Römiſchen Pabſt. in 8vo.

Der Gerechten unerſchrockener freudiger Helden-Muth und Hertzen-Freud. in 8vo.

Der ſchönen Jugend oder Kirchen GOttes und deß Antichriſts Beſchreibung. in 8vo.

Evangeliſch Hand-Büchlein / darinn erwieſen / daß der Lutheriſche Glaub recht Catholiſch / der Päbſtler Lehr aber irrig und falſch iſt. in 8vo.

Geiſtliches Kirch- Reiß- und Haus-Büchlein. in 12mo.

LITERARUM OMNIUM DIVINARUM HUMANIORUMQUE CONDUS,
ERGA INOPES UNIVERSIM, LITERATOS INPRIMIS
BENIGNISSIMUS FACULTATUM PROMUS:
MOX UT QUAS IPSE COLEBAT UNICE VIRTUTES ESSE DESIERUNT.
MENDICITATI, EXILIO, CARCERI SÆCULOQUE
(ET SI QUID IPSO ADHUC TRISTIUS IMPENDENTE PROVIDEBAT,)
PROPITIA NUMINIS INDULGENTIA OPPORTUNE PRÆREPTUS
POST JUSTISSIMAM ΕΥΖΩΑΝ
IN QUA SINGULA IPSI SUPRA VOTA SUCCESSERANT
ΕΥΘΑΝΑΣΙΑΝ DEMUM PRO VOTO SORTITUS,
MORTALITATEM EXUIT
A. D. V. NON. MART. A. D. M DC XL V. VI.
ÆTATIS LV.
MOERENS MOERENTI P. ELIZABETHA RELICTA.

Scripſit:

De Chriſtianæ charitatis defectu in Pontificiis iis, qui Proteſtantes vitæ æternæ prorſus eſſe incapaces contendunt. Londin. edit. 1634. Angl. — *Scripta.*

Concionem in Johann. c. 21. v. 17. Lond. 1629. Ang.

Ex idiomate *Italico* in *Anglum* etiam transfudit

Hiſtoriam inimicitiarum, quæ Paulo V. Pont. Romano, cum Republicâ Venetâ interceſſére. Lond. 1629.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

Obiit A.C. 1645.

CHRISTOPHORUS POTTER.

KEndalliæ in *Weſtmorlandiâ* natus, *Oxoniæ* apud *Reginenſes* Clericus, pauper puer vel Tabardus, Capellanus, Socius, ac tandem Præpoſitus fuit; demùm verò ad Canonicatum *Windelſorianum*, & Decanatum *Wigornienſem* evectus eſt. — *Canonicus Windelſorianus. Decanus Wigornienſis.*

E vitâ migravit A. C. 1645, inque Collegii *Reginenſis* Capellâ humatus eſt tali Epitaphio in marmore parieti Auſtrali infixo: — *Epitaphium.*

CHRISTOPHORI POTTER,
SS æ. THEOL. PROFESSORIS,
COLL. REGINÆ OXON. PRÆPOSITI,
ECCLESIÆ WIGORNIENSIS DECANI, DUNELMENSIS DESIGNATI.
SERENISSIMÆ REGIÆ MAJ. A SACRIS.
QUI
CRATER. CUM HEPHÆST. MISCENS,
ΦΙΛΟΒΑϹΙΛΕΥϹ IDEM ET ΦΙΛΟΚΑΡΟΛΟϹ.
SERIUS PIETATIS CULTOR, RIGIDUS HONESTI SERVATOR,
DURUS STUDIORUM EXACTOR, SOBRIUS VERITATIS PROPUGNATOR,
PACIS SERVATOR PERVICAX,

Obiit A.C. 1645.

DANIEL FAIRCLOUGH, vulgò FEATLY.

CHarltoniæ apud *Otmore* in agro *Oxonienſi* natus, circa menſis Martii 5. an. Dom. 1582. fuit in Collegio *Corporis Chriſti Oxon.* Scholaris 1594. & poſt ſex annos ſocius, & in anno 1605. Artium Magiſter. Non multò poſt Theologicis ſtudiis addictus, in Patrum, Conciliorum, Scholaſticorum lectione aliquandiu inſudavit. Tum comi ingenio, & ſuaviſſimis moribus, nec non eximiâ concionandi Facultate ita inclaruit, ut à D. *Thomâ Edmonds* Equite Aurato in *Galliam* ſub id tempus Legato, in Sacellanum optaretur; in eo munere triennium moratus, & adverſariis *Romanenſibus*, quibuscum non ſemel concertavit, compellari meruit *Featlæus acutiſſimus acerrimusque*. — *Fit Magiſter artium Oxon.*

Ad Collegium ſuum deindè reverſus, S. T. Baccalaureatu inſignitus eſt. A. 13. breviqúe poſt Rector de Northill in *Cornubiâ* factus. Indè tamen poſt exiguum moræ ſpatium ab *Abbato* Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, ut ſibi â ſacris domeſticus eſſet, evocatus. A quo etiam ad *Lambethæ* Rectoratum in agro *Surreienſi* promovebatur. — *Rector Eccleſ. de Northill. Rector Lambeth.*

S. Theol. Profeſſor. batur. An. 17. S. Th. Profeſſor evaſit, quo tempore Diſputatione ſuâ ita Archiepiſcopo *Spalatenſi* placuit, ut ab eodem in ſocium ſive fratrem *Sabaudienſem* cooptatus ſit.

Sub eodem tempore ab Archiepiſcopo, Eccleſiæ *omnium Sanctorum* in Broadſtreet Londini *Rector Eccleſiæ de Acton.* Rectoratu donatus eſt, quam ille ſtatim cum Eccleſiâ de Acton ad ſextum â *Londino* lapidem commutavit; & poſtremò Collegio *Chelſeienſi* præpoſitus eſt.

Per omne illud tempus, usque ad initium belli civilis, adverſùs *Romanenſes*, præcipuè verò Jeſuitas, tum diſputando, tùm ſcribendo exercitatus, Eccleſiæ *Anglicanæ* decus ſimul & præſidium ſemper habitus.

Anno autem 1643. cum exuti jam & deturbati eſſent Epiſcopi, in cœtum Theologorum (quos vocant,) *Weſtmonaſterienſium*, qui Religionis *Reformandæ* provinciam involârunt, ſeipſum referri paſſus eſt, & inter eos ſedendo, *Calvinianæ* diſciplinæ ſimul & doctrinæ, fautorem ſe, ut hactenùs occultum, nunc nimis ex profeſſo demonſtravit; & ſic aliquatenus meruit, ut ab iis peſſimis modis tractaretur; inſimulatus enim, iſtius cœtus arcana *Jacobo* Archiepiſcopo *Armachano*, per literas indies communicâſſe, primo in ædibus tunc quidem *Petræi* Baronis nunc Epiſcopi *Incarceratur.* *Londinenſis* incarceratur, deindè omnibus Eccleſiaſticis beneficiis multatus; quorum illud, *Lambethanum Johanni White*, *Dorceſtrienſi* Parocho, alterum *Actonenſe* *Philippo Nye*, infami iſti & ſordido Independenti, ſunt collata.

Moritur. Obiit *Chelſejæ*, & in Eccleſiâ *Lambethianâ* ſepultus eſt cum hoc Epitaphio, tumulo inſculpto:

Epitaphium. SISTE GRADUM VIATOR; PAUCIS TE VOLO. HIC SITUS EST DANIEL FEATLÆUS, IMPUGNATOR PAPISMI; PROPUGNATOR REFORMATIONIS; INSTIGATOR ASSIDUÆ PIETATIS, TAM STUDIO QUAM EXERCITIO THEOLOGUS INSIGNIS; DISPUTATOR STRENUUS, CONCIONATOR EGREGIUS, PUSILLUS ATLAS VEGETIOR A CERTAMINIBUS. ΕΓΚΥΚΛΟΠΑΙΔΕΙΑ ΤΩΝ ΕΠΙΣΗΜΩΝ ΔΙΔΑΚΤΟΣ ΚΑΙ ΔΙΔΑΚΤΙΚΟΣ, FACETE CANDIDUS, CANDIDE FACETUS D. D. FEATLÆUS, QUI NATUS CHARLTONIÆ, EDUCATUS OXONIÆ: ÆTATIS SUÆ LXV. OBIIT CHELSEJÆ APRILIS XVII. SEPULTUS FUIT LAMBETHÆ APRILIS XXI.

ANNO SALUTIS M DC XLV.

Librorum, quos *Anglicè* ſcripſit, ferè omnium, hi ſunt tituli:

Scripta. *Vita Johannis Rainoldi*, C. C. Ch. aliquando Præſidis.

Vita Job. Jewelli, Epiſcopi olim Sarisburienſis.

Vita Roberti Abbot, Epiſcopi Sarisburienſis.

Ancilla Pietatis. Lond. 1626.

Summa Colloquii cum Fiſchero & Sweito Romanenſibus. Lond. 1624.

Appendix Reti piſcatorio, ſive *Fiſcheriano* &c. ib. eod. anno.

Sacrilegium Eccleſiæ Romanæ, in prohibendo Laicis calicis uſum in Euchariſtiâ. Lond. 1630.

Scientiæ ſalviſicæ ſumma, ſive *Catechiſmus*. Lond. 1626.

Defenſio viæ tutæ per Humph. Lynde ſcriptæ. Lond. 1638.

Stricturæ in Lyndomaſtigem. Ibid. eod. an.

Conciones variæ. Lond. 1640.

Conciones 70. Lond. 1636.

Catabaptiſta ſubmerſus, contra Anabaptiſtas. Lond. 1644.

Roma ruens, ſive *Reſponſum Romanenſis cujusdam provocationi*, Lond. 1644.

Rationes ſedecim pro Epiſcopatu. Et aliæ contra fœdus ſolenne, in uno libro, cui titulus *Sacra Nemeſis.*

Cygnea Cantio &c. Horum pars maxima, poſt ejus obitum, uno volumine publicata eſt.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii â Wood.*

FABIANUS HEIDENIUS. *Obiit A.C. 1645.*

IN oppido *Biſchofswerdâ* natus eſt 29. Junii A.C. 1575, Patre *Fabiano*, textore, Matre *Reginâ*, *Jacobi Weberi*, ſutoris & Senatoris filiâ.

Cum anno æt. 7. patrem amiſiſſet, & mater biennio pòſt *Petro Magero*, Conſuli *Biſchofswerdenſi* nupſiſſet, ab his A. 1590. in Scholam *Grimmenſem* miſſus eſt ad patruum *Johannem Weberum*. Ibi mox inter Alumnos Electorales receptus ſexennium *Alumnus Scholæ Grimmenſ.* conſuetum in ſtudiis abſolvit, ſub Præceptoribus M. *Martino Heineccio*, Rectore, M. *Joh. Schreinero*, Conrectore, M. *Joh. Webero*, Collegâ tertio, & *Joh. Reinmanno*, Cantore.

A. 1596. Scholæ huic valedicens, in Academiam *Lipſienſem* venit, & prægreſſo examine in numerum Stipendiariorum receptus eſt. *Stipendiar. Lipſiæ.*

28. April. Cum Patria ejus *Biſchofswerda* per incendium in cineres redacta fuiſſet, Mater quoque ad extremam paupertatem redacta, ſtudiorum ei ſubſidia nulla potuit amplius erogare. Ideò ſtipendio *Lipſienſi* 40. flor. ſe ſuſtentare coactus, *Wittenbergam* adivit, ibique 25. Martii A. 1601. cum aliis Magiſterii gradu inſignitus, & brevi pòſt *Radebergæ* Scholæ Rector conſtitutus eſt, & *Miſenæ* confirmatus. *Phil. Magiſter Witteberga. Rector Scholæ Radeberg.*

17. Nov. ejusdem anni in patriâ conjugio junctus eſt cum virgine *Reginâ*, *Jacobi Jenichen*, Pellionis & Mercatoris filiâ. A. 1602. Vocatus â nobili Viro *Joach. Henrico Grünradio*, *Luptizii* Paſtor Eccleſiæ factus, & â *D. Georgio Weinrichio* ordinatus eſt. *Paſtor Luptizii.*

Digitized by Google

Cum ibi 12. annos in Miniſterio ſacro exegiſſet, juſſu Conſiſtorii *Dresdenſis*, *Schneebergam* venit, Eccleſiæ ibi Paſtoris officium aggreſſus, & Superintendentiæ *Zwiccavienſis* Adjunctus declaratus eſt.

Paſtor Schneeberga.

Liberi ejus ex primo conjugio.

Ex conjuge 6. filios duasque filias ſuſcepit, ſed filium tantùm reliquit ſuperſtitem M. *Chriſtianum Heidenium*, Paſtorem *Kirchbergenſem*, & filiam *Reginam*, *Chriſtophoro Schindlero*, Paſtori *Wolckenſteinenſi* nuptam.

Filius *Jacobus*, S. Theol. Studioſus A. æt. 23. Magiſterii gradu ornandus *Wittenbergæ* obiit. Sed cum uxor ejus A. 1618. morte fuiſſet abrepta, A. 1620. ad ſecunda vota tranſiit cum virgine *Reginâ*, *Johannis Zobelli*, Civis primarii *Schneebergæ* filiâ, quæ duos ei filios *Johannem* & *Fridericum*, duasque filias *Suſannam* & *Roſinam* peperit.

ex ſecundo,

Sed hâc quoque defunctâ tertium iniit conjugium A. 1634. cum virgine *Clarâ*, Dom. *Mich. Meureri*, Senatoris & Mercatoris ibidem filiâ, quam viduam cum filiolâ *Roſinâ* reliquit, filiolo *Benjamino* præmiſſo.

& tertio.

Cum tandem â biennio dorſi dolore gravi laboràſſet, & indè exortâ pedum debilitate, ut ſæpiùs ſtare non potuiſſet, accedente tandem in pollice pedis gangrænâ incurabili, quam nec Medici Ord. *D. Salom. Fiſcheri*, nec Chirurgi diligentiâ debellare potuit, viribus ſenſim deficientibus placidè extinctus eſt 3. Maji A.C. 1645. æt. 70. Miniſt. 42.

Moritur.

MAGISTER FABIANUS HEIDENIUS ERUDITUS, PASTOR GREGIS NIVEMONTANI FIDELIS.

Per Anagramma *

Flos DEI Miniſtrorum, perſtas in fide, vah ſubis in gaudia egregia, en ut nites?

* *Ex Concione fun. D. Baltaſ. Balduini, Superint. Zwiccav.*

GUILIELMUS TUISSIUS, vulgò TWISSE.

Obiit A.C. 1645.

IN *Angliâ* ad vicum Speenhamlands / in Parochiâ Speene / ſecus *Newburgum*, vulgò *Newbury*, in Agro *Bercherienſi* natus eſt. *Teutonibus* oriundus erat Viri hujus avus, in *Angliam* autem (quo caſu conſiliové parùm conſtat,) trajiciens, cum indigenis coäluit; atque indè eſt, quod acerbitatis virus in Scriptorem hunc evomens *Franciſcus Annatus*, Jeſuita, natione *Teutonicum*, fortunâ *Batavum*, Religione *Calviniſtam* &c. appellat.

Ipſum verò ad Scholam *Wintonienſem* amandavit Pater, (is pannificium *Newburgi* exercendo divitiarum affatim collegerat,) cumque pueritiæ diſciplinas ibidem hauſiſſet, optimæ ſpei Juvenis in Collegium Novum *Oxoniæ* cooptatus eſt, cujus ſocius emerſit A. 1598. ubi primò Logicis, dein, decurſo ſtudio Philoſophico, Theologicis diligentiſſimè inſudavit circiter ſexdecem annos.

Collegii Novi ſocius Oxoniæ.

Conſtat porrò, quod ſuſcepto A. 1614. Doctoris in Theologiâ gradu unigenitam Regis *Jacobi* filiam, Electori *Palatino* enuptam, in *Germaniam* comitatus eſt, Sacellani munia obiens; ibidem verò aliquandiu commoratus, in patriam rediit, fructu haud modico ex Theologorum *Germanorum* conſuetudine percepto; dein autem Beneficio de Newton *Longuillorum*, in Agro *Buckinghamenſi* donatus eſt, quod quidem Parochiâ de *Newbury*, quâ fruebatur *D. Giles*, poſtmodo commutavit. Eodem itaque ſe conferens, Evangelium aſſiduè annuntiavit, minori tamen cum Auditorum fructu, quod ſoli potiùs, quàm ſeminis aut proſeminantis vitio tribuendum.

D. Theologiæ. Jacobi Regis filiam in Germaniam comitatur.

Parochus Neuburg.

Propter facilem & perſpicuam concionandi Facultatem laudari meruit, ſed Diſputationibus ſolidis magis inclaruit, maximè autem ob inſignem pietatis profeſſionem in pretio habebatur. Doctiſſimi rei literariæ Profeſſores, imò contra quoque ſentientes, id viro teſtimonii perhibuére, nihil utique accuratiùs pleniùsque de Controverſiis cum *Arminio* ejusvé ſequacibus habitis ſcriptum extare, quàm quæ ab ipſo fuiſſent edita.

Londini in vico Holborne fatis conceſſit, in Eccleſiâ verò Divi *Petri Weſtmonaſterienſis*, propè ſuperiorem menſæ pauperum partem, haud procul â veſtiario & Poëtarum ſepulchris, humatus 24. Julii anno Dom. 1645. ætat. 71.

Moritur.

Scripſit verò ac edidit:

Scripta.

Reſponſionem Scholaſticam ad Examen Libri Perkinſiani, de Prædeſtinationis modo & ordine, inſtitutum à Jacobo Arminio. Lib. III. Amſtel. 1632. ibid. 48. Lat. in fol.

Diſſertationem de Scientiâ mediâ contra Gabr. Penottum & Franc. Suarezium lib. III. Arnhem. 1639. Lat. in fol.

Digreſſiones. Ibid. eod. anno.

Animadverſiones ad Jacobi Arminii Collat. cum Franciſco Junio & Job. Arnold. Corvin. Lat.

Reſponſionem ad librum, cui titulus: Amor DEI erga mortales. Autore Magiſtro Hoard. Oxon. 1653.

Diſſertationem ſuper Decreto Divino, definitum ſit, an indefinitum? Ibid. eod. an. Angl.

Vanitatum Doctoris Thomæ Jackſon detectionem. Angl.

Synodus Dordracenſis &c. ad praxin redacta; unà cum Reſponſione ad utramque.

Sabbatum Chriſtianum contra ſeculi hujus Antiſabbatariorum errorem propugnatum; oſtenſo quod Mandati quarti moralitas etiamnum obtineat.

Tractatum de Reprobatione, tanquàm Reſponſionem ad Mag. Cotton. &c. Lond. 1646.

Con-

Digitized by Google

Conſcientiæ circa quæſtionem iſtam (quo nobis modo conſtiterit, ſacras Scripturas eſſe Verbum DEI ?) fluctuantis ſtabilimentum.

* *Ex hiſtoriâ & antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

Obiit A.C. 1645.

GEORG. FRIDERICUS BLINTZIGIUS.

HAllæ *Suevorum* natus 28. Febr. A. C. 1600. in utrâque manu 6. digitos habens, quorum duo præternaturales poſt baptiſmum â Chirurgo fuerunt abſciſſi. A. ætatis 12. miſſus in Gymnaſium patrium, Claſſes omnes ſexennii ſpatio percurrit.

Studioſ. Tubingæ.

A. æt. 18. Stipendio honeſto â Senatu patrio inſtructus Academiam *Tubingenſem* adivit, in quâ anno ſeq. Gradum Baccalaurei cum honore accepit, & A. 1619. Diſputationem Logicam de Propoſitionum copiâ & inventione medii termini publicè defendit.

A. 1620. Studia ſua in Academiâ *Altorfinâ* ſedulus continuavit, in eâque A. 1621. cum laude Magiſter Artium liberalium creatus, mox *Collegium Ethicum*, typis poſtmodùm excuſum, Logicum deindè, & Oratorium ſtudioſis aperuit.

Magiſter Philoſ. Altorfii.

Cum verò totum ſe ſtudio Theologico dediſſet, Collegium quoque Theologicum explicatorium inſtituit, & ſub Præſidio *D. Matthiæ Chriſtiani* Diſputationes tres, *de Peccato originali*, *de Officio CHRISTI Prophetico*, & *de Infinitate DEI*, unamque Præſide M. *Georgio Rittero de Libero Arbitrio* propugnavit.

In introductione Univerſitatis Altorf. teſtis ad recognoſcendum ſigillum & manum Cæſ. requiſitus.

A. 1623. In feſto ſolenni Introductionis Privilegiorum Univerſitatis die 29. Junii celebrato, ipſe cum alio quodam Theol. Studioſo, *Mennone Hannekenio* poſteà Theol. Doctore & Profeſſore *Marpurgenſi*, ab inclyto Senatu *Norimb.* teſtis requiſitus ad recognoſcendum Sigillum & Manum Cæſaream, prœmii locum Stipendiariorum *Noricor.* Inſpectionem ſibi delatam modeſtè recuſavit, & eodem adhûc anno 1623. in Univerſitatem *Argentin.* diſceſſit, in quâ Collegia varia Theologica & Philoſophica habuit, ſtudium verò Linguæ Hebraicæ imprimis excoluit.

Linguæ Hebrææ Cultor.

A. 1624. Exindè tres Academias celebres, *Moltzhemii*, *Friburgi* in *Briſgoviâ*, & *Baſileæ Rauracor.* unà cum *Mennone Hannekenio* inviſit, & *Argentoratum* reverſus, frequenter concionando tàm intra quàm extra urbem ſeſe exercuit.

Diaconus Hallenſ.

A. 1626. In Patriam reverſus, â Senatu legitimè vocatus, Diaconi munus ad *S. Michaëlem* ſuſcepit, prægreſſis Ordinatione & Præſentatione conſuetis.

Uxorem ducit.

Mox conjugii ſocietatem iniit cum virgine *Reginâ Barbarâ*, *Davidis Eiſenmengeri*, tunc Gymnaſii Rectoris, poſteà Senatoris *Hallenſis* filiâ, quam cum filio & filiâ ſuperſtitem reliquit.

Archidiaconus, Scholarcha, & Conſiſtorii Aſſeſſor.

A. 1632. Archidiaconus Templi ad *S. Michaëlem*, Scholarcha & Aſſeſſor Conſiſtorii renuntiatus, A. 1636. Concionator Eccleſiæ *Hall.* primarius, & anno ſeq. Procurator Rev. Capituli declaratus eſt.

Concionator primarius.

Variis tandem doloribus colicis & nephriticis afflictus, ad quos profligandos Acidulis *Göppingenſibus* in ipſo loco fruſtrà uſus erat, ex ærumnoſo exulceratæ hujus vitæ ergaſtulo liberatus in CHRISTO exſpiravit 25. Aug. A. C. 1645. æt. 45.

Moritur.

Guil. Bintz, Paſtor *Ensling.* hoc ei ſcripſit *Chronodiſtichon*, Annum, Menſem & Diem obitûs repræſentans:

AVgVſtI qVInto VIgeno Georg FrIDerICVs
BLIntzIg FaX HaLLæ CœLICa aD aſtra CItò It.

Symbolum ejus fuit ſententionale:

M. GEORG. FRID. BLINTZIG, *Hall.*
Meſſiæ Gratiâ Fidens Beor, Hallelujal

* *Ex Conc. fun. M. Joh. Chriſtoph. Grateri, Archidiaconi Hallenſ.*

Obiit A.C. 1645.

NICOLAUS PAULI SCANDORPHIUS.

NAtus eſt *Scanderupii* in *Cimbriâ* 1. Julii A. C. 1596. Patre *D. Paulo Andreæ*, Regio *Scanderburgi* Concionatore, ac Nomarchiæ *Hiellumslovianæ* Præpoſito, *Exedræque Arhuſianæ* Canonico: Matre *Catharinâ, Nicolai Petræi*, Conſulis *Arhuſienſis* filiâ.

Herloviæ diſcipulus.

Poſito domi literarum tyrocinio, annum agens 13. *Herloviam* venit, & 7. militavit annis ſub auſpiciis trium Rectorum, M. *Caſp. Brockmanni*, M. *Petri Hienii*, & M. *Johannis Knopſii*, tantâ alacritate & diligentiâ, ut retinaculo ac fræno non ſtimulis aut calcaribus opus habuerit.

Civis Academiæ Hafnienſis.

Hinc factum, ut anno ætat. 20. â *Knopſio* commendatus, Civitatem Academicam *Hafniæ* nullo negotio â Magnifico Rectore M. *Chriſtiano Longomontano* impetraverit.

Notæ ſedulitatis hominem mox in ædes ſuas aſſumpſit Dom. *D. Caſp. Brockmand*, & quem *Herloviæ* pridem erga eum conceperat amorem hîc exſeruit luculentius. Manſit hîc & *Hellesoræ* penè triennium.

Baccalaureus.

A. 1618, quo ſæva mors vix menſtruo intervallo utrumque illi eripuit parentem, primos in Philoſophiâ conſecutus eſt honores, conferente M. *Chriſtiano Longomontano.*

Præceptor in Scholâ Soranâ & Slagloſ.

A. 1619. Scholæ *Soranæ* ſupremus Hypodidaſcalus tertiæ Claſſis factus, Diſcipulos 9. menſes inſtituit. *Slagloſiæ* deindè Ludo Moderator ſeſquiannum præfuit.

Wittenbergæ ſtud.

A. 1621. Reſignato Scholaſtico officio *Wittenbergam* (quam appellare ſolebat *Evangelicam Hieroſolymam*,) uberioris eruditionis acquirendæ gratiâ diſceſſit. Ibi Profeſſoribus acceptus, auctus eſt ab Academiâ patriâ ſtipendio Regio, traditusque

ei ſimul in diſciplinam nobilis adoleſcens *Nicolaus Krabbe, Tagonis* filius, cujus ſtudia gubernavit.

Rector Scholæ Herlovianæ. Philoſ. Magiſter.

A. 1624. Domum revocatus, primò regendam accepit Scholam *Herlovianam*, deindè *Viburgenſem*, & intereà Magiſter Philoſophiæ A. 1625. d. 12. Maji à Decano M. *Wolfgango Rhumanno* renuntiatus eſt.

Paſtor Eccleſ. Hafniæ, & Præpoſitus.

A. 1626. Accitus ad Miniſterium Eccleſiaſticum, docuit *Alburgi* ad *S. Bodulphum* 8. annis, & in Templo Academico *Hafniæ* in quintum annum, ſupremus utrobique Eccleſiaſtes, & hìc etiam Præpoſitus.

Theol. Profeſſor & Doctor.

A. 1639. In Collegium Profeſſorium adſcitus, Theologica cum induſtriâ ſingulari profeſſus, & anno ſeq. 1640. d. 8. Dec. ab Epiſcopo *Caſp. Eraſmo Brockmando*, Præceptore quondam ſuo, in Templo Academico coràm altari ſolenniter S. Theol. Doctor creatus eſt.

Uxorem duxit.

Initio officii Eccleſiaſtici in matrimonium accepit Virginem *Hedwigem*, M. *Wilbelmi Paludani, Viburgenſis* primarii Paſtoris & Canonici filiam. A. 1645. difficili belli

Rector belli Sax. tempore.

Suecici tempore Rectoratum Academiæ ſapienter geſſit.

1500. Thaleros pauperibus legavit.

Morbo tandem lethali correptus, poſtquàm 1500. Imperiales Pauperib. legâſſet, 7. modò dies decumbens, cum nomen JESU ſæpiùs ingeminâſſet, vocem & vitam poſuit 1. Nov. A. C. 1645. ætatis 49.

Funus publico Programmate indictum ab Acad. Rectore *D. Claudio Plumio*, & ſepultus eſt in Choro Templi *D. Virg.* ubi monumentum ei poſitum, cum hàc Inſcriptione:

Monumentum.

D. N. P. H. W. D.

PIÆ MEMORIÆ VIRI ADMODUM REVERENDI ET RELIGIOSI DN. NICOLAI SCANDORPHII, S. S. THEOL. DOCTORIS, ET IN REGIA HAC ACADEMIA PROFESSORIS ORDINARII, QUI DIE I. NOVEMB. ANNO M DC XLV. ÆRUMNOSAM HANC VITAM CUM BEATA ILLA COMMUTAVIT. UXOR SUPERSTES HEDVIGE PALUDANA PONI CURAVIT.

Scripta.

Scripta:

Diſputatio Philoſophico-Theologica de Malo. de Juſtificatione.

Diſputationes tres de Rejectione Judæorum & Adoptione Gentium.

De Uſu Chriſtianæ Libertatis circa Adiaphora.

Lucta Carnis & Spiritûs.

Jojadæ Pontificis Vita & mores in obitu D. Joh. Paul. Reſenii Ling. Dan.

* *Ex Acad. Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

Obiit A.C. 1646.

CHRISTOPHORUS WELHAMER.

A*Mbergæ, Palatinatûs* ſup. metropoli in lucem editus eſt 10. Febr. A. 1585. Patrem habuit *Mauritium*, ibidem pellionem, Matrem *Margaretam Sölberiam*. In

Fit Alumnus in Schola Poët. Ratisb.

Scholâ patriâ educatus à parentibus *Ratisbonam* ad Scholam Poëticam tunc famâ celebrem miſſus, in numerum ibi Alumnorum cooptatus eſt A. 1599.

Magiſter Philoſ.

Cum verò tantum in literis profeciſſet, ut ad Univerſitates ablegandus fore viſus eſſet ſat habilis, A. 1603. in Academiam *Altorfinam* miſſus, gradum ibi Magiſterii cum honore adeptus eſt A. C. 1606. æt. 21. Indè *Jenam* perrexit A. 1608. In utroque loco cum diſputando, perorando & concionando diligentem ſe exhibuiſſet, *Altorfium* regreſſus, ſtatim in pago vicino, *Altenthan* vocato, Vicarius deſignatus, & S. Eccleſiæ Miniſter ordinatus eſt 14. Mart. A. 1610.

Vicarius Altenthann.

5. Mart. A. ſeq. *Ingersdorffium* promotus, cum ibi per annos 4. cum dimidio Verbum DEI docuiſſet, & ob facundiam paſſim innotuiſſet, oppidi *Lauffenſis* in ditione *Noricâ* Concionator factus eſt A. 1616. Quàm dilectus ibi fuerit auditoribus ſuis, ex eo liquet, quod A. 1620. à Senatu *Noribergenſi* in Urbem vocatus cum fuiſſet, cives ipſi penſionem annuam 100. florenis ex facultatibus propriis augere voluerint. Sed DEO aliter diſponente, vocationi legitimæ morem gerens, *Noribergam* cum familiâ ſuâ migravit, ibique primùm ad *S. Laurentium* M. *Johannis Schröteri* Vicarium egit, deindè ad *Spiritum Sanctum* in Templo xenodochiali Concionator conſtitutus, munus id cum DEO alacriter aggreſſus eſt primâ Dominicâ Adventûs anno 1621.

Concionator Lauff.

Concionator ad S. Laurent. Nor.

Deſponſatur.

A. prægreſſo 1612. Matrimonium contraxit *Ambergæ* in patriâ deſponſatus cum virgine *Margarethâ*, M. *Pauli Wagneri*, Theologi *Amberg.* filiâ, cum quâ 17. annos pacatè tranſigens, 5. filios totidemque filias generavit, ex iisque filium unicum, poſteà Paſtorem in pago *Norico* Pommelsbronn, duaſque filias reliquit ſuperſtites.

Hâc vitâ defunctâ A. 1629. cum ſecundâ conjuge *Margaretâ*, filiâ *Leonbarti Meiſteri*, Principis *Palat. Hilpoltſteinenſis* Conſiliarii, *Norimbergæ* nuptias celebravit 30. Aug. A. 1631. Ex eâ filiam unicam *Urſulam* ſuſcepit, & ſuperſtitem reliquit.

A. 1637. 28. Sept. cum à 12. ſeptimanis periculoſo morbo decubuiſſet, & ſuggeſtum rursùs conſcendiſſet, de caſtâ *Suſannâ* tunc Concionem quintam habens, DEO & auditoribus ſuis publicè gratias egit.

28. Sept. A. 1643. Inter Concionem ex catarrho ad pectus delapſo malè ſe habens, vix eam abſolvere potuit. Abindè catarrhis ſæpiùs eum affligentibus, licet interdùm munere ſuo per ſeptimanas aliquot fungi poſſet, tandem tamen lecto decumbere coactus, in eo Conciones ſuas Evangelicas typis commiſit.

Moritur.

Senſim verò viribus decreſcentibus placidè in CHRISTO exſpiravit d. 23. Jan. A. C. 1646. æt. 61. Miniſterii Eccleſ. 36, ſpeciatim verò ad *Spirit. S.* 25.

Libri

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Suſanna die keuſche in 20. Predigten erklärt. in 4to. A. C. 1637.

Salomo der allerweiſeſte König/ das iſt/ Erklärung der erſten 11. Capitel des 1. Buchs der Königen in 90. Predigten erklärt. A.C. 1623, 1624, 1625, 1626.

Evangelia Practica, das iſt / Schrifftmäſſige und nutzliche Erklärung aller Evangelien auf Sonn- und Feyertägen.

Nürnbergiſche Allmoſen-Steur / das iſt/ Annahnungs-Predigt zu dem freywilligen Allmoſen / gehalten am Neuen-Jahrs-Tag A. C. 1626.

* *Ex Concione funebri* ***M. Mich. Weberi****, Diaconi Sebald.*

Obiit A.C. 1646.

ROBERTUS GOMERSHALL.

Filius Armigeri primogenitus, editus *Londini* in lucem eſt, ad ædem verò Eccleſiæ CHRISTI *Oxon.* anno Dom. 1616. ætat. 14. ab amicis tranſmiſſus, & in ejusdem pòſt paulò alumnum cooptatus, utrumque in Artibus gradum ſuſcepit,
Theologiæ Baccalaureus Oxon. annoque 27. Theologiæ porrò Baccalaureatu auctus eſt. Haud infimæ Claſſis Poëtam & Concionatorem fuiſſe dixerim, talem enim hæc ejus Scripta oſtendunt:

Scripta. *Conciones in prim. Divi Petri Epiſt. cap. ſecund. v.* 13.14. 15.16. Lond. 1634.

Sforza Dux Mediolanenſis. Lond. 1628.

Meletemata Poëtica ſuper Capit. Judicum 19. & 20. Lond. 1628. Omnia Anglicè.

Moritur. Fato functus eſt A. Dom. 1646.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

Obiit A.C. 1646.

JOHANNES GREGORY.

A *Mershamiæ*, in agro *Buckinghamienſi*, decimo Nov. A. 1607. natus, cum annum ætatis 15. attingeret, ſub *Georgii Morley*, Artium tunc temporis Magiſtri, dein Præſulis *Wintonienſis* colendiſſimi, auſpiciis literas Academicas in ſodalitio Eccleſiæ CHRISTI ap. *Oxonienſes* haurire cœpit, quibus nemo ſanè unquàm ſedulò magis inſudavit, quippè horas quotidiè ſexdecim ſtudiis perhibetur impendiſſe. Tandem Doctori *Duppa* iſtius Eccleſiæ Decano haud parum oculato, merita juvenis egregia intuenti præcharus fuit; à quo Collegii Capellanorum in numerum allectus eſt. Ejusdem ad Epiſcopatum *Sariſburienſem* evocati Sacellanus, & illius
Eccleſiæ Ciceſtrienſis Præbendarius. pariter ac Eccleſiæ *Ciceſtrienſis* Præbendarius poſtmodò evaſit. Vir erat eruditione planè omnigenâ inſtructiſſimus, & facultatibus tum à naturâ inſitis, tum acquiſitis mirificè dotatus.

Moritur. *Kidlingtonæ* propè *Oxoniam* 13. Martii A. 1646. animam DEO reddidit.

Scripta. Scripſit:

Notas ad Juris Civilis & Eccleſiaſtici inſpectionem, *à D. Thomâ Ridley*, Equite aurato, context. Oxon. 1662.

Gloſſemata & Annotationes ad loca quædam Sacræ Scripturæ. Oxon. 1646. Lond. 1660. ibid. 1665. & 71. Angl.

Opera poſthuma, ſive *Tractatus quosdam eruditos.*

Conciones varias.

EPITAPHIUM:

Epitaphium.

NE PREMAS CINERES HOSCE, VIATOR,
NESCIS, QUOT SUB HOC JACENT LAPILLO;
GRÆCULUS, HEBRÆUS, SYRUS,
ET QUI TE QUOVIS VINCET IDIOMATE.
AT NE MOLESTUS SIS,
AUSCULTA, ET CAUSAM AURIBUS TUIS IMBIBE:
TEMPLO EXCLUSUS
ET AVITA RELIGIONE
JAM SENESCENTE, (NE DICAM SUBLATA)
MUTAVIT CHORUM, ALTIOREM UT CAPESSERET.
VADE NUNC, SI LIBET, ET IMITARE.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

THOMAS LYDYAT.

Obiit A.C. 1646.

A *Ulkringtonæ* (Okerton vulgò nuncupatur,) ſecus *Banburiam*, in Comitatu *Oxonienſi*, viceſimo ſexto, aut viceſimo ſeptimo Martii A. C. 1572. natus, *Chriſtophori Lydyat*, in lucem ibidem editi, *Londinum* verò incolentis, filius erat; is autem puerum, ſpecimina ingenii haud vulgaria edentem, ad artes liberales, prout ſibi ſuppeterent facultates, erudiendum deſtinavit.

Cum annum quaſi duodecimum attigiſſet, puerorum, quos vocant, *Wintonienſium* de numero eſſe cœpit, ibique ad annum usque 91. diſciplinis primoribus invigilans ad Collegium novum *Oxoniæ* electione ſolenni transferebatur, ubi poſt biennium pleno ſocii jure donatus eſt; Doctoris *Henrici Marten*, Juris cognitione clari, *Socius Novi Collegii Oxoniæ.* diſcipulus fuit: cujus perindè ac propriis dein auſpiciis Philoſophiæ, Aſtronomiæ, Mathematicæ, Linguis denique ac Theologiæ acriter inſudavit, & poſtremo quidem dictæ ſtudio ſe totum dediſſet, niſi Memoriæ vocisque vitio prohibitus fuiſſet, de quo ſæpius, ac ſpeciatim apud *Boncroftum*, Epiſcopum *Oxonienſem*, Diœceſanum ſuum, in Concionis ad Viſitationem Eccleſiaſticam anno Dom. 1624. (quo tempore Decanus, quem vocant, ruralis erat,) habitæ Epiſtolâ nuncupatoriâ conqueſtus eſt. Eam ergò ob rem ſocium exuere (è Collegii enim ſtatutis ad Theologiam ſeſe convertere tenebatur,) modicoque patrimonio vitam tolerare præoptavit, quàm Genium Chronologiæ potiſſimùm, & Aſtro-

Digitized by Google

nium, in 4tâ *Andream Raſelium*, in 5tâ M. *Georg. Möringerum*, poſteà U. J. D. & Judicii *Ratisbon.* Præſidem, & in 6tâ *Othonem Gryphium*. A. 1603. Nob. Dom. *Johannes ab Oberndorff*, Med. Doctor & Comes *Palat. Ratisbonæ* receptum in ædes ſuas filio ſuo Præceptorem conſtituit. Hujus & Suſceptoris ſui auxilio ſtipendium 50. florenor. conſecutus A. 1604. in Academiam *Wittenberg.* diſceſſit, & A. 1606. in Magiſtrum promotus, Aſtrologiam cum Geometriâ adeò didicit, ut in iis diverſa Collegia lectoria & diſputatoria cum laude habuerit.

Præceptor domeſticus. Studioſus Wittenbergæ. Matheſeos amator.

Studio verò Theologico præ cœteris deditus, varias Diſputationes publicè defendit ſub *D. Balduino de Communicatione idiomatum, & de Providentiâ DEI*, ſub *D. Huttero de Unione perſonali*, & ſub *D. Forſtero de Vocatione Miniſtrorum*. Ibidem aliquoties in eâdem, quâ *D. LUTHERUS* concionatus eſt, cathedrâ Conciones habuit.

Concionator in Cathedrâ Lutheri.

A. 1610. *Wittenbergâ Ratisbonam* reverſus, mox ad Miniſterium aulicum vocatus â generoſo Barone *Paulo Jacobo Starenbergico*, & *Ratisbonæ* per Superintendentem M. *Johannem Cementarium*, prægreſſo examine conſueto, ordinatus eſt.

Concionator aulicus.

Hoc facto *Schönbülii* munus ſuum alacriter aggreſſus, in eo ſexennium exegit, & intereà bis A. 1611. & 1614. in *Hernals* propè *Viennam*, conſentiente Dom. Barone ſuo, Vicarii officio in locum *Johannis Sartorii*, Concionatoris ibidem ordinarii, functus eſt.

Concionator Kleinbemii.

A. 1616. Vocante Barone *Johanne Jörgero* Concionator *Kleinbemii* juxta *Zayngingam* conſtitutus, decennium in eo Paſtoris fidelis munere perſeveravit, donec A. 1626. exortâ in *Auſtriâ* fidei Reformatione in exilium pulſus *Ratisbonam* conceſſit. Ibi A. 1628. ad Verbi Divini Miniſterium vocatus, & Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſor declaratus, & tandem ob ſenium rude donatus eſt.

Concionator & Conſiſtorii Aſſeſſor Ratisbonæ.

In Conjugio duplici vixit: primò cum *Urſulâ*, filiâ *Andreæ Schlättenbaueri*, Præfecti *Hofſtättenſis*, cum quâ tum in *Auſtriâ* tum *Ratisbonæ* 22. annos in conjugio feliciter transegit, ab A.C.1612. ad A.1634, ex eâque filiolum *Eraſmum* 14. modò dies viventem ſuſcepit. Secundò cum *Eliſabethâ*, *Baltaſaris Ziegleri*, Aurifabri & Monetarii *Ratisbon.* filiâ, quam A.1635. duxit, & ſine liberis ſuperſtitem reliquit.

Podagricis tandem doloribus & capitis gravi debilitate confectus, accedente catarrho ſuffocativo, vitam beatâ morte finiit 15. Maji A. C. 1646. ætatis 62.

* *Ex Concione fun. M. Thomæ Hopferi, Auguſtani.*

Obiit A.C. 1646.

CORNELIUS MARCI.

Norimbergæ vivendi fecit initium, natus 9. Junii A. C. 1594. Patre *Melchiore Marxio*, ſartore & cive honeſto: Matre *Urſulâ Arnoldiâ*. Cum in eo puero Scholam frequentante Præceptores ingenium & judicium ſingulare animadverterent, Parentes ſedulò rogârunt, ut filium hunc ſtudiis deſtinarent. Ideò Patre jam vitâ functo, Tutores eum A. 1610. in Academiam *Altorffinam* miſerunt, ubi Præceptorem nactus eſt M. *Joh. Mauritium Helling*, poſteà ad *Spir. Sanctum* Verbi Divini Miniſtrum.

Fit unus ex 12. Alumnis Altorf.

A. ſeq. 1611. Alumnis 12. in Academiâ aſſociatus, præ cæteris commilitonibus ſacro amicitiæ vinculo junctus eſt *Joh. Georgio Fabricio*, Medico poſteà in urbe *Norimbergâ* clariſſimo, qui tribus in Univerſitatibus Contubernalis ipſi fuit ſuaviſſimus, & amicus deinceps ſingularis.

20. Dec. A. 1614. A Decano M. *Daniele Schwentero*, Mathematum Profeſſore, Baccalaureus renuntiatus ex 8. Competitoribus tertium Eruditionis locum ſortitus eſt.

Philoſ. Magiſter.

30. Junii A.1617. Unà cum 3. Candidatis â Decano M. *Matthiâ Gellero*, Philoſ. Magiſter primo loco creatus eſt, prægreſſis pro more rigoroſis Morum & Doctrinæ examinibus.

Inſpector 12. Alumnor.

An. 1618. Studium Theologicum pertexendi gratiâ *Wittenbergam*, & A. ſeq. *Jenam* ſe contulit. Ibi per aliquot tantùm ſeptimanas commoratus, teſtimonio publico *Wolffgangi Frantzii* Theol. D. & tunc Rectoris Magnifici munitus *Altorffium* reverſus, & mox Inſpector Alumnorum factus eſt A. 1620.

Diaconus Altorf.

29. Martii A. 1622. Eccleſiæ *Altorfinæ* Diaconus â Dnn. Præfectis Provincialibus, & unà S. Theol. Catecheticæ Profeſſor Claſſicus â Dnn. Scholarchis eſt conſtitutus, prægreſſo Examine Miniſteriique *Altorfini* commendatione.

Deſponſatur.

Paulò poſt 30. Julii nuptias ibidem celebravit cum virgine *Annâ Helenâ*, Dom. *Chriſtophori* **Kleindienſt** / Senatoris *Veldburgenſis* ex *Palatinatu* ſuper. exulis filiâ, ex quâ 10. filios & 6. filias ſuſcepit, ſed duos tantùm filios, tresque filias ſuperſtites reliquit. Ex filiis M. *Johannes Cornelius* veſtigiis Parentis inſiſtens Theologus evaſit, diverſis in Pagis ditionis *Noricæ*, tandemque in ſuburbio *Wördenſi* Diaconi nomine Sacra docens.

A. 1628. *Altorffio Norimbergam* ad Diaconatum in Templo *S. Mariæ* (**zu unſer Frauen**) vocatus, cum 25. Maji Dominicâ Exaudi auditoribus ſuis pro Concione valedixiſſet, ſeq. die magnâ eorum parte comitante diſceſſit.

Diaconus ad S. Mariam Nor.

A. 1630. Ejusdem Templi Concionator factus, M. *Johanni Widero* ſucceſſit. Tandem A. 1637. Concionator & Paſtor Eccleſiæ primarius ad *S. Laurentium* conſtitutus eſt in locum M. *Johannis Sauberti*, qui ad *S. Sebaldum* M. *Johanni Fabricio* ſubſtitutus fuerat.

10 Aug.

Digitized by Google

Morbus ejus diuturnus & obitus.

10. Aug. A. 1645. die *S. Laurentii* manè & â meridie concionatus ultimum vale dixit auditoribus ſuis: nam non multò pòſt dolore colico prehenſus cum ſubſecutâ arthritide & paralyſi (quo morbi genere anno etiam 1631. â M. Aug. ad Dec. decubuit,) per annum integrum cruciatûs graviſſimos cum ſtomachi doloribus maximis perpeſſus eſt certis intervallis, quibus fruſtrà remedia optima â Medicis primariis oppoſita fuêre.

Cum aliquando M. *Johannes Saubertus* eum ægrotantem inviſeret, in hæc verba erupit: *Ego Te, Domine Collega honorande, quoad officium Inſpectoratûs & Diaconatûs Altorffii, Norimbergæ verò quoad Paſtoratum ad D. Mariæ & ad D. Laurentii ſubſecutus ſum, jam verò mihi licebit, quoad diſceſſum ex hâc vitâ præcedere, tuumque erit, longo tempore pòſt ſequi.*

19. Julii cum paulò antè doloribus ſolitis ad miraculum evaneſcentibus ſepulchrum ſuum in cœmiterio *S. Johannis* ægro corpore viſitâſſet, diarrhœa acceſſit, quæ ſubitò vires proſtravit. Paucis pòſt diebus inter ſacras meditationes gaudio ingenti perfuſus, in hæc verba erupit: *Quàm læta vidi, quàm grata audivi, mea uxor, impoſſibile eſt mihi, ut ea eloquar!* Nocte mortem prægreſsâ dixit adſtantibus: *Ante annos 15. eodem morbo decumbens, â DEO cum Rege Hiskiâ vitæ meæ terminum huc usque protractum exoravi, ſed nunc aliter DEO viſum eſt.*

Cum paucis ante mortem horis M. *Jacobus Schechſius*, Diaconus *Laurent.* lecto ejus adſtans, inter alias conſolationes *D. Lutheri* hymnum, GOTT der Vatter wohn uns bey/ &c. prælegiſſet, æger morti proximus *Halleluja* ter altâ voce pronuntiavit, nec multò pòſt manè inter preces publicè fieri ſolitas animam

Moritur.

liberari cupidam Creatori reddidit 27. Julii A.C. 1646. ætatis 52.

30. Julii ſeq. quo die cœlum eum lachrymis decoravit, in Cœmiterio *S. Johannis* ſepulturæ mandatus, Concionem funebrem dicente M. *Jac. Petro Schechſio.* 9. Sept. ſeq. in Cœnobio *S. Auguſtini* Oratione funebri laudatus eſt â *Chriſtoph. Ludovico Dietherro*, Patritio & poſteà Jur. Doctore.

Ob Herr CorneLIVs an Den Gaben
In NVrnberg VVerD ſeIns gLeICHen
haben
AVnfftIg/ Láſſet ſIchs nVn noCh
VVol fragen.

CORNELIUS MARCI,
Per Anagramma:
Lumen ſacri chori.

Annus emortualis hiſce includitur
verſiculis:

CorneLIVs MarCI, *patrIâ qVI InſIgnIs*
In Vrbe
PræCo, abIt eX VItâ hâC, aſtraqVe CeLſa petIt.

Miniſterii ſui tempore Concionibus declaravit:

Scripta.

1. *Hymnum Germ.* Nun komm der Heyden Heyland.
2. *Diluvium.*
3. *Incendium Sodomæ & Gomorræ.*
4. *Judicem iniquum Luc. 18.*
5. *Clarificationem CHRISTI, Matth. 17.*
6. *Epiſtolam S. Judæ 36. Concionibus in Templo Dominicanor. A. 1630. habitis conſtantem*, & typis editam tit. *Epitomes S. Scripturæ.*
7. *Prophetam Danielem.*
8. *Librum Judicum.*
9. *Ex Actis Apoſtolorum Capita prima.*

Edidit prætereà:

Venationem Pacis, Friedensjagt/ angeſtellet nach Aufmahnung *Davidis* im 34. Pſalm/ angeſtellt am Buß- und Bet-Tag am Aſcher-Mittwoch den 19. *Febr. A.C. 1640.*

Gnädiges Neues Jahr/ und ſchöne Kleider/ jenes geprediget zum hertzlichen Wunſch/ dieſe verſchaffet zur Seelen-erſprießlichen Gab/ *A. 1643.*

Strenologiam, oder Neu-Jahrs-Predigt: darinnen zur Neuen-Jahrs Gab dargereichet wird/ das neue Fürſtliche Sachſen-Weinmariſche Bibliſche Werck.

* *Ex Oratione funebri Chriſtoph. Lud. Dietherri, J.C.*

DANIEL TANNERUS.

Obiit A.C. 1646.

Ratisbonæ natus 19. Aug. A.C. 1581. Patrem habuit cognominem, tunc in Gymnaſio Poëtico Collegam, poſteà Scholæ Rectorem *Schwandorfii*, tandemque Concionatorem Evangelicum *Sultzbaci* in *Palatinatu*, Matrem *Margaretham.*

Infans ſæpiùs ex gravi narium hæmorrhagiâ pro mortuo habitus, Divinâ tamen clementiâ vivus conſervatus, & patre orbatus A. 1596. *Ratisbonæ* â Senatu inter alumnos receptus, eo beneficio 9. annis uſus ſtudiis ſedulus incubuit, cumque 6. Claſſes pertranſiviſſet, Domini Rectoris, *Ottonis Gryphii*, ſuaſu Academiam *Altorfinam* acceſſit. Sed cum ſumptûs ibi ad ſtudia deficerent, A. 1603. veniens ad Nobilem Virum Dom. *Carolum Ludovicum Fernbergerum*, Camerarium *Auſtriæ* hæreditarium binos ejus aliorumque Nobilium filios in literis informavit, & unà ſtudiis Theologicis, Bibliothecâ inſigni Domini ſui adjutus, operam dedit, aliquoties in eo loco pagiſque vicinis concionando ſeſe exercens.

Alumnus Ratisbonæ.

Præceptor privatus.

Studioſus Theol.

A. 1604. A nobili Viro *Helmharto Haydenio* ad Eccleſiæ Miniſterium in pago *Lindachio* vocatus, & ordinatione *Altorfii* prægreſſâ, munus ſuum Paſtoris Evangelici alacriter aggreſſus eſt.

Paſtor Evangel. Lindachii.

26. Junii A. 1606. Conjugii fœdus iniit cum virgine *Catharinâ*, *Michaëlis Kennerſmülleri*

Deſponſatur.

Digitized by Google

mülleri filiâ, ex quâ filiolam *Mariam Magdalenam* in primâ infantiâ denatam ſuſcepit. A. 1608. â *Weickardo*, genoroſo Barone â *Polheim* & *Wartenberg*, *Schwanenſtadium* vocatus, Verbum DEI docuit usque ad A. 1610. quo Senatus oppidi *Gmundenſis* ad Concionatoris eum officium vocavit, cui 15. annis præfuit.

Paſtor Schwanenſtadii. *Concionator Gmundæ.*

Sed cum A. 1625. Reformatio in *Auſtriâ* fuiſſet ſuſcepta, in exilium migrare coactus, *Ratisbonam* conceſſit, ibi A. 1628. xenodochii Paſtor, & A. 1632. Concionator Urbis â Senatu conſtitutus eſt. Ibi ex Concione domum reverſus, & de dolore vehementi brachii ſiniſtri conqueſtus, mox apoplexiâ accedente ſenſibus orbatus, morte placidâ obiit 23. Octob. A.C. 1646. Miniſterii 42. ætatis 66.

Concionator Ratisbonæ. *Moritur.*

* *Ex Concione fun. M. Hieron. Pfaffenreuteri.*

Edidit:

Scripta.

Ein Gebet-Buch vor alte Perſonen/ mit der Uberſchrifft: *Senum labores optimi.*

Paſſionale Exulantium, das iſt/ verfolgter und bedrangter Evangeliſcher Chriſten Paſſional-Büchlein.

Obiit A.C. 1646.

JOHANNES SAUBERTUS.

ALtorfii ditionis *Noribergenſis* oppido, nunc Univerſitate celebri natus eſt 26. Febr. A. C. 1592. Patre *Conrado Sauberto*, fabro lignario, & Viro honeſto, *D. Jacobo Schoppero*, Theol. in Academiâ Profeſſori, ob pietatem charo, ibidemque peſte extincto A. 1599. Avo *Georgio*, & Proavo *Wenceslao*, fabris lignariis. Matrem habuit *Margaretham Kleindinſtiam*, *Altorfii* A. 1620. æt. 64. mortuam.

Parentes ejus.

A. 1602. Cum ſumptûs ad ſtudiâ non ſuppeterent, ab agnatis, matre viduâ conſentiente, *Hagenbuſæ* molitori vicino traditus, cum apud eum per annum dimidium inſtar famuli laborare coactus fuiſſet, â matre ſubſidio Divino nixâ domum revocatus eſt.

Famulus molitoris.

A. 1603. Quartæ Claſſis in Academiâ patriâ Præceptoris *Palmarii* ſubditus diſciplinæ, anno ſeq. 1604. in tertiam, Præceptore *Gellero*, A. 1606. in ſecundam, Præceptore M. *Georgio Mauritio*, & A. 1608. in ſupremam Claſſem, tandemque ad Lectiones publicas promotus eſt.

Cum verò tunc ſtipendium ad ſtudia continuanda non poſſet impetrare, cum matre ſuâ per temporis aliquod ſpatium ægrè victum acquiſivit, Lectionibus publicis finitis cum ipſâ domi nendo, & interdum ligna, glandesvé ex ſylvâ in oppidum portando: donec â *D. Jacobo Schoppero* in ædes & menſam receptus eſt, ut filios ejus in literis erudiret.

Preceptor privatus.

Viliorem poſteà menſam, ope Patroni ſui, nactus in Oeconomiâ, de ſtipendio ſolicitus quoque, Carminicè illud â Dom. *Chriſtophoro Fürero*, Duumviro, ſupplex popoſcit, & paucis diebus pòſt præter ſpem 25. florenos accepit. Pluribus abindè Patronis ſtipendia largientibus ipſi, matrem quoque de iis aluit, & in ſtudiis ſuis ſedulus perrexit.

Stipendia- rius.

A. 1609. Baccalaureus â *Johanne Crellio*, & A. 1610. ætatis 18. â Decano *Johanne Prætorio* cum duobus aliis Candidatis Philoſ. Magiſter primo loco creatus, paulò pòſt cum diſcipulo *Joh. Sebaſtiano Zerreiſen Tubingam* conceſſit, ubi præter alios Sacra publicè docentes audivit *Lucam Oſiandrum* & *Matthiam Haſenreffterum*.

Philoſ. Magiſter. *Stud. Theolog. Tubingæ.*

Anno elapſo cum diſcipulus domum revocaretur, ipſe *Altorfium* reverſus, ibi Collegium Ethicum auſpicatus eſt. Sed peſte ingruente, cum nobili quodam *Weydam*, *Palatinatûs ſup.* oppidum profugit, ubi per 4. menſes commoratus, ſæpiùs in pago vicino *Mandel* concionando ſe exercuit.

Altorfii.

Aurâ in melius *Altorfii* mutatâ, reverſus eò Collegium Ethicum Diſputationibus publicis continuavit. Jurisprudentiæ quoque ſtudium, ſuaſore *D. Scipione Gentili*, tractare cœpit.

Sed cum paulò pòſt *Johannes Schröterus*, Eccleſiæ Paſtor *Norimbergenſis*, ad ſtudium Theologicum amplectendum, & Academiam *Gieſſenſem* adeundam per literas illum hortatus eſſet, ejus conſilium ſecutus, comitibus amicis tribus ſtudiorum ſociis, eò, gravi in viâ morbo ex veneni hauſti ſuſpicione vix ſuperato, A. 1614. pervenit, ibique febri quartanâ aliquandiu conflictatus, miſerè vitam duxit.

Stud. Theolog. Gieſſæ.

A. 1615. Cum *Gieſſæ* ante diſceſſum bis in Philoſophicis Præſidem egiſſet, & bis ſub Doctoribus *Baltaſare Mentzero* & *Johanne Winckelmanno* publicè diſputâſſet, *Jenam* perrexit, & *D. Johanni Gerardo*, Theol. Prof. chariſſimus fuit.

Jenæ.

A. 1616. Ibi Diſputationem Græcam conſcripſit, *de invocatione Sanctorum*, eamque, uſus Linguâ Græcâ, ſub Præſidis perſonâ ſummâ cum laude defendit.

Diſputavit Græcè.

Sub finem hujus anni cum diſcipulo ſuo *Samſtagio Noribergam* reverti coactus eſt, eique reluctanti licet, Inſpectio 12. Alumnorum *Altorfinorum* â Dnn. Scholarchis injuncta eſt. Ibidem paulò pòſt Diaconatûs munus cum Profeſſione Theologicâ ſuſcepit.

Altorfii Inſpector 12. alumnor. *Diaconus, & Theol. Profeſſor.*

5. April. A. 1619. Poſtquàm celebs hactenùs cum matre ſuâ domi vixiſſet, eâ defunctâ, nuptias *Altorfii* celebravit cum virgine *Helenâ*, *Johannis Leutkirchneri*, Balneatoris *Norimberg.* filiâ, ex quâ filiolum *Joh. Conradum*, in infantiâ denatum, & filiam *Gertrudem*, poſtmodùm *Joh. Henrico Omeis*, Paſtori Eccleſ. ad *S. Ægid.* deſponſatam. Eadem uxor cum filio 4. ipſi filias peperit, quarum natu major *Barbara* nupſit poſtmodùm *Gotlibio Andreæ*, Eccleſiæ Paſtori *Canſtatenſi*, in Ducatu *Würtenbergico*, *D. Joh Valentini Andreæ*, Theologi *Würtenberg.* celebris filio. 9. Maji, quo die

Nuptias celebravit.

Urbs

Urbs *Magdeburgum* ferro & igne miſerè vaſtata fuit. 29. Junii A.C. 1623. In introductione novorum Academiæ *Altorf.* Privilegiorum templi ſuggeſtum conſcendens, luculentam habuit Orationem, quâ SPIRITUI SANCTO novam Univerſitatem voce geſtuque ardentibus uſus, conſecravit.

A.C. 1631, cum biennium viduus exegiſſet, Sponſalia reiteravit cum *Urſulâ Heinrichiâ*, *Johannis Wagenmanni*, Bibliopolæ viduâ. Hæc ei 4. filios & 3. filias peperit, è quibus cum viduâ reliquit ſuperſtites *Adolphum*, poſteà Diaconum ad *S. Sebaldum*, & tandem Concionatorem ad *S. Ægidium*; *Johannem*, factum pòſt Theol. D. & Profeſſorem in Academiâ *Juliâ*, tandemque Concionatorem ac Theol. Prof. *Altorfinum*: filias verò *Urſulam Margaretham*, & *Annam Mariam* nuptam *Johanni Heldio*, Gymnaſii *Norimb.* per multos annos Rectori, & S. Linguæ Profeſſori, poſteà ad *Spiritum Sanctum*, tandemque ad *S. Laurentium* Diacono.

Duo filii ejus Theologi.

In alterum ejus Conjugium J. V. ita luſit:

Qui Curru ad cœlos Simeonis abire volebat,
Nunc alium currum deligit ecce ſibi.

Norimbergæ Diaconus ad S. Mariam Concionator ad S. Laurent.

A. 1622. *Altorfio Noribergam* evocatus, in templo *S. Mariæ* Diaconus, & A. 1627. *Pauli Piggelii* ad *S. Laurentium* Concionatoris Succeſſor factus eſt.

11. Febr. A. 1633. In renovatione Gymnaſii *Ægidiani* Orationem inauguralem habuit, *de Pietatis & Juſtitiæ reſtitutione ex Scholis.*

Concionator ad S. Sebald.

Bibliothecar.

A. 1637. Vitâ defuncto Dn. *Johanne Fabritio*, Concionatore ad *S. Sebaldum* ipſi Senatu jubente ſucceſſit. Nactus etiam tunc Bibliothecarii munus, ſedulum in eo ſe præbuit, atteſtantibus Orationibus duabus *de Bibliothecæ Reip. Noriberg. Hiſtoriâ* A. 1643. ab ipſo publicè recitatis.

Obiit ex calculo veſ. monſtroſo.

Lithiaſi demùm & doloribus arthriticis per multos annos afflictus, in CHRISTO exſpiravit 2. Nov. A. C. 1646. ætatis 54. Ex demortui veſicâ lapis extractus eſt 10. unciar. ponderis civilis cruſtâ obductus craſſâ limoſâque, quæ ſubindè accreſcens lapidis pyriformis molem auxit.

A. 1647. *D. Joh. Valentinus Andreæ*, Theol. *Würtenbergicus*, Orationem in ejus honorem ſcripſit & edidit, titulo: *Johannis Sauberti Theologi Umbra.*

* *Ex Concione fun. M. Mich. Weberi, Diaconi Sebaldini.*

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta.

A. C. 1615. Antiſchmalcius.
A. 1619. Creutz-Schul.
A. 1620. Prodromus Philologiæ ſacræ.
A. 1625. Emblemata Sacra.
A. 1626. Erklärung wider *Bartoldum Nibuſium.*
A. 1628. Præſervatio wider die Abgötterey.
A. 1629. Icones Precantium.
A. 1629. Abtheilung eines jeden Capitels in der Bibel / welche auch in der Fürſtlichen Weinmariſchen behalten worden.
A. 1630. Geburts-Schul.
A. 1631. Miracula Confeſſionis Auguſtanæ. Teutſch.
A. 1631. Caſſander Evangelicus.
A. 1633. Kirchenzucht-Büchlein.
A. 1636. Pſychopharmacum.
Epitome Examinis Phil. Melanchthonis.
A. 1640. Deſiderium Pacis Novantiquum.
A. 1643. Der Wagen *Simeonis.*
A. 1646. Bedencken über die Büchlein *Chriſtian* Hoburgs und Bernhard Baumanns / dieſelbe ohne Anſtoß zu leſen.

Conciones ab eo habitæ typis emiſſæ videntur.

Buß- und Gebet-Spiegel *Danielis*; das iſt / 29. Predigten über das 9. Capitel *Danielis.*
Auslegung *Esdræ.*
Valet-Predigt zu Altorff gehalten 17. *Febr. A. 1622.*
Ab- und Anzugs-Predigten von der Kirchen zu S. Lorentzen zu der Kirchen S. Sebald in Nürnberg *A. 1637.*
Gemähl-Poſtill.

Joh. Henricus Riſius, Theol. & Poëta ſingularis, hoc eum Epigrammate cancrino honoravit:

Rebus es UBERTAS: ſuccus ſat rebus ES UBER:
JESUS ei ſuccus, ſuccus JESUS ei.
Ædis idéa, ô rebus es uber! ô ædis idéa!
JESUS ei ſummus, ſummus JESUS ei.

Chriſtoph. Scheurl, Patritius *Norimb.* hoc ei ſcripſit Eteoſtichon:

SaVbertVs perIIt probVs, aſt bona faMa perIre
HaVD potVIt, Certè VIVa ſVperſtes erIt.

SaVbertVs Vnſer AVg / eIn reIner GOttes-Mann/
Iſt zVVar annVn DahIn / ſeIn Lob nIt faVLen kan.

JOHANNES SAUBERTUS,
Per Anag. *Joh. Georg.* Schwingshärl:
En ut ſerus Noba abis.

Anagramma Chronodiſticho inſertum:

VoCe tVâ VIVâ pIe MI SaVberte tonabas,
En nobIs ſVrDIs Vt Noba ſerVs abIs.

* * *

Imprimis Sereniſſ. Principis Dom. *Leopoldi Wilhelmi*, Archiducis *Auſtriæ Noribergam* adventus exoptatus *Sauberto* fuit, adeò ut cum literatis deliciis Ejus præſentiam adſperſiſſet, & non ſine humillimâ eleganter veſtiti exempli *de Hiſtoriâ Bibliothecæ*

Poculum & Numiſma aureum dono accepit. thecæ oblatione Eundem dimiſiſſet, magnifico poculo, unà cum aureo quodam numiſmate contra omnem ſpem & expectationem liberaliter donaretur.

Commercium literar. coluit cum Principibus. Dom. *Auguſtus Brunſvicenſium* & *Lunæburgenſium* Dux verè *Auguſtus*, ſæpiùs humaniſſimè literas ad eum ſcripſit. In eo Principe neſcias utrum Pietas an Eruditio prævaleat, qui incredibili olim deſiderio tenebatur *Sauberti* tanquàm raræ Pietatis & Eruditionis Theologi vivis coloribus expreſſam effigiem inſpiciendi, ejusque voti compos ab eodem factus eſt.

Neque contumeliam judicavit Illuſtriſſ. Princeps Dom. *Erneſtus*, Dux *Sax. Vinarienſis* literario tali mutuo alloquio contaminari ſuam, ut ita loquar, Majeſtatem, Princeps in cujus laude vel ſolum *Vinarienſe* Opus Biblicum & indefeſſa Gymnaſii *Gothani* cura utramque facit paginam.

Compater Dom. Baronis à Rägknitz. Generoſus Baro Dom. *Gallus*, Liber Baro à *Rägknitz* familiarem ſibi habuit *Saubertum*, & nato filio *Guſtavo* Compatrem ſuum eſſe voluit.

Morti proximus ab adſtantibus cantiunculam illam lacrymis & gemitibus miſtam **wann mein Stündlein vorhanden iſt**/ juſſu ſuo cantatam auribus percepit, ſcilicet qui nullum prandium vel Cœnam ſine ſacrâ cantione claudebat, ad cœleſtia bellaria ſine Muſicâ accedere nolebat. Tunc etiam clarâ voce verba iſta cum animâ quaſi efflavit: *O tempeſtatem! ô tempeſtatem!*

** Ex Bibliothecâ Noricâ animatâ, ſive Memoriâ Joh. Sauberti Oratione Parentali celebratâ anno 1647, à Chriſtoph. Ludovico Dietherro, Jur. Doct. & Advocato Nor.*

ANDREAS RIVETUS.

Obiit A.C. 1647.

NAtus eſt apud *Pictavos*, in urbe, cui *Fano Maxentii* nomen eſt, 1. Aug. A. C. 1572, Patre *Johanne Riveto*, Matre *Catharinâ Cardelâ*.

A. æt. 11. miſſus à patre ad *Fanum Gelaſii* in diſciplinam *Ludovici Blacherii*, *Niortenſis* Eccleſiæ Paſtoris, à quo cum bonarum literarum initia deguſtâſſet, eundem A. 1585. exulantem tempore conjurationis *Henoticæ Rupellam* comitatus eſt. Ibi ſub diſciplinâ *Petri Fabri*, *Arverni*, & *Johannis Roſæ*, *Scoti* Profeſſor. publ. humaniorum literarum ſtudiis ſe addixit, ſimulque à *Philippo Birganno Bignonæo* Hebrææ Linguæ elementa, & à *Petro Martinio Navarro* Philoſophiæ principia hauſit. *Rupellæ Studioſus Phil.*

A. 1590. Miſſus in Academiam *Bearnenſem* tunc florentem, biennio pòſt 1. Aug. promotore *Alexandro Blatrio*, *Scoto*, tunc Academiæ Rectore Magiſterii Laureâ fuit ornatus. Paulò pòſt ad Theologiæ ſtudium animum applicuit. *Magiſter Bearnii. Theol. ſtud.*

Rupellam reverſus, publicè profitentem *Joh. Baptiſtam Rotanum* Theol. Doctorem, & biennium exercitiis Theologicis impendit. A. 1595. Paſtor Eccleſiæ *Thoarſenſis* deſignatus annos 25. continuos Miniſterio ſacro functus eſt, tàm in Eccleſiâ, quàm in familiâ Illuſtr. Ducis *Thoarſii*, à quo dum viveret, magni momenti negotiis adhibitus eſt. *Miniſter Thoarſii.*

A. 1596. Uxorem duxit virginem *Suſannam*, *D. Franciſci Oyſei Trevigarii*, Theologi *Thoarſenſis*, & anteà in caſtris Regis *Navarræi* Concionatoris filiam, cum quâ 24. annos conjunctiſſimè vixit, ſuſceptis ex eâ 7. liberis, ex quibus maſculi 4. matri ſuperſtites Avum 25. Febr. A. C. 1625. ætatis 85. vitâ defunctum deſiderarunt. *Uxorem duxit.*

Intereà nomine Eccleſiarum *Pictavienſium* 8. Legationibus functus eſt: duabus ad Politicos Eccleſiarum *Gallicarum* conventûs Regis permiſſu habitos ad Caſtrum *Heraldi* A. 1605, & *Salmurii* A. 1611. cum paulò antè A. 1610. duobus nobilibus Viris Dn. *Bleſſæo* & Dn. *Albinæo* comes additus *Lutetiæ* ad Regem miſſus, ipſi earundem Eccleſiarum fidem confirmâſſet. *Obiit Legatus.*

Quinquies ad Synodos Nationales delegatus; *Gergavienſem* A. 1601, *Rupellenſem* A. 1607, *Sammaxentianam* A. 1609, *Tonnienſem* A. 1614, & *Vitriacenſem* A. 1617. trium Actuarius, & poſtremæ Præſes electus fuit. In hâc etiam delatam ſibi Profeſſionem Theologicam in Academiâ *Salmurienſi* non potuit adduci, ut ſuſciperet. *Præſes Synodi Vitriac.*

A. 1620. Ab Academiæ *Leydenſis* Curatoribus per literas vocatus Academiæ illi operam ſuam ad biennium locavit, animum addente fratre *Guilielmo Riveto*, Eccleſiæ *Taitburgenſis* Paſtore, qui diu in eâ Academiâ vixerat. Sed vix *Lugdunum* appulit, cum de morte uxoris, quam ægram domi reliquerat, triſte nuntium accepit. *Theol. Profeſſor Leyd.*

A. 1621. *Londinum* in *Angliam* profectus, alteram ibi duxit uxorem *Mariam*, *Joachimi Molinei*, Theologi quondam *Aurelianenſis* filiam, & *Petri Molinei* ſororem, viduam *Antonii de Guyots*, qui in obſidione *Ambianenſi* Regi *Gallorum* militans occubuerat, quæ ob tumultûs bellicos ex *Galliâ Londinum* confugerat. Ibi cum in Academiâ *Oxonienſi* nactus eſſet *Andream Ruſſum*, Bibliothecæ *Bodlerianæ* Præfectum, qui ejus contubernio *Thoarſii* ad aliquot menſes uſus fuerat, non prius ab Academicis fuit dimiſſus, quàm ſolenniter allectus fuit inter illius Academiæ Doctores, ut in eâ eodem loco haberetur, quo in Academiâ *Leydenſi*, in quâ Gradum ſuſceperat. *Alteram uxorem duxit Petri Molinæi ſororem. Doctor Oxonii.*

Hoc facto *Lugdunum Batavorum* reverſus eſt A. 1622. cum impetratâ licentiâ ad ſuos in *Galliam* rediiſſet, ut rei familiari ſuæ conſuleret, ſtitit ſe Nationali Synodo habitæ *Carentoni* ad *Marronam* juxta *Lutetiam*, in quâ cum, id petentibus per literas Acad. Curatoribus, redeundi poteſtas ipſi facta fuiſſet, paulò pòſt *Lugdunum Batav.* repetiit, ubi in Profeſſionis Theologicæ munere docendo & ſcribendo perrexit, *In Galliam rediit. Lugdunum ad Profeſſ. Theol. reverſus.*



25. Azelt Sculp.

Digitized by Google



Digitized by Google

Moritur.

rexit, morte tandem beatâ ſublatus ex hâc miſeriarum valle A. C. 1647. ætatis 75.

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta.

Specimen præcipuorum Paradoxorum Papiſmi ex præcipuorum Doctorum Pontificiorum Scriptis exhibitum.

Defenſio libertatis Chriſtianæ in ſobrio uſu ciborum, contra Georg. L'Apoſtre Apoſtatam.

Summa Controverſiarum inter Orthodoxos & Pontificios.

Meditationes in Pſalmum 119.

Triumphus veritatis.

Examen Animadverſionum Hug. Grotii.

Specimen Critici ſacri in Scripta veterum Doctorum ſex priorum ſeculorum, cum Tractatu de Patrum Authoritate.

Defenſio Hiſtoriæ Papatûs, ſeu *Myſterii iniquitatis illuſtris Pleſſæi.*

Oratio inauguralis de bono Pacis & Concordiæ in Eccleſiâ.

Meditationes ſeu Homiliæ XII. in ſelecta aliquot S. Scripturæ Loca.

Commentar. in Hoſeam Prophetam.

Inſtructio ad S. Cœnam.

Decreta Synodi National. Carentoni hab. de Imputatione primi Peccati.

Gallico idiomate edidit:

Triomphe de la Verité.

Divers Traittés de Pieté.

La bonne Vielleſſe.

Et ſes Dernieres Heures.

Sommaire des Contreverſes.

Vraye Guide de l'Ame Fidele.

Souſpirs du Repentant ſur les VII. Pſeaumes Penitent.

Sermons ſur le XII. aux Romains.

ſur la Nativité & Reſurrection de JESUS CHRIST.

Sermon d'Adieu ſur le XXII. des Actes.

Inſtruction prepar. à la S. Cene, avec des Sermons ſur ce ſuiect.

* *Ex vitis Profeſſor. Leydenſ.*

Obiit A.C. 1647.

ARNOLDUS MENGERING.

H*Allæ*, vel in *Salinis Saxonicis* natus eſt 1. Sept. A. C. 1596. Patre *Henrico Mengeringio*, qui *Daventriâ* ex *Bataviâ* propter Inquiſitionem *Hiſp.* eò profugerat: Matrem habuit M. *Chriſtiani Alberti*, Archidiaconi quondam *Lipſienſis* ad *D. Thomam* relictam viduam. Inter 5. liberos ultimus, matre biennio poſt nativitatem orbatus, patrem etiam amiſit 13. Maji A. 1608.

In Scholâ patriâ ſub Rectoribus M. *Johanne Æſchardo* & M. *Sigiſmundo Evenio* tantum profecit, ut A. 1615. dignus judicaretur, qui *Wittenbergam* accederet. Ibi 22. Sept. A. 1618. inter 43. Competitores 12. locum Magiſterii promeruit.

Fit Magiſter Philoſ. Witt.

A. 1619. In Acad. *Jenenſem*, conſilio Patronorum, ſe contulit, ubi inter alios familiariter innotuit *D. Johanni Gerhardo*, ſub cujus Præſidio privatim & publicè ſæpiùs cum laude diſputavit. A. 1621. Ibidem Adjunctus Facultatis Philoſophicæ factus Lectoria & Diſputatoria Collegia Studioſis aperuit.

Adjunctus Facult. Philoſ.

A. 1622. *Colbitium* ad Eccleſiæ Paſtoratum vocatus, à *Chriſtiano Wilhelmo, March. Brand.* & Adminiſtratore *Magdeburgico*, exindè 28. Jan. A. 1624. *Magdeburgum* vocatus venit. Ibi primùm innoteſcere cœpit, & 3. Dec. A. 1627. *Halam Saxonum* in Templum Cathedrale translatus eſt. Cum verò A. 1630. Pontificii omnia ibi turbâſſent, cumque in exilium abire juſſiſſent, *Bitterfeldiam* ſe contulit.

Concionator Halenſis.

A. 1631. Ab Electore *Sax. Joh. Georgio* vocatus, ad Concionatoris Aulici munus illud per quinquennium fideliter ſuſtinuit. A. 1635. *Altenburgi* Concionator & Confeſſionarius Principis *Johannis Philippi* aulicus conſtitutus, 15. April. A. 1638. Honores in Theologiâ Doctorales ex Principum *Altenburg.* liberalitate *Jenæ* nactus eſt.

Concionator aul. Sax.

Theol. Doctor.

A. 1640. Poſt mortem *D. Andreæ Merckii* in Patriam vocatus, Superintendentis & Gymnaſii Inſpectoris munus accepit. Conjugium iniit primum cum virgine *Anna*, *Andreæ Scheferi*, Patritii & Salinatoris *Hallenſis* filiâ, ex quâ filios ſuſcepit *Andream*, in infantiâ mortuum, *Henricum Andream*, Medicinæ, & *Arnoldum*, Juris Studioſos, ac *Chriſtianum*, cum filiâ unicâ *Annâ Marthâ*. Hâc defunctâ alteram ſibi ſociavit A. 1634. *Annam Margaretham*, viduam M. *Baltaſaris Wagneri*, Archidiaconi *Fribergenſis*, ex quâ filium reliquit unicum, *Johannem Arnoldum*.

Superint. Halenſis.

Conjugium bis iniit.

12. Jan. A. 1647. Cum die præcedenti pro Concione *Jobum* exorſus eſſet, manè in lecto decumbens, ubi inclamâſſet, *O JESU ſuccurre!* morte ſubitâ, non tamen rarâ piis Theologis extinctus obiit, cum vixiſſet annos 51.

Subitò moritur.

Succeſſit ei in munere Eccleſiaſtico *D. Gotfridus Olearius.*

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta.

Elenctica de Pane Euchariſtico.

Strena Auſtralis.

Scholæ Catechetica.

Perverſa ultimi ſeculi militia.

Vade mecum Propheticum.

Vale Dreſdenſe.

Oeconomia Salomonica.

Tobias conſcientioſus.

Soteria Altenburgica.

Παιδαγωγία Subditorum.

Suſcitabulum & Refectorium conſcientiæ Evangelicum.

Gloria Scribarum.

Quinquennium Altenburgicum.

Vota Januaria Hallenſia.

Conciones Jubilææ.

Scrutinium Conſcientiæ.

Digitized by Google

Informatorium Conſcientiæ Evangelicum.
Harmonia Epiſtolico-Evangelica.
Horologium Principum Davidicum.
Kriegs-Belial/oder Soldaten-Teufel.
Altenburgiſche Erbhuldigungs-Predigt.
Belialis Stratiotici conſobrinus ſceleratus Metator.
Belſazeris Sacrilegium.
Gazophylacium Nehemiæ Eccleſiaſticum Pentagonum.
Horcologia, oder Eid-Büchlein.

* *Ex Concione fun.*

Obiit A.C. 1647.

JOHANNES HEERMANNUS.

MUndum ingreſſus eſt *Raudenæ* in *Sileſiæ* oppido Ducatûs *Lignicenſis*, 11. Octob. A.C. 1585, Patre cognomine pellione, Matre *Annâ Cramerâ*.

DEO conſecratus à matre. Cum in primâ pueritiâ morbo periculoſo decubuiſſet, mater per votum Divino Miniſterio filium conſecravit, patre conſentiente, quorum auxilio ſtudiorum fundamenta poſuit in Scholâ patriâ ſub *Johanne Baumanno*, Ludimoderatore.

Diſcipulus Wolaviæ. A. ætatis 12. *Wolaviam* promotus Doct. *Jacobo Buſchio*, Medico, famulus inſerviit, & Scholam unâ frequentavit. Cum verò in febrem quartanam incidiſſet, emaciatus ab eâ anno ſeq. domum revocatus, Scholam iterùm acceſſit, ſedulus diſcipulus *Caſp. Mumbardi*, & poſteà *Gregorii Fiebingii*, cui informationis privatæ gratiâ triennium famuli vice miniſtravit.

A. 1602. Promotore *Balthaſare Thilone*, Cantore *Frauſtadienſi*, Dom. *Valerius Herbergerus* Senior amanuenſem hunc ſibi, filioque ſuo *Zachariæ* Pædagogum conſtituit. *Amanuenſis Valerii Herberg.* Ibi ſub Rectoratu M. *Johannis Brachmanni* Scholam frequentavit, & M. April. anno ſeq. 1603. conſentiente Dom. *Herbergero*, quem patris loco coluit, cum teſtimonio honeſto *Uratislaviam* diſceſſit, & hoſpitium in Scholâ *Eliſabethanâ* nactus, per ſeſquiannum M. *Chriſtoph. Scholtzium*, Paſtorem & Profeſſorem ibidem, & M. *Nicolaum Steinbergerum*, Rectorem, docentes audivit. *Uratislaviæ diſcipulus.* Porro A. 1604. *Brigam* in Gymnaſium Ducale ſe contulit, illiusque Rectoris Dom. *Schickfuſii* operâ anno ſeq. nobilium aliquot â *Rotkirch* & *Kotwitz* Præceptor privatus eſt factus.

Poëſeos Cultor. Ad Poëſin inprimis naturæ inſtinctu inclinans, multa tunc Carmina elegantia ſcripſit, quibus Virorum eruditorum favorem ſibi conciliavit.

12. Sept. A. 1608. *Jacobus Chimarræus*, Præpoſitus *Leutmeritzli*, Eleemoſynarius major Cæſar. & Comes Palatinus, miſit ipſi, nihil tale ambienti vel cogitanti, Lauream ex urbe *Pragenſi*, quam ei poſteà Dom. *Caſp. Cunradus*, Phil. & Med. D. ac Poëta Laur. *Briegæ*, in præſentiâ trium *Poëta Laureatus.* Poëtarum acclamantium, multorumque Virorum eruditione clarorum ſolenniter impoſuit.

A. 1609. Cum nob. adoleſcente *Wenceslao â Rotkirch*, cujus Ephorus jam ſexennio fuerat, *Lipſiam*, deinde *Jenam*, ac tandem *Argentoratum* ſtudiorum gratiâ profectus, Theologos ibi primarios *D. Pappum* & *Marbachium* docentes audivit. *Argent. Theol. ſtud.* Imprimis verò charus ibi fuit *D. Juſto Mejero*, *Belgæ* J. U. Doct. ac Poëtæ inſigni, nec non M. *Marco Floro*, Eloquentiæ Profeſſori, ad quos â Duce *Briegenſi* literas commendatitias attulerat.

Ibidem per literas & Poëmata ſcripta *Jano Grutero*, *Conrado Rittershuſio*, *Georgio Remo*, Conſil. *Noribergenſi* aliisq; viris eruditione claris familiariter innotuit. Cum verò oculis ibi ſubinde laboraſſet, Medicorum ſuaſu in patriam rediit, & in viâ *Francofurti* ad *Mœnum Rudolphum Goclenium* Philoſ. celebrem cum Epigrammate ſalutavit, & eodem poſteà modo M. *Conradum Bavarum* Poëſ. Profeſſorem *Lipſiæ* honoravit.

A. 1611. Reverſus in patriam M. Oct. anno ſeq. M. Mart. ad Diaconatum *Kobenæ* vocatus, & *Briegæ* ad S. Miniſterium ordinatus eſt, nec multò poſt loci illius Paſtori *Caſp. Celichio* ſeni demortuo ſucceſſit. *Diaconus Kobenæ, & Paſtor Eccleſ.*

28. Febr. A. 1612. Deſponſatus eſt cum virgine *Dorotheâ*, Dn. *Chriſtoph. Feigii*, Conſulis & Judicis aulici *Raudenæ* filiâ, cum quâ in conjugio pacato ſterili tamen ſexennio vixit. *Conjugium ejus duplex.* 16. Jan. A. 1613. iterùm ſponſalia *Kobenæ* celebravit cum virgine *Annâ*, *Gregorii Teichmanni*, Mercatoris & Telonarii *Guravienſis* filiâ, ex quâ tres filios ſuſcepit, cum filiâ, poſtmodùm Reverendo Viro Dn. *Samueli Schelwigio* deſponſatâ. *Liberi.*

A primâ ætate valetudinarius totos 24. annos variis morbis afflictus, Concionatoris tamen fidelis munere pro viribus functus eſt; *24. Annos morbis afflictus.* ultimis verò 13. vitæ annis Conciones intermiſit, & A. 1638. *Liſſam Poloniæ* majoris oppidum diſceſſit, ubi morte beatâ vitam finiit 17. Febr. A.C. 1647. æt. 62. *Liſſæ obiit.*

* *Ex Concione fun. Johannis Holfeldii, Concionat. Liſſ.*

Editi ab eo ſunt ſequentes libri: *Scripta.*

86. Tauff- *Sermones.*
145. Traunngs- *Sermones.*
Güldene Sterb-Kunſt / gezeigt in 12. Predigten aus dem Geſang: Hertzlich thut mich verlangen.
Concionum variarum Faſciculus.
Exercitium Pietatis, die Evangelien in Teutſche und Lateiniſche Sprüche verfaſt.
Geiſtliche Kirchen-Arbeit in *III.* Theilen.
Zucht-Büchlein.
Crux CHRISTI, die ſchmertzliche Marter-Wochen *JESU CHRISTI*, in *IX.* Predigten erklärt.

Exegeſis

Exegeſis fidei Chriſtianæ, oder Bibliſches Chriſtenthum.

Lazarus fidelium typus, frommer Glaubigen Zuſtand / gewieſen an dem armen *Lazaro*.

Gebet-Buch / darinn 100. Chriſtliche Gebet.

In Noth bet allezeit / die Rettung iſt nit weit / bewieſen aus dem Gleichnuß Luc. 18. von der bedrangten Wittib / und dem ungerechten Richter / in 5. Predigten.

Bau-Gedancken.

Æternus amicitiæ contractus, ein Freund liebt allezeit / es ſey Freud oder Leid / aus den Sprüchworten Salom. erklärt.

Mons Oliveti.

Devoti Muſica Cordis, Hertz- und Haus-*Muſica*, darinn allerley geiſtliche Lieder / aus den H. Kirchenlehrern / Sonn- und Feſttags-Evangelien.

Chriſti Auferſtehung in 10. Predigten verfaſſet.

Teutſche *Poëmata*.

Epigrammatum Libri IX.

Sonn- und Feſttägliche Spruch-Poſtill.

Haus- und Reiß-Poſtill.

Leichpredigten *V.* Theil.

Löblicher Handwercks-Ruhm / bey hochzeitlichen Trauungen Chriſtlicher Handwercks-Leut bewieſen.

Heptalogus CHRISTI, die 7. Gebot Chriſti in 7. Predigten betrachtet.

Sonntags-Andachten.

Trauungs-Predigten auf allerley Ständ gerichtet.

Treuhertzige Abmahnungs-Schrifft an ſeinen jederzeit gehorſamen / damals aber verleiteten Sohn / wie auch deſſen kindliche Antwort / und darauf vätterliche Troſt-Schrifft.

Andächtige Kirchen-Seufftzer oder Reimen / damit er die Evangelia durchs gantze Jahr beſchloſſen.

Poëtiſche Erquick-Stunden.

JOHANNES HERMANNUS.

Per Anagramma *Joh. Ammonii Bethan. Sileſii*:

Nonne re amans JEHSU.

CAROLUS BUTLER.

Obiit A.C. 1647.

AD *Wycombam* in agro *Buckinghamienſi*, parentibus probis ortus, cum annorum circiter 19. eſſet, A. 1579. *Oxoniæ* in Collegio *Magdalenenſi* Clericus factus eſt; ibique per varia ſtudia adultus, Artium Magiſter evaſit A. 1587. nec multò pòſt Scholæ *Baſingſtochianæ* in agro *Hantonienſi* Ludimagiſter; cui cum per ſeptennium præfuiſſet, ad Vicariatum *Wottonæ S. Laurentii* tribus indè milliaribus ſito præſentatus eſt, ubi etiam ſequentium librorum ſcriptioni magna ex parte vacavit, qui illum pium & in variis doctrinæ generibus peritiſſimum eſſe indicant. Tituli eorum ſunt:

Clericus Oxon. in Collegio Magdalenenſi. Scholæ Baſingſtochianæ Ludimagiſter. Vicarius Wottonæ S. Laurentii.

Scripta.

Rhetorica, lib. 2. Oxon. 1618. &c. Lat.

Grammatica Anglicana. Oxon. 1634.

De Propinquitate matrimonium impediente, Regula Generalis. Oxon. 1625. Lat.

Monarchia fœminina, ſive *de Apibus tractatus*. Oxon. 1609. &c. Angl.

Principia Muſices. Lond. 1636. Angl.

Oratoria lib. 2. Oxon. 1633. Lat.

Obiit 29. Martii 1647. circiter ætat. ſuæ an. 88. cum *Wottonæ* prædict. Vicarius fuiſſet 47. annos; inque ejuſdem Eccleſiæ choro ſepultus eſt. *Moritur.*

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

SALOMO LENTZIUS.

Obiit A.C. 1647.

NAtus eſt in pago *Kade*, ditionis *Magdeburgenſis* 9. Nov. A. 1584. Patre *Jacobo Lentzio* Eccleſiæ Paſtore, *Jacobi* Paſtoris Eccleſ. *Werbingenſis* in *Saxoniâ* filio: Matre *Annâ*, *Salomonis Schröteri*, Diaconi *Beltzingenſis* filiâ.

Cum domi apud Parentes Linguarum Latinæ & Græcæ fundamenta jeciſſet, A. æt. 14. in Scholam *Neo-Brandeburgicam* famâ celebrem miſſus, & per 4. Claſſes ſucceſſivè promotus, in Hebræâ quoque linguâ & diſciplinis Philoſophicis plurimùm profecit, ut â Præceptoribus in Univerſitatem aliquam ablegandus judicaretur dignus.

Ideò Pater eum *Wittenbergam* deduxit, & Dominis Profeſſoribus commendavit: ſumptus verò ad ſtudia & victum duo Nobiles *Gebhardus Alverſlebius* & *Gebhardus ab Ummendorff* per aliquod tempus ipſi ſuppeditârunt.

Poſteà cum duobus juvenibus nobilibus, *Levino Ludolfo*, & *Buſſone Alverſlebiis* fratribus Præceptoris vice *Wittenbergam* miſſus, ibi in ſtudiorum curſu feliciter perrexit, ut inter 44. Candidatos Magiſterii Gradum quarto loco cum laude acceperit. *Fit Magiſter Philoſ. Witt.*

Hinc ad Theologiam animum applicans, cum in eâ publicè ſub *D. Baltaſare Mentzero* diſputâſſet, unà cum nobilibus ſuis *Jenam* migravit, ibique ſicut & *Wittenbergæ*, Adjunctus Philoſophiæ factus eſt. *Adjunctus Phil. Witt.*

Valetudine verò parùm firmâ uſus ſuaſu Medicorum, ad acidulas *Grimmenſes* profectus, levamen quidem ab earum potu ſenſit, â morbo tamen in habitum jam converſo nunquàm integrè liberari potuit.

A. 1619. A March. *Brandenburgico, Chriſtiano Wilhelmo* ad Evangelii Miniſterium in aulâ tertio loco gerendum vocatus, *Magdeburgi* in Templo Cathedrali ſolenniter ordinatus eſt, & in eâ functione decennium tranſegit. *Diaconus aul. Magdeburgi.*

19. Oct. 1619. Connubio junctus cum virgine *Catharinâ, Henrici Schäfferi*, Senatoris *Deſponſatus.*

ris *Hallenſis* filiâ, ſex filios duaſque filias in infantiâ mortuas progenuit. Ex filiis 4. reliquit ſuperſtites: Duo filioli *Chriſtianus Wilhelmus*, & *Salomo*, ex febre ardente defuncti ille A. æt. 13. hic æt. 7. unâ die tumulo illati ſunt 17. Sept. A. C. 1634. Uxorem verò 3. Oct. A. 1646. vitâ defunctam præmiſit.

Concionator Ratisb. A. 1629. *Ratisbonam* â Senatu vocatus, Eccleſiæ Miniſterium ibi aggreſſus eſt, quo per 18. annos ad finem vitæ ſuæ fideliter functus eſt. Ibi cum ſæpiùs catarrhis periculoſis affligeretur, anteà quoque Melancholiâ hypochondriacâ inveteratâ afflictus, nihil minùs tamen in munere ſuo docendi ſegnior redditus eſt.

17. Sept. A. 1647. Ex catarrho gravi linguâ reſolutâ loquelam amiſit, abindè ſenſim viribus evaneſcentibus placidè in CHRISTO exſpiravit 26. Sept. A. æt. 63. eâdem die mortuus, quâ ante annos 18. *Ratisbonæ* primam Concionem habuit. *Moritur.*

Typis edidit:

Scripta. **Vom Beruff der Lutheriſchen Prediger.** in 8vo. 1631.

Speculum Chriſtianæ Profeſſionis, **Chriſtlicher Spiegel / wie ein Chriſt ſoll recht glauben / Chriſtlich leben / und Sünde meiden.** in 4to. 1635.

* *Ex Concione funebri Eraſmi Gruberi.*

Obiit A. C. 1647.

GEORGIUS ALBERTI, vel ALBRECHT.

Theologi filius. Pilenhofii pago *Palatinatûs Neoburgici* 1. Aug. A. 1601. natus, Patrem habuit M. *Bernhardum Albrecht*, tum ibidem Eccleſiæ Paſtorem, poſteà *Auguſtæ Vindelicor.* ad *S. Crucem* Paſtorem, & Miniſterii ibidem Seniorem: Matrem verò *Juditham*, M. *Caſp. Sauteri*, ad *S. Annam* Paſtoris ibidem & Miniſterii Evangelici Senioris filiam.

Ab his parentibus â teneris in pietate educatus A. ætatis quinto Claſſes in Gymnaſio *Annæo* frequentare cœpit, quas 9. cum pertranſiviſſet, A. 1612. Convictor in Collegium Auguſtanum receptus eſt. *Claſſes Gymnaſii Annæi 9. percurrit.*

A. 1619. Poſtquàm Orationem valedictoriam *de Probo Scholaſtico* in præſentiâ multorum virorum eruditorum habuiſſet, Academiam *Tubingenſem* acceſſit, ubi eodem anno 13. Sept. Philoſ. Baccalaureus inter 52. Candidatos ſecundo loco creatus eſt, & A. 1621. Magiſter Artium renuntiatus, inter 13. Candidatos primum locum obtinuit: parentes inter alios habens ſpectatores. *Tubingæ Baccalaur. & Magiſter.*

Poſteà ſtudium Theologicum aggreſſus, quater *de diverſis Materiis* publicè diſputavit. 12. Aug. A. 1624. Academiam *Argentinenſ.* ſalutavit, & ibi concionando ſe exercuit. Sed mox ad Miniſterium Eccleſiaſticum in Patriâ vocatus, prægreſſo examine & Concione probatoriâ 13. Nov. in templo *S. Annæ* manuum impoſitione ordinatus, & Eccleſiæ Diaconus in templo *Franciſcanor.* conſtitutus eſt. *Diaconus Auguſtæ in templo Franciſcanor.*

Tunc imberbis adhuc â monacho quodam Dominicano, *Euſtachio Mario*, aliàs **Sabelhannß** vocato, ſæpiùs in Concionibus exagitatus eſt, cui tamen Senatus inclytus ſilentium impoſuit. 8. Aug. A. 1629. cum aliis Miniſtris *Auguſtanis* per Commiſſarium Cæſareum Miniſterio abrogatus, unà cum uxore gravidâ & liberis ad affinem ſuum *M. Davidem Steudlinum Backenangii* Paſtorem ſe contulit. *Exul.* 15. Febr. A. 1631. *Gaildorfium* ad Superintendentis munus â Baronibus *Lymburgicis*, *Joach. Gotfrido*, *Joh. Wilhelmo*, & *Ludovico Caſimiro* vocatus, 10. ibi annos Verbum DEI fideliter docuit. *Superint. Gaildorf.*

Cum verò M. *Jacobus Herrenſchmid* Superintendens *Nordlingenſis* 1. Martii A. 1641. obiiſſet, 1. April. ſeq. huic per vocationem legitimam ſubrogatus & Succeſſor datus eſt, ægrè licèt â *Gaildorfenſibus* dimiſſus fuerit. *& Nordling.*

A. 1625. Die 5. Maji deſponſatus eſt *Auguſtæ Vind.* cum virgine *Jacobinâ*, *Chriſtophori Marii*, Mercatoris filiâ, ex quâ novem filios & 6. filias ſuſcepit, ſed duos tantùm filios ſuperſtites reliquit, *Bernhardum*, *Tubingæ* tunc Philoſ. Candidatum, & *Adamum Jacobum*, cum filiabus *Judithâ*, *Æmiliâ Barbarâ*, *Jacobinâ*, & *Reginâ*. Hæc ejus uxor 27. Martii A. 1647. ſubitò ei per mortis violentiam erepta eſt. *Uxorem ducit.*

Ab eo tempore ægrotans ipſe Acidularum & Thermarum uſu dextro reſtitutus, utcunque Conciones iterum habuit, quarum ultima fuit Dominicâ 16. poſt Trinit. *de Adoleſcente Nainico.* Paucis diebus elapſis recidivam paſſus, manibus pedibuſque contractus decubuit, & accedente tandem epilepſiâ placidè exſpiravit 17. Nov. A. C. 1647. æt. 46. *Moritur.*

Superintendentes hûc usque *Nordlinga* habuit novem ab A. C. 1524. qui fuêre ordine ſequentes: *Superintendentes Nerolingenſes.*

1. *M. Theobaldus Pelicanus A.* 1524.
2. *M. Caſpar Lobnerus* 1544.
3. *M. Melchior Runtzlerus* 1555.
4. *M. Jacobus Steudlinus* 1579.
5. *D. Wilhelmus Frider. Lutz.* 1585.
6. *M. Fridericus Franck.* 1597.
7. *M. Stephanus Wechslerus.* 1624.
8. *Jacobus Herrenſchmid.* 1635.
9. *M. Georgius Albrecht* 1641. Hic obiit anno

GeorgIVs ALbertVs, Paſtor & SVperIntenDens NeroLIngenſIs, MortVVs, en! VIVIt VItâ æternâ.

Epitaphium *Sigiſm. Erneſti*, Scholæ *Nordl.* Collegæ annum eundem indicans:

ALbertVs nItVIt CLarIs qVI DotIbVs, Vrnâ
ConDItVr hIC: LVCens ſoL fVIt, aræ & honor.

Anagram-

Anagrammatum par Joh. Georgii Hartmanni, Poetæ Laur.

I. JOHANNES SAUBERTUS.

NÆ URBIS EST NOAHUS.

Alter erat, fateare, tibi Noriberga Noahus
Sacro SAUBERTUS flamine plenus erat!
Arcam ſed Jovâ petit amandante ferretri,
Ergò cave ultrici ne rapiaris aquâ.

II. GEORGIUS ALBRECHTI.

LOTH A GREGE CUR IBIS?

Alter erat fateare tibi, Nerolingia, Lothus
Divino Albertus numine plenus erat.
A grege cur abeat quid quæris? Morte vocatur
Optatâ, quia mox igneus imber adeſt.

Conſignatio Libellorum & Concionum in publicum datarum à *Georgio Alberti*:

Scripta. 1. Pfingſt- und Sonnen-Wunder. in 4to. A. C. 1628.

2. Bibliſcher Buß-Altar. in 8vo. 1629.

3. Handwercks-Zunfft. in 4to. 1631.

4. Paſſion-Uhrlein. in 8vo. 1631.

5. Zween Lymburgiſche Schencken / das iſt/ Leich- und Huldigungs-Predigten. in 4to. 1631.

6. Kirchenwach. in 4to. 1632.

7. Gaildorffiſche Kirchenfolg. in 4to. 1633.

8. *Anti-Bellarmini Biblici Pars I. & II.* in 4to. 1633.

9. *Ænigma geminum Nuptiale.* in 4to. 1634.

10. Bibliſches *A B C*, und Namenbüchlein / ſo unterſchiedlich aufgelegt worden.

11. Contrefait deß jungen Timothei. in 4to. 1636.

12. GOttes Wunder-Wagen. in 4to. 1637.

13. Fluch- *A B C*, oder Bericht von dem Gotteslăſtern / da alle Fluch nach dem *A B C* erzehlet und erörtert werden. in 8vo. 1638. & in 12mo. 1641.

14. Schreiber-Lob. in 4to. 1640.

15. *Vale Gaildorfenſe*, oder letzte Predigt. in 4to. 1641.

16. *Judæus converſus & baptizatus*, Tauff-predigt eines Juden. in 4to. 1641.

17. *Gaudium ſuper omne gaudium.* Der Artickel vom ewigen Leben in 75. Predigten erklärt. in 4to. 1641.

18. Rechenbanck *ex Evangel. Luc. XVI.* in 4to. 1641.

19. *Trias Magnalium: 1. Gaudete* Pfingſt-predigt/ *Joh. 3. v. 17. 2. Jubilate Pſalm. 17. v. 3. de Auguſtanâ Confeſſione. 3. Salvete*, Nördlingiſche Ampts-Predigt *Dom. Miſericord. Joh. 10.* in 4to. 1641.

20. Himmels-Rigel in 4. Predigten / warum GOTT den Himmel verſchloſſen/ und den Frieden nicht geben habe. in 12mo. 1641.

21. Nördlingiſche Neue-Jahrs-Pfenning/ oder Predigt *A. 1642.* gehalten. in 4to.

22. *Væ nobis*, der Artickel von der Höllen/ in 39. Predigten. in 4to. 1642.

23. Beicht-Spiegel. in 8vo. 1642.

24. *Calendarium Chriſt. perpetuum* teutſch. in 4to. 1643.

25. Nördlingiſche Jahrs-Kron *ex Pſalt. David.* in 4to. 1643.

26. Nördl. Chriſt-Kräntzlein. in 4to. 1643.

27. *Dulce Amarum*, der bitter-ſüſſe Tod in 57. Predigten. in 4to. 1643.

28. Spital-Predigt bey der *Præſentation M.* Sebaſt. Wüſten. in 4to. 1644.

29. Catechiſmus-Hand. in 12mo. 1646.

30. *Phyſiologia Chriſtiana.* in 8vo. 1645.

31. *Octiduum Chriſtianum*, Neue-Jahrs-Predigt. A. 1645. in 4to.

32. *Tuba noviſſima*, der Artickel vom Jüngſten Gericht. in 4to. 1645.

33. *Surgite mortui*, Artickel von der Auferſtehung der Todten. in 4to. 1645.

34. Drey Nördlingiſche Kriegs-Predigten / 1. Zuchtruthen / 2. Raubkauff / 3. Erndt-Eſſig. in 4to. 1645.

35. Nördlingiſcher Klag- Buß- Bet- und Faſt-Tag. in 4to. 1645.

36. Buß-Spiegel / Buß-Gebet *Manaſſe*, in 29. Predigten. in 8vo. 1646.

37. *Litania*, in 59. Predigten erklärt. in 4to. 1646.

38. Nördlingiſches Danck- und Bet-Opffer / Erndt-Predigt / *Syr. 50.* in 4to. 1646.

39. Leich-Predigt *D. Jacob* Ryllingers. 1646. in 4to.

40. Regenten-Spiegel in 52. Predigten. in 4to. 1647.

* *Ex Concione fun. M. Georg. Hauſen, Archidiaconi Nördling.*

CHRISTANUS BECMANUS.

Obiit A.C. 1648.

Natus eſt A. C. 1580. die 20. Sept. Patre *Andreâ Becmano*, *Steinbacenſis* & *Scheplinenſis* in *Miſniâ* Eccleſiæ Paſtore: Matre *Sibyllâ, Blaſii Kirſtenii*, civis *Dibenſis* filiâ.

De filio hoc in ipſo Solis orientis puncto omine felici nato multa cum ſibi promitterent pii parentes, à teneris unguiculis DEO eum conſecrârunt, domique pietatis atque linguarum Latinæ & Græcæ rudimentis per Præceptores imbui curârunt.

Diſcipulus Gymnaſii Grimmenſis. Indè A. 1595. ad *Grimmenſe* Pædagogium eum amandârunt: ubi exacto quadriennio *Lipſiam* ſibi delegit ſtudiorum metam, Philologiæ, Philoſophiæ, & Theologiæ operam daturus: *Studioſus Philoſ. Lipſiæ.* Ubi favente ingenio, memoriâ & induſtriâ ex animi voto res ſucceſſit, quando non vocalium tantùm, ſed mutorum quoque doctorum uſus eſt operâ, ad Philologiæ & Poeticæ ſtudium invitantibus animum diſcendi cupidum *Scaligeris*, Patre & filio: è quorum ſedulâ lectio-

Digitized by Google

Poëta Laur. lectione tantum profecit, ut juveni Poëticam Laurum *Johann. Georg. Godelmannus* per manus *Frid. Taubmanni* obtulerit.

In Philoſophicis diſciplinis duces ſibi delegit præ aliis Julium Cæſ. *Scaligerum* & Jacobum *Zabarellam:* quorum ope per crebra Diſputationum exercitia eos in Philoſophiâ progreſſus fecit, ut A. 1604, præſente & applaudente Patre, Philoſophiæ Doctorem *Lipſienſis* Academia ipſum creârit. *Philoſ. Doctor.*

Theologiæ ſtud. Cum Philoſophiâ conjunxit Theologiam, qualem tum temporis Eccleſia & Academiæ Doctores profitebantur: quamvis ſubindè ſcrupulos ei moverint dogmata, quæ conciliare cum veritate & Scripturâ non potuit, quæque Eccleſiar. *Reformatar.* quas ita vulgò appellant, Doctoribus improbari è ſedulâ ipſorum Lectione didicerat. Undè etſi *D. Johanni Forſtero* de *Euchariſtici panis fractione* diſputanti A. 1607. Reſpondentis operam commodavit: tamen vel continuare vel abſolvere Theologiæ ſtudium in Academiâ illâ noluit, adeoque ad Scholaſticam potiùs, quàm Eccleſiaſticam functionem adſpiravit, privato tamen Theologiæ ſtudio minimè neglecto.

Rector Scholæ Naumburg. & Mülhuſ. Anno igitur 1608. *Lipſiâ Naumburgum* conceſſit, & oblatum ſibi Scholæ Rectoratum accepit: quo per quadriennium cum fide functus ad *Milhuſinæ* Scholæ Rectoratum, prægreſſâ vocatione, ſe contulit, ſacris interim domi literis operatus, & totus in veſtigandâ veritate occupatus.

Ad unam intereà alteramque Concionem habendam invitatus, cum patronorum exſpectationi ſatisfeciſſet, ad ejuſdem urbis Paſtoratum vocatus annuere vocantibus primùm conſtituerat, mox tamen hæſitare, omnibuſque probè ponderatis recuſare, poſtquàm tantus animi ipſum horror cordiſque dolor invaſerat, ut ad lectum affixerit, nec antè remiſerit, quàm oblatam conditionem recuſâſſet, â quâ veluti cœlitùs miſſâ voce ſe retrahi ſtatuebat.

Mox igitur rebus ſuis convaſatis A. 1615. in ſuperiorem *Palatinatum* conceſſit, & vocatus â Sereniſſ. Electore *Friderico V.* *Rector Pædagogii Amberg.* D. *Wigando Spanhemio* in Electoralis Pædagogii *Ambergenſis* Rectoratu ſucceſſit, 9. annos in hoc fertili ſeminario indefeſſus operarius inſumens. Neque pedem indè moviſſet, niſi horrenda Eccliſpis triſtem tenebrarum noctem Scholis *Palatinis* induxiſſet. Quæ cauſa, quod A. 1624. ex naufragio periculoſo ad portum *Berneburgenſem* cum conjuge & ſobole ſalvus enatarit, manum porrigente, & quaſi ad littus extrahente Dom. *Chriſtiano* Seniore Principe *Anhaltino*, qui *Berneburgenſi* Scholæ Rectorem eum præfecit. *Rector Scholæ Berneburg.*

S. Theol. Profeſſor Serveſtæ. A. 1627. Ab Illuſtriſſ. Principibus *Anhaltinis* ad S. Theologiæ in Gymnaſio *Anhaltino Serveſtæ* Profeſſionem, ab Illuſtri Dom. Tutore *Auguſto* Principe *Anhaltino* ad Eccleſiar. *Anhalt.* ciſalpinarum Epiſcopatum, & â Senatu *Serveſtano* ad Parochiæ oppidanæ Paſtoratum ſolenniter vocatus, triplicem hanc ſtationem ultrà 20. annos fideliter tenuit. *Superintendens Anhalt.*

Ad primum conjugium A. 1608. ſibi delegit virginem *Chriſtinam*, M. *Laſmani*, Scholæ *Lipſienſis* ad *D. Thomæ* Rectoris filiam, cum quâ ſuaviter annos 28. exegit, quinque filiorum & quatuor filiarum pater factus: è quibus non niſi duos filios, Dn. *Philippum*, *Deſſavienſem* Medicum, & *Dn. Fridericum*, Logicæ in Electorali *Viadrinâ* Academiâ Profeſſorem ſuperſtites reliquit. Ad ſecunda vota nuptialia A. 1637. tranſiit cum virgine *Margarethâ*, Dn. *Georgii Enckii*, Camerarii *Serveſtani* filiâ, quam viduam reliquit, cum uno è duobus ſuperſtite filiolo *Joh. Chriſtophoro*. *Conjugium ejus duplex, & liberi.*

Tandem ad vitæ hujus metam lento gradu feſtinavit. Anno enim 1645. tertiâ Paſchatis feriâ affectus ſive apoplecticus, ſive paralyticus ſiniſtrum ejus genu invaſit ſine doloris ſenſu: quamvis officium pedis impedierit, & ſellæ vigilantem affixerit. Indè 24. Aug. dextrum quoque genu affectus idem corripuit: utriusque pedis uſu ita intercepto, ut in pedes ſe erigere non niſi ſcipionis & levantium adminiculo potuerit: quamvis interim ſedentem, nec â lectione, nec â ſcriptione malum hoc abſtraxerit. Tandem verò longius ſerpſit lethalis affectus, qui manum & linguam per plures menſes ita afflixit, ut officium ex voto facere neutra potuerit.

Omnium medicamentorum vim morbi pertinacia eliſit, affluente ſub finem catarrho, qui ſpiritum intercepit, & animam quaſi dormientem, ſine dolore aut violentâ corporis agitatione Redemptori ſuo placidè adduxit 17. Martii A. C. 1648. æt. 68. *Moritur.*

Extant ejus magno numero Scripta Philologica, Logica, Oratoria & Poëtica annis juvenilibus & virilibus elucubrata, & ſæpiùs recuſa. Extant annis potiſſimùm ſenilibus elaborati Tomi Theologici tot numero, ut plures exſpectari ab homine publicis functionibus occupato non potuiſſent.

* *Ex Programm. fun. D. Marci Frider. Wendelini, Gymn. Anhalt. Rectoris.*

GEORGIUS HAKEWILL.

Obiit A. C. 1648.

IN Agro *Devonienſi*, in *Angliâ*, natus, propter operam in Philoſophiâ, aliâque eruditione feliciter collocatam, in Collegii *Exonienſis* ſocium, in Univerſitate *Oxonienſi*, cooptatur A. 1596. Hinc ad Theologiam converſus, & *Hollandi* Rectoris, Profeſſoriſque in illâ Facultate Regii, conſilio uſus, tum Concionator, tum quæſtionum Theologicarum ventilator haud incelebris emicuit; ſuſceptoque Doctoris gradu, ad Archidiaconum *Surrienſem* elatus eſt. *Doctor Theologiæ.* *Archidiaconus Surrienſis.*

Win-

Winniffio, Collegii *Exonienſis* itidem ſocio, coævus erat, eodemque, quo ille, tempore iratam habuit fortunam, quippe hic propter impugnatas *Caroli* Principis, cum Regis *Hiſpani* filiâ nuptias, Regii Sacellani munere, ipſâque Curiâ pulſus, *Wimiffius* autem turri *Londinenſi* mancipatus eſt, ob verba quædam in Comitem *Gundamaurum*, Legatum *Hiſpanum*, temerè inter concionandum prolata.

Iratam habet fortunam.

Hakevillius politiori, ut ea ferebant tempora, literaturâ inſtructus, Philoſophus ſubtilis & Theologus verè profundus habebatur.

Moritur. Diem obiit ad Rectoriam ſuam de *Pranton* propè **Barnſtaple** in agro *Devonienſi*, 11. quaſi April. anno ætatis 72. Dom. 1648. ibique in Cancello Eccleſiæ ſepultus jacet.

Scripſit, præter alia quædam:

Scripta. *Tractatum de Potentiâ ac Providentiâ divinâ, in adminiſtrando Orbe patefactis; ubi probare nititur, nil detrimenti paſſam adhuc eſſe rerum naturam.* Lond. 1627. Angl. Ibid. 1635. &c.

Reſponſionem ad Argumenta Doctoris B. Carier, quibus Anglos impellere conatus fuerat, ut fidem Romanam denuò amplexarentur. Lond. 1616. Angl.

Veteris Eccleſiæ in confirmandis pueris praxeos vindicias. Lond. 1617. Angl.

In Lev. 1. v. 10. Lond. 1641. Angl.

In Dan. 12. v. 3. Oxon. 1633. Angl.

De Vanitate Oculi. Oxon. 1608. Angl.

Diſſertationem cum Doct. Petr. Heylin, de Sacrificio in Euchariſtiâ fieri exiſtimato. Lond. 1641. Angl.

Scutum Regium contra Regicidas, & Regicidarum Patronos. Lond. 1612. Lat.

Conciones duodecim, circa votum Davidis, de ſeipſo, familiâ, Regnoque ſuo reformandis. Lond. 1621. Angl.

* *Ex hiſtoriâ & antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii â Wood.*

Obiit A. C. 1648.

JOHANNNES TRAUTSCHELIUS.

E*Isfeldiæ* in *Franconiâ* natus eſt 12. Jan. A. 1603. Patre *Johanne*, cive ibidem honeſto, Matre *Rebeccâ Hertzogiâ*.

Cum in Scholâ patriâ literarum fundamenta jeciſſet, A. 1618. in Gymnaſium *Coburgenſe* venit, & cum in ſtudiis Philoſ. ac Theologicis ſatis profeciſſet, A. 1625. in Academiam *Jenenſem* profectus, ibi triennium ſtudiis impendit, & Philoſophiæ Magiſter cum laude renuntiatus eſt 1. Aug. A. 1628.

Philoſ. Magiſter Jenæ.

A. 1632. *Sternbergam* ad Verbi Divini Miniſterium vocatus â nobili Viro *Philippo Alberto Truchſeſio â Wetzhauſen*, 4. ibi annos exegit. Sed A. 1634. ob tumultus bellicos in exilium migrare coactus, *Gellersbuſam* ad Verbi Divini Miniſterium vocatus eſt A. 1636.

Verbi Div. Miniſter Sternbergæ.

Gellersbuſæ.

A. 1638. Ex commendatione *D. Johannis Krebſii*, Vice-Cancellarii *Culmbacenſis Thurnaviæ*, Nobilium *Kinsbergiorum* ſede, Paſtor Eccleſiæ factus, *Johanni Hofmanno* ſucceſſit. A. 1644. â *D. Georgio Mundio* J.C. & Cancell. *Coburgico* Lauro Poëticâ coronatus eſt.

Thurnaviæ.

Poëta Laur.

Durante ſuo 16. annorum Miniſterio 41. ſuggeſtûs variis in locis conſcendit, in iiſque 1740. Conciones peregit, ut in manuali ſuo domeſtico reliquit annotatum.

Tandem cum per ſeptennium paroxyſmos podagricos ſenſiſſet, accedente hydrope, in CHRISTO obdormivit *Turnaviæ* 11. April. A. C. 1648. æt. 45.

Moritur hydrope.

* *Ex Conc. funebri.*

JOHANNES BEHMIUS.

Obiit A. C. 1648.

NAtus eſt 23. Junii A. C. 1578. Patre *Georgio*, cive *Palæopoleos Regiomone*, Matre *Eliſabethâ Maſtiâ*. Puerum Pater M. *Tebelio*, Rectori Scholæ Cathedralis tradidit informandum, in quâ ad annum 1592. prima literarum jaciens fundamenta *Palæopolitanam* adiit, in quâ pari ſolertiâ ita continuavit, accedente privatim Dom. *Chriſtophori Heilsbergeri* U. J. D. cui â ſervitiis erat informatione, quam omni vitæ ſuæ tempore gratâ memoriâ prædicavit, usque dum Academicis Lectionibus aptus A. 1596. videretur, atque indè bonâ cum gratiâ dimiſſus, non modò matriculæ Academiæ inſertus, ſed inter Alumnorum Electoralium numerum fuit cooptatus.

Alumnus Electoralis.

Anno hujus ſeculi auſpice hinc ad exteros progreſſus inter eos novennium vixit, ut uberrimos eruditionis fructûs in patriam redux reportaret. Primò enim *Lipſienſem* ingreſſus Academiam, quadriennium ibi literis continuandis ita impendit, ut A. 1601. Baccalaureatûs, ſequenti verò Magiſterii honoribus â Decano M. *Erbardo Lauterbachio* Doctore pòſt Theologo ornatus, reliquum biennium diſcendo & docendo alios exigeret.

Baccalaur. & Magiſter Lipſiæ.

A. 1603. Studii Theologici ſolidiorem cognitionem acquiſiturus *Wittebergam* petiit, in eâque magna illa lumina, *Mylium, Gesnerum, Rungium, Hutterum* aſſiduè ſectans cœleſtis ſapientiæ vim hauſit.

Studioſus Theol. Wittenbergæ.

A. 1606. *Lipſiam* repetens anno integro nihil ferè egit aliud, quàm ut celeberr. Chronologi *Sethi Calviſii* convictu & converſatione utens ſtudium Chronologicum ex profeſſo tractaret. A. 1607. Peregrinationem ſuſcepit, eamque ſemeſtri ita confecit, ut per omnem ferè *Germaniam* loca nobiliora inviſens *Brabantiæ, Flandriæ, Hollandiæ*que provincias adiret, iiſque egregiè luſtratis M. Octobri *Wittebergam* rediret: ubi honoribus Doctoralibus, Promotore *D. Huttero*, 1. Nov. A. 1608. ornatus fuit.

Lipſiæ Sethi Calviſii Chronologi convictor.

Wittenbergæ Theol. Doctor.

Digitized by Google

In Patriam redux, mox ſub initium anni 1609. Profeſſioni Theologicæ extraordinariæ præficitur, circa finem verò ejusdem Concionator aulicus vocatur.

Concionator aulicus.

Pôſt A. 1612. Profeſſor Theol. ordinarius, & A. 1613. *Sambienſis* Conſiſtorii Aſſeſſor conſtituitur. Academiæ Patriæ Rectoratum decies raro exemplo laudabiliter geſſit.

Decies Rector Acad.

A. 1611. Conjugio ſibi junxit Virginem *Urſulam*, Dom. *Alberti Rakovii*, Conſulis in *Cniphovio Regiomontano* filiam, cum quâ intra tranquillum ferè 36. annorum conjugium vitam tranſegit, numeroſâ prole felix. Filios quippe 5, duos ſuperſtites, filias verò tres, unam ſuperſtitem genuit.

Marcore tandem ſenili citra aliam morbi moleſtiam confectus, cum A. 1646, ipſâ Purificationis ſolennitate verba è cathedrâ ad populum faciens eò usque progreſſus eſſet, ut divinum illum *Simeonis* hymnum funebrem exponere vellet, ſubitâ ipſe lipothymiâ oppreſſus, verba abrumpere cogitur.

In Concione morbo lethali corripitur.

Domum ita delatus, id quidem Medici curâ actum, ut recollectis viribus in publicum prodire, ac quæ muneris ſui erant, expedire potuerit, quod ultimâ ab eo Concione Dominicâ 10. poſt Trinit. A. 1647. publicè factum eſt. Sed & ſub eandem Concionem iterum eodem affectu oppreſſus, lecto omninò affixus eſt, & tandem 27. April. A. C. 1648. ætatis 70. morte placidâ ad beatiora hinc diſceſſit.

Moritur.

Scripta ab eo edita & relicta ſunt ſequentia:

Scripta.

Thema Theologicum de æternâ Filii DEI divinitate Ebionitarum blaſphemiis oppoſitum, in 8vo.

Tres Chronologicæ Diſputationes de modo colligationis exterarum earumque antiquiſſimarum Epocharum ad annos à condito mundo, in 4to.

Diſputationes 8. de Voluntate DEI, in 4to.

Pauli Burgenſis è Judæo Chriſtiani diſcurſus de Celebratione Paſchatis notis illuſtratus, in 4to.

Diſputationes XX. continentes Oſiandri ſententiam de Juſtificatione hominis coram DEO. in 4to.

Diſputationes Theologicæ XXIX. de Articulis fidei Chriſtianæ. in 4to.

Chronologica Manuductio & Deductio annorum à condito mundo ad exterminium usque prioris & poſterioris Templi, in fol.

Hectas Theologicarum Diſputationum, de differentiâ Evangelicar. promiſſionum oppoſitarum D. Crocii & D. Bergii Sophiſticationibus, in 4to.

Collegium Anti-Rathmannianum publicum XV. Diſputationibus comprehenſum, in 4to.

Judicium de Controverſiâ Pelargianâ & Synergiſticâ D. Martini Chemnitii denuò in lucem productum. in 4to.

Treuhertzige Warnung an alle und jede Unterſaſſen deß Hertzogthums Preuſſen / ſich für der Zwinglianiſchen Sect zu hüten. in 4to.

Eine Predigt von dem verlohrnen und wieder gefundenen 12. jährigen Knaben *CHRISTO*. in 4to.

Kurtze Erzehlung / was von dem H. Wort GOttes und deſſelben Krafft zu halten ſey. in 4to.

Vom Sitzen *CHRISTI* **zur rechten Hand GOttes.** in 4to.

Selbſteigene Rettung deß Glaubens und ſeines Namens / wider etliche Calviniſche Schrifften. in 4to.

Geiſtlicher Unterricht von dem *Exorciſmo*. in 12mo.

Predigt von der Höllenfahrt *CHRISTI*. in 4to.

Diſputationes quoque habuit: De Juſtitiâ fidei: de Poſſibilitate errand. Eccleſiæ: de Theologiâ & ejus requiſitis: de DEO uno in eſſentiâ: de Similitudinibus S. S. TRINITATEM adumbrantibus: de Divini Verbi perſpicuitate & interpretatione: de Sacræ Scripturæ perfectione: de æternâ DEI Prædeſtinatione: de Exorciſmo: de Quæſtione, an Beata Virgo Maria absque omni peccato concepta, nata & mortua ſit? De primo anno Cyri primi Perſar. Regis contra Bened. Pererium. De Epochis Philippeâ & Alexandreâ contra Laurent. Codomannum. De Epochâ annorum Græcorum, quorum mentio fit in libris Maccabæorum.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Academiæ Regiomontanæ.*

JOHANNES QUISTORPIUS.

Obiit A. C. 1648.

IN communem hanc lucem proceſſit *Roſtochii* A. C. 1584. 18. Aug. Patrem habuit tenuioris fortunæ & conditionis *Joh. Quiſtorpium Galantiopæum*, matrem *Catharinam Dumrathiam*. Elucebat in eo ſtatim animi & ingenii lumen, quo fiebat, ut per benedictionem divinam feliciter in Scholâ patriâ artium & Linguarum jaceret fundamenta: quod cum Præceptores M. *Nathan Chytræus* & *Paulus Tarnovius* animadvertiſſent, parentibus ſuaſerunt, ut in Scholam *Berolinenſem* filium ablegarent, ubi per triennium in ſtudiis humanitatis & literarum verſatus fuit. Hinc *Francofurtum* ad *Oderam* conceſſit, ubi intra annuum ſpatium plurimum in literis profecit.

Roſtochii diſcipulus Nathan. Chytræi.

Studioſus Francofurti ad Oderam & Roſtochii.

A. 1604. Poſt patris obitum domum reverſus per integrum ſeptennium legendo pariter ac diſputando, ita ſe adoleſcentibus Studioſis probavit, ut ad eum audiendum magno numero confluerent. Quo etiam factum, ut inclinatione voluntatis in eum propenderet *Nicolaus Ritterus*, Patricius *Lubecenſis*, ſuorumque ſtudiorum Rectorem adſciſceret, quocum per *Hollandiam*, *Brabantiam*, & *Flandriam* peregrinatus eſt. A. 1614. in patriam reverſus, mox ad Profeſſionem Theologiæ vocatus fuit.

Theol. Profeſſor Roſtochii.

Digitized by Google

fuit. Antequàm verò functionem hanc aggrederetur, alias etiam Academias *Germaniæ*, *Lipſienſem*, *Wittebergenſem*, *Jenenſem*, *Marpurgenſem*, *Gieſſenſem*, *Altorfinam*, *Heidelbergenſem*, *Colonienſem*, *Argentinenſem*, & *Baſileenſem* perluſtravit. **Academias Germaniæ perluſtravit.**

Poſtquàm A. 1615. domum rediiſſet, extemplò veſtigium figere in cathedrâ cœpit, & docendi labores cum magnâ voluptate & animi alacritate ſubivit, eosque ad vitæ finem ſuſtinuit. Eodem anno ipſi Rectoratûs munus demandatum fuit, quod ſingulari cum dexteritate geſſit. **Rector Acad.**

A. 1616. Archidiaconus ad ædem *B. Virginis* cooptatus fuit, nec multò pòſt ſummis in Theol. honoribus ornatus. Ad actum Promotionis nuptias adjecit, & matrimonio ſibi junxit Virginem *Barbaram Domanniam*, *Stephani Domanni*, J. C. & Advocati *Oſnabrugenſis* celeberr. filiam. **Archidiaconus, & Theol. Doctor.**

Ex hâc ſuſcepit filios duos, quorum natu minor *Joachimus* in pueritiâ obiit, alter natu maximus *Johannes* Philoſ. Magiſter & Theol. Profeſſor paternarum virtutum hæres fuit. Filias ex eâdem conjuge ſuſcepit octo, ex quibus *Catharina* elocata eſt Dom. *Thomæ Lindemanno*, S. Theol. Doctori & Profeſſori *Roſtoch. Margareta* nuptum data Dom. *Jacobo Schoſio*, Reip. patriæ à Secretis, *Barbaram* ambivit & exambivit Reverendus Vir M. *Nicolaus Ridemannus*, Miniſter Verbi Divini ad *D. Mariæ*, *Anna* denique nupſit Dom. *Martino Gerdes*, civi ac cereviſiario *Roſtoch.* Ex liberis his ſuis avum ſe factum vidit cum voluptate 17. nepotum, raro felicitatis exemplo. **Pater Johannis Theol. Profeſſoris.** **Avus 17. nepotum.**

A. 1645. Paſtor Eccleſiæ ad *B. Mariæ*, & paulò pòſt Superintendens declaratus fuit. Multoties Decanatûs officio in Collegio Theologico præfuit, multisque doctis Viris honores contulit. Undecies etiam ſuſceptum Rectoratûs munus, functionem verbo ſplendidam reipſâ verò moleſtam & miſeriarum plenam explevit. **Superintendens Roſtoch.** **Undecies Rector Acad.**

Ad Principem tandem *Adolphum Fridericum* Ducem *Megapolitanum* accerſitus *Doberanum*, & ad Colloquium clementer admiſſus, in hoſpitium, quod Presbyter ejus loci ipſi aperuerat, ſe recepit. Sumtâ ibi frugali cœnulâ, antequàm cubitum ſe daret, in hæc verba erupit: *Timeo noctem inſtantem & horret animus, quando recordor exquiſitos illos dolores, quibus præteritâ nocte afflictus, & penè examinatus fui.* Circa medium noctis aſthma ſcorbuticum, quo per menſes jam aliquot angebatur, eum corripuit.

Cum verò M. *Petrus Eddelinus* in eodem cubiculo præſens protinus ad gemitûs ejus accurriſſet, & quo medicamento ſibi conſultum vellet, rogâſſet, *Quiſtorpius, non alio*, inquit, *poteſtis malo huic mederi, quàm prece Dominicâ*, (ihr könnet mir nicht anderſt helffen / als mit einem Vatter unſer/) & id unicè crebris precibus â DEO exoptavit, ut liceret ſibi vitam hactenùs non otioſè actam morte placidâ terminare.

Et verò voti ſui ſummam conſecutus eſt, dum è corporis domicilio, in quo annos 64. commoratus fuerat, ad Beatorum ſedes evolavit *Roſtochii* ſub M. Maji initium A. C. 1648. **Moritur.**

Concio ei funebris habita fuit â M. *Joh. Corfinio* V. D. in æde Marianâ Miniſtro Epitaphium hoc ſibimetipſi adornari cœptum inter ſchedas repertum fuit:

Sedulò ſervivi Patriæ, Templisque, Scholisque,
Publica quærere mî commoda vita fuit.
Oſſa tegat tellus, redivivum CHRISTE beatis
Conjungens Geniis cœlica regna dabis.

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia: **Scripta.**

Articuli Formulæ Concordiæ XI. Exercitationibus incluſi. in 4to.

Manuductio ad Studium Theologicum. in 4.

Annotationes in omnes Libros Biblicos. in 4. Francof. & Roſtoch.

Commentarii Analytici in omnes Epiſtolas Paulinas. in 4to.

Orationes duæ contra Schoriſtas, Nationalia Collegia & Societates Nationales, & de Obedientiâ.

Predigten über die Klag-Lieder *Jeremiæ*, in 4to.

Perpetuum mobile, oder 30. Gewiſſens-predigten. in 4to. Roſtoch. 1646.

Jubel- Einzugs- und Danckfeſt-Predigten.

Diſputationes habuit: de Eſſentiâ, Exiſtentiâ, & Subſiſtentiâ: de tempore Antediluviano: de Fidei ac Salutis fundamento, an illud Calviniani ſartum tectumque retineant, ita ut inter Lutheranos & Calvinianos ſuper illo ſit conſenſus: de æternâ filiorum DEI ad vitam æternam Prædeſtinatione: de Naturâ Symbolorum Sacramentalium: de Satisfactione CHRISTI pro peccatis: de Sacrâ Scripturâ: de Univerſalitate meriti CHRISTI: de æternâ Prædeſtinatione: de Peccato: de Pontifice Romano.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Acad. Roſtoch. D. Henrici Rahnii, Jur. Prof.*

LEVINUS POUCHENIUS.

Obiit A.C. 1648.

NAtus eſt *Regiomonti* 26. Oct. A. C. 1594. Patrem habuit Virum Reverendum *Andream Pouchenium*, S. Theol. & Prof. primarium, ædis Cathedralis Paſtorem, & Conſiſtorii *Sambienſis* Aſſeſſorem, cujus Parens Vir itidem Reverendus M. *Andreas Pouchenius*, Superintendens fuit *Lubecenſis*: Matrem verò habuit *Mariam*, Viri Clariſſimi Dom. *Stephani Combergeri*, Præfecti *Tubingenſis* filiam. **Filius & Nepos Theologor.**

In Scholâ patriâ ſub ductu M. *Hagii* Rectoris, ita in pietatis artiumque cognitione progreſſus eſt, ut cum ejus gratiâ dimiſſus Academicarum Lectionum auditor factus fuerit.

Digitized by Google

Civibus ergò Academicis annumeratus, ſtudia ſua, variis exercitiis Academicis occupatus, ad annum usque 1615. continuavit, quo *Wittebergam* adiit, in eâque Philoſophicum initiò, deindè, cui totum ſe addixerat, Theologicum ſtudium pertractavit.

Wittebergæ Theol. ſtud.

Hoc ut felicius ſuccederet, arctâ converſationis neceſſitudine magnis Theologis, *Balduino*, *Hunnio*, *Meisnero*, & *Jacobo Martini* adhæſit. Cum ita quinquennium *Wittebergæ* exegiſſet, publico eruditionis teſtimonio commendatus, & gradu Magiſterii ornatus eſt A. 1620. Cum verò anno ſeq. vocatus in Patriam rediiſſet, mox Profeſſio Metaphyſicæ publica, A. 1622. officium in Aulâ *Boruſſâ* Eccleſiaſticum, & porrò A. 1626. Profeſſio Logica, quæ tamen mox Profeſſione Hebrææ Linguæ eſt mutata, ipſi commiſſâ fuit.

Philoſ. Magiſter.

Profeſſor Logicæ, Metaphyſicæ, & Linguæ Hebr.

Quibus omnibus & ſingulis cum laude functus, Decani quoque Philoſophici partibus aliquoties geſtis egregiam ubique eruditionem & dexteritatem demonſtravit. A. 1632. tertius Theol. Profeſſor, & A. 1640. Theologiæ Doctor renuntiatus eſt. Eodem tempore cum exhauſtæ vires ulterioris muneris ejus adminiſtrationem *D. Behmio* non concederent, Eccleſiaſtes Aulæ *Prutenicæ* primarius, & Aſſeſſor Conſiſtorii *Sambienſis* ſolenni introductione confirmatus eſt.

Regiomont. Theol. Profeſſor & Doctor.

Vitæ privatæ conſortem ſibi legit A. 1622. Virginem *Catharinam*, Dn. *Franciſci Franckii* Camerarii & Senatoris *Bathenſteinenſis* filiam, ex quâ duorum filiorum, unius ſuperſtitis, & 4. filiarum, duarum ſuperſtitum parens factus eſt. Paucis tandem diebus ex morbo lethali decumbens, placidâ morte inter devota ſuſpiria ex hâc vitâ diſceſſit 5. Maji A. C. 1648. ætat. 54.

Conjugium ejus & liberi.

Moritur.

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia:

Scripta.

Commentar. in Joëlem ſcholaſticè & homileticè explicatus, in 4to.

Methodus Concionandi, in 8vo.

Explicationes ſacræ ſuper Hiſtoriam Paſſionis CHRISTI, in 4to.

Geiſt- und troſtreiche Auslegung aller Epiſteln durchs gantze Jahr. in 4to.

Einführungs- und *Academiſche* Jubel-predigten zu Königsberg gehalten. in 4.

Diſputationes ab ipſo habitæ : Novenarius Aphoriſmor. Theol. de Reſurrectione CHRISTI: Thema Theologicum, DEUS ſeriò vult omnes homines ſalvos fieri : Tractatio præcipuorum punctorum de S. Cœnâ controverſorum. Poſitiones Theol. de Oratione.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Academiæ Regiomontanæ.*

MICHAËL HUDSON.

Obiit A. C. 1648.

PAtriâ *Weſtmorlandenſis Anglus*, Collegium *Reginenſe* Univerſitatis *Oxonienſis* ingreſſus eſt A. Dom. 1621. ætat. 16. annoque 1630. ſocius emerſit, & haud vulgari indole, animo autem generoſo invictoque præditus fuit.

Ingruente bello civili partes regias pro virili tuebatur, & ſtatim poſt pugnam ad Collem Edge-hill dictum, hoc eſt A. Dom. 1642. Theologiæ Doctoratu, cum aliis haud paucis, jure merito ornatus eſt.

Theologiæ Doctor.

Plura quid addam? hoc uno nomine æternitati commendandus eſt, quod ei non tantùm fortunas ſuas, ſed & ſeipſum concredidit beatæ memoriæ *Carolus I.* utpote qui ejus fide ac ductu ad *Novum-Caſtrum* perſonatus aufugit.

Edidit *Tractatum de Jure Magiſtratus divino.* Lond. 1647. quem in Turris *Londinenſis* arctiſſimâ cuſtodiâ detentus ſcripſit, *Carolo I.* nuncupavit.

Scripta.

In Domicilio cui nomen Woodcraft / juxta *Petroburgum*, in Agro *Northamptonienſi*, ſub initium Junii A. C. 1648. crudelem in modum, & maximo homicidii reatu, trucidatus eſt.

Trucidatur.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

JOHANNES WHITE.

Obiit A. C. 1648.

S*Tantonæ S. Johannis* in Agro *Oxonienſi* natus, in Scholâ verò *Wykehamicâ* educatus, Collegii novi *Oxoniæ* ſocius evaſit A. Dom. 1595. eundem autem A. Dom. 1606. exuit, (Magiſter jam in Artibus erat,) Verbumque Divinum *Dorceſtriæ* ſuſcepit annunciandum. Ibi Scripturas omnes ſacras ſemel, iterùm verò dimidiam earum partem explicavit; ob easdem interpretandi Facultatem ſolidam juxtà & perſpicuam in pretio habitus.

Verbi Divini Miniſter Dorceſtriæ.

Catharis zelo temperatiori præditis annumerandus videbatur, ſiquidem quamdiu Eccleſiam perindè ac Rempublicam procurabat *Laudus*, Clero ſeſe *Anglicano* in cultu divino conformem præſtitit; reticendum tamen non eſt, quod inclinante Antiſtitis illius clariſſimi fortunâ, temporibusque, quod ajunt, mutatis, innocuas Eccleſiæ *Anglicanæ* ceremonias pro virili parte impugnavit; unde factum eſt, ut quos prudentiâ & moderatione in officio pridem continuiſſet, (fidei & charitatis Chriſtianæ vinculis haudquaquam diſruptis,) eos denique in partes abduxerit, & corruptelis innumeris inquinârit, immò oppidum illud ſchiſmaticâ colluvie usque adeò repleverit, ut ſpes nulla ſuperſit, vel Nepotes purgatum penitus conſpecturos.

Catharis annumerandus.

Vir quidem erat gravitate ſummâ, aſpectuque ſingulari venerabilis; â poteſtate autem quâ Catharos inter, vicinos æque ac longè diſſitos, dominabatur, *Patriarcha Dorceſtrenſis* nuncupatus eſt.

Sub Rebellionis nuperæ initium in Synodum illam Theologorum, *Weſtmonaſterii* conſidentem, allectus eſt, & Doctorem *Featley* in Rectoriâ de Lambeth poſtmodò excepit.

Ani-

Digitized by Google

Moritur. Animam exhalavit 21. Jul. A. 1648. inque Eccleſiæ *Dorceſtrienſis*, Divo Petro nuncupatæ, Propylæo ſepultus fuit, Tumulo nullâ plane Inſcriptione aut Epitaphio inſignito.

Scripſit:

Scripta. *Commentarium in Gen. capita tria priora.* Lond. 1656. fol. Angl.

Directiones ad perfectionem, ſuper Matth.

Directiones ad utilem ſacræ paginæ lectionem.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

Obiit A.C. 1648.

JOH. HENRICUS BLENDINGER.

NAtus eſt *Norimbergæ* 21. Dec. A.C. 1611. Patre *Johanne*, Orphanorum ibidem Ephoro: Matre *Urſulâ Kirchneriâ*. Cum in Scholâ patriâ ſtudiorum fundamenta poſuiſſet, in Univerſitate *Altorfinâ* magis eadem excoluit, ibi Baccalaureus creatus A. 1630. â *D. Georg. Nöslero*, Phyſ. & Med. Prof.

Fit Philoſ. Magiſter Jenæ. *Jenam* exindè ſe conferens, ibi Magiſterii gradum cum honore adeptus, abindè Theologiæ dedit operam, & convictu uſus Dom. *D. Joh. Majoris* Theologi primarii, ab eo, ut & â Dom. *D. Gerhardo*, filii inſtar dilectus eſt. Linguas prætereà Orientales gnaviter excoluit. Cum *Jenæ* ſeptennium tranſegiſſet, in *Altorfinam* reverſus, â Dominis Scholarchis XII. Alumnorum Inſpector factus eſt. *Alumnor. XII. Inſpector Altorf.*

Paſtor Eccleſ. ad S. Georgium in Hungariâ. A. 1643. In *Hungariæ* oppidum *S. Georgii*, ad Eccleſiæ Evangelicæ Miniſterium vocatus, primam ibi Concionem habuit Dominicâ quartâ Trinitatis, & per vitæ tempus breve reſiduum munere ſuo fideliter functus eſt. Ibidem 21. Aug. A. 1646. Matrimonium contraxit cum viduâ *Johannis Hilberti*, Judicis ejus loci benè meriti *Euphroſinâ*, ex quâ filiolam ſuſcepit cognominem ſibique ſuperſtitem, & poſthumum *Joh. Danielem* natum 8. Jan. A. 1649. & 15. Jan. ſeq. denatum. *Conjugium ejus.*

Mortem exoptat à DEO & impetrat. 28. Oct. A. 1648. Cum in Templo ſuo infantem recens natum ad S. Baptiſmum mox afferendum exſpectâſſet, ſolus meditans felicitatis æternæ prægustum in corde ſuo ſenſit, & corâm altari in genua prolapſus DEUM animitùs imploravit, ut ſeſe vitæ hujus miſeræ vinculis ſolutum corporeis ad Gloriam illam brevi perducat. Tum talia verba ſibi viſus eſt auribus percipere: *DEUS exaudivit preces tuas, intra octiduum enim voti tui compos factus liberaberis: licèt enim in mundo hoc adhùc multa perpetienda tibi fuiſſent mala, corporis tamen diſſolutionem, quam modò efflagitâſti, DEO votis annuente, nanciſceris.*

Morbus ejus & mors deſiderata. Seq. die, cum manè preces ſolitas voce debili peregiſſet adhùc veſperi ægrotans decumbere cœpit, cumque ſenſim abindè morbus ingraveſceret, inter preces & ſuſpiria adſtantium, placidè obdormivit 3. Nov. A. C. 1648. æt. 36. *Moritur.*

QVIs non eXoptet, qVo BLenDIngerVs InIVIt
TeMpore grata breVI regna ſVbIre poLI. *Joh. Gräff.*

Anagramma *M. Chriſtoph. Stephani*, Eccleſ. Paſtoris ibidem:

MAGISTER JOHANNES HENRICUS BLENDINGERUS.

Ingens hic, blandus ſermone, & gravis in re.

Edidit *Diſputationes aliquot Philoſoph.*

* *Ex Concione funebri M. Joh. Bernhardi Kelleri, Concionat. Evangel. Poſonienſis.*

PAULUS JENISCH.

Obiit A.C. 1648.

NAtus eſt *Auguſtæ Vindelicor.* 25. Oct. A.C. 1602. Patre *Wolffgango*, cive primario, Matre *Annâ Remiâ*.

A. 1620. Studii Theologici gratiâ Academiam *Jenenſem* adivit, deinde *Lipſienſem*, *Wittenbergenſem*, & *Altorfinam Noricorum*, in quâ Magiſterii Gradum adeptus eſt 29. Junii A. 1625. Indè *Argentoratum* progreſſus ſtudia cœpta feliciter abſolvit. *Fit Magiſter Altorfi.*

A. 1627. Ad Verbi Divini Miniſterium vocatus eſt â Comite *Hanovienſi Philippo Wolffgango* in Pagum Heyn der 3. Eichen dictum, duobus ab urbe *Francofurt.* milliaribus diſtantem. *Miniſter Hanovienſis Eccleſ.*

Paulò pòſt nuptias celebravit cum Virg. *Reginâ Reiſeriâ*, ex quâ 6. filios ac 5. filias ſuſcepit, ſed 2. tantùm filios tresque filias reliquit ſuperſtites. A. 1631. Vocatus â *Friderico* Comite *Solmenſi*, Paſtor Eccleſiæ factus eſt *Rudelhemii* ad *Niddam*. *Nuptias celebrat.* *Paſtor Eccleſ. Rudelhemii.*

A. 1632. *Auguſtam Vindelicorum* ad Diaconatum Eccleſiæ zu den Barfüſſern â Senatu Patrio vocatus, anno ſeq. ejusdem Templi Archidiaconus factus eſt. *Diaconus Auguſtæ Vind. & Archidiac.*

A. 1634. *Auguſtæ* Religione mutatâ, cum Eccleſiæ Miniſtri omnes præter duos diſcedere cogerentur, ipſe cum *Philippo Webero* manere juſſus, Diaconus *Lutheranorum* permanſit. 2. Nov. A. 1648. Cum nuntium lætum de Pace concluſâ percepiſſet, lætabundus dixit: *Nunc libenter moriar, & alteri loco cedam.* Abindè continuis ferè de morte cogitationibus detentus, triduo pòſt ultimam habuit Concionem, *de Viduarum & Pupillorum tutela.* Sequenti die ſubitâ virium proſtratione & æſtu febrili correptus, octiduo pòſt vitam morte beatâ finiit d. 14. Novemb. A.C. 1648. ætatis 46. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri M. Philippi Weberi, Concionat. Aug.*

Libros edidit:

Scripta. Seelen-Schatz / das iſt / gründlicher Bericht aus GOttes Wort Chriſtlich zu leben / und ſeelig zu ſterben.

Troſt-Schrifft an alle angefochtene und bedrangte Chriſten / ſamt einer Vermahn-

[illegible]nung zur Standhafftigkeit / und Warnung vor dem Abfall.

Bericht von den Wettern.

8. Predigten von den H. Engeln GOttes. [illegible]

10. Predigten von der Kinder-Zucht.

Erndt-Predigten.

PAULUS JENISCHIUS.

Per Anagramma:

Hic ſpe nihil ſuavius.

WILHELMUS LYSERUS.

Obiit A.C. 1649.

D*Reſdæ* natus 26. Oct. A. C. 1592. Patrem habuit *Polycarpum Lyſerum*, tunc Concionatorem aulicum Elect. *Sax.* Matrem *Eliſabetham Cranachiam*.

Vix decennis in Academiam *Wittenberg.* miſſus, & diſciplinæ M. *Henrici Velſteni*, Philoſ. Pract. Profeſſoris publici traditus, in omni Philoſophiæ genere creſcente ætate eos fecit progreſſus, ut anno ætatis 18. Philoſ. Magiſter cum laude fuerit creatus.

Fit Philoſ. Magiſter, & Theol. ſtudet Wittenbergæ.

Ex eo tempore S. Theologiæ ſe dedit, & meditando, auſcultando, diſputandoque aſſiduè ſub Theologis eo tempore *Wittenbergæ* florentibus, præcipuè verò fratre dilecto *D. Polycarpo*, paulò poſt Profeſſore Publ. *Lipſiæ* & Superintendente ſtudium illud diligenter exercuit.

Peregrinationes ejus.

A. 1612. *Gieſenam Haſſorum*, & ſeq. *Tubingam* profectus, Theologis ibi celeberrimis *Mentzero, Finckio, Oſiandro,* & *Höckero* charum ſe reddidit. Hinc A. 1615. diſcedens *Argentoratum*, *Baſileam*, *Friburgum*, *Ingolſtadium*, & *Altorfium* ſtudiorum gratiâ adiit: deindè *Helvetiam*, viſis in eâ urbibus præcipuis peragratus, *Lucernæ* ingens diſcrimen adiit, cum aquâ luſtrali, Jeſuitarum Collegium viſens, recuſâſſet aſpergi.

Per illuſtriores *Germaniæ* Urbes, *Auguſtam Vindelicor. Ulmam*, *Monacum*, *Reginoburgum*, & *Norimbergam* cum rediiſſet domum, mox Jenam abiit, & â *D. Johanne Gerbardo* adſcitus in contubernium, ab eoque filii loco habitus fuit.

Jenam adit.

A. 1619. Cum pro Licentiâ, quam vocant, diſputâſſet publicè, reverſum ad ſuos mox novus peregrinandi impetus cœpit. Itaque per inferiorem profectus *Saxoniam*, navique conſcenſâ transgreſſus in *Belgium*, indè *Britanniam* & *Galliam* luſtravit.

Doctor Theol. Superint. Torgenſis. Profeſſor Theol. Witteb.

Finitâ peregrinatione A. 1621. cum in patriâ Doctoris titulum accepiſſet, Eccleſiæ *Torgenſi* Paſtor & Superintendens præpoſitus eo munere cum laude functus eſt uſque ad A. 1627. quo in Academiam *Wittenberg.* vocato Profeſſio Theologica & Ephoria Alumnorum Electoralium demandata fuit. A. 1646. Inter Canonicos *Miſnenſes* allectus, & anno ſeq. 1647. Decanus eidem Collegio datus eſt, quod honores hoſce mereretur.

Conjugium ejus duplex, & Liberi.

Matrimonio ſibi junxit duas virgines, primo *Reginam*, Dn. *Gabrielis Tintzelii*, J.C. Com. Palat. & Conſil. *Sax.* filiam, cum quâ 11. Febr. A. 1622. nuptias fecit: quam A. 1631. 30. Dec. vitâ functam cum trienmio luxiſſet, alteram duxit *Catharinam*, Dn. *Caſp. Bobſio* ædili & negotiatore *Lipſienſi* natam. Ex illâ ſuſcepit liberos ſex, de quibus *Regina*, *Wilhelmus*, Jur. ſtud. & *Catharina Eliſabetha* ſuperſtites manſêre, *Polycarpus*, *Gabriel* & *Wilhelmus* in primâ ætate obierunt. Altera ſuperſtes novies illum patrem reddidit, ſexies in maſculâ, & ter in fœmininâ prole. Pueri tres & una puella ante patrem obierunt: *Polycarpus Caſpar*, *Sophia Eliſabetha*, *Joh. Wilhelmus*, *Anna Maria*, & *Gotfridus Chriſtianus* patrem amiſſum vix ſenſerunt. Rectoratûs honorem in Academiâ quater geſſit.

Moritur.

Calculi doloribus frequenter afflictus, accedente tandem calore febrili cum obſtructionibus viſcerum, tandem inter aſtantium preces, cum Pſalmum 27. præcepiſſet legi, & ſpe certâ in Salvatorem unicum fixâ ſe moriturum teſtatus eſſet, placidiſſimo obitu ſolutus eſt 8. Febr. A. C. 1649. ætatis 57.

* *Ex Programm. fun. Andreæ Sennerti, Ling. Orient. Prof. & Pro-Rect. Witt.*

EPITAPHIUM ejus in Templo *Franciſcanor. Witt.*

Epitaphium.

CHRISTO REDEMPTORI SACRUM ET BONÆ MEMORIÆ WILHELMI, POLYCARPI LYSERI ET ELISABETHÆ CRANACHIÆ F. LYSERI: QUI INGENIO, JUDICIO, ET THEOLOGICA ERUDITIONE JUXTA ATQUE PRUDENTIA UT PAUCOS HABUIT PARES, SIC DE ECCLESIA ET ACADEMICIS STUDIIS, PATERNÆ AVITÆQUE GLORIÆ INSISTENS, NON SINE EFFICACISSIMÆ INDUSTRIÆ EXEMPLO ILLUSTRI, OPTIME CLARISSIMEQUE MERITUS EST. ANNOR. XVIII. ADOLESCENS PHILOS. MAGISTER CREATUS, PLERASQUE GERMANIÆ ACADEMIAS ADIIT, PRÆCIPUAS INSEDIT, HINC BELGIO, GALLIA, BRITANNIAQUE LUSTRATIS, CUM NONDUM XXX. ANN. FECISSET, SUMMO THEOLOG. GRADU ORNATUS, SIMUL TORGENSI ECCLESIÆ DATUS ANTISTES EST, EX EA PROVINCIA SEXTO POST ANNO IN ACAD. WITTEBERG. VENIT, INTERQUE PROFESSORES ADSCRIPTUS: XXV. ANN. SACRAS LITERAS CUM MAGNA LAUDE DOCUIT PUBLICE, ECCLESIÆ MISENENSI INGENUÆ INTER CANONICOS ANN. I. DECANUS PRÆFUIT II. ANN. ACADEMICUM MAGISTRATUM GESSIT QUATER, IN NOVISSIMO AD VI. ID. FEBR. A. C. M DC XLIX. OBIIT DIEM, QUI VI. CAL. NOV. A. C. MDXCII. BRUNSUIGÆ NATUS FUERAT. CATHARINA BOSIA LIBERIQUE CUM EX PRIORE UXORE REGINA TINTZELIA

Digitized by Google

LIA TRES, TUM V. EX ILLA SUPERSTITES MARITO ET PATRI OPT. DESIDERATISS. NON SINE AMARISSIMIS LACRIMIS P. C.

WILHELMUS LYSERUS, S.S. THEOL. D. ET PR. P. H.T. ACADEMIÆ RECTOR.
NATUS ANNO M DXCII. OBIIT A. M DC XLIX. æt. LVII.

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta. *Diſputationum Catechetico-Poſtillarium Decas prima*, in 4to.

Depulſio Accuſationum Jeſuitarum contra Aug. Confeſſionem, in 4to.

Diſquiſitio de Prædeſtinatione, in 4to.

Summarium Locorum Theologicorum è Sacrâ Scripturâ concinnatum, & notis accuratiſſimis auctum, in 4to.

Aphoriſmi ex Epiſtolâ ad Hebræos, in 4to.

Diſputationes Evangelicæ in Evangelium Johannis, in 4to.

Trifolium veræ Religionis veteris Teſtamenti, Adamiticæ, Abrahamiticæ, & Iſraëliticæ juxta unifolium Religionis Lutheranæ conſideratum, in 4to.

Examen Libelli: Kauff mich dir Reinholds. in 4to.

Diſputationes habuit: De B. LUTHERI ad Miniſterium & Reformationem legitimâ Vocatione: de Prophetis: de Juſtificatione: de CHRISTO patiente ex Eſaiæ LIII. De Miraculis CHRISTI: de CHRISTI Genealogiâ: de Cœna DOMINI: de Officio CHRISTI mediatorio: de Adamo miſerrimo CHRISTI patientis typo: de JESU CHRISTI Reſurrectione: de Juſtificationis causâ inſtrumentali & formali: de Communicatione idiomatum: de Eccleſiâ.

Obiit A. C. 1649.

FRIDERICUS SPANHEMIUS.

NAtus eſt anno ſeculari 1600, 1. Januarii die, *Ambergæ*, *Palatinatûs* ſuper. metropoli. *Ejus Parentes.* Patrem habuit *Wigandum Spanhemium*, Theol. Doctorem, ac *Friderico Bohemiæ* Regi â Conſiliis eccleſiaſticis: Matrem *Renatam*, *Danielis Toſſani*, Theol. celeberrimi *Heidelbergenſis* filiam. Horum parentum filius unicus prima pietatis & eruditionis tyrocinia ſub Parentis auſpiciis poſuit, præter cujus inſtitutionem privatam *Joh. Caſp. Nuberum* & *Chriſtianum Becmannum* ductores doctoresque habuit.

Alumnus Electoralis. Vix ſeptennis â Patre reliquis Collegii Electoralis alumnis adſcriptus eſt, perſoluto tamen de proprio ſtipendio, ut communi cum illis inſtitutione uteretur, & diſciplinæ aſſueſceret.

A. ætatis 11. febri tertianâ diu vexatus, *Per votum fit Theologus.* votum DEO nuncupavit, ſe quidem ſi illo morbo liberaretur, S. Theologiæ operam daturum eſſe, quod poſteà abundè implevit.

A. 1613. Peſte *Ambergæ* per 8. menſes graſſante, Collegioque diſſipato, ſtudia ejus interrupta ſunt, quam tamen jacturam ſollicitus Pater domeſticâ inſtitutione ex parte reſarcivit. Itaque cum anno ſeq. 1614. Patri ad Lectiones Academicas maturus videretur, Latinæ & Græcæ Ling. cognitione mediocriter tinctus *Heidelbergam* ab eo fuit amandatus, ubi aliquandiu vixit in ædibus avunculi ſui materni *D. Pauli Toſſani*, *Danielis* filii, Senatûs Eccleſiaſtici ibidem Aſſeſſoris, cujus conſuetudine & exemplo multum profecit. *Heidelbergæ ſtudia incipit.*

Quò tamen liberiùs ſtudiis operari poſſet, in celebre illud Sapientiæ Collegium, examine in Senatu Eccleſiaſtico præmiſſo introductus fuit â Nob. Dn. *Publizio*, ubi quadriennium cum dimidio ſub *D. Henrico Altingio* & *Conrado Deckero* exegit, eâ tamen conditione, ut annuum ſtipendium de ſuo Parens perſolverit, libertas illi tamen maneret integra filium pro arbitrio eximendi. *In Collegio Sapientiæ.*

Hîc præter ſtudia Philologica Lectionem Bibliorum Hebraicorum integram intra 4. menſes abſolvit. Intereâ 3. habuit *Orationes*, 1. *de vitâ & laudibus Ambroſii*: 2. *de Legum authoritate*: 3. 16. *Aug. A. 1618. in Natali Sereniſſ. Electoris, de 4. hæreditariis familiæ Palatinæ dignitatibus.* *Ter peroravit.* *Diſputationem* quoque publicam de *Mundo*, Præſide *Chriſtophoro Jungnitio*, ſuſtinuit. *Publicè diſputavit.* Harum Theſium Auguſto Senatui dedicatarum ſingula exemplaria ſingulis Conſiliariis, cum eâ ſermonis Latini puritate tradidit, ut Cancellarius nob. *Chriſtoph. â Grün* retulerit, ſibi nullum adoleſcentem viſum, qui expeditiùs Latinè loqueretur.

M. Jan. A. 1619. Senatûs Philoſophici examen cum 5. Competitoribus ſubivit, & habitâ Diſputatione de *Aſtrologiâ judiciariâ*, cum uno ex Competitoribus, ad Magiſterii gradum admiſſus, primum locum obtinuit. *Fit Philoſ. Magiſter.* Tunc Theologiæ ſtudium aggreſſus eſt ſub *Pareo*, *Sculteto*, & *Altingio*.

Sed eodem adhûc anno â Patre domum revocatus, & *Genevam* ablegatus eſt, ubi intra paucos menſes Linguam *Gallicam* perfectè didicit, & *Johannem Diodatum*, *Johannem Tronchinum* ac *Benedictum Turretinum* ex ſuggeſtu docentes audivit. *Genevæ Theol. ſtud.*

A. 1620. Publicè ſub Præſidio *Turretini* diſputavit de 5. articulis tunc in Belgio controverſis. Paulò pòſt cum ad Patrem morti vicinum ſcripſiſſet, literas ille acceptas lachrymis totas conſperſit, tenaciter manibus ambabus retinuit, cum iisque exſpiravit. *Pater ejus moritur.*

Seq. anno 1621. in *Delphinatum* profectus eſt primò *Gratianopolim*, pòſt *Ebrodunum*, ubi per triennium inſtitutioni duorum filiorum illuſtris Viri Dom. *Johannis de Bonne*, Baronis de *Vitrolle* operam impendit. *Fit Præceptor duor. Baronum.* Ibidem diverſis morbis, capitis præſertim vertigine, conflictatus, cum cauterium in brachio ſiniſtro ſibi applicari paſſus eſt, brevi liberatus eſt.

Digitized by Google

Ebroduni bis cum Pontificiis congreſſus, ſingularem DEI benedictionem expertum ſe dixit, quod non abnuentibus ipſis adverſariis ſuperior diſceſſiſſe viſus fuerit.

Lutetiam venit. Ægrè deindè veniâ â Domino Barone impetratâ, rurſus *Genevam* ſe contulit, & indè *Lutetiam Pariſior.* profectus, *Samuelis Durantii*, Eccleſiæ illius Paſtoris & cognati ſui (erat enim *Durantii* Mater, ſoror aviæ Parentis ejus,) conſilio recuſavit Philoſophicam Profeſſionem, ad quam *Lauſannæ* obeundam â Magiſtratu *Bernenſi* honorificè evocabatur.

Familiariter quoque uſus eſt ibi Domino *Johanne Camerone*, magno ingeniorum æſtimatore, qui tunc *Montalbanum* ad Theologicam Profeſſionem vocatus eſt, & aliquoties *Danielem Tilenum ac Hugonem Grotium* compellavit.

In Angliam transfretat. M. Apr. A. 1625. Ex conſilio *Durantii* in *Angliam* transfretavit, ibique 4. menſium ſpatio Linguam *Anglicam* addidicit: cum verò tunc peſtis *Oxonii* graſſari cœpiſſet, *Lutetiam* ex promiſſo reverſus, Linguis *Chaldaicæ* & *Syriacæ* diligentem operam navavit, quæ tamen ſtudia mors *Durantii* abrupit, qui duos menſes doloribus nephriticis excarnificatus, piam animam DEO reddidit, relictâ illi integrâ Bibliothecâ. *Samuel Durantius Eccleſiæ Pariſ. Paſtor mor.*

Indè in ædes nobilis *Arnoldi*, Conſiliarii & Secretarii Regii ſeceſſit, donec M. Majo A. 1626. *Genevam* ab amicis evocatus conceſſit, ubi cum Cathedram Philoſophicam obitu *D. Caſp. Alexii* vacivam inveniſſet, omnium judicio in illam receptus eſt, & quotannis curſum Logices & Phyſices alternatim cum *Nicolao Wedelio*, *Palatino*, docens abſolvit. *Fit Profeſſor Philoſ. Genevæ.*

Nuptias celebrat. M. Nov. A. 1627. *Genevæ* matrimonio ſibi junxit virginem *Carlottam*, *Petri â Portu*, nobilis *Scutarii* Dom. in *Movillepied* & *Borſmaſſon* filiam: cujus mater *Johanna* filia fuit unica *Joſephi Quercetani*, Dom. *de la Violette*, Conſil. & Medici Regii Chymicique celeberrimi. Ex hâc 7. reliquit liberos, *Ezechielem*, factum poſteà Elect. *Palat. Caroli Ludovici* Conſiliarium Politicum, *Fridericum* Theol. D. & Prof. *Heidelbergæ*, & *Leydæ*, *Andream*, & *Danielem*, cum 3. filiabus. *4. Filiorum Pater.*

A. 1631. Cum hactenus Linguâ *Gallicâ* ſingulis Diebus Dominicis â meridie Conciones habuiſſet in Templo ad *S. Gervaſium*, *Benedicto Turretino* è vivis ſublato Succeſſor factus eſt in Profeſſione Theologicâ, quam per 11. annos cum laude ſuſtinuit. Ibidem Rectoratu Academiæ defunctus ab A.C. 1633. ad 1637. Orationem habuit & edidit *Genevæ* reſtitutæ nomine, quod tunc ſeculum â Reformatione illius Urbis & Eccleſiæ exſpirârit. *Profeſſor Theol. Genevæ.*

Vocationes Lauſannam, Gröningam, & Heidelbergam recuſat. Intereà de eo ad ſe pertrahendo conſilium iniêre *Bernenſes*, ut illum *Lauſannæ* in locum *Jacobi â Portu* ſuccenturiarent, tentârunt etiam *Gröningani*, & *Palatini Heidelbergæ* avi ſui materni Profeſſionem Theol. primariam ei deſtinantes. Sed legitimam ejus excuſationem reddidit Patriæ *Palatinatûs* mox inſecuta calamitas & ruina.

Interventu tandem & interceſſione Sereniſſ. *Reginæ Bohemiæ*, & Ordinum generalium *Hollandiæ*, *Lugdunenſis* Academiæ Curatores dimiſſionem ejus â *Genevenſibus* extorſerunt magis, quàm impetrârunt.

Antequàm verò *Genevâ* diſcederet, *Baſileam* excurrit, ibique Doctoratûs titulo ornatus *Zwingerum* teſtem & laudatorem, *Buxtorfium* verò ſocium honorum habuit. *Doctor Theol. Baſileæ.* Secundo itaque *Rhodano* cum familiâ *Lugdunum Gallor.* deſcendit, indè *Lutetiam* venit, ubi ad Concionem *Charantonii* habendam invitatus, tantâ dulcedine demulſit Auditorum animos, ut illius Concionis editionem ab eo extorſerint. *Charantonii concionatur.*

Lugduni Batavor. ſalvus & incolumis appulit 3. Octob. A. 1642. Ibi *Germanicæ* Eccleſiæ prima fundamenta poſuit, & Oratione Inaugurali, doctum, pium, prudentem & pacificum Theologum effigiavit, quæ inter primas legi meretur, tum illa quoque, quâ Principi *Auriaco* juſta fecit, & laudes ejus inuſitato Claſſico cecinit. Sed tum demùm pietatis partes omnes impleviſſe viſus eſt, cum piam illam *Polyandri* b. m. animam in ſcenam adduxit. *Profeſſor Theol. Leyd.*

Philoſophiæ nunquàm permiſit, ut ſe in Theologiæ adyta inferret, ſed hanc incontaminatam cuſtodire unicè in votis habuit. Scripſit etiam de rebus Politicis non aliter, ac ſi nihil aliud in totâ vitâ egiſſet. Tot amicos habuit ferè, quot notos in *Angliâ, Galliâ, Germaniâ* & *Belgio*. Quin & ipſa *Sueciæ* Regina *Chriſtina* illum ſalutari juſſit per Epiſcopum ſuum, & quantoperè Scriptis ejus delectaretur, ſignificari literis ad eum datis.

Cum reliquis Collegis amantiſſimè vixit, ſed *Bernhardum Schotanum*, J.C. præcipuè ſibi delegit, cui res ſuas concrederet.

Ultimam Concionem habuit die Paſchatos A. 1649. *ex Epiſt. Pauli ad Philipp. cap. 3. v. 21: Transfigurabit corpus noſtrum humile, ut conforme fiat ejus corpori glorioſo*: ſicut etiam Paſchatos die Miniſterium ſuum auſpicatus fuerat in Eccleſiâ *Genevenſi*. *Ultima ejus Concio.*

Ab ultimâ etiam Lectione domum reverſus, de gravi virium defectu conqueſtus eſt. Ab eo tempore magis vacillare valetudo ejus cœpit & vires imminui. Nihilominùs medio Aprili ab Eccleſiâ *Leydenſi* delegatus ad Synodum *Gallo-Belgicam*, *Harlemum* huic fini conceſſit. *Harlemum Legatus ad Synodum.*

Indè verò redux pejus ſemper habere cœpit, ut quamvis nulla manifeſti morbi indicia apparerent, vix tamen ob pedum debilitatem incedere potuiſſet.

Die Mercurii 28. April. â meridie cum feneſtræ Muſæi ſui aſſideret, vehemens rigor febrilis ex inſperato invaſit eum, æſtu per totam noctem ſecuto. *Morbo affligi incipit.*

Properè advocati *Hagâ Stratenus* & *Walæus* Medici celeberrimi, omnia, quæ â bonis

nis Medicis expectari poſſunt officia expleverunt: ſed non tàm cum morbo quàm ipſâ morte res ipſis fuit. Nocte, quæ mortem ejus præceſſit, proximâ ad eum vocatus eſt *D. Triglandius*, quem ut Collegam ſemper coluit, qui preces conciperet.

Tunc filium *Fridericum* ad ſtudium S. Theol. hortatus eſt, uxoris etiam officia & Miniſteria ſatis amicis prædicare non potuit. Sed illo ipſo die quo obiit, ultimum de morte triumphum egit, cum poſt collectos utcunque ſpiritus adſtante *D. Samuele Riverio*, Eccleſiæ *Delfenſis* Paſtore, qui noctem præcedentem vigilem apud eum duxerat, voce præter ſolitum elatâ eo ardore preces fudit, ut in admirationem omnes adſtantes rapuerit. *Morti proximus altâ voce precatur.*

Viribus tandem deficientibus dixit, *Courage il faut mourir! age migrandum eſt!* & paulò poſt cum Apoſtolo *Paulo*: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum CHRISTO*, quibus dictis ultimis quaſi obdormiſcens, beatam animam DEO Creatori reddidit 30. April. A. C. 1649. ætatis 49. *Leydæ*. *Ejus ultima verba.* *Moritur.*

Libros edidit tum *Genevæ*, tum *Leydæ:*

Scripta. *Militem Suecicum*, quem ſuppreſſo nomine Linguâ *Gallica Genevæ* conſcripſit, rogatu Legati Regis *Sueciæ*.

Mercurium Helveticum ſcriptum politum & Politicum.

Commentarium Vitæ & Mortis Chriſtophori à Dhonâ.

Genevam reſtitutam, Orationem.

Dubiorum Evangelicorum Partes III.

Chamierum contractum, Magni Operis Epitomen.

Exercitationes de Gratiâ univerſali.

Memorias Ludovicæ Julianæ Electricis Palatinæ, rogatu Reginæ Bohem. & domûs Palatinæ Leydæ editas, in quibus familiæ ejus cauſam alacriter egit, & multa ad Temporum Hiſtoriam facientia Imperiique Rom. Arcana detexit.

Epiſtolam ad Buchananum de Controverſ. Eccleſiæ Angl.

Orationem de Divinâ Origine Scripturar.

De Authore Epiſtolæ ad Hebræos.

Conciones luculentas tres, Thronum Gratiæ, Judicii, & Gloriæ.

Parata inſuper habuit ad prælum:

Vindicias de Gratiâ Univerſali, quibus D. Admiraldo reſpondit.

Dubiorum Evangelicorum Partes ſequentes.

Exercitationes in Epiſtolam ad Hebræos.

Explicationes difficilium Locorum Veteris Teſtamenti, qui agunt de CHRISTO.

Commentarium in Epiſt. ad Romanos.

Opuſculum Gall. de modo benè vivendi & moriendi aliquoties inchoatum ob crebras occupationes intermittere coactus eſt.

* *Ex Orat. fun. D. Abrab. Heydani, Theol. Prof. Leyd. & D. Daniel. Toſſani, Theol. Heidelberg.*

JUSTUS DANIEL HEERING.

Obiit A. C. 1649.

C*Amentiæ*, *Luſatiæ ſup.* oppido natus 27. Nov. A. 1609. Patrem habuit *Danielem Heering* aurifabrum: matrem *Margaretam*, M. *Auguſti Gebhardi*, Paſtoris Eccleſiæ *Regiopontanæ* (zu Königsbruck) filiam.

Cum in Scholâ patriâ primas literas, ad eas naturâ proclivis didiciſſet, A. 1624. *Noribergam* venit, diſcipulum ſe præbens *D. Danieli Wagnero*, Scholæ ad *Spiritum Sanctum* Rectori, tunc ſtudiorum Promotorem nactus M. *Chriſtoph. Welhamerum*, Eccleſiæ ejusdem Paſtorem primarium.

An. 1628. In Academiam *Jenenſem* diſceſſit, ibique ſubſidii ad ſtudia requiſiti defectu famulum agens ærumnoſè in curſu ſtudiorum perrexit, multum adjutus ope D. *Chriſtoph. Althoferi*, poſteà Superintendentis Generalis in Marchionatu *Culmbacenſi*. *Fit famulus.*

Exindè *Viennam* iter ſuſcipiens, ad agnatum ſuum D. *D. Juſtum Gebhartum*, Conſiliarium Cæſareum, ab eo ſtipendium nanciſci ſperavit. Is verò cum dono 50. Imperialium dimiſit eum, plus donare renuens, niſi fidem Catholicam ſuſciperet.

Ideò *Jenam*, & paulò pòſt *Altorſium* regreſſus, ibi Gradum Magiſterii cum honore & inter quinque Candidatos ſecundum locum adeptus eſt. *Magiſter Philoſ.*

A. 1633. In ſtudiis Theologicis ſatis jam confirmatus, â Dom. *Joh. Jacobo Tetzelio*, Senatore *Norib.* prudentiſſimo pagi ſui, *Vorra* vocati, Paſtor Eccleſiæ conſtitutus, ibi 17. Febr. primam Concionem habuit. *Paſtor Eccleſ. in Vorrâ.*

11. Junii ſeq. Uxorem duxit *Eſtheram*, *Benedicti Buhlii*, Mercatoris *Norimb.* filiam. Eâ in primo partu extinctâ A. 1635. iterum deſponſatus eſt cum *Catharinâ*, M. *Mich. Ortegelii*, Eccleſiæ *Artelshofenſis* Paſtoris viduâ. Ex his duos filios, totidemque filias ſuperſtites reliquit. *Bis nubit.*

A. 1641. Poſtquàm varias belli moleſtias per octennium expertus eſſet, ab inclyto Senatu *Norimbergam* vocatus & in Templo Cathedrali ad *S. Sebaldum* Diaconus Eccleſiæ factus eſt. In eo munere *Diluvium*, *Interitum Sodomæ* & *Gomorræ*, 46. & 25. *Pſalmos Concionibus* declaravit, auditoribus ob ſermonis ſuavitatem admodùm acceptus. *Diaconus ad S. Sebaldr. Nor.*

Hydrope tandem & ictero 14. ſeptimanarum ſpatio confectus obiit 1. Maji A. C. 1649. ætatis 39. *Moritur.*

Typis edidit:

Scriptum. Veſte Burg JESUS / das iſt / Schrifftmäſſige Erklärung deß 46. Pſalms / in 21. Predigten.

* *Ex Concione funebri M. Mich. Weberi, Diaconi Sebald.*

Obiit A.C. 1649.

JACOBUS MARTINI.

NAtus eſt *Langenſtenii*, pago milliari uno ab urbe *Halberſtadio* diſſito, 16. Octobris A.C. 1570. Patre *Adamo Martini*, *Langenſteinenſium* Paſtore: Matre *Annâ*, *Andreæ Werneri*, civis primarii inter *Halberſtatenſes* filiâ.

Maturè literis imbutus, domi mox adultior, ut cultum majorem aſſumeret, â Patre delatus *Halberſtadium* in avi materni ſinu egit, quo mortuo *Manzelio*, Rectori Scholæ *Aſcherslebienſis* (quo condiſcipulo antè uſus fuerat pater,) in diſciplinam traditus eſt.

Helmſtadii ſtudia tractat. A. 1590. Adoleſcentem 20. annorum, jam Græcis & Latinis literis, diſciplinisque Philoſophicis probè inſtructum in Academiam *Juliam* ablegavit pater, & Dom. D. *Hofmanno* Theol. Profeſſori commendavit.

Wittenbergæ. A. 1593. Cum Academiæ *Wittenbergenſi* paternis fretus auſpiciis civem dediſſet, magno impetu in omne ſtudiorum genus graſſatus eſt: quò juvenem tunc proprius animi vigor, tum nobilis Matronæ *Geſæ Saldriæ*, Nobiliſſ. Dom. *Friderici à Schalenburg* Viduæ liberalitas incitabat, quæ, magno illo Theologo D. *Polycarpo Lyſero* Seniore intercedente, non contemnendæ ſummæ ſtipendium ipſi in annos ſingulos numerabat.

Fit Magiſter. Eodem anno 1593. Philoſophici Magiſterii gradu ornatus, legendo & diſputando egregiam operam Academicæ pubi navare cœpit: ideò factum, ut â Collegio Philoſophico non tantùm inter Adjunctos aſſcriberetur, ſed ab Orientalis etiam *Friſiæ* Comite vocaretur *Nordam*, ut Rectoratum ejus Gymnaſii in ſe ſuſciperet.

Rector Nordanus. A. 1597. Diſcedens Oratione valedictoriâ habitâ, viſisque parentibus, cum perveniſſet in *Friſiam*, omnia plena formidine, ob peſtis graſſantis atrocitatem, invenit. Sed Comitiſſa anniſa omnibus modis eſt, ut eum in aulam ſuam pertraheret: quæ functo marito Comite *Ezardo*, in cujus funere Concionem habuit, cum *Berthumum* in dotalitium caſtrum transferret aulam, *Martinium* etiam eò ſecum traduxit, & inſtaurato ab ſe Gymnaſio *Nordenſi* (quæ civitas ad jura ejus tunc pertinebat,) præpoſuit Rectorem, eâ lege tamen, ut ſtatis diebus per ſeptimanas ſingulas *Berthumi* in arce non longè diſſitâ ſermones ſacros haberet, Eccleſiisque *Lutheranis* ditionis ſuæ Epiſcopi vicem intenderet.

Berthumi concionatur & Epiſcopi vices agit.

Sed cum brevi pòſt Comes junior *Johannes* ductâ *Ennonis* fratris filiâ ad Pontificiorum partes defeciſſet, ea res non modò *Martinio* diſputandi ſæpiùs neceſſitatem cum Soc. Jeſu Theologis, quos ſemper ſecum in comitatu habebat Comes, impoſuit, ſed Comitis quoque ipſius contraxit invidiam, cum adverſarios ita plerumque argumentis premeret, ut ne verbum contrà mutire poſſent.

Cum itaque in capitis ſe diſcrimine verſari cognoſceret, â Principe optimâ impetravit abeundi veniam, cumque pedeſtri itinere tutò non poſſet, conſcenſâ nave cum uxore & liberis ſibi conſuluit, & fluctûs illos aliorum fluctuum ope ægrè evaſit.

Hamburgi expoſitus præter ſpem invenit literas, quibus *Hildesheimum* ad capeſſendam Eccleſiaſticam provinciam vocabatur. Anxius tunc quid faceret, ad veterem Patronum D. *Polycarpum Lyſerum* tunc *Annabergæ* in Electoris *Sax.* Comitatu degentem profectus eſt, qui conſultus ſuper eâ ſe diſſuaſit penitùs, quia Jeſuitæ, qui tunc magno numero *Hildesheimii* nidulabantur, multum negotii ipſi viderentur facturi: conſultius fore, ſi Profeſſionem Logicam, quæ tunc vacabat in Academiâ *Wittenbergenſi*, poſt mortem M. *Evonymi* ambiret.

Aſſenſus paulò pòſt rem factam habuit, cum A. 1602. 22. Julii autoritate publicâ id ei muneris demandaretur. Quo 21. annis defunctus, unà cum Metaphyſicæ Profeſſione, A. 1623. inter Theologiæ Profeſſores allectus, & D. *Nicolao Hunnio Lubecam* diſcedenti ſuffectus eſt, cum & Doctoris Theol. gradum aſſumpſit. *Profeſſor Logicæ Wittenberg. & Metaphyſ.*

A. 1627. Poſt obitum D. *Baltaſ. Meiſneri* Præpoſituram in Templo Arcis adeptus, paulò pòſt Aſſeſſor Conſiſtorii Eccleſiaſtici factus eſt. In Academiâ *Wittenberg.* ſexies Rector, quinquies Philoſophicæ, ter ac decies Facultatis Theologicæ Decanûs, 12. annis totius Ordinis Academici Senior fuit. *Doctor & Profeſſor Theol.*

Primam uxorem *Agnetem*, *Andreæ Orlobii* Inſtitoris primarii apud *Berenburgenſes* filiam habuit, quam virginem 28. April. A. 1599. legitimis nuptiis ſibi junxit. Ex eâ novies pater, 5. pueros, puellas 4. ſuſtulit. Major natu filiorum *Edzardus* adoleſcens, in medio ſtudiorum curſu, in paterno lare, ſecundus *Andreas Pariſiis*, dum Medicinam magnâ laude facit, ſummumque gradum affectat, tertius *Adamus* paulò pòſt, quàm eſſet natus, obiit, quintus *Joh. Fridericus* cum rediiſſet domum ex peregrinatione *Danicâ* A. 1642. Candidatus Juris, diſceſſit: ſolo ſuperſtite quarto *Adamo Jacobo*, Reip. *Gedanenſi* ab Epiſtolis & Commentariis. *Ejus Conjugium duplex, & Liberi.*

Ex filiabus *Maria Catharina* & *Anna Martha* exceſſerunt innuptæ: *Regina* Viro Reverendo *Friderico Kornmanno*, primùm Philoſ. Practicæ in Acad. *Wittenberg.* pòſt *Halberſtadienſis* Eccleſiæ Paſtori primario nupta fuit: *Anna Eliſabetha* primò M. *Joach. Cruſio*, *Schmidbergenſium* Paſtori, deindè M. *Georgio Forſtero*, *Kembergenſis* Eccleſiæ Præpoſito, & vicinarum Superintendenti deſponſata.

Poſt primæ Conjugis exceſſum, A. 1619. ad ſecunda vota tranſiit, copulans ſibi virginem *Magdalenam*, *Friderici Sturmii*, *Cothenenſis* civitatis Conſulis filiam, cum quâ 30. annos ſuaviſsimè exegit, ex eâque *Baltaſarem*

Caſarem Johannem, & *Chriſtophorum Erneſtum* in adoleſcentiâ defunctos, tum *Gotofredum*, quem ſuperſtitem reliquit; deinde *Mariam Magdalenam* brevi poſt mortuam, hinc *Eliſabetham Samueli Rittero* Jur. Licent. datam in matrimonium, & *Magdalenam* liberos ſuſcepit.

Tandem cum aliquot menſes ex ſenio magis, quàm morbo gravi decubuiſſet, viribus evaneſcentibus placidâ morte velut obdormiſcens exſpiravit, cum aſtantibus dixiſſet, *magno ſolatio ſibi eſſe, quod Angelorum Miniſterio anima ſua in ſinu Abrahæ deportanda mox eſſet*, 30. Maji A. 1649. ætatis 79.

Moritur.

* *Ex Programm. fun. D. Jeremiæ Reuſneri, Jur. Prof. & Rectoris, & ex Concione funebri Johannis Scharfii, Theol. D. & Prof.*

JACOBUS MARTINIUS,
Per Anagr.
Virtus amica bonis.

EPITAPHIUM *Witt.* in Templo *Franciſcanor.*

Epitaphium.

HIC SITUS EST D. JACOBUS MARTINI, PROFESS. THEOL. PRIMARIUS, ET TEMPLI ARCIS PRÆPOSIT. TOTIUSQUE PROFESS. ORDIN. SENIOR; ACUMINE INGENII, JUDICII GRAVITATE, DOCTRINÆ COPIA ET EXCELLENTIA MERITORUM CUM SUMMIS SECULI VIRIS COMPARANDUS, IN SUO GENERE POSTPONENDUS NEMINI. NATUS EST AD D. XVII. OCTOB. IN AGRO HALBERSTAD. A. MDLXX. DECESSIT AD D. XXX. MAJI AN. MDCXLIX. QUOD EXCURRIT THEOLOGIAM EX ORTHODOX. NOSTRAM RELIGIONEM PRO CATHEDRA, PRO SUGGESTU, IN PUBLICA LUCE, QUA VOCE QUA SCRIPTIS DOCUISSET NON TANTUM ET ILLUSTRASSET NOBILITER, VERUM ASSERUISSET QUOQUE MAGNIFICE, IDQUE TOTO CHRISTIANO ORBE VICTURAM GLORIAM ET IMMORTALE NOMEN SIBI PEPERISSET, UXOR NOVISSIMA ET UTRIUSQUE MATRIMONII LIBERI NEPOTESQUE SUPERSTITES, MARITO, PATRI, AVO OPT. DESIDERATISSIMO P. C.

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta.

De primâ corporum Generatione, in 8vo.
Exercitationes de Animâ, in 4to. & 8vo.
Diſſertatio de Peſte, in 4to.
Oratio de Utilitate & Neceſſitate Logicæ, in 4to.
Inſtitutionum Logicarum Libri VII. in 8vo.
Diſputationes domeſticæ Logicam Ariſtotelis univerſam continentes, in 8vo.
De Loco Libri II. in 8vo.
Prælectiones extemporaneæ in Syſtema Logic. Bartol. Keckermanni, in 12mo. & 8vo.
Politica, in 8vo.
Logicæ Peripateticæ per Dichotomias reſolutæ in gratiam Ramiſtarum Libri II. in 12.
Theorematum Phyſicorum generalium Exercitationes X. in 4to.
Collegium Phyſicum ſpeciale XII. Diſputationibus contentum, in 4to.
Exercitationum Metaphyſicarum libri II. in 8.
Partitionum & Quæſtionum Metaphyſicarum Libri VIII. in 4to.
Quæſtionum illuſtrium Philoſophicarum Centuriæ X. in 4to.
De Communicatione Proprii liber unus contra Bart. Keckermannum. in 8vo.
Miſcellanearum Diſputationum Logicarum, Metaphyſicarum, Phyſicarum, & Ethicarum Libri IV. in 8vo.
Diſputationes IX. de Cognitione ſui, in 4to.
Tractatus de ſummo Bono Politico Diſputationibus XVII. propoſitus, in 4to.
Diſcuſſionum Ramiſticarum Libri II. in 8.
Synopſeos Ethicæ Libri II. in 8vo.
Tractatus de Cauſâ peccati, in 8vo.
De tribus Elohim Libri III. in 8vo. Witteb. 1619.
Partitionum Theologicarum Diſputationes XL. in 4to.
Diſputationum de Meſſiâ Judæorum blaſphemiis oppoſitarum Decas. in 4to. Witt. 1616.
Locorum Theologicorum Tractatus generalis & ſpecialis. in 4to. Witteb. 1620.
Vindiciæ Eccleſiæ Lutheranæ contra Valer. Magnum, in 8vo.
Syſtema Theologicum. in 8vo. Witt. 1632.
Collegium Anti-Calvinianum, in 4to.
Collegium Anti-Photinianum, in 4to.
Diſputationum Theologico-Scholaſticarum in primum Auguſtanæ Confeſſionis Articulum partes II. in 4to.
Lutheraniſmus, das iſt / kurtze Wiederholung der fürnehmſten Haupt-Stück Chriſtlicher Religion &c. in 8vo.
Vernunfft-Spiegel / das iſt / gründlicher Bericht / was die *Philoſophia* ſey / und was vor einen Gebrauch ſie habe in Religions-Sachen. in 4to.
Gründlicher Beweiß / daß *M. Andreæ Crameri* ausgegebener *Acceß* zu dem Vernunfft-Spiegel / ſey ein unbeſonnener *Exceß.* in 4to.
Purgatorium deß erſten heßlichen Mackel / damit *M. Andr. Cramerus Jacobi Martini* wolauspolirten Vernunfft-Spiegel zu beſudeln ſich unterwunden. in 4to.
Anatomia particularis, etliche Knoden eines Mohnkalbes / wider *Chriſtophorum Maſſonium*, in 4to.
Beſſerer Unterricht von dem alſo genanten Fronleichnams-Feſt / dem Jeſuitiſchen falſchen Bericht entgegen geſetzt, in 12mo.
De Magicis Actionibus, earumque probationibus.
De Affectibus in genere.
De Λόγῳ incarnato.
De Providentiâ Divinâ.
De efficaciâ Baptiſmi.
Diſputationes habuit *Philoſophicas æquè ac Theologicas: De primo ente, primo actu, & primo principio DEO. Decades duæ Problematum*

matum Philoſophicor. & Quæſtionum ſimilium. De Formis, an omnes a materiâ ſint ſeparabiles? De ſpeciebus motûs: de Meteoris: de 4. Elementis Themata X. contra Syſtema Logicum Keckermannianum: Diſputationes XII. Problematum Philoſophicorum: Modus diſputandi Photinianorum: de Origine & Propagatione Animæ. De DEO Uno & Trino: de S. Scripturâ: de Aſcenſione CHRISTI & Seſſione ad dextram DEI: de Angelorum quà bonor. quà malorum eſſentiâ, officio & effectis: de libero & ſervo Arbitrio: de univerſali DEI miſericordiâ circa hominum ſalutem: de contumeliâ, quâ SPIRITUM SANCTUM afficiunt voluntariè peccantes: Abominationes Pontific. in Articulo de Cœnâ DOMINI: de Myſterio S.Cœnæ: de libris Scripturæ perditis.

Obiit A.C. 1649.

CONRADUS HORNEJUS.

Filius Theologi.

NAtus fuit *Brunſvici*, primariâ Ducatûs *Brunſvic.* urbe 25. Nov. A. C. 1590, Patre Dn. *Johanne Hornejo, Brunſvicenſi* Eccleſiaſte in *Olper* & *Wattenbüttel*, Urbi illi vicis proximis, matre *Sophiâ*, *Johannis Nielandii*, pictoris quondam *Henrici* Junioris *Brunſvicenſium* Ducis filiâ.

Diſcipulus Brunſvigæ in Scholâ S. Catharinæ.

Inſtitutus primùm ab ipſomet patre in pietatis & literarum initiis usque ad annum ætatis undecimum, mox in *S. Catharinæ* ludo patriæ urbis in Græcis & Latinis literis fuit exercitatus per annos 8. â *Johanne Becmanno*, Rectore, & ab hujus Collegâ *Conrado Redekenio*, Conrectore, utroque iſtorum ſtudiorum eximiè gnaro.

Johanni Caſelio carus.

Tantum autem profecit ſub iſtis Præceptoribus, ut cum utroque jam parente orbatus, (quippè vix ſeptennis, anno antè Patrem amiſerat,) commendatione *Becmanni* A. 1608. in familiam Dom. *Johannis Caſelii*, Viri incomparabilis, adſciſceretur, præ aliis mox carus Hoſpiti fuerit, imò filii loco dilectus, bonarum literarum, Græcæ præſertim linguæ nomine: quibus jam illâ ætate tantum valebat, ut longè adoleſcentiam ſuperaret, Græci pangendi carminis felix artifex, iſtâque laude *Conrado Rittershuſio, Georgio Remo, Jano Grutero*, & aliis principibus literariæ rei jam tum notus.

Poëta Græcus.

Etſi verò nonniſi triennium in familiâ degerit *Caſelii*, in ædibus tamen ejus ad quartum annum vixit, usque ad beatum ipſius è vitâ hâc exceſſum, quod ſummus Vir adoleſcentem nollet â ſe abſcedere longiùs.

Philoſ. Magiſter Helmſtadii.

Intereà temporis non in literis tantùm quotidianâ *Caſelii*, ſed & in Philoſophiæ præcipuis partibus publicâ privatâque *Cornelii Martini* & *Nicolai Granii* inſtitutione eos progreſſus fecit, ut magno omnium applauſu ab ipſo *Cornelio Martino* Philoſophi pileo A.C. 1612, die æſtivi ſolſtitii ornaretur.

Ex eo tempore non tantùm vivâ docuit voce, ſed præcipuas Philoſophiæ partes, Logicam, Ethicam, Phyſicam, Metaphyſicam eximiâ perſpicuitate editis libellis compendio expoſuit, nondum in Profeſſorum ordinem allectus.

Profeſſor Ethicæ.

Cum verò A. 1619. die profeſto *Johannis Baptiſtæ* Ethices Profeſſionem publicam ſuſcepiſſet, civilem hanc de moribus Philoſophiam non uſitatâ anteà ratione ſic docuit, ut in lucem quoque editus liber eruditi orbis præconium meruerit. A. 1622. *Cornelio Martini* in Logicâ docendâ ſucceſſor datus, variis libris illud veritatis organum pari dexteritate illuſtravit, donec A. 1628. in Theologorum ordinem cooptaretur.

Logicæ.

Profeſſor Theologiæ.

Theol. Licentiat. & Doctor.

Et verò feliciter omnia ei ſucceſſiſſe vel una illa doceat de S. Scripturâ exercitatio, quam in Logices Profeſſorem recens allectus ſub finem A. 1622. publico examini, Præſide ſui Collegii tum Decano Venerando *Calixto*, (ab eodem mox 30. Dec. Theologiæ Licentiatus, ut anni 1636. die 27. April. Theol. D. renunciatus,) pro ſummis in Theologiâ honoribus impetrandis ſubjecit. Nihil verò antiquius habuit, quàm unà cum rectæ fidei doctrinâ ſanctimoniæ quoque ſtudium propagare.

Uxorem duxit.

A. 1622. Ductâ in matrimonium virgine *Annâ Catharinâ*, Viri Reverendi Dom. *Johannis Theodori Richii*, Canonici Senioris Eccleſiæ Collegiatæ *S. Blaſii*, quæ in Urbe eſt *Brunonis*, filiâ, eâ illam pietate imbutam reperit, ut haud difficile ipſi fuerit iſtâ vivâ, (obiit autem 10. Martii A. 1649.) in liberos ſanctimoniæ illius ſtudium transmittere. Binæ filiæ, totidem filii jam tum DEO fuerunt redditi: aliam de ſeſe ſpem concipere vetant ſuperſtites filii quatuor, filiæ duæ. Filii natu maximi *Johannis* probitas ac doctrina ſic perſpecta eſt omnibus, ut Academia *Julia* hoc ipſo anno 1649. Magiſtrum artium eum creare, & *Rintelenſis* ad *Viſurgim* Academia Naturalis Philoſophiæ Doctorem ſponte ſuâ inſtituere illum non dubitaverit.

Decem liberorum Pater.

Filius Johannes Phyſicæ Prof. Rintelenſis.

Sic docentem, ſic laborantem, ſic viventem magnum *Hornejum*, poſtquàm 10. tantùm diebus ex ventris torminibus ægrè decubuiſſet, vitæ humanæ arbiter vivis eripuit, morte placidâ obdormientem *Helmſtadii* die 26. Sept. A.C. 1649. æt. ſuæ 59.

Placidè obiit.

Defunctum paulò pòſt Oratione Parentali laudavit *Chriſtoph. Schraderus* Oratoriæ Profeſſor Publ.

* *Ex Programm. fun. Pro-Rectoris Acad. Juliæ Statii Fabricii, Theol. Doct. & Prof.*

Edita ab eo ſunt Scripta ſequentia:

Scripta.

Compendium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.
Tract. de Sacris & divinis Scripturis.
Comment. in Epiſt. ad Hebræos.
in VII. Epiſtolas Catholicas.
Diſputat. de ſummâ Fidei.
de Neceſſitate Studii Pietatis.
Diſputationum Theologicar. Pars I. & II.
Diſputatio Inauguralis de S. Scripturâ.
Alia de Reſurrectione Carnis.

Rurs

Digitized by Google

Kurtzer Bericht Geſprächsweis auffgeſetzt/ und entgegen geſetzt den unwarhafftigen Aufflagen/ womit die *Profeſſores Theol.* zu Helmſtadt beſchwert werden.

Concluſiones Metaphyſicæ.

Compendium Dialecticæ.

Diſputationes Logicæ XII.

Ethicæ, ſeu Civilis Doctrinæ de Moribus Lib. IV.

Compendium Metaphyſicæ.

Compendium Naturalis Philoſophiæ.

Diſquiſitionum Metaphyſicar. ſeu *de primâ Philoſophiâ Lib. IV.*

Oratio in funere Friderici Ulrici, Ducis Brunſvic. & Lun. habita in illuſtri Juliâ A. C. 1635.

Compendium Theologiæ, quo univerſa fidei Chriſtianæ doctrina tribus Libris tractatur.

De univerſali CHRISTI Merito & Satisfactione pro omnibus omnium hominum peccatis præſtitâ Tract.

Widerlegung eines Paßquills/ kurtzer Auszug etlicher Sprüche H. *Lutheri* S. wie auch deß *Corporis Julii &c.* von Nothwendigkeit eines gottſeligen Wandels zur ewigen Seeligkeit.

Scholia in Homerum.

De Proceſſu Diſputandi.

Diſputationes Ethicæ X.

Bedencken über das Schulweſen.

Defenſio Diſputationis ſuæ de ſummâ fidei non qualislibet, ſed quæ per charitatem operatur, neceſſitate ad ſalutem, adverſùs Programma hac de re editum.

Reiterata Aſſertio de neceſſitate fidei per charitatem operantis adverſùs Joh. Rothmalerum.

Diſputationes ſeorſim edidit: De Angelis: de Reſurrectione carnis; de univerſali CHRISTI merito & ſatisfactione pro omnibus & omnium hominum peccatis præſtitâ: de SPIRITUS SANCTI Divinitate, ejusque æternâ à Patre & Filio Proceſſione; de pœnitentiâ lapſorum; de ſummâ fidei per charitatem operantis neceſſitate ad ſalutem.

EPITAPHIUM:

Epitaphium.

CHRISTO SERVATORI SACRUM. MEMORIÆ PERQUAM REVERENDI CLARISSIMIQUE VIRI CONRADI HORNEJI ÆTERNI ACADEMIÆ JULIÆ DECORIS. QUI BRUNSVIGÆ ANNO cIↃ IↃ XC. VII. CAL. DECEMBR. NATUS, POSTQUAM, OB SINGULARES INGENII DOTES, BONARUM, GRÆCARUM PRÆSERTIM, LITERARUM PERITIAM, PRINCIPIBUS IN ILLA RE VIRIS JAM TUM ADOLESCENS INNOTUISSET: EXINDE VERO PRÆCIPUAS PHILOSOPHIÆ PARTES PRIVATUS: ETHICEN AUTEM, LOGICAM, ET S. THEOLOGIAM EX ORDINE PER XXX. ANNOS PUBLICE, RARA ET ADMIRANDA PERSPICUITATE DOCUISSET; PLERAQUE ETIAM AD OMNE ÆVUM PERENNATURIS SCRIPTIS ILLUSTRASSET; PIETATEM AB ADVERSARIIS OPPRESSAM STRENUE ADSERUISSET, SANCTIMONIA ET INNOCENTIA VITÆ CUNCTIS PRÆIVISSET, ADEOQUE VERÆ ET INFUCATÆ PROBITATIS VIVUM EXEMPLUM SEMETIPSUM EXHIBUISSET, DE PATRIA, SCHOLA, ECCLESIA, UNIVERSA REP. LITERARIA OPTIME MERITUS AN. cIↃ IↃC XLIX. VI. CAL. OCT. OMNIBUS BONIS IMMORTALI SUO DESIDERIO RELICTO OBIIT. HOC MONUMENTUM LIBERI SUPERSTITES UTROQUE PARENTE NIMIS CITO EHEU ORBATI LUGENTES PONI CURAVERUNT.

JOHANNES DEODATUS.

Obiit A.C. 1649.

Die 6. Junii A.C. 1576. natus, Parentem habuit *Carolum Deodatum*, Patritiâ apud *Lucenſes* oriundum familiâ, quem emendatæ Religionis ſtudium *Genevam* adduxerat. *Nat. Lucenſis.*

Ab ineunte adoleſcentiâ acre judicium & vividum ingenium oſtendit, quo omnium in ſe convertit oculos. A. æt. 19. Profeſſionem Linguæ Sanctæ, *Theod. Bezæ* hortatu & impulſu ſuſcepit. Aliquanto tempore pòſt Theologiæ Candidatis præpoſitus partes impoſitas omnium cum applauſu per plura implevit luſtra. *Profeſſor Ling. Sanctæ A. æt. 19. Profeſſor Theol.*

Paſtor Eccleſiæ tum *Gallicæ* tum *Italicæ* renuntiatus fidelem ſe præſtitit Miniſtrum. Bis Rectoratum ritè exercuit. Exteris Eccleſiis, ad quas ſæpiùs delegatus, ſemper ſe probavit, Synodo præſertim *Dordracenæ*, quæ tanti illum fecit, ut ad concipiendos & conficiendos Canones cum Theologis quinque in tantâ Doctorum coronâ pluribus ſuffragiis elegerit. Raro quippè coeuntes in ipſum Doctoris ac Paſtoris confluxerant dotes, inexhauſtus doctrinæ theſaurus, Pietas in DEUM, Charitas in exteros ac conterraneos, grandiloquentia ſumma, ſed ſine fuco & lenociniis, cui anima zelus erat, quæque affectûs auditorum mirum in modum commovebat. *Paſtor Eccleſ. Gall. & Ital. Legatus ad Synod. Dordrac.*

Variis demùm ab annis aliquot conflictatus morbis, quos magnam partem improbus in ſtudendo fecerat labor, aſthmate tandem graviore & Eryſipelatis æſtu preſſus decubuit totus in diſceſſum intentus, funeris laudumque pompam reſpuens, animam demùm elatis ad cœlos oculis manibusque in ſinu CHRISTI placidè repoſuit 3. Octob. A. C. 1649. æt. 74. In xyſto ædi *Petri*, ubi vox ejus perſonuit, adjacente ſepultus 4. Octob. *Ex ſtudiis nimiis ægrotus. Moritur.*

* *Ex Programm. fun. Philippi Meſtrezatti, Rectoris Geneu.*

Edidit:

S. Biblia in Ling. Italicam converſa, cum Notis. *Scripta.*

Pſalmos aliquot Davidis in rythmos converſos cum melodiis propriis.

Biblia Gallica cum Notis.

JOHAN-

Digitized by Google

Obiit A.C. 1650.

JOHANNES PRIDEAUX.

IN Agro *Devonienſi*, *Angliæ*, natus, ad Collegium *Exonienſe* in Univerſitate *Oxonienſi* acceſſit A. C. 1596. ætat. 18. ubi inconcuſſo memoriæ pariter & corporis robore tantos brevi in literis progreſſus fecit, ut â diſputandi ſolertiâ meritò celebraretur, annoque 1602. ſociis accederet.

Rector Collegii Exonienſis in Univ. Oxon. Doctor Theologiæ. Regius Theologiæ Profeſſor.

Fatis concedente *Hollando*, in Rectorem â ſodalitio deligitur, & Gradum Doctoris in Theologiâ ſuſcipit; evectoque deindè ad ſedem *Sarisburienſem Abboto*, Regius Theologiæ Profeſſor nominatur.

In munerum eorum primo tantâ ſe prudentiâ, & Præſidem decente urbanitate geſſit, ut Collegium ſuum inſolitâ Scholarium frequentiâ propediem repleverit; quibus & monitis ſuis, & peritisſimo Tutorum delectu usque adeò proſpexit, ut eorum deinceps haud pauci Eccleſiæ non minùs quàm Reipublicæ & uſui fuerint & ornamento.

Cœterùm & in altero illo Profeſſoris officio non ſine gloriâ verſabatur, Artium, Linguarum, & Theologiæ cognitione, & inconcuſſâ in Principem & Eccleſiam fide, conſpicuus fuiſſe deprehenditur.

Moritur.

Febre interiit *Bredone*, in Comitatu *Wigornienſi*, ac ibidem in Eccleſiæ cancello, eminentioris notæ viris haud paucis funus deducentibus, humatus eſt A. 1650. Pòſt paulò tumulus lapide tegitur, eique lamella ænea infigitur, Epitaphium iſtud, quod ipſe mox ante obitum conſcripſerat, inſculptum habens:

Epitaphium.

JOHANNES PRIDEAUX DEVONIENSIS, ANNO DOM. MDLXXVIII. SEPTEMB. STAFORDIÆ, PAGO OBSCURO, SED INGENUIS PARENTIBUS NATUS, OXONIÆ IN COLLEGIO EXONIENSI PRIMUM SOCIUS, DEINDE RECTOR FUIT ELECTUS, QUEM LOCUM PER ANNOS FERE XXXII. TENUIT, PROFESSORIS REGII IN THEOLOGIA, ULTRA XXVII. ANNOS OCCUPAVIT CATHEDRAM, QUINQUIES VICE-CANCELLARIATÛS IN EADEM CELEBERRIMA ACADEMIA ASSECUTUS EST DIGNITATEM, PRINCIPI HENRICO, REGIBUS JACOBO, ET CAROLO ERAT A SACRIS, A QUORUM ULTIMO AD EPISCOPATUM WIGORNIENSEM FUIT EVECTUS, (ELECTUS Nov. XXII. CONSECRATUS WESTMONASTERII, DEC. XIX. M DC XLI.) MORTEM OBIIT, JULII XXIX. AN. DOM. M DC L. ÆTATIS LXXII.

Scripſit quamplurima, quorum nonnulla enumerare oportet, quæ ſic ſe habent:

Scripta.

Conciones variæ. Oxon. 1636. Angl.

In 1. Sam. 14. v. 26. Oxon. 1626. Lat.

Lectiones X. in totidem Religionis capita. Ib. Lat.

Orationes XII. inaugurales in promotione Doctorum. Ib. eod. an. Lat.

Pro Iſaaco Caſaubono, contra And. Eudæmon-Johannem. Oxon. 1614. Lat.

Lectiones XXII. Orationes XIII. Conciones VI. & Oratio ad Jacobum Regem. Oxon. 1648. Lat.

Faſciculus Controverſiarum Theologicarum. Oxon. 1651. Lat.

Manuductio ad Theologiam Polemicam. Oxon. 1657. Lat.

Hypomnemata Logica, Rhetorica, Phyſica &c. Oxon. Lat.

Tyrocinium ad Syllogiſmum legitimum contexendum &c. 1608. Lat.

Heptades Logicæ &c. Oxon. 1608. Lat.

Tabulæ ad Grammaticam Græcam Introductoriæ. Oxon. 1608. &c. Ibid. 1639. Lat.

Iſagoge ad omnigenæ hiſtoriæ lectionem. Oxon. 1648. Ibid. 55. & 64. Ang.

Conciliorum Synopſis. Oxon. 1654. &c. Angl. & alia.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antoniiâ Wood.*

Obiit A.C. 1650.

LUDOVICUS EPISCOPUS.

U*Lmæ* natus eſt 1. Martii A. C. 1573. Patre *Ægidio* Biſchoff per 42. annos in Gymnaſio patrio ſecundæ Claſſis Præceptore, Matre *Margarethâ Görſterinâ*, *Biberacenſi.* E ſacro baptiſmi fonte ſuſceptorem habuit *D. Ludovicum Rabum*, Superintend. *Ulmenſem.*

Cum in Gymnaſio Claſſes omnes tranſiviſſet, *Tubingæ* A. 1590. Depoſitionis ritu ſtudiis initiatus, mox in Academiam *Argentinenſem* ſe contulit, & A. 1591. primam Philoſophiæ Lauream, Baccalaureatûs nempe, & A. 1593. 19. Martii Magiſterii Gradum cum laude adeptus, inter 15. Candidatos quintum locum obtinuit.

Baccalaureus & Magiſter Philoſ. Argent.

Licet verò primùm artis Medicæ ſtudio operàm dare ſtatuiſſet, & Herbarium vivum elegans collegiſſet, DEO tamen aliter diſponente ſtudium Theologicum aggreſſus eſt 15. April. A. 1593. in feſto Paſchatos *Grunesbemii* pago 2. ab urbe *Argent.* milliaribus diſtante primam Concionem habuit.

Med. Studioſus. *Theol. ſtud.*

28. Julii ſeq. in auditorio novo Orationem de *educatione & informatione liberorum* publicè recitavit, & brevi pòſt 17. Nov. ſub Præſide *Johanne Fabro*, S. Theol. Licentiato, Diſputationem *de cauſâ Peccati* defendit.

Publicè peroravit, & diſputavit.

Ob hæc Exercitia Academica commotus Theologus celebris *D. Philippus Marbachius Epiſcopum* filiis ſuis Præceptorem domeſticum conſtituit, quâ occaſione quoque *D. Johanni Pappo* Superintendenti *Argent.* familiariter innotuit.

Præceptor domeſticus.

A. 1596. In patriam revocato Diaconatus *Langenavienſis* collatus, & poſtquàm â *D. Johanne Weſenbecio* Superintend. in Monaſterio vel Templo Cathedrali fuiſſet pro more Eccleſiæ ordinatus, Diaconi munus unàque Paſtoris *Wettingenſis* alacriter auſpicatus eſt.

Diaconus Langenav.

A. 1600.

A. 1600. Poſtquàm Dom. *Leonhartus Hutterus* ob ſenium emeritus ab inclyto Magiſtratu *Ulm.* rude fuiſſet donatus, in ejus locum *Langenaviâ* acceſitus *Epiſcopus*, Templi Cathedralis Concionator primarius factus eſt, in eoque munere totos 50. annos fidelis Verbi Divini Præco verſatus. A. 1605. Conſiſtorii Matrimonialis Aſſeſſor, A. 1624. Eleemoſynarius, & tandem A. 1641. Miniſterii *Ulmani* Senior conſtitutus eſt.

Concionator primar. Ulmæ. *Senior.*

Primam Conjugii Societatem iniit *Argentinæ* 21. Febr. A. 1597. cum virgine *Marthâ Roſſiâ*, cum quâ 48. annos feliciter exegit, ex eâque 5. filios ac totidem filias ſuſcepit. Ex his 47. nepotes viventes vidit. A. 1644. ad ſecunda vota tranſitum fecit cum viduâ *Helenâ Saxiâ*, quam ſine liberis reliquit ſuperſtitem.

Conjugium ejus duplex, & Liberi.

Variis tandem morbis conſumptus, accedente hemiplegiâ, placidè exſpiravit 23. April. A. C. 1650. ætatis 78. quem gener ejus M. *Elias Feurſtein*, Paſtor *Altenſtattenſis* hiſce verbis expreſſit:

Moritur.

BeLLVM DeVs VertIt:
QVIes Vero VIVa eXIſtIt.

* *Ex Concione funebri M. Balthaſ. Gockelii, Senioris Ulm.*

Edidit:

Bewährte geiſtliche Seelen-Artzney.

Scriptum.

MICHAËL BEHMIUS.

Obiit A. C. 1650. *Filius Theologi.*

NAtus eſt *Regiomontii* in *S. Michaëlis* Archangeli Feſto A. C. 1612. Parente Reverendo Viro Dom. *Johanne Behmio*, Theol. Doct. & Profeſſore: Matre verò *Urſulâ Rackaviâ*.

Puer in Scholâ patriæ Cathedrali, ſub Præceptoribus *Hagio, Raico* & *Rabatio* tam feliciter in literarum pietatiſque ſtudio progrediebatur, ut ſummam de ſe ſpem concitaret. Academiæ civibus annumeratus quanto incremento eruditionem intra exigui temporis decurſum auxiſſet, publicis & Philoſophicis & Theologicis, quarum unam *de Servo Arbitrio* ſub venerandi Dom. Parentis Præſidio habuit, Diſputationibus clarè demonſtravit.

Diſput. Theol. ſub Præſide Dn. Parente habuit.

A. 1631. Academiam *Gryphiswaldenſem* adivit, ibique biennium cum ſemeſtri intra ædes celeb. Theolog. *D. Krackewitzii* ita vixit, ut patrium planè hujus Viri provocans affectum multum ex ejus converſatione & Bibliothecâ commodi hauriret.

Digreſſus hinc A. 1634. *Roſtochium* ſe contulit, ac menſâ contubernioque Reverendi D. *D. Cothmanni* uſus, *D. Quiſtorpii* prætereà accedente familiaritate, ita ſtudia porrò tractavit, ut illuſtre profectûs argumentum, propoſitâ ſub Præſidio Reverendi Dn. *Glotzii* Diſputatione, exhiberet. Commodùm verò ſe offerente occaſione ejus anni autumno *Hafniam* petiit, ac poſtquàm Excell. Theol. *D. Brochmanni* familiaritati ſe inſinuârat, M. Nov. *Roſtochium* repetens cœptam ſtudiorum telam pertexere perrexit. A. C. 1635. *Wittebergenſem* Academiam inviſit, & exigente jam tum infirmiori valetudine magni *Sennerti* convictu utens, præ omnibus id egit, ut propoſitum ſacri ſtudii ſcopum attingeret.

Hafniæ familiaris D. Brochmanni. *Wittebergæ convictor D. Sennerti.*

In medio hoc laborum curſu, peſte hinc expulſus, *Lipſiam* ſe contulit, ibique cum ad familiarem converſationem Rever. Dn. D. *Höpfneri* eſſet admiſſus, id inſuper felicitatis eſt expertus, ut à meritiſſimo in Eccleſiam DEI Viro *D. Joh. Gerardo* in contubernium *Jenam* invitaretur, quo tamen beneficio frui mors prohibuit.

In contubernium Jenam à D. Gerardo invitatus.

Sed nec *Lipſiæ* ſubſiſtere diutiùs graſſans contagio permiſit. *Chemnitium* ergò *Miſniæ* oppidum adiens, intra Rever. Dn. *Balthaſaris Balduini*, Superintendentis ibidem, quem Competitorem in Promotione Doctorali poſtmodùm habuit, ædes degit, ac ne quid temporis fruſtrà elaberetur, Homileticis exercitiis ſtrenuus incubuit.

Wittenbergam reverſus A. 1638. Doctorales in Theol. honores petiit, petitosque unà cum 4. Theologiæ & duobus Juris Candidatis, conferente *D. Lyſero*, conſecutus eſt. Ita ornatus, ad ſuos feliciter redux, id primò omnium egit, ut quo Jure titulum Doctoris gereret, omnibus probaret. Eo fine & varios ad populum è Cathedrâ templi cathedralis cum auditorum applauſu habuit ſermones, & Diſputatione ſolenni, ut in Collegium Facultatis Theol. reciperetur, impetravit.

Theol. Doctor Wittebergæ.

A. 1639. Elector *Brand. Georg. Wilhelmus* Adjunctum, & A. ſeq. Profeſſorem Theol. publicum poſt ſolennem Inaugurationis Diſputationem conſtituit. Ille interim de commodiore vitæ ratione ſibi proſpecturus, Virginem *Annam*, Dom. *Matthiæ Pohlii*, Judiciorum, quæ *Regiomont.* ſunt, oppidanorum Secretarii filiam ſolennibus nuptiis 27. Aug. A. 1640. ſibi ſociavit. Sed vix 7. menſium conjugio gaviſus eſt, nam mortis impetus A. 1641. M. Febr. novam nuptam abſtulit.

Adjunctus & Profeſſor Theol. *Maritus 7. menſium.*

Intereà munus Archipresbyteri Inſulæ *Marianæ* ipſi oblatum, quod etiam ſuſcepturus fortè fuiſſet, niſi inſperatus ex conjugis obitu dolor, huncque inſequens corporis marcor adeò animum oppreſſiſſent, ut ſe ſuffecturum tanto oneri deſperaret.

A. 1643. Ad ſecunda vota tranſiturus connubialia, Virginem *Sophiam*, Dom. *Friderici Lepneri*, civis inter *Cniphovianos* haud poſtremi filiam, matrimonii Sacris A. 1644. ſibi junxit, atque cum eâ duorum filiorum totidemque filiarum parens tranquillâ quidem felicitate clarum, aſt exigui temporis conjugium exegit.

Conjugium alterum habuit fœcundum.

Eo verò tempore cum ab Auguſtâ *Suecorum* Reginâ viduâ, ob celebratas Eloquentiæ dotes Concionibus Aulicis extra ordinem præficeretur, ſemeſtri integro non minori fide quàm laude ſpartam eam ornavit. Parem dexteritatem, cum à Sereniſſ. Electore *Brand.* Dom. *Friderico Wilhelmo* ad Colloquium charitativum cum

Concionator aulicus Reginæ viduæ Suecorum.

Thorunium ablegatus ad Colloquium charitativum. alis Theologis *Thorunium* ablegaretur, ab eo declaratam ſciunt illi, qui ſocii comiteſque ejus actus fuerunt.

Poſtquàm verò diu à malo ſcorbutico fuiſſet enervatus, ſupervenit ardentiſſima febris, quæ quicquid reſtabat virium, ita proſtravit, ut erigi nullo modò poſſent. Ultimo itaque die M. Aug. inter ſuſpiria ac preces ardentes animam DEO reddidit A. C. 1650. ætatis 38. *Moritur.*

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta. Nothwendige Verantwortung eines von den Königsbergiſchen *Profeſſoribus* an die Theol. *Facultät* nach Helmſtadt *A. 1649.* abgegangenen Brieffes / darinnen *D. Mislentæ* und *Abr. Calovii* Bezüchtigungen *refutiret* werden. in 4to.

Eine Predigt über die Wort *CHRISTI:* Friede ſey mit euch. in 4to.

Diſputationes ab eo habitæ: Utrum CHRISTUS ob ſanctificationem & miſſionem in mundum ſe Filium DEI appellârit contra Crellium Socinianum. De Sacramento Baptiſmi. De Servo Arbitrio. Quæſtiones ad doctrinam de gratiâ & libero arbitrio hominiſque converſione pertinentes.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Regiomont.*

Obiit A.C. 1650.

HENRICUS TOZER.

Northtawoniæ, in Agro *Devon.* natus, literas Academicas *Oxoniæ* in Collegio *Exonienſi* haurire cœpit, A. DOM. 1619. ætatis 20. Decurſo inde quadriennio in ſocium delectus eſt, ubi ita profecit, ut in Diſputationibus præſidendo, alumnos fidei ſuæ commiſſos informando, in Capellâ denique prælegendo famam haud vulgarem comparârit.

Theologiæ Baccalaureus. Ad Theologiæ tandem Baccalaureatum promotus, Evangelium multâ cum laude annuntiavit, priſcorum verò Chriſtianorum orthodoxiæ, quin & pietati revocandæ natus videbatur.

Concionator Oxonienſis. Verbum DEI ad Sancti *Ægidii* & Sancti *Martini Oxon.* prædicabat, ſodalitio autem Rebellium tyrannide A. C. 1648. pulſus, ad *Batavos* trajecit, & à Mercatoribus *Anglis*, Commercium *Roterodamiæ* exercentibus, in Paſtorem aſſumptus eſt. *Paſtor Roterodamenſis.*

Moritur. Obiit *Roterodamiæ* A. C. 1650. Sept. 11. ſtylo veteri, & in Eccleſiâ tunc uſui Mercatorum *Angliæ* aſſignatâ ſepultus eſt.

Scripſit:

Scripta. *De dictis & factis CHRISTI, ex quatuor Evangeliſtis collectis, & in ordin. diſpoſitis.* Oxon. 1634. Lat.

Directorium piæ vitæ, Oxon. 1628. Angl.

Conciones varias. Ox. 1633. 39. & 40. Ang.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

Obiit A.C. 1650.

MELCHIOR SYLVESTER ECKARDUS.

Kirchemii 2. Aug. anno 1600. ex Parentibus honeſtis poſthumus progenitus poſthumum itidem poſt obitum reliquit.

Cum in Scholâ patriâ literarum fundamenta poſuiſſet, A. 1617. in Scholâ Ducis *Würtenberg. Adelbergenſi* inter alumnos receptus, & A. 1619. *Maulbronnæ* in Scholam Cœnobialem receptus, anno demùm 1621. *Tubingam* inter Ducis Stipendiarios promotus eſt, ubi non modò ſtudium Philoſophicum & Philologicum feliciter abſolvit, ſed etiam A. 1624. Magiſter ſolenniter renuntiatus, inter 39. Competitores primum locum obtinuit. Non multò pòſt à nobili Viro *Joach.* à *Grünthal* Comite Palatino Laureâ Poëticâ coronatus, ab eo tamen titulo abſtinuit. *Alumnus Adelberg. & Maulbronn. Stipendiar. Tubing. Philoſ. Magiſter. Poëta Laureat.*

A. 1628. *Biberaci* oppido Imperiali Paſtor Eccleſiæ, & Concionator matutinus cum fuiſſet declaratus, brevi pòſt conjugium iniit, & 14. liberos progenuit. Sed varias ab eo tempore calamitates in Miniſterio ſuo, nec ſine vitæ periculo perpeſſus eſt. *Paſtor Eccleſ. Biberac.*

A. 1634. Ad Specialis Superintendentis munus *Tubingam* vocatus, id verò propter tumultûs bellicos aggredi prohibitus, anno 1635. *Wendlingam* ditionis *Kircheimenſis*, cum alius tunc locus non vacaret, & tandem A. 1639. ad Paſtoratum Eccleſiæ *Stetenſis* translatus eſt, in quo fidelis Verbi Divini Miniſter ad finem vitæ perſeveravit, ex pleuritide vivis ereptus 21. Junii A. C. 1650. ætatis 50. *Paſtor Eccleſ. Wendling. & Stetenſ. Moritur.*

Edidit:

Scripta. *Epigrammatum & Anagrammatum aliquot Lib.*

Emblemata de hominis vitâ.

Chriſtianum religioſum, vel *Quæſtiones Theologicas de Caſibus & Dubiis cujuslibet Chriſtiani.*

Chriſtianum genuinum, ſive *Ethicam Chriſtianam.*

Paſtorem conſcientioſum, ſive, *varias Quæſtiones de Caſibus & rebus dubiis Miniſtri perſonam tangentibus.*

Studioſum S. Theologiæ, hoc eſt, *Fidelia monita ad S. Theologiæ & S. Scripturæ ſtudium auſpicandum & continuandum.*

Deß leydigen Teufels Kunſt und Bubenſtücklein entdecket / und ausgemuſtert.

Früh-Morgen-Weckerlein / das iſt / Bericht ins gemein vom Gebet / und insſonderheit vom Früh-Gebet zu Haus oder in der Kirchen.

Gedancken-Meiſter / das iſt / kurtze Anleitung / was ein Chriſten-Hertz bey den Wercken GOttes behertzigen ſoll.

Andächtiges Seelen-Geſchrey und Hertzens-Seufftzer.

Thränen-Tüchlein.

Gotteslâſterer.

Poſtill.

Predigten über den *Paſſion.*

* *Ex Conc. fun. D. Tobiæ Wagneri, Concionat. Esling.*

LAU-

Obiit A.C. 1650.

LAURENTIUS BIFFIUS.

Clericus Regularis Theatinus *Bergami*, patre *Joh. Baptiſtâ Biffio* natus, Vir fuit profundæ eruditionis, cum morum ſuavitate, humilitate ſingulari, integritate inſigni & affabilitate gratâ præditus.

Concionator facundus. Pennâ & linguâ famam ſibi conciliavit, multis Scriptis editis clarus, & Concionibus ſacris, quos *Neapoli*, *Placentiæ*, & *Bergami* habuit, in quibus pietas & eloquentia pari paſſu ambulare viſæ ſunt. *Præpoſitus.* *Bergami* Præpoſitus ad *S. Agatham* novo Monaſterio cum magno ſumptu fundamentum poſuit.

Moritur. Vitam morte beatâ finiit 8. Septemb. A. C. 1650.

Sub ejus effigie ad *S. Agatham Bergami* hoc legitur Epitaphium:

Epitaphium.

P. D. LAURENTIUS BIFFIUS, Berg.
C. R. S. T. D.
Et S. Offic. Consultor
Sui temporis Oratorum nemini secundus:
Omnibus suæ Religionis honoribus supremo dempto
Perfunctus.
Obiit Anno DOM. M DC L. Ætatis suæ LXV.

Scripta ab eo ſunt ſequentia:

Scripta. *Diſcorſo Academico in lode della Guerra.*

Il Prencipe Chriſtiano ombraggiato nella Chieſa Catedrale di Genova nella Coronatione del Doge Giacomo Imperiale.

Oratio in laudem P. Ludovici Bertrandi Ord. Prædic.

in funere R.P. M. Thomæ Caraffæ, Ord. Prædic.

Oratione nella morte di Monſignor Gio. Battiſta Milani Veſco vo di Bergamo.

Neniæ & Pæana, illæ funeri D. Joh. Battiſtæ Milani, hæc triumpho Beati Cajetani Thyenæi.

Triomfi della povertà di S. Carlo Spiegati nell' Duomo di Milano.

Sacrorum cinerum Triumphus, Oratio Panegyrica ad S. P. Gregorium XV.

Il Divino Agnello ſtante & occiſo, diſcorſi ſopra i principali miſteri della Paſſione di noſtro Signore GIESU CHRISTO.

* *Ex Scenâ literariâ Scriptor. Bergam. Donati Calvi.*

Obiit A.C. 1650.

JOHANNNES COTHMANNUS.

Filius Canonici Herverd. Natus eſt *Hervordiæ* in *Weſtphaliâ*, A. C. 1595. Patre *Ludolpho Cotmanno*, Canonico, &, ut ibidem vocantur, Scholaſtâ *S. S. Johannis* ac *Dionyſii*: Matre *Catharinâ*, *Jodoci Dickhoſii*, Senatoris *Bilſeldenſis* filiâ. Avum habuit paternum *Hermannum Cothmannum*, Præpoſitum Eccleſiæ *Schelſchenſis*.

Filius hic patris ſui unicus jactis in Scholâ patriâ *Hervordiæ* primis ſtudiorum fundamentis, poſt obitum utriusque Parentis Amicorum & imprimis Dom. *D. Johannis Cothmanni*, Jur. U. Doctoris & Conſulis *Oſnabrugenſis* patrui ſui ſuaſu & conſenſu *Oſnabrugam* conceſſit A. 1612. ibidem per triennium ſtudiis incumbens. Pôſt cum altioribus aptus eſſe videretur ſtudiis A. 1615. ſuadente prædicto patruo & procurante Viro Reverendo Dom. *Wolfgango Helvico* Superintendente *Oſnabrug.* Academiam *Gieſſenſem* adiit, & D. *Mentzero* Theologo celebri commendatus, quadriennium cum dimidio ibidem ſubſtitit. *Theol. Studioſus Gieſſæ,*

A. 1619. Academiam *Roſtochienſem* ſalutavit, & ſtatim in publicâ Jubilæi Academici ſolennitate 17. Nov. præſentibus Illuſtr. Ducum *Megapolenſium* Legatis, Præſide Dom. D. *Johanne Aſſelmanno*, Syllogiſmum Antichriſto *Romano* oppoſitum publicè in numeroſâ civium literatorum præſentiâ defendit. *& Roſtochii.*

A. 1622. *D. Francum* Profeſſorem *Francofurtenſem* publicâ Diſputatione adortus eſt, cumque illa Diſputatio refutaretur, Apologiam eidem oppoſuit, cui titulus, *Duellum Euchariſticum*. *Autor Duelli Euchariſtici.*

An. 1625. Ab Illuſtr. Duce *Megapolit.* Dom. *Johanne Alberto* ad Profeſſionem Theologicam vocatus, & ad Academiam *Wittenbergenſem*, ut ibi gradum Doctoris aſſumeret, ablegatus eſt, quo in loco A. 1626. comparuit, cumque Spectabilem Dom. Decanum *D. Balduinum* adiiſſet, in illius ædibus, præſentibus Dn. *D. Mentzero* & Dn. *D. Jac. Martini* tentamini ſatis rigido ſubjectus fuit, quo finito, injuncta ipſi fuit publica Lectio, ut exploraret *Caput 15. Epiſt. 1. ad Corinthios*.

Finitâ lectione pro conſequendo ſummo Gradu *de votis Monaſticis* publicè diſputavit. Hâc Diſputatione abſolutâ *Lipſiam Jenamque* conceſſit, ut cum Theologis illorum locorum amicitiam contraheret.

Indè ſtatim rediens 18. Maji Concionem, quam Doctoralem vocant, *Wittebergæ* habuit die Aſcenſionis CHRISTI, & 21. Maji ſeq. examen rigoroſum in ædibus *D. Balduini* ſuſtinuit, quo finito Theol. Licentiatus authoritate publicâ renuntiatus fuit â Dn. D. *Meiſnero*. 24. Julii A. 1626. *Roſtochii Wittenbergâ* reduci S. Theologiæ Profeſſio demandata eſt. *Wittebergæ Theologiæ Licentiatur.* *Theol. Profeſſor Roſtochii.*

28. Nov. ſeq. nuptias celebravit cum virgine *Catharinâ Arnims*, ex cujus conjugio 5. liberorum factus Pater. A. 1634. Academia *Witteberg.* abſenti ipſi, cum ob itineris difficultatem præſens eſſe non poſſet, honores Doctorales contulit. *Abſens Doctor Theol. creatus Witt.*

An. 1639. Cum anno prægreſſo uxor ipſius ex morbo epidemico obiiſſet, ad ſecunda vota tranſiens, viduam Dn. *Nicolai Bodeckeri* uxorem duxit.

Ipſe verò, deficientibus ſenſim ex atrophiâ ſcorbuticâ corporis viribus, poſtquàm hunc vitæ propriæ curſum ipſe manu ſuâ conſcripſiſſet, morte beatâ vitam finiit *Roſtochii* 8. Octob. A. C. 1650. ætatis 55.

Digitized by Google

Scripta ab eo edita & relicta ſunt ſequentia:

Scripta. *Invectiva contra Voluntariam inſaniam & vitiorum omnium Matrem Ebrietatem.* in 4.

Quæſtio, An Nuptiæ Comprivignorum, novo inter Parentes partu præſente, contrahi poſſint? in 4to.

Defenſio neceſſaria de Matrimonio Comprivignorum, contra M. S. B. in 4to.

Deſtructio fundamenti Papatûs contra Schillerum. in 4to.

Duellum Euchariſticum, ſive *Tractatus de Cœnâ DOMINI, contra Bergium.* in 4to.

Tractatio Theologica de Prædeſtinatione, contra Wendelinum. in 4to.

Prodromus invictæ Demonſtrationis, quo Papiſtas quinti Evangelii ſive doctrinæ Scripturis contrariantis Profeſſores eſſe oſtenditur, in 4.

Perſpicillum, in 4to.

Gottſeelige Betrachtung geiſtlicher *Recept.* in 8vo.

Diſputationes, diverſo tempore edidit: De Antichriſto Romano: de Omnipræſentiâ Divinâ: de Votis Monaſticis: de S. Scripturæ authoritate: de Pœnitentiâ, ſive verâ ad DEUM converſione: de bonis Operibus: de Perſonâ JESU CHRISTI: de Sacrâ Cœnâ: de Præſentiâ Corporis & Sanguinis CHRISTI in Euchariſtiâ: de Miſſâ: de Baptiſmo: de Catecheſi Veterum.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Roſtoch.*

CHRISTIANUS MATTHIAS.

Ob. circa A.C. 1651.

GEnte *Dithmarſus* ſub ævi ſuperioris finem natus eſt: Cumque in eo ab incunabulis ad maximarum diſciplinarum ſtudia indoles eluxiſſet, inſignes Muſarum fautores illum elegerunt, quem eruditiſſimorum hominum artibus omnique eleganti doctrinæ totum addicerent, quâ cum omnes æquales ſine controverſiâ ſuperaret, nec Philo- & Polymathiæ ipſius patria amplius ſufficeret, de fructuoſâ peregrinatione cogitavit, eamque feliciter adeò ſuſcepit, ut plerisque nobilioribus *Germaniæ* Academiis peragratis in inclyto tandem *Noricorum Lycéo*, virtute & eruditione ſuâ digniſſimum reportarit præmium, publicam nimirùm S.S. Theoſophiæ Profeſſionem, ſupremis in eâ Facultate honoribus ſociatam. *Theol. Profeſſor Altorffii.*

Iſto in munere cum præclarè admodum ſe geſſiſſet, nec doctrinâ tantùm, verùm pietate etiam cunctis profuiſſet, per maximæ gloriæ præconia ad ſuprema honoris Epiſcopalis ſedilia pervenit.

Etenim cum *Daniæ* Rex Potentiſſimus Virum quæreret, cui & Regia S. S. Theologiæ in Academiâ *Soranâ* Profeſſio & omnium Eccleſiarum *Dithmarſicarum* cura inſpectioque committeretur, dignus ille præ cœteris habitus fuit, qui ad tam arduum ac ſublime munus ſuſcipiendum honorificâ vocatione accerſeretur. In quo officio diligentiam viri teſtatam fecerunt, *Soræ.* præclara, quæ extant Theologica Scripta. Verumtamen odia quorundam devitare non potuit & offenſiones, variæque fortunæ aleam ſubiit, cum relictâ patriâ ampliſſimoque munere abdicato in fœderatum migravit *Belgium*, & Eccleſiæ *Hagenſis* Paſtorem *Lutheranum*, ſed reliquum temporis *Ultrajecti* privatus egit. Obiit enim ibi circa A. C. 1650. vel 1651. *Moritur.*

Opera ejus ſunt:

Scripta. *Syſtema Theologicum minus*, in 4to.

Hiſtoria Patriarcharum.

Theatrum Hiſtoricum Theoretico-Practicum, in quo IV. Monarchiæ novâ & artificioſâ methodo deſcribuntur.

Hiſtoria Alexandri M. ſeu Prodromus IV. Monarchiarum.

Typica totius Theologiæ delineatio, in fol.

Collegium Anti-Photinianum de notitiæ DEI naturalis exiſtentiâ ejusque uſu & efficaciâ.

De Normâ & Judice controverſiarum liber. in 4to.

De Adoratione CHRISTI ſecundùm utramque naturam.

Syſtema Logicum Theoretico-Practicum.

Syſtema Ethicum, & Politicum in III. libros diſtinctum.

Diſputationum Ethicarum Collegia III.

Metaphyſica.

Explicatio Pſalmi XLV. nuptiis Chriſtiani V. dicata.

Item Explicatio Pſalm. CXXVIII.

Opera MSS.

Biblia Latina gloſſata.

Syſtema Theologicum majus.

Theol. Practica ſive LL. Comm. practici.

Theologia Naturalis.

Chriſtologia ſacra.

Theatrum Pſalterii Theoretico-practicum.

Lexicon Theologicum.

Philologia ſacra.

Tractatus de formulis cautè & ſobriè loquendi in Theologicis.

Syſtema Hiſtoricum Theoretico-Practicum.

* *Ex Templo honoris reſerato Spizelii.*


GREGORIUS FRANCUS.


Obiit A.C. 1651.


IN *Miſniâ Tauchoviæ* 10. Dec. A. 1585. natus, Patrem habuit cognominem ibidem Eccleſiæ Paſtorem, poſteà Diaconum ad *S. Nicolaum Lipſiæ*, ubi ex hâc vitâ diſceſſit 16. Mart. A. 1592. relictâ præter hunc & alium filium *Rachele* filiâ, quæ poſteà nupſit M. *Johanni Proles, Hohenſtetti* in *Miſniâ* Eccleſiæ Paſtori. Mater ei fuit *Suſanna, Georgii Hofmanni*, Conſulis *Eilenberg.* filia.


Cum *Lipſiæ* ſtudiorum fundamenta poſuiſſet, ibi A. æt. 17. Baccalaureus, & A. æt. 19. Philoſ. Magiſter renuntiatus eſt. *Fit Magiſter Philoſ.* A. 1606. Peſte *Lipſiæ* graſſante, per *Thuringiam, Saxoniam & Pomeraniam* iter ſuſcipiens, *Berolini* ſubſtitit, ibique nobilium aliquot liberos informandos ſuſcepit.

A. 1608.



CHRISTIANUS MATTHIAS. Theol. Sorenſis.



PAULUS RÖBERUS. Superint. Gen. Saxon.



GOTHOFRED. CUNDISIUS. Theol. Prof. Jen.


CASPAR ERASM. BROCHMAND Theol. Haſniens.



IOHAN. PETRUS CAMUS Epiſcop. de Belley.


BALTHASAR BALDUIN. Superint. Ratisbon.



SAMUEL EDEL Theol. Ulmens.


IOHANNES WEBERUS Theol. Norib.


WOLFGANGUS MEYER. Theol. Baſil.



CHRISTOPHOR. SCHEIBLER. Superint. Dortmund.


IOHANNES MAIOR. Theol. Prof. Jen.


GEORGIUS SEILER. Theol. Mellingenſis


GEORGIUS KÖNIG. Theol. Prof. Altdorffinus.


THEODOR. ZWINGERUS. Theol. Baſileens.


CHRISTOPH SIGIS. DONAVER. Superint. Ratisbon.


IOACHIM LUTKEMANN. Super. Gen. Brunſvic.

A. 1608. *Wittenbergam* ſe conferens, ibi per ſeſquiannum Theologos *Leonhart. Hutterum* & *Jacobum Martini* publicè docentes audivit. *Præceptor Marchionum Brand.* Deindè *Berolinum* revocato Marchionum *Brandenburgenſium Johannis* & *Joh. Georgii* inſtitutio demandata fuit, quam tum *Berolini* tum *Onolsbaci* tantâ cum fidelitate peregit, ut M. Octob. A. 1611. cum Marchione *Joh. Georgio* fuerit in *Galliam* miſſus, quâ ratione non tantùm Linguam *Gall.* addidicit, ſed etiam ſtudia Mathematica *Lugduni*, *Genevæ* verò Theologica magis excoluit.

A. 1615. Cum tempore verno Dominum ſuum feliciter domum reduxiſſet, paulò pòſt M. Aug. *Francofurti* ad *Oderam* linguæ *Profeſſor Ling. Græcæ.* Græcæ Profeſſionem ſibi clementer concreditam auſpicatus eſt.

25. Sept. ſeq. Conjugio ſibi junxit *Margaretam Hohenzweigiam*, Viduam Dom. *Kiliani Pfeiferi*, Senatoris *Berolinenſis*, cum *Conjunctus matrimonio.* quâ in Conjugio felici, ſed ſine prole 32. annos tranſegit.

A. 1616. Primâ vice factus Academiæ Rector, 30. Junii A. 1617. per *D. Chriſtoph. Pelargum* Superintendentem Generalem tunc *Theologiæ Doctor & Prof. Francof.* Facultatis Theol. Decanum, Theol. Doctor creatus, 3. Jul. ejusdem Profeſſor factus, in Facultatem Theolog. receptus eſt.

Inſpector Scholæ Vallis Joach. A. 1633. Cum ipſi Inſpectio & Viſitatio Scholæ in *Valle Joachimicâ* fuiſſet demandata, in eo munere fidei & Confeſſioni *Reformatorum* addictus, per annos 16. fidelem ſe exhibuit. Sed viribus corporis ſenſim, ultimo præſertim anno vitæ, deficien*Moritur.*tibus placidè in CHRISTO obdormivit 2. Jan. A. C. 1651. æt. 67. 13. Jan. ſepultus, Concione funebri eum laudante *M. Martino Heinſio*, Eccleſ. Paſtore & Inſpectore *Francofurtenſi*.

* *Ex Conc. funebri.*

Obiit A. C. 1651.

PAULUS RÖBERUS.

Literis operam dat. Patrem habuit *Martinum*, civem *Wurzenatem*. Puer *Paulus* primæ pueritiæ annos ſub Præceptoribus tantâ alacritate compendifecit, ut non linguarum modò eruditionem, ſed Philoſophiæ etiam egregiam cognitionem fuerit conſecutus.

Deindè *Hallenſibus* cum operam ſuam addixiſſet, mox *Wurzenſes* civem ſuum expetebant, & permiſiſſet eorum ſe precibus, niſi Adminiſtrator Archi-Epiſcopatus *Eccleſiaſtes.* *Magdeburgici* eum retinuiſſet, ut Eccleſiaſten Aulæ ſuæ conſtitueret.

Has partes cum ſummâ fide X. integris adminiſtrâſſet annis, non ſolùm ab *Argentinenſibus* de ſuſcipiendo Paſtoratu Eccleſiæ *Theologiæ Profeſſor.* & primariâ Profeſſione Theologicâ eſt appellatus, ſed â Senatu *Hallenſi* quoque rogatus plurimùm, ut Superintendenti vivis digreſſo ſuccedere induceret animum, ſed nihil horum Princeps permiſerat, neque Illuſtriſſimo *Saxoniæ* Duci *Joh. Philippo* cum Generalem ſuis Eccleſiis Ephorum *Röberum* peteret, eam veniam dedit.

Tandem Sereniſſimi Electoris *Saxonici* vicit authoritas, illumque in illuſtrem *Wittenbergenſem* ſpeculam, *Balduini* morte tum vacuam, collocavit, ac ſimul cœterarum *Saxonici* circuli Eccleſiarum inſpectionem & curam ei demandavit, ubi, præter labores plurimos, exulum egenorumque quotidianas ſuſtinebat incurſationes, interpellationes item atque conſultationes per ſcripta & nuncios. Donec tandem A. 1651. vitam placidè cum morte commutavit. *Moritur.*

Wittebergæ in Templo Parochiali hoc ei Epitaphium eſt poſitum: *Ejus Epitaphium.*

PAULUS RÖBERUS, S.S. THEOL. DOCT. ET PROFESS. PUBL. NEC NON EJUSDEM FACULT. SENIOR, CONSISTORII ECCLESIASTICI ASSESSOR, PASTOR WITTENBERGENS. ECCLESIÆ, COETERARUMQUE IN TERRITORIO ELECTORALI SUPERINTENDENS GENERALIS.

HIC SITUS EST,

QUI PRO UBERRIMI INGENII CAPACITATE, PRÆTER DIVINARUM LITERARUM SCIENTIAM, ERUDITARUM LINGUARUM VARIETATEM NON MODO, SED OMN. PROPEMODUM LIBERALES ARTES COMPLEXUS ANIMO, POETÆ, MUSICI, MATHEMATICI, NEC NON HISTORICI PHILOSOPHIQUE LAUDES ÆQUAVERAT. NATUS EST WURCENÆ MISNIÆ OPPIDO AD D. VI. FEBRUARII ANNO C. M D LXXXVII. DECESSIT WITTEBERGÆ AD D. XVIII. MARTII AN. MDCLI, CUM VIXISSET A. LXIV. ECCLESIIS PRÆFUISSET XXXVII. IN ACADEMIA DOCUISSET XXIV. PUBLICE, PIETATE, MODESTIA, HUMANITATE, ET INNOCENTIA MAXIME CLARUS.

MARIA HAHNIA, ET TRES DE SENIS SUPERSTITES LIBERI MARITO PARENTIQUE OPTIMO, SANCTISSIMO, DESIDERATISSIMO CUM INFINITIS LACRIMIS P. C.

In Imaginem in Templo poſitam:

Qui legis hos vultus Tarſenſem concipe Paulum,
Cumque hoc divorum lumina cuncta Patrum:
Sic tibi RÖBERUS fidei ſuccurret imago,
Et pariter vitæ regula juſta piæ.

Sanctæ memoriæ benemerentiſſimi Præſulis F.
JOHANNES ERICUS OSTERMANNUS P.P.

* *Ex Academiâ Wittenbergenſi â Gotfrido Suevo J. C. editâ.*

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia: *Scripta.*

Pfingſtfeyerlich Hals-Geſchmeid und Glaubens-Kette.

Zwo Betrachtungen vom H. Abendmahl / ſamt beygefügten Bericht von Brüderlicher Liebe und Verſöhnlichkeit.

Ruhm deß H. Eheſtandes.

Ungleiche Hof-Farbe der Braut *CHRISTI*, und Satans dieſer Welt.

Leich-Predigten *Tomi III.*

Digitized by Google

XXX. Auserleſene Zeit-Predigten.

Sieben Adeliche Ehren-Seulen / welche die Maccabäer bey Lebzeiten ihnen ſelbſt geſetzet/und nachmals alle Ritter-Standsperſonen ihnen aufrichten ſollen.

Chriſtlicher Braut-Wagen/ auf welchen *CHRISTUS JESUS* den *Lazarum* und alle Auserwählten in den Himmliſchen Hochzeit-Saal einholen läſt.

Collegium Theologicum XXV. Diſputationibus comprehenſum.

Oratio de nonnullis pietatis impedimentis.

Conſideratio loci II. Maccab. XII. multorum Eccleſ. Rom. errorum firmamenti.

Diſputationes variæ.

Obiit A.C. 1651.

JOHANNES MICHAËLIUS.

NAtus eſt *Othiniæ* 1. Jan. A.C. 1578: Patre *Michaële Petri*, Matre *Catharinâ Johannis* f. Jactis in Scholâ Patriâ eruditionis fundamentis ad Acad. *Hafnienſem* A. 1601. miſſus, â Moderatore Scholæ *Johanne Petri Glamdorſio* civitatem Academicam impetravit, Decano Facultatis Philoſ. *D. Nicolao Kragio*, Rectore *D. Andreâ Chriſtiani*. *Civis Acad. Hafniæ.*

Sex menſibus *Hafniæ* exactis, propter ſævientem peſtem ad ſuos rediit. Totidem menſium intervallo *Fyoniæ* Epiſcopo M. *Jacobo Matthiæ Vellejo* ad manum Scribæ loco fuit.

A. 1602. Nobilis *Ivari Bryske* ſtudiis & peregrinationibus præfectus, anno ſeq. iter cum eo ad exteras nationes ingreſſus eſt. In *Germaniâ Argentorati* & *Marpurgi* biennium, *Baſileæ* & *Genevæ* annum, in *Galliâ Lugduni*, *Aureliæ*, *Salmurii*, *Andegavi*, *Lutetiæ* biennium conſumpſit.

Rector Scholæ Ottinianæ. *Philoſ. Magiſter.* A. 1608. Relictis *Pariſiis* in patriam cum Nobili ſuo reverſus, Succeſſor M. *Canuto Bieſchio*, Scholæ *Ottinianæ* Rectori, ad Profeſſionem in Academiâ *Hafnienſi* vocato datus eſt: eodemque anno Phil. Magiſter â Decano M. *Joh. Eraſmio* renuntiatus eſt.

A. 1614. Poſtquàm ſe Rectoratu abdicaverat, cum nob. *Canuto Rud* in prædio *Lundegaard* annum tranſegit.

Paſtor Eccleſ. Aſnenſis. A. 1615. Paſtor Eccleſiæ *Aſnenſis* conſecratus, & vicinar. Præpoſitus conſtitutus eſt. Eodem anno *Hafniam* vocatus eſt, ut in Academiâ Latinæ Linguæ Profeſſionem & ſimul Eccleſiaſticæ munus in Arce Regiâ ſuſciperet. *Hafniæ Ling. Lat. Profeſſor.*

Doctor Theol. A. 1616. Cum 18. Febr. Jusjurandum Concionatoris Regii juraſſet, 27. April. Doctoris Theol. titulo decoratus eſt â *D. Johanne Reſenio*. Mox M. *Johanni Canutio* in Epiſcopatu *Fyonienſi* Succeſſor datus, & *Othiniæ* ab Epiſcopo *Ripenſi* M. *Ivaro Hemmetæo* inauguratus eſt. In hoc Epiſcopali munere 408. Paſtores Eccleſiar. Sacris initiavit. *Epiſcopus Fyon.*

In Coronatione Reg. Frid. III. adjutor fuit. A. 1648. Cum Rex *Fridericus III.* Coronam Regni in Templo *D. Virginis Hafniæ* acciperet, *D. Caſp. Brockmanno* Ordinatori adjutor cum *D. Vinſtrupio* datus eſt.

Conjugium ejus. Uxorem duxit A. 1617. Virginem *Catharinam, Henrici f. Hamburgi* natam, quam ſibi vitæ ſociam delegerat cum Scholæ *Ottinianæ* Rector Nob. Virginem *Chriſtinam Munk Gallicam* & *Germanicam* Linguam doceret.

Tres filii Magiſtri. Ex eâ tres ſuſcepit filios, qui Magiſtri Philoſ. fuerunt, *Ludovicum* Con-Rectorem Scholæ *Ottinianæ*, *Michaëlem* & *Henricum* Paſtores Eccleſiarum.

A. 1651. Cum die 24. Martii poſt ſumtam domi cœnam aſſueto cubili ſe integris viribus compoſuiſſet, mortuus ſummo manè diei ſeq. â conjuge in propinquo lecto recubante repertus eſt, anno ætatis 74. *Mortuus lecto repertus.*

Sepultus eſt in æde *D. Canuti Othinienſis*, cum hoc Epitaphio:

Crux tua, CHRISTE, tulit nobis ſolatia vitæ,
Horrendæ mortis vicit & aculeum.
Magni hæc judicii vibrantia fulmina tollet,
Et tandem in cœlis ſumma ſalutis erit.

Epitaphium.

D. O. M. S.
ÆTERNÆ MEMORIÆ AC MERITIS DN.
D. JOHANNIS MICHAËLII DIOECESIS FIONENSIS PER ANNOS XXXIV. EPISCOPI RELIGIOSISS. HOC MONUMENTUM UXOR ET LIBERI MOESTISS. POSUERUNT ANNO M DC LIV.

Scripta:

Scripta. *Examen Philippi in uſum Scholæ Othinianæ brevibus tabellis comprehenſum.*

Bini Sermones Adiaphoriſtici.

Conciones funebres Ling. Danicâ.

* *Ex Academiâ Hafnienſi Eraſmi Vindingii.*

Obiit A.C. 1651.

STATIUS FABRITIUS.

NAtus in Comitatu *Hojenſi*, Ducibus *Brunſvicenſibus* ſubjecto, in Civitate *Depenaviâ* A.C. 1591. Patrem habuit *Chriſtianum Fabritium*, Conſulem, Matrem *Mariam Weiben*, *Radenâ Mindanæ* Diœceſeos urbe prognatam.

Horum parentum curâ factum, ut ſtatim in tenero flore pueritiæ in Scholam patriam, & cum adoleviſſet *Peinam* primum, mox *Mindam*, & *Cellas* tandem *Luneburgorum* miſſus literis hauriendis traderetur. *Peinæ, Mindæ, & Cellis diſcipulus.* Quibus in locis cum ita profeciſſet, ut egregiam ſcientiam Latinam pariter & Græcam ſibi comparâſſet, ſuaſu Præceptorum A. 1612. venit in Academiam *Juliam*, in quâ per biennium ſubſtitit, ſtudiis maximè Philoſophicis deditus. *Philoſ. ſtud. Helmſtadii.*

Jenam poſteâ A. 1614. conceſſit, datus *Johanni Daſſelio*, Rectori morum & diſciplinæ.

In hoc celebri loco triennium cum exegiſſet, *Coloniam Agrippinam* adiit, ibique explorandis Pontificiorum caſtris annum inſumpſit. *Coloniæ.* Indè *Gieſſam* quoque profectus, cum per annum ibi detentus eſſet, ardor eum inceſſit, plures Academias viſendi. *Gieſſæ.* Itaque & *Marpurgum*, & *Argentoratum*, & *Baſiléa*, Academiæ florentiſſimæ luſtratæ, & celeberrima quoque ſuperioris *Germaniæ* loca viſa ipſi peragrataque ſunt: quorum itine-

Digitized by Google

itinerum occaſione Linguarum exoticar. *Italicæ* cumprimis & *Gallicæ* cognitionem ſibi comparavit. *Belgium* quoque totum vidit, & ſibi cognitum reddidit.

Concionator aulicus & Conſiliar. Eccleſiaſt. Com. Delmhorſt.

A. 1619. 15. Junii à generoſo Dom. *Antonio*, Comite *Delmenhorſtano*, evocatus in aulam, munus accepit Eccleſiaſtis aulici, & in Sacro Senatu Conſiliarii, mox *Gieſſæ* 26. Julii à Dom. *D. Johanne Winckelmanno* haud obſcuri nominis Theologo ſolenni ritu S. Miniſterio inauguratus. A. deindè 1621. in Academiâ *Rintbelienſi* titulos Doctorales ſuo merito occupavit. Sequenti anno, die, qui tum *D. Johanni Baptiſtæ* in faſtis ſacer erat, matrimonio ſibi conjunxit Virginem *Annam*, Nobiliſſ. & Ampliſſ. Viri *Ludolphi Riemſchneideri*, Conſiliarii *Oldenburgici*, filiam: ex quo conjugio exoptato liberos ſex, maſculos binos, & filias quatuor, omnes ſibi ſuperſtites ſuſcepit.

Theol. Doctor Rintbelii.

Uxorem duxit.

Supremus Miniſterii Inſpector in Comitatu Delmenhorſt.

A. 1631. Celſiſſimus Princeps Dom. *Auguſtus*, Dux *Brunſvic.* & *Luneburg.* conſtitutus eo tempore tutor Comitis *Antonii Delmenhorſtani*, fato ſuo defuncti, relictæ ſobolis, ſupremum eum Miniſterii per totum Comitatum *Delmenhorſtanum* Inſpectorem juſſit eſſe.

Generalis Superint. Brunſvic. Theologiæ Profeſſor Helmſtad.

Has partes cum optimâ fide gereret, laudatus ille patriæ Pater *Auguſtus Helmſtadium* eum, ad capeſſendum Generalis Superintendentis officium, iteratâ clementiâ accerſivit, & Profeſſoris Theologi honoratas vices, ceu Magnificentiſſimus Academiæ ſuæ tum temporis Director, ſimul ei demandavit: quibus omnibus ita ille defunctus eſt, ut nihil fidelitatis & induſtriæ, quantum in ipſo erat, fecerit reliquum, pietatis inſuper & probitatis, quam ſubindè commendabat ſuis, vulgò exemplum fuerit.

Abbas Amelunxbornenſis.

Et cum ſenio ingruente laboribus gravius urgeretur, ut parte oneris levaretur A. 1648. conſtitutus eſt Abbas *Amelunxbornenſis*, qui locus juxta majorem dignitatem minus laborum ſecum trahebat.

Inſpector generalis Halberſtad.

Proximo indè anno 1649. à Sereniſſ. Electore *Brandenburgico* cura S. Conſiſtorii & Inſpectio generalis Eccleſiarum & Scholarum in vicino Principatu *Halberſtadenſi* clementer ipſi eſt collata, cum jam corporis vires atteri magis inciperent.

Moritur.

Itaque progreſſu temporis corpus ejus totum cachecticum redditum eſt, ut non una vis morbi ei incubuerit: ac ſunt quidem conſulti Medici, & adhibita pharmaca, ſed non alio eventu, quàm ut mora ſaltem fati eſſent, non verò remedium. Cumque animadverteret horam ſibi inſtare noviſſimam, plenus fide mortem exſpectavit, quæ placida ſuſtulit eum 27. Maji A. C. 1651. ætatis 60.

* *Ex Programm. fun. Pro-Rectoris Academiæ Juliæ.*

Obiit A. C. 1651.

GOTHOFREDUS CUNDISIUS.

NAtus eſt A. C. 1599. d. 11. Sept. *Radebergæ*, *Miſniæ* oppido, Patre Viro Reverendo M. *Matthæo Cundiſio* id temporis Eccleſiæ ibidem Paſtore: Matre *Mariâ*, *Melchioris Wildgrubii*, civis *Ortrantienſis* filiâ.

Cum Parens A. 1608. *Pirnam* ad Superintendentis munus vocatus concederet, in iſtius loci Scholâ felices in primis bonæ literaturæ rudimentis progreſſus fecit, quos in Gymnaſio *Miſnenſi* per triennium adauxit.

Philoſ. Magiſter Lipſiæ.

Miſſus indè *Lipſiam* A. 1618. ſtudia Philoſophica & Philologica tam fervidè tractavit, ut A. 1622. Magiſterii Philoſophici Lauream cum laude reportârit.

Exindè Theologiæ ſacræ ſe mancipans, *D. Polycarpum Lyſerum*, & *D. Henricum Höpfnerum* publicè privatimque docentes audivit. A. 1627. In Academiâ *Wittenbergenſi* pari ſtudio Profeſſorum inibi Theologorum *D. Jacobi Martini*, *D. Pauli Röberi*, & *D. Wilhelmi Lyſeri* Prælectionibus & Diſputationibus attentam aurium operam dedit.

A. 1628. In numerum Adjunctorum ſive Aſſeſſorum Facultatis Philoſophicæ *Wittenbergæ* adſcriptus, ſuarum quæ fuerunt partium, graviter eſt exſecutus. Primam ad Miniſterii Eccleſiaſtici munia viam annus 1629, quo *Geringswaldæ* Paſtor fuit conſtitutus, ipſi aperuit.

Superint. Leiſnit. Theol. Doctor Witt.

A. 1632. *Leiſnicium* ad Superintendentis munus vocatus ſeceſſit, & A. 1634. Honores in Theologiâ Doctorales *Wittenbergæ* impetravit. *Leiſnitio* A. 1635. *Oſſitium*, & indè A. 1638. *Martisburgum* ad Superintendentis ſpartam vocatus fuit.

Superint. Martisburg. Theol Profeſſor Jen.

A. 1643. In Academiam *Jenenſem* ad Profeſſoriam functionem accerſitus venit. In eâ Rectoratûs Academici officio binâ, Decanatûs ſuâ in Facultate quaternâ, Promotoris autem in actibus Doctoralibus binâ functus eſt vice.

Conjugium ejus duplex.

Leiſnitii cum degeret, Viri Reverendi D. *Johannis Schreiteri*, S. Theol. Doctoris & Superattendentis *Wurtzenſis* filiam Virginem *Mariam* A. 1632. in matrimonium accepit: quæ cum tertiâ poſt nuptias ſeptimanâ obiiſſet, ad ſecunda vota tranſiens Dn. *Pauli Frobergeri*, Prætoris *Lipſienſis* & Advocati filiam, virginem *Eliſabetham* A. 1635. ritu Chriſtiano copulandam ſibi curavit. Hæc mater facta duorum filiorum & filiarum ſeptem, anno conjugii 15. rebus humanis ultimum vale dixit: quam brevi ſubſecutus ipſe tempore, cum 25. Julii in Templo oppidano ex *Joël. cap. 3. v. 17.* concionatus eſſet, ſub ipſâ Concione apoplexiâ ictus horâ poſtmodùm undecimâ ſpiritum emiſit A. C. 1651. æt. 52.

Obiit apoplexiâ.

* *Ex Concione fun. D. Johannis Muſæi, Theol. Prof. Jen.*

Libros edidit:

Scripta.

Abdiam enucleatum, das iſt / den Propheten Obadiam in 10. Predigten erklärt.

Meletemata Nahumica, den Propheten Nahum in 19. Predigten erklärt.

HIE-

Digitized by Google

Obiit A. C. 1651.

HIERONYMUS PRÆTORIUS.

HAmburgo-Saxo natus eſt 8. Octob. A. C. 1599. Patre *Hieronymo Prætorio*, ad *D. Petri* Muſico Organico, Matre verò *Eliſabethâ Stockmanniâ*. In *Albanâ*, quæ *Wittenbergæ*, Philoſ. Magiſter A. 1618. in autumno creatus: in *Salanâ* verò, quæ *Jenæ*, profeſſus jam Philoſophiam Practicam A. 1626, jam Phyſicam A. 1631.

Philoſ. Profeſſor Jen.

Primus Concionator Luth. Herbipoli. *Concionator Hornſtein.* *Superint. Siluſii & Schmalcaldiæ.* *Moritur.*

Herbipoli primùm *Lutheranæ* Religionis Eccleſiaſten egit *Vinariæ* ordinatus 26. Sept. A. 1633. Indè redux in aulâ *Wilhelmi IV.* Ducis *Saxoniæ*, *Hornſteinenſi* antiquitùs dictâ, circa A. 1635. Concionator: poſteà A. 1637. *Siluſii* Superintendens, & tandem A. 1642. *Schmalcaldiæ* Ephorus fuit conſtitutus. Ibidem vitæ hujus pauſam fecit M. Dec. A. C. 1651. ætatis 51.

* *Ex Nomenclat. Profeſſor. Jen. M. Adriani Beyeri*, qui hoc adſcripſit Epigramma:

In Jenâ Sophien tractas, Hieronyme Prætor,
Herbipoli primus dogmata pura ſeris.
Oenogareque tuo, Schleuſingaque pendet ab ore:
Nunc Schmalcaldiaci dicere Myſta ſoli.

Lapidi ejus ſepulchrali duo hæc inſcripta leguntur diſticha:

Epitaphium.

Oſſa ſub hoc Saxo Prætori condita magni
Judicis expectant jura benigna DEI.
Cunas Hamburg magna dedit, Schmalcaldia ad aram
Buſtum; ſed titulum Leucoris almâ σοφῷ.

Edidit:

Scripta.

Theatrum Ethicum & Politicum.

Diſputationes in Gymnaſio Schleuſingenſi habitas ſuper Auguſtanam Confeſſionem.

Obiit A. C. 1652.

CASPAR ERASMI BROCHMAND.

NAtus eſt *Coagii* 5. Aug. A. C. 1585. Patre *Eraſmo Severini*, Conſule *Coagienſi*, Matre *Botillâ Jacobeâ*. Domi operâ Parentum piè inſtitutus anno ætatis 5. curæ Rectoris Patriæ urbis M. *Nicolai Matthiæ* commiſſus, pietati ac bonis literis, quantum ferebat pueritia, ſedulus operam dedit ad annum usque CHRISTI 1598: quo viſum fuit Parentibus eum â Scholâ Patriâ ad *Herloſsholmienſem* transferre, quam usque ad A. 1601. Rectore *Johanne Alano*, poſteà in Acad. *Hafnienſi* Linguæ Græcæ Profeſſore, frequentavit.

Diſcipulus in Scholâ Herloſsholmienſi.

Quia verò ingenium ejus pariter ac induſtria probabatur Scholæ Rectori, placuit eum Academicâ Civitate â Rectore Magnifico *D. Johanne Reſenio* donatum, in ſocium laborum aſſumere: quibus etiam docendi in Scholâ partibus biennium defunctus eſt.

Cum verò Mater vidua ex uſu ejus fore intelligeret, ut non tam aliis erudiendis vacaret, quàm ut ipſe ſibi de aliis, qui ipſum erudirent, proſpiceret, hortatu amicorum A. 1603. *Lugdunum Batavorum* ivit: ubi poſtquàm triennium Linguis & Philoſophiæ impendiſſet, Academiam *Lugdunenſem* cum *Franequeranâ Friſiorum* commutavit, indeque eâ biennium propè exegit, & Logicam, Metaphyſicam, Phyſicam, Ethicam alios docuit, Theſibus non paucis in Collegio habitis publicâ luce donatis.

Studioſus Lugduni Batav. Franequeræ.

Redux in Patriam A. 1608. ſummis Philoſophicæ Facultatis honoribus â Decano M. *Ivaro Stubæo* ornatus eſt die 17. Martii. Mox vocatus eſt ad Rectoratum Scholæ *Herloſsholmienſis*, Præſide Dom. *Arnoldo Hultfeldio*, Regni *Daniæ* Cancellario. Cui officio cum biennium præfuiſſet, placuit DEO evocare eum *Hafniam* A. 1610. ad infimam in Academiâ Profeſſionem.

Philoſ. Magiſter Hafniæ. *Rector Scholæ Herloſsholm.* *Profeſſor infimus Hafniæ.*

Mortuo verò M. *Canuto Bieſchio* â Latinæ Linguæ Profeſſione ad Græcam evehitur A. 1613. Hanc Profeſſionem biennio propè ubi ornâſſet, & intereâ deſignatus Facult. Philoſophicæ Decanus A. 1614. Magiſtros decem creâſſet, ex hâc vitâ migrat *D. Petrus Vinſtrupius*, *Sedlandiæ* Epiſcopus, cui cum ſufficeretur *D. Johannes Pauli Reſenius*, ad Cathedram Theologicam, licèt invitus, â Rege & Academiâ vocatur A. 1615. d. 30. Aug. 7. Dec. ſeq. Doctor Theol. publicè ab ejus Facult. Decano *D. Johanne Pauli Reſenio* in Templo Academico creatus eſt.

Græcæ linguæ. *Theol. Profeſſor.* *Theol. Doctor.*

Seq. anno 1616, præter ſpem, arbitratu Auguſtiſſ. Regis *Chriſtiani IV.* pueritiæ admovetur Principis Regii *Chriſtiani*, eamque fovere & regere jubetur præceptis pietatis & literarum: quam operam cum quadriennio approbâſſet, gratioſè dimiſſus ad ſpartam Academicam exornandam lætus rediit.

Chriſtiani Principis Daniæ Præceptor.

Hoc munere cum alacri induſtriâ 23. annis perfungeretur, & jam ſummum in Academiâ Magiſtratum ann. 1623. 1629. & 1635. geſſiſſet, evocatur ex hâc vitâ *D. Johannes Pauli Reſenius*, in cujus vacuam ſedem Epiſcopalem â Regiæ voluntatis interprete Dom. Cancellario *Chriſtiano Friſio de Kragerup*, Ordinis literati Patrono, ſuccedere jubetur, & Sacro illi muneri 17. Martii A. 1639. â *D. Petro Vinſtrupio*, Epiſcopo *Lundenſi* in Æde *D. Virginis* initiatur.

Epiſcopus Sedlandiæ.

Ad Conjugium tranſiit A. 1611. ductâ Virgine *Siliâ Antonii* F. præclaris Parentibus *Alburgi* oriundâ, quæ jam 13. annos in domo illuſtris Cancellarii *Chriſtiani Friſii de Borreby* fuerat. Felix verò fuit Conjugium ternâ prole, filiis ſcilicet duobus, & filiâ unâ, quarum media & ultima in ipſo vitæ limine extinctæ ſunt. Filius autem natu maximus lætæ ſpei juvenis, quam Patri profectu literarum fecerat, poſtquàm Regia clementia ſpem ei præbuiſſet obtinendæ in Academiâ *Hafnienſi* Linguæ Latinæ Profeſſionis, etiam ex Acad. *Leydenſi* in *Angliam* tranſiviſſet, placuit DEO eum, qui donaverat, repoſcere A. 1638. æt. 23.

Conjugem duxit.

Epiſcopatûs ſui tempore XI. Venerabiles Patres Eccleſiarum Epiſcopatibus in Templo Academico ſolenniter ſacravit: ibidemque Sacerdotum Collegio 274. Animas inaugu-

Epiſc. XI. & Eccl. Paſtores 274. creavit.

Digitized by Google

inauguravit, vix uno aut altero poſteà exaugurato, tametſi rigidus ſacrorum & vitæ exactor ſemper eſſet.

A. 1636. M. *Joh. Burkardum* Epiſcopum *Ripenſem*, M. *Johannem I. Reſenium* Theol. Profeſſorem, M. *Petrum Vinſtrupium* Concionatorem Aulicum, M. *Nicolaum Pauli Scandorfium*, & M. *Laurentium Martini Scavenium* Theologiæ Profeſſores. Anno 1646. Dom. *Ericum Monradum* Epiſcopum *Ripenſem*, M. *Johannem Schœningium* Profeſſorem *Hafn.* Dn. *Georg. Vitslebium* Theol. Prof. *Sorenſem* Theologiæ Doctores renuntiavit. Auxit gloriam felicitas ea, quod Divinâ Viri facundiâ Animæ Regnatrices laudatæ ſint *Udalrici* Regis *Friderici II.* filii, & *Udalrici* Regis *Chriſtiani IV.* filii, deindè Principis *Chriſtiani* Regis *Chriſtiani IV.* filii, & tandem ipſius Regis Auguſti *Chriſtiani IV.*

Illa verò dies lætiſsima omnium, quas totâ vitâ viderat, ac gemino gaudio felix ipſi fuit, quâ Regni Diadema A.C. 1648 Auguſto Regi *Friderico III.* & Reginæ *Sophiæ Amaliæ* impoſuit. Hoc opere edito maturè memor incertorum hujus vitæ Teſtamentum ſuum fecit, in quo inter alia Bibliothecam ſuam, quam habuit ex hiſce perituris jucundiſsimam poſſeſſionem Acad. *Hafnienſi* legavit. In eodem Teſtamento Scholaſticis multis pauperibus de victu ſingulis annis proſpexit: & 7000. Imperiales thaleros in Noſocomium *Varlovienſe* contulit pauperibus 14. ſenio & valetudine confectis alendis.

Bibliothecam ſuam Academiæ Hafnienſi legavit.

Pauperibus 7000. thaleros.

Benignitatem hanc Uxor ſuperſtes auxit, legatis 500. thaleris Imp. Sub-Bibliothecario Academico, & 1000. ejusdem monetæ Viduis Profeſſorum egentibus: & totidem Scholæ triviali *Hafnienſi*.

A. 1651. Valetudo ejus indies graveſcere cœpit, calculo ſæpiùs, ſine dolore tamen, ſtomachi languore, & ſcorbuto afflictus fuit: donec placido ſopore ſolutus, compreſsis prius propriâ dextrâ ſuis oculis, obdormivit, ſecundâ feriarum Paſchalium A.C. 1652. ætatis 66. completo.

Moritur.

Funus â Rectore Academiæ *D. Johanne Müllero* publico Programmate indictum. Oratione Latinâ ei in Auditorio Academico parentavit Fratris filius M. *Eraſmus Envaldi Brockmannus* Eloquentiæ P.P. Corpus illatum ſepulcro, quod vivus ſibi fieri juſſerat in Templo *D. Virginis*, ubi ejus viſitur Epitaphium hanc habens inſcriptionem:

Epitaphium.

C. E. B.

ΕΝΟΣ ΧΡΕΙΑ. LUC. X. v. XLI. SUFFICIT MIHI GRATIA TUA DOMINE.

II. CORINTH. XII. v. IX.

CASPARUS ERASMI BROCHMAND, SÆDLANDIÆ EPISCOPUS, IN REGIA ACADEMIA HAUNIENSI FACULTATIS THEOLOGICÆ SENIOR AC DECANUS. ET SILLIA BALKENBURGIA CONJUX, SIBI ET TRIBUS LIBERIS PIE DEFUNCTIS VIVI POSUERE ANNO CHRISTI M DC XLVII. ILLE VITAM BEATUS FINIIT A. MDCLII. ÆTATIS SUÆ LXVII. HÆC AUTEM PIE OBIIT A. MDCLXI. ANNOS NATA LXXX. APOCAL. XXII. VENI DOMINE JESU, VENI CITO.

Lapidi ſepulcrali hæc ſunt inſcripta:

MONUMENTUM:

Monumentum.

DEO OPT. MAX. ET ÆTERNÆ MEMORIÆ D. CASPARI ERASMI BROCHMAND, ROESKILDENSIS ET LUNDENSIS CANONICI: QUI POSTQUAM LITERAS ROMANAS AC GRÆCAS AN. V. S.S. THEOLOGIAM XXIII. IV. ACAD. HAUNIENS. INCOMPARABILI INGENIO, FIDE, FACUNDIA DOCUISSET; SED ET MEDIO TEMPORIS IN S. PALATIUM EXCITUS C V ADOLESCENTIAM SAPIENTIÆ PRÆCEPTIS INSTITUISSET, ANNO M DC XXXIX. IX. JANUAR. INVITUS AD AN. XIV. S. THEOL. FACULT. DECANATUM ET SÆDLANDIÆ EPISCOPATUM EVECTUS EST: IN QUO DUM STRENUE, SOLLICITE, PROVIDENTER, ACADEMIÆ, ECCLESIÆ, SCHOLIS, PAUPERIBUS, SECULO, POSTERIS, ET COPIOSE ET UNDIQUE CONSULIT, CONTRA VOTA BONORUM OMNIUM, ET VERISSIMIS LACRYMIS AN. ÆT. LXVII. CONJUG. XLI. SAL. PUBL. M DC LII. PASCHALIUM FERIARUM SECUNDA, O MISERIAM! ORIENTE SOLE OCCIDENS HIC CUM INFANTIBUS GEMINIS, ET NATU MAXU. XXII. ANN. CHRISTIANO CASP. B. IN IPSA HAC ACADEMIA PROF. ELOQUENT. DESTINATO PLACIDISSIME QUIESCENS, SOLAM CONCORDISSIMÆ OPT. UXORIS CONJUNCTIONEM DESIDERAT, UT MOX ET CUM EA, ET CUM ILLIS EX HOC LOCO RESURGAT. ID BREVI FUTURUM EST. INCOMPAR. MARITO, DULCISS. FRATRI, INDULGENTISSIMO PATRUO, PIE OPT. MER. UXOR, FRATER, PATRUELES, HEU INFELICES! UNANIMES POSUERUNT. IN EODEM HOC SITA EST MARITA DESIDERATA VERE OPTIMA SILLIA BALKENBURGIA DEF. A. ÆT. LXXX. SAL. PUBL. M DC LXI.

CAVE, QUISQUIS SIES, NE UNQUAM DEHINC SEPULCRUM APERIAS, INQUIETES: NAM TALI SEMEL SURGERE DEMTUM EST.

CONQUIESCANT PACE. DEUS VINDEX.

Scripta ejus ſunt ſequentia:

Scripta.

Diſputationes Philoſophicæ.

Propoſitiones Miſcellæ Philologicæ & Philoſ.

Diſputationes de præcipuis Chriſtianæ Religionis capitibus privatim habitæ.

Vera de Hæreſi doctrina Verbo DEI aſſerta. Havn. 1636. in 4to.

Commentar. in Epiſtol. Jacobi. Havn. 1641. in 4to.

Syſtema univerſæ Theologiæ Didacticæ, Polemicæ & Moralis. Hafn. 1633. in 4to. Lipſ. 1638. Ulmæ 1638. & anno 1658. in fol.

Digitized by Google

Speciminis Scriptorum Eccleſiaſticorum Exercitationes. Haſn. 1633.
Sabbati Sanctificatio. in 8vo. 1636. Haſn.
De Pontifice Rom. Lib. V. 1628. Haſn.
De Paſſione & Morte CHRISTI. Haſn. 1639. in 12mo.
Manus DOMINI, ſeu Inſtitutio pia è Verbo Divino de Peſte. Haſn. 1625.
Orationes funebres in Obitûs Regum & Reginar. Daniæ Chriſtiani IV. &c.
Conciones in publicis Supplicationibus proponendæ, & Funebres.
Coronatio Regis Friderici III. Ling. Dan.
De Religione Pontificiâ Tract. Dan.
Λύχνος λόγου προφητικοῦ oppoſitus ſpeculo veritatis Pontificiæ Chriſtiani Wilhelmi Marchi. Brand. 1634. in 4to.
Diſputationes Theolog. plurimæ, de Articulis Fidei. Danicè.
Apologiæ Speculi Veritatis Brandenburgici Confutatio.
Syſtematis Theologici Epitome, in 8. 1649.
Chriſtiani hominis ſpirituale certamen. Haſn. 1627.
Adhortatio ad Reſipiſcentiam. Haſn. 1644. in 8vo.
Oratio pro Pace præter ſpem mirabiliter reſtitutâ.
Oratio in obitum D. Caſp. Bartolini.

* *Ex Acad. Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

JOH. PETRUS CAMUS.

Obiit A.C. 1652.

EPiſcopus & Dominus *de Belley*, Princeps S. Imperii, Abbas *d'Aunay* in *Normandiâ*, Regis *Galliæ* Conſiliarius, conſecrationem accepit â devoto *Franciſco Saleſio*, Epiſcopo & Principe *Genevenſi* A. C. 1609. Ab Epiſcopatu ſuo deceſſit in favorem *Johannis de Paſſelaigne* A. 1629. Concionator inſignis vitam ſuam virtutibus Chriſtianis exornavit, & licèt â Rege ſuo Epiſcopatum *Atrebatenſem* dono accepiſſet, maluit *Pariſiis* in xenodochio incurabilium pauperibus opem ferre, in quo humili exercitio vitam finiit 26. April. A. C. 1652. Sine cæremoniis terræ mandari voluit.

Conſiliar. Reg. Gall. Epiſcopus conſecrat. à Franc. Saleſio. Epiſcopatu deceſſit. Pauperum miniſter.

Hæc ſubſcripta leguntur *Gallicè* ſub ejus icone æri inciſâ *Pariſiis.*

Edidit Linguâ *Gallicâ*:

Scripta.

Devoirs du bon Paroiſſien.
Directeur ſpirituel des Intereſſés.
De la Primauté & Principauté de S. Pierre.
Examen des Lettres d'Agathon.
Sur la Beatitude, ou Diverſités &c.
Reflexion ſur S. Auguſtin de l'ouvrage des Moines.

BALTHASAR BALDUINUS.

Obiit A.C. 1652.

DResdæ in *Miſniâ* natus 5. Febr. A.C. 1605. Patrem habuit *Fridericum Balduinum*, Theol. D. Superintendentem & Profeſſorem *Wittenbergæ*, Matrem *Dorotheam*, M. *Balthaſ. Meiſneri*, Concionatoris *Dresdenſis* filiam.

Parentes ejus.

Cum in Scholâ patriâ literarum fundamenta jeciſſet, ad Lectiones publicas promotus, eos fecit profectûs, ut A. 1622. ætatis 17. Magiſterii gradu decoratus, inter 35. Candidatos quintum locum habuerit.

Philoſ. Magiſter.

In Academiam deindè *Jenenſem* â Patre miſſus, Theologiæ cœpit operam dare: cum verò Patrem A. 1625. amiſiſſet, in patriam reverſus, Collegiis privatis & publicis ſe ſuſtentavit uſque ad A. 1630, quo vocatus ab Electore *Sax.* Eccleſiæ *Döbelenſis* Miniſterium aggreſſus eſt, ſed non multò pòſt ingruente tumultu bellico exſpoliatus, & indè cum conjuge liberiſque aufugere coactus eſt.

Paſtor Dobelenſ.

Vocatus deindè *Chemnitium*, biennio ibi Paſtoris munus geſſit, ab A. 1636. ad 1638. quo *Cycnæam* veniens, Superintendens ibi per decennium fuit.

Paſtor Chemnizenſis. Superintendens Cycnææ

A. 1648. *Ratisbonam* â Senatu vocatus cum familiâ venit, & Superintendentis, Conſiſtorii Eccleſiaſt. Aſſeſſoris ac Scholarchæ muneribus ad finem vitæ fideliter perfunctus eſt. Intereà A. 1638. 28. Aug. in patriâ S. Theol. Doctor creatus & proclamatus eſt.

Superintendens, Conſiſt. Aſſeſſor, & Scholarcha Ratisbonæ. Theol. Doctor.

A. 1629. Conjugio junctus eſt cum virgine *Clarâ Sophiâ D. Philippi Galli* Concionatoris *Magdeburgi* primarii relictâ filiâ, ex quâ filios reliquit, *Fridericum Philippum*, A. 1630. natum, & poſteà Philoſ. Magiſtrum creatum, *Chriſtianum Adolphum* anno 1632. natum, *Theophilum* A. 1640. *Cycneæ* natum, & *Joh. Balthaſarem* ibidem A. 1643. mundum ingreſſum: filias verò reliquit ſuperſtites *Dorotheam Sophiam, Claram Renatam, & Philippinam Roſinam.*

Conjugium ejus & Liberi.

A multis tandem annis melancholiâ hypochondriacâ cum doloribus podagricis aliiſque morbis conſumptus, placidè obdormivit *Ratisbonæ* 29. Apr. A.C. 1652. ætatis 48.

Obitus ejus.

* *Ex Concione fun. Chriſtoph. Sigismundi Donaueri.*

Libros edidit:

Scripta.

Papam & Papatum proprio gladio jugulatum, hoc eſt, *Paparum eorumque domeſticorum principia, effata ac teſtimonia, quibus Religio Lutherana aſſeritur.* in 8vo.
Catholiſche Antwort auf die ketzeriſche Frag der Jeſuwider: Wo die wahre Religion und Kirch vor *Lutheri* Zeiten geweſen ſey? in 12mo.
Eines ſeeligen Menſchen dreyfache Kriegs-Wiſſenſchafft im *XI.* Pſalm vom König David abgemahlet/ erklärt in *VI.* Predigten. in 8vo.
Regenſpurgiſche Friedens-Freude. in 4.
Regenſpurgiſchen Haus- Schul- und Kirchen-Schatz. in 12mo.

PHILIPPUS WEBERUS.

Obiit A.C. 1652.

AUguſtæ *Vindelicor.* natus eſt 23. Julii anno huic Urbi calamitoſo 1588. Patre

tre cognomine fabro ſerario, Matre *Annâ Ottiâ*. A. 1599. Puer diſcendi cupidus â patre deductus in Scholam Latinam ad *S. Annam*, mox â Dom. *Davide Höſchelio*, tertiæ Claſſi addictus, A. 1601. ad Lectiones publicas pervenit, & præter *Höſchelium* publicè profitentem audivit *Georg. Heniſchium*, Med. Doctorem, nec non Dialecticæ & Mathematum Profeſſorem.

Theol. ſtud. Witt. A. 1608. A Dom. Scholarchis in Univerſitatem *Wittenberg*. ablegatus, convictum habuit apud Theologum celebrem *D. Leonhartum Hutterum*, & brevi pòſt concionando ſeſe exercuit, in pagis primùm vicinis, deindè in oppidulo *Kembergi*, & ultimâ tandem vice in Templo Arcis, quo *D. Lutherus* ſepultus jacet.

Philoſ. Magiſter Witt. A. 1610. Promotore M. *Henrico Velſtenio* cum 53. Candidatis Philoſ. Magiſter ſolenniter creatus eſt.

Eccleſ. Miniſter Lichtenaviæ. 13. Aug. A. 1611. *Lichtenaviam* ſub Barone ab *Herlesberg* in *Auſtriâ* ſup. vocatus, Verbi Divini Miniſterium auſpicatus, mox anno ſeq. 1612. cum *Auguſtæ* Parentes inviſeret, conjugii fœdus iniit cum virgine *Annâ Mariâ, Davidis Pregeri* ædilis filiâ, quæ 5. ei filios & 8. filias peperit, ex quibus tamen 3. tantùm filios & 2. filias poſt fata viventes reliquit. *Uxorem duxit.*

A. 1618. Cum iterum Parentes inviſeret, Concio ipſi publica, tanquam alumno Collegii obligato fuit demandata, & eodem adhùc anno circa *Michaëlis* feſtum ab inclyto Senatu per literas vocatus eſt ad Diaconi apud Minoritas *Auguſtæ* poſtremi munus, ſed mox A. ſeq. 1619. promotus ad officium Adjutoris in Templo *Annæo* 10. annos exegit. A. 1619. 8. Aug. ex mandato Cæſareo cum aliis Miniſterio Evangelico abdicatus. *Auguſtæ Diaconus.*

4. Nov. A. 1630. Senatûs Decretum ipſi fuit ab Urbis Præfecto miſſum, quo niſi Conciones Catholicorum ipſe cum familiâ ſuâ frequentare velit, urbe excedere juſſus eſt: ea de cauſâ cum ſuis in oppidum Ducis *Würtenbergici Auracum* diſceſſit. *Auraci exul.*

A. 1631. In Marchionatu *Durlacenſi* Paſtoratum Eccleſiæ adeptus, anno ſequenti 1632. *Auguſtam* revocatus, cum aliis Collegis Diaconi munus priſtinum ad *S. Annam* recepit. *Iterum Diaconus Auguſtæ.*

A. 1634. Communi totius Conventûs Eccleſiaſtici ſuffragio Concionator in templo *Minoritarum* electus eſt. *Concionator apud Minoritas.* A. 1635. Cum omnes Eccleſiæ Miniſtri iterum fuiſſent abrogati, ſolus ipſe cum Collega M. *Paulo Jeniſchio* manere juſſus eſt, & ambo abindè per 14. annos in loco aperto Gymnaſii *Annæi* concionantes & Sacramenta adminiſtrantes Miniſterio functi ſunt. *Concionator 14. annis in loco aperto.*

Eodem anno 6. Aug. Uxor ipſi per mortem beatam abrepta. A. 1636. ad altera vota tranſiit cum *Sarâ Mülichiâ, Hieron. Zigleri* relictâ viduâ, hâc ſterili poſt 9. annos defunctâ, tertiam duxit A. 1645. *Sabinam Hopferiam, Antonii Stengelii* viduam, quam ſterilem quoque reliquit ſuperſtitem. *Conjugium ejus ſecundum, & tertium.*

A. 1649. Quo Pax in Imperio *Rom.* concluſa fuit, 3. Maji ab Eccleſiæ Præfectis Paſtor ad Divam *Annam*, & Miniſterii Evangelici Senior denominatus, utrique muneri fideliter præfuit usque ad A. 1651. quo propter valetudinem infirmam & vires corporis deficientes rude donatus, 13. Dominicâ Trinitatis ultimam Concionem habuit. *Paſtor ad S. Annam, & Senior Miniſterii.* *Rude donatur.*

Abindè catarrhis cum pedum ulceribus laborans, tandem die 2. Julii A. 1652. æt. 64. vitam caducam cum æternâ commutavit. *Moritur.*

DOMINUS M. PHILIPPUS WEBERUS, AD DIVÆ ANNÆ TEMPLUM PASTOR, ET VENERANDI MINISTERII AUGUSTANÆ CONFESSIONI ADDICTI SENIOR.

Per *Anagramma M. Joh. Daniel. Arcularii*:

Annon pavi ovile DOMINI, *â* SPIRITU SANCTO *mihi creditum, verbo, fide, ut Miniſter* DEI *Auguſtæ, in ſpe meſſis ſperandæ aut peragendæ?*

* *Ex Concione fun. M. Joh. Henrici Fabri, Paſtor. ad S. Ulricum Aug.*

RICHARDUS STEWARD.

Obiit A. C. 1652.

IN agro *Northamptonenſi*, inque diœceſi *Petroburgenſi*, parentibus haud obſcuris ortus, Aulam *Magdalenenſem Oxonii* Commenſalis intravit 1609. annum ætatis 14. ſupergreſſus. Quadriennio pòſt Collegii *omnium animarum* ibidem ſocius cooptatus, Artium Baccalaureatu jam antè ornatus; annoque 1624. in Jure civili incœpit, tametſi Theologiæ præſertim operam navârat.

Gradatim deinceps Decanus *Ciceſtrenſis*, & *S. Paulinus*, Præpoſitus *Etonenſis*, tandemque Decanus *Weſtmonaſterienſis*, & Regiæ Capellæ, nec non *Carolo* utrique â ſacris privatioribus (Clericum conclavis appellant,) fuiſſe deprehenditur. *Decanus Ciceſtrenſis, & S. Paulinus. Præpoſitus Etonenſis. Decanus Weſtmonaſterienſis.*

Dum Academicos inter ageret, Arte poëticâ & Oratoriâ clarus habebatur, poſtmodò autem Theologi eruditi & Concionatoris facundi exiſtimatione inclaruit, propter ſtylum quoque acutiſſimum deprædicatus.

Graſſante per *Angliam* rebellione nuperâ, mala infinita ob Regem expertus, boniſque omnibus exutus in *Galliam* trajecit, & *Lutetiæ* cultum Proteſtantium acerrimè propugnavit; ibi enim, in hoſpitio de **Blinville** dicto, Concionem illam celeberrimam de Reformatione *Hezekianâ*, Eccleſiæ *Anglicanæ* in defenſionem, habuit. Porrò in conciliandâ inter Pontificios Curiæ *Romanæ* minus addictos & Reformatos pace, progreſſus admodùm laudabiles, unâ cum *Georgio Radcliffe*, Equite aurato, boni publici ſtudioſiſſimo, fecerat. *In Galliam trajicit.*

Lutetiæ, quanam verò in Eccleſiâ aut Cœmiterio parum conſtat, ſepultus perhibetur: Ejus autem tumulus ejusmodi decoratur Epitaphio: *Moritur.*

MEMORIÆ RICHARDI STEWARD, DECANI WESTMONASTERII ET SACELLI *Epitaphium.*

Digitized by Google

REGII IN ANGLIA, QUI HOC TANTUM MONUMENTO SUO INSCRIBI VOLUIT EPITAPHIUM: HIC JACET RICHARDUS STEWARD, QUI ASSIDUE ORAVIT PRO PACE ECCLESIÆ. OBIIT XIV. Nov. M DC LII. ÆT. LVIII.

Scripſit Not. in

Scripta.

1. Cor. 10. v. 32. | *Matt. 28. 6.* | *1. Cor. 15. 29.* } Lond. 1656. & ibid. 58.

Marc. cap. 6. v. 20. | *Philipp. 4. v. 17.* | *Hebr. cap. 10. v. 1. 2.* } Edit. 1659.

2. Reg. cap. 18. v. 12. Edit. 1647.

In lucem quoque emiſit

Theologiam Catholicam, ſive *ſententias breves ac ſolidas, è primævis Eccleſiæ Doctoribus, & Authoribus aliis Eccleſiaſticis ac civilibus excerptas*, in 8vo. Angl.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

SAMUEL EDEL.

Obiit A. C. 1652.

TUrckheimii in ditione *Ulmenſi* natus 2. Junii A.C. 1593. Patrem habuit M. *Joh. Edel*, ejus Eccleſiæ Paſtorem, Matrem *Catharinam Hubliniam.*

Puer â Patre domi privatim informatus, & A. 1604. in Scholam *Ulmenſem* miſſus, ibi intra novennium omnes Claſſes cum laude percurrit. *Ulmæ Claſſes percurrit.*

A. 1613. Academiam *Wittenbergenſem* acceſſit, ſed mox eodem adhuc anno propter peſtis ibi graſſantis ſævitiam *Ulmam* rediit, ibique Declamationem habuit, *de Academiarum utilitate & præſtantiâ.* Eodem adhuc anno *Tubingam* adiens, Baccalaurei gradum Philoſophicum ibi accepit. A. 1615. 4. Jan. Phyſicam ibi Diſputationem habuit, & 15. Febr. ſeq. in Magiſtrum inter 50. Candidatos 18. loco promotus eſt. *Ulmæ peroravit. Baccalaur. Tubingæ. Magiſter.*

A. 1618. In Academiam *Gieſſenſem* profectus, ſexies ibi in Theologicis publicè reſpondit ſub Theologis primariis *Winckelmanno*, *Giſſenio*, & *Feurbornio.* *Gieſſæ ſexies reſpondit.*

A. 1620. *Ulmam* â Senatu vocatus, & examinatus Adjutor in Eccleſiâ *Langenav.* factus, & A. 1622. Paſtor *Lonſenſis*, A. 1634. Paſtor *Urſpringenſis*, brevique pòſt Diaconus *Ulmæ* ad *S. Trinitatem*, ac tandem A. 1642. Eccleſiæ ejuſdem Paſtor â Senatu *Ulmenſi* declaratus eſt. *Diaconus & Paſtor ad S. Trinit. Ulmæ.*

20. Martii A. 1620. Conjugium primum iniit cum virgine *Suſannâ*, *Leonharti Schorrerí*, Præfecti tunc *Rietheimenſis* filiâ, cum quâ 11. annos ſed ſine prole exegit. *Conjugium duplex.*

Poſt hujus obitum 24. Oct. 1631. iterum deſponſatus eſt cum virgine *Magdalenâ*, *Johannis Bergeri*, *Auguſtani*, relictâ filiâ, ex quâ 7. liberos progenuit, ſed duos modò filios duaſque filias reliquit ſuperſtites.

Cum tandem â 4. ſeptimanis ſummis doloribus excruciatus, in lecto decubuiſſet, uxore & liberis ſummo Magiſtratui commendatis, in CHRISTO exſpiravit 1. Dec. A. C. 1652. ætatis 60. *Ulmæ.* *Moritur.*

* *Ex Concione fun. M. Joh. Eberken, Concionat. in templo primario.*

Edidit:

Poſtillam. *Scripta.*

Predigten über den Catechiſmum.

PAULUS SPERLING, fil.

Obiit A. C. 1652.

L*Auchæ* in *Thuringiâ* natus eſt 17. Oct. A.C. 1595. Patre cognomine per annos 35. Paſtore *Lauchenſi*, & Inſpectioni *Freyburgenſi* in *Thuringiâ* Adjuncto: Matre *Dorotheâ*, *Pauli Kindelii*, civis & lanii *Freyburg.* filiâ.

Cum in Scholâ patriâ prima fundamenta linguarum & artium poſuiſſet, A. 1610. â patre in Scholam Electoralem *Pfortenſem* miſſus, in eâ ſexennium exegit, & â M. *Bertuchio*, tunc Rectore, diligentiæ teſtimonium obtinuit. *In Scholâ Portenſi ſtudia inchoat.*

A. 1616. Patris mandato in Academiam *Wittenbergenſem* profectus, ibi ab agnato *D. Friderico Balduino* Theol. Prof. & Superint. Generali in ædes & convictum receptus, & humaniter habitus eſt. Ibidem A. 1619. Gradu Magiſterii ornatus, inter 45. Candidatos 8. locum habuit. *Wittenbergæ pergit. Fit Magiſter.*

A. 1623. Inter Adjunctos Facultatis Philoſ. *Wittenbergæ* recepto, anno ſeq. Inſpectio Collegii celebris *Bebamici* demandata fuit. Abindè præter Philoſophiam ſtudium Theologicum excoluit, Profeſſores ſedulus audivit, & præter aliquot Diſputationes publicas privatim 32. Collegia Diſputatoria ſummâ cum laude habuit. *Inſpector Collegii Bebamici.*

A. 1629. *Stolpam* ad Eccleſiæ Paſtoratum â Conſiſtorio Eccleſiaſtico *Dresdenſi* vocatus, paulò pòſt Dominicâ quintâ Trinitatis ibi Concionem inauguralem habuit. *Stolpæ Paſtor Eccleſ.*

Deindè *Wittenbergæ* habitâ Diſputatione pro Licentiâ, cum paulò antè pro more cap. 17. *Apocalypſ.* de *meretrice Babylonicâ* Studioſis Theologiæ curſoriâ lectione declaráſſet, S. Theol. Licentiatus publicè renuntiatus eſt 2. Dom. Adventûs. *Theol. Licentiatus Witt.*

A. 1637. Mortuo M. *Abrah. Genſreſio*, Poëtæ Laur. & Superintendenti *Freyburgenſi* in munere Eccleſiaſtico ſucceſſit, & 12. Oct. A. 1641. hortatore *D. Matthiâ Hoë* patroniſque plurimis ſuadentibus *Wittenbergæ* Doctorales honores petiit, & ſolenniter obtinuit. *Superint. Freyburg. Theol. Doctor.*

Ter conjugio junctus prima ſponſalia celebravit 6. Sept. A. 1631. cum virgine *Mariâ*, *Gregorii Richteri*, civis & Mercatoris *Stolpenſis* filiâ, ex quâ filium reliquit *Joh. Henricum* ſtudiis *Wittenbergæ* deditum, & filiam *Mariam Eliſabetham.* 11. Aug. A. 1640. cum anno prægreſſo primam conjugem amiſiſſet, cum alterâ deſponſatus eſt, virgine *Annâ Mariâ*, *Zachariæ Tannebergii*, Judicii *Freyburgenſis* Aſſeſſoris, & eleemoſynis præfecti filiâ unicâ, quâ morte prætnaturâ ſibi abreptâ 7. Martii A. 1643. tertiam duxit 6. Mart. A. 1644. virginem *Eliſabe-* *Conjugium triplex.*

tham,

Digitized by Google

tham, *Pauli Krafftii*, Judicii Aſſeſſoris & mercatoris filiam, ex quâ filiolam *Annam Eliſabetham* A. 1647. & filiolum *Paulum Fridericum* A. 1650. ſuſcepit cum matre viduâ ſibi ſuperſtites.

Fratrem minorennem *Chriſtophorum* poſt obitum Domini Parentis in ædes ſuas recepit, & cum liberis ſuis educavit, cumque literarum fundamenta poſuiſſet, *Wittenbergam* miſit ad fratrem *Johannem Sperlingium*, Phyſ. ibi Profeſſorem publicum, ubi cum Magiſterii gradum adeptus eſſet, munus eidem non exiguum dono miſit.

Moritur. Tandem cum â biennio arthritide ſcorbuticâ laborâſſet, accedente tandem apoplexiâ, præſentibus M. *Carolo Linckio*, Diacono, & Medico D. *Caſp. Hornio* vitam beatâ morte finiit 24. Dec. A.C. 1652. æt. 58.

Edidit:

Scripta. *Diſpoſitiones ſupra dicta S. Scripturæ quædam Stolpæ elaboratas.*

* *Ex Concione funebri M. Baltaſ. Wagneri, Archidiaconi Freyberg.*

Obiit A.C. 1653.

DANIEL REICHARDUS.

PIrnæ mundum ingreſſus 29. Nov. A. C. 1580. Patrem habuit *Joſephum*, Senatorem & Conſulem *Pirnenſem*: Matrem *Magdalenam*, Dom. Doct. *Pauli Lengenfeldii*, Syndici *Luckenſis* in *Luſatiâ* inf. relictam filiam.

A. 1592. Prægreſſo examine Scholaſtico, in Gymnaſium *Miſnenſe* ablegatus, ſub Rectore M. *Daniele Menio* ſtudiis humanioribus operam dedit.

Magiſter Philoſ. Witt. A. 1598. Ad ſtudia feliciter continuanda Academiam *Wittenberg.* acceſſit, ubi Theologos celebres D. *Hunnium*, *Geſnerum*, *Rungium*, & *Hutterum* docentes audivit, & Magiſterii gradu inſignitus inter 54. Candidatos ſextum locum obtinuit.

Diaconus Eccleſ. Donenſis. A. 1600. quo Dom. Pater ejus obdormivit, *Wittenbergæ* valedicens, â Viro nobili Dom. *Joh. Georgio â Bernſtein* ad *Borten* 6. filiis ſuis Præceptor datus, mox anno ſeq. 1601. per Commiſſarios Eccleſiæ & xenodochii *Dobnenſis* ad Diaconatum illius loci vocatus, & 8. Febr. *Wittenbergæ* per D. *Ægidium Hunnium* ad S. Miniſterium ornatus, brevique pôſt â Conſiſtorio Elect. *Miſnenſi* confirmatus eſt.

Deſponſatus eſt. *Paſtor Eccleſ. Wachenſis.* 18. Jan. A. 1602. Deſponſatus eſt cum virgine *Catharinâ*, *Nicolai Noſleri*, civis *Pirnenſis* primarii filiâ. 1. Nov. A. 1604. Per nobilem Virum Dn. *Joh. Magnum â Schönfeld* legitimè vocatus, Eccleſiæ *Wachenſis* Paſtor conſtitutus eſt.

Diaconus Dreſdenſis. *Superintendens Rochlitienſis.* 1. Maji A. 1613. Poſtquàm literas Vocationis ad Diaconatum *Dreſdenſem* accepiſſet, eò cum familiâ ſuâ migravit, & A. 1615. prægreſſâ *Dreſdæ* in Templo Crucis Concione valedictoriâ *Rochlitium* futurus ibi juſſu Electorali Superintendens diſceſſit, & 22. Dominicâ Trinit. in Templo *S. Cunigundis* munus ſuum auſpicatus eſt.

Superint. Pirnenſis. A. 1622. Vocatus ab oppido *Grimmenſi* ad Superintendentis officium, id modeſtè recuſavit, ſed paulò pôſt vocante Senatu patrio *Pirnenſi*, & in locum defuncti M. *Matthæi Cundiſii* Superintendentem ſibi deligente ex amore Patriæ conſenſit, & 17. Dominicâ Trinitatis primam *Pirnæ* Concionem habuit.

Uxoris obitus. A. 1632. Cum peſtis *Pirnæ* graſſaretur, & omnes ferè domûs infectæ fuiſſent, in Curiâ per aliquod tempus habitare cum conjuge coactus, nihilominùs munere ſuo fideliter functus eſt. 17. April. A. 1642. vitæ ſibi per 40. annos ſociam morte abreptam amiſit 2. filiorum & 4. filiarum matrem. Filii M. *Daniel*, Diaconus *Pirnenſis*, & *Gotfridus* Patrem morte præceſſerunt. Filiæ verò omnes honeſtè fuerunt elocatæ, ex iisque 26. nepotes vidit.

Moritur. Viribus tandem deficientibus inter adſtantium preces placidè in CHRISTO exſpiravit A. C. 1653. ætatis ſui 72. Miniſterii Eccleſ. 51.

* *Ex Concione fun. D. Jacobi Welleri, Concionat. Sax. Aulici.*

Magiſter Daniel Reicharth.

Durch Verſetzung der Buchſtaben:

1.

Der Man iſt ja reich gelahrt.

2.

Ja der geiſtlich Armen Rath.

3.

Iſt im Argen Adelicher Arth.

4.

Ja dieſer Man hilt gar recht.

Obiit A.C. 1653.

JOHANNES JOHANNIS RESENIUS.

HAfniæ natus eſt 19. Octob. A.C. 1596. Patrem habuit Dom. *Johannem Pauli Reſenium*, S. Theol. Doct. & P. P. *Sealandiæ* Superintend. Matrem *Barbaram*, *Andreæ Laurentii*, S. Theol. D. & P. P. filiam.

Diſcipulus in Scholâ Hafnienſi. Jactis domi privatim melioribus pietatis, virtutis, & bonarum literarum fundamentis, Parens eum A. 1608. publicè in Scholâ *Hafnienſi* inſtituendum tradidit M. *Joh. Kraftio* Rectori induſtrio, ut & ejus Succeſſori M. *Franciſco Georgii*.

Albo Studioſor. Hafn. inſcriptus. *Philoſ. & Theol. Studioſus.* A. 1614. Ad Patres Academiæ *Hafnienſis* conceſſit humaniter exceptus, & Academicâ civitate jure donatus â Viro Excellentiſſimo M. *Caſparo Eraſmi Brockmanno*, Facult. Philoſ. Decano, & Græcæ Linguæ Profeſſore Publ. Rectore Dn. *Cunrado Aslaco*, Theol. D. & P. P. numero Studioſorum adſcriptus, totius Philoſophiæ Encyclopædiam, Lectiones, Diſputationes, & Collegia Philoſophica frequenter viſitando, gnaviter abſolvit: ſimulque Theologorum Lectionibus & Diſputationib. ſedulus interfuit, partes ſuas utrobique tàm opponendo quàm reſpondendo tutatus.

A. 1615. Animum ad peregrinationes ex conſenſu Patris appulit, & primùm *Roſtochium*,

Wittenbergam venit. chium, mox *Wittenbergam* ſe contulit, & familiariter uſus eſt D. D. *Frantzio*, *Balduino, Meiſnero, Jac. Martini, Schmidio, Spigelio, Buchnero* & *Troſtio*. Hinc abiit *Dreſdam, Lipſiam* & *Jenam*, ubique Viros clariſſimos conveniens. *Lipſiam & Jenam.*

A. 1618. In Patriam â Dom. Patre vocatus rediit, mox verò anno ſeq. iterum â Patre dimiſſus, venit *Hamburgum*, & indè *Argentoratum*, ubi annum cum ſemeſtri ſubſtitit. *Argentoratum, & Tubingam.*

Tubingam deindè venit celebritate nominis & famæ D. *Thummii* motus, in cujus & reliquorum Dnn. Profeſſorum conſuetudinem ſe penitùs immerſit.

Tandem per *Burgundiam* in *Gallias* profectus, primò *Lutetiam*, mox *Aurelias* inviſit: indè per *Brabantiam* & *Bataviam* in *Daniam* rediit 20. Dec. A. 1620.

Rector Scholæ Herlovianæ. Sed vix quadrimeſtri elapſo ſpatio Rector Scholæ *Herlovianæ* ab ejuſdem Præſide Dn. *Palæmone Roſenkrantzio* denominatus eſt M. Aprili A. 1621. & brevi pôſt Rectore Dn. *D. Cunrado Aslaco*, & Decano M. *Wolfgango Rhumanno* Eloq. P. P. Magiſterii honore exornatus. *Philoſ. Magiſter Hafniæ.*

A. 1624. Ex benignâ Regis *Chriſtiani IV.* voluntate â Rectore D. *Caſp. Brockmanno* & reliquo Senatu Academico ad Profeſſionem Philoſophicam vocatus, pro loco ſibi in Facultate Philoſophicâ aſſignato diſputavit, & mox Prælectiones publicas in Ethica *Nicom. Ariſtotelis* aggreſſus eſt. *Philoſ. Profeſſor.*

Conjugium ejus & Liberi. Eodem anno ſed æt. 28. Matrimonio ſibi junxit ex Parentum conſenſu virginem *Thaliam*, Dom. D. *Petri Vinſtrupii*, S. Theol. Prof. & *Sædlandiæ* Superintendentis filiam. In hoc Conjugio, quod DEI beneficio 28. annos duravit, factus eſt Parens 9. filiorum, & 4. filiarum. E filiis *Petrus*, J. U. D. Profeſſor in Acad. Regius & Urbis Conſul, *Johannes* Magiſter Art. Eccleſiæ *Tdſtadienſis* Paſtor, *Paulus* Med. Doctor fuit. Filiarum *Anna* M. *Wilhelmo Langio* Prof. in Acad. Regio, & *Johanna* M. *Georgio* Paſtori *Rönnebienſi* nupſit.

Notarius Acad. Hafn. A. 1630. Academiæ *Hafn.* Notarius factus, Arithmeticam de Magiſtratûs mandato prælegere cœpit, eamque novâ methodò propoſuit, & omnia ad regulas demonſtrativas applicuit. Eodem anno locum inter 6. ordinarios Philoſophos ſortitus Metaphyſicam & Logicam profeſſus eſt. *Profeſſor Metaphyſ. & Log.* A. 1632. Decanus Facult. Philoſophicæ deſignatus, ſupremam Lauream Philoſoph. 29. Candidatis contulit.

Paſtor primar. ad D. Virginem. A. 1635. Vacante primarii Paſtoris ad *D. Virginis* loco, vocatus eſt â Magnifico Academiæ Rectore & reliquis Profeſſoribus ad Conſiſtorium, qui ipſi ſpartam vacantem obtulerunt.

Brevi pôſt literis Regis *Chriſtiani IV.* & Cancellarii Regii *Chriſtiani Friſii* poſt obitum D. *Nicolai Petræi* ad Profeſſionem Theologicam vocatus eſt, ac ſtatim Orationem habuit inauguralem, & publicas Prælectiones auſpicatus eſt. *Profeſſor Theol.*

Anno ſeq. 1636. Doctor Theologiæ renuntiatus eſt, Vice-Decano D. *Caſp. Eraſmo Brockmanno*, & Rectore Acad. *D. Olao Wormio*. Laborioſo Rectoratûs officio præfuit A. 1641. Fatis A. 1652. concedente Dom. *D. Caſp. Eraſmo Brockmanno*, Superintend. *Sædlandiæ* â primariis Paſtoribus omnium Urbium *Sædlandicar.* electus eſt in ipſius locum Succeſſor, quam electionem Rex *Fridericus III.* clementer approbavit. *Doctor Theol.* *Epiſcopus Sædlandiæ.*

Sacramento autem Epiſcopali in arce *Hafnienſi* dicto, in templo Academico mox Præſul Eccleſiarum & Scholarum *Sædlandicarum* creatur â Dn. *D. Petro Vinſtrupio Scanicarum* Eccleſiarum Superintendente.

Sacro huic muneri inauguratus, omnes ſuas curas eò convertit, ut Epiſcopi munus laudabiliter adimpleret. Sed brevi pôſt febris fervida ipſum invaſit, quæ corpus ſenſim attrivit, donec placidè tanquam ſomno correptus exſpirârit 3. April. A. C. 1653. æt. 57. Funus publico Programmate â Rectore Academiæ M. *Jacobo Finckio* indictum, & ſepultus in Templo *D. Virginis*, ubi Monumentum ei poſitum eſt cum hâc inſcriptione: *Moritur.*

Epitaphium.

D. M. S.
JOHANNI JOH. RESENIO THEOL. DOCTORI, EJUSDEMQUE IN REGIA HAC ACAD. PROFESS. SÆDLANDIÆ EPISCOPO: QUI ÆRUMNOSAM HANC VITAM CUM BEATA COMMUTAVIT DIE DOM. PALMARUM ANNO CHRISTI M DC LIII. ÆT. LVI. NEC NON THALIÆ VINSTRUPIÆ MATRI XIII. LIBERORUM, QUÆ EODEM CHRISTI ANNO ANNOS NATA XLIX. VITAM BEATA MORTE FINIVIT. PARENTIBUS HISCE PIIS BENEMERENT. HOC MEMORIÆ MONUMENTUM FILII ET FILIÆ LUGENTES MERITOQUE PONI CURAVERE A. C. M DC LVII.

Lapidi Sepulchrali hæc inciſa ſunt:

PIETATI ET POSTERITATI SACRUM.
JOHANNES JOHANNIS RESENIUS, REGIUS S. S. THEOLOGIÆ PROFESSOR ATQUE DOCTOR, ET PRÆSUL SEELANDIÆ VENERANDUS, DEO AC REGI FIDUS, PATRIÆ UTILIS, OMNIBUS CARUS, AMICIS ANIMO CONSTANTI AMICUS, LÆTUS LÆTIS, MISERIS PATRONUS, DELICIUM JUVENTUTIS, DECUS ACADEMIÆ, INGENIO, DOCTRINA, ET CANDORE THALIÆ VINSTRUPIÆ MARITUS, PARENS NOVEM NATORUM, ET NATARUM QUATUOR, HOC TEGITUR TUMULO: IN QUEM LIBERIS POSTERISQUE EJUS, AD LATUS HUJUS SAXI VENERABILIS, JUS EST INFERENDI PERPETUUM. O TRISTE JUS SEPULCRI! TRISTI FATO EREPTUS EST ANNO MDCLIII. MAGNO ORDINIS SCHOLARUMQUE DISPENDIO, MAJORI AMICORUM ET LIBERORUM LUCTU, MAXIMO STUDIOSÆ JUVENTUTIS DESIDERIO, CUM VIXISSET ANNOS PLUS LVI. IN ACADEMIA HAFNIENSI DOCUISSET XXIX.

PRÆ-

Digitized by Google

Præfuiſſet Epiſcopatui annum circiter. O Patriæ dolor! Verum vivit adhuc vitam: vitam mutavit, non reliquit: ſeceſſit, non deceſſit: abiit, non obiit: Mors Superum miniſtra eum mortalibus eripuit, immortalibus reddidit: Tuum, Lector adde, quisquis doctrinam et candorem amas, quorum ille theſaurus erat. Abi, flores ſparge, ſi non lacrymas. Plangebat et pangebat PETRUS RESENIUS major natu filius J. U. D. et P. P. die S. Johannis M DC LX.

Scripta:

Scripta.

Heptas duplicata Quæſtionum Philoſophicarum.

Diſputationes Logico-Metaphyſicæ duæ.

Heterodoxia Pontificiorum de Adoratione Sanctorum.

Logologiæ Sacræ Diſputationes duæ.

Amnologia Sacra.

Uranologiæ Sacræ Diſputationes duæ.

Idea boni Paſtoris.

Oratio in obitum Cancellarii Chriſtiani Fris de Kragerup.

Concio in publicis Supplicationibus proponenda ex Pſal. 6.

* *Ex Acad. Haſn. repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

Obiit A.C. 1653.

COELESTINUS MYSLENTA.

NAtus eſt 27. Martii 1588. in vico *Cutteno* diſtrictûs *Angerburgenſis*, Patre *Matthæo Myslentâ*, Paſtore ibidem, ex nobili & perantiquâ familiâ *Myslentiorum* orto, in qua præ cæteris *Vincentius Myslenta Cracovienſis* Epiſcopus A. 1207. eminuit.

Ortu nobilis Polon.

Hic *Matthæus*, Cœleſtini Pater, bonis literis in Academiâ *Regiomontanâ* excultus, ab *Alberto I. Boruſſiæ* Duce Nobilium ſtipendio donatus, poſteà ab Illuſtr. *Ratzivilio Ruſſiæ* Duce ad ephoriam filiorum ſuorum poſtulatus, eâque ſuſceptâ in *Italiam* aliaque regna miſſus, rem ſuam fideliter geſſit.

Patris ejus Matthæi Mislentæ vitæ curſus.

Reverſus, â Principe *Ratzivilio* commendatus *Stanislao Paiz*, Palatino *Witteblenſi*, & Duci *Alexandro Czarloriski* Palat. *Wollrinenſi* innotuit. His regni *Polon.* Proceribus cum virtutem eximiam probâſſet, ab iis Potentiſſimo *Poloniæ* Regi *Stephano Battorio* commendatus eſt, â quo tam benignè fuit exceptus, ut non modò â Cubiculis ſibi eum eſſe voluerit, ſed & ad varia conſilia, ac publicam etiam Legationem in *Podoliam* adhibuerit: & reverſo non defuiſſet ampliorum dignitatum ſucceſſus, niſi Duci *Alberto* reditus in *Boruſſiam* ſui certitudinem juramento confirmâſſet; undè ut fidem liberaret, â Rege clementer dimiſſus, & commendatitiis ad Marchionem *Georg. Fridericum* inſtructus eſt.

In patriam ita redux, dum *Heilsbergi* ſe de Epiſcopi *Varmienſis* ſubſtitit, graviſſimis non minùs corporis doloribus ex morbo natis, quàm animi angoribus opprimitur, accedente non levi ſuper Orthodoxiâ tentatione. Sed utroque malo Divinâ clementiâ ereptus, ut votum, quod in morbo DEO fecerat, impleret, ſacro vitæ generi ſe addixit, indèque exhibitâ Principi Regiâ commendatione, ut officio Eccleſiaſtico præficeretur, petens, non modò ab eodem annuente, & prægreſſis examine ac Ordinatione Epiſcopi *Wigandi*, Paſtor *Cuttenſis* conſtituitur, ſed & aliquot agri manſis, etiam in hæredes transferendis, donatur.

Ita ad vitæ quietioris tranquillitatem deductus, ad conjugium animum applicans in uxorem duxit Virginem nobilem *Euphroſynam Wirtzinskiam*, *Cœleſtini* hujus matrem, quam ut & Dom. Parentem cum puer amiſiſſet, poſt confecta prima legendi ſcribendique fundamenta ex Scholâ patriâ *Angerburgenſi* ad *Fridlandenſem* â tutoribus amandatus eſt.

Exindè ad illuſtre Pædagogium *Regiomontanum*, ipſamque ſuccedentibus annis Academiam ſe conferens, ſexennium in patriis his Muſarum ſacrariis exegit.

Regiomont. ſtudia incipit.

A. 1609. Academiam *Wittenbergenſem* adiit, ibique ſexennium commoratus, præter Philologos & Philoſophos celebres *Jacobum Martini*, *Laurentium Fabritium*, *Eraſmum Schmidium*, *Chriſtoph. Crineſium*, magnæ prætereà famæ Theologos *D. Leonhartum Hutterum*, *D. Frid. Balduinum*, *D. Wolffg. Frantzium*, & *D. Baltaſ. Meisnerum* docentes audivit.

Wittenbergæ continuat.

A. 1615. M. Majo pari ſtudio *Neldelium* & *D. Henricum Höpfnerum* eſt ſectatus, & ab hoc ad eam familiaritatem admiſſus eſt, ut literarum etiam conſortium ad eum in aliis locis, ſtudiorum gratiâ, commorantem inſtituerit.

Ejusdem anni Octobri *Gieſſam*, Rectore Magnifico *D. Johanne Kitzelio* Jur. Prof. & Academiæ Pro-Cancellario, inviſit, in eâque triennium tanto cum ſtudiorum ſucceſſu ſubſtitit, ut primo ſtatim exacto anno, ſub Præſidio *D. Chriſtoph. Helvici*, Theol. & S. Ling. Prof. in publico Auditorio *Hebraicè* diſputans, præclarum ſpecimen exhiberet.

Gieſſam accedit.

Diſputat Hebraicè.

Sub autumnum A. 1616. Linguæ *Thalmudicæ* & *Rabbinicæ* amore ductus *Francofurtum* ad *Mœnum* excurrens, ſemeſtre Judæorum converſationi impendit. Indè *Gieſſam* reverſus, Theologorum *D. Joh. Winckelmanni*, *D. Baltaſ. Mentzeri*, *D. Chriſtoph. Helvici*, & *D. Joh. Gieſſenii* ductu omnem rerum ſacrarum ſcientiam, cum Græcâ, Syriacâ, Chaldæâ, Arabicâ aliisque Orientalibus Linguis tàm feliciter abſolvit, ut poſt Diſputationes aliquot de rebus arduis, & parentationem *D. Helvico* Hebræo Latinoque Carmine publicè habitam, indultu venerandæ Facultatis, Exercitia Theologica ac Philologica quà proſam, quà poëticam aperiendi poteſtas ipſi concederetur.

Hinc

Digitized by Google

Fit Doctor Theol.

Hinc poſt tantum doctrinæ apparatum dignus, qui docendis aliis præficeretur judicatus 21. Jan. A. 1619. ſummo Theologiæ honore, Promotore *D. Johanne Gieſſenio* mactabatur, & Doctor publicè renuntiabatur.

Peregrinationes varias abſolvit.

Nec diu moratus, varia itinera ingreſſus, & Orthodoxorum & Heterodoxorum Theologos conveniens *Jenam*, *Tubingam*, *Ingolſtadium*, *Heidelbergam*, *Baſileam*, *Genevam*, & *Belgium* adivit, ut cum *Rudolpho Goclenio*, *Davide Paréo*, *Johanne Buxtorfio*, *Thomâ Erpenio*, aliiſque Viris eruditis ſermones ſereret, imprimis cum *Goclenio* Prof. *Marpurg.* literas frequentes miſcuit, in quibus *Myslentam* inſigne ornamentum Acad. *Gieſſenſis*, & alibi Theologum ac Philologum polyglottum nuncupavit; eumque *Marpurgum*, ut in Diſputationibus ſuis Opponentis vices gereret, invitavit.

In Acad. *Ingolſtadienſi* cum Theologis Pontificiis colloquia non ſine applauſu inſtituit. Cum Judæis quoque paſſim congreſſus, impias ipſorum ſtrophas detexit & eluſit.

Fit Profeſſor Theol. & Ling. Hebr. Regiomontii.

Cum in patriam rediiſſet 14. Septemb. A.1619. ab Elect. *Brand. Job. Sigiſmundo* extraordinaria Theologiæ, & Ordinaria Hebrææ linguæ Profeſſio ipſi committitur, ſtipendio 200. florenor. ac porrò cum in eâdem variis exercitiis plurimùm Academicæ juventuti profuiſſet, A. 1626. Ordinariæ Theologiæ Profeſſioni, præviâ ſolenni bidui Diſputatione præficitur, ſimulque in Senatus ampliſſimi Ordinem recipitur.

A.1622. Dom. *Hempelii*, Paſtoris emeriti *Lobenicenſis*, in Conſiſtorio *Sambienſi* vices ſubibat.

Ejus Conjugium.

18. April. A.1638. Conjugium iniit cum *Reginâ Winteriâ*, *Henningi Wegneri*, J.C. & Præ-Conſulis *Palæopolitani* viduâ, ex quâ filii cognominis filiæque *Euphroſyne* in infantiâ demortuorum pater factus, & cum eâ tranquillum 15. annorum conjugium exegit.

A.1646. Imprudens ac infelix iſtud cum *D. Latermanno* diſſidium indies ita excrevit, ut varias calamitates jure meritoque perpeti coactus fuerit.

Hoc anno ſpiritum malignum variis linguis, Chaldaicâ imprimis, ſecum locutum, ex obſeſſo quodam per DEI gratiam emigrare nimirùm compulit.

A. 1652. Rector Academiæ ultimâ vice creatus, quem honorem ſexies jam anteà cum honore adminiſtravit, ictero paulò pòſt graviter decubuit; accedente deindè cum aliis morbis aſthmate, viribus deficientibus placidâ morte animam Creatori reddidit *Regiomontii* 20. April. A.C. 1653. ætatis 56. *Moritur.*

* *Ex Oratione Parentali Rectoris Regiomont. & ex Concione funebri Georgii Colbii, Diaconi.*

Scripſit & edidit:

Scripta.

De Theologiæ habitu & præcipuis fidei articulis.

Collegium Theologicum ſuper Corpus Doctrinæ Prutenicum.

ROGERUS MANWARING.

Obiit A.C. 1653.

STrettone in agro *Salopienſi* natus, *Wigorniæ* autem, ab *Henrico Bright*, Archididaſcalo, primis Artium ingenuarum rudimentis imbutus, & ætate maturior, ad Collegium *Omnium Animarum Oxon.* tranſmiſſus eſt A.1603. Baccalaureatum & Doctoratum in Theologiâ A.1625. capeſſivit. *Theol. Doctor Oxon.*

Parochiæ S. Ægidii in Campis Vicarius Caroli I. Capellanus.

Eodem quaſi tempore factus eſt Parochiæ *S. Ægidii* in Campis, haud procul *Londino*, Vicarius, & *Caroli I.* Capellanus, quem vocant, ordinarius. Coram illo Conciones binas A.26. in *Eccleſiaſt. c. 8. v. 11.* habuit, quibus poteſtatem Principis, & Subditorum in caſibus extraordinariis officium dilucidavit; eiſdem verò in lucem dein editis titulus indebatur:

Religio & Allegiantia. Lond. 1627. *Scriptum.*

Anno proximo, die Maji quarto, ejuſdem planè argumenti Concionem in Eccleſiâ ſuâ *S. Ægidii* habuit; ob quam juxta & prædictas cenſurâ Ordinum plectebatur decimo quarto ſequentis Junii, incarceratione & mille librarum mulctâ irrogatis; decretoque inſuper, ut delicti gratiam peteret, & promotionis ac muneris cujuscunque incapax eſſet. Viceſimo primo dicti menſis ſupplicem ſeſe Ordinibus exhibuit, proximoque menſe Rectoriâ opimâ de Stanford Rivers / in agro *Eſſexiano*, â Rege donatus eſt, indulto quoque, ut eandem quoque ſimul & Vicariam retro dictam poſſideret. Nono Januarii errorem, ſi quem tamen admiſerit, condonatum habuit; quæ res Senatores Regni multum commovit, adeò, ut in proximo eorum conſeſſu turbarum aliquarum Origo fuerit. *Rectoriâ de Stanford Rivers à Rege donatur.*

Decanus Wigorniensis. Episcopus Menevenſis.

A.1633. Menſe Majo ad Decanatum *Wigornienſem* evocatus, annoque 35. menſe Decembri Epiſcopus *Menevenſis* nominatus, & 28. ſequentis Februarii in eundem conſecratus â *Laudo* eſt, Archiepiſcopo illo *Cantuarienſi* illuſtriſſimo.

A. 1640. Menſis Februarii 22. criminum conſimilium, hoc eſt, juris Regii, plus æquo, ut ferebatur, evecti, in Comitiis Parliamentaribus agebatur, ſed intercidente accuſatione indemnis evaſit; prorumpentibus autem pòſt paulo bellis civilibus, tyrannide diuturnâ huc illuc agitantibus, boniſque ad imam penè mendicitatem ſpoliatus eſt.

Vir erat accuratè doctus, vitæ ad normam Evangelicam compoſitæ probitate ſpectabilis, Eccleſiæ *Anglicanæ* pro virili parte Defenſor præfractus, erga pauperes liberalis, erga DEUM cumprimis pius, ſacrâque Infulâ ut qui maximè dignus.

Caermarthaniæ, apud *Cambro-Britannos* obiit 1. Jul. 1653. & ibidem ſepultus eſt. *Moritur.*

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

JOHAN-

Digitized by Google

Obiit A.C. 1653.

JOHANNES WEBERUS.

NAtus eſt *Norimbergæ* 16. Julii A. 1587. Patre *Georgio Webero*, parietum pictore.

Cum in Scholâ ad *S. Ægidium* puer literarum primordia didiciſſet, fabro cuidam ærario in diſciplinam datus eſt; ſed cum viribus eſſet debilior ad artis hujus labores exantlandos, brevi pòſt parentibus remiſſus eſt. In Scholam itaque reverſus, brevi tempore tantos fecit progreſſus, ut in Academiam *Altorfinam* ad ſtudia continuanda miſſus fuerit. Ibi ſumptibus neceſſariis deſtitutus Studioſis quibusdam ditioribus famuli loco inſerviit, & unà Profeſſores in Philoſophicis docentes ſedulus audivit.

Artem fabrilem diſcere debet.

A. 1607. *Altorfii* Decano M. *Matthiâ Gellero*, Competitoribus verò *Joh. Mauritio Hellingio* ad *Spir. S.* poſteà Diacono, & *Chriſtoph. Speccio* Philoſophiæ Magiſter ſolenniter renuntiatus, abindè S. Theologiæ ſtudium auſpicatus eſt.

Fit Philoſ. Magiſter.

A. 1611. Paſtor Eccleſiæ Vicarius in pago *Altenthann*, *Altorfio* vicino conſtitutus, 27. April. A. ſeq. 1612. *Altorfii* nuptias celebravit cum virgine *Catharinâ*, *Wolffgangi Fuchſii*, fabri ſerarii filiâ; ex quâ tres filios ſuſcepit, *Ulricum*, *Henricum*, & *Chriſtophorum*, omnes ante patrem vitâ defunctos.

Nubit.

A. 1614. In pagum *Noriberg. Ofenhuſam*, & A. 1617. *Habburgam*, oppido Herſpruck vicinum ad Eccleſiæ Paſtoratum vocatus, munere ſuo fideliter functus eſt, usque ad A. 1619, quo die *S. Ægidii Norimbergam* veniens, ibi Magiſtratu vocante ad *S. Ægidium* Diaconum agere cœpit: & A. 1621. ejusdem Eccleſiæ Concionator factus, in magnâ auditorum frequentiâ docuit.

Paſtor Ofenhuſ. & Habburg.

Concionator ad S. Ægid.

A. 1643. Secundas nuptias celebravit cum *Mariâ*, *Georgii Leiſneri*, Senatoris *Wördenſis* viduâ, quam ſine liberis reliquit ſuperſtitem.

28. Febr. A. 1649. Cum viribus corporis imminutis ultimam Concionem in templo ſuo habuiſſet, 2. Martii ſeq. hemiplexiâ correptus, in latere ſiniſtro rationis etiam & memoriæ debilitatem abindè manifeſtam percepit, ut ſæpiùs ſe ipſum non agnoſceret, & puerilia proferret. In eo ſtatu cum ferè quinquennium exegiſſet, dixit aliquando aſtantibus: *JESUM accedentem ſibi annulum aureum donâſſe*, cui reſponderit ipſe: *O JESU! omnia mea Tibi debeo.* Ita viribus extinctis placidè exſpiravit 4. Jul. A. C. 1653. æt. 66. Miniſt. 42.

Morbo diuturno affligitur, & memoriam amittit.

Obiit.

M. *Oſwaldus Wandersleben* hoc ei Eteoſtichon fecit:

IanVs qVI patrIa InsIgnIs fVIt Vrbe VVeberVs
PræCo abIt è VItâ MIſerâ, petIt atrIa DIa.

* *Ex Concione funebri M. Joh. Gundermanni, Diaconi Ægid.*

WOLFGANGUS MEYERUS.

Obiit A.C. 1653.

BAſileæ mundum ingreſſus eſt 6. Calendar. April. A. C. 1577. patrem habuit *Jacobum Meyerum*, *Albanenſis* Eccleſiæ per annos 49. Paſtorem, qui Diſcipulus olim *Lutheri*, *Melanchthonis*, *Myconii*, *Grynæi*, *Capitonis*, *Buceri*, & *Hedionis Baſileæ*, *Argentinæ*, & *Witteberge*, tandem octuagenario proximus A. 1604. d. 27. Nov. fulminis apoplectici violentiâ in cathedrâ civi cuidam conſimiliter apoplexiâ extincto Concionem funebrem habens exſpiravit.

Pater & Majores ejus conſpicui.

Avum habuit *Joh. Rudolphum Meyerum*, Senatorem & Scholarcham *Baſil.* qui obiit 17. Sept. A. 1564. Proavum *Jacobum Meyerum*, ibidem Conſulem, qui in reformandâ Eccleſiâ *D. Oecolampadio* opem præſtitit egregiam, & obiit A. C. 1541.

Abavum habuit *Henricum Meyerum*, qui & ipſe Senatorii Ord. mortuus eſt A. 1492. Mater ei fuit *Agneta Capito*, *Wolffg. Fabricii Capitonis*, trium Facult. Doctoris & Profeſſoris *Baſileæ*, mox *Argentinæ* filia, qui gliſcente Reformatione *Baſileam* vocatus A. 1516. in Eccleſiâ & Academiâ CHRISTUM ſincerè docuit, *D. Oecolampadium* Theol. Doctorem renuntiavit, eumque ad Sacram hanc functionem ſibi Collegam adſcivit, tandemque Reformationis *Argentoratenſium* cum *Bucero* & *Hedione* primus auctor extitit. Idem *Capito* A. 1523. ab Imp. *Carolo V.* nobilitatis inſignibus donatus eſt ob præclara in Imperium merita.

Capitonis ex filiâ nepos.

Puer optimæ indolis & felicis ingenii mirâ celeritate humaniorum literarum in patriâ Claſſes percurrit, ut A. 1593. in Palæſtram Academicam translatus ſit, & A. 1595. 29. April. gradum primæ Laureæ obtinuerit. Orationes publicas tum habuit in laudem Hebrææ Linguæ, & Concordiæ. Collegium igitur Philoſophicum dignum judicavit eum, cui Magiſterii dignitas 5. Aug. A. 1596. Promotore *D. Jacobo Henric. Petri* conferretur. Eodem anno Diſputationem publ. de Cœnæ Dominicæ partibus ſub Præſidio *D. Amandi Polani* laudabiliter ſuſtinuit.

Magiſter Philoſ.

12. Martii A. 1597. Dn. Patre volente in *Angliam* iter ſuſcepit, & onuſtus literis commendatitiis Rectoris Academiæ, nec non Dom. Parentis ad *Eliſabetham Angliæ* Reginam, ad Academiam item *Cantabrigienſem* per *Argentinam*, *Heidelbergam*, *Francofurtum*, *Colon. Agripp.* 8. April. appulit, â *Carolo Utenhofio* Poëta humaniter exceptus.

Illinc *Düſſeldorpium* abiens & *Trajectum* verſus tendens â graſſatoribus *Hiſpanis* exſpoliatus, pallio & pileo globis aliquot perforatis, capillisque capitis exuſtis vix mortis periculum evaſit. Dimiſſus verò tandem, omnibus ſuis rebus amiſſis, *Weſeliam* aſſecutus eſt, ubi *D. Brantius* Scholæ Rector lares hoſpitalitios ad dies 14. aperuit.

A militibus exſpoliatus.

Deindè per *Trajectum*, *Amſtelodamum*, *Lugdunum Bat. Roterodamum*, *Middelburgum* venit, quibus in locis omnium Bonorum, maximè Miniſtrorum Beneficentiâ perfuſus eſt, donec tandem *Vlißingam* pervenit, & 18. Maji deſideratam *Angliam* ingreſſus eſt.

Rectâ igitur *Cantuariam* properans per *Roffenſe* oppidum, quo loci aquas ingentibus navigiis Prætorianis ſtratas vidit, *Graviſendam* proceſſit, & in cymbam ſublatus ſuper *Tameſin Londini* tandem appulit.

Londinum venit.

Hîc ſine morâ literas Parentis *D. Aſcanio de Renialme*, Convictori olim ſuo *Baſileæ*, inſinuavit. Seq. die inviſit *D. M. Jeckelmannum*, â quo humaniter exceptus, & ad *D. Edoardi Zuſii* Baronis ædes fuit deductus: Iſte eum comitio duorum Miniſtrorum ad aulam *D. Stafforții* ablegavit, â quo ſingulari manſuetudine ſalutatus Reverendiſſ. D. Archiepiſcopi Arbitri Secretorum Regii humanitati fuit demandatus, qui lectis literis commendatricibus, & ſcopo peregrinationis agnito Chriſtianisſimæ Reginæ horum omnium ingesſit mentionem. Hæc Archiepiſcopo in conſilium vocato, illum, Diplomate ad Proceres Academiæ *Cantabrigienſis* dato, de convictu ſumptibus Regiis ei ſuppeditandis, idque jure Privilegii Avo ejus *D. Bucero* â Rege *Edoardo VI.* ob magna in Eccleſias *Anglicanas* merita collati, ex aulâ dimiſit.

A Reginâ Angl. Eliſabethâ clementer exceptus.

Conſcendit igitur rhedam & 2. Junii *Cantabrigiam* totius itineris metam feliciter attingit. Ibi D. Doctor *Radiliff* monſtrat illi ædes olim â *Bucero* avo ſuo inhabitatas: prandio excipitur in Collegio *Trinitatis*: cœnâ in æde D. Vice-Cancellarii, in quâ 22. Doctores promoti unà menſæ accumbebant.

Ibidem 11. Julii A. 1601. S. Theol. Licentiatus publicè fuit renuntiatus, & eâ de cauſâ â *Roberto Cecilio*, Cancellario Academiæ *Cantabrigienſis* Teſtimonium illuſtre accepit.

Theol. Licentiatur Cantabrigiæ.

In patriam, perluſtratâ prius *Galliâ*, reverſus 27. Sept. A. 1601, & mox in Candidatorum S. Miniſterii album cooptatus, ſubindè CHRISTUM ex ſuggeſtu publicè prædicare cœpit, vicesque Parentis ſenio confecti alacriter ſuffulcivit. In quâ Provinciâ cum ultra triennium deſudâſſet, in Patris defuncti locum communibus cœtûs illius ſuffragiis eſt ſuffectus 10. Sept. A. 1605.

Patri in Miniſterio ſuccedit.

Anno ſeq. 1606. 15. Sept. Conjugii fœdere ſociatus eſt virgini *Mariæ*, *D. Bernhardi Brandii* Tribuni plebis filiæ, nepti D. *Theodori Brandii*, Conſulis *Baſil.* Benedictionem Divinam mox perſenſerunt pii Conjuges, filiolum ex ſe natum conſpicientes *Jacobum Gedeonem*, & mox filiam. Sed 17. Nov. A. 1610. Uxor peſte dirâ avulſa quadriennem Conjugii ludum finiit: hanc mox ſecuta filioli animula, ſuperſtite derelictâ cum Patre mœrore tabeſcente unico Conjugii pignore filiolâ.

Conjugium ejus duplex, & Liberi.

20. Jan. A. 1612. Hæredis amore & amicorum hortatu compulſus ad ſecunda vota tranſiit cum virgine *Valeriâ*, filiâ *D. Emanuelis Rüdini*, Mercatoris *Baſileæ* celebris, cujus Pater *D. Jacobus Rüdinus* Tribunus plebis in patriâ fuit, qui præter Legationes plurimas Magiſtratûs nomine ſuſceptas A. 1549. Regem *Galliæ Henricum II.* cum aliis *Cantonum* Delegatis acceſſit, ad conſœderationem olim ſub *Ludovico XI.* cœptam renovandam ac ſtabiliendam, qui omnes torque aureâ regio dono exornati fuêre, quam *Jac. Rüdinus* domum reverſus ærario publico conſecravit. Ex hâc alterâ conjuge 8. ſuſcepit liberos, è quibus trium filiorum & duarum filiarum funera cum ſummo mœrore vidit, ſed acerbisſimum erat funus *Jacobi*, filii primogeniti, qui tum *Baſileæ* tum *Cantabrigiæ* in *Angliâ* paternis inſiſtens veſtigiis per 4. annos in Collegio *S. Trinitatis* ſtudiis ſacris invigilavit, idque ſumtibus Regiis, ex ſtipendio familiæ *Meyerianæ* primùm â Rege *Edoardo VI.* ordinato, poſteà verò ab *Eliſabethâ* Reginâ & *Jacobo* Rege confirmato: ſed redux ex *Angliâ* peſtilenti turbine afflatus tridui ſpatio inſtar lilii fragrantis emarcuit 19. Sept. A. 1634. æt. 21.

Filius ejus Jacobus peſte obiit.

Superſtites verò reliquit filios *Emanuelem*, & Jac. *Maximilianum*, quem natu minorem Docturæ Philoſophicæ axiomate condecoratum â Dn. *Rodolpho Weſtenio*, Theol. D. & Philoſ. Profeſſore, eundemque ſtudium literarum Theologicarum alacriter ingredientem vidit.

In munere ſuo Eccleſiaſtico ad operas etiam Academicas ſeſe applicuit: viventibus namque *D. Joh. Jac. Grynæo*, & *D. Amando Polano* Lectiones Disputationesque habuit vicarias permultas. Mox *D. Polano* A. C. 1610. piè defuncto tàm ipſi, quàm *M. Georgio Großio* Paſtori *Elizabethano*, & *M. Sebaſt. Beckio* â Dominis Scholarchis publicæ ex Cathedrâ Theol. docendi vices demandatæ erant, donec ordinarius Profeſſor in locum defuncti ſubrogaretur.

Profeſſor Theol. vicarius.

Tractavit hâc oblatâ occaſione *Geneſ. c. 3.* de hominis ex ſtatu innocentiæ in ſtatum peccati lapſu horrendo lenociniis ſerpentis veteratoris procurato. Medios inter hos labores 14. Jan. A. 1611. beatam memoriam *D. Amandi Polani* Oratione Panegyricâ immortalitati conſecravit.

Conſpectâ igitur & variis ſpeciminibus comprobatâ Virorum horum trium induſtriâ venerabilis ſenex D. D. *Grynæus*, providi inſtar Patrisfamiliâs S. Theol. Docturæ gradum illis nec ſomniantibus, nec petentibus obtulit, & 21. Maji in Theatro Academico ſolenniter, ac *Meyerum* quidem ordine primum, Doctores S. Theologicæ creavit.

Theol. Doctor.

Tunc ab exercitiis Academicis nequaquàm ſibi temperavit, ſed unà cum *D. Großio* in gratiam juventutis Theologicæ Locos communes, ſeu controverſias Theologicas tractandas ſuſcepit: nam alternis ſeptimanis Diatriba Theologica publica, ſeu ordinaria ſeu extraordinaria ſub ejus præſidio habebatur. Menſtrua quoque ſpecimina tum Declamationum, tum Concionum ſacrarum in

Palæſtrâ

Palæſtrâ Theologicâ à Studioſis exhibenda ſtudio indefeſſo curavit.

Ita non tantùm ex ſuggeſtu CHRISTUM Cœtûs ſacros docuit, ſed etiam ex pulpito & Cathedrâ Theol. Studioſis Divina Oracula prodidit, usque ad A. C. 1618, quo Synodus *Dordracena* coacta fuit contra Theologaſtros quosdam *Belgicos*, qui 1. non uni gratiæ, ſed hominum meritis & Libero Arbitrio Salutem acceptam referunt, 2. Mortis CHRISTI meritum pretioſum latiùs, quàm par eſt, extendunt, dum omnibus ac ſingulis hominibus remisſionem peccatorum & ſalutem eâ impetratam garriunt, *Caino* æquè ac *Abelo*. 3. Electionem â fide prævisâ, Reprobationem ab infidelitate ſuſpendunt 4. Fidem ſalvificam amitti, eâque donatos indè penitùs excidere poſſe vociferantur. Ad quæ dogmata jugulanda cum Magnifici Ordines *Belgici* ex omnibus *Germaniæ* oris Theologos celeberrimos provocâſſent, Senatus *Baſilienſis* ex Theol. Profeſſoribus Doct. *Sebaſt. Beckium*, & ex religioſo Eccleſiaſtarum Collegio *D. Wolfgangum Meyerum* hunc deputavit, qui d. 2. Octob. cum reliquis trium Civitatum Reformatæ *Helvetiæ* Delegatis *Baſilêâ* diſceſſerunt, & 21. ſeq. *Dordracum* venerunt.

Arminianorum dogmata.

Legatus ad Synodum Dordrac.

Durante Synodo & feriantibus ſeſſionibus, pleraſque civitates *Hollandicas* perluſtrat, 11. Dec. cum *D. Triglandio Roterodamum*, & indè per *Delphos Hagam Comitis* profectus, compellat inibi operâ Legati *Anglici Charletoni* Illuſtr. Principem *Auriacum Mauritium*, eique exemplar libri ſui *Dordraci* excuſi obtulit, âquo gratioſè habitus eſt.

Mox *Bredam*, *Antverpiam*, *Bruxellam*, *Mechliniam*, *Sibenburgum*, *Harlemum*, & *Amſtelrodamum* inviſit, & cum Theologis omnium locorum familiaritatem ſibi comparavit. 10. Febr. A. 1619. peroravit in Synodo de Perſeverantiâ Sanctorum, paulò pòſt â Præſide Synodi juſſus commonefactionem publicam inſtituit ad Proceres Reip. ad Patres Synodi, & fratres Remonſtrantes, ob quam Præſes Synodi *Joh. Bogermannus* ei coram toto conſeſſu gratias egit.

Peroravit in eâ Synodo.

Synodo hâc ad finem perductâ, *Dordraco* diſceſſit in *Angliam*, & 16. Maji A. 1619. *Londinum* pervenit, 22. Maji *Gronevicum* abiens, accedit ad latus Regis *Jacobi*, & dextro genu in tabulatum deflexo pacem & benedictionem illi â DEO precatur, ſimulque offert ei librum *Mart. Buceri* Latinâ civitate â ſe donatum, & eidem Regi dedicatum, de Defenſione Chriſtianæ Reformationis Eccleſiar. Evangelicar.

Iter ejus in Angliam ſecundum.

Colloquium ejus cum Rege Jacobo.

Rex manum illi deoſculandum porrigit, & cauſas itineris ſui exponenti, multa de *Arrianis* diſſerit, deque Catechiſmo eorum conqueritur, ſibi â Patrono ejus Sectæ in *Poloniâ* dedicato: quærit an *Conradi Vorſtii* Opera translatione digna cenſeret? is verò intrepidè reſpondet, comburio potiùs, quàm translatione & propagatione digna eſſe.

Poſtridiè *Cantabrigiam* intravit, ubi ſummâ cum gratulatione receptus, veterem amicitiam cum viris doctis renovavit, qui toti erant in eo penes ſe retinendo, Epiſcopi aut Archiepiſcopi dignitate promiſsâ: ſed Collegis abitum urgentibus gemebundi â ſe dimittunt, & de novo publicum illi tradunt Teſtimonium, ſubſcriptionibus Univerſitatis & Eccleſiæ Antiſtitum munitum, in quo Filio ipſius poſtquàm pubertatis annis exceſſerit, commeatum inter ſocios ſumtibus Collegii decreverunt, modò Patris Avique veſtigiis inſiſtenti morari apud illos placuerit.

7. Junii *Cantabrigiæ* valedicens, *Lutetiam Pariſior.* tandemque per *Campaniam* & *Lutharingiam Baſileam* repetiit, & ad labores ſanctos ſe iterum accinxit.

A. 1621. Petente per literas Senatu *Mülhuſino*, & jubente Magiſtratu patrio *Mülhuſium* profectus, ritûs ibi Pontificios reformavit, & cruſtulos illos nummularios azymos è S. Cœnâ eliminans panem nutritium repoſuit. Sub finem anni recipiens ſe in patriæ dulcedinis portum ſtrenuum Athletam in Eccleſiâ DEI ſe præſtitit, usque ad A. 1630. quo ad dignitatem Archidiaconi fuit evect*.

Mülhuſi Eccleſiam repurgavit.

Archidiaconus Baſil.

Literarium commercium coluit cum Viris eruditis quamplurimis, qui literis celeberrimis ipſum fatigârunt, adeò ut non centuriæ, ſed myriades Epiſtolarum ex omnibus terris in ipſius literarum ſacrario viderentur.

A. 1643. Ex Acidulis *Sultzbacenſibus* redux lethargo diuturno correptus, divinitus tamen convaluit, & munere ſuo Eccleſiaſtico fungi ſtrenuè perrexit. 5. Sept. A. 1653. ſermonem nuptialem habens ex *Epiſt. ad Hebr.* 13. Honorabile eſt inter omnes Conjugium, eumque hoc voto concludens, ut olim terrenum noſtrum conjugium in cœleſte cum Sponſo JESU CHRISTO permutetur, apoplexiâ in ſuggeſtu correptus, & â mortis limine per inducias breves revocatus, toto corpore languidus domum reverſus eſt, & nocte ſeq. exſpirans voti ſui compos factus eſt 5. Sept. A. C. 1653. æt. 76. Miniſt. 52.

Mor. apoplexiâ.

* *Ex Oratione Panegyricâ M. Samuelis Kelleri, Eccleſ. Baſil. Miniſtri, habitâ Baſileæ 22. Maji A. C. 1655.*

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta.

Münſteri Coſmographia variis Regionum imaginibus colluſtrata, & usque ad A. C. 1628. adaucta.

Diabolus albâ veſte tectus, der weiſſe Teuffel / *quo libro fraudes hypocritarum ſub pietatis larvâ latitantes depinguntur.*

Lavacrum Regenerationis ſub typo Thermarum Badenſium propoſitum.

Praxis Pietatis ex Anglico idiomate in Germ. translata.

Fulcimentum Gladii Chriſtianorum Regum, Principum, & Magiſtratuum Guil. Pryn Angli, de puniendis hæreticis & ſectariis, contra hodiernos turbatores Eccleſiæ Anglicanæ directum, ex fonte Anglico in alveum Romanum derivatum.

Theoremata ſub ejus Præſidio Baſileæ publicè habita,

Digitized by Google

habita, de vulneribus Eccleſiæ Rom. nedum curatis, de Vocatione, de Adoratione & Invocatione Sanctorum.

Obiit A.C. 1653.

HENRICUS TEUBELIUS.

Filius & diſcipulus Theologi.

NAtus eſt in pago Harſtorff / die trium Regum A.C. 1593, Patre Viro Rever. Dn. *Thomâ Teubelio*, Eccleſiæ, quæ illic colligebatur, Paſtore; Matre *Annâ Moltzerianâ*. Patre dicto non ſolùm altore & educatore, ſed infantiæ quoq; informatore & morum correctore uſus eſt vigilantisſimo. Poſtquàm verò & ætatis ratio & laboris, quibus in functione obrutus erat parens emeritus, ulteriorem ipſi in filium informationem denegabant, miſſus eſt hic in Scholam *Culmbacenſem*.

Accidit verò paulò pòſt, ut bonæ ſpei puer, ſuaſu cujusdam amici, fuerit informationi traditus Viri *Balthaſaris Geisleri*, Cantoris in Goldcronach / & Pædagogi tunc laudatisſimi, qui propter ingenii, quam in diſcipulo invenit, capacitatem, operam in tyrociniis ejus promovendis collocavit. Tantum enim indies in literis profecit *Teubelius*, ut dignus fuerit judicatus, qui *Byruthum* ad mercatum literarum & artium iſti ætati convenientem mitteretur: quâ in Scholâ quartæ Claſſis diſcipulus factus, vix anno elapſo tertiam & ſecundam præteriit, & ad primam promotus eſt, Præceptoribus ejus induſtriam admirantibus & commendantibus. *Diſcipulus Byruthi,*

& Islebii. Jactis *Byruthi* linguarum & imprimis Latinitatis fundamentis, ablegatus eſt *Islebium* ad Virum Rev. Dn. D. *Chriſtophorum Schleupnerum*, â quo propter bonam indolem & diligentiam adoleſcens ſemper fuit amatus, id quod ipſum movit, quod totum triennium illo in loco commoratus numero Scholaſticorum annumerari ſe paſſus eſt.

Iter exindè ſuſcepit ad *Weſtphalos*, ſed fortunâ non omni ex parte ſecundâ: graviter enim decubuit, & 6. menſes febri ardente laboravit. Sanitati reſtitutus *Holſatiam* petiit, & indè ad inferiorem ſe contulit *Saxoniam*.

Inſcio autem parente non auſus eſt vitam Academicam experiri, quin domum reverſus mentis quid haberet debitâ cum reverentiâ aperuerit, & genitoris conſenſum exoptaverit. Ille, qui tunc Paſtor in Trebsgaſt legitimè vocatus, locum iſtum accedere meditabatur, nati approbavit conatum, quò faciliùs compos fieret voti ſuaſit, de ſtipendio, quod Principis erogabat liberalitas, ut ſibi proſpiceret.

Poëta 300. verſibus incendium Byruthinum deſcripſit.

Arripuit id conſilii filius, & literas exaravit ſupplices, quibus Carmen de incendio *Byruthino* 300. circiter verſibus conſtans, fœcundâ, quâ natura ipſum donaverat, venâ fuſis indidit, & Nob. Dom. *Friderico Ulrico* â *Forell* Principis tunc Cancellario ſubmiſſè tradidit. Scriptum illud, quod vel *Atticam* deguſtandam præbebat dulcedinem, & *Virgilianâ* elegantiâ irrigatum erat, adeò commendabat authorem, ut Princeps illius petitui clementer annueret.

Non ſolùm magni beneficii loco numerabat id adoleſcens pecuniæ pauper, naturâ dives, & eruditione nulli cedens, ſed in id etiam totis viribus incumbebat, ne cauſa de ſumptibus malè impenſis querendi relinqueretur benefactoribus.

Quocirca Patris voluntate & pace *Wittebergam* Parnasſium Muſarum culmen aſcendit A. 1614, & totum quinquennium illi loco quaſi affixus permanſit. Ibi libros diurnâ ſimul & nocturnâ manu evolvit, Profeſſores ſedulus audivit, lectiones auribus & calamo excepit, Diſputationibus & aliis exercitiis Academicis ſæpiùs interfuit, nec quicquàm quod ad ſtudia maturanda vel bonos mores excolendos requiri videbatur, in ſe claudier eſt paſſus. Ibidem A. 1619, poſtquàm prius publico & privato examini ſe ſubmiſerat, Magiſter Philoſ. & bonar. artium cum laude publicè creatus eſt. *Witteberga Magiſter creatus.*

Muſicæ Præfectus Culmbaci.

Brevi pòſt accidit, ut *Culmbacum* vocaretur ad Præfecturam, quæ vacabat Muſicæ, tale quid ne exſpectans, nec cogitans: quod munus cœlitùs quaſi ſibi oblatum lubens ſuſcepit, & 7. annos cum Scholaſticorum fructu adminiſtravit. Sed inſuper etiam ſtudio Theologico, cui â primis ſe conſecraverat annis, operam dedit, & aliquoties concionantem omnes auditores demirati ſunt, qui tantum etiam precibus ſuis ab iis, penes quos erat, impetrârunt, ut Diaconus *Culmbacenſis* conſtitueretur, cui tamen provinciæ ſaltem ſeptimanis 27. præfuit. Nam his præterlapſis, prævià iterum legitimâ vocatione *Byruthi* infimo Diacono A. 1626. ſucceſſit. *Diaconus Culmbaci, & Byruthi.*

Superintendens Curiæ.

A. 1634. Poſtquàm Reverendus Vir M. *Jacobus Seufartus* diem ſuum obierat, ab inclyto Reip. *Curienſis* Senatu ad Superintenduram illius urbis vocatus, & ab Illuſtriſſ. Principe confirmatus, 19. annos ita ſpartam hanc ornavit, ut fama ejus etiam poſt mortem manſerit non mortua.

Conjugium ejus duplex.

A. 1620. Uxorem duxit virginem *Roſinam*, Rever. Viri Dom. *Pauli Maureri*, Paſtoris in *Troſefeld* & Capituli *Curienſis* Senioris filiam, quæ ex hâc vitâ abiit, nec abitum ſobole compenſavit. Poſtquàm iterum animum matrimonio applicuit, ſociam ſibi elegit Virginem *Barbaram*, Viri Reverendi Dn. *Georgii Steinigeri* V. DEI Miniſtri in Weiſſenſtadt filiam. Ex eâ ſeptem ſuſcepit liberos, filios 4. & filias 3, ex quibus 5. præmiſit, duo autem in vivis manſerunt, filius nempè M. *Matthæus Teubelius* S. Theol. Candidatus, & Oriental. Linguarum Studioſus, & filia *Catharina*, quæ nupſit M. *Joh. Beyero*, Eccleſiæ *Curienſis* Syndiacono.

Philologus.

Vir fuit, in quo laudandarum artium omnium ſeges effloruit uberrima Gnarus fuit Linguarum non ſolùm Latinæ & Græcæ, adeò ut illa Ciceronianam ſpiraret, hæc *Demoſthenis* imitaretur eloquentiam: ſed etiam *Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ*, & ex parte quoq; *Italicæ*: benè calluit Philoſophiam Theoreticam

Digitized by Google

Hiſtoricus & Poëta. ticam & Practicam, ut ſi periculum cum eo feciſſes, de materiâ quâdam Philoſophicâ diſputandi, facilè cum pudore ſtetiſſes. In lectione Patrum fuit exercitatus, antiquitatum peritus, in hiſtoriis verſatus, & in carmine fundendo felix.

A. 1632. Unà cum 24. viris aliis à Marchione de *Granâ* captivus abductus, admodùm dira & dura paſſus, tandemque 300. Joachimicis ſe ſolum redimere coactus eſt. A. 1652. Cum manipulus furum clanculùm ex Gymnaſio *Curienſi* aufugiſſet, & omnes maledicâ linguâ ſparſiſſent, ad nomen *Teubelii* alludentes, diſceſſionis ſuæ diabolum eſſe cauſam, idque ipſi ſignificatum fuiſſet, ſubridens reſpondit, nebulones iſtos magis vera nunquàm dixiſſe, ſiquidem diabolo authore, ſuaſore, & ductore eos abiiſſe.

Die tandem *Bartolomæi* in mediâ ferè Concione, quæ ultima ejus fuit, filum coactus abrumpere, & æger domum deportatus, paucos poſt dies viribus evaneſcentibus placidè *Moritur.* in CHRISTO exſpiravit 10. Sept. A. C. 1653. æt. 60.

Scripta. Manuſcripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Hiſtoria Mundi, Imperatorum, Virorum Clariſſimorum, & mirabiliū per Decades conſcripta.

De dictis & rebus geſtis memorabilibus Ducum, Marchionum, & Electorum Illuſtriſſ. Domûs Brandenburgicæ.

Comment. in Canticum Salomonis, quem paulò ante mortem typis deſtinavit.

HEINRICUS TEUBELIUS.
Per Anagr.
En jubilet hic ſervus!
Et omiſſâ aſpiratione:
Vivis: leniter cubas!

* *Ex Oratione fun. M. Joh. Waltheri, Gymnaſii Cur. Rectoris. Et ex Concione fun. M. Georgii Kuffneri, Archidiaconi Cur.*

GUILIELMUS LYFORD.

Obiit A. C. 1653.

IN *Angliâ* apud Peysmore juxtà *Newburgum*, vulgò Newbury, in agro *Bercherienſi*, Miniſtro patre natus, cum ſedecim annorum eſſet, *Oxonii* in aulam *Magdalenenſem* 1615. admiſſus eſt. Poſt biennium hujus Collegii Semicommunarius, & mox Socius evaſit.

Deindè Artium Magiſter & Sacris Ordinibus initiatus, non longè ab *Oxonio* ad plebem concionari cœpit, donec tandem, poſt *Theol. Baccalaureus.* Baccalaurei in S. Theologiâ gradum A. 1631. ſuſceptum, ad Eccleſiam *Shirebornenſem*, in *Eccleſiæ Shirebornenſis Miniſter.* agro *Dorcetenſi* translatus eſt. Ibi tum concionando, tum ſcribendo totus incubuit, plurimosque tractatus Theologicos, pietatis, zeli, nec non ſinceritatis opinione claros publicavit. Inter quos hi ſequentes ſunt de numero, videlicet

Ejus Scripta. *Detectio Errorum, hæreſeun, & Blaſphemiarum, quæ in noſtro ſeculo enatæ ſimul & toleratæ ſunt; ſub teſtimoniis Miniſtrorum Londinenſium collecta & teſtificatæ.* Lond. 1655. Angl.

Fundamenta Religionis Chriſtianæ, ſive fidei & bonæ conſcientiæ principia. Lond. 1642. Oxon. 1652. &c. Angl.

Autoritas Magiſtratuum circa res ſacras, cum libertate Chriſtianâ conciliata. Angl.

Interpretatio Cognominum, quæ in multis Legibus occurrunt. Lond. 1655.

Legatum, ſive adjutorium junioribus Chriſtianis, ad Sacramentum Eucharistiæ accommodatum. Lond. 1656. Angl.

Conciones variæ. Lond. 1648. 54. & 55. Ang.

Obiit 3. Oct. 1653. & in medio Eccleſiæ *Moritur.* prædictæ choro, ſub ipſâ ſacrâ menſâ ſepelitur, cum epitaphio vernaculâ linguâ ſcripto. Teſtamento, Collegio *Magdalenenſi* centum viginti libras legavit, quas olim (ut ipſe agnovit,) ſodalitii ſui pretium reſignaturus accepiſſet, hanc ergò pecuniam, in uſum probi alicujus, & indigi ibidem Studioſi, tanquàm per modum reſtitutionis erogavit.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

FRANCISCUS DE SACRA QUERCU, vulgò HOLYOKE.

Obiit A. C. 1653.

AD *Whitacriam inferiorem*, in Comitatu *Warwicenſi* natus, eruditionis Academicæ tyrocinium *Oxoniæ* in Sodalitio *Reginenſi* poſuit. *Southamiæ* dein, apud po- *Eccleſiæ Miniſter Southam.* pulares, Evangelium enuntiavit, & propter doctrinam ſimul morumque gravitatem in conventum Clericalem, primo *Caroli I.* anno habitum, aſſumptus eſt.

Fato ſuccubuit 13. Nov. A. 1653. ætatis *Moritur.* 87. & in Eccleſiâ *San-Marciana Warwycenſi* ſepultus jacet.

Scripſit:

Scripta. *Dictionarium Etymologicum Latinum Anglicè explicatum, cum Rideri Dictionario Anglico-Latino.* Lond. 1606.

Concionem de Obedientiâ in Hebr. 13. v. 17. Oxon. 1610.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

CHRISTOPHORUS SCHEIBLERUS.

Obiit A. C. 1653.

ARmsfeldiæ, in Comitatu *Waldeccenſi* non procul ab oppido *Gemundâ* mundum ingreſſus eſt, die *Nicolai* A. C. 1589. *Fil. Theologi.* Patre M. *Johanne Scheiblero*, Eccleſiæ illius loci Paſtore, Matre *Eliſabethâ Schmändiâ*.

His Parentibus in pueritiâ A. 1597. orbatus, ab agnatis *Gemundam* ad *Wobram* miſſus in Scholam, & poſteà *Marpurgum*, cum ibi quadriennii ſpatio Claſſes Pædagogii pertranſiviſſet, A. 1603. ætatis 14. à M. *Theodoro Vietore* Pædagogiarchâ Studioſus Publicus declaratus eſt. A. 1606. In Academiam *Gieſſenſem* progreſſus in ſtudiis Philoſophicis, Linguarum & Theologiæ tantos fecit *Baccalaureus, & Philoſ. Magiſter Gieſſæ.* profectus, ut anno ætatis 16. Gradum Baccalaurei à M. *Nicolao Braunio*, & anno æt. 18. ſub M. *Finckio* Gradum Magiſterii Philoſophici cum laude & honore, ſecundo inter 28. Competitores loco obtinuerit.

Profeſſor Ling. Græcæ, Logicæ, & Metaphyſ. A. æt. 21. 16. Martii A. 1610. ætatis 21. ad linguæ Græcæ Profeſſionem in Academiâ Gieſſ. vocatus, & brevi pòſt M. Aug. Logicæ Metaphyſicæ quoque Profeſſor declaratus eſt.

 A. 1614.

Digitized by Google

Phyſ. Prof. extraord. A. 1614. Extraordinaria Phyſicæ Profeſſio cum Pædagogiarchæ munere ipſi concredita fuit. A. 1616. Decanus in Facultate Philoſophicâ declaratus, & A. 1617. Rector Magnificus Univerſitatis *Gieſſenſis* electus eſt. A. 1624. Univerſitate *Gieſſenſi Marpurgum* translatâ, ipſe anno ſeq. 1625. ab urbe Imperiali *Dortmandâ* vel *Tremoniâ* vocatus, Superintendentis & Rectoris Scholarum ibidem munus feliciter aggreſſus eſt, binas ſingulis ſeptimanis Conciones habens, in Gymnaſio quotidiè Lectiones Theologicas, & Collegia Metaphyſicum, Hebræum ac Theologicum obiens, in variisque Diſputationibus Præſidis officio functus. *Superint. & Scholarum Inſpector Dortmundæ.*

Varias intereà Vocationes inſignes *Brunſvicum*, *Hamburgum*, *Amſtelrodamum*, *Marpurgum*, & ad Principes *Anhaltinos* modeſtè recuſans, apud *Dortmundanos* vitam finire decrevit.

Conjugium ejus duplex. Anno DVCebaMVs (1610.) primum Conjugii fœdus iniit *Francofurti* ad *Mœnum* cum virgine *Urſulâ*, *Mauritii Rosbecheri*, Mercatoris *Spirenſis* filiâ, ex quâ 6. filios & 3. filias ſuſcepit, tres filios verò cum filiâ præmiſit. Hanc conjugem febre *Hungaricâ* A. 1632. ſibi ereptam hoc Chronoſticho luxit:

Vxor ab Vngareâ Mea LæDItVr VrſeLa febrI.

A. 1633. Altera ſponſalia celebravit cum *Catharinâ Nyſſiâ*, *Melchioris Freytagii*, Jur. Doctoris, viduâ, quam ſterilem reliquit ſuperſtitem. Filiam *Barbaram Catharinam* A. 1634. deſponſavit D. *Joh. Conrado Schragmüllero*, Theol. Prof. tunc temporis, poſteà Paſtori primario *Spirenſi*.

Filii *Joh. Chriſtophorus*, *Petrus Arnoldus*, & *Johannes*, omnes in Academiis Magiſterii honore inſigniti, ad munera publica venerunt.

Cum tandem in *D. Mart. Lutheri* honorem concionari decreviſſet, mox Cathedram conſcenſurus in Sacrario apoplexiâ correptus exſpiravit d. 21. Nov. A.C. 1653. æt. 64. *Tremoniæ*. *Moritur.*

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia: *Scripta.*

Tractat. de Animâ.

Liber Sententiarum ſeu Axiomatum. Quæ duo Studioſus fecit.

Synopſis totius Philoſophiæ.

Opus Logicum, & Metaphyſicum.

Theologia Practica per omnes Articulos Fidei.

Diſputationum Philoſ. Centuriæ III.

Diſputationes de antiquâ Fide Catholicâ.

Aurifodina Theologica, oder Theologiſche und geiſtliche Goldgrube / das iſt / Teutſche *Theologia Practica*.

* *Ex Perſonalibus Concioni ipſius funebri ſub finem Aurifodinæ Theol. additis.*

SEBASTIANUS BECKIUS.

Obiit A.C. 1654.

BAſiléæ lucem hanc primùm aſpexit 1. Octob. A.C. 1583, Parentibus honeſtis progenitus *Valentino Beckio*, cive honeſto, & *Marthâ*, filiâ *Joh. Hulderici Iſelii*, J.C. ab *Alciato* quondam *Papiæ* promoti.

A teneris unguiculis publico literarum contubernio commendatus eſt, & imprimis *Joh. Beato Helio* ad fingenda ingenia nato, ſub cujus moderamine poſtquàm fœcundos ingenii ſui agellos primâ ſemente inſeviſſet, aliquot poſt annos in Caſtra Academica fuit translatus, nomenq; ejus ab *Henrico Juſto* in pyctacium Acad. relatum: ubi audivit docentes *Jac. Henricpetri* Oratorê, *Mart. Chmielecium* Dialecticum, *Petrum Ryffium*, Mathemat. *Thomam Coccium*, Ethicum, *Henr. Juſtum*, Organicum, *Jacobum Zwingerum* Græcum, & *Joh. Buxtorfium* Hebræum.

Poſt A. 1604. M. April. Diribitore *Friderico Caſtalione*, Rhethorices Prof. unà cum aliis Artium liberalium Magiſter creatus eſt. Dehinc ſub *Joh. Jacobo Grynæo*, ejusque Genero *Amando Polano* S. Theologiæ miro cum ſtudio vacavit, & in exercitiis omnibus aliis præluxit. *Fit Philoſ. Magiſter.*

Eos verò ſexennii ſpatio progreſſus fecit, ut cum A. 1610. peſtis graſſata complura *Baſiléæ* ornamenta abſumſiſſet, ex eâque 18. Julii *Amandus Polanus* vivere deſiiſſet, *Grynæus* ſermone publico *Beckii* dotes in Theatrum proferendas cenſuerit. Hinc ei & duobus ſtrenuis collaboratoribus M. *Wolffgango Mayero* & M. *Joh. Georgio Groſſio* Verbi Divini in Eccleſiis *Albanâ* & *Eliſabethanâ* Miniſtris publicas docentium partes demandavit, ut ne Theologorum ſacra poſt ſtragem illam peſtilentialem collabaſcerent, conſuetis eorum exercitiis tantiſper defungerentur, dum *Polano* de Succeſſore idoneo proſpiceretur.

Quin & A. ſeq. 1611. *Grynæo* eidem Virorum trigæ Doctoratûs Inſignia deferente, *Beckius*, præmiſſâ pridiè Pentecoſtes de primâ Pſalmi LI. pericope Diſputatione inaugurali, 1. Junii cum præfatis Collegis ſuis Doctoris titulum reportavit, atque tum vices beati Præceptoris ſui ſtrenuè adminiſtravit. *Fit Doctor Theol.*

Contigit enim, faciente DEO, ut Nonis Jun. A. 1612. ad ſuſtinendam poſt *Polanum* Veteris Teſtamenti Profeſſionem, & M. Aprili A. 1618. ad eam, in quâ conſenuit, Novi Teſtamenti Provinciam acciretur, cum ſemeſtre ſpatium antè *Jacobus Grynæus* obiiſſet. Tum de ducendâ ſibi uxore cogitavit, animumque ad Virginem *Annam Mariam*, *Joh. Rudolphi Burckardi*, fori Judiciarii Aſſeſſoris filiam applicuit, quæ ipſi paulò pòſt fuit deſponſata. *Profeſſor Theol.*

Sed nuptiarum feſtivitates vis major interpolavit: dum 16. Cal. Octob. anni 1618. ab *Helvetiæ* reformatæ Proceribus cum *Wolffgango Mayero* Miniſterii nomine delegatus eſt ad Synodum, quæ *Dordraci* propter *Arminianorum* turbas inſtituebatur. *Mittitur ad Synodum Dordracenam.*

Adſcito itaque ſibi M. *Johanne Reinharto* ſecundo *Rheno* iter ingreſſus cum *Dordracum* pervenit, id imprimis curæ habuit, ut lites maturis ſanctisque Conſiliis ſopirentur, ut & fortunata deindè fuit iſtius Concilii Cataſtrophe, dum finita Synodus eſt 3. Cal. Maji A. 1619.

Beckius verò pedem in alia prius loca efferre noluit, quàm urbes vicinas *Delfos*, *Hagam Comitis*, *Lugdunum*, *Harlemum*, *Amſtrodamum*, aliasque perluſtràſſet. *Urbes vicinas Belgii perluſtrat.*

Tan-

Digitized by Google

Tandem ex fortunatis Provinciis & complexibus complurium Amicorum, *Pauli* imprimis *Toſſani*, avulſus, vaſtam Oceani navim conſcendit in *Angliam* trajecturus.

In Angliam transfretat.

Favente itaque *Neptuno* primò *Graveſendam*, ſubindè adverſâ *Tameſi Londinum* totius Inſulæ Metropolim defertur. Hâc relictâ in vicinum *Galliæ* regnum transgreditur, viſurus ibi lilium inter vepreta: *Lutetiam* cumprimis adivit, ibique *Petrum Molinæum* Eccleſiæ *Pariſ.* Reformatæ Paſtorem primarium ſalutavit.

Lutetiam regreditur.

Sed cum Academia Patriam reducem optaret, valere juſſâ *Lutetiâ* per *Campaniam* & *Lotharingiæ* fines 1. tandem Junii domum reverſus eſt, atque tum Nuptias inſtituit M. Aug. 1619. Ex conjuge illâ undenam ſuſcepit prolem, quaternam Maſculam, & fœmineam ſeptenam.

Baſileam reverſus, nuptias hûc uſque dilatas inſtituit.

Ad munus docendi *Baſileæ* reverſus, ſicut prius, dum Theologiæ *Propheticæ* operabatur, *Pſalmos* aliquot, *Decalogum*, & *priorem Geneſeos partem* enarraverat, ita nunc *Apoſtolicæ* Theologiæ interpres, poſt ſuas in *Matthæum Lucubrationes*, *Epiſtolam S. Pauli ad Romanos* commentando illuſtravit. Sed & ejusdem *Authoris Epiſtolas*, *Eccleſiæ Galatarum*, *Tito* diſcipulo, & *Hebræorum* reliquiis, in quâ tandem calamum appendit, inſcriptas enarravit.

Laboribus ſtatis periodici acceſſêre non pauci: Magiſtratum enim Academicum quintum, Decanatum ſuæ Facultatis, vix pari exemplo, vicies & quater geſſit. Promotor aliquoties ſalutatus 9. Viris Theologis Doctoratûs Titulum attribuit, Exteris quidem *Georgio Paulo Dantiſcano*, *Henrico à Dieſt Altenano Weſtphalo*, *Elardo Gerbadio Bremenſi*, *Nicolao Vedelio Palatino*, *Joh. Philippo Pareo, Davidis filio*, per literas ob ſenii difficultates promoto, & *Friderico Spanhemio, Palatino*: ex *Baſileenſibus* verò *Theodoro Zwingero*, *Johanni Buxtorfio*, & *Joh. Wollebio*. Atque hoc ipſum inter prima Divinæ bonitatis argumenta numerabat, quod quoscunque Doctores creâſſet, potentiâ DEI organa evaſerint.

Rector Acad. quinquies. 24. Vicibus Decanus.

Viribus tandem ſenſim fatiſcentibus, nunquàm tamen â munere ſuo docendi in Eccleſiâ & Academiâ deſtitit. Sed dies 7. Martii ſuprema ei in terris illuxit. Cum enim illam laboribus conſuetis transmiſiſſet, filios etiam ſuos de more ſe convenientes mirâ vultûs hilaritate excepiſſet, ſacris quin etiam hymnis, ultimâ præſertim Pſalmi 38. ſtrophâ:

Tunc recede longiùs, neu deſeras
Periculis in ultimis,
Accurre, dextram da ſalutarem
Salutis Author unice.

Spiritum recreâſſet, ultima fatorum neceſſitas confeſtim ei imminebat. Vix enim ſecundam inter & tertiam nocturnam ex quodam inteſtinorum dolore evigilaverat, vix de remedio offerendo conjunx cogitaverat; cum ſpiritum ſuum ſubitò Servatori reddidit, nec quod vulgò vitam cum morte, ſed mortem cum vitâ commutavit ſeptuagenario major A. C. 1654.

Subitò moritur.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Baſil.*

JOHANNES MAJOR.

Obiit A.C. 1654.

Natus eſt 26. Dec. *S. Stephano* ſacro A. C. 1564. in pago *Reinſtadio* ſub *Orlamundanâ* diœceſi ſito nobilibus â Portâ vocatis ſubdito. Patrem habuit *Johannem Groſſe* ruricolam honeſtum & pagi illius Judicem, qui unà cum conjuge ſuâ *Margarethâ Ackermanniâ* ultra 80. annum ætatis vixit.

Ortus parentibus ruſticis.

Primos pueritiæ annos in Scholâ patriâ paganâ exegit, in quâ Catechiſmum *Lutheri*, Pſalmos aliquot *Davidis*, & dicta quædam *S. Bibliorum* didicit. Indè anno ætatis 11. ſuaſu Paſtoris illius loci Dom. *Stembleri* in Scholam *Vinarienſem* â Parentibus miſſus eſt, in quâ factus alumnus intra biennium è ſextâ in quartam Claſſem translatus, ſed febri correptus, patriam reviſere coactus eſt.

Recuperatâ valetudine Scholam *Orlamundanam* adiit, ultraque annum inibi ſubſtitit. Hinc *Vinariam* repetens in quartâ Claſſe ſub diſciplinâ *Nicolai Rothii*, *Altenburgenſis*, ſtudia priſtina revolvit, & ſeſquianno poſt primam Claſſem Rectore *Georgio Mylone* ingreſſus eſt, cumque tunc Muſicam ſatis didiciſſet, & voce clarâ præditus Diſcantum ſuaviter caneret, inter Ducum *Vinar.* Muſicos receptus, victum & amictum clementer accepit.

Studia incipit in Scholâ Orlamund. & Vinarienſi.

Fit Muſicus Vinar.

A. 1581. æt. 17. *Berolinum* in *Marchiam Brandeburg.* unà cum condiſcipulis quibusdam excurrit, indè *Stetinum* tranſiens, ibi in Claſſe ſecundâ per illum annum ſtudia tractavit, quo finito *Colbergam* in *Pomeraniâ* venit, & ſub Rectore *Colrepio* annum ferè exegit.

Hinc digreſſus *Curienſem Nariſcorum* Scholam ſalutavit, ibique M. *Chriſtoph. Kadesreuterum*, *Thomam Blebelium*, *Enochum Widemannum*, & *Baltaſarum Menzelium* docentes audivit.

Adit Scholam Curienſem.

Academiam tandem *Jenenſem* A. 1584. unà cum filiis M. *Volcmarii*, Superintendentis *Lobenſteinenſis*, acceſſit, ubi primi anni ſumtûs â parentibus ſuis, poſteà verò locum inter Stipendiarios Ducales nactus eſt, & ſtudia Theologica auſpicatus, Philoſophica non omninò neglexit. Nam Arithmeticæ cumprimis captus amore Theſes de eâdem conſcripſit, quas ſub Præſidio M. *Laurentii* Frünauff/ Facult. Philoſ. Adjuncti A. 1588. publicè defendit, quin & geminam Diſputationem ex Ethicis A. 1590. ſub Præſide D. *Ortolpho Fomanno*, J.C. & Ethices tunc Profeſſ. maſculè propugnavit.

Academiam Jenenſem.

Theſes de Arithmeticâ defendit.

Præcipuè verò Linguam Græcam & Latinam ſingulari fervore excoluit, undè facundiâ ſingulari excellens 16. Febr. A. 1589. Theologum illum magnum D. *Georgium Mylium* ex *Leucoreâ* Academiâ in *Salanam* ad capeſſendam ſpartam Theologicam adventantem, nomine ſtudioſæ juventutis magno numero obviam procedentis in Saliceto, ut vocant, ad pagum Lobſtet / ſub dio tanto cum

D. Georg. Mylium Jenam advenientem Oratione excepit.

Digitized by Google

cum applauſu gratulabundus excepit, ut *D. Mylius* propenſo ipſum amore ſemper abindè fuerit proſecutus, adeò ut cum A. 1592. ineunte à Sereniſſ. Pro-Electore *Sax. Friderico Wilhelmo Wittenbergam* ad viſitandas Eccleſias tàm ibi quàm alibi in Electoratu abiret, *Majorem* ſibi legerit itineris comitem, & aliquot per menſes ſecum habuerit.

Ejusdem anni 1592. 17. Aug. præviâ legitimâ vocatione, & examine conſueto, favore adjutus *D. Antonii Probi*, Superintendentis Generalis, Eccleſiæ *Vinarienſis* Diaconatum obtinuit. Hoc tempore quamvis multæ Eccleſiæ aliæ, *Sangershuſana* nimirum, *Northuſana*, *Butſtadiana*, *Regiomontana* in *Franconiâ*, *Meinungenſis* in Comitatu *Hennenbergico* ipſius operam expetiverunt, ſtatione tamen ſuâ, intervenientibus auditorum precibus, excedere noluit, donec *D. Mylio* A. 1603. M. Oct. *Wittenbergam* ad Profeſſionem Theologicam, Paſtoratum, & Ephoriam generalem obeundam vocato & profecto, jubente & volente Illuſtriſſ. Duce *Sax. Johanne* A. 1605. M. Aprili in munere Eccleſiaſtico Paſtoratûs & Ephoriæ ſurrogaretur. 28. Oct. A. 1611. acceſſit Profeſſio Theologica in locum *D. Petri Piſcatoris* in anni iſtius exordio defuncti ſuffect.

Diaconus Vinarienſis.

Superintendens Jenæ. Profeſſor Theol.

Theol Doctor.

22. Julii A. 1612. Supremo Theologiæ gradu, quem Doctoralem vocant, unà cum *D. Abrah. Langio*, *Vinariæ* Eccleſiaſte aulico & Superintendente generali fuit ornatus, ſumtibus ad convivium cum muneribus ab Illuſtriſſ. Duciſſâ *Sax. Dorotheâ Mariâ* erogatis. Decani & Promotoris ſuâ in Facultate munere ſæpius, Rectoratûs verò quinquies fuit functus.

Conjugium ejus duplex.

In Conjugio vixit gemino, Prior ipſi fuit uxor *Maria, Ludovici Kopſii*, Senatoris *Jenenſis* filia, cum quâ nuptias celebravit 25. Sept. A. 1592. Parentem hæc ipſum fecit 6. filiorum, & filiæ unius, ex quibus duos ſuperſtites reliquit filios, *Joh. Andream Majorem*, Paſtorem in pago *Iſerſtett*, & *Johannem*, qui militarem ſectatus eſt vitam.

Hæc cum obiiſſet in puerperio difficili, quod unà cum fœtu matrem abripuit 25. Jan. A. 1609, alteram ſibi deſponſavit 26. Febr. A. 1610. *Eliſabetham, D. Johannis Stromeri* Comitum ab *Hohenſtein*, Cancellarii Conſiliariique *Brunſvicenſis* viduam, *Jacobi Schröteri*, Conſulis *Vinarienſis* filiam, ex quâ 3. filios & 2. filias ſuſcepit, ſed unicus tantùm filius *Johannes Tobias* vivus remanſit. Obiit verò iſta 10. Jan. A. 1639.

A quinquennio tandem viribus deficientibus, ut domi manere cogeretur, nihil tamen de pietatis officiis remiſit, donec accedente catarrho ſuffocativo cum tuſſi difficili exſpiravit 4. Jan. A. C. 1654. ætatis 90. Miniſterii 49.

Senex 90. ann. mor.

* *Ex Programm. fun. Joh. Tobiæ Majoris, Rector. Jen. & ex Conc. fun. D. Chriſtiani Chemnitii, Theol. Prof.*

M. *Adrianus Beyerus in Nomenclatore ſuo Profeſſorum Jenenſium* hoc ejus honori adſcripſit *Epigramma*:

Rheinſtadii natus JOHANNES nomine Magnus,
Eloquio MAJOR, Maximus officio
Oenogaræ & Jenæ ſevit ſacra dogmata: utrique
Illius placuit Suada leposque loco,

Edidit:

Valeriani Magni de Acatholicorum credendi regulâ Judicium caſtigatum & refutatum. **Scriptum.**

GEORGIUS SEILERUS.

Obiit A.C. 1654.

VInariæ natus eſt 22. April. A. C. 1565. Patre *Valentino*, piſtore, Matre *Margarethâ, Jacobi Eichornii*, piſtoris filiâ.

Cum in patriâ puer linguarum & artium, Muſicæq; fundamenta didiciſſet, inter adoleſcentes Litaniam in templo Arcis cantare ſolitos receptus eſt.

A. 1581. Artem piſtoriam diſcere nolens, cum *Joh. Majore*, poſteà Theol. D. & Superintend. *Jenenſi Berolinum* ad agnatos migravit, & Scholam ibi frequentavit.

A. 1582. *Colbergam* indè diſceſſit, & à Præceptore M. *Johanne Colrepio* dilectus fuit. A. 1584. In patriam *Vinariam* reverſus, apud M. *Gregor. Strigenicium* Pædagogum filiorum ipſius agere cœpit, cum eoque *Jenam* Superintendente ibi futuro diſceſſit. A. 1587. *Jenæ* ſtipendium annuum 30. florenor. adeptus, 5. Febr. A. 1594. Decano M. *Laurentio Rhodomanno*, Græcæ Linguæ Profeſſore cum aliis Magiſter Philoſ. tertio loco renuntiatus eſt.

Præceptor filior. M. Greg. Strigenicii.

Magiſter Philoſ. Jenæ.

Ibidem paulò pòſt nuptias celebravit cum Virgine *Eliſabethâ, D. Samuelis Fiſcheri*, Superintend. filiâ, deſponſante *D. Antonio Probo*, Superint. Generali *Vinarienſi*. Nuptias Sereniſſimi Duces *Brunſvicenſes Magnus*, *Georgius*, & *Johannes*, ſtudiorum gratiâ *Jenæ* tunc ſubſiſtentes, præſentiâ ſuâ condecorarunt. In eo conjugio 53. annos exegit, & 4. filios & 6. filias progenuit. Ex filiis *Joh. Georgium*, *Vinariæ* Diaconum Eccleſiæ vidit, ex filiabus 4. honeſtè totidem Theologis deſponſavit, & 28. nepotes, ac 31. pronepotes ex liberis ſuis inter vivos aſpexit.

Deſponſatur.

A. 1595. Eccleſiæ *Mellingenſis* Concionator conſtitutus, in eo munere, raro exemplo 59. annis verſatus eſt. Intereà præter alias calamitates 10. Martii A. 1643. filium natu majorem *Joh. Georgium Seilerum*, Diaconum *Vinarienſem* morte ſubitâ abreptum cum dolore vidit, & A. 1646. filium natu minorem *Joh. Henricum Lubengrunæ* in Scholâ diſcipulum à nobili *Watzdorfio* ſine culpâ ſclopeti globo confoſſum.

Concionator Mellingenſis 59. ann.

Cum tandem à tribus annis ob ſenium & virium defectum Conciones intermiſiſſet, & à ſeptimanis aliquot poſt lapſum lecto fuiſſet affixus, placidè in CHRISTO vitam finiit 20. Maji A. C. 1654. ætatis 90.

Moritur.

* *Ex Concione fun. D. Nic. Zapfii, Gener. Superintend. Vinar.*

PETRUS STREITHAGIUS.

Obiit A.C. 1654.

NAtus eſt *Aquisgrani* 23. Nov. A. C. 1591. Patre cognomine civitatis illius Syndico

dico ex perantiquâ & nobili familiâ orto: Matre *Apolloniâ Brulliâ*.

Adoleſcens cum Parentibus ob fidem in exilium pulſus, in Scholis *Palatinis* propter ingenii felicitatem tantos in ſtudiorum curſu fecit progreſſus, ut A.C. 1615. ad aliorum ingenia *Heidelbergæ* formanda idoneus judicaretur. Poſteà fatali calamitati involutus *Germersbemium* conceſſit, indéque poſt triennale Miniſterium ab *Hiſpanis* depulſus, ad Dominum de *Mallendonck* in *Geldriam* abiit, undè rurſus â Comitibus *Naſſoviæ Erneſto* & *Wilhelmo* evocatus domi, in Caſtris egit Concionatorem, & reformationi Ducatus *Montenſis* interfuit, ubi operam ſuam Reip. *Embricenſi* adeò probavit, ut ab eâ in Miniſtrorum Eccleſiæ numerum fuerit adſcriptus.

Miniſter Eccleſ. Germersheim. *Concionator Caſtrenſis Com. Naſſov.* *Miniſter Eccl. Embricenſ.*

Exindè rurſus â *Friderico* Rege *Bohemiæ* A.1631. accitus, ut ei â Sacris Concionibus eſſet, munus id ſummâ fide præſtitit, per varia itinera belliíque flammas Regem ſecutus, eique ad extremum ſpiritum usque A.1632. *Moguntiæ* adhærens.

Concionator Friderici Reg. Bohem.

Indè Eccleſiæ *Dürmſteinianæ* & vicinarum Inſpectioni præfectus, ſed mox â *Philippo Ludovico*, Electoratus *Palatini* Adminiſtratore, rurſus evocatus *Heidelbergam*, Eccleſiæ ad *D. Petrum* præpoſitus eſt.

Paſtor Eccleſ. Heidelberg.

Sed rerum facie iterum mutatâ denuò exulare, & â *Bavaris*, ad *Batavos* redire coactus eſt, ubi â *Carolo Ludovico*, Electore *Palatino*, in Concionatorem aulicum lectus, eundem per *Angliam* & *Galliam* *Heidelbergam* usque ſecutus eſt. Ibi, affulgente Pace, præter priorem dignitatem etiam primi Conſiliarii Eccleſiaſtici honore auctus eſt A. 1650.

Concionator aul. Elect. Palat. Caroli Ludovici. Conſiliar. Palat.

A. 1619. Matrimonium contraxit cum virgine *Mariâ Jacobe*, *Anaſtaſii Gerlaci Cellarii* quondam *Alzeani* filiâ, quam viduam reliquit ſine liberis.

Nubit.

30. Oct. A. 1649. *Hagæ Comitum* apoplexiâ tactus uſum dextri lateris amiſit, non tamen ſuâ ſtatione exceſſit, ſed officio ſuo ſuprà vires functus eſt, donec 13. April. A. 1653. perfectam paralyſin incurrit, undè lecto per 14. menſes affixus viribus ſenſim evaneſcentibus tandem *Heidelbergæ* Creatori animam devotam reddidit 12. Junii A.C. 1654. æt. 63.

Paralyticus fit. *Moritur.*

Concionator fuit egregius, animo hilari, & in adverſis infracto, erga amicos ingenuus, & erga pauperes ſummè beneficus, ab omni avaritiæ ſorde alienus. Poſt fata quoque Eccleſiæ prodeſſe cupidus conſcripſit, & hæredibus reliquit egregia quædam volumina.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Heidelberg.*

Obiit A.C. 1654.

GEORGIUS KÖNIG.

NAtus eſt *Ambergæ* in *Palatinatu ſuper.* 2. Febr. A.C. 1590. *Patre Johanne König*, ærarii publici in *Palatinatu ſup.* præfecto, Matre *Barbarâ Bibelmarianâ*.

Anno æt. 7. cum poſt obitum Elect. *Ludovici* religio mutaretur in *Palatinatu*, miſſus eſt *Ratisbonam* ad avum maternum *Eraſmum Gieſenhauſerum*, civem ibi primarium, qui privato pædagogo *Jacobo Krellio*, tum Verbi Divini Miniſtro, eum commendavit, & Gymnaſii *Ratisbon.* Præceptoribus informandum tradidit, ubi Linguam Latinam, Logicam, & Rhethoricam didicit.

Studia inchoat Ratisbonæ.

Elapſo quinquennio avocatus â Parentibus, in *Solisbacenſe* Gymnaſium miſſus eſt, ubi per quadriennium commoratus, in Linguâ Græcâ & Hebræâ jecit fundamenta, nec non in generalibus Ethicæ & Phyſicæ præceptis inſtructus eſt.

In Gymnaſio Solisbacenſi.

Indè ſuaſu *Friderici Strobelii*, Gymnaſii *Solisbacenſis* Rectoris, in Academiam *Altorfinam* miſſus eſt, ibique Philoſophicis Lectionibus Dn. *Erneſti Soneri*, Med. D. & Philoſ. naturalis Profeſſoris, *Michaëlis Piccarti*, Log. & Metaphyſ. *Georgii Queccii* Ethicæ & Græcæ Linguæ Profeſſorum invigilavit: in Theologicis verò *D. Jac. Schopperum*, *Philippi* Locos tunc explicantem, audivit.

Academiam Altorfinam accedit.

Conſumto hîc triennio, *Wittenbergam* ſe contulit, operam daturus Theologis, *Huttero*, *Balduino*, *Frantzio*, & *Forſtero*, juncto cum his *Laurentio Fabritio* Linguas Orientales ibidem profitente.

Wittenbergam.

Cum & illic triennium conſumpſiſſet, Univerſitatem *Jenenſem* viſitavit, biennium ibi non modò audiendo Theol. Profeſſores *Reidenium*, *Grauerum*, & *Majorem*, ſed & diſputando, quandoque etiam Conciones in Templis habendo traduxit, quo exacto, Parentes, quorum ſumptibus unicè hactenùs vixerat, domum ipſum vocatum ad ambiendum officium aliquod publicum hortati ſunt. Quibus obſecutus, in itinere certior factus eſt, Profeſſionem Theologicam *Altorfii* vacare, quo audito de ſententiâ Parentum operam ſuam ſub finem A. 1613. Senatui *Norimbergenſi* obtulit, & voti compos factus eſt, ita quidem, ut in officio Paſtoris & Profeſſoris Publici operam primò vicariam, eamque annuam pro cathedrâ tum Academicâ tum Eccleſiaſticâ docendo, Sacramentisque adminiſtrandis præſtaret. A. 1615. ibidem in Officio Profeſſoris Theologici & Eccleſiæ Paſtoris ordinarii confirmatus eſt.

Jenam. *Altorfii Prof. Theol. & Paſtor.*

2. Maji A. 1615. Deſponſatus eſt *Altorfii* cum virgine *Helenâ*, *Georgii Palmarii*, Profeſſoris Claſſici filiâ, ex quâ pater factus eſt ternæ prolis maſculinæ, itidemque ternæ fœmininæ, de quibus duo filii in cœleſtem patriam infantes adhuc præmiſſi, filius autem & tres filiæ ſuperſtites manſerunt: filius quidem *Georg. Matthias König* poſteà Hiſtor. & Græcæ Linguæ in Univerſ. *Altorfinâ* Profeſſor Publ. Filia natu maxima *Maria Magdalena*, Dom. *Theodorici Hackſpanii*, Oriental. Linguar. in Univerſ. eâdem Profeſſoris, ſecunda *Suſanna*, Dom. *Andreæ Kranneſtii*, Senatoris *Ratisbonenſis*, tertia *Anna Sibylla* Dom. *Thomæ Hopferi*, in Eccleſiâ *Auguſtanâ* Verbi Divini Miniſtri conjuges. Ex his connubiis Avus factus fuit 19. Nepotum, de quibus 16. ſuperſtites reliquit, reliquis in meliorem vitam translatis.

Deſponſatur.

Cum itaque officio Paſtoris & Profeſſoris in

Digitized by Google

in annum usque 11. ita perfunctus eſſet, inclytus Senatus *Norimbergenſis*, virtutibus ejus permotus, Doctoris Theologiæ honores petere ipſum juſſit, & initio quidem pro modeſtiâ ſuâ recuſantem, tandem tamen urgendo, atque ſumptûs ſuppeditando permovit, ut A. 1626. *Marpurgum* itinere tunc temporis periculoſiſſimo profectus, Theologis illius loci ſeſe offerret, ad præſtanda ea, quæ pro ipſius Univerſitatis more â Candidato Theologiæ requiruntur. Cum itaque de *Libero Arbitrio* publicè diſputâſſet, in Examine etiam tam privato Theologorum, quod rigoroſum vocant, quàm publico omnium Profeſſorum quæſitis ex voto ſatisfeciſſet, Teſtimonium eruditionis ſingularis & virtutis conſecutus, & Theologiæ
Fit Theol. Doctor Marpurgi. Doctor ſolenniter renuntiatus eſt d. 4. Maji, anno Salutis noſtræ, quem ejus Promotor *D. Johannes Winckelmannus* in calce Teſtimonii huic Verſui incluſit:

HVIVs & ILLIVs pIetas Dat prœMIa VItæ. 1626.

Primus Bibliothecar. Altorf. A. 1636. quo gener ejus Rectoris Officio fungebatur, primus Bibliothecæ Academiæ præfectus eſt poſtmodùm ſplendidorum Legatorum acceſſionibus auctæ. Rectoratum Univerſitatis ipſe quinquies, Decanatum Facult. Theologicæ ſæpiùs adminiſtravit.
Symbolum. Symbolum, quod Albis inſcribere ſolebat, *Candidè & conſtanter* ſemper curæ cordique habuit.

Morbi lethales. Tandem cum circa ſolſtitium æſtivum fluxu alvi ſanguineo laborâſſet, quem dyſenteriam ſpuriam vocant, ab eâque uſu Medicamentorum convenientium poſt triduum convaluiſſet, 24. Aug. morbo contrario laborare cœpit, volvulo nimirum ſeu Iliacâ paſſione, quam quidam non malè *Miſerere mei* vocant: Ingraveſcentibus enim ventris doloribus, tandem ſuccubuit, & quamvis varia præſidia tàm interna quàm externa ad alvum laxandam doloremque leniendum adhibita fuerint, alvum tamen expedire non valuerunt, donec tandem vomitu, ſingultu, concuſſione præcordiorum ſuperveniente, cum inſigni ventris intumeſcentiâ ſpiritus defecit. Et ipſe cum paulò antè cum Miniſtro Eccleſiæ M. *Reinharto* ad ſe vocato *Simeonis* illud: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine*, orâſſet, & Conjugi ſuæ ſolatium hoc dictâſſet, *brevi ſecum futuram*, ex-
Volvulo moritur. ſpiravit, 10. Sept. A. C. 1654. æt. 64. Miniſt. 40.

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta. *Vindiciar. Sacrarum Centuria, in quâ difficiliora S. Scripturæ Loca illuſtrantur, & â falſis interpretationibus vindicantur.*

Caſûs Conſcientiæ.

Theologia poſitiva acroamatica.

Tract. Theol. continens plenam doctrinam de Converſione hominis Peccatoris coràm DEO.

Antichriſtus revelatus.

* *Ex Programm. fun. Mauritii Hofmann. Med. D. & Prof. & ex Concione fun. M. Johannis Weinmanni, Eccleſ. Min. & Theol. Prof.*

Ejus effigiem æri *Auguſtæ Vind.* â Bartol. *Kiliano* inciſam *Joh. Heniſius*, *Med. D.* & *Com. Palat.* hoc Epigrammate ſubſcripto honoravit:

Corporis ac animi Rex majeſtate verendus
Hoc vultu Altorfi conſpiciendus erat.
Linguarum Hebrææ, Grajæ, Latiîque lepores
Et Sophiæ tenuit nobilioris opes.
Doctor Evangelici cœtûs in utrâque Cathedrâ
Et voce & calamo præſtitit officium.
Poſt meriti cumulos, exantlatosque labores
Rex Regum Regi cœlica Regna dedit.

SAMUEL HAINIUS.

Obiit A.C. 1654.

B*Ayreuthi*, *Marchionatûs Brandenburgici ſup.* urbe primariâ, in mundum hunc editus 10. Jan. A. C. 1605, Patrem habuit
Filius Theologi. M. *Henricum Hainium*, tunc Eccleſiæ Paſtorē in *Steinachio* inferiori, anteà verò Scholæ *Culmbacenſis* 11. annos Rectorem, tandemq; *Bayreuthi* Concionatorem & Conſiſtorii Eccleſ. Aſſeſſorem: Matrem *Roſinam*, M. *Nicolai Grammanni*, Specialis Superintend. *Culmbacenſis* filiam. Mox poſt nativitatem Sacro Baptiſmi fonte ablutus habuit ſuſceptorem Dom. *Samuelem Hofmannum*, Feudorum Scribam *Brand.* cujus nomen accepit. Avum paternum habuit M. *Arnoldum Hainium*, *Selbitzii*, prope *Curiam* in *Voitlandiâ* urbem, Eccleſiæ Paſtorem.

Puer in Scholâ *Bayreut.* ſub Præceptoribus M. *Joh. Stumpfio*, Rectore, M. *Wolfgango Maurero*, Cantore, & M. *Mich. Eccardi*, Tertio, Linguar. Latinæ & Græcæ, in Logicis etiam & Rhethoricis egregia fundamenta poſuit. *Diſcipulus in Scholâ Bayreut.*

A. 1618. Inter Stipendiarios *Brandeburgicos* Gymnaſii *Heilsbronnenſis* receptus, ſeptennium ibi exegit, & ingenii felicitatem & diligentiam indefeſſam agnato ſuo M. *Johanni Meelführero*, Cœnobii *Heilsbronn.* tunc Abbati, ut & M. *Theodoro Grammanno*, Rectori ibidem præ cœteris acceptus. *Stipendiar. Heilsbronnæ.*

Cum A. 1620. 6. Maji Patre fuiſſet orbatus, A. 1625. in Academiam *Wittenberg.* ablegatus, poſtquàm ibi 4. ferè annis in ſtudiis Philoſophicis deſudâſſet, ſub Decanatu M. *Eraſmi Schmidii*, Competitoribus *Wilhelmo Nigrino* Moralium Profeſſore, *Martino Troſtio*, Hebrææ Linguæ Prof. & *Mart. Caſelio*, tunc Philoſ. Adjuncto, poſteà Theol. Doctore & Superintendente *Altenburgico*, Magiſter Philoſophiæ ſolenniter renuntiatus, inter 20. Candidatos quartum locum obtinuit A. C. 1629. *Wittenbergæ Phil. Magiſter.*

Brevi pòſt in patriam reverſus, â M. *Matthæo Hüfnero*, Superintendente *Culmbacenſi*, ad Synodum vocatus eſt, & ob diſcurſus eruditos omnibus acceptus fuit. Cum verò tunc temporis nulla vocatio eruditioni ipſius conveniens ſe præſentaret, *Hainius* per literas admonitus â M. *Nicolao Zapfio*, *Wittenbergæ* tunc Adjuncto Philoſophiæ, poſteà Theol. Doctore & Profeſſore *Erfurtenſi*, tandemque Superintendente & Concionatore aulico *Vinarienſi*, *Wittenbergam* regreſſus eſt, & mox filiis Dom. *Michaëlis Schneideri*, Prætoris Elect. *Sax. Conrado Victori*, & *Gotfrido* Præceptor datus. In quo *Wittenbergæ Præceptor privatus.* munere

munere adeò fidelem ſe præbuit, ut A. 1633. ad Informationem *Marchionum Culmbac.* juniorum *Erdmanni Auguſti & Georgii Alberti* fuerit expetitus, quam tamen conditionem modeſtè tunc recuſavit, ſubmiſſè rogans, ut ſibi temporis adhùc aliquod ſpatium Academiis immorandi clementer concederetur.

Intereà *Wittenbergæ* ſæpiùs ſub Præſidio Theologor. celebrium *D. Jacobi Martini, Röberi, Lyſeri & Zapfii* publicè diſputavit, in Concionibus & Collegiis privatis ſeſe exercuit. Diſcipulos etiam ſuos, *Conradum Victorem* quidem Med. Doctorem & Profeſſorem *Wittenbergæ*, *Gotfridum* verò Jur. utriusque Doctorem, Conſil. *Holſatum*, & demùm ad Comitia *Ratisbonenſia* Legatum vidit.

Rector Bayreuth. 25. Febr. A. 1634. Rectoris munus in Scholâ *Bayreuthenſi*, prægreſſâ vocatione decenti aggreſſus, & â M. *Zachariâ Seidelio*, tunc ibidem Superintendente, introductus eſt.

Conjugium ejus primum & liberi. 25. Aug. A. 1635. Conjugii Societatem iniit cum virgine *Mariâ Margarethâ, Johannis Stumpfii*, Theol. Doctoris & Superintendentis *Bayreuth.* relictâ filiâ, Sermonem nuptialem habente M. *Wolfgango Maurero*, Archidiacono. Ex eâ duos ſuſcepit filios, quorum prior *Joh. Samuel* opt. ſpei puer, anno ætatis ſeptimo, alter *Joh. Adam* in primâ infantiâ obierunt. Ex filiabus verò ſex infantes obierunt, ſuperviventibus Patrem *Maria Margaretha*, quæ A. 1652. in patriâ *Johanni Roſæ*, Diacono, nupta fuit, *Barbarâ*, & *Roſinâ Barbarâ.* Harum mater in ultimo puerperio A. 1645. æt. 28. exſpiravit.

Conjugium alterum ſterile. Anno ſeq. 1646. ad ſecunda vota tranſiit cum virgine *Annâ Mariâ, Johannis Frobenii*, Conſiliarii *Brandenburgici* & Feudorum Præpoſiti relictâ filiâ, quam ſterilem reliquit ſuperſtitem.

Diaconus infimus Bayreuthi. A. 1637. *Culmbaci* ad S. Miniſterium ordinatus, Diaconi *Bayreutenſis* infimi munus fideliter obivit usque ad A. 1649, quo defuncto M. *Engelbarto Schochio*, Concionatori aulico, jubente Marchione Sereniſſimo in officio ſucceſſit.

Concionator aulicus.

Superintendens. A. 1652. Poſt obitum *Johannis Brunonis*, Superintendens *Bayreutenſis* conſtitutus, & â Dn. D. *Chriſtoph. Althofero*, Superintendente generali Eccleſiæ præſentatus eſt. Intereâ 17. annor. Miniſterii ſui ſpatio *Pſalmos* 104. 119. 139. *Threnos Prophetæ Jeremiæ, Prophetas Jonam, Micham*, & *Eſaiæ* maximam partem per Conciones auditoribus ſuis declaravit.

Conciones ejus.

Cum tandem â multis annis calculi doloribus ſæpiùs graviter fuiſſet excruciatus, accedente febri hecticâ viribus conſumptis

Moritur. placidè in CHRISTO obdormivit *Bayreuthi* 8. Nov. A. C. 1654. ætatis 50.

M. SAMUEL HAIN. Per Anag. *En! jam almus.*
SAMUEL HAINIUS. *Jam ſinu vales.*

* *Ex Concione fun. M. Stephani Boneri, Archidiaconi Bayreut.*

Obiit A. C. 1654.

THEODORUS ZWINGERUS.

B*aſileæ* natus eſt 21. Nov. A. C. 1597. Patrem habuit *Jacobum Zwingerum*, Philoſ. & Med. Doctorem, Græcæque Linguæ Profeſſorem, qui Diario ſuo filii hujus Natales his verbis inſeruit: 21. Nov. natus eſt mihi ex *Judithâ Brandiâ*, DEO clementer juvante, Primogenitus meus *Theodorus*, ſic appellatus cum 27. Nov. ſeq. ad *D. Petri*, aſtantibus Illuſtri Viro *Rudolpho â Salicibus*, Barone, & Doct. *Guilielmo Aragoſio* ſacro Baptiſmatis fonte initiaretur. Impleat Omnipotens votum meum, ut quod damnum noſtra ſenſit Eccleſia, hoc eodem die ante annos 66. morte fidelis Servi CHRISTI *Joh. Oecolampadii*, id hujuscè filioli mei Natalibus experiatur reſarcitum: has enim Primitias meo DEO offero, ut ſi ſic deſtinaverit, ipſi per vitam annunciando Divinum ejus Verbum inſerviat. Amen! *A Patre DEO conſecratur.*

Puer omnes Scholæ Patriæ Claſſes feliciter percurrens, A. 1610. vernali Promotione publicarum Lectionum Auditor factus eſt. Eodem anno cum Parentes peſte extinctos ſeptimo â decubitu die amiſiſſet, unoque ſepulchro eâdem die contumulatos ſummo cum dolore vidiſſet, in ſtudiis tamen feliciter perrexit, & M. Aug. A. 1613. Promotore *D. Friderico Werdenbergio* Artium liberal. Magiſter publicâ ſolennitate proclamatus eſt. *Fit Philoſ. Magiſter.*

Jam tempus erat animum ſuperiori alicui Facultati applicandi. Non ignorabat votum Dom. Parentis, ſed obverſabantur Majorum imagines, Bibliothecæ avi, Patris, & *Guilielmi Arragoſii, Toloſatis* Medici, cujus hæres dictus erat, præterea ſupellex pretioſa rerum Chymicarum, quæ omnia ad Medicinæ ſtudium eum inflammabant: ſed aliter DEUS præviderat.

Dejectus enim morbo *Hungarico*, ad Omnipotentem ſe recepit, cujus in eo ſanando cura manusque cum ſe prodidiſſet, S. Theologiæ ſtudium aggreſſus eſt, cui Linguar. etiam Græcæ & Hebraicæ curam adjecit. *Studium Theol. Medico præfert.*

A. 1617. ult. Martii Propinquorum conſilio, præcipuè patrui ſui *Lucæ Iſelii*, *Baſileâ* diſceſſit, & rectâ *Heidelbergam* contendit, ubi Rectore *D. Simone Opſopæo*, Med. Prof. in Academiæ tutelam ſuſceptus, mox Bibliothecæ *Palatinæ* ſeſe ingeſſit, abſtruſæ vetuſtatis Codicibus & libris rarioribus in album ſuum notatis. *Heidelbergam venit.*

Mox Theſes de ſublimi & eo tempore ab *Arminii* diſcipulis agitatâ quæſtione, *An Electionis noſtræ Decretum nitatur fide præviſâ?* conſcripſit, quas 5. Julii ſub Præſidio *D. Henrici Altingii* alacriter defendit.

11. Jul. ſeq. *Myrtilleto* valere juſſo, iter ſuum promovet *Spiram, Wormatiam, Moguntiam*, & *Coloniam.* Pergit *Veſaliam, Ultrajectum*, nondum Academiâ celebre, hinc *Amſtelrodamum, Lugdunum Batav. Hagam Comitis, Roterodamum, Dordracum, Antverpiam, Mechliniam, Bruxellas*, & *Gandavum* peragrat. Indè in *Seelandiam* tranſit, & *Vliſſingæ* navi ſe credens, & in *Britanniam* trajiciens 11. Aug. *Londini* appellit. *Iter in Belgium ſuſcipit. & Angliam.*

In hoc itinere quicquid vel in Eccleſiâ

vel

vel Republicâ cognitu dignum erat, percontabatur, & albo ſuo inſcribebat.

Londini in *Marc. Antonium de Dominis*, Archiepiſcopum *Spalatenſem* inquiſivit, cui anteà innotuerat, cum *Italiâ* relictâ *Baſil.* tranſiret, per *Germaniam* ad *Britannos* profecturus, eiq; Diſput. ſuam *Heidelbergenſem* obtulit, quam ille porrectâ fronte ſuſcepit, ac ſtudiis ejus exploratis reſpondit, ſe nullis adhùc reditibus gaudere, ſed ab Archiepiſcopi *Anglici* favore totum pendere, ſiquidem ſuſtinere tantiſper moram vellet aut poſſet, donec Epiſcopatum à Rege promiſſum obtinuiſſet, ipſum cunctis aliis antelatum iri.

Zwingerus rem ſedulò agi exiſtimans, ad finem usque Sept. præſtolatus eſt: ſed cum intereà percepiſſet, Archiepiſcopum *Spalatenſem* quotannis à Rege 500. libras *Sterlingas* accipere, ſed reliquas ejus ſpes longiùs à metâ abeſſe; ſine morâ diuturniore *Doroberno Caletum* usque ventis ſecundis per mare reportatus, *Lutetiam* properavit. Ibi Paſtores Eccleſiæ, *Petrum Molinæum*, *Samuelem Durantum*, & *Johannem Meſtreſatium* reverenter ſalutavit: cumque in *Noachum Sonorium*, Paſtorem *Genevenſem* ad ſuos iter parantem incidiſſet, conſortio illius illicò ſe addixit.

Lutetiam veniens, Paſtores Eccleſ. ſalutat.

Proindè *Lutetiâ* pariter 21. Oct. abeuntes per *Divionem Burgundiæ* Civitatem recto itinere ſalvi *Genevam* ingreſſi ſunt. 29. Nov. *Baſileam* reverſus eſt.

A. 1619. Ad Synodum *Dordracenam* iter meditatus, ab eo retractus eſt Vocatione ad communem Diaconatum, in quo ita ſe geſſit, ut 10. Jan. A. 1620. *Jacobo Guggero*, Diacono primario, ſuccederet.

Baſileæ Diaconus primarius.

20. Aug. A. 1621. Matrimonio ſibi junxit virginem *Annam Mariam, Achillis Werdemanni*, ſpectatæ fidei Mercatoris filiam, ex quâ anno ſeq. filium ſuſcepit *Theodorum*. Ea verò iterum gravida 2. Nov. A. 1624. minor doloribus partûs defecit, & unà cum ſperatâ ſobole exſpiravit.

Conjugium ejus duplex.

19. Junii A. 1626. Alteram conjugem duxit virginem *Magdalenam, Johannis Buxtorfii*, Senioris Ling. Hebr. Prof. filiam, quæ eum quinquies felicibus nixibus mactavit, gemino quidem virilis ſexûs, trino verò ſequioris.

A. 1627. Suffectus eſt *Sigismundo Kieno*, *Baſileæ* minoris Parocho anno prægreſſo demortuo, quique nullum in toto Miniſterio urbico habuit cognominem, ad ejus nominis (*Theodori*) templi Parochiam tranſlatus eſt.

Concionator ad S. Theodorum.

13. Sept. A. 1629. Sæviente peſte moritur ſocer ejus *Buxtorfius* Pater, ipſe verò imperterritus etiam viliſſimas caſas intrat, cumque Medicis deſtituerentur, domo mittit pharmaca pauperibus, & conſilia ſuggerit à Majoribus accepta.

Tempore peſtis Theol. & Medicum agit.

25. Nov. Eâdem lue corripitur Paſtor fidelis Dom. *Johannes Wollebius*, *Zwingerus* interim lecto affixus febri domi detinetur: tum quoque tres citerioris *Baſileæ* Paſtores, quotquot erant, mors demeſſuerat: quartus ſolummodò in ulteriore urbe ſupererat. Congregatur ergò cœtus pro Antiſtite novo eligendo, omniumque votis *Zwingerus* electus, & mox etiam in Academiâ, Procerum ſuffragiis, ad Vet. Teſtamenti Profeſſionem vocatus eſt.

Fit Paſtor primarius.

30. Nov. A. 1630. Doctoris Theologiæ titulum & Inſignia ſuſcepit, Promotore *D. Sebaſt. Beckio*, anteà Præceptore, & ab eo tempore Collegâ.

Theol. Profeſſor Vet. Teſt. & Doctor.

Triplex damnum ex *Joh. Oecolampadii* obitu priori ſeculo ſenſit Eccleſia *Baſileenſis*, amiſerat enim Doctorem cœleſtis veritatis eximium, Reformatorem ſtrenuum, & Eccleſiæ Paſtorem primarium. Hæc tria munera *Zwingerus* non occupavit ſolùm, ſed & adminiſtravit decenter. Primò enim Verbo DEI Eccleſiam accuratè pavit, quod teſtantur utriusque Teſtamenti libri ſacri, quos majore ex parte pro Concionibus explanavit, utpote *Judicum*, *Samuelis binos*, *totidem Regum*, *Hiobi*, *Pſalmorum*, *Eſaiæ*, *Joelis*, *Amoſi*, *Michæ*, *Zachariæ*: *Evangelia IV.* *Epiſtolas Petri II*, *Pauli ad Romanos*, *Epheſios*, *Theſſalon.* & *Hebræos*, atque ex *Apocalypſi tria priora Capita*. Jam ad medium ferè perduxerat *Harmoniam IV. Evangelior.* Dominicis diebus & ultra dimidium Prophetiæ *Danielis* tertiis quibusque feriis erat progreſſus, Concionibus denique hebdomadariis *priorem ad Corinthios* Epiſtolam propè abſolverat.

Pietatem in Concionibus tam ſuaviter commendabat, velut inſtillaret, ſcelera tam damnabat ſeverè, tanquàm fulmine percelleret, fractis animo viva ſolatia inſulciebat, diſciplinam Eccleſiaſticam urgebat, viſitabat ægrotos, pauperibus proſpiciebat, & Scholas obſervabat.

Atqui juxtà quoque Doctoris partibus in Cathedrâ Theologicâ ſolerter fungebatur, trium Linguarum ſuper caput CHRISTI conſecratarum peritiam Verborum Enucleatione oſtendebat, ſenſum genuinum perpetuis S. Scripturæ paralleliſmis aperiebat, & ſtrophas adverſantium detegebat.

Zelo ſuo efficiebat, ut A. 1637. 30. April. Reformatio illa prodierit vitæ morum & Politiæ rationem ita ſanciens, ut ex eâ populus Evangelicus facilè internoſci poſſet.

Reformationem vitæ inſtituit.

Alteram Reformationis partem, quarundam Miſſaticarum reliquiarum abolitionem A. 1642. eſt aggreſſus, duo namque defectûs à tempore Papatûs in S. Cœnæ adminiſtratione hæſerant, alter quod vice Panis alibilis Hoſtiæ uſurparentur, alter quod Hoſtiæ illæ non frangebantur.

Hoſtias in S. Cœna abrogat.

Deliberato igitur negotio cum Symmiſtis Magiſtratui proponitur, cujus tandem conſenſu 2. Octob. S. Cœna abrogatis illis defectibus in vero pane cum ritu fractionis primùm celebratur.

Decanatum Facult. venerandæ geſſit decies, Rectoratum bis intra octennium, A. 1636. & 1644. feliciter abſolvit.

A. 1650. 20. Aug. filius ejus unicus *Johannes*

nes

Digitized by Google

nes Doctoris Philoſophici titulo decoratus eſt, qui S. Theologiæ ſtudio ſuâ ſponte ſe addixit, & decurſu ſtadio Imbutorum S. Miniſterii Candidatis annumeratus eſt. A. 1652.

Duas filias elocat. *Filiam Margaretham*, Dom. *Philippo Adamo Fabro*, Illuſtr. *March. Badenſis* Conſiliario elocavit, & alteram filiam *Mariam Magdalenam* M. *Lucæ Gernlero*, M. *Johannis Gernleri*, Paſtoris ad *S. Petrum* filio. A. 1654. ex priori conjugio neptem, ex poſteriori nepotem vidit.

Eodem tandem A. 1654. Calendis Septembris vacante ex obitu *D. Sebaſt. Beckii* primariâ in S. Theologiâ Novi Teſtamenti Profeſſione, in ejus locum Procerum calculis ſuccedere juſſus, 18. Sept. in itinere *Lucisvallenſi* à caſu quodam admodùm malè ſe habere cœpit. Mox crura quoque pravum humorem cœperunt haurire, hunc tumorem quidam ex amicis cum attonitus conſpexiſſet, ille ſubridens, *Vides*, inquit, *vera hæc eſt Diſpoſitio ad Immortalitatem.*

Profeſſor Novi Teſtamenti.

Morbi ejus initium.

Morbo creſcente *Johannis* filii tum *Genevæ* commorantis memor, eum per Epiſtolam, non diſſimulato vitæ periculo, paternè invitavit. 25. Dec. CHRISTI natalibus ſacro precibus Eccleſiæ ſe juvari expetebat. Cum Sole occidente vires labaſcere viderentur, affertur nepos ex filiâ *Theodorulus* 3. ſeptimanar. infans, quem complexus & exoſculatus mille Benedictionibus cumulatum matri remittit. Ingruente nocte, *O DOMINE JESU*, inquit, *eſto Tu mihi Lux in tenebris!* & paulò pòſt ajebat:

Una eſt in dubiâ mihi re Medicina, JEHOVÆ
Cor patrium, os verax, omnipotensque manus.

Ab eo tempore obmutuit usque ad horam ſextam matutinam, quâ morte beatâ vitam finiit 25. Dec. A. C. 1654. ætatis 57.

Moritur.

Cum 29. Dec. efferendus eſſet, ecce filius *Johannes Genevâ* celeribus advolans equis beato Patri ſupremum iſtud Pietatis & Honoris officium exhibuit:

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta.

Commentarius Analyticus Epiſtolæ ad Romanos.

In Pſalmos.

Theatrum Sapientiæ cœleſtis, vel orthodoxæ fidei Syſtema in tabulas diſtributum.

Declaratio Sententiæ Orthodoxæ de S. Cœnâ.

Diſputatio de libero Arbitrio.

Syntagma Exercitationum Theologicar.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Baſil.*

Obiit A. C. 1655.

LAURENTIUS MARTINI SCAVENIUS.

S*Cagæ* in *Cimbriâ* natus 6. Aug. A. C. 1589. Patrem habuit *Martinum Laurentii*, Matrem *Marinam Severini* filiam.

Octennis unà cum Parentibus ſuis, inundatione maris graviter afflictis, *Hafniam* venit, inferiori hujus urbis officinæ pietatis & literar. conſecratus.

Hafniæ apud D. Thom. Finckium educatur.

Parentibus ſtatim orbatus inops & alienæ opis indigus A. 1599. aſcitus eſt in domum Dom. *D. Thomæ Finckii*, qui & 13. annor. ſpatio quælibet vitæ neceſſaria ipſi cum liberis ſuis jam degenti benignè ſubminiſtravit.

Intereà hoſpitem ſuum adeò gratioſum in *Germaniam, Bohemiam*, & domum redeuntem in *Norvegiam* comitatus eſt, cum electo *Daniæ* Principi homagium ibidem præſtaretur.

Domum reverſus, ſacris Academicis eſt initiatus, & paulò pòſt in numerum Collegarum Scholæ *Hafnienſis* receptus, functionem ſibi delegatam ſupra biennium fideliter adminiſtravit.

Præceptor Scholæ Hafnienſis.

A. 1612. Perſpectâ jam ipſius induſtriâ Conſul *Hafniæ*, *Michaël Vibe*, curam duorum ſuorum filiorum cum uno patruele ad exteros unà abituro huic induſtrio juveni commiſit: ac primùm cum iis ad Scholam *Miſnenſem*, hinc *Marpurgum* & *Gieſſam Haſſorum* abiit.

A. 1616. Domum revocatus, ſummos in Philoſophiâ honores indeptus eſt A. 1617. à Decano M. *Job. Alano.* Mox iterum cum diſcipulis ſuis *Heidelbergam*, *Argentoratum*, & *Baſiléam* acceſſit, indè *Genevam* veniens, 16. menſium ſpatio ſubſtitit, poſteà *Lutetiam* adiit, & per *Piccardiam* in *Belgium* deſcendit.

Philoſ. Magiſter.

A. 1619. Per literas in Patriam redire jubetur, ut Principi *Friderico*, Regis *Chriſtiani IV.* filio à ſtudiis eſſet. Sed ob peſtis contagium, quo tunc ea regio univerſa erat correpta, literæ ſunt aliquandiu interceptæ, & ampla illa functio alii commiſſa.

Deſtinatus Præceptor Principi Dan. Friderico.

Sed ne virtus ſuâ mercede careret, juſſu Regis Paſtor primarius & Theologiæ Lector *Roeskildiæ* per ſeptennium conſtituitur.

Eccleſ. Paſtor Roeskildiæ.

A. 1620. Uxorem duxit Virginem *Eliſam Petream*, ex quâ 6. filios & 9. filias ſuſcepit. E filiis *Petrus* J. U. Doctor & Profeſſor Regius *Martinus* ſupremi Tribunalis Notarius, & Sylvarum Regiar. Generalis Præfectus, filiarum *Eliſa* primò M. *Georgio Fromio* Profeſſori, deindè *Chriſtiano Foſſio* Med. Doctori & Canonico *Lundenſi* nupſit.

Ejus conjugium, & liberi.

A. 1627. De voluntate Regis *Chriſtiani IV.* Paſtor Eccleſiæ *S. Nicolai Hafniæ* primarius conſtitutus eſt: undè A. 1639. ad Profeſſionem Theologicam in Academiâ vocatus.

Paſtor Eccleſiæ primar. Hafniæ.

8. Dec. A. 1640. Supremi in Theol. honores ipſi collati ſunt à *D. Caſp. Brockmanno Sælandiæ* Epiſcopo & Facult. Theol. Decano. A. 1653. Fatis concedente D. Doct. *Johanne Job. Reſenio, Sælandiæ* Epiſcopo, communi ſuffragio primariorum hujus regionis Paſtorum in ejus locum electus eſt: quam electionem Rex *Fridericus III.* clementer approbavit.

Theol. Profeſſor & Doctor.

Epiſcopus Sælandiæ.

Poſteà M. *Thomam Bangium* Theol. Prof. & tum Academiæ Rectorem, M. *Andream Andreæ f.* Epiſcopum *Alburgenſem*, Dn. *Laurentium Jacobi f.* Epiſcopum *Fyonenſem*, M. *Petrum Krageland*, Epiſcopum *Ripenſem*, M. *Johannem Theodorici*, Concionatorem Aulicum, & M. *Jacob. Canutium* Theol. Profeſſorem 20. Dec. A. 1653. Theologiæ Doctores creavit: & 55. Verbi Divini Præcones Sacerdotum Collegio diverſis temporibus inauguravit.

Sex. Theol. Doctores creavit.

Digitized by Google

19. Junii A. C. 1655. *Roeskildiam* profectus, ut Synodum ibi celebraret, veſperi ſtatim in morbum gravem incidit, quo invaleſcente, preces ad DEUM aſſiduas fundendo ad mortem ſe compoſuit, donec 22. Junii ſeq. beatam animam efflavit, annum ætatis agens 66. Corpus *Hafniam* delatum: Funus à Rectore Academiæ Doctore *Thomâ Bartolino* Programmate publico indictum eſt, & corpus in Templi D. Virginis choro conditum, ubi monumentum ei poſitum tum hâc Inſcriptione:

Epitaphium.

D. O. M.

ET MEMORIÆ PERENNI PARENTUM OPTIMORUM DN. LAURENTII MARTINI SCAVENII, S. S. THEOL. D. PROF. ET SÆDLAND. EPISCOPI: QUI ANN. M D LXXXIX. IN LUCEM EDITUS, A PUERO STUD. BON. ARTIUM INNUTRITUS, ANIMUM PORRO IN PEREGRINAT. PER GERMAN. HELVET. GALL. ET BELGIUM UBERIORE DOCTRINA EXORNAVIT, QUAM IN SCHOL. PAST. PROF. ET EPISC. MUNERE AB AN. M DC XX. AD D. OBITUS ANN. M DC LV. EA SOLERTIA, INTEGR. PRUDEN. IMPENDIT, UT DEO PIET. REGI FID. AUDITORIBUS DILIG. CUNCTIS VIRI BONI OFFICIUM PROBARIT. NEC NON ELISÆ PETREÆ: QUÆ NATA ANN. M DC I. ET FACTA CONJUX ANN. M DC XX. FOECUNDA XV. LIBER. MATER TOTAM VITAM RARO PIET. PUDICITIÆ AC CONJUGALIS AMORIS EXEMPLO AD ANN. M DC LIII. TRANSEGIT: DEBITÆ PIETATIS ET AMORIS ERGA PAR. BENE MERITOS MONUMENTO HOC SUBJECTUM TUMULUM ERIGENDUM CURARUNT TRES SUPERSTITES LIBERI, PETRUS, MARTINUS, ELISA SCAVEN. ANNO CHRISTI M DC LXIII.

Scripta.

Scripta:

Redemptio Zionis.

Domus DOMINI, quam inhabitant filii DEI ex Pſal. 27.

Diſputationes duæ Theologicæ extraordinariæ.

Geneſeos Moſaicæ Hexameron.

De Spirituali inter CHRISTUM & Eccleſiam Conjugio.

De bonis operibus.

De Sanctorum Invocatione.

De Perſonâ & Invocatione JESU CHRISTI.

Diſputationes IV. de Sacramentis.

De Fidei ſalvificæ principio ac fundamento in JESU CHRISTO.

Oratio in obitum Regis Chriſtiani IV.

Conciones in publicis Supplicationibus proponendæ Ling. Dan.

* *Ex Acad. Hafniæ repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

ANTONIUS MYLIUS.

Obiit A. C. 1655.

Georg. Mylii Theol. fil.

JEnæ mundum ingreſſus eſt 3. Martii A. C. 1593. Patre *Georgio Mylio* Theol. D. in Academiâ *Jenenſi* Profeſſore, & poſteà Generali Superintendente *Wittenberg.* Matre *Veronicâ Weiſſiâ*, ex vetuſtâ Patriciorum familiâ ortâ. Mox S. Baptiſmo ablutus ſuſceptores habuit Baronem generoſum *Caſp. à Windiſchgrätz, Styrum*, tunc Univerſitatis *Jenenſis* Rectorem, *Virgilium Pingizerum*, Jur. D. & Prof. cum *Eliſabethâ, Zachar. Brendelii*, Med. D. & Phyſ. Prof. filiâ.

Cum puer à Præceptore privato M. *Nicolao Rebhan*, poſteà Superintendente *Iſenacenſi*, Grammaticæ rudimenta didiciſſet, A. æt. 5. in Scholam *Jenæ* oppidanam miſſus, Præceptores habuit *Georgium Quittſchreiberum*, & M. *Immanuelem Haſium*, Præceptorem verò domeſticum *Conradum Rauſchardum*, tunc Dom. Patris ſui famulum.

A. 1603. Cum Dom. Parente *Wittenbergam* veniens, ibi A. 1607. Lectiones publicas audire cœpit M. *Adami Theodori Siberi* Orator. Profeſſoris, & M. *Jacobi Martini*, *Organum Ariſtotelis* explicantis. Philoſ. Studioſus Witt.

Cum eodem anno Patrem amiſiſſet, & mater anno ſeq. 1608. *D. Martino Jonio*, J. C. *Magdeburgenſi*, poſteà Præpoſito *Budiſſino* in *Sileſiâ* nupſiſſet, menſâ tutoris ſui *D. Leonharti Hutteri Wittenbergæ* uſus, Lectiones Philoſophicas M. *Eraſmi Schmidii* & M. *Eraſmi Zolneri* frequentavit, in hujusque poſterioris Collegio Oratorio de *Victoriâ Davidis à Goliatho reportatâ* Orationem habuit.

A. 1609. Stipendium annuum 40. florenor. ab Electore *Saxoniæ Chriſtiano II.* ad quinquennium nactus, Lectiones Theologicas *D. Hutteri* & *D. Balduini* adire cœpit. Theol. Studioſus.

A. 1613. *Diſputationem* Theol. *ſuper Confeſſionem Auguſtanam* conſcripſit, & ſub Præſidio *D. Polycarpi Lyſeri* defendit.

A. 1615. Cum paulò antè Stipendium Electorale adhuc ad triennium obtinuiſſet, gradu Magiſterii exornatus, inter 42. Candidatos ſecundum locum obtinuit, actuque promotionis Competitorum omnium nomine gratias egit. Magiſter Philoſ.

A. 1616. Inter Adjunctos Facultatis Philoſophicæ ſolenniter receptus, brevi pòſt Profeſſori *Adamo Theodoro Sibero* vitâ defuncto publicè parentavit.

A. 1618. In Univerſitatem *Jenenſem* progreſſus, apud fratrem ſuum D. *Georgium Mylium*, Conſiliar. *Tautenburgicum*, & Conſilii aulici Advocatum convictum habuit.

A. 1619. Inter Adjunctos Facult. Philoſ. *Jenenſis* receptus, diverſas Diſputationes Philoſophicas præſidendo publicè inſtituit. A. 1621. *Rudelſtadium* à Comitibus *Schwartzenburg.* vocatus, cum ibi Concionem habuiſſet, Diaconatum *Kelbræ* ſibi delatum accepit, & antequàm *Jenâ* diſceſſiſſet, valedictionis loco *Diſputationem publicam de Angelis* ſub Præſidio *D. Majoris* habuit. Adjunctus Fac. Philoſ. Jen. Diaconus Kelbræ.

Eo tempore munera Archidiaconi *Sondershuſani*, & Superintendentis *Franckenhuſani* ſibi oblata certis de cauſis recuſavit.

6. Maji A. 1625. *Rudelſtadii* Concionator aulicus & Aſſeſſor Conſiſtorii factus, per quinquennium in menſâ Comitis ſui convictum habuit. 18. Nov. A. 1631. apud viduam *Caroli Guntheri*, Comitis *Schwartzenburgici* Concionator aulicus.

Superintendens Cranichfeld. burgici, *Annam Sophiam* natam Principiſſam *Anhaltinam* Concionator aulicus deſignatus, nec multò poſt Superintendens *Cranichfeldenſis* declaratus, in muneribus hiſce vitæ tempus reſiduum exegit.

Conjugium ejus duplex. 14. Febr. A. 1632. *Geræ* nuptias celebravit cum virgine *Regina, D. Henrici Gebhardi*, aliàs *Weſener* vocati, Cancellarii tunc *Plavienſis* filiâ, ex quâ filium cum filiâ reliquit ſuperſtites. Hâc conjuge A. 1640. vitâ defunctâ, octennium viduus exegit, & A. 1648. ad ſecunda vota tranſiit 27. Sept. *Arnſtadii* deſponſatus cum virgine *Annâ Sabinâ, D. Andreæ Gerhardi*, Cancellarii *Schwartzenburgici* & Conſiliarii *Arnſtatenſis* filiâ, quam ſterilem viduam reliquit.

Semitertianâ tandem aliiſque morbis gravibus exhauſtus, fruſtrà *D. Joh. Georg. Klättbichio* Medico ac Senatore *Arnſtatenſi* & *D. Martino Geblero*, Archiatro *Vinarienſi*, opem *Moritur.* medicam ferentibus, placidè exſpiravit 10. Febr. A. C. 1655. ætatis 62.

* *Ex Concione fun. Johannis Treiberi, Paſt. Eccleſ. Oſtbuſanæ.*

HUGO ROBINSON.

Obiit A.C. 1655.

Angliæ in Parochiâ Divæ *Mariæ*, in Comitatu Anglesey/ natus, diſciplinis autem puerilibus in Scholâ *Wikehamicâ* imbutus, Socius Collegii Novi *Oxoniæ* factus eſt A. 1605. & Sodalitio poſt annum inde nonum valedicens Scholæ *Wintonienſis* *Archididaſcalus Scholæ Wintonienſis.* Archididaſcalus emerſit, ubi ingenia haud pauca feliciſſima perpolire contigit.

Theologiæ Profeſſor. Canonicus Wellenſis. Archidiaconus Gloceſtrenſis. Sacræ poſtmodò Theologiæ Profeſſor emicuit, nec non Eccleſiæ *Wellenſis* Canonicus & Archidiaconus *Gloceſtrenſis*, quibus Muneribus ſub Rebellionis nuperæ initia, ac ſi è Malignantium (quos vocabant,) numero eſſet turbatus, tametſi ad partes *Presbyterianas* deſciviſſe, & fœdere *Scotico* ſe adſtrinxiſſe conſtat.

Linguas plusquàm mediocriter calluit, Theologus porro eruditus, & in Hiſtoriis antiquis optimè erat verſatus.

Moritur. Mortuus octavo Aprilis die, A. Dom. 1655. & *Londini* in Eccleſiæ *S. Ægidii* in Campis Cancello, ſecus portam ejus Borealem, ſepultus eſt.

Scripta. Scripſit:

Preces in uſum puerorum Scholæ Wintonienſis. Ang. & Lat.

Rhetoricam brevem ex Vaſejo & Talæo. Lat.

Antiquæ Hiſtoriæ Synopſin, Lat. Atque hæc omnia *Oxonii* edidit anno 1616.

Fœderis ſolennis vindicias. Angl. Lond.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

JOH. TOBIAS MAJOR.

Obiit A.C. 1655.

Jenâ Thuringus, D. Johannis Majoris, Theologi ibidem celebris filius, Academiarum in Europâ illuſtrium perluſtrator, ac feliciſſimus peregrinator, natus 2. Febr. A. C. 1615. in *Salana* Magiſterium Philoſophicum *Theol. Doctor & Profeſſor Jenæ.* A. 1634. & in *Albanâ* Doctoratum Theologicum A. 1645. adeptus.

Eodem anno ad ſpartam in Patriâ Theologicam vocatus, eam egregiè ornavit, Philologus, Philoſophus, Theologus Scriptis & pietatem & ſubtilitatem redolentibus famigeratiſſimus.

Finem hujus vitæ miſeræ ac miſerabilis fecit cælebs d. 25. April. A. C. 1655. ætatis 40. *Moritur.* Humatus in templo *Michaëlitano*. Bibliothecam libris pretioſis refertam fratri ſuo, non uterino, ſed conſanguineo *Joh. Andreæ Majori*, Eccleſiaſtæ in *Iſſerſtät* reliquit.

* *Ex Nomenclat. Profeſſ.* Jen. qui hoc Epigr. addidit:

JOHANN TOBIAM MAJOREM Jena Magiſtrum,
Doctorem celebris ſed Witteberga vocat.
Nunc audit patriâ clarus Profeſſor in urbe,
Quam Scriptis celebrem reddit ubique ſuis.

Scripta. Scripta:

Exegematum locorum difficiliorum, in Actis Apoſtolorum pars prior & poſterior.

Commentationes ſuper Epiſtolam ad Ebræos.

Exercitatio de naturâ & cultu Angelorum.

Diſſertatio, Hugoni Grotio oppoſita, de Oratione pro defunctis.

Apologeticus, adverſus Valerianum Magnum.

Diſſertationes Academicæ varii argumenti, de Scientiâ mediâ, de Symbolis, de Filiatione CHRISTI ut hominis, de Jure Divino imputandi peccatum primum Adamiticum toti generi humano, de Sabbato, de Naturâ & Conſtitutione Eccleſiæ, aliæque plures.

LANCELOTUS DAWES.

Obiit A.C. 1655.

Bartone, vel ad Barton-Kirche/ apud *Weſtmorlandenſes* in *Angliâ* in lucem editus, Collegium *Reginenſe Oxoniæ* intravit anno Dom. 1597. ætat. 17. ubi poſt biennium pauper puer ſerviens, ac tandem A. 1605. ſocius deligitur.

Illuſtre Collegii ſui ornamentum eum evaſiſſe ſatis conſtat: quare cum ad Parochiæ *Parochus Barton.* natalis curam evocatus eſſet, haud juſto meritorum prœmio auctus videbatur, & proinde ad majorem tandem, videlicet ad præ- *Præbendarius Carleolenſis.* bendam in Eccleſiâ *Carleolenſi*, evectum cum gaudio plauſuque excipiebant pietatis juxtà & Eccleſiæ Antiſtites:

Tumulum accepit in Eccleſiâ *Bartonenſi*, 18. Maji 1655. poſtquàm eandem per annos *Moritur.* 48. receperat.

Scripta. Scripſit *Conciones varias*, ſingulatim primò editas, demùm verò in unum collectas, annoque 1653. typis pariter mandatas.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

CHRISTOPH. SIGISMUNDUS DONAUERUS.

Obiit A.C. 1655.

Natus eſt 28. Aug. A.C. 1593. in pago *Palatinatûs Neoburgici Wiſent* dicto, Patre *M. Chriſtoph. Donauero*, Poëta Laureato, tunc tempore loci illius Paſtore & Concionatore *Theologi filius.* celebri, Matre *Mariâ*, filiâ *Joh. Matheſoni*, ex nobili familiâ *Scoticâ*, quæ Comites aliquot habuit, oriundi civis & Mercatoris *Ratisbonenſis*.

Cum

Ratiſbonæ in Gymnaſio Poëtico ſtudia inchoat.

Cum Patre ad Verbi Divini Miniſterium A. 1596. vocato *Ratiſbonam*, eò deductus, & Gymnaſio Poëtico traditus, 6. illius Claſſes peragravit, & profectus in ſtudiis Linguarum & artium fecit non pœnitendos. Ideò propter ſtudia benè cœpta continuanda A. 1613. parentibus jam demortuis, Univerſitatem *Juliam*, quæ *Helmſtadii* eſt, acceſſit, & ſtipendium â Duce *Brunſvicenſi Henrico Julio* adeptus, triennium ibi in ſtudiis exegit.

Stipendiarius Helmſtadii.

Wittenbergam accedit.

A. 1616. Ob ſtudium Theologicum, quod amplexus erat, *Wittenbergam* ſe contulit, ibique Theologos celeberrimos *Frantzium*, *Balduinum*, *Hutterum*, *Meisnerum*, & *Jac. Martini* docentes ſedulus audivit.

& Jenam.

Sed cum brevi pòſt febris epidemica maligna ibi invaleſceret, exindè cum aliis Studioſis *Jenam* diſceſſit, & usque ad A.C. 1621. commoratus eſt, præter ſtudium Theologicum aliis quoque ſcientiis ac diſciplinis deditus, ut nomen Theologi, Philoſophi, Hiſtorici, Oratoris ac Poëtæ cum honore obtinuerit.

Ratiſbonæ Miniſter Evangelii.

Eodem adhuc anno *Ratiſbonam* reverſus, ſtatim ad Evangelii Miniſterium â Senatu legitimè vocatus, unà cum M. *Joh. Georgio Rüdio* Theol. Candidato, & 4. Sept. â M. *Sebaſtiano Hemmingero*, Superintendente ritu Apoſtolico ordinatus, abindè functionem ſuam Eccleſiaſticam auſpice DEO aggreſſus eſt.

Nubit.

29. Oct. A. ſeq. 1622. Conjugio ſibi legitimo junxit virg. *Reginam*, *Tobiæ Winckleri*, mercatoris, & *Urſulæ Gutbrodiæ* filiam, cum quâ 13. annos in conjugio pacato vixit, ex eâque 2. filios, totidemque filias ſuſcepit, ſed filium tantùm cognominem Miniſterii Evangelici *Ortenburgi* adjunctum, cum filiâ virg. *Catharinâ Barbarâ* ſuperſtites reliquit.

A. 1636. Cum conjugem anno prægreſſo morte ſibi abreptam cum dolore vidiſſet, ſecundum iniit conjugium, deſponſatus 9. Aug. cum *Barbarâ*, *Sebaſtiani â Kempen*, mercatoris *Ratiſbon.* relictâ viduâ, quam unà cum filio & filiâ ſuperſtitem reliquit.

Superintendens, Ratiſbon.

A. 1652. Mortuo Superintendente *Baltaſare Balduino* Theol. Doctore, per vocationem legitimam ipſi ſucceſſit, & 11. Dominicâ Trinitatis primam Concionem habuit ex verbis CHRISTI: *O DEUS propitius eſto mihi peccatori!* Sed brevi pòſt dyſpnœâ gravi correptus, ſæpiùs abindè recurrente, tandem lecto affixus, viribus ſenſim abſumptis, in ſellâ ſedens, inter aſtantium preces, placidè exſpiravit 28. Junii A. C. 1655. æt. 62. Miniſterii 34.

Moritur.

Joh. Georg. Grünerus, Paſtor *Ratiſbon.* in *Melckendorff* hoc ei fecit *Anagramma*:

CHRISTOPHORUS SIGISMUNDUS DONAUERUS.

Dormi ut hoſpes ſurdus: hinc ſurgis ovans.
In tumuli lecto dormi nunc ſurdus ut hoſpes:
Hinc CHRISTI *placido tempore ſurgis ovans.*

Aliud *Hieronymi Radii*:

CHRISTOPHORUS SIGISMUNDUS DONAUERUS.

Surgis, poſt dies Mundi uſurus coronâ,
Poſt triſtes miſeroſq; dies, poſt termina Mundi,
Surgis ad æterni gaudia mille poli,
Uſurus nitidâ, Sanctorum more, Coronâ:
O verè tanto digna Corona Viro!

* *Ex Concione funebri M. Chriſtoph. Adami Rüdii & Epicediis.*

FRIDERICUS WILHELMUS ZEMBSCHIUS.

Obiit A.C. 1655.

Culmbaci, *Marchionatûs Brand. ſuper.* oppido natus eſt 5. Jan. A.C. 1591. Patre *Paulo Zembſchio*, nobilis Viri *Friderici Wilhelmi*, (qui filium hunc è S. Baptiſmi fonte ſuſcepit,) redituum exactore: Matre *Urſulâ Kermiâ*.

Puerum avunculus *Johannes Kermius*, Syndicus *Culmbacenſis*, ut Scholaribus 12. pauperibus aſſociaretur effecit, ubi per triennium victum & amictum â civibus accepit.

Deindè â Generali Superintendente *Marchionatûs ſup.* M. *Johanne Codomanno* in domum receptus, altero triennio famulus ejus fuit. A. 1605. Hujus heri ſui auxilio promotus in Gymnaſium *Heilsbronnenſe*, octennio fuit alumnus, & liberalium artium fundamenta feliciter poſuit.

Famulus.

Alumnus Gymnaſii Heilsbronn.

Academias deindè *Gieſſenſem* & *Marpurgenſem* adivit. Sed cum Stipendiarii *Brandenburgici* Univerſitatem *Wittenbergenſem* præ cœteris adire obligati eſſent, in hanc A. 1613. venit, & Theologos famâ claros *D. Balduinum*, *D. Frantzium*, *D. Hutterum*, *D. Nic. Hunnium*, *D. Rothum*, M. *Schneiderum*, & *Jacobum Martini* publicè docentes audivit. Hoc Decano in Magiſtrum Philoſ. A. 1617. promotus, A. 1619. *Münchbergam* ad Diaconatum legitimè vocatus, & A. 1625. in urbem *Voitlandiæ Curiam* 4. ibi Diaconatuum munera geſſit, donec A. 1631. *Münchbergam* Paſtor ibi Eccleſiæ factus rediit.

Wittenberga Theol. ſtud.

Philoſ. Magiſter.

Diaconus Münchberg. Eccleſ. Paſtor Münchberg. Superint. Glauchav.

A. 1638. Vocante generoſo Dom. *Joh. Caſp. â Schonburg* Superintendens *Glauchaviæ* conſtitutus, in eo munere 18. annos exegit.

Conjugium ejus duplex.

A. 1619. Prima ſponſalia celebravit *Heilsbronnæ* cum virgine *Barbarâ*, M. *Simſonis Mencelii*, Concionat. & Profeſſoris in Gymnaſio ibidem filiâ, ex quâ duos filiolos cum filiolâ ſuſcepit, ſed omnes præmiſit, Matre brevi pòſt etiam ſecutâ.

A. 1624. Ad ſecunda vota tranſiit cum viduâ *Petri Widemanni*, Cantoris *Curienſis*, *Magdalenâ* M. *Andreæ Luſſovii*, Superintendentis *Treuenbrizenſis* in *Marcâ Brandeburg.* filiâ, tunc *Curiæ* apud affinem ſuum M. *Chriſtoph. Jordanum* Superint. commoratâ. Ea 5. filios & 4. filias ipſi peperit, ſed duos tantùm filios duaſque filias reliquit ſuperſtites *Henricum*, Diaconum *Mebrani*, *Gotfridum Henricum*, Studioſum *Jenenſem*, *Magdalenam* M. *Johanni Schulteſio*, Rectori Scholæ *Glauchav.* nuptam, & *Catharinam Sobinam* virginem.

Ab incendio Bibliothecam amiſit.

Curiæ & *Münchbergæ* grave damnum ab incendio paſſus, omnem ſupellectilem & Bibliothecam, præter tres libros, amiſit. Belli tempore â militibus quadrageſies exſpoliatus, duodecies captus, & malè tractatus fuit. Podagricis doloribus â multis an-

nis

nis fuit afflictus, tandemque febris hectica acceſſit, quâ conſumptus placidè tandem in *Moritur.* CHRISTO exſpiravit 18. Jul. A. C. 1655. æt. 65.

Epitaphium hoc ipſe ſibi compoſuit 16. Junii A. 1654.

Hier lieg bey meiner Heerd ich Hirt/
Und wart/ biß mich aufwecken wird/
Am jüngſten Tag/ mein HErr und Chriſt/
Der mein getreuer Heyland iſt/
Schickt euch all recht/ ihr müſt hernach/
Und wiſſt doch weder Stund noch Tag.
Was ihr jetzt ſeyd/ bin ich geweſen/
Und wie ich muß/ müſt ihr verweſen:
Drum thut recht Buß/ und ſäumt euch nicht/
Ein harter Stand iſt's Jüngſt Gericht.

* *Ex Concione fun. Zachar. Reinbeckelii, Archidiaconi Glauchav.*

DANIEL TOSSANUS.

Obiit A. C. 1655.

HUnc *Monſpelicardi* ditionis *Würtenbergicæ* in confiniis *Burgundiæ* civitas huic mundo dedit 1. Martii A. C. 1590. Patre *Samuele Toſſano*, Eccleſiæ *Vandoncurienſis* annis 50. plus minus Paſtore, Matre *Johannâ Warpillot*, honeſti Civis *Monthpelicardi* filiâ. *Pater ejus Theologus.*

His conjugibus, præter alios plures liberos, tres nati ſunt filii, quorum primus *Johannes Loriolenſis* in *Delfinatu*, alter *Samuel Lucenſis* in *Provincia* Eccleſiarum fuêre Miniſtri: tertius *Daniel* hic, quamprimùm per ætatem licuit, literarum & pietatis ſemina hauſit, donec ad uberiorem ingenii cultum tum ad alias, tum ad *Heidelbergenſem* Academias fuit tranſmiſſus, ubi eum ſibi acquiſivit eruditionis theſaurum, ut A. 1615. ſecundæ Gymnaſii *Neuhuſiani* Decuriæ fuerit præfectus. *Præceptor in Gymnaſio Neuhuſiano.*

Anno ſeq. Matrimonio ſibi junxit *Mariam Göppiam*, Conſulis *Pfortzheimenſis* filiam, *Joh. Chriſtoph. à Jülingen* viduam, ex quâ ſuſcepit 3. liberos ante patrem vitâ defunctos.

A. 1619. Ejuſdem Gymnaſii Conrector, & A. 1621. *Heidelbergæ* Collegii Sapientiæ Ephorus conſtitutus, fataliſque belli procellis ejectus, ad annum usque 1624. exilium coluit, quo ad Eccleſiæ *Gallicæ* Miniſterium *Francothalium* evocatus, eidem ſub jugo *Hiſpanico* gementi fidelem operam collocavit. *Ephorus Collegii Sapientiæ Heidelberg.*

A. 1627. Cum Eccleſiarum nomine *Bruxellas* ſupplicatum miſſus, re infectâ rediviſſet, Eccleſiis earumque Miniſtris diſſipatis, ipſe *Baſileam* ſe recepit, ubi vacantem commodè Gymnaſii Rectoratum juſſu Magiſtratûs occupavit, & in ereptæ ſibi per mortem conjugis prioris locum 9. Maji A. 1642. alteram ſibi vitæ ſociam aſſumſit virginem *Ludovicam Felicitatem, D. Matthiæ Miegii*, J. C. & Conſiliarii *Palatini* filiam, ex quâ tres liberos ſuſcepit, filias duas cum matre viduâ ſuperſtites, & filiolum unicum, qui triennio ante Patrem obiit, cum quo nobilis hæc *Toſſanica* familia fuit extincta. *Miniſter Eccleſ. Francothal. Rector Gymnaſii Baſil.*

A. 1650. A Sereniſſ. Electore *Palat. Carolo Ludovico* ad priſtinum in Collegio Sapient. Inſpectionis, unàque Conſiliarii Eccleſiaſtici munus *Heidelbergam* revocatus, iisdem ſe officiis ad finem usque vitæ parem geſſit, in Eccleſiâ quoque Gallicâ operâ ipſius recenter ibi collectâ Paſtoris, & in Academiâ Theol. Profeſſionis munere per aliquod tempus fideliter functus eſt. *Iterum Inſpector Collegii Sapientiæ Heid.* *Paſtor Eccleſiæ Gall. Profeſſor Theol.*

27. Mart. ejuſdem anni, Orationem votivam recitavit ob Electorem *Carolum Ludovicum* reſtitutum, ejusque cum *Carlottâ Haſſiacâ* contractum conjugium.

Raro exemplo 7. habuit Eccleſiarum Doctores ſibi cognatione junctos, Avum *Danielem*, Theologum *Heidelbergæ* celebrem, Patrem *Samuelem*, Patruum *Paulum*, Patrueles duos, & totidem fratres.

Valetudo ipſius, quâ ob corpus robuſtum nec facilè injuriis externis obnoxium plerumq; firmâ & integrâ gaviſus eſt, primùm labefactari cepit die Paſchatos A. 1654. cum habitâ Concione & finitâ communione, hemiplegiâ ſiniſtri lateris correptus, abſolutis ægrè linguâ balbutiente precibus, adjutrice ope domum deducendus eſſet. *Hemiplegiâ correptus.*

Hic affectus etſi tunc non infeliciter fuerit debellatus, tamen anno ſeq. non obſcura ſui recurrentis ſigna dedit. Exindè ſanitate vacillante uſus, in cachexiam tandem & orthopnæam incidit, quæ diverſis intervallis immitisſimè afflixit eum: donec tandem viribus deficientibus natura, collecto omni ſuo robore, totam corrupti humoris ſaburram in pedem ſiniſtrum primitivo jam affectu labefactatum deturbavit, ubi illicò ſigna ſphaceli exorta, quæ convenientibus remediis octidui ſpatio ita repreſſa, ut nullus fœtor, aut aliud gravius ſymptoma acceſſerit, donec feſſam tot luctis animam Creatori ſuo placidè reddidit 3. Oct. A. C. 1655. æt. 65. *Moritur ſphacelo cruris.*

* *Ex Programm. fun. Rectoris Heidelberg.*

JOACHIMUS LUTKEMAN.

Obiit A. C. 1655.

DAmmini in Pomeraniâ natus eſt A. C. 1608.

A. 1639. *Roſtochii* Archidiaconus ad *S. Jacobum*, & A. 1643. Profeſſor Phyſicæ factus, A. 1649. Concionator aulicus *Brunſvicenſis & Luneburgenſis*, earundemque Regionum Superintendens generalis conſtitutus, anno denique 1653. Abbas *Rittagshuſianus* declaratus, obiit *Wolferbyti* 18. Oct. A. C. 1655. ætatis 46. *Archidiaconus Roſtoch. Concionator aul. & Superintendens Generalis Brunſvic. Abbas Rittagshuſ.*

Edidit: *Scripta.*

Tract. de vero Homine.
Vorſchmack der Göttl. Güte.
Harpffe von zehen Saiten.
Drey Predigten/ den Regim. Prediger und Haus-Stand betreffend.
Apoſtoliſche Aufmunterung/ oder Epiſtel-Poſtill.
Regenten-Predigten.

JOHANNES CHRISTFRIDUS SAGITTARIUS.

Clar. A. C. 1656.

URatislaviâ Sileſius prodiit hanc in lucem 18. Sept. A. C. 1617. Patrem habuit *Thomam Sagittarium*, Phil. & Jur.

Digitized by Google

utriusque Doct. & in *Salanâ* illius Profeſſorem Publ. Matrem verò *Magdalenam*, *Andreâ Catharo*, Reip. *Hallenſis* Oratore & Advocato, & *Annâ*, *Joh. Caſp. Nævii*, Med. D. & Archiatri Electoralis *Sax.* filiâ natam.

Vix quadriennis Patre, & vix ſexennis matre orbatus, in Orphanor. naviculâ poſitus, variisque fortunæ procellis ſubjectus fuit, usque ad A. 1628, quo patruus ejus M. *Caſp. Sagittarius*, Scholæ apud *Brunopolitanos Martinianæ* Rector, poſteà *Luneburg.* Eccleſiaſtes in clientelam & diſciplinam ſuam recepit.

Alumnus Jen. *Salanæ* factus Alumnus, ſimul & familiaris Dom. *Joh. Mich. Dilberri*, tunc Prof. Publ. ſub hujus pollice in Philologicis, *Danielis* autem *Stahlii* auſpicio in Philoſophicis indies profecit, & Aulis innotuit *Saxonicis*, aliisque Rebuspublicis, poſteà in *Salanâ* Philoſ. *Philoſ. Magiſter.* Magiſter publicâ panegyri 8. Maji A. 1643. renuntiatus.

Pro-Rector Curienſis. *Curiâ Variſcorum*, ubi Pro-Rectorem egit, eodem anno relictâ *Jenam* venit, & gubernacula Senatoriæ Scholæ moderatus eſt, usque ad A. 1646. 12. Aug. quo Profeſſionem Hiſtoriarum & Poëſeos ſuſcepit, quam *Hiſtor. & Poëſ. Profeſſor.* usque ad A. 1651. ſuſtinuit, quo ad Ephoriam *Orlamundanam* ſe contulit.

Superint. Orlamund. A. ſeq. 1652. Theol. Doctor publicè creatus, tandem A. 1656. 31. Oct. *Altenburgum* *Theol. Doctor. Superint. Generalis, & Concionator Aul. Altenburg.* ingreſſus, abindè Generalis Superintendentis officio, Concionatoris Aulici primarii, & Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſoris laudabiliter functus eſt.

Contoralis ei fuit *Anna Maria*, *Pauli Reinelii*, *Selbâ-Variſci* Xenodochii *Cruciani* apud *Curienſes* Paſtoris, & Capituli Eccleſiaſtici Senioris filia, quam *Curiæ Variſcor.* A. C. 1642. duxit.

* *Ex Nomenclat. Profeſſor. Jenenſ. M. Adriani Beyeri, qui hoc adſcripſit Epigramma:*

JOHANNES CHRISTFRIED, *magni Patris æmula proles*,
Dulce SAGITTARI *nomen & omen habes.*
Gratia Paxque Comes tibi CHRISTI *provida:* CHRISTO
Atque tuæ fidei recta Sagitta placet.

THEOPHILUS NEUBERGER.

Obiit A. C. 1656.

Natus eſt Patre *Martino Neubergero*, avo *Chriſtophoro*, Miniſtro V. Divini *Auguſtano*, Concionatore poſteà aulico & *Neubergerorum familia Nobilis.* Inſpectore in *Palatinatu*, ex nobili *Neubergerorum* & vetuſtiſſimâ familiâ oriundo. *Theophilus* verò ſacro Baptiſmatis fonte ablutus eſt ſponſore M. *Nicolao Roſtio*, Diacono *Jenenſi*.

Philoſophiæ hic abſoluto curſu, Theologiæ animum ſuum dedit totum, ſub Præce- *Præceptores in Theologiâ.* ptoribus *D. Paræo*, *Quirino Reutero*, *Bartholomæo Coppenio*. Poſt Patris præmaturam mortem verò, qui filium tunc *Theophilum* ſacris literis egregiè jam imbutum, in loca longius *Neubergerus Concionator Neubergkenſis.* diſſita amiſſurus erat, Concionator ſtatim conſtitutus eſt *Neubergkenſis* propè *Heydelbergam* 4. Maji A. 1614.

A. 1620. verò *Heydelbergam* vocatus, in locum D. *Sculteti* tum piè demortui Concionator aulicus factus, poſt varias exilii ſui *Concionator aulicus Heydelbergenſis.* miſerias, ubi demum Bibliothecam libris undique refertam relinquens, cum viduâ Electorali *Berlinum* ſeceſſit. Hinc A. 1623. à *Mecklenburgenſis.* Duce *Mecklenburgenſi* vocatus, eâ ab Electorali viduâ conditione dimiſſus eſt, ut, *Palatinatu* ſeſe recolligente, & ipſe rediret, ipſi à ſacris fuit Concionibus *Güſtroviæ*.

Amicitiam indè contraxit ſummam cum Profeſſ. *Roſtoch. D. P. Tarnovio*. Verùm diſſidiis tunc in *Germaniâ* ubique adhuc durantibus, *Berlinum* rurſus ſecedere coactus, A. 1628. à *Wilhelmo Haſſiæ Landgravio* vocatus *Haſſiacus.* eſt, & *Caſſellis* Concionatoris aulici munere functus. Varia cum Principe ſuſcepit itinera, d. 14. Decemb. 1634. *D. Paulo Streinio* Superintendenti ſucceſſit. Ex liberis ſuis 13. filium reliquit unicum, 3. verò filias. Obiit ex calculi doloribus & febre quâdam A. *Moritur.* 1656. 9. Januar.

Ingenii reliquit Monumenta *Germanica*: *Scripta.*

1. Glaubens-Spiegel/ darinn die vornehmſte Puncten der wahren Chriſtlichen Religion aus GOttes Wort deutlich vor Augen geſtellt werden.
2. Hand-Büchlein vom rechten Verſtand und heilſamen Gebrauch des H. Abendmals/ ſamt dazu gehörigen Gebeten.
3. Gebet-Buch.
4. Poſtill über die Sonn- und Feſttage-Evangelia durchs ganze Jahr.
5. *Soliloquia* vom Göttlichen Leben eines wahren Chriſten/ in 3. Theilen.
6. Troſt-Buch in 6. Theilen.
7. Zungen-Zaum.
8. Sonſt viel ſchöne und erbauliche Predigten/ in 2. *faſciculos* abgetheilt.

JUSTUS FEURBORNIUS.

Obiit A. C. 1656.

Primordia vitæ hauſit *Hervordiæ*, urbe in *Weſtphaliâ* celebri 13. Nov. A. C. 1587. Patre *Ludovico Feurbornio*, Præfecto re- *Parentes ejus.* dituum Abbatiſſæ *Hervordienſis*, Matre *Catharinâ Fuhrlonii*, ſorore *Gabrielis Fuhrlonii*, Jur. Doctoris Cancellarii apud *Antonium*, Epiſcopum *Mindenſem*.

Cum in Gymnaſio patrio tunc celebri prima ſtudiorum fundamenta poſuiſſet, Ju- *Juri ſtudet.* ris eum ſtudio conſecrare Parentes conſtituerunt, cujus aliquod initium fecit *Lemgoviæ*, Juris Inſtitutiones in Gymnaſio explicatas audiens, ſed cum animus ejus ad ſtudia Theologiæ magis inclinaret, in Gy- *Ad Theologiam inclinat.* mnaſiis *Weſtphalicis Lemgovienſium* & *Stathagenſium* eos in literis humanioribus fecit progreſſus, ut ſpem de ſe conceptam Parentibus & Præceptoribus confirmârit ſpeciminibus illuſtribus, quibus inductus *Joh. Jacobus Bernhardi* Theol. D. & *Stathagenſium* Superintendens, eum tanquàm filium adamavit, ſub cujus etiam Præſidio A. 1610. Diſputationem Theol. *de S. Scripturâ* publicè defendit.


21. Sept. A. 1612. *Gieſſam* veniens cum *Gieſſam venit.* literis commendatitiis *D. Bernhardi* ad D.


Mentze-


THEOPHIL' NEUBERGER
Cons. Aul. Haſſiacus


IUSTUS FEURBORNIUS.
Theol. Prof. Gieſsens



GEORGI' CALIXT'
Theol. Helmſtad


SALOMO GLASSI'
Theol. Prof. Ienens



HARTMAÑ' CREIDIUS
Theol. Auguſt.


BALTHAS. GOCKELI'
Theol. Ulmens


GABRIEL ABESIUS
Theol. Sedanius


IOHANES MAIERUS.
Theol. Auguſt.


ÆGIDIUS STRAUCHI'
Superint. Dresden.


CHRISTIAN' LANGI'
Superint. Lipsiens.


IOH. BENED. CAPPZOVI'
Theol. Prof. Lipsiens


PETRUS MOLINÆUS.
Theol. Sedan.



WOLF. LUDOVI. ASSUM.
Conſiul. Hoeloic. et Sup.


IOH. IOACH. SCHUELIN'
Theol. Studgart.


IOHAÑES SCHMIDIUS.
Theol. Profes. Argent.


HIERONIM' HOLLIUS
Theol. Hallensis.

Digitized by Google



Digitized by Google

Mentzerum, & Cancellarii *Weitersheimenſis* ad D. *Petrum Fridericum Mindanum* tunc Jur. Profeſſorem, ab hoc ſtatim liberis ſuis informandis Præceptor datus, abindè *D. Mentzeri, D. Helvici*, & *D. Finckii* Collegia publica & privata, lectoria ac diſputatoria frequentavit.

Cum verò anno ſeq. 1613. Peſtis *Gieſſam* turbaret, & *D. Fridericus* Syndici munus accepiſſet *Francofurti*, cum illo eò ſe conferens, exindèque *Moguntiam* & *Coloniam* excurrens, *Gieſſam* circa nundinas autumnales reverſus eſt, ubi brevi pòſt habitâ Diſput. publicâ de fugâ peſtis ſub Præſidio D. *Joh. Winckelmanni* reſpondit.

Fit Magiſter,

A. 1614. *Gieſſæ* gradum Magiſterii â M. *Chriſtoph. Scheiblero* ſub Decanatu M. *Conradi Dieterici* obtinuit, ſecundo loco numeratus, cum primo potuiſſet.

Nubit.

Deindè Collegia Philoſophica aperuit, habitâ prius pro more Diſputatione ſolenni, quâ ſe probavit ſingulis Philoſophiæ Profeſſoribus. 28. Oct. A. 1616. Nuptias celebravit cum virgine *Hedwige, D. Baltaſ. Mentzeri* filiâ, & eâdem die â Dom. ſocero S. Theologiæ Doctor ſolenniter creatus eſt. Cum conjuge concors 38. annor. matrimonium exegit, auctus prole quintuplum, ſed duas tantùm filias reliquit, *Eliſabetham Catharinam, Petro Haberkornio* S. Theol. Profeſſori & Superintendenti nuptam, & *Annam Catharinam*, deſponſatam *Jacobo le Bleu* Pandectar. Doctori, Politices & Lingu. exoticarum Profeſſori, Academiæque *Gieſſenſis* Syndico.

Doctor Theol.

Ex his duobus Generis genus vidit florere, factus avus nepotum 19, & proavus duorum pronepotum.

Concionator aulicus Darmſtadii.

Statim poſt nuptias *Ludovicus Haſſiæ Landgravius Darmſtadium* accerſitum eum ſibi â Concionibus aulicis eſſe voluit, & brevi pòſt ejuſdem Principis favore Profeſſionem Theol. extraordinariam cum Ephoriâ & functione Eccleſiaſticâ *Gieſſenſi*, in locum *D. Finckii Coburgum* diſcedentis obtinuit.

Theol. Profeſſor Gieſſæ.

16. Febr. A. 1617. *Gieſſæ* â *D. Joh. Winckelmanno* ad Eccleſiæ Miniſterium legitimè ordinatus eſt, & A. 1618. ad ordinariam Theol. Profeſſionem poſt obitum *D. Chriſtophori Helvici* clementer vocatus eſt.

Theol. Profeſſor & Concionator Marpurgi.

18. Martii A. 1624. â *Ludovico Haſſ. Landgrav.* in Academiam *Marpurgenſem* citatus venit, & usque ad A. 1649. Profeſſoris ac Concionatoris munere fideliter functus eſt, quo tempore *Georgius Haſſ. Landgravius Gieſſam* ad ſe vocatum Concionatorem ſibi aulicum conſtituit.

Primus Rector Gieſſ.

Sed cum anno ſeq. 1650. Univerſitas *Gieſſenſis* fuiſſet reſtaurata, ab eodem Principe primus in eâ Rector, Theol. Profeſſor primarius, & Superintendens Eccleſiarum Scholarumque *Marpurgenſis* portionis conſtitutus eſt. Rectoratum in Academiâ *Marpurgenſi* bis, A. 1629. & A. 1644. Decanatum verò in *Gieſſenſi* & *Marpurgenſi* Academiis ſæpiùs adminiſtravit.

Vocationes varias recuſat.

Varias intereà vocationes ad alia loca ſortitus, A. 1616. ad Miniſterium Eccleſiaſticum *Francofurti ad Mœnum*, A. 1617. ad Superintendentiam *Jeveræ* in Comitatu *Oldenburgico*, A. 1623. in Academiam *Altorfinam* ad Profeſſionem Theol. primariam, per *D. Georgium König*, ad Profeſſionem Theol. *Jenenſem*, quâ poſteà *D. Himmelius* potitus eſt, in Academiam *Argentinenſem* bis, *Rintelium* ad Principem *Erneſtum Schaumburgicum*, *Roſtochium* ad Profeſſionem Theologicam in locum *D. Affelmanni* A. 1648. *Wittenbergam* in locum *D. Hülſemanni* demortui; omnes tamen modeſtè recuſavit.

Uxorem mort. ſequitur.

Cum A. 1654. Uxor ipſi per mortem fuiſſet abrepta, viribus indies decreſcentibus & variis morbis conflictatus, vitam tandem beatâ morte clauſit d. 6. Februarii A. C. 1656. æt. 69.

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta.

Reſponſio ad Diſputationem Theologicam, quam de ultimo CHRISTI adventu Philippus Ceſar in Acad. Marpurg. propoſuit.

Diſſertatio de Peccato in SPIRITUM SANCTUM, contra Raphaëlem Eglinum.

Faſculi VI. Diſſertationum Theologicar. de variis Chriſtianæ Fidei Articulis.

Diſſertationes novem Theologicæ de Statu Exinanitionis CHRISTI.

Explicatio Evangeliſtæ S. Lucæ, & Epiſtolæ ad Romanos.

Anti-Oſtorodus reviſus & recognitus.

Diſputat. An in infantes actualia cadant peccata?

An DEUS filios puniat ob parentum flagitia?

An impetrata peccatorum remiſsio per ſubſequentia peccata fieri poſſit irrita?

Deductio fundamentalis contra ἀμοιβαῖα *Caſſellana.*

Syntagmata II. Sacrarum Diſquiſitionum.

Diſſertationum biga, I. de Electione & Vocatione ad vitam æternam. II. De æternâ CHRISTI Deitate.

De Naturâ & Gratiâ contra Amyraldum.

Anti-Enjedinus.

Diſputationes in Auguſtanam Confeſſionem.

Predigten vom H. Abendmal.

7. Leichpredigten/ welche *Tomo II.* der Gieſſigen Leichpredigten einverleibet worden ſind.

Allerhand Predigten.

Κενωσιογραφία Χειρολογική, *in quâ de CHRISTI exinanitione &c. agitur.*

Gründliche Ausführung wider die Caſſeliſche Wechſel-Schrifften.

Epitome Errorum Calviniſticorum.

Sacra Diſquiſitio de c. 9. ad Rom. & in c. 10. ad Romanos.

Examen Confeſſionis orthodoxæ de CHRISTO, quam Johannes Combachius, Profeſſor Marpurgenſis, propoſuit.

* *Ex Conc. fun. M. Conradi Misleri, & ex Oratione fun. Rect. Gieſſ. Joh. Conradi Dieterici.*

PHILIPPUS HOLLIUS.

Obiit A. C. 1656.

Lauingæ natus eſt A. C. 1596. Patre *Davide Hollio*, tunc Gymnaſii ibidem Oeconomo

Ffff 2

nomo, & poſteâ *Neoburgi* Xenodochii Præfecto, Matre *Margarethâ Herpferiâ Donawertenſi*.

Cum in primâ ætate claſſes Gymnaſii patrii percurriſſet, A. ætatis 16. ad Lectiones publicas promotus, Profeſſores docentes audivit, *D. Philippum Heilbrunnerum* Veteris Teſtamenti, & *D. Georgium Zeemannum* Epiſtolarum *Paulinar.* Interpretes, *D. Georgium Cleminium*, Juris & Hiſtoriarum Profeſſorem, *Johannem Bloſſium*, Logicam & Philoſophiam Theoricam, & M. *Johannem Ortelium*, Philoſophiam Practicam cum Eloquentiâ declarantes.

Lauingæ Philoſ. ſtudet.

Wittenbergæ Theol. ſtud.

A. 1615. *Wittenbergenſem* Academiam accedens, & Theologiæ ſtudiis addictus, Profeſſores celebres *Hutterum, Frantzium, Balduinum, Meiſnerum*, & *Hunnium* docentes ſedulus audivit.

A. 1617. Apud nobilem quendam in arce *Marchionatûs Brandenburg.* Geyrn Præceptorem & Concionatorem egit usque ad A. 1619. quo, prægreſſis examine & ordinatione conſuetâ, *Pappenhemii* Diaconus conſtitutus, unà ſtipendiariorum illius ditionis Inſpectorem egit.

Diaconus Pappenhemii.

A. 1623. Paſtor Eccleſiæ *Dettenhemii* propè *Weiſſenburgum* factus, indè propter reformationem â Generali Comite *Pappenhemio* A. 1627. ſuſceptam, diſcedere coactus, A. ſeq. 1628. clementer â *Ludovico Eberhardo* Comite *Oettingenſi* ſuſceptus Paſtor primùm *Sorhemii*, deindè A. 1633. *Mötingæ*, A. 1637. *Appezofii*, & tandem A. 1643. *Kirchemii* conſtitutus, demùm A. 1652. hujus Diœceſeos Superintendens conſtitutus eſt, & Conſiſtorii *Oettingenſis* Aſſeſſor.

Superint. Oetting.

Conjugium ejus duplex.

A. 1625. Conjugium iniit cum virgine *Annâ Sabinâ*, Dom. *Johannis Stirlini*, Paſtoris Eccleſiæ *Biswangenſis*, in ditione *Pappenheimenſi*, filiâ, ex quâ 6. filios ante patrem demortuos, & 3. filias ſibi ſuperſtites ſuſcepit.

A. 1639. Ad ſecunda vota tranſiit cum virgine *Annâ Mariâ*, M. *Matthæi Rethingeri*, Paſtoris *Luſtenaviæ* propè *Dünckelſpilam* filiâ, quam viduam cum filio tribusque filiabus ſuperſtitem reliquit. Placidâ tandem morte vitam finiit *Kirchbergæ* 10. Febr. A. C. 1656. æt. 60. Miniſt. 40.

Moritur.

O DeVs LIberator noſter LIbera nos â MaLo.

Herr PhILIpp ZoLL eIn aLt-erLebter ChrIſt
In GOTT aLs KäMpffer reCht entſChLaffen Iſt.

* *Ex Concione fun. Jerem. Baltaſ. Ludovici, Paſtoris Oettingenſis Trochtelfingæ.*

Obiit A. C. 1656.

GEORGIUS CALIXTUS.

Natales ipſi dedit *Holſatia*, inque eâ *Medelobæa*, diœceſeos *Sleſvicenſis* vicus. Ibi doctrinæ cœleſtis adminiſter *Johannes Calixtus* ex conjuge *Catharinâ, Nicolai Richteri*, Conſulis *Flensburgenſis* filiâ poſt alios liberos hunc filium ſuſcepit 14. Dec. A. C. 1586.

Filius Theologi.

Cum domi & in Scholâ *Flensburgenſi*, operâ fidelis Magiſtri *Bernhardi Latomi*, Rectoris, ſtudia humanitatis didiciſſet, A. 1603. in Academiam *Juliam* â Patre miſſus eſt, in quâ imprimis *Johanni Caſelio* & *Cornelio Martini* adhæſit, ut ab hoc Philoſophiam, & ab illo ſtudia humaniora addiſceret. Sed præter hos ibi quoque publicè profitentes audivit *Ovenum Guntherum, Henricum Meibomium, Valentinum Schindlerum, Johannem Polinium*, & *Adamum Luchrenium*.

Acceſſit Academiam Juliam.

14. Martii A. 1605. Summus ipſi in Philoſophiâ Gradus tertio inter 8. Competitores loco collatus eſt â *Johanne Potinio*, Græcar. literarum Profeſſore. Tunc ſtatim Prælectiones Philoſophicas in domeſtico Auditorio inchoavit, & Moralem Philoſophiam ipſe Præſes Diſputationibus aliquot pertractavit.

Fit Magiſter Philoſ.

Præſes Diſput. Ethicar.

A. 1607. Addicere ſe cœpit Divinar. literarum ſtudiis, viam ipſi publicè monſtrantibus *Henrico Boëthio*, & *Laurentio Scheurle*, Theol. Doctoribus, privatim verò *Cornelio Martino*. Sub his Magiſtris adeò profecit, ut A. 1606. Scholam Theologicam aperuerit, in quo Collegio Theologico Theſes aliquot de præcipuis fidei capitibus Studioſis ad calamum dictavit, de iisque Diſputationes cum illis inſtituit.

Theol. ſtudium inchoat.

Aperuit Collegium Theologicum.

Eodem anno Academiam *Jenenſem* adivit, convictu uſus Dom. *Johannis Debelii*, Theol. Doctoris & Profeſſoris. Ibi ante diſceſſum ſuum de *Naturâ Logicæ* publicè præſidendo diſputavit.

Acad. Jenenſem adit,

A. 1610. *Gieſſam Haſſorum* ſe recepit, ubi Theologos celeberr. *Baltaſ. Mentzerum, Job. Winckelmannum*, & *Chriſtoph. Helvicum* docentes audivit. Indè *Francofurtum, Hanoviam, Moguntiam, Oppenhemium, Wormatiam, Spiram, Durlacum*, & *Pfortzhemium* peragravit.

& Gieſſenſem.

Moguntiæ imprimis magni nominis Jeſuitam *Martinum Becanum* convenit, eique *Tridentinorum* in numero Sacramentorum iniquitatem tam clarè oſtendit, ut is, quod reponeret, vix haberet.

Cum Mart. Becano Jeſ. diſputat Moguntiæ.

Pfortzhemio Tubingam contendit, ubi poſtquàm cum *Andreâ Oſiandro* & *Matthiâ Hafenreffero* converſatus fuiſſet, *Ulmam, Lauingam, Dillingam*, & *Auguſtam Vindelicor.* circumivit, & *Tubingam* rediit.

Tubingam venit,

Hîc iterum paulùm moratus conceſſit *Heidelbergam*, & *Davidem Paréum, Jacobum Chriſtmannum*, cum *Jano Grutero* ſalutavit, cujus poſtremi operâ Bibliothecam celebrem perluſtrandi occaſionem nactus eſt optatam.

& Heidelbergam.

Hinc *Francofurtum* reverſus, comitem deinceps nactus eſt *Matthiam Overbequium, Belgam*, magnum poſteâ ſtudiorum Mecœnatem, cum quo *Gieſſam* iterum, & *Marpurgum* rediit. Poſteà *Helmſtadium* redux, Philoſophiæ & Theologiæ Scholas denuò aperuit.

In Acad. Juliam redit.

Ibidem A. 1611. de Religionis Dogmatibus XV. Diſputationes edidit, quarum primam, *de DEO Uno & Trino*, ſub ejus Præſidio defendit *Bertoldus Neuhuſius*, ingratus poſteà diſcipulus.

Sub autumnum *Coloniam Ubiorum* accedens,

Coloniam accedit.

Digitized by Google

dens, ibi ad ver proximum usque ſubſtitit, & de Miſſæ Sacrificio libellum conſcripſit, poſteà *Francofurti* A. 1614. typis emiſſum. Ibi quoque Epitomen Theologiæ componere cœpit. A. 1612. *Coloniâ Amſtelrodamum* cum Dom. *Overbequio* delatus, urbe perluſtratâ, *Lugdunum Batavor.* perrexit, ubi *Bonaventuram Vulcanium, Wilhelmum Coddæum, Gilbertum Jacchæum*, aliosque Viros eruditione claros ſalutavit. Deindè *Hagam Comitum, Deſid. Eraſmi* Patriam, & reliquas *Belgii* civitates inviſit. Ex *Bataviâ* in *Angliam* vectus *Londini, Cantabrigiæ, Oxonii*, Aulas, Lycéa, Bibliothecas contemplatus eſt. Cumprimis illi ſuave fuit *Londini* ſalutâſſe *Iſaacum Caſaubonum*, cum quo de melioribus literis, de Religionis corruptelis & inſtitutâ Reformatione, de partium ſtudiis, & neceſſariâ Chriſtianis concordiâ Colloquia habuit frequentia pietate plena.

Urbes Belgii perluſtrat. *In Angliam proficiſcitur.* *Iſaac. Caſaubonum accedit*

Lutetiam venit.

E *Britanniâ* in *Galliam* regreſſus, *Lutetiæ Pariſior.* trimeſtre ſubſtitit, & inprimis *Jacobi Auguſti Thuani* Colloquiis delectatus eſt, cui per literas *Caſauboni* commendatus fuerat. Sed Comite ſuo *Overbequio* tunc in *Italiam* abeunte, ipſe Pontificiorum technas metuens, quos Scriptis ſuis jam editis offenderat, *Helmſtadium* ſuum repetere maluit, ubi redux M. Nov. A. 1613. continuò ſtudia priſtina revolvit, docendo & diſputando auditoribus ſuis acceptus.

Fit Helmſtadii Profeſſor Theol.

14. Dec. A. 1614. *Helmſtadii* S. Theol. Profeſſor ordinarius conſtitutus, eâdem die objecta ab invidis tela in Sacro Senatu, præſente Principe Dom. *Friderico Ulrico*, innocentiâ ſuâ præclarè demonſtratâ, ſubmovit.

& Doctor Theol.

11. Maji A. 1616. ibidem ſummum in S. Theologiâ Gradum, Competitoribus Collegis M. *Henrico Julio Strubio*, M. *Johanne à Fuchte*, & M. *Theodoro Berckelmanno* obtinuit, Promotore *D. Henrico Boëthio*, Facult. Theol. Seniore.

Cum A. 1633. ab *Erneſto Sax.* Duce *Vinarienſi* expeteretur, *Fridericus Ulricus*, Dux *Brunſvicenſis*, eum à ſeſe dimittere recuſavit.

Abbas Regiæ Lutteræ.

Ab eo tempore Sereniſſimi Duces *Brunſvicenſes* ſingulari eum clementiâ ſunt proſecuti: ſeorſim verò Dux *Auguſtus*, *Regiæ Lutteræ Abbatiâ*, & per hanc inſigni honoris acceſſione, nulli anteà Profeſſorum indultâ donavit.

Venit ad Colloquium Thorunii.

A. 1645. Cum ad Colloquium charitativum *Thorunii* in *Boruſſiâ* inſtitutum, ejus præſentia ab Elect. *Brandenburgico* expeteretur, lubens iter illud ſuſcepit, licèt ibi plures pacis oſores, quàm amatores repererit, ſcopo à ſe deſiderato fruſtratus.

Ejus conjugium.

3. Octob. A. 1639. in matrimonium duxit *Helmſtadii Catharinam Gertneriam*, Conſulum *Conradi Gertneri* filiam, & *Conradi Pauli* neptem. Ex eâ tres filios cum filiâ ſuſcepit. E filiis duobus ſuperſtitibus natu majorem *Fridericum Ulricum* paternis ſtudiis imbutum, & per *Germaniam*, *Italiam* & *Belgium* peregrinatum, in Collegium ſuum, & Theologiæ Profeſſorum ordinem cooptari vidit, A. 1651.

Filium Theol. Doctorem creat.

Eundem A. ſeq. 1652. 27. Julii S. Theol. Doctorem ipſe Decanus publicè renunciavit, eodemque die ad ſacra nuptiarum deduxit. Alter filius *Johannes Ericus* Patri ob probitatem & obſequium charus, ab eodem ſub vitæ exceſſum amicis commendatus eſt.

Uxorem amittit.

Cum autem toto ferè vitæ ſuæ tempore valetudo illi firma fuiſſet, ab uxoris chariſſimæ obitu, quæ 8. Febr. A. 1654. fato functa eſt, languere illa cœpit, febriculis per intervalla perturbata.

Morbis affligitur.

Sed à M. Febr. A. 1656. febre oppreſſus eſt, quâ vires corporis ſenſim diminutæ ſunt, ut non niſi ſubſidio famuli fidelis ſui quinquennalis *Henrici Roſii* potuerit incedere.

Nihilominùs toto ferè morbi decurſu libris incubuit, & menſæ aſſidens varia S. Scripturæ loca ſcriptim explicuit. In morbo ſuo medicâ ope *D. Jacobi Tappii*, ſed ſine effectu optato, uſus eſt. Enixè interim deſiderans Domino *Johanni Schwartzkopf*, affini ſuo ſupremum vale coràm dicere, deſiderato ejus, Cancellarii tunc *Guelfici*, Colloquio in tertium diem animum recreavit.

Ultima ejus fidei Confeſſio.

Ego, dixit inter alia, *cupio mori ſub capite CHRISTO, & in fide veræ Catholicæ Eccleſiæ, & amore omnium, qui DEUM Patrem, Filium & SPIRITUM SANCTUM ſincerè colunt ac diligunt. Non condemnabo errantem in quæſtionibus non neceſſariis, & mihi quoque DEUM veniam daturum confido, ſi in talibus, ut fieri potuit, aberravi.* Ita ad extremum usque halitum erga DEUM & Eccleſiam devotus, ſenſibus integris, inter preces & lachrymas aſtantium, placidam animam placidè DEO reddidit, 19. Martii A. C. 1656. ætatis 70. Profeſſionis publ. 42.

Moritur.

Sereniſſ. Dux *Brunſvic.* Dom. *Auguſtus*, ut amorem ſuum erga defunctum teſtaretur, ad funeris ejus exequias filium ſuum *Rudolphum Auguſtum* ablegavit, cum ipſe ex voto comparere non potuiſſet.

* *Ex Concione funebri D. Baltaſ. Cellarii, Superint. Generalis, & ex Programm. fun. Rectoris Helmſtad.*

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia:

Scripta.

Tract. de bono perfectè ſummo, ſeu æternâ Beatitudine.
de Autoritate Antiquitatis Eccleſiaſticæ.
de ſupremo Judicio.
de Arte novâ, contra Nihuſium.
de Providentiâ DEI.
de Conjugio Clericorum.
de æternâ Prædeſtinatione & Electione.

Notæ in S. Auguſtinum de Doctrinâ Chriſtianâ, & Commonitorium Vincentii Lirinenſis.

De Pactis, quæ DEUS cum hominibus iniit.

De Immortalitate Animæ & Carnis Reſurrectione.

Diſputatio Inauguralis de Primatu Pontificis Rom.

Alia de S. Baptiſmo.

De Perſonâ CHRISTI. Programmatum & Diſputationum Faſciculus.

Lucubrationes ad Vet. Teſtamentum.

Summa Capitum Religionis Chriſtianæ è Corpore Doctrinæ Jul. excerpta.

De Autoritate S. Scripturæ, & de numero Libror. Canonicor. Veteris Teſtamenti exercitatio.

Quatuor Evangelicor. Scriptorum Concordia.
Deſiderium & ſtudium Concordiæ Eccleſiaſticæ.
De Sanctiſſ. TRINITATIS Myſterio contra Socinianos exercitatio.
De Sacrificio CHRISTI ſemel in Cruce oblato, contra Pontificios Exercitatio.
Lex DEI Moſaica in Claſſes juxtà Decalogum digeſta.
Acta inter Illuſtriſſ. Principem Erneſtum Haſſiæ Landgravium, & D. Georg. Calixtum.
Animadverſiones in Thorunenſem Confeſſionem.
Expoſitio in Acta Apoſtolorum.
Comment. in Epiſtolas Pauli ad Romanos, ad Corinthios, Galatas, Epheſios, ad Philippenſes, Theſſalonicenſes, & ad Titum.
De Pontificiorum dogmatibus.
Conſultatio de Tolerantiâ Reformatorum circa Quæſtiones inter ipſos, & Auguſtanam Confeſſionem profeſſos controverſas.
De doctrinâ Pontificiorum juxtà Concilium Tridentinum, & Reformatorum juxta Confeſſionem Thorunenſem.
De Peccato.
De S. Cœnâ.
Catalogus edendorum ſuorum Scriptorum.
Hiſtoria Joſephi & Magorum.
Judicium de Controverſiis inter Lutheranos & Reformatos.
Oratio de Studio Hiſtoriarum.
Orationes ſelectæ.
De Miſſæ Sacrificio Libellus.
Orationes III. de Pontifice Rom.
Epitome Theologiæ.
Epitome Theologiæ Moralis.
Diſputationes XV. de Religionis Chriſtianæ Dogmatibus præcipuis A. 1611. habitæ.
Tractatûs varii Theologici Germanicè ſcripti contrà D. Jac. Wellerum, D. Joh. Hülſemannum, D. Abrah. Calovium &c.
Diſſertationes de Quæſtionibus, num Myſterium Sanctiſſ. TRINITATIS è ſolius Vet. Teſtamenti Libris poſſit demonſtrari, & num ejus temporis Patribus Filius DEI in propriâ ſuâ hypoſtaſi apparuerit?

Obiit A.C. 1656.

JOHANNES ULRICUS PREGIZERUS.

NAtus eſt in pago *Cuſterdingâ Tubingæ* vicino 29. Mart. A.C. 1577. Patre cognomine Paſtore Eccleſiæ illius loci, Matre *Charitate Rhonerinâ*. Puer *Alpersbaci* & *Bebenbuſæ* in alumnorum numerum receptus, gratioſâ quadrâ Sereniſſ. Ducis *Würtenbergici* vixit, iſtîc ſub *Vogelio* hîc ſub *Bidenbachio* Abbatibus Theologis, donec ad Academiam *Tubingenſem* promotus, eos in Linguis, præter Latinam, Græcâ, Hebræâ & Chaldaicâ, ut & in Philoſophiâ ac Theologiâ progreſſus conſecutus eſt, ut A. 1599. in numeroſo Magiſterio primum locum meruerit & obtinuerit. *Alumnus Würtenberg.*

Pòſt factus Magiſter Repetens, quod officium Candidatis tantùm Theologiæ competit, in Diſputationibus & Concionibus diligenter ſe exercuit, donec A. 1606. ad Eccleſiæ *Tubing.* Diaconatum promotus eſt. *Fit Magiſter Tubingæ.* *Diaconus Tub.*

Tunc conjugium iniit cum virgine *Tabithâ*, M. *Jacobi Heſchii*, Paſtoris *Feurbacenſis* filiâ unicâ, cum quâ 34. annos feliciter exegit, ſuſceptis ex eâ 5. liberis, maſculis tribus, duabus fœmellis, uno ex iis filio ſui nominis ſuperſtite, poſteà Theol. Licentiato & Profeſſore Ethices publico, Patrisque in Academiâ Collegâ. *Conjugium iniit.*

A. 1612. *Calvam* promotus, diœceſios illius Paſtorem & Specialem Superintendentem octennio laudabiliter egit. A. 1620. *Tubingam* revocatus ad Paſtoratum & Profeſſionem Theologicam paulò pòſt cum *Iſaaco Frôreiſenio* Prof. poſteà *Argentinenſi* S. Theol. Doctor ſolenniter renuntiatus eſt. *Superint. Calvæ.* *Tubingæ Eccleſ. Paſtor.* *Theol. Profeſſor & Doctor.*

A. 1652. Tandem Principe volente Univerſitatis Cancellarius & Eccleſiæ *Tubing.* Præpoſitus declaratus eſt. *Cancellar. Univerſit.*

Rectoratum Univerſitatis undecies, Decanatum Facultatis Theol. ſingulo ſeſquianno adminiſtravit.

Peſte *Tubingæ* A. 1610. & 1635. graſſante, abſque ullo timore ægrotos pauperes æquè ac divites inviſit, nihilque de officio Paſtoris remiſit. Nec minùs mortem expaveſcens, cum ob catarrhos frequentes ab anno ferè Conciones intermittere cogeretur, & 3. April. catarrhus eum ſuffocativus ſummâ cum vehementiâ invaſiſſet, triduo pòſt in pace cum *Simeone* ex hoc mundo diſcedens, placidè in CHRISTO obdormivit 10. April. A.C. 1656. ætatis 79. Miniſterii 50. Profeſſionis Theol. 36. & Cancell. 4. *Catarrho ſuffocativo mor.*

Joh. Conrad. Brotbeck, Med. D. & Phyſ. Prof. hoc ei compoſuit *Epigramma Anagrammaticum*:

JOHANNES ULRICUS PREGISERUS, DOCTOR.
Per Anagr.
Os erigo LUTHERUS *puri cordis canens.*
De Verbo DOMINI toto quod pectore dixi,
Hoc totis vixi viribus ut potui.
Pro Verbo DOMINI, per Verbum, ex judice Verbo
Semper ab ore meo Verba animoſa fluunt.
Dicite nunc: Fuit hic, quia ſic os erigo, tanquàm
LUTHERUS, *puri cordis, in orbe canens.*

* *Ex Concione fun. D. Tob. Wagneri, Theol. Prof. & Pro-Cancellarii. Et ex Programm. fun. Rectoris Tubing.*

Obiit A.C. 1656.

MARTINUS CASELIUS.

IN lucem editus eſt *Bergwitzii*, ditionis *Wittenberg.* oppido 8. Nov. A.C. 1608. Patre *Johanne Caſelio*, ultra 30. annos Eccleſiæ ibidem Paſtore, Matre *Catharinâ, Benedicti Funckeldanii*, Monetarii *Berolinenſis* filiâ. Ab his anno ætatis 7. in Scholam *Kembergenſem* miſſus, aliquot annis ſub diſciplinâ M. *Jacobi Rhodii* pietatis & bonarum artium fundamenta poſuit. *Filius Eccleſiæ Paſtoris.*

Exindè *Wittenbergam* in Scholam oppidanam ſe contulit, ubi non modò Choro Muſico ad meliorem ſuſtentationem interfuit, ſed etiam in Latinis, Græcis, & Hebraicis adeò profecit, ut A. 1625. circa feſtum *Michaëlis*, habitâ prius Oratione valedictoriâ *Wittenbergæ ſtudia inchoat.*

dictoriâ de Gratitudine, Scholæ valedixerit, & Lectiones publicas privataſque frequentare cœperit.

Fit Magiſter Philoſ.

Ibidem 26. Martii A. 1629. cum prius tres Diſputationes Philoſophicas publicè habuiſſet, Decano M. *Eraſmo Schmidio* Gradum Magiſterii, & inter 22. Candidatos 11. locum obtinuit.

Cum deindè 4. Aug. A. 1630. ſub Præſidio *D. Johannis Scharfii* ex Metaphyſicis de Subſtantiâ publicè diſputâſſet, Collegia privata habendi Licentiam impetravit, & 24. April. A. 1631. æt. 23. Præſidis in Diſputationibus vices agere cœpit, varias abindè Diſputationes publicas habuit, & ab A. 1630. usq; ad A. 1637. quo *Wittenbergâ* diſceſſit 28. Collegia Logica, 22. Metaphyſica, 6. Pneumatica, 10. Ethica, 4. Politica, Hiſtoricum, Oeconomicum & Quæſtionum illuſtrium unum, & ita in univerſum 73. Collegia Philoſophica, partim Lectoria, partim Diſputatoria & publica & privata habuit.

73. Collegia habuit.

Adjunctus Philoſ.

A. 1633. Ob eruditionem ſingularem inter Adjunctos Facult. Philoſophicæ, & Aſſeſſores Collegii ejusdem receptus, 29. Maji publicè pro loco diſputavit, & Tractatum ſuum de accurato diſputandi genere examini publico ſubmiſit.

Præter exercitia Philoſophica, ſtudium quoque Theologicum ab A. C. 1630. ſedulus excoluit, in quo frequenter opponendo, reſpondendo, & diſputando ſe exercuit, imprimis ſub *D. Wilhelmo Lyſero* totum *Bellarminum*, *Theologiam Chriſtianam Marci Friderici Wendelini*, Theologi *Anhaltini*, & *Epiſtolas Paulinas* pleraſque cum aliis diſputando abſolvit, ſub *D. Jacobo Martini de æternâ CHRISTI Deitate contra Photinianos*, & *de S. Cœnâ contra Becanum*, ſub *D. Paulo Röbero de Communione ſub utrâque ſpecie contra Becanum*, ſub *D. Wilhelmo Lyſero de 100. Quæſtionibus contra Pontificios*, & ſub *D. Johanne Hülſemanno de lapſu primorum Parentum ex cap. 3. Geneſ.* publicè diſputavit.

Diſputationes ejus Theologicæ.

A. 1636. Cum conſenſu & beneplacito Facult. Theol. *Wittenberg.* privatim Collegium Diſputatorium *de Confeſſ. Auguſtanâ* aperuit.

Superint. Jeſſenſis.

A. 1637. Ab Electore *Sax.* Superintendens Eccleſ. *Jeſſenſis* conſtitutus eò conceſſit, eique muneri per 4. annos cum laude præfuit.

A. 1638. Poſtquàm *Wittenbergæ* 7. & 8. Maji ſub *D. Jacobo Martini de Notis Eccleſiæ* diſputâſſet, 9. Maji Gradum in Theol. Licentiati, & 28. Aug. Gradum Doctoris, & quidem inter 5. Doctorandos tertio loco obtinuit.

Theol. Licent. & Doctor.

19. Sept. A. 1641. *Altenburgum* cum familiâ ſuâ, prægreſſâ vocatione legitimâ *Frid. Wilhelmi*, Ducis *Sax. Altenburg.* migravit, Concionator Ducis aulicus & Conſiſtorii Aſſeſſor deſignatus.

Concionator aul. Altenburgi.

A. 1642. *D. Ægidio Hunnio*, Superintendenti Generali, in munere ſucceſſit. *Altenburgi* Informationem Catecheticam introducendo famam ſibi conciliavit, & augendo Fiſci Theologici Inſpectionem, ita ut Viduæ Paſtorum Eccleſiæ loco 50. florenorum quotannis 100. florenos abindè acceperint.

Fiſcum Theol. auget.

10. Nov. A. 1645. ejus inſtinctu Dux *Altenburg.* Reſcriptum publicavit, quo omnis luxus in conviviis, potationibus & ſaltationibus ſub gravi pœnâ prohibitus eſt.

Luxum abrogat.

Nubit.

11. Sept. A. 1638. *Jeſſæ* ſponſalia celebravit cum virgine *Margaretâ*, *Sebaſtiani Strahlii*, civis & mercatoris *Wittenberg.* filiâ, ex quâ 5. liberos ſuſcepit, ſed 3. tantùm reliquit ſuperſtites, *Annam Juſtinam* paulò ante parentis obitum M. *Abrahamo Trillero*, Paſtori *Criwizenſi* nuptam, *Fridericum Immanuelem*, & *Annam Margaretam*.

Puer DEO dicatur à matre.

Anno ætatis tertio cum peſte periculoſè decubuiſſet, mater ejus votum DEO fecit, ſe filium convaleſcentem DEI Miniſterio conſecraturam. Poſteà in ætate virili multis annis hypochondriacis, ſcorbuticis, & arthriticis malis afflictus, accedente tandem febri maraſmode placidè exſpiravit 14. April. A. C. 1656. æt. 48. *Altenburgi.*

Mor.

Typis edidit:

Scripta.

Tractatum de accurato diſputandi genere.
Syſtema Metaphyſicum.
Exercitationes Metaphyſ.
Syſtema Ethicum.
Tabellas Ethicas, Politicas, & Oeconomicas;
Praxin Catecheticam.
Zucht-Spiegel.

* *Ex Concione fun. M. Jacobi Frieslebii, Concionat. Altenburg.*

SAMUEL LINCKIUS.

Obiit A. C. 1656.

Schleiſingæ natus eſt 6. Jan. A. C. 1596. Patre M. *Petro Linckio*, Scholæ *Hennebergicæ Schleiſingenſis* tunc Conrectore, poſtmodùm Eccleſiæ *Waſungenſis* Paſtore. Matrem habuit *Urſulam*, Viri Reverendi Dom. *Thomæ Schalleri* per annos 37. Conſiſtorialis ac Superintendentis *Saxo-Hennebergici* filiam.

A. ætatis 10. puer felicis ingenii miſſus à Parentibus in Gymnaſium *Schleiſingenſe*, profectus in artibus liberalibus, linguâ Græcâ & Poeſi fecit non contemnendos, ut à Præceptoribus M. *Wolfgango Sebero*, Rectore, & M. *Jacobo Sorgero*, Conrectore, ſummè diligeretur. Sæpius ibidem in utrâque linguâ Græcâ & Latinâ cum laude peroravit.

Schleiſingæ ſtudia inchoavit.

A. 1615. Poſtquàm novennium *Schleiſingæ* exegiſſet; ſuadente vitrico Dom. *Daniele Schlettenio*, tunc Eccleſiæ *Fritelshuſanæ* Paſtore, prægreſſâque gratiarum actione valedictoriâ, *Lipſienſem* Univerſitatem acceſſit, in quâ 28. Jan. A. C. 1619. Magiſterii Gradum cum laude accepit.

Lipſiæ Philoſ. Magiſter.

Poſteà Collegia diverſa Philoſophica habuit, inter quæ Collegium Phyſicum ex 16. Diſputationibus conſtans typis editum fuit. Studio Philoſophico verò Theologiam adjunxit, in quâ Theologos primarios D. D. *Schmuccium*, *Weinrichium*, & Höpfnerum in Auditorio & Eccleſiâ publicè privatimque docentes ſedulus audivit.

Ad Eccleſiæ deindè Miniſterium vocatus

à Con-

Digitized by Google

à Conſiſtorio *Schleuſingenſi* A. 1624. Subdiaconus, A. 1632. poſt obitum *Samuelis Zehneri*, Diaconus ſuperior, & A. 1643. Superintendens, Conſiſtorialis, Profeſſor & Inſpector Scholæ *Hennebergicæ*, nec non Paſtor Eccleſiæ *Schleuſingenſis* ordinatus eſt.

Superintendens & Profeſſor Schleuſingæ.

Superintendens Meinungæ.

A. 1648. *Meinungæ* Superintendens, Conſiſtorialis & Paſtor declaratus, in eo munere per vitæ tempus reſiduum fidelis perſeveravit.

Conjugium ejus.

A. 1626. Conjugii fœdus iniit cum virgine *Urſulâ*, *Jacobi Schröteri*, Senatoris & Pharmacopœi *Schleiſingenſis* filiâ, quæ 4. ei filios duasque filias peperit, è quibus *Magdalena* A. 1652. deſponſata fuit M. *Joh. Sebaſtiano Guthio*, Scholæ *Schleiſing.* Rectori.

Moritur.

Cum tandem 14. diebus peripneumoniâ cum febre ardente decubuiſſet, præſente fratre M. *Johanne Linckio*, Decano *Waſungenſi*, placidè exſpiravit 21. Julii A.C. 1656. æt. 60.

Defunctum Oratione funebri *Schleiſingæ* laudavit Dom. *Jacobus Schadius*, Conrector anteà illius Gymnaſii, tunc verò Paſtor & Decanus *Cundorfii*:

MAGISTER SAMUEL LINCCIUS, PASTOR MEINUNGENSIS AC SUPERATTENDENS SAXO-HENNENBERGIACUS.

Per Anag. M. *Joh. Linckii, Decani Waſung.*

Sum ecce benignè aliis ſplendens conſumtus, in axe
Regni mens regnat, ſic ovat aſtra ſupra.

* *Ex Concione fun. M. Joh. Wagneri, Superintend. in Suhlâ.*

SALOMO GLASSIUS.

Obiit A.C. 1656.

SOndershuſii, *Thuringiæ* oppido, propè Urbem *Northuſam* natus eſt 20. Maji die A. C. 1593. Patrem habuit *Balthaſarem Glaſſium*, tunc officio Regiſtratoris in Grammatophylacio Comitum *Schwartzburgenſium* functum, poſteà Quæſtorem in Præfecturâ *Gerenenſi*: Matrem habuit *Annam Mariam*, *Henrici Mülleri*, Jurium Licentiati & Conſil. *Brunſvicenſis* filiam. Regenerationis lavacro ſtatim die nativitatem ſequente tinctus eſt, ſuſceptore & ſponſore *D. Salomone Platnero*, tunc *Sondershuſii* Cancellario *Schwartzenburgico*.

Parentes ejus.

Cum domi ſexennio ſub manuductione privati Præceptoris *Georgii Langii*, Linguæ Latinæ & Græcæ fundamenta poſuiſſet, A. 1608. ad ludum literarium *Arnſtatenſem*, cujus Rector tunc erat *Matt. Cotus*, miſſus eſt, & poſteà A. 1610. in Gymnaſio *Gothano* informationi famigeratiſſimi illius Rectoris & Philologi M. *Andreæ Wilckii* ſubmiſſus fuit.

Studia inchoat Arnſtadii, & in Gymnaſio Gothano.

Hujus conſilio Pater eum 27. April. A. 1612. ad Academiam *Jenenſem* ablegavit, commendatum M. *Wolfgango Heidero*, Philoſ. Prof. ſanguinis neceſſitudine juncto.

Acad. Jenenſem accedit.

Ibi per triennium commoratus, in publicis Prælectionibus, præter *Heiderum*, audivit M. *Thomam Sagittarium*, & M. *Michaëlem Wolfium*, Philoſ. Profeſſores: privatos autem inter parietes aures præbuit Dom. *Johanni Gryphiandro* in Politicis, cum ad Juris ſtudium tunc animo ferretur, in Logicis verò, Phyſicis & Metaphyſicis audivit M. *Danielem Stablium*, ſub cujus præſidio Diſputationem publicam typis exſcriptam, ab ipſo verò Præſide conſcriptam *de potentiis Animæ ex mente Scoti* defendit.

Duas Diſputationes Philoſ. Jenæ habet.

Poſt & alias Theſes ſub directorio M. *Michaëlis Wolffii* publicè propoſuit, & ad Objecta reſpondit, *de variis Quæſtionibus ex Philoſophicis ſcientiis hinc inde excerptis*, quæ Diſſertatio tunc erat quaſi valedictoria: nam paulò poſt 7. Maji A. 1615. ad Academiam *Wittenbergenſem* ſe contulit, ubi in Prælectionibus & Diſputationibus docentes audivit Dom. Doctores *Hutterum*, *Balduinum*, *Frantzium*, & *Meiſnerum*.

Wittenbergam accedit.

Ibidem celebris amici cujuſdam admonitionum ſtimulis illectus, Concionem primam habuit Dominicâ V. Trinitatis in pago quodam vicino, voce quidem per naturam exili. Hinc poſteà quoties concionabatur cum multis lachrymis profuſis & precum ſuſpiriis domum revertebatur.

Prima Concio in pago.

In Athenæo *Albimontano* per integrum ſemeſtre febri quartanâ laborans, de Parentum conſilio A. 1616. *Jenam* repetiit. Ibi poſtquàm de ſtudiorum augendo ſubſidio, quod per aliquot annos ei Generoſi Comites *Schwartzenburgici* lineæ *Arnſtatenſis* ſuppeditaverunt, ſupplices literas exaraverat, poſt examen in progreſsûs ſtudiorum ejus inſtitutum, non modò petiti hujus ſui, promotore Nob. Dom. *Joh. Georgio à Salfeld*, Conſiliario *Schwartzenburgico*, factus eſt ad votum particeps, ſed & unà ab Illuſtri Comite *Schwartzenburgico Antonio Henrico* commendatitias obtinuit ad *D. Johannem Gerbardum*, qui paulò antè *Coburgo Jenam* ad Profeſſionem Theologicam fuerat evocatus.

Jenam redit.

Ab hoc inter primos ipſe cum duobus *Lyſeris Friderico* & *Wilhelmo* poſteà Theol. Doctoribus tertius in convictum aſſumtus, Lectiones ejus ultra quinquennium frequentavit, & octies Diſputationibus publicis ſub ejus præſidio habitis ſeſe exercuit.

Ab eodem *Gerardo* 16. Aug. A. 1619. in Muſæum aſſumtus eſt. A *Lutheranis* Eccleſiis Jubilæo 1617. ſub Decanatu M. *Wolffgangi Heideri* Magiſterii titulo 7. Nov. decoratus, inter 30. Competitores primo loco conſtitutus fuit.

Magiſter Philoſ.

15. Maji A. 1619. inter Facultatis Philoſ. Adjunctos locum meruit, & abindè exercitia crebra tum Inſtitutionem in Hebræâ Linguâ, tum Diſputationes Philoſophico-Theologicas concernentia cum Studioſis privatos intra parietes ſedulò coluit. Undè factum, ut Facultas Theolog. dignum judicaverit eum, cui Doctorales honores offerret. Sed cum ille omni ſtudio reluctaretur, Domini Profeſſores per literas ad Illuſtres Comites *Schwartzenburgicos* ſcriptas effecerunt, ut per mandatum ſingulare ei, ne reluctaretur amplius, ſed benè conſulentibus obtemperaret, fuerit injunctum, & ſumptus ad id neceſſarii ex ærario publico deputati.

Philoſ. Adjunctus.

Tractus

Tractus ita ad hoc ſtadium, & Divinæ Providentiæ nutu hoc fieri perſpiciens, circa finem A. 1620. ut & initium A. ſeq. 1621. δοκιμασίας in tentamine primo, lectione curſoriâ (quæ erat *cap. 63. Eſaiæ* explanatio 5. horis expedita,) Concione inaugurali in templo oppidano habitâ, Diſputatione quoque ſolenni (quæ juſtam *cap. 17. Johannis* analyſin inſtituit,) ſub Præſidio *D. Johannis Majoris*, Superintendentis, rigoroſo denique, ut appellant, Examine, & Concione Latinâ extemporaneâ, ſuſtinuit. Ipſa autem Promotio Doctoralis certis de cauſis ad tempus fuit dilata. Brevi poſt reſignante Profeſſionis Hebrææ & Græcæ Linguarum munus M. *Balthaſare Walthero* ad Superintendentis *Gothani* munus evocato, huic legitimè ſubrogatus, ſpartam eam per quadriennium ornavit, & intra hoc tempus bis Decanatu in Facult. Philoſophicâ, & ſemel Academ. Rectoratu A. 1625. fuit defunctus.

Examen Doctorale ſuſtinet.

Profeſſor Ling. Græcæ & Hebr.

Eodem anno Comites *Schwartzenburgici*, quorum ſtipendiis hactenus in Academiis vixerat, poſt obitum M. *Bartolomæi Bermelii*, Superintendentis *Sondersbuſani* ad hoc munus ipſum *Jenâ* evocârunt. Ordinatus itaque Apoſtolico ritu â M. *Johanne Schuccelio*, Superintendente *Arnſtatenſi* 17. Nov. A. 1625. *Sondersbuſium* conceſſit, & ſacro hoc officio fideliter perfunctus eſt.

Superint. Sondersbuſ.

26. Jan. A. 1626. Doctoris Gradum Facultas Theologica *Jenenſis* ipſi contulit, Promotore *D. Johanne Majore*, Decano *D. Johanne Gerhardo*, Rectore verò Magnifico *D. Johanne Himmelio*, tribus Profeſſoribus Theologis.

Doctor Theol. creatus Jenæ.

Competitores habuit honorum in Juridicâ Facultate *D. Hieronymum Hedenium*, Cancellarium poſteà *Schwartzenburgicum*, in Medicâ verò fratrem *Baltaſarem Glaſſium*, Archiatrum *Sax.* & *D. Quirinum Schmaltzium*, Med. Prof. *Erfurtenſem*.

Unà frater ejus Baltaſar Doctor Med.

A. 1638. *Sondersbuſio Jenam* cum ſuis profectus, ad Profeſſionem Theologicam in locum *D. Johannis Gerhardi* anno prægreſſo vitâ defuncti ſuſcipiendam legitimè vocatus, 5. Martii in numerum Profeſſorum denuò, & 9. ejuſdem in Collegium Theologicum fuit receptus: quam provinciam paulò ultrà biennium ſuſtinuit, Decanatu in iſtâ Facultate ſemel, & Rectoratu Academico ſecundâ vice functus ab 8. Aug. A. 1639. usque ad 13. Febr. ſequentis anni. Illo biennio *Diſputationes 81. de omnibus Fidei articulis & multis S. Scripturæ Oraculis* tàm publicas quàm privatas præſidendo habuit.

Profeſſor Theol.

Tandem *Erneſtus Saxoniæ* Dux inclytus, poſtquàm ei ex Trigæ Fratrum transactione proprii Ducatûs Adminiſtratio ceſſerat, de redintegrando Superintendentis *Gothani* officio conſilia agitans per *D. Fridericum Hortledetum*, Conſiliarium ſuum & generum ejus *D. Zachariam Prueſchenckium*, Juris in *Salanâ* Profeſſorem publ. animum ejus explorari curavit, qui, re breviter deliberatâ, conſentiens Principi piiſſimo ſuam addixit operam.

Superintendens Gothanus.

Factum indè, ut 8. Aug. A. 1640. in Comitatu Celſitudinis ejus *Tennebergam* arcem Ducalem, & indè *Iſenacum* ad Illuſtriſſ. fratrem *Albertum* proficiſceretur, & deliberationi gravium quorundam negotiorum Conſiſtorialium viſitationem præcipuè generalem futuram concernentium adhiberetur.

Juſſus intereà Concionem δοκιμαστικὴν Dominicâ II. Trinitatis *Gothæ* habuit. Poſt menſem domum reverſus, rebus ſuis ritè diſpoſitis, alterâ vice Academicam provinciam Profeſſoriam reſignavit, & poſt inſtitutam Diſputationem Orationemque valedictoriam 12. Oct. ad capeſſendum Superintendentis munus *Jenâ Gotham* cum familiâ ſe contulit.

Matrimonium primum iniit 19. Nov. A. C. 1621. cum virgine *Eliſabethâ*, *Tobiæ Steinmanni*, Typographi *Jenenſis* filiâ, ex multis libris *Lutheri* & aliorum Theologorum Evangelicor. celebris: cum eâ 17. annos pacatè vixit, ex eâque tres ſuſcepit filios, *Joh. Salomonem, Joh. Tobiam, & Anton. Henricum*, qui omnes in pueritiâ obierunt, & totidem filias, *Barbaram, Claram Eliſabetham, & Annam Mariam*.

Conjugium ejus triplex.

Uxore hâc 22. Sept. A. 1638. demortuâ, ſecundum contraxit connubium 16. Nov. A. 1640. cum *Catharinâ Mariâ*, viduâ *D. Georgii Mylii*, Curiæ Provincialis *Saxonicæ* Advocati & Conſiliarii *Anhaltini*, magni illius Theologi cognominis filii, filiâ verò *D. Johannis Denharti*, J.C. & Syndici *Magdeburg.* poſtque Civitatis deſolationem Cancellarii *Sax. Iſenacenſis*, ex quâ anno ſeq. filiam ſuſcepit *Eliſabetham Sophiam*.

Tertiâ vice, re œconomicâ ſic urgente, fidem maritalem dedit 16. Aug. A. 1647. *Mariæ*, filiæ *Georgii Cotten*, Mercatoris & Senatoris *Iſnacenſis*, viduæ primùm Dom. *Chriſtoph. Ulrici Lagi*, Conſil. Comitum *à Kirchberg*, & poſtmodùm Præfecti *Gothani*; ſecundò *Friderici Mattenberg*, Senatoris *Gothani*: quod matrimonium ſterile fuit.

Tandè cum ab anno ferè decubuiſſet æger inter adſtantium preces & lachrymas beatè exſpiravit 27. Julii A. C. 1656. æt. 63. *Gothæ*.

Moritur.

NoſtrI qVI CeCIDIt CapItIs CeLebranDa Corona

GLaſſIVs? Is jVpero VIVVs In aXe VIret.

Tetragonon.

Glaſſiades	*Doctor*	*Doctorum*	*Præmia*	*cernit*
Doctor	*Doctorum*	*Jovam*	*ſat feſſus*	*adivit*
Doctorum	*Jovam*	*ſat feſſus*	*cernit*	*adorat*
Præmia	*ſat feſſus*	*cernit*	*veneratur*	*Jovam*
Cernit	*adivit*	*adorat*	*Jovam*	*Doctor in axe.*

Libri ſcripti ſunt ab ipſo & editi:

Philologiæ Sacræ Lib. V. quibus V. & N. T. Scripturæ tum ſtylus tum ſenſus expenditur, quorum 1. & 2. generalia de Scripturæ ſtylo & [illegible] 3. & 4. Grammatica ſacra, quinto [illegible]etorica ſacra eſt comprehenſa.

Scripta.

Inſtitutiones Grammaticæ Hebrææ.

Onomatologia Meſſiæ Prophetica.

Gggg Ora-

Digitized by Google

Orationis CHRISTI Joh. XVII. deſcriptæ expoſitio.

Diſputat. ſuper Articulos Aug. Conf. in conventu Paſtorum habitæ.

Diſputationes & Orationes Academicæ variæ.

Chriſtologia Davidica, & Moſaica.

Evangelicorum & Epiſtolicorum Exegeſis quadripartita.

Selecta Scripturæ Divinæ Moſaicæ, & Davidicæ.

Poſtilla Prophetica quatuor Tomis incluſa.

Enchiridium S. Scripturæ practicum.

Fundamentum Chriſtianæ fidei Germanicè.

Libellus Chriſtianus Eccleſiæ domeſticæ.

Libellus precum ſecundùm ſeriem Catechiſmi Lutherani.

Schola Chriſtiana Tentationum.

Tractatus de horrendo Ebrioſitatis vitio.

* *Ex Oratione parentali D. Mich. Waltheri. Et ex Concione fun. Chriſtoph. Brumhorſtii.*

Obiit A.C. 1656.

HARTMANNUS CREIDIUS.

FRidbergæ in *Wetteraviâ* mundum ingreſſus 5. Octob. A.C. 1606, Patrem habuit cognominem Senatorem *Fridbergenſem*, Matrem *Margaretam Thomanniam*.

Cum in Scholâ patriâ ſtudiorum fundamenta jeciſſet, ea deinceps in Academiis *Gieſſenſi* & *Marpurgenſi* magis excoluit, & 9. Martii A. 1626. Gradum Magiſterii accepit, nec multò pòſt Diſputationem defendit Theologicam *de Omnipræſentiâ CHRISTI* θεανθρώπου ſub Præſidio *D. Feurbornii*. Sed cum Parentes ſumtûs ulteriores ad ſtudia non poſſent erogare, filium ad ſe revocarunt, qui ſtudiis privatim addictus, ſæpiùs in locis vicinis, *Oſenhemii*, *Faurbachii* & *Fridbergæ* in *Burgo* concionando ſe exercuit. *(Magiſter Philoſ. Marpurgi.)*

A. 1626. Præceptoris in Scholâ patriâ munus adeptus, ſpartam hanc ſeptennio exornavit, & A. 1633. *Urſellam* diſcedens, Rector Scholæ & Diaconus Eccleſiæ conſtitutus eſt. *(Præceptor Scholæ Fridberg. Rector & Diaconus Urſellæ.)*

A. 1634. Ob tumultûs bellicos in patriam ſe recipere compulſus, brevi pòſt Paſtoratum *Oſenheimenſem* nactus eo fungi pro voto non potuit, propter imminens belli periculum. Brevi poſt ejus exindè diſceſſum totus ille pagus, excepto cum 4. ædibus templo per incendium in cineres redactus eſt.

A. 1635. Cum *Fridbergæ* peſtis graſſans, Paſtorem Eccleſiæ unà cum Diacono ſuſtuliſſet, à Senatu Diaconatum ſibi oblatum ſuſcepit. A. 1649. *Auguſtæ Vind.* prægreſſâ vocatione legitimâ, Diaconi munus ad *D. Annam* aggreſſus, eo fideliter functus eſt usque ad A. 1652. quo vitâ defuncto M. *Philippo Webero*, Concionatori ad *S. Annam* & Miniſterii Seniori ſucceſſit, in eoque vitam finiit. *(Diaconus Fridbergæ. Diaconus ad S. Annam Auguſtæ. Concionator ibidem.)*

Intereà quater Conjugii ſocietatem iniit: 1. cum *Margarethâ*, *Henrici Steinii*, Præfecti *Gortzenſis Schlitzii* relictâ viduâ A. 1627. ex quâ biennio pòſt filiolam ſuſcepit non multò pòſt cum matre denatam. *(Quater Maritus.)*

2. A. 1629. Conjugium reiteravit cum virgine *Catharinâ*, *Henrici Marloſſi*, Sculteti *Schwalheimenſis* filiâ, quæ ibidem poſt gemellorum partum difficilem extincta eſt, & biduo pòſt gemelli ſecuti.

A. 1631. Ad tertia vota tranſitum fecit, deſponſatus cum virgine *Annâ Mariâ*, *Gerlachii Achenbachii*, Præfecti *Fuldenſis Florſtadii* filiâ, quæ filium ipſi quoque & filiam peperit brevis admodum vitæ, cumque & ipſa fatis deceſſiſſet, quarta vice nuptias celebravit cum virgine *Annâ Catharinâ*, Dom. *Conradi Windeckeri*, Senatoris *Francofurti* ad *Mœnum* relictâ filiâ, ex quâ duos filiolos & tres filiolas ſuſcepit, ſed filiolum tantùm, duasque filiolas cum matre reliquit ſuperſtites.

Tandem ob corporis infirmitatem Acidulas *Schwalbacenſes* acceſſit, iisque dextrè uſus cum levamine ſubitò catarrho ſuffocativo correptus, in alio hoſpitio ſpiritum Creatori reddidit 8. Aug. A.C. 1656. æt. 50. *(Obiit ex catarrho ſuffocativo Schwalbachii.)*

HARTTMANNUS CREIDIUS.

Per Anagramma:

Nunc haud triſtis amer.

* *Ex Concione fun. M. Nic. Schopffil, Paſtor. Schwalbac.*

Scripta: *(Scripta.)*

Meditationes in Epiſtolas Dominicales & Feſtivales.

Poſtilla Evangelica.

Noſſe te, & noſſe me.

Querela, cautela, medela.

Jacobs Schatz/ das iſt/ Erklärung der Epiſtel Jacobi/ in 91. Predigten.

Poſtilla Epiſtolica, das iſt/ Schrifftmäſſige Erklärung der Sonn- und Feſttäglichen Epiſteln durchs ganze Jahr.

Talæpotia Divitum, Erklärung deß groſſen Jammers/ welchen ihnen die gottloſen Reichen durch Geitz und Unbarmhertzigkeit über den Hals führen.

Idea Mundi, ein lebendig Muſter der verdammten Welt/ wie ſie Jacobus beſchrieben hat.

Klag Ach und Wehe/ das iſt/ Schrifftmäſſige Erklärung der Klaglieder *Jeremiæ*, in 82. Predigten.

Conciones miſcellaneæ.

Nuptialia, oder Hochzeit-Predigten.

Nuptialia continuata.

Crepundia natalitia.

Valet- und Anzugs-Predigt.

10. Friedens-Predigten.

Funeralia.

Triga nobiliſſima.

Regale Sacerdotium.

Obiit A.C. 1656.

SIMON BIRKBEKIUS.

HOrnbeje in *Weſtmorlandiâ*, Patre *Thoma Birckbek*, armigero natus, Collegium *Reginenſe Oxoniæ* ingreſſus eſt A. DOM. 1600. ætat. 16. Sociusque deinceps ejusdem, tandem verò Theologiæ Baccalaureus, ac Eccleſiæ *Gillingenſis*, propè *Richmondiam*, nec non Capellæ vel Eccleſiæ *Forcetenſis*, in Agro *Eboracenſi*, Vicarius evaſit. *(Theologiæ Baccalaureus. Eccleſ. Gillingenſis & Forcetenſis Vicarius.)*

Immenſos ipſe in ſtudiis, quamdiu apud *Reginenſes* egit, labores exantlavit, undè non

non tantùm egregiam ſibi diſputandi Facultatem, ſed & familiarem cum ſanctis Patribus & Doctoribus Scholaſticis conſuetudinem comparavit, & Rectoria donatus in maximam apud Laicos non minùs quàm Clericos gratiam influxit.

Moritur. Mortem oppetiit 11. Sept. A. 1656. inque Capellâ *Forcetenſi*, ad Eccleſiam utique *Gillingenſem* ſpectante, tumulum juxtà Baptiſterium accepit 14. ejuſdem menſis.

Scripta. Scripſit *Proteſtantium vindicias*, in quibus dilucidè probat ad annum DOMINI 1500. varios quolibet ſeculo Eccleſiæ Chriſtianæ Doctores extitiſſe, qui in pleriſque fidei Articulis cum Eccleſiâ *Anglicanâ* conſenſerint. Edit. Lond. 1634. 35. in 4to. & ibidem cum additamentis, 1657. in fol. Librum illum in pretio haud exiguo habuit cum eruditis aliis *Seldenus*.

Contra Antidotiſtam Pontificium Reſponſionem. Lond. 1657.

Tractatum de Morte, Judicio, Inferno & *Cœlo.*

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

RICHARDUS CAPEL.

Obiit A.C. 1656.

Honeſtâ familiâ in civitate *Glocestrienſi* natus A. 1586. Patrem habuit ſtrenuum Virum, ejuſdemque Civitatis Aldermannum vel Senatorem, qui tamen Nonconformiſtis iſtius temporis Miniſtris acriter favebat.

Socius Collegii Magdalenenſis ap. Oxonienſes. Hic noſter, Grammaticis literis domi imbutus, ad Collegium *Magdalenenſe Oxon.* miſſus eſt, ubi poſt ſuſceptum Mri in artibus gradum, in ſocium cooptatus eſt A. 1609. Dum in hoc Collegio verſaretur, non ſuæ ſolùm, ſed & ſuorum, quos diſcipulos habuit, eruditionis famâ claruit. Hos inter erant *Acceptus Frewen*, poſteà Archiepiſcopus *Eboracenſis*, & *Gulielmus Pemble.*

Eccleſiæ Miniſter de Eſtington. Verum Coll. mox ceſſit, ad Eccleſiam de Eſtington ſive Eaſton, in agro *Gloceſtrienſi* præſentatus. Ubi ſedulâ & practicâ concionandi methodo, ut & integritate vitæ charus omnibus & celebris fuit.

Nec tamen ibi conſenuit, quippè edicto, pro ludis in dominicâ die, ſub *Carolo I.* publicato, ſimul & ſuperpellicei, ſive veſtis lineæ, inter ſacra uſui infenſus, Beneficio cedere maluit, & ad patrimonium quoddam ſuum in villâ quâdam (Pitchcomb) dictâ ſe recipere, ubi praxi medicinali, & gratuitâ prædicatione quantum opibus imminutus, (quibus tamen non omninò caruit,) tantum famâ & æſtimatione vulgi auctus eſt.

Moritur. Obiit 21. Sept. 1656. & in Eccleſiâ *Pitchcompianâ* juxta oppidum *Strowdam*, in agro *Gloceſtrienſi* ſepultus eſt.

Scripſit *Anglicè:*

Scripta. *De Tentationibus Part. IV.* Lond. quintâ vice 1659.

Apologiam pro eâdem, contra exceptiunculas quaſdam. Ibid. eodem anno.

Appendicem ejuſdem, de fœnore. Ib. eod. an.

Reliquias, ſive neceſſariam appendicem ad librum de Tentationibus. Lond. 1658.

Conciones varias. Lond. 1632. &c.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

BALTHASAR GOCKELIUS.

Obiit A.C. 1656.

Melchingæ in *Sueviâ* natus eſt 17. Nov. A.C. 1581. Patre *Petro Gockelio*, ejus loci hoſpite & caupone, Matre *Catharinâ Mumleriâ, Pfullingenſi.*

Cum puer in Scholis *Reutblingæ, Rotenburgi* ad *Neccarum*, & *Auraci* in Ducatu *Würtenbergico* pietatis & ſtudiorum fundamenta poſuiſſet, A. 1596. *Ulmæ* Arithmeticam didicit.

Ex lanio Studioſus. Deindè lanio cuidam â vitrico traditus eſt, ſed brevi poſt *Auracum* ad ſtudia continuanda regreſſus, tantos fecit progreſſus, ut A. 1598. cum laude *Tubingenſem* Academiam acceſſerit, in quâ ſtipendio *Gockeliano* per octennium gaviſus, A. 1601. Magiſterii gradu decoratus, inter 28. Candidatos quartum locum obtinuit.

Tubingæ Magiſter Philoſ.

Studium abindè Theologicum amplexus, Dom. Doctores *Matthiam Haſenrefferum*, *Stephanum Gerlachium*, & *Georgium Sigwartum*, Theologos clariſſimos, publicè docentes, audivit, eorumque Diſputationes inviſit.

Paſtor Stotzing. A. 1606. Paſtor Eccleſiæ *Stotzingenſis* Nobilium â *Stein* factus, quinquennium in eâ functione exegit.

Concionator Ulm. A. 1611. *Ulmam* ab inclyto Senatu vocatus, 31. annis in templo ad *S. Trinitatem* Concionatorem egit. A. 1642. ibidem ad templum Cathedrale promotus, & A. 1650. Senior Eccleſiarum in urbe & Scholarcha declaratus eſt, & ita 50. annos in munere Eccleſiaſtico verſatus eſt.

Scholarcha.

Conjugium ejus quintuplex. Quinquies in conjugio vixit: 1. cum virgine *Suſannâ, Michaëlis Mandleri*, civis *Gundeſingenſis* filiâ per 22. annos, ex quâ 11. liberos progenuit, duos verò tantùm filios reliquit ſuperſtites, quorum unus in arte Medicâ, alter *Ernestus* in Juridicâ Doctores creati fuerunt. 2. Cum *Mariâ Carreriâ, Mich. Todelii*, Senatoris *Ulm.* viduâ, quam 22. Junii A. 1627. duxit. 3. Per biennium cum *Urſulâ Mariâ*, viduâ. 4. Deſponſatus A. 1640. cum *Margaretâ Durriâ, Johannis Brauntii* relictâ viduâ, cum quâ 14. annos exegit. 5. Cum virgine *Barbarâ Blanckiâ*, quam ſeſquiannum habuit conjugem, & viduam reliquit.

Moritur. Tandem ſenio, morbis & mœrore confectus, in CHRISTO placidè exſpiravit 31. Oct. A. C. 1656. ætat. 75.

* *Ex Concione fun. M. Jacobi Honoldi, Concionat. Ulmæ primarii, & in Gymnaſio Prof. P.*

Edidit:

Scripta. Unterſchiedliche Laſter-Predigten,

1. Von der Ungerechtigkeit.
2. Von der Hurerey.
3. Von dem Geitz.
4. Haß und Neid,
5. Mord.
6. Hader.
7. Liſt.
8. Gifft.

Digitized by Google

9. Verleumbdung.
10. GOttes-Feinden
11. Frevlern.
12. Hoffart.
13. Ruhmräthigkeit.
14. Ungehorſam gegen den El-
15. Unvernünfftigen. tern.
16. Treuloſen.
17. Störrigen.
18. Unverſöhnlichen/ und
19. Unbarmhertzigkeit. in 4to.

Einweihung der Ulmiſchen Kirchen zur H. Dreyfaltigkeit.

Mammons- oder Schacher-Predigt aus Matth. C. 6.

Martins-Predigt.

Obiit A.C. 1656.

GABRIEL ABESIUS.

Sapientiſſimus Magiſter *Gabriel d'Abes*, *Occitanus Sanpapulenſis*, Canonicus *S. Marcelli*, *Pariſ.* Philoſophus ſubtilis, & Theologus ſublimis: Sed hæc parva, quia Sacerdos pius verusque Chriſtianus. *Sorbonæ* ſerò allectus, maturos edidit fructûs, doctrinâ meritisque ſtipulantibus. Probante Rege ſub finem anni 1653. ab unanimi *Sorbonicorum* cœtu Clariſſimis *Davallis* ſubrogatus eſt Profeſſor Regius. Eâdem luce è cathedrâ ad feretrum devectus, ſupra ſexcentis diſcipulis flebilis, amicis flebilior, factus bonus odor CHRISTI, cleriq; *Gallicani*.

Theologus Sorbonicus. *Regius Profeſſor.*

Ætatis anno 57. diem clauſit extremum 6. Idûs Novembris 1656. *Moritur.*

* *Hæc ſubſcripta leguntur iconi ejus æri inciſæ.*

Obiit A.C. 1656.

JOHANNES MAJERUS.

Auguſtæ Vindelicorum natus eſt 22. Oct. A.C. 1614, Patre *Chriſtophoro Mair*, Mercatore, Matre *Mariâ*, M. *Chriſtoph. Neubergeri*, Eccleſiæ Paſtoris *ad Minoritas*, & Miniſterii Senioris filiâ.

Anno ætatis tertio Patre orbatus à vitrico *Eliâ Lottero*, mercatore, (quem Vitricum Paterrimum vocare conſuevit,) inſpectioni M. *Danielis Höſchelii*, Conrectoris tunc in Gymnaſio *Annæo* traditus, brevi tempore 8. Claſſes percurrit, deindè Lectiones privatas M. *Petri Meyderlini*, Ephori Collegii, ſedulus audivit, & aliquoties publicè peroravit.

A. 1629. Academiam *Tubingenſem* accedens, & D. *Lucæ Oſiandro* commendatus, ibi M. Aug. A. 1632. Gradum Magiſterii cum laude adeptus, inter 37. Candidatos ſecundum locum ſortitus eſt. *Philoſ. Magiſter Tubingæ.*

Studio Theologico totum ſe devovit, & A. 1635. æt. 20. *Geildorfii* Diaconatum, prægreſſâ vocatione Dnn. Baronum â *Lymburg*, aggreſſus eſt. A. 1640. ibidem affini ſuo M. *Georgio Alberto Nordlingam* evocato, in Superintendentis munere ſucceſſit. *Superint. Geildorf.*

29. Sept. 1642. *Geildorfii* nuptias celebravit cum virgine *Huldbergâ*, Dom. *Joh. Conradi Merckii*, Rectoris & Profeſſoris *Ulmenſis*, & Bibliothecarii filiâ, quam ſterilem poſt fata reliquit. *Conjugium ejus ſterile.*

A. 1649. In patriam cum aliis Eccleſiæ Miniſtris Evangelicis ab inclyto Senatu *Auguſtano* revocatus, Concionatoris ad *Minoritas* munus accepit, & A. 1652. poſt obitum M. *Philippi Weberi* Miniſterii *Auguſtani* Senior declaratus eſt. *Concionator Auguſtæ ad Minoritas. Senior Miniſterii.*

A triennio tandem doloribus corporis variis miſerè excruciatus, accedente catarrho gravi in pectus deſtillante rebus humanis ſubtractus eſt 21. Nov. A. C. 1656. æt. 42. Miniſterii 21, quo tempore in univerſum 2800. Conciones habuit. *Moritur.*

* *Ex Concione fun. M. Philippi Henrici Weberi, Diaconi Aug.*

Scripta: *Scripta.*

Religio & Pietas, ſive *vera veri Chriſtianiſmi Praxis*, das iſt/ das wahre Chriſtenthum in 112. Predigten gezeiget. in fol.

Hochzeitſpiel/ und Haus-Comödi. in 4.

Leichpredigt *JESU CHRISTI.* in 4to.

Bibliſcher Bau des wahren Chriſtenthums/ aus den Büchern der H. Schrifft aufgerichtet. in 4to.

Strenographia Biblica. in 8vo.

Concionator Orthodoxus, Anweiſung/ wie ein Evangeliſcher Prediger mit der Chriſtlichen Kirchen in Predigten und Schrifften reden möge.

ÆGIDIUS STRAUCHIUS. *Obiit A.C. 1657.*

Wittenbergæ natus eſt 23. Junii A. C. 1583. Patre cognomine, cive & mercatore primario, Matre *Gertrude*, *Arnoldi Blatteiſenii*, civis ibidem filiâ.

Cum Patrem A. 1597. amiſiſſet, ſtudia benè cœpta ſubſidio ſtipendii ſibi ab Elect. *Saxoniæ* clementer conceſſi tam feliciter proſecutus eſt, ut A.C. 1602. æt. 19. Decano M. *Eraſmo Schmidio*, Græcæ Ling. Profeſſore Publ. Magiſterii Gradum, & ob eruditionem inter 35. Competitores nonum locum cum laude conſecutus fuerit. *Magiſter Philoſ. Witt.*

A. 1606. Inter Adjunctos Philoſ. Facultatis receptus, A. 1609. poſtquàm *Wittenbergæ* 9. annis publicè & privatim docuiſſet, Superintendens Eccleſiæ *Oſchatienſis* conſtitutus, 15. Febr. A. 1610. *Wittenbergæ* pro Licentiâ ſub Præſidio D. *Wolffgangi Frantzii*, de *Eccleſiâ militante* publicè diſputavit, & 19. Febr. ſeq. prægreſſo examine, â Decano D. *Leonharto Huttero* Licentiatus Theologiæ renuntiatus eſt. *Superint. Oſchatienſis. Licentiatus Theol.*

20. Febr. ſeq. cum familiâ *Oſchatium* concedens, ibi Superintendens inveſtitus â *D. Leonharto Köppelio*, J. C. Appellationum Conſiliario, & D. *Paulo Laurentio*, Superintendente *Dresdenſi* munus ſuum alacriter aggreſſus eſt.

9. Nov. ſeq. *Wittenbergæ* unâ cum M. *Abrahamo Suarino*, Superintendente *Dölitſchenſi*, Promotore D. *Frid. Balduino* Theologiæ Doctor ſolenniter renuntiatus, paulò poſt 28. Febr. A. 1611. *Dölitſchium* cum familiâ migravit, munus ibi Superintendentis ſibi oblatum ſuſcepturus. *Doctor Theol. Superint. Dölitſchii & Merſeburgi.*

A. 1614. ab Elect. *Sax. Merſeburgum* vocatus, & ejus loci Superintendens factus prægreſſâ Inveſtiturâ per D. *Erhardum Lauterba-*

Digitized by Google

terbachium 24. Junii primam ibi Concionem habuit.

Superintendens & Conſiſtorii Eccleſ. Aſſeſſor.

A. 1616. *Dreſdam* ab Electore vocatus, ibidem Paſtor Eccleſiæ, Superintendens & Aſſeſſor Conſiſtorii Eccleſiaſtici factus, 9. Sept. à D. *Matthiâ Hoe*, Concionatore aulico, ſolenniter inveſtitus eſt, in quo munere 40. annos exegit.

Nubit.

20. Jan. A. 1607. Nuptias celebravit cum virgine *Euphroſynâ, Auguſti Cranachii*, Judicis civilis *Wittenbergæ* filiâ, *Lucæ Cranachii*, Pictoris celeberrimi, pronepte. Ex eâ 6. ſuſcepit filios, totidemque filias.

Filios habuit ſex

Filii fuerunt *Ægidius*, Med. D. & Practicus A. æt. 32. mortuus, 20. April. A. 1643. *Chriſtianus*, an. æt. 23. CHRISTI 1648. vitâ defunctus, *Auguſtinus*, J.C. Comes Palat. Conſil. *Sax.* & Jur. Profeſſor publ. *Wittenbergæ*, *Johannes* Med. D. & Pract. *Lipſienſis*, M. *Samuel Strauch*, Eccleſiæ Paſtor *Dreſd.* ad *S. Annam*, & M. *David Strauch* Theol. Studioſus.

Filias ſex nuptas.

Ex filiabus *Euphroſyna* A. æt. 7. *Merſeburgi* obiit, *Euphroſyna Eliſabetha* nupta primò *D. Davidi Fabro*, Archiatro Electorali, & poſteà *Danieli Henrico*, Theol. D. & Prof. *Lipſienſi* vitam finiit 14. Sept. A. C. 1643. ætatis 26. *Maria Magdalena Friderico Tuntzelio*, J. C. & Conſiliario Electorali, *Maria Gertrudis Conſtantino Rothio*, Electoris *Sax.* Monetario, *Anna Barbara Conrado Victori Schneidero*, Med. Doct. & Prof. *Wittenberg.* Archiatroque *Anhaltino*, *Sophia Johanni Alemanno*, Jurium Doctori *Dreſdenſi*, deſponſatæ fuerunt. Ex his liberis ſuis 50. nepotes vidit, ex iiſque 37. ſuperſtites reliquit.

50. Nepotes vidit.

Paralyticus obiit.

Colicis doloribus à multis annis obnoxius, & 21. Sept. A. 1653. hemiplegiâ totius lateris ſiniſtri perculſus, cum in quartum annum ſine doloris ſenſu lecto decubuiſſet, placidè in CHRISTO exſpiravit *Dreſdæ* 22. Jan. A. C. 1657. æt. 74. conjugii 50.

* *Ex Concione funebri D. Jacobi Welleri.*

Edidit:

Scriptum. *Tract. de Prædeſtinatione.*

EMERICUS KÖBERERUS.

Obiit A.C. 1657.

Filius Theologi.

G*Eiſertshofii* natus eſt 26. Maji A. C. 1602. Parente Viro Reverendo Domino M. *Johanne Köberero, Palatinatûs inſer.* propter Evangelium exule, per tempus aliquod Eccleſiæ Diacono ad *S. Michaëlem Hallæ Svevorum*, & abindè Eccleſiæ *Geiſertshofenſis* ſub Dynaſtiâ Generoſ. Dnn. Baronum à *Limpurg* 40. ferè annis Paſtore vigilantiſſimo. Matrem habuit *Urſulam Schweiggeriam, Hallenſem.*

Argent. Philoſ. Studioſus.

Puer ad honeſta literarum ſtudia à ſuis idoneus habitus iiſque maturè conſecratus, cum in Gymnaſio *Hallenſi* per decennium Claſſes pertranſiviſſet, anno ætatis 18. in Academiam *Argentinenſem* veniens, illicò ad Lectiones publicas audiendas admiſſus eſt.

Triennium ibi ſanioris Philoſophiæ cultui dedit, quâ ſe in ſuperiori ſtudiorum genere non parùm adjutum iri probè conſideravit, privatis etiam uſus eſt Collegiis, ut elapſo triennio cum applauſu ſupremo Philoſophiæ gradu potuiſſet ornari, niſi egeſtas obſtitiſſet & ſumtuum penuria.

Magiſterii honore dignus.

Theol. Studioſ.

Ex eo tempore annum totum ad S. Theologiæ ſtudium appulit, & quotidiè congreſſibus publicis interfuit, in quibus vel certæ Scripturæ Sacræ partes enarrari, vel de Religionis Chriſtianæ capitibus Diſputationes & Colloquia inſtitui ſolent.

Paſtor Eccleſ. Michelbachii.

A. 1626. Diſputationem de *Pœnitentiâ* adornavit, & maſculè propugnavit. A. 1630. *Argentorato* evocatus à Dnn. *Limpurgenſibus* ad Eccleſiæ Diaconatum in Ober-Sontheim / & A. 1635. ad Eccleſiæ Paſtoratum *Michelbachii* 27. annos in hiſce muneribus fideliter exegit.

A. 1631. Conjugii fœdus iniit cum honeſtâ matronâ *Evâ, Alberti Freybergeri*, Præfecti *Limpurgenſis* in Obern-Roth / relictâ viduâ, cum quâ in conjugio felici, ſterili tamen, quadriennium exegit: eâque defunctâ, ad ſecunda vota tranſiit A. 1635. cum *Mariâ, Chriſtophori Queitſchii*, Paſtoris Eccleſiæ in Untern-Sontheim relictâ viduâ, ex quâ filiolum mox poſt S. Baptiſmum denatum, duaſque filias ſibi ſuperſtites ſuſcepit, quarum natu majorem Dom. *Joh. Jacobo Othoni*, Diacono tunc *Limpurgenſi Gelndorfii* honeſtè elocatam vidit.

Vitam Eccleſiæ Paſtore dignam degens, frequenter in ore habuit, & libris quoque ſolitus eſt inſcribere diſtichon illud *Joh. Oweni*, Poëtæ *Angli.*

Hi mihi doctores ſemper placuêre, docenda
Qui faciunt plus, quàm qui facienda docent.
Die Pfarrherrn ſind recht Ehren werth /
Die ſelbſten thun / was ſie gelehrt.

Moritur.

A multis annis melancholiâ hypochondriacâ afflictus, ultimo tandem anno vitæ viſu prorſus orbatus, accedente demùm epilepſiâ vitam morte beatâ clauſit in diœceſi ſuâ *Michelbachii* 5. Febr. A. C. 1657. æt. 55.

* *Ex Concione fun. M. Johannis Spindleri, Paſtoris Eccleſ. Sontheim. & ex Teſtimonio D. Joh. Schmidii, Theol. Argent. ipſi A. 1629. dato.*

GERARDUS LANGBAINIUS.

Obiit A. C. 1657.

AD Barton-Kirke / in *Weſtmorlandiâ*, natus, literas *Oxoniæ* apud *Reginenſes* haurire cœpit A. C. 1627. quibuſcum pauper puer ſerviens, Socius ac denique Præpoſitus fuit; ac Theologiæ tandem Doctoratu inſignitus eſt.

Præpoſitus Reginenſis

Theologiæ Doctor Oxon.

Linguarum ille, Philoſophiæ, Theologiæ, Juriſque Municipalis peritiâ clarus habebatur; boni etiam publici Studioſus, maximè autem Virorum doctorum amantiſſimus erat, undè *Uſſerio, Seldeno*, aliiſque in re literariâ principibus viris familiariter innotuit.

Antiquitatis indagator erat exercitatiſſimus, nec judicio minori, quàm induſtriâ planè indefeſſâ præditus, quod ex collectaneis, mole immenſâ turgeſcentibus, teſtatiſſimum fit.

Moritur.

Diem obiit 10. Feb. ſecundum computum *Anglic.* 1657. inque Collegii *Reginenſis* Capella terræ mandatus eſt, tali Epitaphio:

Epitaphium.

D. O. M.
S.
GERARDO LANGBAINIO, S.S.T. PROFESSORI, COLL. REG. PER XII. ANNOS
PRÆPOSITO,
VIRO ANTIQUA PIETATE, SUMMA INTEGRITATE,
INGENIO LITERARUM OMNIUM CAPACI,
OMNIBUS SUPRA FIDEM EXCULTO;
JUDICIO ACERRIMO, INDUSTRIA ANIMO PARI,
CUI CORPUS (QUAMVIS VALIDUM) IMPAR:
LITERIS JUVANDIS PROPAGANDISQUE NATO,
QUI TEMPORIBUS SUIS OMNIA,
ET NATURAM SUAM OMNIBUS
RESTITUERE POTERAT;
IN QUO NEC COLLEGIUM, CUI PRÆFUIT,
NEC ACADEMIA, CUI SE IMPENDIT,
VEL FIDEM UNQUAM DESIDERAVIT VEL
SUCCESSUM;
QUI SÆCULO DIFFICILLIMO INTER ÆSTUANTES RERUM FLUCTUS
CLAVUM RECTUM TENUIT.
VIXIT ANNOS L̄. M. Ī. D. VI.
ANIMAM DEO REDDIDIT A. D. IV. FEB.
A. S. M DC LVII.
H. M. P. CONJUX MOESTISSIMA.

In lucem emiſit:

Scripta.

Longini librum de grandiloquentiâ ſive ſublimi dicendi genere, è Græco Latinè redditum, & notatiunculis illuſtratum. Oxon. 1638.

Prologum ad D. Joh. Checi librum de Rebellione. Oxon. 1641. Angl.

Fœderis Scotici examen. Ox. 1644. Ang. &c.

Concilii Tridentini, e Gallico in Anglicanum tranſfuſi, examen. Oxon. 1638.

* *Ex hiſtoria & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

Obiit A.C. 1657.

REINHARDUS BACKIUS.

Magdeburgi natus eſt 4. Maji A.C. 1587. Patre cognomine ephippiario, Matre *Angeliâ, Johannis Weſſelii*, ephippiarii filiâ.

Puer in Gymnaſio patrio literarum humaniorum fundamenta cum poſuiſſet A. 1602. ætatis 15. ſuadentibus quibusdam *Commotaviam in Bohemiâ* ad *Jeſuitas* miſſus eſt, ſed cum in loco eo propter Religionem in periculo verſaretur, *Hanoveram* indè regreſſus, ibi ſub diſciplinâ Rectoris famoſi M. *Chriſtiani Becmanni* triennium exegit.

Wittenbergæ Philoſ. ſtudet. Indè A. 1606. *Wittenbergam* ſe contulit, & 4. annos in ſtudiis Philoſophicis conſumpſit.

18. Jan. A. 1610. *Magdeburgi* in patriâ Diaconus ad *S. Ulricum* declaratus, brevi pòſt *Wittenbergam* reverſo, ſumptûs erogantibus Eccleſiæ Senioribus, Magiſterii honores collati ſunt à M. *Ambroſio Rhodio*, Mathematum Prof. ipſeque inter 38. Candidatos ſecundum obtinuit locum. *Fit Magiſter.*

Anno 1616. In templo patriæ Cathedrali poſt obitum *D. Philippi Habnii* primùm Diaconus, & 16. Jan. A. ſeq. Paſtor & Concionator conſtitutus, poſtmodum in vigiliis *Mauritii* per *Chriſtoph. Hanecken* templi illius Decanum, *Wolffg. à Spitznas* Canonicum, & D. *Georg. Adamum Brunnerum* Syndicum, publicè ad hoc munus ſacrum inveſtitus eſt. *Concionator Magdeburg.*

Cum verò priores à Reformatione hujus templi Concionatores *Sigfridus Saccus* & *Philippus Habn* Doctoralibus honoribus ornati fuerint, Canonici hujus Templi Cathedralis ſumtûs neceſſarios elargiti in Univerſitatem *Jenenſem* remiſerunt eum, ubi præmiſſis præmittendis Doctor Theol. ſolenniter renuntiatus eſt â *D. Johanne Majore*, Theol. Prof. & Superintendente 3. Nov. A. 1617. *Doctor Theol. Jenæ.*

Sed cum poſteà 10. Maji A. 1631. Urbs *Magdeburgi*, DEO permittente, per vim bellicam occupata, & crudeliter igne ac armis hoſtilibus vaſtata fuiſſet, ipſe *D. Backius* divinitùs miraculoſè cum ſuis ſervatus, cum nec blanditiis, nec minis â fidei ſuæ Confeſſione dimoveri potuiſſet, in exilium diſcedere coactus, eodem adhùc anno 1631. per Electoris *Sax. Joh. Georgii* clementiam Paſtor & Superintendens Eccleſiæ *Grimmenſis* conſtitutus, in eo munere per 9. annos fidelem ſe præſtitit. Intereà bis urbem *Grimmenſem* exitio proximam interceſſione ſuâ apud militiæ Duces Generales liberavit. *Ab excidio Magdeburg. divinitùs ſervatur. Superint. Grimmenſis.*

A. 1640. Repetitus â *Magdeburgenſibus* & ab Elect. *Sax.* clementer dimiſſus, ad munus priſtinum in Eccleſiâ primariâ reverſus, huic ad finem vitæ ſuæ magnâ cum fidelitate præfuit, & A. 1651. viſitationi Eccleſiarum vicinarum cum aliis interfuit. *Iterum Concionator primar. Magdeburg.*

23. Aug. A. 1613. Conjugio junctus eſt cum virgine *Margaretâ, Joachimi Helwigii*, Pharmacopœi *Magdeburg.* filiâ, ex quâ conjugii felicis 44. annor. tempore 6. filios, & 4. filias ſuſcepit. Ex filiis *Reinhardus* Præpoſitus fuit Cœnobii *S. Mariæ Magdeburgi*, *Joachimus* in pueritiâ obiit, M. *Bernhardus* Paſtor primarius *Haldenslebii* factus, *Chriſtianus* in patriâ Mercator, M. *Aſcanius Schönbecci* Diaconus Eccleſiæ, & M. *Erneſtus* Theol. Studioſus fuit poſt obitum patris. Ex filiabus *Eliſabetha Margareta* M. *Jacobo Wechtelero*, Archidiacono *Grimmenſi*, nupta fuit: *Angelia Juditha Johanni Geiſlingero*, Paſtori *Obsfeldenſi* deſponſata, *Anna Suſanna* & *Barbara Maria* puellæ mundo huic valedixerunt. Ex liberis verò ſuis 19. Nepotes in vivis ipſe vidit. *Conjugio jungitur. Filii ejus Theologi. Filiæ duæ Theologis nuptæ.*

Cum A. 1624. febri quartana 15. menſibus laboràſſet, & poſt *Magdeburgi* excidium variis ſymptomatibus affligeretur, ab iis tamen aliquoties operâ fideli *Johannis Drebneri*, Med. D. & Conſulis *Magdeburgenſis* liberatus eſt, donec anno mortem ejus prægreſſo catarrhus apoplectico ſimilis vires anteà labefactatas adeò proſtravit, ut tandem vitam beatâ morte finierit 19. Febr. A. C. 1657. ætatis 70. In lecto fatali hoc ſibi fecit Epitaphium: *Morbi ejus. Apoplexiâ mor.*

Epitaphium.

PERVERSE VALEAS MUNDE: MIGRAT AD CHRISTUM ANIMA MEA, SPIRITUS MEUS IN PARADISUM. SEPELITE CORPUS MORTUUM PECCATO: VALETE MEI, SEQUIMINI.

Libri

Digitized by Google

Libri editi ab eo ſunt ſequentes:

Scripta. *Conciones Jubilæi ſuper Auguſtanam Confeſſionem.*

Evangelia præfigurata.

Catechiſmus pro ordinandis.

Mortis amphitheatrum.

Evangeliorum Dominicalium explicatio copioſiſſima, ſive Poſtilla.

* *Ex Concione fun. Chriſtiani Waſewitzii, Dom- Diaconi.*

JACOBUS CRANFORD.

Obiit A.C. 1657.

COventriæ in Comitatu *Warwicenſi* natus eſt, neque loco infimo, haud obſcuri utique nominis Theologo, oriundus. Is autem A. DOM. 1618. ætatis 15. ad Collegium *Balliolenſe* in Univerſitate *Oxonienſi* acceſſit, & decurſo indè ſexennio, Gradum Magiſtralem capesſivit. Rectoriam poſthæc de Brockhole / in Agro *Northamptonienſi*, adeptus eſt, qua relicta, *Londinenſem* quandam *S. Chriſtophori* dictam, & pone forum mercatorium poſitam, quod vetus excambium vulgò appellatur, conſecutus eſt. *Theologus Londin.* Linguarum peritisſimus, Concionator indefeſſus, Diſputator ſubtilis, S. Patribus familiariter utebatur, neque Theologis Scholaſticis ignotus erat. Denique memoriam habuit feliciſſimam. Argumenti Theologici haud pauca conſcripſit, inter quæ *Concio quædam in 2. Tim. cap. 11. com. 17.* cui nomen fecit: *Gangræna Hæreſeos* Lond. 1646. *Scripta.*

Moritur. *Londini*, fato functus 27. Aprilis 1657. inque Eccleſiâ ſuâ funeratus eſt.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

CHRISTIANUS LANGIUS.

Obiit A.C. 1657.

LUcem hanc aſpexit 2. Dec. A.C. 1585. in pago *Altenburgo* inter *Portam* & *Naumburgum* ſito. *Parentes ejus.* Patrem habuit *Michaëlem Langium*, in Gymnaſio *Portenſi Zythepſam* vel Cereviſiæ coctorem, quem quarto ætatis anno ſpem fortunarum ſuarum amiſit, quique lecto emortuali affixus filium hunc DEO & ſtudiis ſacris conſecravit. Mater ei fuit *Margareta*, *Kiliani Braueri*, Prætoris ibidem pagani filia, quæ cum filium hunc ſuum Doctoralibus honoribus inſigniri vidiſſet, A. 1632. mundo valedixit.

Puer tenuiſſimo victu ſuſtentatus nudipes viis licèt inviis, hyberno præſertim tempore ad quadrantem propemodùm milliaris, ut aliquid addiſceret, Scholam *Naumburgenſem* frequentare fuit coactus, donec anno ætatis 15. in Scholam Provincialem *Portam*, & quidem in locum Nobil. à *Marſchalck* in *Juſſerſtett* promoveretur. *Venit in Scholam Portenſem.* Ibi totus & aſſiduus in ſtudiis fuit charus Rectori M. *Juſtino Bertuchio*, à quo Sereniſſ. Elect. *Saxoniæ*, ut in alumnorum Electoralium numerum cooptaretur, de meliori notâ commendatus, cum A. 1606. in Academiam *Lipſienſem* ſe contuliſſet, ſtudiorum 30. quotannis florenorum ſubſidium acceperit. *In Acad. Lipſienſ.*

Quanquam autem ibi convictor fuerit eorum, qui menſes frequentant communes, aliis etiam famulitio ſuo partem temporis dederit, *Famulus fuit.* ab ore tamen Dominorum Profeſſorum ſemper pependit, exercitia publica & privata ſedulus frequentavit, donec A. 1611. ſtudiorum præmium Magiſterii Gradum inter 35. competitores ſummâ cum laude & applauſu adeptus eſt. *Fit Magiſter.*

Poſteà cum ſub fideli manuductione D. *Burcardi Harbarti* & Licent. *Johannis Mühlmanni* fundamentum in ſtudiis Theologicis jeciſſet, concionando etiam callum duxiſſet, & ſacras literas pertinaci ſtudio volvendo familiares ſibi reddidiſſet, præterlapſo beneficii Electoralis quinquennio, & ita ſtudiorum ſubſidiis deficientibus, Viri generoſi *Ottonis* à *Diskau* nobilibus liberis ab informatione per triennium fuit, donec A. 1614. ad Paſtoratum in *Meuſelwitz* promoveretur. *Eccleſ. Paſtor in Meuſelwitz.* Ibi propter fidem, quam luculenter in iſtâ muneris functione teſtatum fecit, vadum favoris apud Dom. *Henricum* à *Clausburg*, aliàs *Cramerum* dictum, & conjugis ipſius pientisſimam facilè tentavit, variis poſtmodùm beneficiis ab iisdem affectus.

A. 1618. Paſtoratûs officium in oppidulo *Luccaviâ* & adjuncturâ ephoriæ *Altenburgenſis* ad ipſum fuit delata. *& Luccaviæ.*

A. ſeq. 1619. à Senatu *Lipſienſi* ad Diaconatum in æde *D. Nicolai* vocatur, ex quo pedetentim per omnes gradus ad ſupremum honorum & laborum apicem, Ephoriam aſcendit. *Lipſiæ Diaconus ad S. Nicol.*

A. 1620. Honorum primitias, lauri baccas in ſtudio Theologico, factis faciendis reportavit: *Theol. Baccalaureus.* ſeq. verò 1621. ad Diaconatum medium in dictâ æde *D. Nicolai* perrexit, & quia dona nactus erat in concionando ſingularia, petentibus quibusdam Theol. Candidatis Collegium in æde *Paulinâ* Concionatorium aperuit, ad finem usque vitæ ipſius continuatum. *Collegium Concionator. habet.*

A. 1628. Ad Archidiaconatum in æde *D. Thomæ* evecto ſeq. anno 1629. M. Oct. ab Elect. *Sax.* ſparta Profeſſionis quartæ Theologicæ ipſi ornanda fuit demandata, quam A. 1630. Licentiæ ac Doctoratûs gradus à Facult. Theologicâ collatus excepit. *Profeſſor Theol.* *Licentiat. & Doctor Theol.*

Poſt beatam analyſin *D. Polycarpi Lyſeri* A. 1633. ad Paſtoratum Eccleſiæ *Thomanæ* fuit evectus. *Paſtor Eccleſ. Thomanæ.* Indè Profeſſionem Theologicam tertiam nactus, Canonicus *Cizenſis* electus, & Alumnorum Electoralium Ephorus fuit conſtitutus: *Ephorus Alumnor. Electoral.* quin & vertente iſto anno Rectorales Academiæ faſces ad ipſum fuerunt delati.

A. 1642. *D. Henricus Hopfnerus* obitu ſuo quinque partim officia, partim beneficia *Langio*, nimirùm Profeſſionem Theologicam ſecundam, Canonicatum *Miſnenſem*, Collegiaturam in Collegio Principum majore, Aſſeſſuram in Conſiſtorio Electorali, & Decemviratum evacuaverat. Nec ulterius progredi poterat, quàm ad Ephoriam Eccleſiarum *Lipſienſium* & vicinarum, Senioratum in Facultate Theologicâ & Natio- *Superintend. Lipſ.*

ne *Miſ-*

ne *Miſnicâ*, quæ omnia poſt obitum Superintendentis *D. Johannis Höpneri* ad eum A. 1646. fuere devoluta. Facultati Theologicæ concorpor cum officiis ambulatoriis, Decanatu, Pro-Cancellariatu, & Promotoris aliquoties fuit.

Præter Diſputationes publicas & privatas pro cathedrâ Theologicâ utramque *Petrinam Epiſtolam*, *Evangelium S. Johannis*, *Epiſtolam ad Hebræos*, *Jacobi* & *Johannis* notis eruditis in uſum ſtudioſorum illuſtravit. Ultimus honor, ad quem raro exemplo pertigerat, fuit Decanatus in Eccleſiâ cathedrali *Miſnenſi*, quem A. 1649. obtinuit. *Decanus Miſnenſis.*

Ejus Conjugium. A. 1614. Conjugem duxit virginem *Catharinam*, *Johannis Fridleri*, Superintendentis *Pegavienſis* filiam, ex quâ 6. filiorum & 2. filiarum factus Parens, tres tantum filios reliquit ſuperſtites, quorum natu maximus *Samuel Langius*, S. Theol. Doctor, Paſtor & Superintendens *Pegavienſis* cum conjuge ſuâ *Catharinâ Margaretâ Götziâ* Dom. Parentem 6. nepotibus & neptibus fecit Avum. Natu ſecundus *Chriſtianus Langius*, Phil. & Med. Doctor, Pathologiæ Profeſſor, & Facult. Med. *Lipſ.* Senior vitæ ſibi legit conſortem *Annam Mariam*, Dom. *Pauli Macaſii*, Med. Doctoris, & quondam Phyſici *Egrani* ante ſuſceptam ibi à Pontificiis reformationem filiam. Hunc A. 1655. Rectorali conſpicuum dignitate ſummo cum gaudio vidit. Tertius filius *Johannes* antiquisſimum ruri vitæ genus ſecutus, & maritus *Barbaræ*, *Andreæ Schmidii*, Capitanei quondam inter cohortes Electorales filiæ, tres ex illâ filios duasque filias ſuſcepit. *Tres filii.*

Poſtquàm verò conjunx charisſima A. 1624. M. Nov. à latere ipſi ſubduceretur, ad ſecunda vota tranſiit fœdere jugali conjunctus 21. Nov. A. 1625. cum virgine *Margaretâ*, *Thomæ Schüreri*, Bibliopolæ *Lipſ.* celebris filiâ. Ex hâc ſuſcepit liberorum utriusque ſexûs decadem, ſed ad quaternarium numerum tandem redactam. Inter filios *Thomas Langius* natu major Jur. Doctor & Practicus *Francofurt.* ad *Mœnum*, ex conjuge *Annâ Reginâ* ſuſcepit *Joh. Chriſtianum*, qui avum utrumque miro delibutum gaudio reddidit: *Gotofredus* & *Chriſtophorus* filii natu minores in Acad. *Salanâ* ſtudiis operam navârunt. Filia natu major *Margareta* conjugio juncta *Sigism. Ruperto Sultzbergero*, Med. D. Archiatri Elect. filio A. 1656. filiolum peperit *Chriſtianum Sigismundum*, quem *Langius* in ædibus ſuis paulò antè obitum vidit natum. Altera *Catharina Maria*, *Michaëli Planccio*, Mercatori *Lipſ.* nupſit. *Conjugium ſecundum.*

Morbi ejus. Sed ut ſenectus ipſa morbus eſt incurabilis, ita poſt ſuperatum climactericum magnum variis morbis, podagrâ, eryſipelate, calculo, laterum doloribus, uno verbo, malo hypochondriaco infeſtari cœpit. Ideò Senatus conſenſu ſubſtitutum, qui vices ipſius concionando ſuſtineret, ſibi adjunxit, donec tandem 7. Maji Aſcenſionis Dominicæ feſto manè ſpiritum in manûs Salvatoris emiſit A. C. 1657. æt. 72. *Senex vicarium accepit.* *Moritur.*

* *Ex Concione fun. D. Johannis Hülſemanni, & Rectoris Lipſ. Programmate.*

M. *Johannes Frentzelius* hoc ei fecit Anagramma:

CHRISTIANUS LANGIUS, THEOLOGIÆ DOCTOR.

O ſtat adhuc longè [*ejus* / *Jesu*] *in* CHRISTO *gloria.*

Gloria Langiadæ totius tempore vitæ
Magna ſtetit firmo conſolidata pede.
In CHRISTO *ſtat adhùc ô longè gloria* JESU
Ejus, & æternos ſtabit eritque dies.

CHRISTIANUS LANGE, SANCTÆ THEOLOGIÆ DOCTOR.

Per Anagramma:

Agit heic ſanctè: à letho coronandus eſt gloriâ.

Qui ſanctè heic agit, à letho non totus obibit,
Eſtque coronandus gloriâ in arce poli.

CHRISTIANUS LANGIUS, SUPERATTENDENS LIPSIENSIS.

Stas Virtus in CHRISTI ſanguine depellens ſpinas.

LANGIADÆ Virtus ſtas ſolo in ſanguine CHRISTI
Depellens ſpinas, quas mala corda ferunt.

GILBERTUS WATTS.

Obiit A.C. 1657.

A*Ngliæ* ex Agro *Eboracenſi* oriundus, ſocius factus eſt Collegii *Lincolnienſis Oxoniæ* A. 1616. & S. Theologiæ Profeſſor creatus, A. 42. variarum linguarum peritiâ eximius, ingenio ſingulari, ſtylo & ſcribendi Facultate tam felix, ut tum Latinis tum Anglicis vertendis, paucos vel nullos ſibi pares haberet. *Theologiæ Profeſſor Oxoniæ.*

Obiit apud *Einſham*, pagum non longè ab *Oxonio* diſſitum, dum ab aquis calidis *Bathonienſibus* rediret, 9. Sept. 1657. & in *omnium Sanctorum* Eccleſiæ choro ſepelitur. *Moritur.*

E *Latino* in *Anglicum* vertit: *Scripta.*

Baconum de Augmentis Scientiarum. Oxon. 1640. In quo opere, ipſius autoris ſtylum, qui aliquam iſtius libri partem jam olim *Anglicè* ediderat, adeò preſsè æmulatus eſt, ut non facilè quis hunc ab illo diſcernat.

Scripſit porrò

Digresſiones quasdam, in prædictum librum, de Augm. Scient. MS. Angl.

Apologiam pro Scientiis inſtauratis MS. Angl.

Politicam Imperialem. M.S.

Inſuper ex *Italico* Sermone in *Anglicanum* verterat, *Davilæ de Bello Galliarum civili Hiſtoriam.* Sed à *D. Carolo Cotterellio* Equite, & *Guilielmo Alesburg* Armig. qui eandem feliciter aggresſi erant, in edendâ eâ præoccupatus eſt.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood,*

JOHAN-

Digitized by Google

Obiit A. C. 1657.

JOHANNES BENEDICTUS CARPZOVIUS.

NAtus eſt 22. Junii A. C. 1607. in arce *Rochlitzenſi*, quò ſe propter contagium peſtis receperant Parentes ejus *Benedictus Carpzovius*, J.C. & Conſil. Electoralis, ac *Chriſtina*, *Samuelis Seelfiſchii*, Senatoris & Bibliopolæ *Wittenberg.* filia.

Statim â teneris unguiculis fidis & eruditis Præceptoribus, quos inter eminuit *Chriſtianus Willius*, Superintendens *Colditzenſis* emeritus, bonarum literarum initiis fuit commiſſus imbuendus. A. 1623. Parentes eum *Wittenbergam* ſecum abduxerunt. Ibi commodum accidit, ut ab ore D. *Jacobi Martini*, jam deſignati Theol. Profeſſoris, ſed per ſpatium adhuc annuum Philoſophiam docentis pendens, Logicam & Metaphyſicam â capite ad calcem audire, & Collegiorum ipſius pars eſſe potuerit.

Wittenbergæ ſtudia Philoſ. diſcit.

Eo verò Philoſophiæ Profeſſionem reſignante, D. *Johannis Scharfii*, Philoſophi, poſteà Theol. D. informatione uſus eſt. In Græcis inſuper & Mathematicis M. *Eraſmum Schmidium Daduchum* ſequebatur. Deindè ad ſtudium Theologicum animum applicans, ad pedes Theologor. magni nominis D. *Friderici Balduini* & D. *Baltaſ. Meiſneri* ſedit, & progreſſu temporis informationem Theologor. primi ſubſellii D. *Pauli Röberi* & D. *Wilhelmi Lyſeri* adjunxit.

Theol. dat operam.

Cum verò A. 1627. Magiſtri titulum conſecutus eſſet, anno ſeq. 1628. *Lipſiam* ad fratrem D. *Benedictum Carpzovium*, Conſil. Elect. ſe contulit, â quo fraterno amore exceptus omniqúe bonorum genere obæratus in ſtudiis ſuis Gamalielem ſibi ſelegit D. *Henricum Höpfnerum*, Theol. Prof. cui non tantùm eo tempore, ſed etiam in functione conſtitutus Eccleſiaſticâ plus minus decennium in Collegiis privatis aurium operam locavit. Habuit enim ille duplex Collegium per ſeptimanam, unum Exegeticum ſuper Epiſtolas *Pauli*, alterum Polemicum, in quo Theſeos loco beati *Chemnitii* Locos elegit.

Fit Magiſter. *Lipſiam venit.*

Nec parùm profecit in Collegiis Theologicis Diſputatoriis & Concionatoriis D. *Johannis Hülſemanni*, Theol. tunc Licentiati, cui propter ſingularem eruditionem â Reverendâ Facultate Theologicâ poteſtas habendi Collegia facta fuerat. A. 1632. vocatus *Meuſelwitzium* ad Paſtoratum vacantem cum annum ætatis 25. vix attigerat, ſuadente D. *Polycarpo Lyſero* ſpartam illam ornandam ſuſcepit. A. ſeq. 1633. Poſt obitum *Lyſeri*, Senatus *Lipſienſis* eum ad Diaconatum in æde *Thomæ* legitimè vocavit. Ab hoc primo gradu paulatim ad alias functiones Eccleſiaſticas aſcendit, donec A. 1643. Archidiaconatus in dictâ æde *Thomanâ* fuerit ad ipſum delatus.

Eccleſ. Paſtor Meuſelwitzii. *Archidiaconus Lipſiæ.*

A. 1634. Primitias honorum Theologicor. Gradum Baccalaureatûs modeſtè petiit, & cum laude obtinuit. Tunc Collegia privata concionatoria & diſputatoria Studioſis cum fructu aperuit, donec A. 1640. Licentiæ gradus priorem exceperit. A. 1646. Elector *Sax.* præviâ denominatione Facultatis Theologicæ, Profeſſionem Theologicam ordinariam quartam ipſi clementer demandavit. Hinc factum, ut graduum Academicor. coronidem gradum Doctoratûs cum applauſu publico A. 1651. imponi ſibi pateretur.

Baccalaureus Theol. *& Licentiat.* *Profeſſor & Doctor Theol.*

A. 1636. Vitæ adjutorium ſibi legit Virginem *Eliſabetham*, *Davidis* Wurffpfenningo/ Mercatoris *Lipſ.* optimæ notæ relictam filiam, quod Conjugium 6. pignoribus, & quidem 5. ſexûs maſculini, unâ fœmellâ fuit obſignatum. Ex his natu maximus *David Benedictus* A. 1655. cum laude, ſummoqúe Dom. Parentis gaudio Philoſ. Magiſter fuit renuntiatus; proximus ab hoc *Johannes Benedictus* cum *Jenæ* & *Argentorati* in ſtudiis ſuis progreſſûs feciſſet laudabiles, biduo ante Dom. Parentis obitum domum reverſus eſt. *Auguſtus Benedictus*, *Samuel Benedictus*, & *Fridericus Benedictus* ſub ductu tunc Præceptorum ſtudia tractârunt. Filiam unicam *Chriſtinam Eliſabetham* 4. ante obitum menſibus Dom. Lic. *Martino Geyero*, S. Linguæ tunc *Lipſiæ* Profeſſori, & ad *D. Thomæ* Symmiſtæ fideliſſimo, ſuo per annos 14. Collegæ ſinceriſſimo feliciter elocavit.

Conjugium init. *Socer Martini Geyeri.*

Cum verò per naturam conſtitutionis fuerit infirmioris, & ſpleneticis doloribus â teneris fuiſſet obnoxius, calor hecticus tandem accedens carnes & viſcera depaſcere cœpit, donec placidâ morte, poſt acceptam â Domino *Genero* benedictionem Eccleſiaſticam, extinctus eſt 22. Oct. A.C. 1657. æt. 51.

Hecticus moritur.

Symbolum ejus:

Non ſum, ubi ſum, & ubi ſum, nondum ſum. *Symbolum.*

Scripta ejus ſunt ſequentia: *Scripta.*

Diſputationes ſuper examen Concilii Tridentini D. Mart. Chemnitii.

Extract. Locorum & ſpecimen Theologiæ Chemnitianæ.

Tract. Bündeſchlüſſel in unſern Kirchen / wider das ungerathene Kind Mühlmann.

Conciones variæ.

De Pœnitentiâ Ninivitarum Diſputatio.

Syſtematis Theologici in uſum Collegiorum & exercitiorum Academ. partes II.

Collegium Anti-Papiſticum.

Iſagoge in Libros Eccleſiar. Lutheranar. Symbolicos.

* *Ex Concione fun. D. Joh. Hülſemanni, & ex Programm. fun. Rectoris Lipſ.*

Obiit A. C. 1657.

THOMAS LAWRENCE.

ANgliæ, in agro *Dorſetenſi*, infrà Diœceſeos *Briſtolienſis* limites natus, è Collegio *Balliolenſi* in Collegium *Omnium Animarum Oxon.* aſciſcitur A. 1648. nullo adhuc gradu cohoneſtatus.

Theologiæ dein Doctoratu auctus, Eccleſiæ *Lichfeldenſis* Præbendarius, Collegii *Balliolenſis* Magiſter, ſeu Præfectus, Dominæ *Margarethæ* Profeſſor, & Capellanorum *Caroli I.* ordinariorum alter emicuit.

Eccleſiæ Lichfeldenſis Præbendarius. *Collegii Balliolenſis Præfectus.* *Caroli I. Capellanus.*

Digitized by Google

Theologiæ, Scholaſticæ potiſsimùm, peritus, eximiâ quoque verbum proſeminandi Facultate præditus, & in ipſis Linguarum Græcæ & Latinæ apicibus verſatiſsimus habebatur.

Sodalitii *Balliolenſis* Præfecturam quod attinet, eâdem paulò ante viſitationem parliamentar am ſponte abſceſſit, Eccleſiæ, ut veri ſit ſimile, & Monarchiæ *Anglicanæ* interitum præſentiens.

Eccleſia Colne Vicarius. Eccleſiæ exiguæ, Colne appellatæ, & in agro *Huntingdonenſi* poſitæ, Vicarius poſtmodò fuit; cui ſanè ad mortem usq; præfuit.

In ejuſdem Sacello 10. Decemb. A.1657.

Moritur. humatus eſt. Sedis autem alicujus apud *Hibernos* Epiſcopus nominatus pridem fuerat, ſed mors viri feliciſsimum *Caroli II.* reditum triennium antevertebat.

Scripſit in

Scripta. *Exod. 20. v. 21.* } Oxon. 1635.
1. Cor. 1. v. 12. }
Exod. 3. v. 5. Lond. 1637.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

PETRUS MOLINEUS.

Obiit A.C. 1658.

Filius *Joachimi Molinei*, Miniſtri Eccleſiæ *Aurelianenſis*, natus eſt 8. Oct. A.C.1568. in agro *Vexinate*, qui eſt *Franciæ* & *Normanniæ* confinium.

A.1572. Strage *Bartolomeâ* ſæviente, cum fratribus pueris admodùm ad necem quæſitus, ancillæ induſtriâ ſervatus eſt. *Sedani ſtudia inchoavit.* *Sedani* prima literarum ſtipendia meruit. Indè *Lutetiam* miſſus, civilibus tempeſtatibus in *Angliam* pulſus eſt, ubi uſus eſt conſuetudine Theologorum *Guilielmi Witackeri*, & *Johannis Reinoldi*.

Philoſ. Profeſſor Leyd. A.1592. *Lugdunum Batavorum* profectus, Profeſſionem ibi Philoſophicam nactus eſt. A.1598. in *Galliam* revocatus, *Lutetiam* venit, ibique S. Miniſterio initiatus eſt. *Miniſter Eccleſ. Pariſ.* Non multò pòſt à *Catbarinâ Borboniâ*, Regis *Gall. Henrici IV.* ſorore, quæ *Henrico* Duci *Lotbaringiæ* nupſerat, ductus in *Lotbaringiam*, hanc Soceri, Mariti, & Monachorum precibus ad fidei ſuæ abnegationem aſſiduè tentatam confirmavit.

Principiſſâ mortuâ A.1604. *Lutetiæ* manſit, fidelem Eccleſiæ miniſtrum agens: & licèt tum *Salmurium* à Synodo *Andegavenſi*, tum *Lugdunum Batavorum* ad Profeſſionem Theologicam ſuſcipiendam efflagitatus fuiſſet, ab Eccleſiâ tamen *Pariſienſi* reclamante retentus eſt, cui cum per annos 22. Verbi Divini Miniſter inſerviiſſet, indè *Sedanum* A.1627. ad Evangelii Miniſterium & Theologiæ Profeſſionem migravit. *Miniſter & Theol. Profeſſor Sedani.* Ibi tandem morbo diuturno conſumptus, de Eccleſiâ CHRISTI optimè meritus ſenex exſpiravit 28. Febr. A. C. 1658. ætatis 90.

* *Ex Vitis Profeſſor. Leydenſ.*

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia:

Scripta.

Opera Philoſophica varia, Logica, Phyſica, & Ethica.
De Peregrinationibus & Altaribus.
Aqua Siloë, in purgatorio ſatisfactiones.
Defenſio Fidei Catbolicæ pro Jacobo Rege Britanniæ.
De impletione Propbetiarum.
Meditationes de Vanitate, & Amore DEI.
Combat Chreſtien en II. Parties.
Le Cappucin, Tractatus Gallicus elegans de origine, diſciplinâ, & Regulis Cappucinorum.
Conference avec M. Cayer, & Gontier.
Anatome Arminianiſmi.
Anatome Miſſæ.
De ultimis temporibus contra Bellarminum.
Tract. de Cognitione DEI.
De Fide juſtificante.
Judicium de Moſis Amyraldi & Spanhemii Libro, ſeu Apologia pro DEI Miſericordiâ.
Novitas Papiſmi.
De Pœnitentiâ & Clavibus.
Strigil adverſus Comment. ad loca Novi Teſt. de Antichriſto.
Hyperaſpiſtes, ſeu Defenſor Veritatis.
Reſponſe à 32. Demandes, par Pierre Cotton.
Meditation pour ſe preparer à la S. Cene.
Sermons en X. Decades.
Reſponſe à 4. demandes du'n gentilhomme Poictou.
Trois Sermons en preſence des Cappucins.
Defenſe de la Confeſſion des Egliſes Reformées de France.
Vie & Religion de deux bons Papes Leon I. & Gregoire I.
De la Vocation des Paſteurs.
Heraclite, ou Vanité de la Vie humaine.
Bouclier de la Foy.
Du vray Amour conſiſtant en Aumoſne & Charité.
Anti-Barbare, ou du Langage inconu dont on ſe ſert en l'Egliſe Romaine.
Priere Meditation, & Action de Graces ſur la longue Maladie.
Oppoſitions de la Parole de Dieu avec la Doctrine de Rome.
Sainct Reveil ſpirituel, & de la Providence de Dieu.
De la Toute puiſſance de la Volonté de Dieu.
Lettres à ceux de l'Egliſe Romaine.

SAMUEL GRYNÆUS.

Obiit A.C. 1658.

Baſileæ natus eſt 21. Sept. A.C. 1595. Patre *Simone Grynæo*, Præceptore Claſſico, *Samuelis Grynæi*, Syndici & Juris in Acad. *Baſil.* Anteceſſoris filio: Matre *Annâ Irmiâ, Joh. Henrici Irmii*, Capitanei in *Belgio* ſtrenui, filiâ.

Magiſter Philoſ. Baſileæ. Cum in patriâ curſum Philoſophicum abſolviſſet, Liberal. Artium Magiſter renunciatus eſt, & mox à Cognato ſuo D. *Joh. Jacobo Grynæo* ad ſtudium Theologicum invitatus, A. æt. 22. *Præſidem egit in Diſput. Theol.* Præſidio Diſputationum Theologicarum in publico Theologor. auditorio magnâ cum laude & raro exemplo functus eſt.

Eodem tempore cum *Baſileam* veniſſet *Abrab. Scultetus*, Elect. *Palat.* Concionator aulicus, qui tum *Annales Evangelii* ab A. C. 1517. ad 1617. meditabatur, & à D. *Joh. Jacobo Grynæo* hoſpitio fuiſſet exceptus, huic *Heidel-*

Heidel-

Digitized by Google

Heydelbergam redeunti *Samuel* hic ab agnato comes adjunctus eſt, qui ſtudiis in eâ Univerſitate Theologicis operam dedit usque ad A.C. 1617. quo *Baſileam* reverſus, cognatum *Joh. Jac. Gryneum* magno ſuo cum luctu morientem vidit.

Diaconus ad S. Leonhart. A. 1618. *Johanni Graſſio*, Eccleſiæ ad D. *Leonardi* Diacono, ſucceſſit.

Deſponſatur. Paulò pòſt conjugem duxit Virginem *Mariam*, filiam D. *Johannis Buxtorfii*, Linguæ ſanctæ Profeſſoris, cum quâ deſponſatus eſt 18. Jan. A. 1619. ex eâque 5. filiorum & 3. filiarum pater factus eſt, ſed horum liberorum 5. mors præmatura abripuit.

Periculoſè lapſus eſt. 2. April. A. 1623. cum in ædibus amici ſui M. *Ludovici Lucii* ambulacrum 10. cubitorum altitudine ab areâ inferiore elatum calcâſſet, declinante ad veſperam die aberrante talo præceps in infimum areæ fundum delapſus, nihil mali Divinitus ſervatus ex lapſu illo ſenſit. 16. April. ſeq. Filius ejus, tertium tunc ætatis annum agens è feneſtrâ domûs Diaconalis in cœmiterium *Leonhardinum* non minori præcipitio delapſus, eâdem DEI curâ ſoſpes ſervatus eſt.

Paſtor ad S. Leonhart. A. 1630. Cum *Joh. Groſſius*, Paſtor ad D. *Leonhartum*, peſte obiiſſet, huic in Paſtoratu ſucceſſit, & in munere hoc *Libros Biblicos* complures, è *veteri Teſtamento Exodum*, *Salomonis Proverbia*, *Canticum Canticorum*, *Jeremiæ* tum *Vaticinia*, tum *Threnos*, *Prophetas minores* omnes; è novo, *Matthæum*, *Lucam*, *Johannem*, *Epiſtolas Pauli* pleraſque, *Jacobi* & *Petri primam*, *Pſalmos* item *Pœnitentiales* prolixè & ſolidè è ſuggeſtu explicavit. A libris autem ſcribendis abſtinuit.

Prof. Theologicam recuſat. A. 1656. Profeſſoris Theol. in Acad. munus ſibi delatum modeſtè recuſavit, quod D. *Lucas Gernlerus* ſuſcepit.

Cum 7. Febr. A. 1658. Concionem ultimam habuiſſet, cui materiam dedêre verba *Lucæ cap. 14. verſu 15: Beatus, qui comedit panem in regno DEI*; veſperâ illâ doloribus nephriticis affligi cœpit, iis indies creſcentibus, placidâ tandem morte finem fidei ſuæ, ſalutem animæ conſecutus eſt 1. Martii A. C. 1658. æt. 63. *Moritur dol. nephrit.*

Filium reliquit *Johannem Gryneum*, & generum *Petrum Werenfelſium*, utrumque Theologum.

SAMUEL GRYNEUS.
Per Anagr.
Regnum JESU alis.

* *Ex Orat. parentali Adriani Pauli Dantiſcani.*

Obiit A.C. 1658.

JOH. EUSEBIUS NÜRNBERGER.

Societ Jeſu. *Phyſ. Prof. Madriti.* Madriti in *Hiſpaniâ*, Patre *Gotfrido*, Mercatore, natus, adoleſcens Ordinem Societatis Jeſu ingreſſus eſt, & ibidem Phyſicæ vel Philoſ. Naturalis Profeſſorem egit. Tandem cum Sanctitatis opinione vitâ exceſſit 7. April. A.C. 1658.

Scripta. Præter alios libros editos *Hiſtoriam Mundi* reliquit.

* *Ex lib. manuſcripto D. Mich. Rœtenbeccii, Med. Norimberg.*

Obiit A.C. 1658.

ANTONIUS FORSTIUS.

Naſtetti natus eſt ult. Martii A.C. 1597. Patre *Johanne Forſtio*, textore in patriâ & Judicii Aſſeſſore; Matre *Ottiliâ*, *Melchioris Kayſeri*, Paſtoris Eccleſiæ in *Burgo* veteri filiâ. In Scholam *Urſelenſem* A. 1609. à Parentibus miſſus, convictum apud *Alexandrum Heſſum* cognatum, & *Baltaſ. Buſchium* Præceptorem habuit.

Indè A. 1611. *Idſtenium* in Scholam veniens, diſcipulus fuit *Johannis Tilemanni*.

Magiſter Philoſ. Gieſſ. A. 1613. In Academiam *Gieſſenſem* à Parentibus ablegatus, in eâ ſtudium Philoſophicum abſolvit, & A. 1616. Magiſter Philoſophiæ creatus eſt. Ibidem Promotore D. *Mentzero*, Theologo celebri, Pædagogiam liberorum Nobilis Viri *Johannis Hermanni* à *Cronberg* nactus, triennio pòſt A. 1619. *Schirſtenii* Præceptoris Scholaſtici munus ſibi oblatum aggreſſus, per biennium fideliter obivit. *Ludimoderator Schirſtenii.*

Conjugium ejus primum. Paulò pòſt 6. Maji A. 1620. Sponſalia celebravit cum virg. *Catharinâ*, *Friderici Weberi*, Paſtoris Eccleſiæ *Moſbacenſis* filiâ, ex quâ 6. filiolas, omnes in primâ infantiâ denatas, ſuſcepit.

Rector Idſtenii. Diaconus. A. 1621. *Idſtenii* ad Scholæ Rectoratum, & anno ſeq. ad Eccleſiæ Diaconatum promotus eſt. 2. Nov. A. 1626. à M. *Reinhardo Breidenbachio*, Superintendente, ad Paſtoratum Eccleſiæ patriæ *Naſtetti* vocatus, & præſentatus, munere fideliter functus eſt. *Paſtor Eccleſ. Naſtett.*

Paſtor in Langen-Schwalbach. A. 1634. Nihil minus cogitans, à Dom. Superintendente D. *Grebero*, ad mandatum Sereniſſ. Principis *Georgii*, *Landgravii Haſſ.* Paſtor Eccleſiæ in Langen-Schwalbach factus & inveſtitus eſt, invitus licèt ex patriâ diſceſſerit, ibi brevi pòſt uxorem morte ſibi abreptam amiſit.

Superintendens Hoheſtein. & Epſtein. A. 1635. Per literas vocatorias *Landgravii Georgii* Superintendens *Hohenſteinenſis* & *Epſteinenſis* denominatus, huic itidem muneri cum laude præfuit.

Conjugium ſecundum. A. 1636. Ad ſecunda vota tranſiens, *Rüſſelhemii* ſponſalia celebravit cum virgine *Margaretâ*, M. *Joh. Chriſtoph. Angeli*, Paſtoris in Kelſterbach relictâ filiâ, ex quâ 4. filios, totidemque filias ſuſcepit, ſed 3. tantùm filios cum viduâ reliquit ſuperſtites.

Superint. Comit. Katzenelnbogen. 7. Dec. A. 1651. Poſt obitum M. *Johannis Renckeri* Superintendentis, unanimibus Miniſterii Eccleſiaſtici votis, & conſentiente Sereniſſ. Principe *Erneſto Haſſiæ Landgravio*, Paſtor Eccleſiæ *S. Goarinæ*, & Superattendens Comitatûs infer. Catzenelnbogen electus, & à *Joh. Georgio Wepnero*, Paſtore *S. Goarhuſano* finitâ Concione publicè inveſtitus eſt.

Calculi doloribus frequenter obnoxius, accedente tandem æſtu febrili, & diarrhœâ gravi aliquoties recurrente, placidè in CHRISTO exſpiravit 22. April. A.C. 1658. ætatis 62. Miniſterii Eccleſ. 36. *Moritur.*

* *Ex Concione fun. M. Joh. Henrici Helleri, Eccleſ. Paſt. in Padenberg.*

Obiit A.C. 1658.

JOHANNES GEORGIUS FUCHSIUS.

Bruthi, *Marchionatûs Brand.* ſup. metropoli, natus eſt, 14. Nov. A.C. 1617. Patre *Davide Fuchſio*, Secretario Conſilii aulici, & Regiſtratore: Matre *Sophiâ, Sigismundi Berchtholdi*, Præfecti Cœnobii *Monacho-Auracenſis* filiâ.

Cum in Scholâ Patriâ & *Culmbacenſi* Linguarum Latinæ ac Græcæ fundamenta poſuiſſet egregia, 19. Maji A. 1631. introductus â Patre in Gymnaſium *Brandeburgicum*, quod *Heilsbronnæ* eſt, ſed eodem adhùc anno cum aliis alumnis â militibus *Tillianis* indè expulſus, Gymnaſium *Suinfurtenſe*, Patris juſſu, acceſſit.

A.1637. Univerſitatem *Altorfinam* adivit, ubi A. 1640. â Decano M. *Joh. Paulo Felwingero* Philoſ. Magiſter renuntiatus, inter 8. Candidatos ſecundum locum obtinuit. *Philoſ. Magiſter Altorfii.*

A.1642. Nuptias *Culmbaci* celebravit cum virgine *Barbarâ Catharinâ*, Dom. *Cornelii Schelbornii*, aulæ *Brand.* ibidem Miniſtri filiâ, poſtquàm paulò antè Gymnaſii *Curienſis* Præceptor Claſſis tertiæ, deindè Conrector, tandemque Rector fuit declaratus. *Uxorem duxit.* *Rector Gymn. Curienſis, & Culmbac.*

A. 1649. Scholæ *Culmbacenſis* Rector factus, in præſentiâ multorum Procerum & Virorum doctrinâ illuſtrium, Orationem inauguralem habuit.

27. Mart. A.1653. â Generali Superintendente D. *Chriſtoph. Althofero*, Diaconus in Eccleſiâ *Culmbac.* tertius inveſtitus, & brevi pòſt inter Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſores cooptatus eſt. *Diaconus tertius Culmbac. Conſiſtorii Aſſeſſor.*

A. 1655. Eccleſiaſtes, Inſpector & Profeſſor Gymnaſii *Heilsbronnenſis* nihil minus deſiderans declaratus, in eo munere, relicto ex conjuge filio cognomine, & duabus filiabus, vitam morte beatâ clauſit *Norimbergæ* 31. Maji A.C. 1658. æt. 41. *Moritur.*

* *Ex Concione fun. M. Joh. Friderici Dürrii, Paſtoris Weiſenbrunn.*

Obiit A.C. 1658.

WOLFGANGUS LUDOVICUS ASSUM.

Weickersheimii in Comitatu *Hoënloico* natus 24. Jan. A.C. 1590. Patrem habuit M. *Johannem Aſſum*, Superintendentem *Hoënloicum*, Matrem *Saram*, filiam Abbatis Cœnobii *Maulbronn.* in Duc. *Würtenberg.*

Cum puer bonæ indolis in Scholâ patriâ & *Oeringenſi* literarum humaniorum fundamenta poſuiſſet, A.1608. Præceptorum ſuaſu, in Academiam *Gieſſenſem* primùm ablegatus, *Jenenſem* deinceps & *Wittenberg.* acceſſit, & in hâc Gradum Magiſterii cum honore adeptus eſt. *Magiſter Wittenberg.*

A. 1614. A generoſo Comite *Hoënloico Georgio Friderico Langenburgi* Domino *Scheflersheimii* Paſtor Eccleſiæ conſtitutus, in eo munere triennium exegit.

A. 1617. *Weickersheimium* promotus, ut patrem ſenem in laboribus Eccleſiaſticis ſublevaret, poſt hujus obitum A.1619. Concionator aulicus & Superintendens denominatus, 37. annos in eo munere fideliter verſatus eſt. *Concionator aul. Hoënloicus, & Superintendens.*

A.1614. Conjugium primâ viceſubiit cum virgine *Margarethâ*, M. *Johannis Seitzii*, Eccleſiæ *Roſenberg.* Paſtoris filiâ, ex quâ 4. liberos omnes in primâ infantiâ demortuos ſuſcepit. *Conjugium ejus duplex.*

A.1639. Ad ſecunda vota tranſiit cum *Annâ Margaretâ*, Dom. *Nicolai Glaſeri*, Cellarii *Weickersheimenſis* viduâ, quæ duos ei filios peperit, *Henricum Chriſtianum* A. 1645. denatum, & *Joh. Wolfgangum*, quem Theol. Studioſum reliquit.

Cum tandem â biennio catarrhis gravibus fuiſſet obnoxius, ita ut aliquoties è ſuggeſtu domum fuerit deportatus, apoplexiâ correptus obiit *Weickershemii* 18. Julii A. C. 1658. ætatis 69. Miniſterii 44. *Obiit apoplexiâ.*

* *Ex Concione fun. Joach. Hornii, Concionat. Weickersheim.*

Scripſit & edidit:

Predigten über das Buch Eſther. *Scripta.*

Obiit A.C. 1658.

JOHANNES JOACHIMUS SCHUELINUS.

Bietigheimii, oppido *Würtenbergico*, natus eſt 5. Martii A.C. 1588, Patre *Joachimo Schuelino*, Pharmacopœo & Judicii ibidem Aſſeſſore, Matre *Apolloniâ*, *Johannis Eſthoveri*, Eccleſiæ *Calvenſis* per annos 40. Paſtoris filiâ. Apud hunc avum maternum ab A. æt. 4. educatus, A. 1600. æt. 12. in Scholam Cœnobialem *Hirſchaviæ*, & A. 1604. in Scholam *Maulbronnenſem* miſſus eſt.

A. 1605. More Academico depoſitus, A. 1606. primam Philoſophiæ Lauream impetravit. A. ſeq. 1607. *Tubingæ* inter Stipendiarios Academiæ Ducales receptus, A.1609. 22. Febr. cum laude Philoſoſ. Magiſter renuntiatus eſt. *Stipendiar. Duc. Würtenberg. Philoſ. Magiſter Tubingæ.*

Abindè Theologiæ ſtudiis deditus, mox anno ſeq. 1610. Vicarius *Gertringenſis*, & eodem adhùc anno Paſtor Eccleſiæ *Kürnbergenſis* factus eſt. *Paſtor Kürnberg.*

A.1612. Ad Paſtoratum *Malmsheimenſem*, A.1619. ad *Aurbacenſem*, in Diœceſi *Schorndorfenſi*, demùm A.1627. ad Superattendentis munus in oppido *Canſtadio* clementer vocatus eſt. *Superint. Canſtatt.*

17. Dec. A.1638. Templi Cathedralis *Stutgardiæ* Antiſtes, Conſiliarius Eccleſiaſticus, & Conſiſtorii Aſſeſſor â Duce *Würtenbergico* declaratus, in eo munere fidelis Verbi Divini Miniſter conſenuit, & variis morbis exhauſtus in CHRISTO exſpiravit *Stutgardiæ* 18. Aug. A. C. 1658. æt. 71. Miniſterii 48. *Antiſtes Stutgard. Conſiliar. Eccleſiaſt.* *Moritur.*

* *Ex Concione fun. M. Johannis Schilbelii, Paſtor. Stutgard. ad S. Leonhartum.*

In triplici vixit conjugio: 1. Cum virgine *Catharinâ*, *Viti Dümleri*, civis *Calvenſis* filiâ, quæ A. 1611. nupta, filiolum ei treſque filias peperit, omnes ei in infantiâ denatos. 2. Iterum deſponſatus A.1617. cum virgine *Margarethâ*, M. *Coſmæ Wölflini*, Paſtoris *Wendlingenſis* filiâ, 5. ex eâ filios, totidemque filias *Ejus Conjugium triplex.*

filias ſuſcepit, quos liberos omnes itidem præmiſit. 3. Viduam duxit *Annam Mariam*, M. *Mart. Hockii*, Specialis Superint. & Concionatoris in xenodochio *Stutgardienſi* relictam viduam, ex quâ filiolam reliquit ſuperſtitem.

Obiit A. C. 1658.

JOHANNES SCHMIDIUS.

Budiſſinæ, *Luſatiæ* ſuperioris urbe, lucem hanc aſpicere cœpit 20. Junii A. C. 1594. Patre *Johanne Schmid*, Pannifice, Matre *Catharinâ Buchneriâ*.

A. 1599. Cum matrem amiſiſſet, Scholæ patriæ Rectori, M. *Zachariæ Biccio*, traditus in diſciplinam, in quâ decennium conſumpſit.

A. 1608. æt. 14. Actis publicè in Scholâ patriâ gratiis, viatico â Patre vix in iter ſufficiente inſtructus, ſed DEO & Teſtimonio, quod â *Biccio* acceperat, optimo confiſus, *Halam Saxoniæ* profectus, & M. *Johannis Æſchardi*, Rectoris in Gymnaſio, benevolentiâ ſuſceptus, biennium ferè ſub ejus inſtitutione exegit, donec A. 1610. peſte ſæviente & Scholam diſſipante, honorifico teſtimonio inſtructus dimitteretur: quâ occaſione in vicinum pagum nomine Zwickher venit, & nobilis cujuſdam viduæ liberos inſtituit.

Accedit Gymnaſium Halæ Sax.

M. Majo A. 1611. *Gotham Thuringiæ* ſe contulit, & mox *Mülhuſium*, ſed cum neuter locus commorandi ſedem ipſi præbuiſſet, per *Haſſiam* ſuſcepto itinere, *Spiram Nemetum* feſti Pentecoſtes die venit, ubi M. *Abrahamus Schadeus*, Scholæ Moderator, qui prius *Budiſſæ* Cantoris officio per aliquot annos functus erat, humaniſſimè eum ſuſcepit, & effecit, ut Vidua *Rumetſchiana* in ædes ſuas eum receperit, fideique ejus tres filios commiſerit.

Spiræ Præceptorem agit.

M. Jun. A. 1612. Urbem *Argentinenſem* pedes ingreſſus, non habuit, undè ſitim levaret, niſi ex fonte, qui in plateâ publicâ gelidam aquam propinabat, cum jam durâ ſorte contentus eſſe didiciſſet.

Egenus Argentinam venit.

Ibi ultra annum & quadrimeſtre Correctoris in Officinâ typographicâ functus officio, ſtudiis nocturno maximè tempore invigilavit, cumque ſingularum Philoſophiæ partium imbibiſſet cognitionem, ſub Præſidio *Joh. Lud. Havenreuteri*, Med. Doct. & Phyſ. Profeſſor. duas *Diſputationes*, priorem *de Intellectu*, alteram *de Senſibus* externis â ſe conſcriptas publicè tam benè defendit, ut ex eo tempore plerique Profeſſores ſingulari eum complecti benevolentiâ cœperint.

Corrector typographicus.

Bis in Phyſicis diſputat.

Ex his imprimis melioris fortunæ autor ipſi extitit *Caſpar Bitſchius*, Jur. Doctor & Profeſſor, qui ipſum Urbis Conſuli *Georgio Maegio* commendavit, â quo in ædes receptus, & filiorum ipſius moderator conſtitutus eſt.

Ibidem A. 1615. inter 20. Magiſterii Philoſophici Candidatos primus ipſi locus, Decano Dom. *Walliſero*, aſſignatus eſt.

Philoſ. Magiſter creatur inter 20. primo loco.

A. 1616. Ad S. Theologiæ cultum animum appulit, & unâ ferè per biennium Collegia Logica, Phyſica & Ethica habuit, crebro uſus conſilio D. *Johannis Taufreri*, cujus etiam Collegiis Diſputatoriis privatis interfuit, ac cum provocatus hic contra *Johannem Piſcatorem* aliquot ſcriberet Diſputationes, inter eas ſecundam ſolenniter defendit.

30. Nov. A. 1617. Cum diſcipulo ſibi concredito *Joh. Jacobo Bubio*, Prætoris *Colmarienſis* filio, *Germaniam*, *Belgiam*, *Galliam*, & *Angliam* ſeptimeſtri peregrinatione perluſtravit, è quâ *Argentoratum* reverſus, inſtitutionem nobilium adoleſcentum *Joh. Chriſtoph. Spindleri* & *Chriſtophori Engelshauſeri* ſuſcepit, hoſpitio & convictu *Joh. Chriſtoph. Schillingii*, Paſtoris ad *S. Petrum* uſus.

Iter ſuſcepit per regiones exteras.

Sub exitum hujus anni ad munus Inſpectionis Collegii Prædicatorum â Dominis Scholarchis vocatus, eorum voluntati, ſuadente D. *Bitſchio*, paruit, cui officio in tertium annum præfuit, cum Vicariatum 4. ſuperiorum Gymnaſii Claſſium totidem annis ſuſtinuiſſet.

Inſpector Collegii Prædicatorum.

Cum A. 1620. â Magiſtratu *Heilbronnenſi* ad Scholæ ſuæ vocaretur Rectoratum, dimiſſionem tamen â Dominis Scholarchis, maximè â *Petro Stockio*, maximo eruditorum Patrono, impetrare non potuit, qui etiam ut tam præclarum ingenium ſibi magis vindicarent, 200. florenor. dono eum ſunt proſecuti.

M. Jun. A. 1620. Cum adoleſcentibus patritiis *Auguſtanis*, *Zachariâ* & *Emanuele Stengeliis* fratribus, ac *Joh. Georgio Lauingero* fidei & curæ ſuæ commiſſis *Tubingam* profectus, ibique menſâ D. *Thummii* uſus annum ferè exegit.

Accedit Tubingam,

A. 1621. *Jenam* iter ſuſcepit, pellectus deſiderio magni illius *Gerhardi*, quem ſeſquiannum audivit docentem, ſub ejuſque Præſidio crebras Diſputationes habuit.

& Jenam,

Hinc cum A. 1622. *Wittenbergam* proficiſceretur, non ultra quadrimeſtre ibi potuit commorari, nam ſtatim ſub initium anni 1623. ad Profeſſionem Theologiæ capeſſendam *Argentoratum* vocatus, eò 19. Febr. rediit, & cum 1. Martii in ſummo Templo Concionem habuiſſet, 25. Febr. Oratione inaugurali Profeſſionem Theologicam auſpicatus 6. Junii inauguralem pro Doctoratu propoſuit Diſputationem, & 24. Junii, qui *Johanni Baptiſtæ* ſacer, Doctoris titulum ſuſcepit.

& Wittenbergam.

Argent. Profeſſor Theol.

Doctor Theol. & Maritus.

Eodem die nuptias celebravit cum virgine *Marthâ Taufreriâ*, ex nobili *Carniolâ* familiâ natam ſorore D. *Johannis Taufreri*, Theol. ibidem Profeſſoris: ac die ſeq. Dominicâ ad Miniſterium Eccleſiaſticum ordinatus eſt.

Ex optato 35. annor. conjugio liberos ſuſcepit tres, quorum M. *Johannes Schmid*, Eccleſiæ *Schiltichheimenſis* Paſtor, paternæ virtutis & pietatis hæres fuit, alter *Chriſtophorus* paucis â nativitate menſibus obiit. Filia *Catharina* primis nuptiis *Adamo Schiffmanno* collocata, ſecundò juncta fuit *Johanni Leonharto Fröreiſenio*, Senatûs minoris Aſſeſſori.

11. Julii A. 1625. Canonicus *Thomanus* â Dominis Scholarchis nominatus, & anno ſeq. 1627. primùm Rector Academiæ renuntia-

Canonicus Thomanus. Septies Rector Acad.

Digitized by Google

nuntiatus eſt, quod munus ſepties adminiſtravit: Decanatum verò in Facult. Theologicâ ter & viceſies geſſit.

A. 1628. Superintendentis *Haſſo-Darmſtadiani* munus per literas D. *Juſti Feurbornii* Theol. Prof. *Marpurgenſis* ſibi oblatum à ſe removit.

15. Junii A. 1629. Conventûs Eccleſiaſtici Præſes electus, & 3. April. A. 1632. cooptatus eſt in Collegium Præfectorum ſtipendii *Schenckbecheriani* die *Johannis Baptiſtæ*. Ejusdem anni 14. Dec. ab illuſtri Heroë *Suevico Guſtavo Hornio Colmariam* vocatus, *Lutheranam* Religionem ibi inſtauravit, primamque Concionem magnâ hominum frequentiâ habuit.

Præſes Conventûs Eccleſiaſtici.

13. Dec. A. 1633. Præpoſitus Capituli *Thomani* fuit electus & inauguratus.

Præpoſitus Capituli Thomani.

Inter tot & tam varias occupationes A. 1643. in graviſſimum incidit morbum tàm animi quàm corporis, ſed elapſo ſemeſtri vires priſtinas per DEI clementiam recuperavit. Calculi tandem doloribus diarrhœâ & ſingultu viribus exhauſtis, inter preces adſtantium placidè exſpiravit 27. Aug. A. C. 1658. ætatis 65.

Morbi ejus, & mors.

* *Ex Programm. fun. D. Joh. Rudolphi Saltzmanni, & ex Oratione parentali D. Sebaſt. Schmidii, Theol. Prof. Argent.*

Libri ab eo editi, ſunt ſequentes:

Scripta.

36. Feſt-Predigten.

32. Buß-Predigten.

Der 127. Pſalm in 6. und der 128. Pſalm in 8. Predigten ausgelegt.

Deß Propheten Samuelis Rechten mit dem Volk Iſrael/ in 15. Predigten erklärt.

Abbildung der Gerechten und Gottloſen/ in 24. Predigten.

Zelus Pietatis, in 12. Predigten erklärt.

Agon Chriſtianus, oder Chriſtliches Ringen nach der engen Pforten der Seeligkeit/ in 12. Predigten erkläret.

Aſylum afflictorum, nach Anleitung des 90. Pſalms/ in 31. Predigten.

Vom geiſtlichen Schulbrunnen 5. Predigten/ auf deß Straßburgiſchen *Gymnaſii* Jubel-Feſt gehalten *A. 1638.*

Divitum & pauperum inter ſe occurſus, das iſt/ Predigten vom Allmoſen/ wie daſſelbe zu geben/ zu ſamlen/ zu verwalten/ zu nehmen/ und zu gebrauchen.

Ausgang aus Sodom/ Unterricht/ welcher Geſtalt ein jeder Chriſt aus der heutigen argen Welt ausgehen ſoll/ ſeine Seele zu retten.

Drey Dank-Predigten wegen der A. 1440. in Straßburg erfundenen Buchdrucker-Kunſt.

Und viel andere Predigten.

De Auguſtanâ Confeſſione Tractatus. Arg. 1630. in 4to.

Meletema Theol. de CHRISTI Aſcenſione in Cœlum, & ad dextram Patris ſeſſione.

Diſſertatio de Attributis divinis, ex I. Tim. I. v. 17.

De Peccato in genere, ex I. Joh. III. v. 4.

Trias argumentorum, Sanctorum invocationi oppoſita.

Exegeſis dicti Paulini Act. XX. v. 28.
Hebr. XIII. v. 4.

Conſideratio dicti Eſ. LV. v. 1.

Meditatio de CHRISTI Paſſione, ex Zachar. XIII. v. 7.

Exercitatio de Hæreſi Novatianâ.

Diſputatio de CHRISTI Regno Gloriæ.
de Fide Moſaicâ circa Myſterium S.S. TRINITATIS.
de Pœnitentiâ in genere.
de Baptiſmo ſuper Mortuis.
de CHRISTI ſtatu Exinanitionis.
de Contritione.
de Confeſſione Peccatorum pœnitentiali.
de Phraſi Scripturæ, quâ DEUS dicitur indurare & excæcare.

Et aliæ plures.

Libellus Repudii, ſchrecklicher Scheidbrief GOttes an alle Heuchler.

Die hauende Art Göttlichen Zorns in 6. Predigten ausgelegt.

Exegeſis dicti Luc. XI. v. 28.

Oratio Parentalis in Thomam Wegelinum.

STEPHANUS CURCELLÆUS.

Obiit A. C. 1658.

NAtus eſt *Genevæ* 6. Nonas Maji A. 1586. Patre *Firmino Curcellæo, Ambianenſi*, cujus frater *Ambiani* in ſede præſidiali Advocatus, tantum eloquentiâ valuit, ut vulgò Bouche d'or/ i.e. *Chryſoſtomus* vocaretur. Prognatus eſt matre *Abigail Cox*, avo *Michaële Coxo Pariſino*, Eccleſiæ *Genevenſis* Paſtore.

Firminus cum crudelis illa in Reformatos laniena *Pariſiis* ſæviret, indèque per alia Regni *Gallici* loca triſti contagione proſerperet, *Lugduni* in cellâ quâdam ab homine Pontificio per tres dies ac noctes occultatus ac cuſtoditus fideliter evaſit incolumis.

Stephanus verò cum patrem ſuum vix natus aut nondum natus amiſiſſet, mox conſanguineo proximo *Carolo Perotto*, Eccleſiæ *Genevenſis* Paſtori, ibidemque S.S. Theologiæ Profeſſori in diſciplinam educationemque traditus eſt.

Egreſſus autem è pueris, ubi, excuſſo Scholaſtico pulvere, animum ad res percipiendas adjungeret, ingreſſus eſt Lycæum *Genev.* ibique viros audivit præſtantiſſimos Hiſtoricos, Philoſophos, aliosque in quâvis aliâ eruditionis parte verſatiſſimos.

In illis autem ſtudiorum incunabulis impensè deditus fuit *Mathematicæ*, cujus diſciplinas *Curcellæus* pro ingenii ſui vi & ardore non primoribus labiis deguſtavit, ſed in earum intima adyta lucosq; penetravit: Cumque tunc *Renatus Carteſius* priorum inventis plurima de ſuis adjeciſſet, ejus philoſophandi rationem in multis comprobavit, penitusque in illius viri familiaritatem ſe tradidit, qui (ut æquales delectantur æqualibus,) & eum mutuo amore complexus eſt.

Matheſi operam dat Genevæ.

Aſtrolo-

Aſtrologiæ præterea, quæ rerum futurarum divinatrix dicitur, ſtudio addiſcendæ ductus fuit, cum adoleſcens eſſet *Curcellæus*, verùm re benè exploratâ, incerta omnia animadvertit, planisſimèque comperit, eas artes non cognoſcendas, niſi ut devitentur.

Theologiæ ſe totum dedit. Ad alia porrò gravioris ponderis ſtudia Theologica ab initio ætatis ſic aſpiravit *Curcellæus* noſter, ut in his ſibi verſandum, in his moriendum eſſe perpetuò duxerit, itaque in his laboribus deſudans noctes atq; dies, audivit Theologos Viros eruditos ſtudioſisſimè, ſacras inprimis literas volvebat ac revolvebat aſſiduè, nonnullos etiam eorum, qui ſacram Scripturam commentariis illuſtraverant, conſulere ſolebat; habebat inſuper delectos ſibi ſelectosque rerum Theologicarum tractatores, qui omnia, quæ in ſacris literis latiùs diffuſa continentur, ad certam quandam methodum in compendium redegiſſent.

Erat tunc temporis, cum *Curcellæus* hoc Theologiæ curriculum vix dum ingreſſus eſſet, in honore permagno *Calvinus*, aut potiùs ipſius tunc defuncti ſcripta, cui proximus erat autoritate *Beza*, duo clarisſimi ſcriptores, quorum poſterior privatim literis Græcis hunc noſtrum imbuebat.

Cum verò ad tantum jam culmen autoritas iſtorum Virorum eſſet evecta, ut univerſa penè *Anglia*, *Gallia*, *Belgica* illorum ſententiam in Religione religioſè ſequeretur, nunquàm tamen autoritas vel amor, quo & iſtos & alios Doctores plurimùm colebat, tantum effecerunt, ut, quam duriorem vocavit *Curcellæus*, *Calvini* & *Bezæ* de *prædeſtinatione* ſententiam approbaverit.

Varias Academias inviſit. Poſtquàm autem ſic in Academiâ *Genevenſi* diutiùs commoratus eſſet, profectus eſt in *Helvetiam* ad Academias *Tigurinam* & *Baſileenſem*, indèque peragratis aliis *Germaniæ* partibus, devenit *Coloniam*, inviſit *Heidelbergenſem*, ubi ſummo JCto *Dionyſio Gothofredo* uſus eſt familiariter.

Statuerat tum *Curcellæus*, Medicinæ jam etiam & jam Jurisprudentiæ non ignarus, in *Belgium* quoque profectionem ſuſcipere, verùm ferente ſic triſti quodam caſu, ad *Gallos* ſibi ſuos revertendum exiſtimavit: Celebris enim erat tum temporis *Jacobus Arminius*, S.S. Theol. Profeſſor in Academiâ *Leydenſi*, itaque *Curcellæus*, licet aliæ etiam cauſæ non defuerint, hâc tamen *Arminii* famâ præcipuè impulſus, exteros Theologos ſibi compellandos eſſe decreverat, ſed ut *Heydelbergam* usque pervenit, nuncius eò triſtis de *Arminii* morte allatus eſt; hâc igitur ſpe fruſtratus, ad ſedes ſibi patrias confeſtim profectus eſt, ibique nec ita diu pòſt Eccleſiaſtico muneri admotus A. C. 1614. Paſtor *Fontis bellaquei* conſtitutus eſt. *Paſtor Fontis bellaquai.*

Eccleſiaſtes Ambianenſis. Relicto verò circa A.C. 1521. *Fontis bellaqueo*, ad Eccleſiam *Ambianenſem* in *Picardiâ* ſitam promotus eſt, ubi Decreto, (in *Belgio* quidem tali: ut ſi quis Canonibus *Dordracenis* ſubſcriberet, is in priſtino munere ac ſtatione maneret, in *Galliâ* verò quod in Synodo *Aleſianâ* conditum erat, ſequenti, ubi adhibito ſacratisſimo jurejurando Paſtorum obſtringebantur conſcientiæ ad promiſſum chirographo ſuo ſanciendum, ſe Canones *Dordracenos* pro veris ac divinis agnoſcere, imò etiam ad extremum vitæ halitum ſe in eâ fide permanſuros) ſeſe oppoſuerunt non tantùm *Curcellæus* & *David Blondellus*, *Hondanenſis* tunc Eccleſiæ Paſtor, ſed plerique alii, omnes iſtius Diœceſeos Adminiſtri: Ibi tunc quidem juramenti illa formula diruta fuit; proximo autem anno in aliâ Provinciali Synodo novum inſtrumentum effabricati ſunt, quo omnes in illam Canonum fidem recipiendam adſtringebantur, absque juramento tamen.

Noſter verò, cum negâſſet ſe eam ſuſcriptionem manu aut mente poſſe concedere, quod ſic Remonſtrantes ſchiſmatis reos eſſe condemnandos, minimèque hominum conſtitutionibus conſcientiam obligandam, ſed ſoli DEO obſtringendam noverat, paulò pòſt ſe munere abdicavit ſuo, provocans ad Synodum Nationalem proximè *Carentone* celebrandam.

In Synodo autem illâ conſanguinei hortatores, aliique importuni interpellatores animum *Curcellæi* dubium eò tandem perpulerunt, ut conſcientiam ſuam ſacris illis quibusdam canonibus dato chirographo addiceret, ſub certo tamen conditionum temperamento. Exindè confeſtim ad Miniſterium alicujus Eccleſiæ ruralis in pago *Helmauru* fuit promotus, ac *Samueli Mareſio* prælatus, nec diu pòſt ad Eccleſiam urbicam *Vitriacenſem* totius *Campaniæ* celeberrimam evocatus, in hâc ſtatione per decennium perſeveravit ad annum nempe 1634. *Paſtor Vitriacenſis.*

Intereà verò imprimis ille ſtimulus animum urgebat *Curcelæi*, quod conſcientiam ſuam ſoli DEO ac divinæ Scripturæ obnoxiam in ſervitutem hominum ſtatutis eo uſque ſubmiſiſſet, præterea omnia ipſius etiam optimè dicta perverſè in hæreſeos ſuſpicionem, ſiniſtrâ quorundam ſuggeſtione, trahebantur; In hiſce igitur anguſtiis, re familiari non admodùm locupletatâ, mortuâ quoque jam uxore priore *Johannâ de Beaulieu le Blanc*, Matronâ nobili, ex quâ duos ſuſcepit liberos *Gedeonem Curcellæum*, in nobili *Douſarum* toparchiâ *Nordvici* Eccleſiæ Remonſtrantium Paſtorem, & *Mariam Curcellæam*, lectisſimam filiam, fugit è patriâ in *Belgium*, ubi *Lugduni Batavorum*, per tempus non ſpe lucri ad magnas licet anguſtias redactus, prælo inſerviit, *Hugonis* inprimis *Grotii* rogatu, cujus annotata in quatuor Evangeliorum codicem â mendis repurgavit, vertit & Mathematica nonnulla, deſcriptiones inprimis Geographicas, quas *Caſpar Barlæus* nonnullas confecerat in opere magno *Blaeviano*, proſecutus eſt atq; pertexuit. *Uxor ejus moritur.* *Fugit in Belgium.*

Epiſcopio ſuccedit. Cumque ibidem clarisſimus *Epiſcopius* ex hâc ſede terrenâ ad illam ſuperiorem conceſſiſſet, conſentientibus omnium ſuffragiis in defuncti locum ſuffectus eſt.

Diligentisſimè verò huic operi & ſummâ cum

cum aſſiduitate incubuit, adeò quidem, ut nec domi nec foris, neque in auditorio, neq; extra illum locum auditores ope ſua, conſilio & ſubſidio deſtitui voluerit, omnium ſcilicet ſcientiarum, quæ ad Theologiam animos præparant, Theologiæ denique ipſius graviſſimam molem humeris ſuis ſuſtinebat ſolus, orationibus, quæ ſingulis habebátur hebdomadibus, præfuit ſolus: Græcas quoque tradidit ſolus literas, quamdiu licuit. Diſciplinam morum, rerum naturalium cognitionem, rerum divinarum humanarumque ſcientiam edocuit., Aſtronomiæ quoq; cognoſcendæ rationem propoſuit, eamq; paulò pòſt, quatenus ad uſum dirigitur ſacrum, brevi complexus eſt libello.

Dictavit verò primus diſcipulis ſuis in *Epiſtolam Judæ Catholicam commentarium*, quem tamen ad finem non perduxit. Dictavit per præcipuos locos *Theologiam*, eamq; ad virtutum uſque tractationem deduxit, præterea novam quandam Diſputationum rationem tradidit, ad eandem ferè normam, quam fuerat in prælectionibus ſuis ſecutus, niſi quod multa, quæ in lectionibus erant emiſſa, hîc cumuli vice adjecerit.

Scripta. Edidit item in lucem non pauca ſcilicet: Cum de Prædeſtinationis controverſiâ diſceptatio nova inter *Moſem Amyraldum* & *Petrum Molynæum* eſſet oborta, ipſe arbitrum ſe interpoſuit ſcripto edito *Gallicè*, cui titulus: *Advis d'un Perſonnage de ſintereſſé* &c.

Aliud etiam in lucem dedit ſcriptum adverſus *Amyraldum Salmuriæ* Profeſſorem Theolog. quo ſuam & D. *Arminii* ſententiam *de Jure DEI in Creaturas* defendit.

Præterea *Novum Teſtamentum Græcum* ex antiquiſſimis codicibus emendatum, & multijugâ lectionum varietate illuſtratum, ac typis elegantiſſimis accuratiſſimè excuſum, in publicum emiſit.

Sub extremum vitæ temp⁹ evulgavit eruditiſſimũ *tractatũ de eſu ſanguinis*, quo adductis aliundè rationibus permultis probare annixus eſt, Chriſtianis, ut olim, ita nunc, ex DEI præcepto, quod *Noacho* poſteriſq; demandavit, & ex Apoſtolorũ præſcripto, quod ad omnes gentiliũ Eccleſias quaqua verſum dimiſerunt, ab omni ſanguinis eſũ abſtinendũ eſſe.

Suſcepit etiam *Davidis Blondelli* defenſionem adverſus *Mareſii* criminationes, quam præfationis vice præmiſit ei *Davidis Blondelli* diſſertationi, quâ vulgatam de Papiſſâ *Joannâ* hiſtoriam, ut fabuloſam rejici debere demonſtrat, hujus item *defenſionis defenſionem*.

Scripſit etiam *præfationes* plurimas eruditas, in quarum cenſu eminet illa, quæ in frontiſpicio *inſtitutionum Theologicarum D. Epiſcopii* conſpicitur.

Scripſit item *Epiſtolas* diverſi generis & argumenti; in his excellunt inprimis illæ, quas ſcripſit ad Illuſtr. Virum *Hugonem Grotium* de *Antichriſto*; Ad *Sorberium* de *abuſibus* ſive *erroribus Eccleſiæ Romanæ*: Ad *Adrianum Paetſium* inter JCtos Theologiæ peritiſſimum, de *idololatriâ Pontificiâ*, quàm ea ſit gravis & quouſque damnanda.

Vixit autem familiariter cum D. *Tileno*, D. *Utenbogardo*, D. *Epiſcopio*, *Corvino* aliiſq; Antiſtitibus, dum in *Galliâ* ipſis exulandum fuit; ex quorum ſermonibus verè eruditis pacem ſpirantibus ac ſperantibus, ſe & in cognoſcendâ veritate & in concordiæ ſtudio non contemnendos feciſſe progreſſus ſæpiùs cum gaudio profitebatur.

Erat præterea in illo pietas tanta, ut ſine animi demiſſione de DEO nec verba faceret. Erat temperantia tanta, ut nunquàm eum genio liberaliùs indulſiſſe auditum ſit. Nihilque hîc de zelo, prudentiâ, humanitate, gravitate dicendum: Hiſce igitur factum eſt, ut non bonorum præcipuè hominum favor eum tantùm circumdederit, ſed & illi, qui ſimultates in *Curcellæum* noſtrum fovebant, ſe palàm aut non odiſſe eum, aut etiam pro amico habuiſſe venditaverint, quod compertum eſt in *Molinæo*, *Samuele Mareſio* aliiſque. *Ejus pietas & virtutes.*

A. C. 1648. circiter veſicæ laboravit exulceratione, ſicque laboravit, ut Medici & Chirurgi nihil niſi certam mortem mox ei expectandam prænunciarent, DEUS verò, omni Medicorum ope ſuperior, eum quaſi ex mortuis redivivum dedit, ita, ut ex illâ mortis umbrâ vitam recuperârit planè novam; ex illo autem tempore diſcipulorum fœcundam progenuit ſobolem, adeò quidem, ut majorem Eccleſiarum partem novâ creſcentium indies ſurculorum propagine inſtructam & ornatam reddiderit. *Morbus.*

Quatuor ante mortem annis nullâ relictâ ſobole, altera *Curcellæi* obiit uxor, quam priori mortuæ ſuperinduxerat, *Suſanna Fleurigem*, *Vaſciaſenſis*. *Altera ejus uxor moritur.*

Tandem dum ſeptuageſimum annum jam eſſet ſupergreſſus, ad eoſdem valetudinis ſcopulos eſt revolutus, quibus anteà tanto cum diſcrimine illiſus fuerat, jam integro fermè ante mortem anno literis ad venerandam Synodum datis afflictum valetudinis ſuæ ſtatum expoſuit, ac popoſcit, ut fratres Seminario ac ſibi de Collegâ ac Succeſſore proſpicerent. Proximum autem in ſecuti temporis ſpatium in lecto & doloribus veſicæ graviſſimis tranſegit, donec anni 1657. eo ipſo die, quo nos Chriſtiani CHRISTI DOMINI glorioſam in cœlos aſcenſionem lætabundi celebramus, omni afflictione liberatus, omni cruciatuum tentamine exſolutus, animam DEO, undè data erat, in manus reddidit. *Moritur.*

Corpore poſt obitum â Medicis reſecto (quod ut fieret, haud abnuerat,) compertum fuit veſicæ paulum quiddam ſupereſſe, ejuſque loco hæreſcere ingentem calculum, qui digitorum attractu facilè atteri poſſet & confringi.

Reſtant præter jam dicta â *Curcellæo* ſcripta edita:

Inſtitutio Religionis Chriſtianæ 7. libris comprehenſa. *Scripta.*

Tractatus de Eccleſiâ JESU CHRISTI.

Diatribe in loc. Pauli 1. Tim. 3. de Jure DEI in creaturas innocentes.

Qua-

Digitized by Google



ABRAHAMUS TELLER.
Theol. D. Lipsiensis.



IOHAÑES MICRÆLIUS.
Theol. Prof. Stetini.


MICHAEL RENGERUS.
Concionator Rotenb:



IOHAÑES CROCIUS.
Theol. Profes. Marburg.


MELCHIOR NICOLAI.
Theol. D. Tubing.


IOH. GEORG. DORSCHÆ.
Theol. D. Rostock.



DANIEL SCHMID.
Ecclesiastes. Posoniens:


CHRISTOPH. ALTHOFER.
Gen. Superint. Culmbac.


IEREMIAS ALBERTI.
Concionat. Primar. Erfurt.



GEORGIUS HAUFFIUS.
Ium. Archidiac. et Sen. Nördling.



IOH. GEORG. HARTMANN,
Concionator Rotenb.


IOHAÑES HÜLSEMAÑ.
Theol. D. et Prof. Lipsiens.


WOLF. JACOB. MÜLLERUS.
Theol. Norimb.


IOH. BALT. SCHUPPIUS
Theol. D. Hamburg.


MICHAEL WALTHERUS.
Superint. Gen. Brunsvic.


CHRISTOPH. MÜLLERUS
Superint. Marchionat. [illegible]

Digitized by Google

Quaternio diſſertationum 1. de vocibus Trinitatis.
2. de Peccato originis.
3. de Neceſſitate cognitionis Christi.
4. de hominis per fidem & per opera juſtificatione.

Synopſis Ethices.

* *Ex Oratione Funebri Arnoldi Pœllenburgii Operibus Curcellæi præfixa.*

Obiit A.C. 1658.

HIERONYMUS HOLLIUS.

MUndum ingreſſus eſt in pago Herleſtegen/ urbi *Norimbergenſi* vicino 18. Oct. A.C. 1613. Patre *Johanne Hollio*, *Auguſtano*, Matre *Anna*, *Jodoci Kobmanni*, civis *Eglauſſteinenſis* in *Palatinatu Neoburg.* filiâ.

Diſcipulus Norimbergæ in Scholâ Laurent.

Puer poſt obitum Patris *Norimbergam* miſſus, in Scholâ *Laurentianâ* per octennium ſtudiorum fundamenta poſuit, & ope Patroni ſingularis, Dom. *Sebaſt. Scheurelii*, Patritii, ſtipendium annuum 40. florenorum ad ſtudiorum ſubſidium obtinuit.

A. 1633. In Acad. *Jenenſem* cum literis commendatitiis M. *Joh. Sauberti*, Concionat. *Laurentiani* ad Dom. D. *Johannem Gerardum*, Theol. Profeſſorem diſcedens, per quinquennium ibi ſubſtitit, & menſâ cum *Muſæo* D. *Gerhardi* feliciter uſus 30. Jan. A. 1638.

Magiſter creatus Jenæ.

Magiſterii Gradu inſignitus, inter 8. Candidatos primum locum cum laude obtinuit.

Sed cum ſumptus ad ſtudiâ defeciſſent, eodem adhuc anno *Noribergam* reverſus, in quintum ibi annum filiorum trium Nob. Dom. *Viti Engelbarti Holtzſchucheri* Præceptorem egit.

Diaconus Werthemii.

A. 1643. *Werthemium* ad Diaconi munus in locum M. Joh. *Melchioris Göbelii* vitâ defuncti vocatus & legitimè ordinatus, huic muneri per ſeptennium cum laude præfuit.

A. 1650. Ad Eccleſiæ Paſtoratum *Munckhemium* in Comitatu *Hoenloico* acceſſitus, M. *Bernhardo Hartmanno* per 35. annos ibidem Paſtori ſucceſſit.

Halæ Suevor. Concionator, & Scholarcha.

A. 1651. *Halæ Suevor.* vocante Senatu, Subdiaconus primùm ad *S. Michaëlem*, deindè A. 1652. poſt obitum M. *Johannis Georgii Wibelii*, Concionator, Decanus, Conſiſtorialis, & Scholarcha conſtitutus, in eâ functione ad vitæ ſuæ finem verſatus eſt.

Intereà 5. Miniſterii Candidatos ritu Apoſtolico ordinavit, 12. Capitulares Eccleſiis vicinis inauguravit, & 7. Viſitationibus interfuit, nec minus ultimo triennio S. Theologiam & Linguam Hebræam in Gymnaſio *Hallenſi* publicè docuit.

Theol. & Ling. Heb. Profeſſor.

Conjugium ejus, & liberi.

10. Dec. A. 1643. Conjugium iniit *Werthemii* cum virgine *Annâ Margarethâ*, *Philippi Kaufmanni*, Mercatoris & Senatoris ibidem filiâ, ex eo conjugio duos filios in infantiâ denatos, & 4. filias ſibi ſuperſtites ſuſcepit.

Moritur.

Variis tandem morbis, aſthmate, calculo, & hydrope conſumptus, accedente catarrho apoplectico, in CHRISTO exſpiravit *Halæ Suevorum* 12. Oct. A.C. 1658. ætatis 45.

Itane Cita Mors fIDeLIbVs eſt bona ſors?
O DoLor!
HIeronyMVs HoLL obIIt,
HaLenſIs DIœCeſeos ECCLeſIaſtes & DeCanVs, CeLebre
DoCtrInæ & ſapIentIæ LVMen.

Diſtichon Palindromum M. *Joh. Jac. Weidneri.*

Marticolas ego nil metuo nunc poſtmodò, Cœlo
Aurea Pax, Cœli ſunt ſine litigio,
Recurſus Palindromi,
Litigio ſine ſunt Cœli, Pax aurea Cœlo,
Poſtmodò nunc metuo nil ego Marticolas.

* *Ex Concione fun. Joh. Wolfgangi Weidneri, Concionat. Hall.*

Obiit A.C. 1658.

ABRAHAMUS TELLERUS.

Parentes ejus.

IN hanc lucem natus fuit *Wurtzenæ*, *Miſniæ* oppido 17. Jan. A.C. 1609. Pater ipſi fuit *Romanus Teller*, civis honeſtus, & Senatui *Lipſienſi* â coëmendâ cereviſiâ, literatorum Fautor ſingularis: Mater *Maria*, *Abrah. Brodkorb*, civis & lanii *Wurtzenſis* filia.

Hi parentes filiolum, cum jam balbutire inciperet, informationi in Scholâ patriâ M. *Adriani Töpferi*, Rectoris, & *Johannis Pfeiferi*, Cantoris commiſerunt.

In Gymnaſio Portenſi ſtudia ordiuntur.

12. Oct. A. 1622. in Gymnaſium *Portenſe* miſſus, ibi per ſexennium commoratus ſub manuductione M. *Juſtini Bertuchii*, Rectoris, & reliquorum Collegarum, eos in Linguis Cardinalibus, Hebraicâ præſertim, artibus Logicis, omnique politiori Literaturâ fecit progreſſus, ut, qui pelago Academico ſe credere poſſet, aptus judicaretur.

Lipſiam accedit.

A. itaque 1628. in Academiam *Lipſienſem* veniens, poſtquàm ultra ſeſquiannum menſâ communi fuiſſet uſus, privati Præceptoris ornavit ſpartam primùm in domo D. *Samuelis Mosbachii*, J.C. & Prof. Publ. per biennium, deindè apud D. *Caſp. Mich. Welſchium*, Judicii Elect. Aſſeſſorem, cujus fratrem *Gotfridum Welſchium*, poſteà Med. D. & Prof. Publ. in ſtudiis informavit: Poſteà apud D. *Andream Bauer*, Ling. Hebrææ Profeſſorem & Archidiaconum ad *S. Nicolaum*: tandem in ædibus D. *Caſp. Boſii*, Senatoris & ædilis *Lipſienſis*, factus ipſius filii *Gotfridi Chriſtiani Boſii* Præceptor privatus.

Privatâ verò in ſtudiis Academicis adjutus fuit informatione M. *Andreæ Kunadi*, poſteà Theol. Doctoris & Profeſſoris *Wittenberg.* ſui quondam in *Portâ* condiſcipuli.

Lectiones verò publicas Dom. Profeſſorum tum Philoſophorum, utpotè M. *Hieron. Recklebenii*, & Licent. *Philippi Mülleri*, Senioris Academici, tum Theologorum, videlicet D. *Johannis Hoppneri*, & D. *Henrici Hopfneri* frequentavit, ad cujus ultimi pedes non in prælectionibus tantùm publicis, ſed & privatis aliquot Collegiis, etiam in officio Eccleſiaſtico Diaconi ad *S. Thomam* conſtitutus ſedit.

Magiſter Philoſ.

Primum in Philoſophiâ gradum accepit A. 1629, quem ſupremus Magiſterii A. 1631.

Varia Collegia aperuit. excepit. Sequentibus annis ipſe quoq; Collegia privata Ebraica, Chaldaica, Syriaca, & Theologica, Diſputatoria & Concionatoria, Facult. Theologicæ aperuit.

Wittenbergam diſcedit. A. 1633. *Wittenbergam* abiit, auditurus non tantum *Martinum Troſtium*, Ling. Hebr. Chaldaicæ & Syriacæ Profeſſorem, ſed etiam Theologos D. *Paulum Röberum*, concivem ſuum, & D. *Joh. Hülſemannum*.

Baccalaur. Theol. Redux *Lipſiam* factus, ſtudio Theologico totus incubuit, primamque Lauream A. 1634. obtinuit, unà cum 8. Competitoribus, inter quos præminuit D. *Chriſtoph. Bulæus*, Superintendens poſteà *Dreſdenſis*, & Synodi Electoralis Aſſeſſor.

Hunc gradum ab eo tempore tum continuando Collegia Theologica privata, tum diſputando publicè ſub Præſidio D. *Henrici Hopfneri* & D. *Chriſtiani Langii*, Theol. Profeſſor. tum ferè per annos 24. in Diſputationibus publicis opponendo ſtuduit ornare.

Rector Scholæ Thomanæ. A. 1637. 16. Febr. Senatus *Lipſienſis* ad Rectoratum Scholæ *Thomanæ* vocavit ipſum, ſed brevi pòſt 14. Sept. ad Diaconatum *Thomanum* infimum promovit, *Diaconus Thom.* ex quo A. 1643. ad medium adſcendit, & cum D. *Ananias Weberus* ad Eccleſiam *Uratislavienſem* A. 1645. vocaretur, vacantem in Miniſterio locum obtinuit, Archidiaconus ad *S. Nicolaum* per translationem factus. *Archidiaconus ad S. Nicol.*

Tandem cum A. 1657. per beatam analyſin Superintendentis D. *Chriſtiani Langii* Paſtoratus in Templo *Thomano* vacare cœpit, *Paſtor Eccleſiæ Thom.* ad eundem prævià Senatûs vocatione, & denominatione ab Electore *Sax.* fuit evectus.

Aſſeſſor Conſiſtorii. Huic acceſſit paulò pòſt Aſſeſſura in Conſiſtorio poſt obitum immaturum D. *Joh. Bened. Carpzovii*. Has Functiones publicas Doctoratûs gradus 8. Julii A. 1658. ipſi cum *Doctor Theol.* tribus aliis Competitoribus ſolenniter collatus coronavit.

Nubit. 8. Junii A. 1637. Sponſalia *Lipſiæ* celebravit cum virgine *Dorotheâ*, *Caſparis Bierlingii*, civis & Mercatoris honeſti relictâ filiâ, ex quâ 10. pignora ſuſcepit, duos filios, *Abrahamum* in cunis extinctum, & *Romanum*, Legum ſtudiis deditum: ex 8. filiabus *Regina Eliſabetha*, *Johanna Magdalena*, *Margaretha Sabina*, *Johanna Eliſabetha*, & *Catharina Maria* dudùm, *Urſula* verò *Catharina* Dom. *Chriſtophoro Platzio*, *Auguſtano* Mercatori A. 1656. jugalis addita, Dominum Parentem prius Avum factum antevertit, *Dorothea Maria*, & *Anna Roſina* puellæ manſère ſuperſtites.

JESU amator Symboli loco uſus eſt hoc diſticho, quod etiam Libris amicorum ſibi à Studioſis oblatis inſcribere ſolitus eſt:

Symbolum ejus.
In JESU mea vita meo, mea clauſula vitæ
Eſt, & in hoc JESU vita perennis erit.

Pulpito verò ſuo, in quo ſtudia tractavit, hos verſus inſcripſit, & ſubindè in oculis habuit:

Exitus in JESU eſt introitusque Meo.
Exitus in JESU ſit reditusque Meo.

Quartanâ per 9. menſes colluctatus, tandem poſt bidui languores & dolores à JESU ſuo, cui ſe totum addixerat, in placidum ſomnum ſedulus & in ſempiterna gaudia receptus eſt 5. Nov. A. C. 1658. æt. 50. *Moritur.*

* *Ex Programm. fun. Rect. Lipſ. & ex Conc. fun. D. Joh. Hülſemanni.*

JOHANNES MICRÆLIUS.

Obiit A.C. 1658.

INtromiſſus fuit in mortalitatem *Cöslini*, *Pomeraniæ* oppido 1. Sept. A.C. 1597. Patre *Joachimo Micrælio* ibidem Archidiacono, Matre *Margarethâ*, filiâ *Laurentii Krügeri*, Paſtoris Eccleſiæ *Jamundenſis*, qui raro *Parentes ejus.* vivacitatis exemplo ætatis ſuæ annum 99. aſſecutus 80. è poſteris vivus ſalutavit.

Puer, auſpiciis *Jacobi Volfii*, Scholæ patriæ Rectoris, ſtudiorum curſum inchoans ad Muſicum, Græcæ Linguæ & Poëſeos ſtudium peculiari naturæ concitatione ferebatur. A. 1611. Permiſit ei Dom. Parens, cum Dom. *Georgio Meſſerſchmid*, Concionatore aulico *Franciſci* Ducis *Pomeraniæ*, *Dresdam* digredi, & funebrem Elect. *Sax. Chriſtiani II.* pompam ſpectare, quâ occaſione technothecam *Dresdenſem*, machinarum artificioſarum varietate refertam, attentis oculis luſtravit, & non pauca in chartulas ſuas conſignavit. In patriam reverſus, triennio integro adhùc ſubſtitit.

A. 1614. æt. 17. Pædagogio *Stetinenſi* civem dedit, & commiſſus fuit privatæ curæ *In Gymnaſio Stetinenſi ſtudiis operam dat.* M. *Joachimi Pretorii*, Archidiaconi, Theol. & Hebr. Linguæ Profeſſoris, ex cujus Bibliothecâ plurima uſui ſibi futura excerpſit.

Publicè autem uſus eſt ibidem operâ M. *Hunichii*, tunc Gymnaſii Rectoris, M. *Kilmanni*, & M. *Koblii* Philoſophiam docentium. A Dom. D. *Daniele Cramero* Theologiæ fundamenta ita feliciter imbibit, ut paulò ante diſceſſum ſuum ſub Præſidio prædicti M. *Pretorii* publicè defungeretur Diſputatione *de DEO Uno & Trino*. *Diſputationem Theol. habet.*

A. 1617. Juſſu patris *Regiomontanam* Academiam adire cogitans, commodum invenit comitem *Philippum Frenckingium*, Elect. *Brandenburgici* Secretarium, cum quo *Regiomontium adit.* *Dantiſco* illùc concedens, dicto *Frenckingio* in transferendis è *Germanico* actibus judicialibus, qui in tribunali *Polonico* non niſi Latinè recipiuntur, elegantem operam navavit. Solertiam ſuam illi Academiæ probavit, cum per integrum diem ſub M. *Chriſtoph. Eilardo* de *Veritate transſcendentali Metaphyſicâ* ſolenniter diſputavit. *Metaphyſicè diſputat.* Tunc duobus nobilibus *Boruſſis à Kreutzen Poloniam* ingredi volentibus præficiendus erat director, niſi geminata parentum funera conſilium interpellâſſent: *Parentes amittit.* intra enim hebdomada mater ex animi mœrore contabeſcens, & maritum ſecuta, filio luctuoſi itineris neceſſitatem impoſuit, qui navi *Gryphiswaldiam* molitus, & à tempeſtate ac inuſitato maris æſtu interceptus, vix uno digito à morte remotus erat.

Non multò pòſt *Lucas Puſchen*, Senator & Mercator *Gryphiswaldenſis* primarius ad Ephoriam

Digitized by Google

phoriam filii ſui *Johannis*, Patritii & hæreditarii in *Horſt* vocavit eum, cujus ſtudia & iter direxit, *Hamburgum*, *Roſtochium*, *Wiſmariam*, & *Lubecam* cum eo luſtrans.

Indè *Stetinum* & *Cöslinum*, ut rationibus ſuis familiaribus proſpectum iret, mox & *Gryphiswaldiam* repetens, Theologorum celebrium *Crakevitii*, *Batti* & *Maſchovii* Collegiis ſedulus interfuit, & A. 1621. Laureâ

Magiſter Philoſ.

Magiſtrali coronatus, inter 4. Candidatos primum locum obtinuit, quem actum Diſputatione *de Meteoris præſidendo*, quam agnatus ipſius *Joach. Micrælius* reſpondendo defendit, feliciter coronavit.

A. 1622. Nobil. Dom. *Hemmingii* ab *Oſten* filiis *Henrico* & *Henningio* præpoſitus, cum

Lipſiam venit.

iis *Lipſiæ* in convictu D. *Joh. Ruperti Sultzbergeri*, Medici, aliquandiu ſubſtitit, & eorum ingenia juſtis ſtudiis exaſciavit, donec Dom. Parentis arbitratu illinc A. 1623. *Wittenbergâ*, *Guterboco* & *Berolino* domum ſalvi ſunt reducti.

A. 1624. *Lipſiam* repetens, ſtudia Theologica urſit, & eodem anno in Gymnaſium

Profeſſor Eloquentiæ.

Stetinenſe Regium ad Eloquentiæ Profeſſionem vocatus, eam cum laude per triennium adminiſtravit.

A. 1627. Ibidem in Scholâ Senatoriâ ad Rectoratum in locum M. *Lolæi* per 50. an-

Rector Scholæ Senat. Stetin.

nos Rectoris emeriti viventis adhùc ſurrogatus eſt. Paulò pòſt 16. Julii in thori ſociam ſumpſit virginem *Sophroſynem*, M. *Joachim Prætorii*, hoſpitis anteà ſui filiam, quam anno ſeq. puerperam cum infante mortuam extulit.

Conjugium ejus duplex.

Huic ſuffecit A. 1630. virginem *Sophiam*, M. *Davidis Reutzii*, Superintendentis Generalis & Concionatoris *Stetini* aulici filiam, quæ ipſum 5. filiorum & 3. filiarum fecit parentem.

Sed præter duos liberos ſuperſtites omnes mortalitatis cenſum ante parentem perſolverunt. Filiam *Sophiam Gabriel Millies*, Patritius & Mercator *Stetinenſis*, in conjugium

Duo filii.

adſcivit A. 1657. Filius *Joachimus* ex Academiâ *Roſtochienſi* â patre paulò ante obitum revocatus, abindè Theologiæ ſtudio vacavit.

Nec deſeruit indolem major natu filius *David Micrælius*, qui Secretarius bellicus Baronis *Uxelii* A. 1656. â *Moſcovitis* ad *Rigam* captus, *Kockenhuſæ* in caſtris ex dyſenteriâ diem obivit. Horum Mater cum nono partui incumberet, unà cum fœtu maritum deſeruit 10. April. A. 1641.

13. April. A. 1642. Reginæ *Sueciæ Chriſtinæ* juſſu, Cathedram aperiente Comite ac Legato *Suecico Johanne Oxenſtirnâ*, in Regio

Rector Stetinenſis, & Philoſ. Profeſſor.

Pædagogio *Stetinenſi* poſt obitum M. *Martini Leuſchneri* Rectoratum cum Philoſophiæ Profeſſione capeſſivit.

Ad ipſius etiam inſtantiam Juris, Medicinæ, & Mathematum Profeſſores primi Gymnaſio huic donati & communis menſa pro Studioſis pauperibus reſtituta fuit. 20. Sept.

Conjugium tertium.

ejusdem anni 1642. *Stetini* tertias nuptias cum virgine *Catharinâ*, M. *Mich. Hecken*, Superintendentis *Primislavienſis* filiâ celebravit, & tria liberorum paria, 3. filios, totidemque filias, omnes ſibi ſuperſtites ex eâ ſuſcepit.

Doctor Theol.

A. 1649. Liberalibus ſumptibus Regiis in Academiâ *Gryphicâ* Doctorales in Theologiâ honores induit, ex quo Profeſſionem

Profeſſor Theol. Stetini.

Theologicam Philoſophicæ in Gymnaſio *Stetinenſi* conjungere juſſus obtemperavit.

A. 1653. Cum Dom. Præſide *Lillienſtromio*

A Reginâ Sueciæ ad Colloquium admiſſus.

Sueciam adiit, ubi â Reginâ ad Colloquium admiſſus, & gratioſiſſimâ munificentiâ domum remiſſus eſt. A. 1656. cum tres Theologiæ, & duo Juris Doctores in Academiâ *Gryphiswaldenſi* ab Illuſtri Dom. Legato *Oxenſtirnâ* proclamandi eſſent, D. *Micrælius*

Pro-Cancellar. Gryphiswald.

Pro-Cancellarii munere cohoneſtatus, ejus vices ſubivit, & ſingulari cum gravitate de hodierno Atheiſmo & aliis memoriter perorando Actum illum auguſtiorem reddidit.

Cum â primâ ætate ſanitate per DEI gratiam integrâ gaviſus eſſet, ultimo demùm triennio variis affectibus nephriticis colluctari cœpit, cumque ultimo menſe idem hic morbus cum contumaci Iſchuriâ totalique urinæ ſuppreſſione repedaret, & ipſi capitale jus in vitam ac partes vitales vendicâret,

Mor. ex urinæ ſuppreſſ.

hoc interno tortore tandem extinctus eſt, quatenus extingui poterat 3. Dec. A. C. 1658. ætatis 62.

Annum emortualem nomine ſuo expreſſit Iohannes MICræLIVs, D. Undè hoc ipſi Diſtichon in Epicediis adſcripſit *Martinus Cöllerus*, J. U. Cult.

Anno, Micræli, moreris quem nomine prodis:
Quis curæ cœlo te neget eſſe tuo?

Philippus Palovius Rugenus. Pom. hoc eidem compoſuit *Epitaphium:*

Epitaphium.

MICRÆLIUS quaſi Μικρὸς ἥλιος.
FLaVVs In hoC bVſto pVLVIs tegit oſſa MICræLI,
ParVVs at Vt ſoL, ſIC gLorIa LaVsqVe nItent.

* *Ex monumento literario D. Henrici Schævii, Græcæ Ling. & Poëſ. Prof. & ex Concione fun. D. Joach. Fabricii, Theol. Prof. & Vice-Superintend.*

Elenchus Librorum & Scriptorum *Micrælianorum.*

I. In *Philoſophicis* & *Philologicis.*

Scripta.

Carmen Heroïcum de optimâ formâ ex lib. penult. Polit. Ariſt. Stetini A. 1616, hab.

Oratio de Animâ, an ſit tota in toto & in quâlibet ejus parte, hab. Gryphiswaldiæ A. 1621.

Oratio de S. S. TRINITATE, habita Lipſiæ in Templo Paulino A. 1623.

Oratio de Statione Literatis non deſerendâ, in turbis publicis habita A. 1627. loco Valedictoriæ ex Pædagogio Stetinenſi.

Oratio de Vitâ hominum doctorum incomparabiliter beatâ habita loco Introductoriæ ad Rectoratum Stetinenſem.

Encœnia Scholæ Senatoriæ renovatæ A. 1628.

Pomeris, Tragico-Comœdia, unà cum Partheniâ Pomeridos continuatione.

Agathander cum Sebaſtâ vincens, & cum virtutibus triumphans.

Actus Oratorius de Paſſione DOMINI *noſtri* JESU CHRISTI.

Oratio de Morbis & Remediis animorum, quæ fuit introductoria ad Rectoratum A.1642.

Drama Orat. Apocalypticum de Michaële adverſùs Belialem, ejusque ſocios pugnante & triumphante A.1646.

Lexicon Philologicum.

Lexicon Philoſophicum.

Intimationes funebres ab A. 1642. N.207.

Oratio funebris in Exequiis Bogislai XIV. memoriter habita A. 1654.

Alia in Exequiis Caroli Ludovici, Com. Palat. memoriter habita anno eodem.

Progymnaſmata Aphthonii explicata & illuſtrata.

Tractatus de Copiâ Rerum & Verborum, cum praxi continuâ præceptorum Rhethoricor.

Plauſus ad Carolum Sueciæ Regem victorem ex Poloniâ reducem Carm. Heroico A. 1657.

Diſputatio Metaphyſica de Veritate Tranſcendentali, Præſide M. Eilhardo, Regiomonti haita A.1618.

Alia de Intelligentiis, Præſide M. Trygophoro habita Gryph. A. 1619.

Diſputatio de Monarchiâ Romano-Germanicâ, Præſide eodem A. 1620.

Diſputatio de Meteoris Reſp. Joach. Micrælio agnato A.1621.

Decas Diſcurſuum Ethicorum Ariſtot. ſtylo.

Theſes Philoſophicæ de Methodo in Diſciplinis.

Diſputatio de inauditâ Philoſophiâ Joh. Baptiſtæ Helmontii.

Tres aurei libri Ciceronis de Officiis in Theſes & Quæſtiones redacti.

II. In *Hiſtoricis* & *Mathematicis*.

Syntagma Hiſtor. Mundi.

Syntagma Hiſtor. Eccleſiaſticæ.

Syntagma Politicum cum Catalogo Hiſtoricorum.

Pommeriſche *Chronicon 6. lib. edit.*

Archelogia cum experimentis tribus.

Diſputatio de Juſtitiâ & Jure, Reſp. Barone Alberto Sedlintzky, habita A. 1637.

Demonſtratio Innocentiæ D. Fabr. adverſùs M. Meierum, cum hiſtoricâ Controverſ. de Viſionibus extraord. relatione.

Diſputatio Politica de Subjecto Majeſtatis.

Regia Politici Scientia.

Tabellæ Hiſtoricæ, ad millen. & ſecularia Regnorum & Rerumpublicar. tempora dijudicanda neceſſariæ.

Arithmeticæ, uſus Globorum & Tabular. Geographicar.

III. In *Theologicis*.

Diſputatio de DEO Uno & Trino, Stetini Præſide M. Pretorio habita A. 1616.

Diſput. duæ de B. O. ſub D. Maſcovio habitæ Gryphiswaldiæ A.1619.

Diſputatio de Matrimonio & Materiis cognatis, Præſide D. Henr. Höpfnero Lipſiæ habita A.1623.

Catechiſmus-übung / in kurtze Fragen und Antwort aus dem Catechiſmo Lutheri.

Ethnophronius contra gentiles de principiis Religionis Chriſtianæ.

Diſputatio inauguralis de Liberi Arbitrii naturâ & viribus, habita Gryphiswaldiæ, Præſide D. Volſchovio A. 1649.

Diſputationum adverſùs Heterodox. Calvini de Prædeſtinatione decades II.

Diſput. adverſùs Heterod. Calv. in doctrinâ de CHRISTO*, Decades II.*

Ethnophronii Continuatio contra Judaicas Cœleſtis Verit. depravationes.

Diatribe Apoſt. Com. Gerhardi Truchſes de Wetzhauſen/ *Lat. & Germ.*

Antwort-Schreiben auf deſſelbigen Sendſchreiben.

Tertia Parænesis ad Comitem prædictum, cum Refutat. Reddit, Jeſuitæ.

Conſilium Theolog. Quid de Religione in Comitiis Germ. præcipuè conſiderandum?

Orthodoxia Lutherana in quæſtionibus de ſalute hominum, contra D. Bergium.

Soliditas Orthodoxiæ Lutheranæ, contra Joh. Bergium.

Judicii Reddiani, contra Micrælium iniquitas.

Monſtroſæ Opinionis P. Perrerii, Script. Gallici, de Præ-Adamitis abominanda fœditas.

De Meſſiâ promiſſo, contra Judæos.

MICHAËL RENGERUS.

Obiit A.C. 1659.

ROtenburgi ad *Tubarum* natus eſt 4. April. A.C. 1584. Patre *Georgio*, Piſtore, matre *Annâ Guntzlinâ*. Cum in Scholâ patriâ 7. Sept. A. 1592. introductâ Claſſes pertranſiviſſet, A. 1606. Academiam *Argentinenſem* adiit, & biennio pòſt *Altorfinam*, ſtudio Theologico inprimis deditus.

Præceptor Claſſicus. Finito curſu Academico reverſus in patriam A. 1612. mox Præceptor tertiæ Claſſis â Conſiſtorio Theologico conſtitutus eſt.

Maritus. Eodem anno nuptias celebravit cum virgine *Annâ Mariâ*, M. *Georgii Schnepfii* relictâ filiâ, ex quâ 2. filios & 2. filias ſuſcepit, ſed unicum tantùm filium poſt fata reliquit, *Joh. Wolfgang. Rengerum*, Xenodochii in patriâ præfectum.

Eccleſ. Paſtor Bettwariæ, & Ottelshovii. A. 1615. Ad Verbi Sacri Miniſterium legitimè vocatus, examinatus, & ordinatus biennio *Betwariæ*, biennio *Ottelshovii* Eccleſiæ Paſtorem egit.

Concionator Rotenburgi. In Patriâ deinceps biennio Eccleſiæ Diaconi, 37. annis Concionatoris meridiani ac veſpertini, & iterum per biennium in xenodochio functus eſt officio.

Rude donatus. Ob ſenium tandem viribus exhauſtus, â Magiſtratu ſuo rude donatus, 18. Julii A. 1658. in ultimâ ſuâ Concione cœtui ſuo valedixit, & inclyto Magiſtratui pro cunctis ſibi exhibitis beneficiis gratias egit. Catarrho ſuffocativo demùm correptus, in CHRISTO exſpiravit 1. Febr. A. C. 1659. *Moritur.* æt. 75. Miniſt. 46.

* *Ex Concione fun. Simon. Jacobi, Diaconi Rotenburg.*

JOHANNES KUFNERUS.

Obiit A.C. 1659.

PReſſati, *Palatinatûs ſup.* oppido, natus eſt, die 6. Januarii A.C. 1606, Patre *Johanne Kufnero*, in patriâ primùm Cantore, deindè Gymnaſii *Sultzbacenſis* per 21. annos Con-

Conrectore, *Herſprucci* tandem in exilio A. 1628. denato. Matrem habuit *Magdalenam Kobeſianam*, Eccleſiæ *Preſſatenſis* Paſtoris filiam.

Sultzbaci ſtudiis initiatur. Vix unum in Patriâ exegit annum, cum unâ cum Parentibus *Sultzbacum* ejectus, & quaſi cum iſtis iſtò evocatus Gymnaſium ibi offendit florentisſimum, cujus tunc celebritatem augebant Præceptores ac Profeſſores M. *Planckius Rector*, M. *Strobelius* Senior, *Matthæus Zuberus*, Poëſeos, *Kirchmayerus* Oratoriæ, & proprius illius Parens Græcæ Linguæ Profeſſores.

Ibi inter diligentiæ ſimul & obedientiæ cancellos gnaviter in ſuorum ſtudiorum decurrens ſtudio brevi effecit, ut mox ad altiora applicare animum, & tam in meditationibus Rhethoricis, quàm diſceptationibus Dialecticis deſudare potuerit.

Argumento ſunt non tantùm illuſtria Principis prœmiâ, id eſt, Libelli pro more ſuis defuncto partibus tum dono dati, & Dom. Rectoris evidenti inſigniti teſtimonio, ſed etiam unanime ſuorum Præceptorum, quo dignus, ut ad exteras transferretur Muſas, habitus fuit, judicium.

Altorfii Theol. ſtud. A. C. 1623. Patrios relinquens lares, ad *Altorfina Noricorum* Muſarum aſtra perrexit, in quibus inceptam ſtudiorum telam pertexere conſtanter ſuſtinuit, publicas Publicorum Profeſſorum Theologorum ac Philoſophorum operas attentè audiendo, audita recondendo, recondita ruminando, ruminata ad uſum transferendo.

Poſtquàm enim piâ propenſione in S. paginarum ferebatur ſtudium, in illarum lectione ac meditatione non minimum collocavit ſtudium, quod allevavit exacta Græcæ & Hebrææ Linguar. cognitio. Quantum verò temporis terere conceſſum erat, publicâ virorum in Theologiâ celebrium, Dn. D. *Königii* & M. *Cornelii Marci* uſus eſt informatione.

Jenæ Theol. ſtud. Elapſo deindè tempore annuo, *Noricam Salanâ* commutare viſum fuit, ſuiſque ſtudiis admodùm fore conducibile: cui propoſito ſtimulos addebat ingens Magni *Gerhardi* fama, præter quem viros ibi offendit in omni eruditionis Facultate celebres, nimirum in Theologicis D. *Majorem* & D. *Himmelium*, Profeſſores Publ. in Philoſophicis *Stablium* Logices, & *Schleevogtium* Linguarum Profeſſores: quorum ad pedes & ſubſellia, partim privata frequentando, partim publica illorum adeundo exercitia, tum humaniorem Philoſophiæ, tum diviniorem Theologiæ ſapientiam imbibit.

Philoſ. Magiſter. Profeſſorum verò ac Præceptorum benevolentiam ipſi reddidêre procliviorem partim in ſtudiis diligentia, partim iſtornm erga bonos bona propenſio: quarum illa effecit, ut cum vigeſimum vitæ attigiſſet annum, ſub M. *Ænetio Prætorio* id temporis Facult. Philoſophicæ Adjuncto, ad ſupremam in Philoſophiâ dignitatem admiſſus, hæc verò, ut loco ſemigratuito, ut vocant, cohonoratus, ſicut anteà diſcendo, ita docendo perrexiſſet ſtrenuè, plurium tàm diſcipulorum Academicorum, quàm Dom. Profeſſorum filiorum ipſi concredita fuerit cura & informatio, quibuſcum reliquas *Saxoniæ* Academias viſitavit.

Cum enim *Halæ Saxonum* aliquandiu ſubſiſteret, binis Dom. D. *Jeremiæ Reichsbelmii*, Syndici & Conſiliarii *Halæ Sax.* filiis ad informationem fuit præfectus: cum quibus *Leucoréam* adire cupidus Sereniſſ. *Auguſto*, Principi *Palat. Sultzbacenſi* tunc ob Religionem *Halæ* in exilio quaſi degenti innotuit.

Hîc deindè *Byruthi* etiam per aliquod tempus vitam ducere coactus, *Chriſtiano* Marchioni *Brandeburgico Kufnerum* de meliori notâ recommendando, & apud Doctores *Schleupnerum* ac *Stumpſium* ipſe interveniendo id conſecutus eſt, ut donec illum in patriam *Palatinatum* ipſe evocaret, de certâ ipſius promotione ſpes facta fuerit firma.

Brevi pôſt vocationé obtinuit ad *Monachobergenſium* Diaconatum, non ſine *Culmbacenſium* Dn. Conſiſtorialium faſtidio, qui ipſum, ſi res voti, non fati fuiſſet, libentiùs in proprio Collegio vidiſſent. *Diaconus Monachoberg.*

Cum autem & concatenati officii labores, & multiplices rei familiaris curæ aliam vitam poſtulabant, præviis devotis precibus, & mutuo neceſſariorum conſenſu, conjugium cum virgine *Barbarâ*, Reverendi Dom. M. *Georgii Strobelii*, Paſtoris *Kirchenlammizenſis* ac *Wonſidelienſis* Capituli Senioris filiâ iniit, ac ejus ſacra 19. Octob. A. 1630. ſolenni feſtivitate celebravit. Sed vix unicum cum coſtâ dilectâ *Monachobergæ* ſuperârat annum, cum Marte ac Vulcano ad extrema redactus *Culmbaci* refugium unâ cum conjuge & filiolâ tenerrimâ quærere coactus fuit. Ubi tamen licet extra officium, non tamen ſine officio, fuit. Cœteris quippè Miniſtris Eccleſiæ *Culmbaci* propter graſſantes morborum lues plus nimiùm occupatis, eum qui in arce *Blaſſenburgicâ* peragebatur Eccleſiaſticus labor in ſe ad tempus ſuſcepit. *Conjugium iniit.* *Blaſſenburgi Miniſter erat.*

Ibi Vir nobilis *Julius à Streitberg*, Conſiliarius *Bambergenſis*, author ei fuit, ut *Heiligsſtadienſi* familiæ *Streitberg*. Parochiæ præcipuæ, nec longè à *Bambergâ* & *Forchemio* ſitæ, communi cœterorum Patronorum ſuffragio, Paſtor datus fuerit: quam & usque ad A. 1634. Divini Verbi refecit pabulis. *Parochus Heiligſtad.*

Sed cum eo ipſo anno *Forchemium* obſidione premeretur, & hoſtiles flammæ totum vicum cum templo Scholâque deſtruxiſſent, *Kufnerum* cum nobili *Streitbergio Suinfurtum* abitum parare adegit neceſſitas. Ibi vacante tum Diaconatûs Eccleſiæ, & Oratoriæ ac Poëſeos Profeſſionis in Gymnaſio ſpartâ, conſilio & auxilio Dom. D. *Andreæ Keſleri* utramque 7. Sept. A. 1634. nactus eſt. *Suinfurti Diaconus & Oratoriæ ac Poëſeos Profeſſor.*

Sed nondum unicus elapſus erat annus, cum *Coburgum* avocato Dn. D. *Keslero* ad obeundum Superattendentis Generalis munus, *Kufnerus* à *Suinfurtenſi* Magiſtratu in hujus ſubrogatur vices, eique Superattendentis & S. Theologiæ Profeſſoris vices demandantur, *Superint. & Theol. Profeſſor.*

dantur, quod officium per novendecennale temporis ſpatium ſummâ curâ & vigilantiâ defunctus eſt.

Superintendens Curienſis.

Defuncto tandem A. 1653. M. *Henrico Teubelio*, Eccleſiæ *Curienſis* ac vicinarum Superattendente, illius ad ipſum translatum fuit officium, quod ſummâ cum laude per vitæ tempus reſiduum adminiſtravit.

Generi ejus.

Ex thori ſociâ 4. filios & 3. filias ſuſcepit, omnes in primâ infantiâ denatos, exceptis duabus filiabus, quarum ætate grandior Dom. *Georgio Baltaſari Metzgero*, Med. Doct. & Prof. Publ. *Gieſſenſi*, altera M. *Johanni Walthero*, S. Theol. Candidato, & Gymnaſii *Curienſis* Rectori in matrimonium collocata fuit.

Ipſe tandem ab anno ferè Cachexiâ laborans, cum nauſeâ gravi paulatim incidit in urinæ retentionem, quæ in Hydropeos ſpeciem, Aſcitidem dictam, degeneravit. Tantum autem abfuit, ut medicamenta partim â D. *Guernero Rolfinckio*, Profeſſ. *Jenenſi*, partim ab Archiatro *Curienſi* D. *Jacobo Pancratio Brunone* ordinata morbor. infregerint impetum, ut potiùs iſti medicaminum penitùs illuſerint conamina. Toto itaque pectore placidam â DEO dimiſſionem anhelans voti compos exſpiravit die 14. Febr. A. C. 1659. ætatis 53.

Moritur.

* *Ex Oratione fun. M. Matthæi Teubelii, Curienſis Eccleſiæ Syndiaconi.*

Obiit A. C. 1659.

JOHANNES CROCIUS.

Theologi filius.

Natus eſt d. 28. Julii A. C. 1590. *Laſphea* in Comitatu *Witgenſteinenſi*, Patre Reverendo Viro Dn. *Paulo Crocio*, S. Theol. Doctore, Eccleſiæ *Laſphenſis* Paſtore, & vicinarum Inſpectore, matre *Sarâ*, *Martini Rodichii*, in Archiepiſcopatu *Colonienſi* argentifodinis Præfecti filiâ. 9. Aug. ſeq. per Generoſ. Comitem *Naſſovium Johannem* juniorem è S. Baptiſmi fonte ſuſceptus eſt.

Diſcipulus Scholæ Herborn.

Scholam patriam, quamprimùm per ætatem licuit, frequentavit, in quâ tantum profecit, ut A. 1602. ad Scholam *Herbornenſem* fuerit miſſus.

Philoſ. Magiſter Marpurgi.

Theol. Doctor.

Ad lectiones publicas promotus A. 1605. in Academiam *Marpurgenſem* pervenit, ubi ſtudio Philoſophico tantâ aſſiduitate dedit operam, ut â celeberrimo Philoſopho Dn. *Rodolpho Goclenio* 7. Jan. A. 1608. Magiſter Artium creatus, dehinc honoribus Doctoralibus in Theologiâ 18. Nov. A. 1613, Promotore Dn. D. *Joh. Molthero* inſignitus fuerit, poſtquàm intereà *Bremæ* A. 1611. ſine Præſide Diſputationem Theol. habuiſſet.

Concionator aul. Caſſellis.

A. 1612. A Sereniſſ. *Mauritio, Haſſiæ Landgravio*, Concionator aul. *Caſſellis*, & A. 1614. ibidem Eccleſiæ *Fratrum* vocatæ Concionator & Paſtor factus.

Theol. Profeſſor & Concionator.

A. 1616. Expetentibus operam ejus ad biennium, ut Concionatoris aulici munere fungeretur, Sereniſſ. Electoribus *Brandeburgicis Joh. Sigiſmundo* & *Georg. Wilhelmo*, ægrè licet â *Landgravio* ſuo dimiſſus, obtemperavit, & ſtatuto tempore *Caſſellas* reverſus, mox A. 1618. S. Theol. Profeſſor primarius *Marpurgi*, Concionator, & Conſiliarius Conſiſtorialis declaratus eſt.

Steinfurtum intereà A. 1615. & A. ſeq. *Francofurtum* ad *Oderam* vocatus ad Theol. Profeſſionem, modeſtè ſe excuſavit.

Novies Rector Acad.

In Academiâ Lectiones publicas, & Orationes, quas frequenter dixit, Latinas memoriter ſine ullâ hæſitatione recitare ſolitus, omnium Facultatum, Juris, Medicinæ & Theologiæ Studioſos habuit auditores. Rectoratum Academicum novies cum honore adminiſtravit.

Fuit in Colloquio Lipſienſi.

A. 1631. Colloquio Theologico *Lipſiæ* inter Theologos *Saxonicos*, *Brandenburgicos* & *Haſſos* inſtituto, propter diſſenſum in Religione conciliandum interfuit.

A. 1618. Seniores Eccleſiæ *Dantiſcanæ* in tranſitu eum expetiverunt ſibi Concionatorem: A. 1624. Urbs *Bremenſis* Paſtorem ad S. *Anſgarium*, & A. 1630. Gymnaſii ſui Profeſſorem & Rectorem, A. 1647. Gymnaſium *Herbornenſe* Profeſſorem quoque deſiderârunt. Omnes tamen has conditiones ſorte ſuâ contentus neglexit.

Conjugium ejus quadruplex.

6. Junii A. 1615. primum conjugium iniit cum *Gertrude Weinmanniâ*, viduâ Dn. *Cunradi Kuchenbeckeri*, Præfecti *Haſungenſis*, ex quâ 2. filios & 2. filias ſuſcepit, unicâ tantum filiâ in vivis manente.

A. 1625. Alteram duxit, virg. *Annam Catharinam*, Dn. *Joh. Stalbanſii*, Conſiliarii Cameræ *Caſſellenſis* relictam filiam, ex quâ filium reliquit ſuperſtitem. A. 1636. ad tertia vota tranſitum fecit cum *Catharinâ Neubanſiâ*, Dn. *Chriſtoph. Ludovici Lerſneri*, Præfecti Dominii *Itterenſis* relictâ viduâ, quâ ſine liberis vitâ defunctâ, A. 1647. Sponſalia quarta celebravit cum *Catharinâ Schildiâ*, M. *Johannis Maji*, Concionatoris *Caſſellenſis*, relictâ viduâ, cum quâ 3. filias reliquit ſuperſtites.

Morbo tandem hypochondriaco per biennium graviter afflictus, & accedente pectoris hydrope cum variis ſymptomatibus lecto decumbere tribus ſeptimanis coactus, viribus ſenſim diſſipatis, ad patriam cœleſtem abſque manifeſto acrioris doloris ſenſu emigravit *Marpurgi* 1. Julii A. C. 1659. ætatis 69. Miniſterii 47. Oratiunculâ funebri laudatus pòſt finitas exequias ab *Abrahamo Boots*, S. Theol. Cultore.

Scripta.

Libri ab eo in lucem editi ſunt ſequentes:

Converſationis Prutenicæ Partes II. quibus controverſiam, quæ â Pruſsis ipſi mota fuerat, expedivit.

Commentar. de Cœlibatu Clericor.

Commentar. de Purgatorio Pontificio X. Diſputationibus interſtinctus.

Pacis & concordiæ Evangelicorum ſacra defenſio ſecundæ partis Converſationis Prutenicæ, Aſſertioni calumniarum D. Baltaſ. Mentzeri oppoſita.

Conſideratio Triadis Syllogiſmorum D. Joh. Affelmanni, Prof. Roſtoch. de auctore peccati &c.

Enneas diſſertationum Theologicar. quibus infallibile veræ Religionis criterium aſſeritur.

Diſſertatio Problematica de animæ rationalis ortu.

Hypo-

Digitized by Google

Hypotypoſes Concionum in Jonam Prophetam Marpurgi habitar.

Hypotypoſes Concionum, in Hoſeam, Joëlem, Amos, Obadiam, Micham, Nahum, Habacuc, & 3. Cap. priora Zachariæ.

Comment. in Epiſtolas S. Pauli ad Galatas, Philippenſes, Coloſſenſes, Theſſalonicenſes, ad Timotheum & Philemonem.

Comment. de Juſtificatione peccatoris coram DEO.

In S. Pauli Epiſtolas ad Ephesios & ad Titum.

Anti-Becanus & Anti-Weigelius.

Informationis de quibusdam Papiſticæ Religionis Articulis conſideratio ex S. Scripturâ & puriori Antiquitate inſtituta.

Proteſtantium paci ſacer Commentarius de Auguſtanæ Confeſſionis Societate &c.

De Eccleſiæ Unitate & Schiſmate.

Diſſertationis Oſnabruggenſis de Reformatis in fundamento fidei à Luthericis diſſentientibus inſcriptæ juſta illuſtratio.

Redtiſche Uberwitz/ das iſt/ Chriſt-gründliche Antwort auf das über dem Fundament der Reformirten Religion/ durch *Jodocum* Redt/ Jeſuiten zu Aachen/ ausgeſprengte *Examen.*

Chriſtliche Erläuterung deß genannten nothwendigen/ auf die Frage: Wo ſtehets geſchrieben? durch vornehme Päbſtliche Theologen geſtellten Berichts und Unterrichts.

Varia Scripta Latina & Germanica, contra Illuſtr. Principem Erneſtum Haſſiæ Landgravium in Religionis cauſâ adornata.

De Libertinorum hæreſi Diſſertationes IX.

Diſputationes variæ.

Unterſchiedene ſchöne lehrreiche Predigten: als/ 3. Landtags-Predigten/ der Prophetiſche Buß-Spiegel/ das Waſſer deß Heiligthums/ von der Regirung GOttes über die Sünden/ von der Gnadenwahl/ und Beharrung der Kinder GOttes/ die Leiter des Heils ꝛc.

Confutatio controverſiarum Lutheranarum.

Textuum Evangeliſtæ Matthæi, quibus vel orthodoxi in veritate contra Pontificios, Socinianos, Anabaptiſtas, Weigelianos, Remonſtrantes, & alios diſſentientes tuendâ utuntur, vel adverſarii ad ſuos errores palliandos pingendosque abutuntur, Vindicatio.

* *Ex Concione fun. Hieron. Wetzelii, & ex Programmate Academico Rectoris Marpurg. D. Joh. Kleinſchmid, Pand. Prof.*

Obiit A.C. 1659.

JOH. GEORG. RENNERUS.

Parentes ejus.

NAtus eſt *Ritterſbachii*, Marchionatûs *Brandenburgici* pago 22. April. A. C. 1617. Patre cognomine, tunc illius Eccleſiæ, poſteà in pago Henffenfeld/ ditionis *Norimberg.* Paſtore, ibidem anno præced. vitâ defuncto. Matrem habuit *Barbaram*, *Chriſtophori Zaineri*, Conſulis *Suabacenſis*, filiam, quæ lethaliter â militibus vulnerata, in pago *Fach* vitam finiit 11. Dec. A. C. 1632.

Studia Scholaſtica,

A. ætatis 8. *Noribergam* in Scholam *Sebaldinam* miſſus, tum in eâ, tum *Herbipoli*, & tandem in Gymnaſio *Brandenburgico Heilsbronnæ* Pietatis, Artium humaniorum, & Linguarum fundamenta poſuit.

& Academica.

Deindè cum diſcipulo quodam *Viennam*, & exinde in *Hungariam* profectus, Academias demum aliquot acceſſit, *Erfurti* apud M. *Johannem Prætorium*, antè Superintendentem Specialem *Herbipoli* & *Regiomontii* in *Boruſſiâ* per aliquot annos ſtudiorum continuandorum gratiâ commoratus, hîc familiariter innotuit Theologo celebri M. *Andreæ Immerdar*, Capituli *Suabacenſis* poſteà Decano.

Iter in Moſcoviam.

Peregrinationibus verò plurimùm oblectatus, occaſione oblatâ, in *Moſcoviam* iter ſuſcepit, ubi ſeni cuidam Verbi Divini Miniſtro Vicarium ſe præbens, in quartum uſque annum concionando ſe exercuit, donec ad *Chriſtophorum Martinum*, Baronem â *Degenfeld*, Equitem & Reip. *Venetæ* militiæ in *Dalmatiâ* Generalem venit, cum quo *Patavii* per aliquod tempus commoratus, ejusque Concionator *Caſtrenſis* conſtitutus, anno demum 1648, more Chriſtiano, Miniſterio conſecratus fuit *Campoduni.*

Concionator Caſtrenſis.

A. 1649. Barone *Degenfeldio* militiæ reſignante, *Venetiis* Mercatores Evangelici in domo *Germanorum* dictâ, Concionatorem ſibi *Rennerum*, ægrè licet â *Degenfeldio* dimiſſum, conſtituerunt, cui muneri per quinquennium ſummâ cum laude & honore præfuit.

Concionator Mercator. Germ. Venetiis.

A. 1654. *Venetiis* diſcedere coactus, nec ſine dolore Evangelicorum dimiſſus, ad Dn. Patrem *Henſenfeldenſem* tunc Paſtorem reverſus eſt.

A. 1655. Promotore Dom. *Joh. Mich. Dilherro*, Theologo *Norimbergenſi*, vidua *Joh. Friderici* Principis *Palat. Hilpoltſteinenſis Sophia Agnes* nata, *Haſſiæ Landgr.* Concionatorem aulæ ſuæ conſtituit. A. 1658. 5. Febr. nuptias celebravit *Auguſtæ Vind.* cum virgine *Mariâ Felicitate*, *Raymundi Becklini*, Mercatoris *Auguſtani* filiâ, ex quâ filiolum cognominem reliquit ſuperſtitem.

Concionator aulicus.

Nubit.

Ex lapſu lethali mor.

A. 1656. Cum equo noctu periculosè lapſus, ſanguine per os, nares & aures copiosè emanante, per multos dies ſenſuum, motûs, & loquelæ expers decubuit, & licèt aliquantùm Medicorum & Chirurgorum ope fuiſſet ſanitati reſtitutus, capite tamen debilis abindè ſemper remanſit, accedente tandem ictero nigro, & convulſionibus epilepticis in CHRISTO obdormivit 8. Julii A.C. 1659. ætatis 42.

* *Ex Concione funebri M. Jac. Schwenteri.*

EPITAPHIUM:

Epitaphium.

HEUS SPECTATOR RESPECTA, NAM ET HIC TE EXSPECTAT
CONSUMMATUM VIRTUTIS EXEMPLUM, NITIDUM PATIENTIÆ SPECULUM;
SINCERÆ RELIGIONIS PROPUGNATOR, MYSTA DEI VERENDUS, IMAGO PIETATIS,
JOHANNES GEORGIUS RENNERUS,
DEBITUM

NATURÆ

Digitized by Google

NATURÆ EXSOLVIT, HAC IN URNA QUIESCIT.
ANNOS ILLE FINIEBAT, MORS DEFINIEBAT.
DEFINIEBAT ITA, UT MORTIS FINIS SIT VITA.
ERAT MILES SUMMI, DUCEM SEQUEBATUR.
QUO EMIGRET BEATUS, PRÆMISSUS NON EMISSUS,
NON OBIIT, IN COELUM ABIIT,
AD COELI THRONOS IVIT.
IN DEO BENE VIVIT.
ANIMAM DEUS,
CORPUS TERRA REPOSCEBAT
ANNO CIϽ IϽC LIX.

Obiit A. C. 1659.

BARTOLOMÆUS STEPNERUS.

CYgneæ natus eſt 15. April. A. C. 1615. Patre *Stephano Stepnero*, oppidi illius Prætore, Matre *Magdalenâ Weingarthiâ*. Cum in Scholâ patriâ pietatis, & artium liberalium fundamenta poſuiſſet, A. 1633. æt. 18. in Academiam *Wittenberg.* ad ſtudia continuanda miſſus, in eâ triennio pòſt A. 1636. Magiſterii gradum â Facultate Philoſophicâ cum laude adeptus eſt.

Fit Witt. Philoſ. Magiſter.

Abindè Theologiæ ſtudiis addictus, tàm ibi, quàm *Jenæ*, docentes audivit Profeſſores D. *Johannem Gerbardum*, D. *Paulum Röberum*, D. *Wilhelmum Lyſerum*, & D. *Johannem Hülſemannum*, & concionando ſæpiùs ſe exercuit.

Eccleſ. Paſtor Liebſtadii.

A. 1639. In numerum Candidatorum Miniſterii receptus, poſteà A. 1642. *Liebſtadium*, oppidum in inſpectione *Pirnenſi* ſitum, ad Paſtoris Eccleſiæ munus vocatus eſt, cui fideliter præfuit, multas belli calamitates perpeſſus, uſque ad A. 1648, quo *Cygnæam* in patriam â Senatu vocatus ad Eccleſiæ Paſtoratum, & totiùs Diœceſeos Superintendens ab Elect. *Sax.* conſtitutus eſt.

Superint. Cygneæ.

A. 1650. Licentiati Theol. gradum â Facult. Theologicâ *Lipſienſi* ſubmiſſè petiit, & præſtitis præſtandis obtinuit. A. 1658. demùm 8. Julii Doctor Theologiæ publicè & ſolenniter renuntiatus eſt.

Theol. Doctor.

A. 1642. Paſtor Eccleſiæ *Liebſtadienſis* factus, matrimonii fœdus contraxit cum virg. *Barbarâ, Nicolai Pezoldi*, Senatoris & Mercatoris *Zwiccavienſis* filiâ, ex quâ filium *Eucharium* & 4. filias reliquit ſuperſtites.

Nubit.

Obſtructionibus viſcerum, ex vitâ ſedentariâ ortis, ab aliquot annis afflictus, accedente tandem apoplexiâ, vitam morte beatâ finiit 24. Junii A. C. 1659. ætatis 46. *Cygneæ.*

Mor.

* *Ex Concione funebri M. Joach. Sexti, Archidiaconi Zwiccav.*

Obiit A. C. 1659.

MELCHIOR NICOLAI.

SChorndorffii, Ducatûs *Würtenbergici* oppido, natus eſt 14. Dec. A. C. 1578. Patre cognomine, Judicii Aſſeſſore, Matre *Urſulâ, Joh. Michaëlis Sattleri*, Notarii publ. & Syndici filiâ.

Puer optimæ indolis â parentibus in Scholam Latinam miſſus, plurimùm quidem in eâ brevi temporis ſpatio profecit, ſed mox â parentibus aliter ſentientibus è Scholâ retractus, *Herrenbergæ* piſtori cuidam agnato traditus eſt, ut panificium diſceret.

Ex Piſtore fit Studioſus.

Id cum alii ex agnatis, quibus pueri in Scholâ patriâ profectus innotuerant, percepiſſent, Parentes hortati ſunt, ut filii ſtudia benè cœpta promoverent.

In Contubernium itaque *Tubingenſis* Univerſitatis ab iis miſſus eſt, in quâ biennio pòſt Magiſterii gradum cum honore adeptus, inter 50. Competitores primum locum obtinuit.

Magiſter Philoſ. inter 50. primo loco Tubingæ.

Inter Stipendiarios poſteà Ducis *Würtenberg.* clementer receptus, ſtudio Theologico, Biblico præſertim, quod â pueritiâ ſibi familiare reddidit, ſummâ cum diligentiâ operam impendit, & opponendo, reſpondendo, ac perorando ſæpiùs cum laude ſe exercuit, usque ad A. C. 1601, quo Doctoris *Andreæ Oſiandri* ad Colloquium *Ratisbonenſe* vocati Vicarium *Adelbergæ* egit.

Weiblingæ poſteà Diaconus factus, munus id per quinquennium fideliter adminiſtravit, Indè Paſtor factus, in oppidis & vicis Nobilium *Thummiorum* Concionibus ſuis contra *Anabaptiſtarum* errores omnium auditorum, nobilis præſertim *Joh. Friderici* â *Thumm*, Mareſcalli hæreditarii *Würtenbergici*, favorem ſibi conciliavit.

Diaconus Weiblingæ.

Cum itaq; 10. annos in hoc officio tranſegiſſet, Decanus *Marbacenſis*, & biennio pòſt â Duce *Würtenbergico Joh. Friderico Tubingæ* Profeſſor Theol. Extraordinarius, & Inſpector Stipendiariorum Ducalium conſtitutus eſt, Theol. etiam Doctor creatus A. 1619. A. 1624. Abbas *Laureacenſis*, & 1628. *Adelbergenſis* factus, ſed A. 1630. per edictum Cæſareum cum alumnis eliminatus, denuò *Tubingam* ad Profeſſoris Ordinarii & Superintendentis munus revocatus, ibi Rectoratum ſemel adminiſtravit, & Pro-Cancellarii officium ad A. 1649. geſſit. Tum A. ætatis 72. *Tubingâ Stutgardiam* non ſine dolore Studioſorum revocatus, Præpoſituram ejus Urbis ad finem uſq; vitæ ſuæ adminiſtravit.

Theol. Profeſſor Tubing. & Doctor

Abbas Evangelicus.

Pro-Cancellar. Tub.

Præpoſitus Stutgard.

Conjugium bis iniit: primò A. 1603. *Weiblingæ* cum *Catharinâ, Melchioris Detzii*, Judicii Aſſeſſoris, relictâ viduâ *Nutzbeckiâ*, ex quâ, cum 3. filiabus, 4. ſuſcepit filios, quorum tres M. *Johannes Melchior, Weiblingæ, Gotfridus Oſterdingæ*, & *Johannes Fridericus Entzweilingæ* Paſtores Eccleſiarum facti ſunt. Ex his liberis ſuis 30. nepotes & 12. pronepotes vidit.

Conjugium duplex.

Tres ejus filii Theologi.

A. 1639. Primâ uxore demortuâ, alteram duxit *Margaretam*, D. *Theodori Thumii*, Theol. Prof. *Tubingenſis* viduam, quam ſuperſtitem reliquit.

Rude tandem â Principe donatus, viribus ſenſim â ſenio & morbis conſumptis placidâ morte ſublatus obdormivit *Stutgardiæ* 13. Aug. A. C. 1659. æt. 81.

Rude donatur.

Moritur.

MELCHIOR NICOLAI,
per Anagr.
Hic melior incola.

Incola nunc melior Cœli hic, bonus incola terræ
Qui fuit, & CHRISTO conſociatus ovat.
Hujus quisquis eris vitamque fidemq; ſequaris,
Ætbereæ quoque ſic incola lucis eris.

* *M. Rudolph. â Molsdorff, Eccl. Esling. Diac.*

M. Geor-

Digitized by Google

M. Georgii Hauſchii Scala fatalis, quâ Dn. *Melchior Nicolai* ad ſumma honorum faſtigia, ipſamq; immortalitatem aſcendit.

M œnia, Rembanæ vallis, Schorndorfia, vitam,
E t patriæ cunas attribuêre meæ.
L actea Muſarum libamina Patria primò
C ontulit, atque Hortus continuavit Equæ.
H inc mihi Neccariam via ſternitur inque Tubingam, *
I nſtituar Muſis, ut meliore gradu.
O rdine Symmiſtæ Waiblingis fungor in oris,
R embus ubi fluido littore lenis abit.
N on procul hinc pagus Stettini nominis extat,
I n quo Paſtor eram cœlica verba docens.
C revit honor ſtudiis, Marpachia mittor ad arva,
O bſervem ut ſacros arte decente greges.
L ætior altiſonas jubeor remeare Tubingas
A ſcendam docti pulpita ut alma chori.
I ndè ſacros inter ſudansque madensq; labores
T ransferor, & Lorchæ Cœnobiarcha creor.
H inc rurſus moveor miro Ducis ecce favore,
E t Montem celebrem Nobilitate peto.
O rta quies mihi viſa fuit, ſed turbo repentè
L ubricus ejecit me ſociosque foràs.
O mnia funeſto tam belli concita motu
G randia Cœnobiis tela dedêre Ducis.
I ndè iterum jubeor veterem migrare Tubingam
Æ quum ibi ut ſtudiis Præſes adeſſe velim.
D enique Stutgardiam placido Ducis advocor ore,
O btigit hic ſenio Præpoſitura meo.
C urſibus expletis bis quadraginta per annos
T ranſeo ad æthereas, morte jubente, domos.
O mnia devici Verbi virtute ſacrati,
R ex igitur Regum mî diadema dedit.

* *Ex Conc. fun. M. Joh. Eberhardi Knollii.*

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia:

Operæ pretium ad Manupretium Forerianum. Tub. 1652. in 4to.
Jubar cœleſtis Veritatis, contra Forerum.
Compendium Didacticum & Elenchticum.
Symbolum Lutheranum à calumniis Laurentii Foreri vindicatum, hujusque vindicationis continuatio.
Contra Manuale Forerianum Diſputationes.
Aphoriſmi Theologici.
Conſideratio Theologica quatuor Controverſiarum.
Sola fides Juſtificans.
Reformator Germaniæ M. Lutherus à ſeptem characteribus Foreri vindicatus.
Somnium Jeſuitico-Forerianum oppoſ. Cœleſt. verit. jub. Stutg. 1652. in 4to.
Reſponſiones ad XII. propoſ. ſpeculi Jeſuitici.

Opera Germanica:

Reſponſio ad demonſtrationem Keddianam.
Solida Explicatio controverſiarum inter Evangelicos Aug. Conf. & Calvinianos.
Confutatio duorum Scriptorum Papiſticorum, utpote ſpecul. Brandeburg. ejusque Apolog.
Confuſio Babylonica.
Nihil non ad rem, ſ. Scriptum Keddio oppoſitum.
Solida Refutatio errorum Anabaptiſt.
Theſes de Suſtentatione Eccleſiarum, Scholarum & pauperum.

JOHANNES GEORGIUS DORSCHÆUS.

Obiit A.C. 1659.

ARgentorati natus eſt 13. Nov. A.C. 1597. Patre *Laurentio Dorſche*, *Wirtzeburgo-Franco*, cive & ſutore, Matre *Mariâ Fingerlinâ*, Senatoris *Argent.* filiâ. *Parentes ejus.*

Ab his domi pietatis tyrociniis imbutus, 2. Oct. A. 1604. ad decimam ſeu infimam Gymnaſii patrii claſſem deductus, elapſo decennio dignus eſt judicatus, qui ad publicas Lectiones promoveretur 4. Oct. A. 1614.

Totus hinc ſe ſtudiis Philoſophicis addixit, ut 22. Jan. A. 1615. Decano *Laurentio Thoma Walliſero*, Philoſ. Pract. Profeſſore primâ Philoſ. Laureâ redimeretur. *Fit Baccalaureus.*

1. Maji A. 1617. Cum anteà Diſputationem Metaphyſicam *de DEI attributis* habuiſſet, Præſide *Daniele Rixingero*, Philoſ. & Med. D. eodem Decano Lauream ſecundam, vel Magiſterii honores obtinuit, ſecundo loco inter 18. Competitores ipſi aſſignato. *Philoſ. Magiſter.* Exindè animum Theologiæ mancipavit, & plurimis Diſputationibus privatis ac publicis jam Reſpondentem ſe jam Opponentem ſtitit.

A. enim 1619. 2. Dec. ſub Præſidio D. *Johannis Gieſenii de viâ Salutis* diſputavit, ſub eodem A. 1620. 10. Junii de *æternâ SPIRITUS SANCTI Deitate.*

18. Oct. ſeq. eidem ſe Theologo comitem adjunxit, & excurſione *Tubingam* factâ in Theologor. ibi celebrium familiaritatem inſinuavit.

19. Oct. A. 1622. Eccleſiæ *Enſisheimenſi* in agro *Argent.* Paſtor datus, Seminarii Eccleſiaſtici pars factus eſt 16. Julii A. 1623. à M. *Johanne Schmidio*, Theol. Profeſſore delectus eſt Reſpondens, qui Diſputationem ejus inauguralem tueretur, quali exercitio non niſi egregii deligi ſolent. *Paſtor Enſisheim.*

6. Jan. A. 1624. fidem ſuam Senatui *Argent.* obſignavit ad triennem peregrinationem, Academicamque functionem indè capeſſendam, editoque inſigni illo Myſariæ Miſſæ Pontificiæ tractatu, publicæque Diſputationi exhibito 6. Martii, mox etiam aliâ Diſputatione habitâ 10. Martii de dicto 1. Tim. 6. ſub Præſidio D. *Thomæ Wegelini*, 18. Martii *Argentorato* diſceſſit, & 3. April. *Jenam* venit. Ibi usque ad 7. Octob. A. 1625. ſubſtitit D. *Joh. Majoris* convictor, & ſub Præſidio D. *Johannis Gerhardi* 5. iteratis vicibus publicè diſputavit. *Jenam adivit,*

Relictâ *Jenâ Lipſiam* conceſſit, & *Polycarpi Lyſeri Henricique Höpfneri* amores ſibi conciliavit. *& Lipſiam,*

Properavit verò *Wittenbergam*, ibiq; uſus eſt convictu M. *Eraſmi Schmidii*, Math. & Græc. Ling. Prof. Theologis verò *Jacobo Martini*, *Balt. Meiſnero*, & *Frid. Balduino* conjunctiſſimus vixit. Ibidem ipſe Collegium Theologicum aperuit 9. Nov. A. 1625. *& Wittenbergam,* 9. April. A. 1626. *Wittenbergâ Marpurgum* diſceſſit, inque convictu *Theodorici Reinkingii* J.C. *Haſſiæ* tum Vice-Cancellarii, amicitiâque Theologorum *Baltaſ. Mentzeri* & *Juſti Feurbornii* ad 17. Mart. anni ſeq. ſubſtitit *& Marpurgum.*

intereà verò juſſu Cancellarii *Wolfii*, *Ludovico Haſſiæ Landgravio* Panegyricum ſcripſit atque dixit.

Avocavit eum *Marpurgo* vocatio honorifica Senatûs *Argentinenſis* 19. Mart. A. 1627.

Profeſſor Theol. Argent. exhibita, deſtinataque illi Profeſſio Theologica, quam aditurus in patriam rediit, & 9. Maji Orationem habuit Inauguralem. 27. Aug. affixo Programmate ad Lectiones curſorias pro ſummo gradu conſequendo inſtituendas & auditores invitavit, & numeroſiſſimos obtinuit.

Indè 13. Sept. Diſputationem Inauguralem habuit Præſes ipſe, Reſpondente M. *Jacobo Schallero*, Theol. poſteà Doctore, & Philoſ. Pract. Profeſſore: 20. Sept. examen ſuſtinuit, quod rigoroſum vocant, 23. Sept. â D. *Thomâ Wegelino* Conventûs Eccleſiaſtici tunc Præſide in Eccleſiaſten ordinatus, tandem 9. Nov. jubente Senatu â

Doctor Theol. Doct. *Iſaaco Fröreiſenio* Doctor Theol. publicè & ſolenniter renuntiatus eſt.

Deſponſatur. Eodem die matrimonio ſibi copulavit virginem *Urſulam*, *Leonharti Roſæ*, J. U. D. & Ord. Equeſtris *Alſati* in circulo *Ortenavico* Syndici & Advocati Conſiliariique *Bavarici*, ex *Margaretâ Höſtiniâ* filiam, quâ cum in conjugio jucundo 27. annos explevit, ſexies ex illâ pater factus 4. filiarum & duorum filiorum, è quibus tantùm filius *Joh. Georgius* A. C. 1644. natus ad juſtam provenit ætatem ſtudiis Philoſophicis in patriâ deditus, & filia primogenita *Maria Margareta*, quæ J. *Grambſio*, Theol. Cand. & Eccleſiaſtæ *Mœno-Francof.* deſponſata, obiit 10. Jan. A. 1657.

A. 1653. Vocatus ab Illuſtriſſ. Ducibus *Megapolitanis*, *Adolfo Friderico* & *Guſtavo*

Roſtochii Profeſſor Theol. *Adolfo*, in Academiam *Roſtochienſem*, 30. Sept. ſolenni Oratione Patriæ valedixit, & 22. Feb. A. ſeq. 1654. cum familiâ *Roſtochium* venit. Sed vix dum appulerat, cum luctu acerbo, ob conjugis ſuæ diſceſſum ex hâc vitâ turbatus fuit.

Conjugium ſecundum. Tribus annis in viduitate exactis, alteram ſibi delegit thori ſociam *Eliſabetham*, filiam Dom. *Juſti Zinzerlingii*, J. C. Conſiliarii olim Reg. *Suecici*, Com. *Oldenburgici* aliorumque Magnatum, viduam tum M. *Bernhardi Taddelii* Græcæ Linguæ *Roſtochii* Profeſſoris, & matrem *Eliæ Taddelii*, Eccleſiæ poſteà *Lutheranæ* Miniſtri *Amſtelrodamenſis*.

Scorbuticâ tandem affectione cum aſthmate

Mor. te conſumptus, vitam beatâ morte clauſit 25. Dec. A C. 1659. ætatis 63.

* *Ex Programm. fun. Rect. Roſtoch. Johannis Quiſtorpii, Theol. Prof. & ex Concione fun. Nic. Ridemanni.*

D. JOHANNES GEORGIUS DORSCHEUS.

Per Anagramma:

En vadis, gregis os, decus, bonos!

JOHANNES GEORGIUS DORSCHEUS.

Noach ſervus DEI gregis bonos.

DORSCHÆUS.

Per Anagr.

Roſa decus.

JOHANNES GEORGIUS DORSCHE,

THEOL. DOCTOR.

Anagrammate nominis

Mortales alloquitur immortalitate donatꝰ:

Charis ego dotes cœleſti dignor honore.

Anno

Ioan Georg DorſChe, *Profeſſor* TheoLogIæ prIMarIVs.

Verſûs quadrati:

Occubuit	*Doctor*	*Dorſcheus*	*Nobile*	*Nomen*
Doctor	*Theſoſophus*	*Sophiæ*	*Tutamen*	*Honorum*
Dorſcheus	*Sophiæ*	*Lumen*	*Clariſſima*	*Stella*
Nobile	*Tutamen*	*Clariſſima*	*Stella*	*Repugnans*
Nomen	*Honorum*	*Stella*	*Repugnans*	*Hæreſiarchis.*

Ingenii Monumenta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Myſaria Pontificiæ Miſſæ contra Joh. Georgii Herberti, Soc. Jeſu Diſſ. Lithurgicam edita A. 1624. *Scripta.*

Vindiciæ & Animadverſiones ad cap. 1. 2. 3. Exodi contra Bellarmin. A. 1630.

Vindiciarum & Animadverſ. ad cap. IV. Exodi diſſertationes XI.

Theologiæ Zachariana Pars I. II.

Tunica CHRISTI inconſutilis. A. 1658.

Pentadecas DiſſertationumTheolog. A. 1639.

Denarius veſpertinus. A. 1657.

Admiranda mortis CHRISTI, cum diſſertat. de inſtrumentis cruciatûs Martyrum A. 1655.

Diſſertationes de Cœnâ contra Theod. Zwingerum A. 1643.

De æternâ Majeſtate JESU CHRISTI exegeſis A. 1643.

Anticriſis Theologica oppoſita judicio Theol. Ern. de Euſebiis ſuper quæſtione, an Pax, qualem deſiderant Proteſtantes, ſit licita. A. 1647.

Prodromus Anticriſeos Theol. A. 1648.

Pax in terris Cantico exercitûs angelici laudata A. 1647.

Vale Argentoratenſe A. 1653.

Judicium nomine Facult. Theol. in cauſâ Regiomont. Latermannianâ. A. 1646. ſcriptum & editum 1650.

Apologia ejuſdem. 1650.

Anti-Coneus pro Interventione de Myſterio Trinitatis à Pontificiis læſo. A. 1649.

Index Iniquitatis Moguntinor. Jeſ. in materiâ de Votis monaſticis. A. 1650.

Kurzes Bedencken über Landgrafen Ernſten von Heſſen Fragen. 1653.

Thomas Aquinas Verit. Evang. Confeſſor. A. 1656.

Tiburtio Dionyſiaca. A. 1657.

Epigrammatum Centuriæ VIII.

Septenarius ſingularium Angelicor. A. 1654.

Specimen Sceletomaniæ Pontificiæ circa reliquias S. Marci & S. Lucæ. A. 1643.

Parallela Monaſtica & Academica A. 1644.

Septenarius admirandorũ CHRISTI A. 1646

Hodegeticus Catholicus in conſiderandâ autoritate Scripturæ Eccleſiæ contra Joh. Kircherum apoſtatam A. 1641.

De emendatione temporum ſermo inauguralis A. 1654.

Detectio malæ fidei Papalis circa fundamenta Biblica probantia S. TRINITATEM A. 1646.

Relia

Digitized by Google

Religion-Scrupel der Papiſten/ auch von Gewißheit der Lutheriſchen Religion. *A. 1652.*

Latro Theologus, & Theologus Latro A.1655.

Diſſertatio de Prophetiâ Henoch, Judæ v. 14. A. 1627.

Diſputatio de autoritate Eccleſiæ ad dictum Auguſtini, Eccleſiæ non crederem &c. A.1628.

Diſſertatio de 3. teſtibus Divinis in terra, verbo, & Sacramentis. A. 1637. de ſpiritu, aqua & ſanguine.

Diſſertatio de Agno Paſchali A. 1628.

Collatio ad Concilium Francofurt. A. 1649. & ad Concilium Sirmienſe A. 1650.

Ad Concilium Arauſicanum Diſſertatio. 1652.

Interpellatio neceſſaria de voluntate DEI, contra Jac. Triglandium.

Exercitatio ad Concilium Nicænum. A.1653.

Diſſertatio Epiſtolica cum Ariſæo de Perſonâ CHRISTI & S. Cœnâ. 1657.

Diſſertationes de gratiâ ad P. Ferrium inchoatæ.

Admiranda providentia divinæ circa Aug. Confeſſ. in 4to. Francof. 1655.

Diſſertationes in articulos abuſuum Aug. Conf.

Pallium exulans in poſſeſſionem reſtitutum contra mores Acad.

Relatio Anonymi de corpore S. Marci cum notis.

Interventio pro Myſterio S. TRINITATIS. in 12mo. 1645.

Septenarius Diſſertationum novus.

Ad inſigniora conſequentia exhibitæ Aug. Confeſſionis diſſert. II. 1630. in 4to.

Obiit A.C. 1660.

JOHANNES SCHARFIUS.

J.C. filius.

NAtus eſt *Kroppenſtadii, Halberſtattenſis* Principatûs oppidulo, 13. Junii A. C. 1595, Patre ſibi cognomine J.C. & nobilium aliquot ejus loci Advocato: Matre *Margaretâ, Henrici Vogleri*, Viri Conſularis, filiâ.

Primam ſtatim ætatem ejus grave percuſſit fulmen, quod patrem ei matremque ademit trium annorum puero. Orbatum itaque Parentibus parvulum ſuſceperant propinqui, & bonis literis imbuendum curârunt.

Halberſtadii ſtudia inchoat.

Adoleſcentior paulò ab uterino fratre *Stephano Langio* traductus *Halberſtadium*, & in *Martinianum* ludum traditus, ut vitæ ſibi pararet ſubſidia, civibus honeſtis condixit operam ad deducendum eorum pueros in Scholam, quod ſtudii genus Dom. M. *Cunrado Barthbolo*, *Miſnenſis* Eccleſiæ Superintendenti, navâſſe ſe olim ſæpiùs cum voluptate recordabatur.

Hinc *Berolinum*, & brevi pòſt *Brandeburgum Marchicorum* diſceſſit, quod illi ludo id temporis Viri doctiſſimi eſſent præpoſiti.

Alumnus Bregenſis.

Subſtitit ibi biennio, Græcas literas uberiùs hauriens. Indè in Gymnaſio *Bregéo* alumnum, & choro Muſico ibidem per biennium præfectum dedit. Ubi tantam de ſe excitavit ſpem, ut Rector *Melchior Laubanus* annuum ſtipendium â Principe 100. Imperialium, non ſine auctario ſuccedentibus annis, promiſerit ei, ſi *Heidelbergam* ſtudiorum causâ proficiſceretur. Sed maluit carere beneficio, quàm fidei adire naufragium.

Wittenbergæ ſtudet.

M. Sept. A. 1617. in Academiam *Wittenbergenſem* venit, & aſſiduè ſectatus eſt, præter Philoſophos, Theologorum lumina, *Balduinum, Frantzium, Meiſnerum*, & *Hunnium*, quorum Magiſteriis & Scholis mirum profecit.

Philoſ. Magiſter.

A. 1620. Cum impetrâſſet Magiſterii Lauream, Scholas privatas inſtituit, & ita diligentiam ſuam probavit omnibus, ut Philoſophor. Collegium dignum putaret, qui corpori ſuo adſcriberetur, quod A. 1624. accidit. Poſteà cooptatus eſt inter Profeſſores, cum A. 1627. Logica & Metaphyſica ei docendi provincia traderetur. *Profeſſor Philoſ.*

Baccalaur. Theol.

Eodem anno Theologorum Facultas ipſi indulſit copiam privatim legendo & diſputando res Theologicas tractandi. A. 1635. primam in Theologiâ Lauream adeptus eſt cum pro licentiâ, quam vocant, diſputâſſet. A. 1638. demandata ipſi etiam Philoſophiæ Practicæ Profesſio.

Theol. Doctor & Profeſſor.

A. 1640. Tradita ipſi eſt Provincia Theologiam extra ordinem docendi, & A. 1647. Theologiæ Doctor ſolenniter renuntiatus eſt. A. 1649. Profeſſor ordinarius Theol. denominatus, tuncque exaggerari & intendi ipſi labores neceſſe fuit, quod Collegæ primarii *Jacobus Martini* & *Paulus Röberus* cum ſenio tum valetudine gravarentur.

Decanatûs munere in Philoſophico juxtà ac Theologico functus aliquoties eſt: Rectoratum verò Academiæ ter adminiſtravit.

Conjugium triplex.

Uxores habuit tres: primam *Euphroſynam Claram, Martini Prætorii*, Canonici *Magdeburg.* ad *S. Nicolai*, & Med. Doctoris filiam, quam primo ſtatim matrimonii anno, hoc eſt, CHRISTI 1633. amiſit. Alteram *Annam Catharinam, Viti Pelshoferi*, Archiducum *Auſtriæ* Domeſtici natam, quam trium annorum viduus duxit, & quinquennis maritus cum eâ non ſine gravi luctu trium liberorum matrem extulit. Tertiis votis *Annam Hilliam*, quam *Chriſtianus Bonnerus Greſenhenochienſis* Præfecturæ Quæſtor, dudùm defunctus reliquerat viduam, ſibi adjunxit, nullam tamen ex eâ ſuſtulit prolem. Sed ex ſecundâ conjuge liberos reliquit duos, *Annam Sabinam*, *Johanni Andreæ Quenſtedio*, Theol. Doctori & Profeſſori extraordinario ſolennibus collocatam nuptiis, ex quâ bis avus factus eſt, & *Johannem Fridericum* Philoſ. & Theologiæ in patriâ Studioſum. *Liberi.*

Stipendium ordinat.

Pauperibus opem ferre pro ſuis rebus nunquam ceſſavit, nam & 500. florenos ex primæ uxoris bonis ordinavit, ex quorum uſurâ ſtipendium procederet, ſuſtinendis tenuiorum ſtudiis in Academiâ; & aliam ſummam, undè auctarium aliquod annuum illorum adjiceretur ſalariis, qui partes canendi in Templo Arcis, cui ille Præpoſitus fuit, quotidiè obeunt.

A menſe tandem renum doloribus decumbens, quibus acceſſit catarrhus cum tuſſi, & pedum cruciatibus acerrimis, viribus

ſenſim deficiens, & totus propemodum converſus in oſſa, 7. Januarii inter medias circumſtantium preces & hymnos placidè, in ſoporem veluti ſolveretur, exſpiravit A.C. 1660. ætatis 65. *Moritur.*

Scripta. Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Diſputatio de Meſſiâ & JESU Salvatore Mundi.
Manuale Logicum & Phyſicum.
Inſtitutiones Logicæ.
Phyſica recognita.
Metaphyſica exemplaris.
Tabulæ Philoſophicæ.
Methodus diſputandi.
Pædia Theologica.
Problemata Phyſica.
Theoria tranſcendentalis.
Pneumatica.

JOANNES SCHARFIUS,
DOCTOR THEIOLOGUS.
Per Anagramma:
Sanus gaudet in cœli fortis choro.

* *Ex Programm. fun. D. Marci Bantzeri, Med. Prof. Witt. & ex Concione fun. D. Abrahami Calovii.*

Epitaphium.

EPITAPHIUM:

D. S. HIC SITUS EST JOHANNES SCHARFIUS, PHIL. ET THEOL. D. PROFESSORQUE PRIMARIUS, NEC NON ET TEMPLI HUJUS PRÆPOSITUS. IN QUO CANDOR CUM SAPIENTIA, PIETAS, PROBITASQUE CUM ERUDITIONE, FIDES INDUSTRIAQUE PARIA SEMPER FECERUNT. NATUS EST CROPPENSTADII d. 13. JUNII ANNO 1595. OBIIT d. 7. JANUARII ANNO 1660. CUM DOCUISSET PUBLICE ANN. 32. MENS. 7. VIXISSET ANNOS 64. SI MODO POTEST OBIRE, QUEM TOT PRÆCLARA SCRIPTA AC MERITA IMMORTALEM REDDIDERUNT. ANNA HILLIA, LIBERIQUE EX 2. CONJUGE ANNA CATHARINA PELSHOFERA, AC GENER SUPERSTITES, MARITO, PATRI, SOCERO OPTIME MERITO, IDQUE DESIDERATISSIMO, NON SINE LACRIMIS PONENDUM CURARUNT.

In tabulâ, cui effigies ejus appicta eſt, hæc verba leguntur:

JOHANNES SCHARFIUS THEOL. D. P. P. COLL. SEN. ET TEMPLI PRÆPOS.

ROM. 8. 28.

DILIGENTIBUS DEUM OMNIA COOPERANTUR IN BONUM.

NATUS ANNO 1595. 13. JUNII. DENATUS 1660. 7. JANUAR.

Obiit A.C. 1660.

DANIEL SCHMIDIUS.

Patriam habuit *Auguſtam Vindelicorum*, natus 11. Martii A.C. 1604. Patre *Joh. Georgio Schmidio*, Cive & Mercatore honeſto, Matre *Suſannâ Nathaniâ*, Patriciâ *Auguſtanâ*.

Patre anno æt. tertio orbatus, in ſcholam patriam à matre & agnatis miſſus, ſub diſciplinâ Præceptorum fidelium *Eliæ Ebingeri* & *Petri Meuderlini* adeò in literis humanioribus profecit, ut A. 1621. æt. 17. Academiam Argentinenſem cum laude acceſſerit, in qua per quinquennium ſubſiſtens in linguis Orientalibus & ſtudio Theologico ſtrenuè ſe exercuit, Doctorum *Iſaaci Fröreiſenii* & *Johannis Schmidii* S. literarum Profeſſorum ſedulus auditor. *Theol. & linguar. Orient. ſtudioſus. Argentorati.*

A. 1626. In Acad. *Altorfinam* concedens, biennio ſtudium Theologicum continuavit. A. 1628. In *Jenenſem* exinde ſe conferens D. *Johanni Majori*, cujus menſâ uſus erat, & D. *Johanni Gerhardo* Theologis primariis adhæſit. In tribus his Academiis vel convictorem vel contubernalem habuit D. *Joh. Cunradum Dannhauerum*, cum quo per omnê vitam fideliſſimam coluit amicitiam. *Altorfii, & Jenæ.*

A. 1632. In Patria Paſtor Eccleſiæ factus, & per triennium eo munere fideliter functus. A. 1635. Reformatione ingruente diſcedere juſſus, unà cum *Joſuâ Wegelino Poſonium, Hungariæ metropolim*, abiit, ubi per totos 25. annos Concionatoris Evangelici munus obiit, & in venerando contubernio *Poſonienſi* diverſa officia Notarii & Decani, tandemque ultimo octennio Senioris ſummâ cum laude adminiſtravit. *Paſtor Eccleſ. Auguſt.* *Concionator Poſonii.* *Senior Contubernii.*

3. Aug. A. 1633. Conjugium auſpicatus eſt cum virgine *Dorotheâ*, M. *Joh. Conradi Göbelii*, Miniſterii *Auguſtani* Senioris filiâ, quæ filium ei *Danielem* brevi iterum denatum peperit, & biennio poſt A. 1635. in itinere *Poſonium* verſus *Ratisbonæ* obdormivit. *Conjugium primum Auguſtæ.*

A. 1636. *Poſonii* ad ſecunda vota tranſiit cum virgine *Catharinâ*, viri nobilis *Johannis Sertorii*, Civis *Oedenburgi* primarii filiâ, ex qua duas ſuſcepit filias, quarum natu minor *Maria Salome* Patrem morte præceſſit, altera *Anna Catharina*, *Martino Chriſtophoro Metzgero* Med. Doctori & Practico tunc *Poſonienſi*, poſteaque *Ratisbonenſi* deſponſata fuit. Hâc verò conjuge A. 1657. per mortem ei ſubreptâ, tempus vitæ reſiduum in viduitate exegit. *Alterum Poſonii.*

Corporis conſtitutione infirmâ præditus, quam clamor & fervor in concionibus nimius admodùm auxit, lecto tandem affixus, poſtquàm Dom. Collegis ſuis ultimum vale dixiſſet, iiſque Eccleſiam *Poſonienſem* commendâſſet, placidè in Chriſto obdormivit *Poſonii* 29. Febr. A.C. 1660. ætatis 56.

* *Ex Concione fun. Davidis Titii Concionat. Poſon. & Contubernii Decani.*

Obiit A.C. 1660.

LUDOVICUS STEMLERUS.

Reinſtadii natus eſt 10. Dec. A.C. 1577. Patre *Johanne Stemlero* ejus loci 25. annis Eccleſiæ Paſtore, Matre *Annâ*, *Ludovici Iuchii* Conſulis *Orlamundani* filiâ.

Poſt obitum Patris A. 1589. cum matre *Orlamundam* diſceſſit, quo tempore M. *Gregorius Strigenitius Jenâ* veniens Superintendentis *Orlamundæ* munus aggreſſus eſt. Cum filiis hujus ſcholam ibi per ſexennium frequenta- *Diſcipulus Orlamundæ & Gothæ.*

quentavit, & fundamenta linguarum poſuit.

A. 1595. Poſt matris mortem in ſcholam *Gothanam* tunc florentem abiit, & à Rectore illius ſcholæ M. *Andreâ Wilkio* humaniter acceptus eſt.

A. 1601. Habitâ prius in præſentiâ Præceptorum & Senatorum aliquot Oratione valedictoriâ de Philadelphiâ, *Jenenſem* Academiam acceſſit, ubi mox inter Stipendiarios ſuſceptus ſtudium Philoſophicum aggreſſus eſt, cui poſteà Theologicum adjunxit. Ibi cum A. 1607. D. *Johannes Major* Superintendens Biblia *Lutheri* de novo reviſa typis mandaret, in eo opere cum aliis ſtudioſis laborans, Correctorem interdum egit, & Exemplar Bibliorum editorum pro laboris præmio accepit, in quibus deinde Bibliis quotidie legere ſolitus eſt.

Stipendiar. Jenæ.

Corrector in editione Biblior. Lutheri.

Eodem anno propter peſtem *Jenâ* diſcedere coactus *Neoſtadium*, ibi 1608. Cantoris officium, ſuaſu M. *Stephani Rothii*, ſuſcepit, & ultra biennium obivit. Eodem anno ſponſalia celebravit cum virgine *Magdalenâ Johannis Herfurti* filiâ, ex quâ 6. liberos ſuſcepit, ſed duos tantùm filios cum filiâ reliquit ſuperſtites. A. 1610. Diaconus *Ziegenrucki* factus. A. 1613. vocatus à nobilibus *Saxonicis Eſaiâ* & *Schvveipoldo Brandenſteniis*, *Knauenſis* Paſtor conſtitutus eſt.

Cantor Neoſtadii.

Diaconus Ziegenrucki.

Paſtor Knauenſis.

A. 1635. Filium *Eraſmum* Phil. & Theol. ſtudioſum unà cum uxore per mortem abreptum amiſit. A. 1654. Viribus ob ſenium deficientibus in S. Miniſterio *Stephanum Rothum* Theol. Studioſum Coadjutorem à Dominis *Brandenſteniis* ſupplex petiit, & obtinuit, quem vivus ſibi ſucceſſorem in miniſterio fore ſcivit.

Senex coadjutorem accepit.

Tandem cum ſcabie ſiccâ à tribus menſibus fuiſſet afflictus, accedente diſpoſitione febrili, viribus conſumtis, mente & ſenſibus integris placidè exſpiravit 20. Martii A. C. 1660. ætatis 83. in miniſt. eccleſ. & ſcholaſt. 53.

* *Ex Concione funebri* M. *Chriſtiani Berlichii Superintend. Neoſtad.*

Obiit A. C. 1660.

HENRICUS HAMMOND.

IN *Angliâ* ad *Cherſeyam*, in agro *Surreienſi* 26. Aug. 1605. natus, in ſchola *Eatonenſi* in literis initiatus, & Collegii *Magdalenenſis Oxon.* primùm Semicommunarius A. 1622. & 1627. ſocius evaſit.

Poſt Gradum Magiſtri in artibus ſuſceptum, ſtatim ordinatus, ſtudiis Theologicis ſe totum devovit; & cum concione quadã, quam ad Aulam Regiam habuerat, Comiti *Leiceſtriæ* inter cœteros mirum in modum perplacuiſſet, ab eodem ad Eccleſiæ de **Penshurſt** in agro *Cantiano* Rectoratum præſentatus eſt. Ubi etiam poſt aliquot annos, *Briani* Epiſcopi *Ciceſtrienſis* gratiâ ejuſdem Eccleſiæ Archidiaconus evaſit, & ſub idem tempus S. T. Doctoratu in hac Academiâ inſignitus; & in convocationem Cleri, quæ an. 1640. cum Parliamento, quod Breviculum appellatur, indicta eſt, cooptatus.

Rector Eccleſiæ de Penshurſt.

Archidiaconus ibid. S. Theol. Doctor.

Sed intra triennium, partium Parliamentariarum metu, Rectoratu ſuo pulſus, *Oxonium* contendit, ſtatimque Duci *Richmondiæ*, Comitique *Southantonienſi*, *Londinum*, ut de pace pro Rege agerent, petentibus Sacellanus adſciſcitur. In illo negotio tantâ ſe pietate & prudentiâ geſſit, ut inter Theologos in Colloquio *Uxbrigienſi*, quod mox ſequutum eſt, primus nominatus ſit; in eo, cum adverſus *Vineſium* quendam Parliamentarium Miniſtrum diſputare ipſi contigiſſet, multa facilitate & perſpicuitate omnia iſtius, ut & reliquorum ſophiſmata diluit & diſſlavit.

Sacellanus.

Ineunte anno 1645. Doctori *Strode*, qui paulò ante fatis conceſſit, Eccleſiæ Chriſti *Oxon.* Canonicus ſucceſſit, nec non Regiæ Majeſtati à ſacris, & communi omnium ſuffragio Academiæ Orator publicus.

Canonicus Oxon. Regiæ Majeſtati à Sacris.

An. 1647. Regi per omnes, quos toties mutaverat, *Wobourniæ*, *Caveshamiæ*, Palatii *Hamptonienſis*, Inſulæ demum *Vectianæ* carceres, ſemper adhæſit. Verùm tam ſacro munere divulſus, *Oxonium* in ædem Chriſti receſſit, ibique commoratus eſt, ad viſitationem Parliamentariam, per quam non ſolùm Canonicatu ſuo expulſus, verùm etiam per aliquot ſeptimanas incarceratus eſt.

Canonicatu ſuo expulſus incarceratur.

Deinde intra domum D. *Philippi Warvvick* Equitis, apud *Claphamam* in agro *Bedfordienſi* relegatus; poſt aliquot tamen menſes libertate donatus, *Weſtvvoodam* in agro *Wigornienſi* conceſſit, ibidemque in ædibus D. *Johannis Packingtoni* Equitis, ad mortem usque remanſit.

Libertate donatus, Weſtvvoodam concedit.

Obiit 25. Aprilis 1660. & in Choro Eccleſiæ *Hamptonienſis* in agro *Wigornienſi* ſepultus eſt, cum hoc in tumulo ipſius Epitaphio à Doctore *Humfredo Henchmanno* paulo poſt Epiſcopo *Sarisburienſi*, & deinde *Londinenſi* in ipſius memoriam erecto:

Moritur.

Ἀποθανὼν ἔτι λαλεῖται

Epitaphium.

HENRICUS HAMMONDUS, AD CUJUS NOMEN ASSURGIT, QUICQUID EST GENTIS LITERATÆ, (DIGNUM NOMEN QUOD AURO, NON ATRAMENTO; NEC IN MARMORE PERITURO, SED ADAMANTE POTIUS EXARETUR) MUSAGETES CELEBERRIMUS, VIR PLANE SUMMUS, THEOLOGUS LONGE CONSUMMATISSIMUS, ERUDITÆ PIETATIS DECUS SIMUL ET EXEMPLAR. SACRI CODICIS INTERPRES FACILE OMNIUM OCULATISSIMUS. ERRORUM MALLEUS. POST HOMINES NATOS FELICISSIMUS VERITATIS HYPERASPISTES, SUPRA QUAM DICI POTEST NERVOSUS: IN CUJUS SCRIPTIS ELUCESCUNT INGENII GRAVITAS ET ACUMEN, JUDICII SUBLIMITAS, ET ἀκρίβεια, SENTENTIARUM ὄγκος ET δεινότης, DOCENDI METHODUS UTILISSIMA, NUNQUAM DORMITANS DILIGENTIA: HAMMONDUS INQUAM ὁ πάνυ, IN IPSA MORTIS VICINIA POSITUS, IMMORTALITATI QUASI CONTIGUUS, EXUVIAS CARNIS VENERANDAS (PRÆTER QUAS NIL

MORTALE HABUIT,) SUB OBSCURO HOC MARMORE LATERE VOLUIT. 7. CAL. MAJ. 1660. AN. ÆTAT. SUÆ LV.

Scripta. Scripſit

Diſſertationes, quibus Epiſcopatus jura adſtruuntur. Lond. 1651. lat.

De Confirmatione. Lond. 1659. lat.

Paraphraſin & annotationes in Novum Teſtamentum. Secundum editum & auctum Lond. 1659. fol. angl.

Paraphraſin & annotationes in Pſalmos. Lond. eodem anno fol. angl.

Catechiſmum practicum, cum quibusdam aliis ejusdem generis opuſculis, numero circiter viginti, uno volumine publicatis. fol.

Scripſit etiam *Controverſias pro Eccleſiâ Anglicanâ*, adverſus tum Pontificios, tum Schiſmaticos, quæ numero circa tredecim duobus voluminibus nuper editæ ſunt in quarto Angl.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

Obiit A.C. 1660.

CHRISTOPHORUS ALTHOFERUS.

Parentes ejus. MUndum ingreſſus eſt ex veteri & honeſtâ familiâ natus *Herſprucci*, ditionis *Norimbergenſis* oppido 9. Nov. A. C. 1606. Patre *Ulrico* cive ibidem honeſto, Matre *Margarethâ Schmaltzingiâ*.

Puer in Scholâ *Herſpruccenſi* literis humanioribus imbutus, privatum ibi habuit Præceptorem M. *Paulum Piggelium*, Eccleſiæ tunc *Herſpruccenſis*, & poſtmodùm *Norimbergæ* ad S. *Laurentium* Paſtorem primarium.

Altorfium Acad. acceſſit. A. 1621. ætatis 15. Academiam *Altorfinam* accedens ſtudio Philoſophico & Philologico per biennium operam dedit. Exindè A. 1623. Studii Theologici gratiâ in Univerſitatem *Wittenbergenſem* (*Wittenbergam.*) conceſſit, ſed cum ibi ob aëris inclementiam ſæpius ægrotâſſet, anno ſequenti de conſilio D. *Daniel. Sennerti* Med. celebris *Lipſiam* (*Lipſiam.*) regreſſus, & per 15. ſeptimanas ibi commoratus, A. 1624. in Univerſitatem *Jenenſem* (*Jenam.*) tunc florentem profectus eſt; in quâ toto quinquennio Theologiam ſedulus tractavit, & indultu Facultatis Theol. Collegia privata habuit ſuper Aphoriſmos ſuccinctos totius Theologiæ D. *Gerhardi*, ſæpius etiam concionando ſeſe exercuit.

Unde charus extitit Theologis *Jenenſibus*, D. *Johanni Maiori*, in cujus ædibus degens Dom. *Dilberrum* & D. *Rolfinkium* Med. commenſales habuit, D. *Joh. Gerhardo*, & D. *Joh. Himmelio*: qui affectus conteſtandi causâ bis ipſi munera Doctoralia contulerunt diſtribuenda, & A. 1629. venerandæ Facultatis nomine juſſerunt Libellum, cui *AntiBecmanni* titulum dedit, conficere, cui Tractatui Facultas Theologica Præfationem præponens publicè conteſtata eſt, *Althoferum* non ex arrogantiâ vel auſu proprio, ſed inſtinctu ſuo opus illud ſuſcepiſſe.

Eodem Anno 1629, cum Patrem amiſiſſet, in patriam reverſus, ut cum Matre de rebus ſuis diſponeret, à Senatu *Norimbergenſi*, cui viri hujus eruditio jam ſatis innotuerat, anno ætatis 23. ad Diaconatum & Theologiæ Profeſſionem *Altorfii* tunc vacantem legitimè vocatus eſt. Hiſce muneribus ad annum usque 1638. ſummâ fide ac dexteritate præfuit. *Diaconat. & Theol. Profeſſor. Altorfii.*

25. Maji A. 1630. *Altorfii* nuptias celebravit cum virgine *Annâ Mariâ*, *Mich. Pönlini*, Senatûs Norimberg. miniſtri filiâ ſecundogenitâ: ex quâ 12. liberos, 5. filios & 7. filias ſuſcepit. Ex his duo filii *David Chriſtophorus*, & *Chriſtoph. Fridericus*, duæque filiæ cognomines *Annæ Mariæ* infantes obierunt: tres verò filii, *Georgius Chriſtophorus* S. Theolog. ſtudioſus, & Philoſ. Candidatus, *Joh. Chriſtophorus*, & *Chriſtoph. Ulricus*, cum 5. filiabus Patri ſuperſtites vixerunt. Ex his *Eſther Magdalena* A. 1662. M. *Conrado Wolfio*, Scholæ *Culmbacenſis* Rectori deſponſata fuit. *Conjugium. Liberi.*

12. Jan. A. 1639. *Jenam* profectus, prægreſſis Examinibus & Exercitiis Theologicis conſuetis, Doctor ibi Theologiæ publicè renuntiatus ſtatim *Altorfium* reverſus Diaconatu liberatus, Profeſſioni tantùm Theologicæ ad annum usque 1644. vacavit; quo vocatus à *Chriſtiano* Marchione *Brandenburgico* ad munus Generalis Superintendentis *Marchionatûs* ſuperioris, & ſpecialis *Culmbacenſis*, cum familiâ ſuâ *Culmbacum* 25. Febr. diſceſſit. *Doctor Theol. Jenæ. Generalis Superint. Culmbaci.*

A. 1639. Doctor *Jenæ* creatus, & unà cum mercatoribus ſalvum pro more conductum habentibus *Norimbergam* reverſurus, in viâ à prædonibus ſalvum conductum aggreſſis exſpoliatus & veſtibus exutus unà cum mercatoribus reſiduis, qui militum furorem evaſerunt, *Coburgum* per nives ire coactus eſt, cum ex comitibus aliquot armis vim militum repellere volentibus ab iisdem crudeliter interfecti, & mercatoris cujusdam miniſter ad latus *Althoferi* ſclopeto trajectus fuiſſet. *Exſpoliatur.*

Cum tandem 14. diebus ægrotans in lecto decubuiſſet, & Dominicâ prægreſſâ, licèt admodùm debilis, ultimam in Templo Concionem habuiſſet, mundo huic, uxori ſuæ, & liberis valedicens morte optatâ vitam finiit 11. Maji A. C. 1660. ætatis 54. 17. Maji ſeq. in Templo S. *Petri* ſepultus *Culmbaci*. *Moritur.*

Libros edidit: *Scripta.*

AntiBecmannum Jenæ juſſu Theologor. confectum.

Abyſſum Deſperationis Pontificiæ, hoc eſt, Collegium, in quo 15. Diſputationibus oſtenditur, Hominem Religioni Pontificiæ addictum, quà talem, neceſſariò tandem deſperare.

Speculatorem AntiCalvinianum, in quo veritas præcipuorum dogmatum inter Lutheranos & Calvinianos controverſorum demonſtratur, tum dictis Scripturæ, tum propriis Adverſariorum teſtimoniis & hypotheſibus.

Commentaria in Epiſtolas Pauli ad Epheſios, Coloſſenſes & Philippenſes.

Har-

Digitized by Google

Harmoniam Evangeliſtarum enucleatam, ſumtibus Friderici Ziegleri Senatoris & Bibliopolæ Culmbacenſis editam.

Cynoſuram Religionis verè Catholicæ, quam uſq; ad ultimam Diſputationem abſolvit.

Chriſtophorus Althofer. Per Anagr.

Raptus Chriſto floreo.

* *Ex Concione fun. Wolffgangi Erhardi, Eccleſ. Culmb. Diaconi*

Obiit A. C. 1660.

JACOBUS MATTHIÆ.

NAtus eſt *Arbuſiæ* Cimbrorum 17. Octob. A. C. 1602. Patre *Matthia Jacobæo*, Phil. & Med. Doctore, Archiatro *Chriſtiani IV.* & Prælato *Arbuſienſi*, M. *Jacobi Matthiæ* Epiſcopi *Fyonenſis* filio: Matre *Ingeburgâ*, M. *Jani Ægidii*, Epiſcopi *Arbuſienſis* filiâ.

Puer ingenii excellentis. Ingenii in infante argumenta eluxerunt, quod intra quartum ætatis annum 700. rerum vocabula Latina in ædibus paternis edidicerit. Indè in publicam Urbis diſciplinam traditus eſt, Rectore Scholæ M. *Jano Krogio*. A. 1614. Curæ M. *Chriſtiani Foſſii*, Canonici *Arbuſienſis*, commiſſus eſt, in cujus domum receptus in Scholâ Publicâ ſub M. *Chriſtiano Johannis f. Krogii* ſucceſſore ſtudiorum curſum continuavit uſque ad A. 1619. quo à Patre *Othiniam* miſſus eſt, ut ſub Rectore clari nominis M. *Suenone Petræo* ad Academica ſtudia perficeretur. *Diſcipulus Scholæ Arbuſ. & Othinianæ.*

Civis Acad. Hafniæ. A. 1621. *Hafniæ* Civitatem Academicam impetravit, Decano Facult. Philoſ. M. *Wolffgango Rhumanno*, Rectore D. *Cunrado Aslaco* Profeſſore Theologo, & ſtudiorum morumque moderatorem accepit D. *Caſpar. Brockmannum* Theol. Prof. à quo hoſpitio acceptus, & ſingulariter ob ingenii præſtantiam dilectus eſt.

Studioſus Wittebergæ. Lugduni Batavor. A. 1624. *Wittenbergam* abiit virorum doctorum ibi uſus familiaritate. A. 1626. *Lugdunum Batavorum* conceſſit, ubi ingenii elegantiâ & morum ſuavitate ſibi maximos iſtius Academiæ viros conciliavit. A. 1629. In *Angliam* trajecit. A. 1630. *Arbuſium* reverſus, mox juſſu Regio literis Profeſſorum in Acad. *Hafnienſem* ad Eloquentiæ & Humanitatis Profeſſionem vocatus eſt, & cum pro Cathedrâ Profeſſoriâ diſputâſſet, Lectionibus Publicis Curtium frequenti Auditorum concurſu interpretatus eſt. A. 1631. Renuntiatus eſt Philoſ. Magiſter à Decano M. *Wolfgango Rhumanno*. *Hafniæ Profeſſor Eloquentiæ. Philoſoph. Magiſter.*

Paulò pòſt juſſu Cancellarii *Chriſtiani Fris de Kragerup* à D. *Caſp. Brockmanno* cum eo actum eſt de ſuſcipiendo aliquo munere in Cancellariâ Regiâ: cupere enim Regem virum apud ſe perpetuò habere in Latinâ dictione promptum, cujus operâ ad Exteros uti poſſet, ſed modeſtam ejus excuſationem benigna interpretatio accepit. Notarius interea Academiæ fuit magnâ cum laude, imprimis ob ſtyli elegantiam, quæ in Programmatis & Teſtimoniis ab eo ſcriptis elucet, annos duos cum ſemeſtri. *Notarius Acad. Hafn.*

Conjugium ejus & Liberi. A. 1632. Uxorem duxit virginem D. *Caſp. Bartolini* Prof. Theol. filiam, ſuſcepitque ex eâ 4. filios & 3. filias. Filius natu maximus *Matthias* A. 1664. Regiis literis Academiæ *Hafnienſis* Profeſſor deſignatus eſt. Filiarum natu maxima *Ingeburga* M. *Eraſmo Vindingio*, minima *Soſtrata*, D. *Petro Scavenio*, utriq; Profeſſori Regio, nuptiis data. A. 1634. Decanus Facult. Philoſ. deſignatus Magiſtros 19. creavit.

Concionator Aul. Reg. A. 1638. Concionator Regius Aulicus conſtitutus eſt, poſtremus Sacro muneri inauguratus à D. *Johanne Pauli Reſenio*. In eo munere cum officium ex conſcientiâ & prudenter faceret, ſummam Regis ſui *Chriſtiani IV.* gratiam expertus eſt, donis liberalibus & Canonicalibus ſibi & liberis impetratis teſtatam.

Theol. Doctor. Epiſcopus Arbuſienſ. A. 1640. Theol. Doctor primo loco renuntiatus eſt à D. *Caſp. Brockmanno*. A. 1645. Deſignatus Epiſcopus *Arbuſienſis*, dum in hoc munere omnia ſummâ fide, prudentiâ & comitate gereret, literas à Rege *Friderico III.* accepit A. 1651. quibus ad *Sælandiæ* Epiſcopatum & Profeſſionem in Academiâ *Hafn.* Theologicam vocatus eſt: quam ille vocationem modeſtâ valetudinis tenuis excuſatione deprecatus eſt.

Accedente tandem ad morbum inveteratum malignitate, quæ viribus proſtratis intra 10. diem finem illi vitæ fecit, totus in meditatione vitæ cœleſtis defixus obiit 3. Junii A. C. 1660. ætatis 58. cum Epiſcopatum adminiſtrâſſet annos 15, & intereà 26. Præpoſitos conſtituiſſet, & 112. Paſtores Eccleſiis ordinâſſet.

Sepultus eſt in Templo Cathedrali *Arbuſiæ*, & voto in ſepulcro Avi Materni M. *Iani Ægidii*, Epiſcopi *Arbuſ.* Monumentum illi poſitum cum hâc Inſcriptione:

Epitaphium.

D. S.

MEMORIÆ JACOBI MATTHIÆ F. ARHUSIENSIS DOCTORIS, OLIM ELOQUENTIÆ IN ACADEMIA HAFNIENSI PROFESSORIS: INDE REGIS CHRISTIANI IV. CONCIONATORIS AULICI: DEMUM EPISCOPI ARHUSIENSIS CANONICI: VIRI PIETATE, DOCTRINA, FIDE, PRUDENTIA ET GRAVITATE INSIGNIS: THEOLOGI, ORATORIS, ET PHILOLOGI EXCELLENTISS. CONJUGIS SUI DESIDERATISSIMI ANNA BARTOLINA CASPARI F. UXOR, CUM SUPERSTITIBUS 5. LIBERIS ET 2. GENERIS MOESTA SED MERITÒ F. C.

Scripta.

Exilium Pietatis Lugd. Batav. 1627.

Oratio Jubilæa 1630.

De rectè tradendis Diſciplinis & Artibus.

De uſu Philologiæ in omni ſtudiorum genere.

Conciones funebres ling. Dan. in obitu Eilhardi Ulfeld. Nicolai Krag. Oveni Jul. Nicolai Fris.

* *Ex Acad. Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

JACO-

Obiit A.C. 1660.

JACOBUS CANUTIUS.

NAtale ſolum nactus eſt *Haſniam* A.C. 1603. Patre *Canuto Jani* Cereviſiario, viro bonæ famæ, Matre *Mariâ Jacobi* f. Puer ſingulari ingenii docilitate præditus primùm ſub privatâ inſtitutione, poſteà in publicâ Urbis ſcholâ, Moderatoribus M. *Johanne Kraſtio*, & M. *Franciſco Georgio*, literarum rudimenta hauſit.

Diſcipulus Scholæ Soranæ. *Civis Academicus.*

Indè in *Soranam* Regiam ſcholam miſſus, cui tunc temporis præerat M. *Eraſmus Vorde*, artibus & ſcientiis, quæ tradi in ſcholis ſolent, impendit quinquennium. A. ætatis 19. poſtquàm publicè fuiſſet examinatus, Civium Academicorum numero eſt adſcriptus, & in ædibus D. *Brochmandi*, quem *Soræ* habuerat Præceptorem, biennium tranſegit.

Abindè tum Oratoria exercitia publicè recitando, tum partim in Collegiis, partim in Auditoriis, jam Reſpondentis, jam Opponentis vices ſuſtinendo, tum in Urbis Arciſque templo conciones habendo ſic brevi tempore innotuit, ut ab optimo quoque amaretur.

Baccalaureus. *Collega in Scholâ publ.* *Studioſus Wittebergæ.*

Hinc certatim conferebantur illi ſolennes Academici honores: Primùm Baccalaureatûs Inſignia: Mox Collegæ in publicâ Urbis ſcholâ partes. Indè elapſo biennio à Generoſo Dom. *Chriſtiano Fris de Kragerup*, Cancellario ad filios ejus informandos vocatio: atque altero exacto triennio Stipendium Regium. Hoc inſtructus ad Academiam *Wittebergenſem* ſe contulit, ubi cum ob bellicos furores ſtudiis minus aptam ſedem videret, poſt anni moram domum rediit.

Lugduni Batav. *Rector Scholæ Arhuſ.* *Magiſter Philoſ.* *Canonicus Capituli Arhuſ.*

A. 1632. *Londinum Anglorum*, indeque *Franeckeram Friſiorum* ſe contulit, ut Nobilis Adoleſcentis *Ottonis Claudii Pors* ſtudia dirigenda ſuſciperet: cum quo profectus *Lugdunum Batav.* in celebri illâ Academiâ ſtudia triennio continuavit, donec in patriam reverſus A. 1635. Rector Scholæ *Arhuſienſi*, prægreſsâ vocatione, præfectus eſt. Hoc munere dum fungeretur, ſummo in Philoſophiâ Gradu A. 1637, & Canonicatu in Capitulo *Arhuſienſi* ornatus eſt.

Uxorem duxit.

A. 1636. Uxorem duxit Virginem *Eliſabetham*, Reverendi Viri Dn. *Menelai Pauli*, in Regiâ arce *Hafnienſi* Concionatoris filiam, cum quâ filios 5. & filias 4. genuit.

Paſtor Eccleſ. Arhuſienſis. *Theol. Profeſſor Haſ. & Doctor.*

A. 1647. Paſtorale Cathedralis *Arhuſienſis* Eccleſiæ munus ei eſt commiſſum. A. 1648. Cum ultra biennium egiſſet viduus, ad ſecunda vota tranſiit, celebratis nuptiis cum Virgine *Mariâ*, *Eraſmi Nicolai*, Conſulis *Arhuſienſis* filiâ, cum quâ in ſummâ concordiâ 11. annos traduxit. A. 1653. Ad vacantem Theologicam Profeſſionem vocatus, brevi pòſt ſupremo in Theologiâ Gradu à D. *Laurentio Scavenio*, *Sedlandiæ* Epiſcopo, eſt inſignitus. A. 1657. Cum Rectoratum Academiæ gereret, indictis à Rege *Otthinienſibus* Comitiis, unà cum reliquorum Regni ordinum deputatis, Academiæ nomine interfuit.

Ultimo vitæ biennio minus firmâ valetudine gaviſus, & tandem lecto decumbere coactus, licet Medici Regii D. *Thomas Bartolinus*, & D. *Paulus Molch*, nihil remediorum ad morbi pertinaciam infringendam omitterent, ſpei Chriſtianæ plenus animam Servatori reddidit 8. Id. Quint. A. C. 1660. æt. 57.

* *Ex Acad. Haſniæ repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

JEREMIAS ALBERTI.

Obiit A.C. 1660.

NAtus eſt 11. Aug. A. C. 1592. Patre cognomine annis 52. Eccleſiæ *Ermſtettenſis & Gotſtettenſis* Paſtore, cujus Pater *Theodoricus Alberti* Paſtor fuit *Elxlebiæ*: matrem habuit *Magdalenam Calmbergeriam*.

A. 1605. *Erfurtum* in ſcholam Excalceatorum miſſus, in eâ biennium exegit, & apud Patruum M. *Samuelem Alberti*, ejuſdem Templi Concionatorem, convictum habuit.

Gothæ in Gymnaſio diſcipulus.

A. 1607. *Gotham* in Gymnaſium Ducale traductus, ſub diſciplinâ Rectoris M. *Andreæ Wilckii* Curſum intra quadriennium abſolvit, & A. 1611. ad Lectiones publicas promotus eſt.

Lipſiæ & Wittenbergæ Studioſus Theologiæ. *Baccalaur. Erfurti & Philoſ. Magiſter.*

Mox Academiam *Lipſienſem*, & A. 1613. *Wittenbergenſem* accedens ſtudiis Theologicis operam dedit. Biennio pòſt ob corporis infirmitatem *Erfurtum* regreſſus, ibi 24. Oct. A. 1616. in Miniſterii conſeſſu Concionandi exercitium nactus, 15. Oct. Anni ſeq. unà cum 7. aliis in Philoſ. Baccalaureum promotus eſt, & A. 1619. cum 5. aliis Philoſ. Magiſter creatus.

Diaconus ad S. Michaël.

A. 1621. In Gymnaſio Senatorio Collega factus, anno ſeq. 1622. prægreſsâ Concione probatoriâ Eccleſiæ ad S. *Michaëlem* Diaconatum adeptus, paulò pòſt à M. *Modeſtino Wedmanno*, Miniſterii Evangelici Seniore, & Eccleſiæ Mercatorum Paſtore, ordinatus & introductus eſt.

Concionator primarius Erfurti.

26. April. A. 1624. M. *Samueli Judelio* vitâ defuncto in Diaconatu apud Dominicanos ſucceſſit. A. 1642. Poſtquàm Joh. *Matthæus Meyfartus* Theol. D. & Profeſſor, Miniſterii Evangelici Senior & Concionator *Erfurti* primarius vitâ exceſſiſſet, ei ſubrogatus, & *Bartol. Elsnero* Theol. Doctore ejuſdemque cum Linguis Orientalibus Profeſſore publicè inveſtitus eſt, in quo munere vitæ tempus reſiduum tranſegit.

Conjugium ejus & Liberi.

18. Aug. A. 1623. Deſponſatus eſt *Erfurti* cum virgine *Suſannâ*, *Hieronymi Birnſtiel*, Civis honeſti filiâ, ex quâ 5. filios & 4. filias 37. annor. conjugii tempore ſuſcepit, cum eâque 3. filios, *Auguſtum*, *Henricum* & *Johannem*, filiamque *Annam* reliquit ſuperſtites.

Conciones ejus.

Tempore Miniſterii ſui Eccleſiaſtici diverſos S. Scripturæ Libros Concionibus ordinariis, A. 1642. *Prophetam Jonam* 45. concionibus, A. 1643. Libellum *Ruth* 28. concionibus, A. 1644. usque ad A. 1649. *Librum Judicum* 149. Concionibus abſolvit. Deinde *Epiſto-*

Digitized by Google

Epiſtolam Jacobi Apoſtoli 84. concionibus, & *Epiſtolam Judæ* 25. concionibus, tandem A. 1652. *Librum I. Samuel.* explicare incipiens intra octennium 254. Concionibus feliciter ad finem perduxit, & 6. Aug. A. 1660. de *Sauli Regis ejusque filiorum ſepulturâ* ultimam Concionem habuit.

Cum verò multis ab annis vertigini fuiſſet ſæpiùs obnoxius, apoplexiâ tandem forti in Muſæo ſuo correptus in Chriſto exſpiravit 12 Aug. A. C. 1660. æt. 68. *Moritur. apoplexiâ.*

* *Ex Concione fun. Mich. Hertzii Diaconi Erfurt.*

GEORGIUS RABUS.

Obiit A. C. 1660.

MUndum ingreſſus A. C. 1589. Patrem habuit cognominem Eccleſiæ *Teilenhofenſis* Paſtorem, Matrem *Apolloniam Feblerinam* ex oppido **Feuchtwang** oriundam.

Cum puer in Scholâ *Feuchtwagenſi* & *Weiſenburgenſi* ſtudiorum fundamenta poſuiſſet, A. 1608. in Academiam *Wittenberg.* profectus Theologiæ ſtudium aggreſſus eſt, & Theologos tunc celebres D. *Leonhartum Hutterum*, D. *Fridericum Balduinum*, & D. *Wolfgangum Frantzium* publicè docentes ſedulus audivit. *Theol. Studioſus Witt.*

Domum reverſus A. 1611. Cantoris in Scholâ *Weiſenburgenſi* munus ſuſcepit, & A. 1613 *Pappenhemii* Subdiaconus in Eccleſiâ factus unà in ſcholâ Latinâ docuit, & Decani *Stephani Brotwolfii* ex morbo decumbentis vices per integrum annum egit. Exindè A. 1615. *Trommelshemium* ad Eccleſiæ Paſtoratum promotus, & A. 1634. *Weiſenburgi* Diaconus conſtitutus eſt. A. 1637. *Pappenhemii* Decanus denominatus in eo munere 23. annos verſatus eſt. *Cantor Weiſenb. Subdiaconus. Diaconus. Decanus Pappenheim.*

A. 1612. Conjugium iniit cum virgine *Annâ Mariâ Jac. Scheufelini*, Notarii publici, & Dom. à *Pappenheim* Quæſtoris filiâ, ex quâ filium reliquit *Georg. Rabum*, Paſtorem Eccleſiæ *Dietfurt.* & *Rheling.* & filiam *Annam Mariam*, Reverendi Dom. *Immanuelis Schwtigeri*, Paſtoris in *Königshofen* conjugem.

Hâc uxore defunctâ A. 1631. ad ſecunda vota tranſiit cum virgine *Sabinâ* M. *Georgii Nudingi*, Concionatoris *Weiſenburgenſis* filiâ, ex quâ duas filias reliquit.

Arthriticis tandem doloribus cum variis ſymptomatibus conſumptus morte beatâ vivendi finem fecit 10. Octob. A. C. 1660. ætatis 71. *Moritur.*

* *Ex Concione fun. Thomæ Erneſti.*

Quidam ex amicis in honorem ejus hoc ſcripſit Epitaphium: *Epitaphium.*

Siſte Viator,
Tempore curto;
Siſte gradum, inquam,
Corde voluta,
Et prius urnam
Aſpice, quæſo,
Quis latet illic
Quæris? Habeto;
Conditur hîc Pietas, Probitas, Patientia, Candor,
Corvinus, cujus nomen laudesque manebunt,
Dum fuerit Fama, & ſtabit dum machina Mundi.
Ergò Viator,
Hunc imitare,
Cœlica tandem
Tecta videbis,
Mente beatus.

GEORGIUS HAUFFIUS.

Obiit A. C. 1660.

NOrdlingæ, oppido *Sueviæ* natus 6. Martii A. C. 1588. Patrem habuit cognominem, Paſtorem Eccleſiæ & Concionatorem per 52. annos in Cœnobio *Nordlingæ Carmelitano*, Matrem *Barbaram Niclaſiam*.

Cum in Scholâ patriâ ad annum ætatis usque 16. literarum fundamenta jeciſſet, in Gymnaſium *Lauinganum*, & biennio poſt in Univerſitatem *Tubingenſem* diſceſſit, ubi A. 1607. Philoſ. Baccalaureus, & A. 1608. Magiſter cum laude creatus eſt. Theologos deinde celebres, *Gerlachium*, *Oſiandrum*, *Hafenrefferum*, & *Sigwartum* publicè docentes ſedulus audivit, & interdum concionando ſe exercuit. *Magiſter Tubingæ.*

A. 1610. *Argentoratum* veniens, mox *Daudenzellum* in *Kreichovia* ad Vicarii, &, brevi poſt, ad Concionatoris munus vocatus ac ordinatus eſt. Poſtea A. 1613. Paſtor Eccleſiæ *Helmſtadii*, & A. 1617, vocante Magiſtratu patrio, Diaconus Eccleſiæ *Nordlingenſis* conſtitutus in eo munere 36. annos exegit. *Paſtor Eccleſ. Daudenzella. Diaconus Nordling.*

A. 1611. *Tubingæ* conjugium iniit cum virgine *Margarethâ*, *Michaëlis Peſſii*, Oculiſtæ & Lithotomi Ducis *Wirtenbergici*, filiâ, ex quâ filiolam unicam brevi poſt partum denatam A. 1628. ſuſcepit.

Hâc verò uxore A. 1649. vitâ defunctâ, ad ſecunda vota tranſiit cum virgine *Eliſabethâ Chriſtophori Marii*, Mercatoris *Auguſtani* filiâ, & Magiſtri *Johannis Marii* Eccleſiæ Paſtoris ibidem ſorore, deſponſatus A. 1650. quam ſterilem viduam reliquit.

1. Nov. A. 1652. Ob ſenium debilis à Magiſtratu rude donatus Archidiaconi, Conſiſtorialis & Senioris nomina retinuit. Morte tandem beatâ mundo valedixit 12. Octob. A. C. 1660. æt. 72. anno quo *OMnIa horrenDa & LVCtVoſa,* *Archidiaconus & Senior, rude donatus. Moritur.*

Herr HaVff War Vnſer aVus, ein Werther Gottes Mann/
Iſt zWar annVn DahIn / ſeIn Lob nIe faVLen kan.

* *Ex Concione fun. Chriſtiani Erneſti Diaconi Nordling.*

JOHANNES GEORGIUS HARTMANNUS.

Obiit A. C. 1661.

RInderfeldiæ, ditionis *Hatzfeldicæ* natus eſt 7. Martii A. C. 1611. Patre M. *Johanne Hartmanno*, Poëtâ Laureato Cæſ. tunc loci illius Paſtore, poſteà verò Diacono *Rotenburg.* ubi obiit 13. Nov. A. C. 1634. Matrem

Digitized by Google

habuit *Margaretham*, *Laurentii Prenningeri*, Diaconi *Lentzenbronnenſis* filiam.

Studioſ. Philoſ. & Theol. Argentorat.

Cum in Scholâ *Rotenburgenſi* ſtudium Claſſicum abſolviſſet, A. 1630. *Altorfii* Depoſitionis ritu initiatus, anno ſeq. M. Sept. in Academiam *Argentinenſem* diſceſſit, ubi Profeſſores docentes audivit in Philoſophicis & Philologicis Dom. *Johan. Cunradum Dannhauerum* Prof. Eloquentiæ, *Nicol. Aggerium*, *Valentinum Eſpichium*, & *Danielem Rixingerum*, in Theologicis *Johannem Schmidium*, & *Joh. Georg. Dorſcheum*. Ibidem Studii Poëtici præmium à D. *Sebaſt. Hornmoldo*, Comite Palat. Lauream Coronam obtinuit.

Poëta Laureat.

A. 1636. *Argentorato Heilbronnam* veniens, ibi aliquandiu Pædagogum egit liberorum Dom. *Joh. Georgii Seyboldi*, militiæ Ducis.

Paſtor Eccleſ. Liechthalii.

Eodem anno *Rotenburgum* reverſus, prægreſſo examine, Paſtor Eccleſiæ *Liechthalii* factus, ſed anno demùm 1639. propter turbas bellicas cœtui ſuo præſentatus eſt.

Schmerbaci. Spilbaci. Concionator Rotenburgi.

A. 1642. *Schmerbacenſis* Paſtor, & A. 1648. *Spilbacenſis* quoque conſtitutus, tandem A. 1658. à Senatu Reip. *Rotenburgenſis* ad Concionatoris munus in Templo Xenodochiali ad Spiritum Sanctum accerſitus, ibi vitæ reſiduum tranſegit.

Conjugium ejus duplex.

28. Febr. A. 1637. *Rotenburgi* nuptias celebravit cum virgine *Annâ Mariâ*, *Georgii Schwartzmanni* Pharmacopœi filiâ, quæ 14. ei liberos, filios 9. & filias 5. peperit, ex quibus 4. filios totidemque filias poſt fata reliquit.

4. Dec. A. 1660. Poſt uxoris obitum iterum deſponſatus eſt cum *Annâ Mariâ*, *Baltaſ. Spieſſii*, *Auguſtani*, relictâ viduâ, cum quâ breve admodum tempus debili valetudine vixit. Mox enim poſt nuptias febre malignâ cum petechiis & pleuritide ſubitò correptus exſpiravit 13. Jan. A. C. 1661. ætat. 50.

Moritur.

* *Ex Concione funebri M. Georgii Nagelii Paſtor. Rotenburg.*

Obiit A. C. 1661.

JOHANNES HüLSEMANNUS.

Filius Theologi.

VAgitûs primos D. *Joh. Hülſemanni* *Eſena*, *Friſiæ orient.* civitas, 26. Novemb. A. C. 1602. excepit. Patrem habuit *Henricū Hülſemannum*, *Oſnabrugenſem*, Paſtorem *Eſenſem*, & Baronatûs *Eſenſis* ac *Wittemundenſis* Superintendentem, 17. Jul. A. 1624 cœlicolis adſcriptum: Matrem *Annam Bobliam*, Dn. *Boblii Hoym à Velde*, Conſulis *Auricenſis*, ex antiquâ proſapiâ (quæ territorio, priusquàm in Comitatum verteretur, Dominos dedit) filiam, 12. Martii A. C. 1642. rebus humanis exemptam.

Schola Nordenſis diſcipulus,

Puerum Parentes pietatis & literarum elementis imbuendum Scholæ patriæ alumnum eſſe voluerunt, cui domeſticas Præceptoris privati operas addiderunt: duodecennem Paſtoris *Nordenſis* in Orient. *Friſiâ*, M. *Hermanni Meſandri* menſæ & inſpectioni, ut ſcholam iſtius loci frequentaret, commiſerunt.

& Stadenſis.

Poſt unius anni decurſum, in Scholam *Stadenſem* miſerunt, & inſtitutioni privatæ M. *Nicolai Krügeri*, Eccleſiæ Paſtoris, Convictoris & Hoſpitis ſui crediderunt.

Hanoveræ Stud.

Cum exceſſiſſet ephebis, inſtructus teſtimonio, quod in Latinâ linguâ, proſâ & ligatâ oratione congruè loquatur & ſcribat, A. 1618. ad capeſſendos in literis profectûs majores in Scholam *Hanoveranam* conceſſit, trivialibus coronidem impoſiturus. Tandem in linguis & artibus ibidem profecit, ut exercitiis Logicis & Rhethoricis incrementa ſua Præceptoribus probaret, & A. 1620. Patris juſſu, domum redux, teſtimonium afferret, quod paucos ſui ſimiles ibidem habuiſſet.

Roſtochii Stud.

A. C. 1621. *Roſetum Megapolitanum* adiit, ubi ſub inſtitutione fideli Profeſſorum M. *Jacobi Freygeri*, M. *Jacobi Engelbrechti*, M. *Henrici Vulpii* & D. *Johannis Affelmanni* per biennium in Collegiis privatis Logicis, Phyſicis, Mathematicis, Ethicis, Theologicis eruditioni ſuæ indies magis magisque adjecit.

Wittenbergæ Stud.

A. 1622. De Conſilio Dn. Parentis, Academiam *Leucoream* acceſſit, menſâ & hoſpitio à D. *Wolfgango Seballero* Med. Prof. poſteà à *Chriſtiano Gueinzio*, tandemque D. *Friderico Balduino* Theol. Prof. & Superintendente exceptus. Ibi propiùs ad metam oculos intendens, Diſputationibus publicis, tàm in Philoſophiâ, ſub præſidio M. *Abrah. Heineccii*, Profeſſoris Logici, & M. *Johannis Scharfii*, quàm Theologiâ D. *Jacobi Martini*, & D. *Baltaſ. Meiſneri*, præſertim ſub D. *Frid. Balduino*, De dogmatibus ad ſalutem creditu neceſſariis, futuræ famæ vadum tentavit.

Lipſiæ Stud.

Lecto emortuali hoc hoſpite ſuo affixo A. 1627. *Lipſiam* ad D. *Henricum Hopfnerum* Theologum ſe contulit, ſub cujus præſidio *Diſputationem* publ. *De fidei ad juſtitiam imputatione contra Pontificios, Socinianos, & Remonſtrantes* habuit. Hâc defenſâ tantum apud *Lipſienſes* inclaruit, ut ipſi aperire Collegia Theologica privata permiſſum fuerit. Intereà temporis etiam D. *Matthiæ Hoë*, Concionatori aul. *Sax.* innotuit.

Collegia privata aperuit.

Iter in Belg. & Galliam fecit.

Poſtquàm abitum *Lipſiâ* M. Aug. A. 1627. paráſſet, in *Belgium* & *Gallias* excurrit, hyberna *Pariſiis* fixit, & vere novo anni ſeq. 1628. per mare vectus *Hamburgum*, Muſas *Lipſienſes* reſalutavit. Brevi poſt *Marpurgum* iter inſtituit, ubi convictor D. *Menonis Hannekenii* Theol. tunc & Hebr. ling. Profeſſoris, poſteà Superintend. *Lubecenſis*, Collegiis Theol. privatis informationi ſtudioſæ juventutis vacavit, juſſuque Generoſi Comitis in *Friſiâ Orient.* Licentiam in Theologiâ ſubmiſſè petiit, quam etiam præſtitis præſtandis non difficulter obtinuit.

Marpurgi Theol. Licent.

Ex eo ſparta Paſtoratûs *Nordenſis* A. 1629. ei fuit oblata, quam tamen ſuis ductus rationibus modeſtè recuſavit.

Cum diſceſſiſſet *Marpurgo*, Academiis *Germaniæ ſuper.* luſtrandis temporis nonnihil dedit, ſed circa nundinas *Numburgenſes*

Lipſiam

Digitized by Google

Lipſiam rediit. *Lipſiam* repetiit, apud veterem ſuum Hoſpitem, D. *Henr. Höpſnerum*, divertens, & telam Collegiorum privatorum per itinera varia quadantenus redintegrans.

Theol. Profeſſor Wittenb. Eodem A. 1629. ad vacantem Profeſſionem Theol. *Wittenbergenſem* unà cum aliis Competitoribus denominatus, ab Elect. *Sax.* & Burggravio *Magdeburg.* confirmatus, & ab Univerſitate per literas ſolenniter fuit vocatus.

Maritus & Theol. Doctor factus und die. Tunc fidem conjugalem *Sophiæ*, D. *Friderici Balduini* relictæ viduæ, Dom. *Eucharii Barwaſſeri* tunc Prætoris, & brevi pòſt Conſulis *Torgavienſis* filiæ, impetrato priùs per literas conſenſu materno dedit, & ſponſalia per benedictionem Eccleſiaſticam 26. Jan. A. 1630, cum horis antemeridianis à D. *Paulo Röbero* Theol. Prof. & Superintendente S. Theol. Doctor renuntiatus fuiſſet, præſentibus Sereniſs. *Sax.* Electoris, Illuſtr. viduæ *Anhalt. Serveſtanæ*, Generoſ. Comitum à *Solms* & *Friſiæ Orient.* Legatis, conſummari curavit.

Interfuit Conventui Theol. Lipſiæ. Ad gubernacula Reip. literariæ *Wittenberg.* tribus vicibus ſedit, Decanatûs munus in Facultate Theol. octies ſuſtinuit, Conventui Theologor. *Lipſiæ* A. 1630. congregator. cum de apologiâ pupillæ Ordinum Evangelicor. adverſùs Pontificios adornandâ inirentur conſilia, interfuit, Commiſſiones varias & interdum odioſas Eccleſiam & Academiam concernentes ad ſe delatas non recuſavit: cumque Colloquium charitativum A. 1645. à Sereniſſ. *Poloniæ* Rege *Thorunii* habendum fuiſſet indictum, & *Auguſtanam* Confeſs. Profeſſi ſubditi ab Electore *Sax.* Theologum Hyperaſpiſten petiiſſent, ſolus hic, qui ferendo eſſet oneri, à Facultate Theologicâ *Wittenberg.* nominatus, & ab Electore deſtinatus, operi partes moderatoris Theologor. *Auguſtanæ* Confeſs. in ſe ſuſcepit, iiſque magnâ cum dexteritate defunctus eſt. *Legatus ad Colloq. charitativum Thorunii.*

Paulò antè A. 1642. cum iter in Patriam adornâſſet, & eâ occaſione confœderatas *Belgii* Provincias perluſtrâſſet, *Amſtelredami* Paſtoratus fuit delatus, ſed ditionibus *Saxonicis* deſtinatus, poſt obitum D. *Matthiæ Hoë*, ad officium Concionatoris aulici ſupremi & Conſiliarii Eccleſiaſtici denominatus, & parvâ interjectâ morâ *Lipſiæ* Paſtor Eccleſiæ ad D. *Nicolai*, Profeſſor Publ. Conſiſtorii Eccleſ. Aſſeſſor, & Alumnorum Electoral. Ephorus, præviâ ubilibet legitimâ vocatione, factus eſt. *Concionator aulicus Dresdæ. Lipſiæ Paſtor ad D. Nicolai Theol. Profeſſor &c.*

Vocationi itaque Divinæ parens 11. Junii A. 1646. familiam ſuam *Lipſiam* tranſtulit. Habitâ ſtatim poſt acceſſum *Diſputatione* publ. De *Miſsâ contra Hugonem Grotium*, in Collegium Theologicum aſſumtus, & M. Oct. ὁμοψηφίᾳ quatuor Nationum Canonicus *Cizenſis* electus fuit.

Nec in hoc gradu ſubſtitit, ſed poſt quadriennium ferè A. 1651. poſt obitum Rever. & Generoſi Dn. *Stephani à Frieſen*, Præpoſiti *Numburg.* & *Cizenſis*, clementiâ Sereniſs. Electoris *Sax.* Capituli *Zizenſis* Præpo- *Præpoſitus Cizenſis.* ſitus, & ſimul Senior Capituli *Numburgenſis* evaſit.

His dignitatibus Concilium Nationale adhuc alias, Decemviratum ſcilicet A. 1653, & Canonicatum *Miſnenſem* A. 1657. conſentientibus ſuffragiis, adjecit. *Decemvir Univerſit. Canonicus Miſnenſis.*

Deerat in miniſterio Eccleſiaſtico munus Ephori, quod poſt obitum D. *Chriſtiani Langii* pariter ad ipſum fuit devolutum A. 1657, ſuper quo M. Sept. A. 1660. à D. *Jacobo Wellero*, Electoris Concionat. aulico inveſtituram accepit, cum Inſpectione Eccleſiarum & Scholarum circuli *Saxonici*. *Superintendens Lipſ.*

Ex uxore, cum quâ in 32. annum amicè vixit, 10. liberorum utriusque ſexûs Parens eſt factus. *Liberi ejus.*

Ex filiis *Henricus* & *Eucharius* infantes obierunt, *Johannes* ſuperſtes manſit. Ex filiabus *Anna Barbara* & *Margaretha Sophia* rebus itidem humanis exemtæ, ex 4. ſuperſtitibus natu maximam *Annam Barbaram* Dn. *Jacobo Claudero* Theol. D. & Diœcæſeos *Delitienſis* Superintendenti A. 1650, natu ſecundam *Margaretham Sophiam* ſecundam Dn. *Joh. Martino Luthero* Conſil. Elect. *Sax.* & Canonico *Miſnenſi*, D. *Pauli Lutheri*, Megalandri *Mart. Lutheri* filii & Archiatri *Sax.* ac *Brandenburgici*, ex filio *Joh. Erneſto Luthero*, Capituli *Cizenſis* Seniore nepoti, A. 1655; tertiam *Chriſtinam Eliſabetham* Dn. *Chriſtiano Bilefeld*, Theol. D. Superintendenti *Wernigerodenſi*, & Conſiſtorii, quod eſt in Comitatu *Stolbergenſi*, Aſſeſſori A. 1656; quartam *Dorotheam Eliſabetham*, D. *Abrahamo Calovio*, Superint. & Profeſſori *Wittenbergenſi* Theol. A. 1659. elocavit: ex quibus etiam nepotes & neptes numero 9. vidit. *Generi ejus. 1. Jacob. Clauderus Theol. 2. Joh. Mart. Lutherus J. C. 3. Chriſtianus Bilefeld Theol. 4. Abrah. Calovius Theol.*

In vitâ Theologi conſummati typus erat & exemplar, in precibus ad DEUM aſſiduus, erga Magiſtratum honore, erga Collegas amore, erga quosvis opis indigos inſerviendi ſtudio conſpicuus.

A. 1656. Concionantem in feſto Paſchatos, & paulò pòſt Dominicâ X. Trinitatis, gravis lipothymia cum hemiplexiâ ſpuriâ ipſum infeſtavit: Ex quo tempore vires ſenſim decreverunt, donec A. 1660. Dom. 18. poſt Trinit. morbus hic inter concionandum repetiit, & cathedræ Eccleſiaſticæ conſcenſu ipſum prohibuit. *Morbi ejus.*

Paulò pòſt nundinas vernales viſitaturus Dominos generos, quos habebat propinquiores, *Wurzenam* & *Delitium* profectus eſt, ſed domum reverſus iterum pejus habuit.

Nullis laboribus & remediis per aliquot annos à Dnn. Medicis imprimis D. *Johanne Michaëlis* fuit parſum, ſed baſi ſanitatis reſtituendæ, naturæ ſcilicet cooperatione deficiente fuerunt fruſtrà. JESUM itaque ſuum firmâ fide amplexus, velut in placidum ſomnum ſolutus, circa ipſum ſolſtitium æſtivale, curſum ſuum hic ſol Theologorum, cum Horizontem vitæ annor. 58. 30. ſeptimanarum, & bidui ferè ſpatio perambulâſſet, eodem, quo *Lipſiam* venerat, die 12. *Placidè obiit.*

Junii ſtitit. Sepultus *Lipſiæ* in Templo S.*Nicolai* 16. Junii ſeq.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Lipſ. & ex Concione fun. D. Mart. Geyeri.*

JOHANNES HULSEMANNUS
Per Anagr.
Nonne Iheſus lavans me.

Epicedium M.*Gotfridi Sternbergeri.*

HULSMANNUS fuit: ah quàm ſæva potentia mortis!
Hulsmanni *interitu Lipſia tota gemit!*
Hulsmanno *è mundo nunc contigit ire beatum.*
Hulsmannum *capiunt aurea templa Poli.*
Hulsmanne *ô ſalve, cœlo decus addite ſalve!*
Hulsmanno *feriet nos moriente malum.*

Ab eo edita ſunt ſequentia
Scripta. Scripta.

Commentar. in Libros V. Moyſis.
in Prophetam Jeremiam, ejusq́; Threnos. Opus poſthumum.
in Prophetam Ezechielem.
in Librum Concordiæ.
Annotationes in omnes Vet. Teſtamenti Libros, præter Prophetas minores.
De Miniſterio Conſecrationis & Ordinationis.
Explicationes Dictorum difficilium Vet. Teſtamenti.
Deciſiones Caſuum Conſcientiæ.
Deſcenſio ad inferos.
De auxiliis Gratiæ: Diatribe Scholaſtica. in 4to.
Breviarium, ejusque Supplementum.
Extenſio Breviarii Theologici de præcipuis controverſiis.
Idea boni Principis.
Dialyſis Apologetica problematis: Num myſterium Trinitatis aut Divinitatis Chriſti ex V.T. poſſit evinci, & omnibus ejus temporis fidelibus creditu fuerit neceſſarium?
Manuale Confeſs. Auguſtanæ Hagero Ieſ. Herbipol. oppoſitum.
Collegium Publicum Antipapiſticum.
Methodus concionandi & Studii Theologici. in 8vo.
De primatu Papæ, ſeu Poteſtate Rom. Pontificis.
Tractatus contra neceſſitatem conjunctionis Evangelicorum cum Rom. Papatu.
De bonis operibus Diſputat.
Animadverſiones in Tomum I. Controverſiar. Rob. Bellarmini.
Baliſta in Murum Purgatorii contra Corneum Ieſuitam.
Calviniſmus irreconciliabilis.
De jure & moderatione correptionis fraternæ diſſertatio.
Epiſtola prolixa Syncretiſticis Duræi phantaſiis oppoſita.
Confeſſionis Reformator. Colloquio Thorunienſi oblatæ Refutatio.
Dialyſis Calixtini Problematis.
Judicium de Calixtino deſiderio.
Calixtiniſcher Gewiſſens-Wurm.
Jubel-Freud über den vor 100. Jahren publicirten Religions-Fried in Teutſchland / in der Kirch S. Nicolai zu Leipzig erklärt / am 29. Sept. A. C. 1655.
Conciones de V. Chriſti vulneribus.
Volumen Concionum funebr.
Hauß-Kirchen-Poſtill.
Diſpoſitiones Epiſtolares in Epiſtolas Dominicales & Feſtivales. Opus poſthumum.
Harmonia Apoſtolica S.S. Pauli & Jacobi de Juſtificatione ab Hugonis Grotii corruptelis vindicata in fol.

AUGUSTIN9 FASCHIUS.

Obiit A.C. 1661.

HAuterodæ in ditione *Heldrungenſi* natus eſt 8. Aug. A.C. 1599. Patre cognomine, ibidem 42. annos Eccleſiæ Paſtore & Seniore, qui Dom. Trinit. A. 1637. æt. 72. obiit. Matrem habuit *Catharinam*, *Johannis Hegendorfii*, primi Concionatoris Evangelici *Burchwendæ* in ditione *Bleichlingenſi* relictam filiam.

A. 1612. In Scholam cœnobialem *Roslebii* miſſus, ibi ſub diſciplinâ M. *Chriſtiani Bodenſtenii* ultra quinquennium ſubſtitit, & literarum fundamenta poſuit. *Diſcipulus Scholæ Roſleb.*

A. 1618. Pater domum revocatum ipſe *Wittenbergam* comitatus eſt, & D. *Jacobo Martini*, Philoſopho & Theologo celebri commendavit, cujus aliorumque Patronorum auxilio inter Stipendiarios Electorales receptus eſt. Ibi 9. April. A. 1622. cum aliis 41. Candidatis Gradu Magiſterii ornatus, abindè diverſa Collegia lectoria & diſputatoria habuit, aliquoties publicè diſputavit, & ſtudio Theologico ſedulus operam dedit. *Wittenbergæ Stipendiar. Philoſ. Magiſter*

A. 1626. Archidiaconus *Arnſtadii* conſtitutus ope D. *Chriſtoph. Lappii*, Cancellarii *Schwartzenburgici*, munus ſuum alacriter obivit. *Archidiaconus Arnſtadii.*

A. 1629. quem nomen ejus, *MagIſter AVgVſtInVs FasChIVs HaVteroDenſIs*, expreſſit, d. 13. Julii Conjugii fœdere ſociatus eſt virgini *Margarethæ*, *Jeremiæ Eckoldi*, Conſil. & Camerarii *Ordruff.* filiæ. Ex eâ duos filios & tres filias ſuſcepit ac reliquit. *Nuptias celebravit.*


Filius natu major *Auguſtinus Henricus Faſchius* in Academiâ *Jenenſi* ſtudio Medico operam dedit, alter *Guntherus Henricus* in patriâ tunc Claſſes adhûc frequentavit. Filia natu major *Margaretha Catharina* A. 1653. *Valentino Bergero*, Gymnaſii *Hallenſis* Rectori nupta fuit, altera *Anna Eliſabetha Nicolaum Kiſewetterum* Comit. *Schwartzenburg.* Secretarium *Ebelebii* maritum ſortita eſt. Tertia *Anna Dorothea* tunc temporis adhûc virgo in ædibus paternis vitam traduxit.

A. 1635. Aſſeſſor Conſiſtorii Eccleſiaſtici in Comitatu *Schwartzenburgico* deſignatus, fidelis Eccleſiæ Paſtoris officium per totam vitam præſtitit, & Anno ſeq. 1636. Peſte graſſante pauperibus æquè ac divitibus opem tulit. *Conſiſtorii Eccleſ. Schwartzenburg. Aſſeſſor.*

Tandem in templo *Arnſtadii* concionatus, cum concionem ſuam vix incepiſſet, lipothymiâ correptus, eam abſolvere non potuit: ſed æger domum ſuam deportatus, triduo pòſt viribus collapſis in Chriſto expi-

Digitized by Google

Digitized by Google



IOHANN IACOB' BEVRER.
Paſtor Weiſſenburgenſis



DOMINICUS BEER.
Theol. Noriberg




NICODEMUS LAPPIUS
Superint Arnſtatenſis.



TOBIAS SEIFARTUS
Theol. D. et Superint. Co



IACOBUS WELLERUS
Theol. D. Concion. Aul. Dresd



IOHANNES BUXTORFI'
Theol. D. et Prof. Basil.




ANANIAS WEBER'
Theol. D. et P. primar. Uratisla



ICH CONRADHEDENT
Eccles Lauffens. Paſtor



BERNHARD' WALDSCHMID
Eccles Franc. Miniſter



ANDREAS FROMMAÑUS
Theol. et Philos Prof. Coburg.



IOHAÑES HOORNBEEK
Theol. D. Past et Prof Ultraiect.




DANIEL HEINRICI
Theol. D. et Prof. Lips



IOHANN. AND. PICCART,
Theol Lic. et Super Suinfurt



CHRISTIAN' CHEMNITI'
Theol. D. et Superint. Ienenſis.



ALBERT' VOLCARTUS
Theol. Noriberg



ADAM' WELNHELMER
Past et Superint. Es

Moritur. exſpiravit 15. Aug. A.C. 1661. ætatis 63. incipiente.

DN. MAGISTER AUGUSTINUS FASCHIUS DIACONUS, UT ET CONSISTORII ASSESSOR ARNSTETI.

Per Anagramma M. *Chriſtoph. Faſchii*, Poëtæ Laur. & Dec. *Heldrung.*
Ductor Is in Cathedrâ ceſſans gratiſſimus aſtat
In JESU regno hic fortis, juſtus, ovans.
* *Ex Concione funebri.*

GEORGIUS ZYRLINUS.

Obiit A.C. 1661.

NAtus eſt 14. Maji A.C. 1592. Patre *Johanne Zyrlein*, Eccleſiæ Paſtore *Lichtbalii* 37. annis, & biennio *Gattenhofii*, ubi obiit 22. Julii A. 1625. Matre *Apolloniâ*, *Leonhardi Lochneri*, lanii, relictâ filiâ.

A. 1600. Puer *Michaëlis Maji*, Ludimagiſtri *Crechlingenſis*, diſciplinæ traditus, principia Grammaticalia didicit.

Rotenburgi Claſſes frequentavit.

A. 1602. *Rotenburgum* ad M. *Sebaſtianum Hofmannum*, quartæ Claſſis Præceptorem, veniens, in Claſſem quintam poſitus cœteras omnes pertranſiit, donec in primam ſub Rectoratu M. *Eliæ Ebingeri, Auguſtani*, pervenit, & egregia profectuum ſpecimina præbuit.

Studioſus Theol. Wittenbergæ & Argentorati.

A. 1609. Stipendio à magiſtratu *Rotenburg.* inſtructus, in Academiam *Wittenberg.* diſceſſit, A. 1613. Indè *Argentoratum* profectus, Studia Theologica feliciter abſolvit.

Diaconus Rotenburg. Concionator meridianus. Superintendens.

A. 1617. Jubilæo Evangelico *Rotenburgum* à Senatu revocatus, mox Urbis Diaconus factus eſt. A. 1618. poſt obitum M. *Caroli Hornungi* promotus ad Concionatoris meridiani munus, huic triennio cum laude præfuit, usque ad A. 1621. quo M. *Joh. Neſero*, Paſtori & Superintendenti, in munere Eccleſiaſtico ſucceſſit, & à duobus Conſulibus ac Scholarchis, *Johanne Staudio* & *Johanne Bezoldo*, Eccleſiæ præſentatus eſt.

Poëta Laureat.

A. 1625. Cum paulò antè in actu quodam Scholaſtico Carminicè peroràſſet *De Reſurrectione Domini noſtri Jeſu Chriſti*, inſcius nec deſiderans Laurum Poëticam cum Inſigniis à D. *Sebaſtiano Hornmoldo Tubingenſi* Jur. Doct. Comite *Palat.* & Conſiliario *Würtenbergico* ſibi tranſmiſſa accepit. 18. April. A. 1631. iterum Carminicè peroravit De *Antiocho Epiphane* ex Libris *Maccabæor.*

Conjugium duplex, & Liberi.

16. Martii A. 1617. Nuptias primas celebravit cum virgine *Barbarâ*, *Stephani Bolſchil*, Judicii in *Rimpaco* ſup. aſſeſſoris, filiâ. Ex quâ 41. annor. conjugii tempore 3. filios & 7. filias ſuſcepit: ſed filium tantùm reliquit *Joh. Baptiſtam Zyrlinum*, Diaconum *Rotenburgi* ad S. *Jacobum*, & tres filias, omnes Theologis deſponſatas, ex quibus 35. nepotes & neptes in vivis aſpexit.

Hâc uxore A. 1659. demortuâ, ad altera vota tranſiit cum virgine *Evâ Meichsneriâ Crailsheimenſi*, quam viduam ſine liberis poſt fata reliquit.

Ætate decreſcente bis A. 1655. & 1658. paroxyſmis epilepticis correptus, viribus indè admodùm debilitatis munere ſuo ægrè fungi potuit. Eodem affectu tandem cum ſummâ vehementiâ reverſo placidè exſpiravit 19. Aug. A.C. 1661. æt. 70. *Moritur.*

Epicedium M. *Joh. Henrici Riſii*, Poëtæ Laur. & Decani *Hatzfeldici*, cujus prior verſus Cancrinus eodem ſenſu retrò legitur:
Signa ſubit Cirlin (roſor nil rictibus angis!)
Cœlica: Doctores ſic velut aſtra micant.
* *Ex Concione fun. M. Georgii Nagelii Eccleſiaſtæ Rotenburg.*

WOLFGANGUS JACOBUS MÜLLERUS.

Obiit A.C. 1661.

PAtrem habuit M. *Georgium Müllerum*, Eccleſiæ tunc in vico Kalchreut Paſtorem, & poſteà *Noribergæ* Diaconum *Sebaldinum*, ex *Helenâ Mänborniâ* natus 10. Octob. A.C. 1614.

Cantor Altorfii. Maritus.

Cum A. 1632. Patrem amiſiſſet, anno ſeq. Academiam *Altorfinam* acceſſit, & Anno 1634. *Jenenſem.* A. 1635. *Altorfium* regreſſus, Cantoris ibi munus in Scholâ oppidanâ ſuſcepit: & brevi pòſt nuptias ibidem celebravit cum virgine *Cunigundâ*, *Johannis Crämeri* relictâ filiâ, quæ filios ei peperit, *Chriſtophorum* & *Andream*, filiasque *Eſtheram Magdalenam*, *Margaretham*, & *Mariam Magdalenam.*

Magiſter Philoſ.

A. 1637. *Altorfii* cum fratre aliisque Competitoribus in Magiſtrum Philoſ. promotus, Dom. Patris ſui votum implevit.

Concionator in arce Rotenbergæ.

13. Jan. A. 1643. In pagum Ottenſoß ditionis *Noribergenſis* tranſlatus, varias calamitates in eo miniſterio expertus eſt, usque ad A. 1649, quo vocantibus Nobilibus *Franciæ Orient.* Arcis *Rotenbergæ* Dominis, & Senatu *Norimberg.* clementer eum dimittente, cum familiâ eò migravit, & Concionatoris fidelis munere functus eſt, quo tempore *ultra 1500. auditores ad fidem Lutheranam convertit.*

Ambergam abductus.

A. 1652. Manè ad ægrum quendam in pago vicino Neukirch decumbentem iturus, in viâ captus, à militibus *Ambergam* abductus eſt, ſed brevi pòſt iterum *Rotenbergam* ad munus priſtinum remiſſus, eâ tamen conditione, ne Actum impoſterùm ullum in ditione *Rotenberg.* perageret.

Norimbergæ Diaconus ad S. Jacob.

A. 1654. In exilium indè depulſus, *Norimbergam* venit, ab inclyto Senatu Diaconus ad S. *Jacobum*, & Concionator in Sacello Arcis ad S. *Margaretham* factus eſt.

Diaconus ad S Sebaldum.

A. 1656. Ad Diaconatum in Templo *Sebaldino* promotus, Conciones ibidem matutinas diebus Lunæ habuit, & *Syracidem* declaravit.

Moritur.

Cum tandem à 14. diebus æger decubuiſſet, placidè exſpiravit 11. Sept. A.C. 1661. ætatis 47. miniſterii 26.
* *Ex Concione fun. M. Hieron. Schultheis, Diaconi Sen. Sebaldini.*

JOHAN. BALTHASAR SCHUPPIUS.

Obiit A.C. 1661.

GIeſſæ, *Haſſiæ Super.* oppido, Academiâ celebri, natus eſt M. Mart. A.C. 1610. Patre

Patre *Joh. Eberhardo Schuppio*, Senatore, Matre *Annâ Eliſabethâ*, *Joh. Richſii*, Conſulis *Gieſſenſis* filiâ.

Cum in Pædagogio patrio ſub Rectore *Chriſtophoro Scheubelio*, Theologo & Philoſopho celebri, ſtudiorum fundamenta poſuiſſet, anno ætatis 15. Parentum conſenſu *Marpurgum* Academiam acceſſit, ubi publicè docentem audiens in Philoſophicis *Conradum Goclenium* ſeniorem, & domi converſatione uſus privatâ Reverendi Viri Dn. *Conradi Greberi*, Concionatoris tunc *Marpurg.* & poſteà Superintendentis *Darmſtatini*, tantos eo anno fecit profectûs, ut A. 1626. ætatis 16. publicè cum laude diſputârit.

Philoſ. ſtudioſus Marpurg.

Biennio adhuc in ſtudiis ibi tranſacto, parentum voluntate A. æt. 18. iter per *Germaniam* inſtituit, & *Francofurto ad Mœnum*, aliiſque Imperii *Rom.* urbibus perluſtratis, *Regiomontii* in *Boruſſiâ* conſedit, ubi præ cœteris *Samuelem Fuchſium*, Oratorem inſignem, publicè docentem, avidus audivit, & Studio Theologico ſedulus operam dare cœpit.

Regiomontii Oratoriæ & Theol. ſtudioſus.

Exindè per *Livoniam*, *Littuaniam*, & *Poloniam* itinere facto, *Straleſundam* & *Gryphiswaldam* pervenit. Hîc à *Laurentio Ludenio* cœteriſque Profeſſoribus humaniter exceptus, brevi pòſt Principi *Sabellio* Gubernatori Cæſareo Urbis illius innotuit: ſub quo militem agens, cum aliâ ratione diſcedere non poſſet, per *Pomeraniam Roſtochium* profectus eſt.

Gryphiswaldiæ militis perſonam induit.

Ibi ad ſtudia priſtina regreſſus, hoſpitio uſus eſt *Thomæ Lindemanni*, J.C. celebris, & D. *Johannem Colmannum* Theologiam publicè docentem audivit, amicitiamque coluit cum *Petro Laurenbergio*. Ibidem anno ætatis 21. Philoſophiæ Magiſter primo inter plures loco ſolenniter renuntiatus, & inter Profeſſores Publicos cooptatus eſt.

Roſtochii ad ſtudia rediit.

Philoſ. Magiſter Roſtochii, & Profeſſor publ.

Sed mox ingruente tumultu bellico, munere ſibi commiſſo fungi cohibitus. A. 1634. *Marpurgum* reverſus eſt, ubi mox Sereniſſ. Principi propter eruditionem ſingularem commendatus, ab eo Collegia publica aperiendi licentiam accepit.

Marpurgi Collegia publ. aperuit.

Intereà *Gieſſam* Academiâ ob peſtem ſævientem tranſlatâ, ipſe cum Nobili *Haſſo*, *Rudolpho Rau ab Holtzhauſen*, *Coloniam Agrippinam*, & exindè *Lugdunum Batav.* diſceſſit, ibique viros doctrinâ eminentes, *Gerardum Johannem Voſſium*, *Dan. Heinſium*, *Caſp. Barlæum*, (& *Claudium Salmaſium*) ſalutavit, illoſque docentes audivit, uſque dum à Parentibus A. 1635. in Patriam revocaretur. In eâ ſtatim ad Profeſſionem Orator. & Hiſtor. vacantem vocatus, & unanimi Dnn. Profeſſorum conſenſu Collega eorum factus eſt.

Lugdunum Bat. venit.

Marpurgi Profeſſor Orat. & Hiſtor.

A. 1636. Nuptias ibi celebravit cum virgine *Annâ Eliſabethâ*, Dn. *Chriſtophori Helvici*, Theol. Doctoris & Linguæ Hebr. Profeſſoris, filiâ unicâ, quæ 5. ei liberos peperit, quorum 4. reliquit ſuperſtites, *Antonium Menonem*, *Juſtum Burckardum*, *Annam Eliſabetham*, & *Annam Urſulam*.

Uxorem duxit.

Marpurgi Studioſis gratiſſimus ſemper in auditorio frequenti docuit, nihilominus verò ſtudium Theologicum proſecutus A. 1641. pro Licentiâ publicè diſputavit, & biennio pòſt Rectoris magnifici Landgravii *Ludovici* Prorector, unâque Teutonici Ordinis Equeſtris Concionator dictus eſt.

Pro Licentiâ Theol. diſputavit. Prorector Landgravii Haſſ. Ludovici. Concionator Ord. Eq. Teut.

A. 1645. Theol. Doctor creatus, & eodem tempore *Johannis Haſſiæ Landgravii* Concionator aulicus, & Eccleſiarum vicinarum Superintendens conſtitutus, *Marpurgo Braubachium* diſceſſit.

Theol. Doctor, & Concionator aul.

A. 1647. A Principe ſuo *Monaſterium* ad Pacis tractatûs ablegatus, pace concluſâ, primam Concionem habuit, & hâc ratione primus Pacis nuntius fuit.

Primus Pacis concluſæ nuntius.

A. 1649. *Auguſtam Vindel.* & *Hamburgum* ad Eccleſiæ Paſtoratum vocatus, poſteriorem vocationem priori præferens, *Hamburgum* cum familiâ migravit, factus Eccleſiæ Paſtor ad S. *Jacobum*.

Paſtor Eccleſiæ ad S. Jacobum Hamburgi.

Ibi cum A. 1650. Conjugem mortis violentiâ ſibi abreptam amiſiſſet, anno ſequenti ad ſecunda vota tranſiit, ductâ virgine *Sophiâ Eleonorâ*, Dn. *Theodori Reinkingi*, J.C. celebris filiâ natu majore, ex quâ *Sophiam*, & *Theodorum Balthaſarum*, ſuſcepit, ſibi cum matre ſuperſtites.

Alteram uxorem duxit.

Tandem vitæ miſeriarum pertæſus, & quietis cœleſtis deſiderio flagrans, in morbum lethalem collapſus, eo vires corporis ſenſim conſumente, placidè in Chriſto exſpiravit 26. Octob. A.C. 1661. ætatis 51.

Moritur.

* *Ex Programm. fun. Germ. Petri Lambecii Jur. Doct. & Rectoris Gymnaſii Hamburg.*

Scripta ab eo edita, ſunt ſequentia:

Scripta.

Sceleton Chronologiæ, ſive *Oratio continens ſuccinctam ſeriem Hiſtorico-Chronologicam ab exordio Mundi uſque ad tempora Imp. Ferd. III.*

Cynoſura temporum, ſive *ſuccincta ſeries Hiſtorica & Chronologica à mundi exordio ad A. 1638. deducta.*

Xenium, ſive *de uſu & præſtantiâ Nihili Diſſertatio Philoſophica.*

Oratio, cui titulus, Ineptus Orator.

De Opinione Diſſertatio præliminaris.

Caſſandra, ſive *Diſſertatio Philoſophica de Moribus hujus ſeculi.*

Canones Oratorii in uſum ſcholarum ſuper. Haſſiæ collecti.

Freund in der Noth ꝛc. & *alia, duobus Tomis in 8vo. comprehenſa.*

ROBERTUS SANDERSON.

Obiit A.C. 1662.

Rotheramiæ in Agro *Eboracenſi*, Miniſtro patre natus. Circa annum 15. ætat. 1603. in Collegium *Lincolnienſe* Univerſitatis *Oxonienſis* admiſſus, poſt Baccalaurei in artibus gradum, in Socium electus eſt. Hîc Tutoris ſui operâ & diligentiâ in Logicis & Philoſophicis ita profecit, ut non ſolùm in Collegio, verùm & in publicis ſcho-

ſcholis, acris & ſolidi Diſputatoris famam obtineret.

Lincolnienſis Eccl. Cathedralis Præbendarius.

Sed relicto mox Collegio, Rector de Bothby-*Paganelli*, in agro *Lincolnienſi*, nec non Eccleſiæ ejuſdem Cathedralis Præbendarius factus eſt, & tandem longo pòſt tempore S.Theol. Doctor, ejuſdemque facultatis in Academiâ *Oxon.* Profeſſor Regius.

Theol. Doctor Oxon.

His omnibus, Regiarum partium ſtudio, quibus ſemper hæſerat, fidelis, à Parliamento privatus eſt. Sed in *Caroli II.* reditu Epiſcopatu *Lincolnienſi* remuneratus.

Epiſcopus Lincolnienſis.

Ab ipſâ juventute prægnanti fuit, nec non capaci intellectu, fideliſſimâ memoriâ, judicioque ſolidiſſimo; quæ quidem omnia, methodo, & multâ cogitatione mirum in modum excoluerat. Hiſce naturæ dotibus, maturus jam annis, prudentiam & induſtriam ipſe addiderat, ſimul & ſagacitatem in quærendo, & perſpicuitatem in explicando; animo ſerenus, & ſedatus, vitâ & moribus gravis & ſobrius. In fidei & religionis controverſiis exercitatiſſimus; patrum & ſcholaſticorum ſcriptis volvendis verſatiſſimus, ſuique ſeculi Caſuiſtarum (quos vocant) facilè princeps.

Moritur.

In Choro Eccleſiæ ſuæ *Bugdenenſis* in agro *Huntingdoniæ* inhumatur, pulchro ſine arte tectus marmore, cui ſequens Epitaphium à ſe ipſo (ſi demas ipſum, in quo obiit, diem) compoſitum, ſic inſcribitur:

Epitaphium.

DEPOSITUM ROBERTI SANDERSON, NUPER LINCOLNIENSIS EPISCOPI, QUI OBIIT JANUAR. 29. ANNO DOMINI 1662. ET ÆTATIS SUÆ SEPTUAGESIMO SEXTO, HÎC REQUIESCIT IN SPE BEATÆ RESURRECTIONIS.

Scripta.

Scripſit: *Logicæ & Phyſicæ Compendium.* Oxon.1618.ib.1672.lat.

De juramenti promiſſorii obligatione prælectiones ſeptem. Lond.1670.lat.

De obligatione Conſcientiæ, prælectiones decem. Lond.1670.lat.

Epiſcopatum, prout nunc in Angliâ ſtabilitur, Regiæ poteſtati nequaquam præjudicare. Lond. 1673.Angl.

Quæſtiones duas practicas ſolutas. Lond. 1667.Angl.

Quinque alias ejuſdem generis quæſtiones practicas, ab eodem, variis temporibus ſolutas. Lond. 1667. Angl.

Sermones triginta & ampliùs. Lond. 1622. 26.27.28.35.71.

Quamplurimos inſuper tractatus apud ſe conſervatos, quanquam multorum judicio in publicam lucem prodire dignos, cùm ſuprema & fatalis hora inſtaret, ipſe flammis tradidit, ne ſcilicet, ipſo defuncto, imperfecti quæſtûs gratiâ evulgarentur.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

Obiit. A.C 1662.

MICHAEL WALTHERUS.

NOrimbergæ natus 6. April. A.C. 1593. Patrem habuit *Johannem Waltherum*, Mercatorem primarium, ab Imp. *Rudolpho II.* Inſigniis & Privilegiis A. 1592. donatum: Matrem *Magdalenam Chriſtoph. Klebſattelii* Civis *Norimb.* filiam, quæ A.C. 1651. æt.81. in patriâ obiit.

Mercaturæ deſtinatur.

A.1603. A matre mercaturæ deſtinatus, *Thaſium* in *Bohemiam* ad mercatorem celebrem miſſus eſt. Sed anno ſeq. *Jacobus Mayenſchein*, cognatus ipſius, perſpecto adoleſcentis ingenio, ad fratrem ſuum *Lazarum Mayenſchein* Med.Doct. *Curiam Variſcorum* miſit eum, ubi linguæ Latinæ rudimenta A.1604. ætatis 11. diſcere cœpit, & poſtmodùm in Gymnaſio *Curienſi* ſtudiis humanioribus operam dedit.

Fit Studioſus Med Wittenb.

A. 1610. Studii Medici gratiâ *Wittenbergam* migravit, & D. *Danielis Sennerti* Lectiones ſedulus audivit, deindè Inſtitutiones Anatomicas D. *Caſp. Bartolini* in Collegio privato explicari audivit. A. ſeq. 1611. Matris hortatu ſtudio Medico valedicens, Theologicum auſpicatus eſt.

Studioſus Theolog. Philoſ. Magiſter.

A.1614. *Wittenbergæ* Philoſophiæ Magiſter, Decano & Promotore M. *Johanne Wanckelio*, creatus, inter 30. Candidatos 11. locum obtinuit, & abindè Logicam, Phyſicam, & Metaphyſicam ipſe docuit. In Theologiâ verò Præceptores habuit D. *Hutterum, Balduinum, Franzium, Forſterum, & Meiſnerū.*

Studet Gieſſæ.

A.1615. Ut ſtudium Theologicum magis excoleret, *Gieſſam Haſſorum* ſe contulit, in convictum *Baltaſaris Mentzeri* Theol.Doct. quo præſide *de Baptiſmo ex artic. 9. Confeſſ. Aug.* publicè *diſputavit.*

A.1616. Febre quartanâ correptus, in patriam, & exindè in Academiam *Altorfinam* profectus. A. ſeq.1617. à febre liberatus, *Jenam* concedens, ſtudia Theologica continuavit. Ibi inter Adjunctos Facultatis Philoſ. receptus varia Collegia Philoſophica inſtituit, & imprimis in Oratoriâ Eccleſiaſticâ ſe exercuit.

Jenæ Adjunctus Philoſ.

A. 1618. Ab illuſtriſſimâ Duciſsâ *Brunsvicenſi Eliſabethâ*, natâ Reginâ *Daniæ* viduâ in aulam ſuam vocatus, *Schoningæ* primam Concionem habuit 1. Januar. A.C. 1619. Hoc munus fideliter obivit usque ad A. 1626. quo Duciſſa mortua eſt.

Concionator aulic. Brunſv.

Intereà Filius hujus Duciſſæ *Julius Fridericus*, Dux *Brunsvicenſis* eum A.C.1622. in Academiam *Juliam*, quæ *Helmſtadii* eſt, ad S. Theol. Profeſſionem vocavit. Ibi A. ſeq. 1623. Promotore D. *Henrico Strubio*, Theol. Doct. publicè renuntiatus, abindè Sacra docuit usque ad A.1626, quo Dux *Fridericus Ulricus* aulæ ſuæ Concionatorem & Conſiliarium Conſiſtorialem, ac *Rudolphus Chriſtianus*, Comes *Friſiæ Orient.* etiam ad Conciones aulicas, & Ditionum ſuarum Superintendentem Generalem vocarunt.

Profeſſor. & Doctor Theolog. Helmſtadii.

Superint. Generalis Friſ.Or.

Harum vocationum poſteriorem tunc ſuſcepit, & Eccleſias *Friſiæ Orient.* fideliter gubernavit.

Intereà diverſas vocationes egregias habuit; nimirum A. 1627. *Roſtochium* ad Profeſſionem Theologicam, & Paſtoratum ad *S.Jacobum* in locum D. *Johannis Affelmanni*: A. 1628. *Halberſtadium*, ut ſuccederet D. *Tobiæ*

biæ Heroldo, Eccleſiæ Paſtori primario: A. 1629. *Wittenbergam*, ut loco D. *Wolffgangi Frantzii* S. Theol. profiteretur: A. 1630. *Arnſtadium*, ut Superintendens ibi fieret.

Sed in functione ſuâ manere maluit, usque ad A.C. 1642, quo vocatus à *Friderico* Duce *Brunſvicenſi* & *Luneburg.* poſtulato Coadjutore Epiſcopatûs *Ratzenburgenſis*, ditionum ejus Superintendens Generalis conſtitutus, & in eo munere poſtmodùm confirmatus eſt à Duce *Chriſtiano Ludovico*. *Superint. Generalis Brunſvic.*

A. 1620. *Halberſtadii* nuptias celebravit cum virgine *Margarethâ*, *Matthiæ Gleiſenbergeri*, Judicis in Civitate *Oſtervvyck* filiâ, ex quâ 6. filios & 8. filias progenuit. Ex filiis unicum reliquit ſuperſtitem *Michaëlem*, Phil. Magiſtrum, & Facultatis ejusdem in Academiâ *Wittenbergenſi* Adjunctum. Ex filiabus major natu *Margareta*, *Conrado Hildebrando*, Advocato *Cellenſi*, altera *Sophia Chriſtina* M. *Erneſto Chriſtiano Philips* Superintendenti *Sulingenſi* nuptæ, tres verò *Anna Juliana*, *Eleonora*, & *Eliſabetha* virgines fuêre relictæ. *Nubit.*

Viribus tandem exhauſtis, & vitæ ſatur in Chriſto obdormivit, d. 9. Febr. A.C. 1662. ætatis 69. *Obit.*

* *Ex Concione fun. Dieterici Culemanni.*

Libri ab eo editi ſunt ſequentes: *Scripta.*

Harmonia totius S. Scripturæ, ſive *Conciliatio Locorum Veteris & Novi Teſtamenti apparenter ſibi contradicentium.*

Exercitationes Biblicæ verum S. Scripturæ ſenſum ex ipſius Textûs viſceribus eruentes.

Officina Biblica, in quâ videre licet, quæ ſcitu ſunt neceſſaria, ex S.S. Scripturâ in genere, & in ſpecie de Libris Canonicis, Deperditis, Spuriis.

Quadragena Miſcellaneorum Theol.

Centuriæ Miſcellaneorum Theol.

Spongia Moſaica.

De immortalitate animæ rationalis.

Commentarius in Epiſtolam Ebræor.

Liber ſingularis Quæſitorum & Reſponſor. Theologic. per Epiſtolas.

Spicilegium controverſiarum illuſtrium XXII. de DEI nominibus.

Poſtilla Moſaica, oder Erklärung etlicher Hiſtorien/ Fürbilder/ und Sprüche aus den 5. Büchern Moyſis.

Poſtilla Evangelica, oder Erklärung etlicher gleichſtimmender Hiſtorien mit den gewöhnlichen Evangelien.

Poſtilla Prophetica.

Horologium mortis, *ſive conſolatio tempore peſtis.* Norimb. 1646. in 8.

Gloria Catechiſmi.

Poſtilla Myſtico-Phyſica, Erklärung etlicher herrlichen Creaturen/ ſo in den Evangelien vorlauffen.

Chriſtliebende Handleitung zu Chriſt-fleiſſiger Betrachtung des HErrn Chriſti leiblicher/ und ſeiner wahren Chriſten geiſtlicher: 1. Empfängnuß: 2. Geburt: 3. Beſchneidung: 4. Offenbarung: 5. Reinigung: 6. Faſten: 7. Creutzigung: 8. Tod: 9. Begräbnuß: 10. Auferſtehung: 11. Himmelfahrt.

Zwo Predigten von der Luſt am HErrn/ und von Verachtung der Welt.

Horologium Mortis, oder Todtenzeiger.

Erklärung aller Inſtrumenten/ welche zu den bitterſchmertzlichen Leyden und blutſauren Creutzes-Tod JEſU Chriſti gebraucht worden.

Der guldene Schlüſſel des Alten/ und der ſüſſe Kern des Neuen Teſtaments/ das iſt/ gründliche Erklärung der tieffſinnigen Epiſtel *S. Pauli* an die Hebreer.

Tauf-*Sermones*.

Heilſame Ubung Chriſtlicher Betſtunden: 1. auf alle Sonn- und Feyrtäge: 2. auf alle Täg in der Wochen/ 3. auf alle Morgen und Abend.

Vaticinia Danielis, oder Erklärung der letzten 6. Capitel *Danielis* in 65. Predigten.

Hiſtoria Danielis, Erklärung der erſten 6. Capitel in 48. Predigten.

Erläuterung der Frag/ ob und warum die Wort der Einſatzung des H. Abendmals/ dem klaren und wahren Buchſtaben nach/ verſtanden werden müſſen. & *alia*.

ANDREAS KUNADUS.

Obiit A.C. 1662.

IN Templo Parochiali *Witteb.* Vita ejus his verbis deſcribitur.

D. T. S.

ANDREAS KUNADUS
S.S. THEOL. D.

NATUS DÖBELAE D. V. AUG. A. C. 1602. PRIMUM PER ANNOS 2. CONRECTOR, POST PER ANNOS 6. ILLUSTRIS PORTAE RECTOR, MOX PER BIENNIUM PASTOR ET SUPERINTEND. LEISNICII, DEMUM PER ANNOS XII. PASTOR ET SUPERINTENDENS GRIMMÆ, DENIQUE EX MANDATO SER. ELECT. SAX. PROFESSOR PUBL. CONSISTORII ECCLESIASTICI ADSESSOR, ET ELECTORALIUM ALUMNORUM EPHORUS WITTEBERGÆ PER ANNOS CIRCITER X. MATRIMONIUM CONTRAXIT LIPSIÆ ANNO CH. 1635. CUM VIRG. DOROTHEA D. JOH. HOPNERI FILIA, EX QUA PER DEI BENEDICTIONEM 6. FILIOS ET 2. FILIAS SUSCEPIT. CORREPTUS FEBRI ACUTA D. 11. MARTII A. 1662. MORITUR XV. EJUSD. MENS. ET A. WITTEBERGÆ IN DOMINO SALVATORE SUO. NATUS ANNOS LIX. MENSES VII. CUI OBEDIENTIÆ ET GRATITUDINIS ERGO HUNC TUMULUM PONI CURARUNT LIBERI EJUS MOESTISSIMI.

Paſtor & Superint. Leisnicii. Superint. Grimmæ Prof. Publ. Witteb. *Ejus Conjugium.* *Mors.*

JES. 57.

PROPTER VENTURUM MALUM CONGREGATUR JUSTUS.

* *Ex Inſcriptionibus Witteb. Andreæ Sennerti.*

BRIA-

Obiit A.C. 1662.

BRIANUS DUPPA.

Evvshamiæ in agro *Cantiano* natus, ex *Æde Chriſti* in Collegii *omnium Animarum* Socium *Oxonii* cooptatur anno 1612. quo tempore Artium erat Baccalaureus.

Theol. Doctor Caroli I. Capellanus Ædis Chriſti Decanus. Epiſcopus Wintonienſis.

A. 1625. Theologiæ Doctoratu inſignitus eſt, atque *Caroli* dein I. Capellanus, & *Ædis Chriſti* Decanus emicuit, *Carolumque* Principem *Walliæ* in diſciplinam accepit: quo ſceptrum tandem avitum, mirâ numinis providentiâ, adepto, Epiſcopus *Wintonienſis* (nam anteà fuit *Ciceſtrenſis*, & poſteà *Sarisburienſis*) Dominusque, quem vocant, Eleemoſynarius fiebat.

Vir erat geſtu verbisque ipſam quaſi urbanitatem ob oculos ponens, unde Regi & Aulicis pleriſque omnibus acceptior nemo comparuit; porrò immenſis ingenii dotibus à naturâ benigniſſimâ locupletatus, conciones ſtylo ſemper æquo & polito conſcripſit, quales haud paucas coram *Carolo* I. (quicum familiaris ibidem egit) in *Vectâ Inſulâ* à Perduellibus anno 1648. aſſervato, habuit.

Richmondiæ, propè *Londinum*, fato functus eſt (quo in loco Prochotrophium ipſe erexerat) 25. Martii an. 1662. & 24. ſequentis Aprilis in Eccleſiæ S. *Petri Weſtmonaſterienſis* porticu boreali, inter Procerum utique monumenta, humatus eſt.

Moritur.

Qualis vixerat, talis è vitâ migravit, omnibus nempe, quibus ullo modo innotuerat, non ſine obſervantiâ dilectiſſimus; qui morum candore planè niveo ſuſpiciendus, nullâ vitam ſacrumvè Munus maculâ deturpaverat.

Scripta.

Scripſit:

Animæ Soliloquium. Concio hæc eſt in *Pſalm. 42. v. 5.* habita coram Rege optimo ad *Portum-novum* vulgò Neuporte in Inſulâ mox antè dictâ. Edit. Lond. 1648.

Vitam Joh. Spotiswoodi, S. Andreæ apud Scotos Archiepiſcopi; hiſtoriæ Scoticanæ Eccleſiaſticæ præfixam. Edit. Lond. 1655. Angl.

Ductorem pœnitentium, ſive *Modum ſuccurrendi animæ piæ, peccati vulnere laboranti* Lond. 1660. Angl. & alia.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

Obiit A.C. 1662.

CONRADUS HORNIUS.

Natus eſt in oppido Feuchtwang / ditionis *Brandenburgicæ* 24. Nov. A. C. 1594, Patre *Johanne Hornio*, ejus loci Decano & Concionatore, Matre *Margarethâ*, *Conradi Ketzeri*, lanii *Creilsheimenſis* filiâ.

Stipendiar. Onolsbac.

A. 1606. *Onolsbacum* à Patre deductus, Stipendium triviale ex Marchionis clementiâ accepit. Cum in eâ ſcholâ Claſſes pertranſiviſſet, A. 1615. in Academiam *Tubingenſem* à Conſiſtorio dimiſſus, præter Philoſophiam Theologiæ ſtudiis operam dedit ſedulam.

Wittenbergæ ſtud. Theol. & Medicinæ.

Indè A. 1618. in Univerſitatem *Wittenbergenſem* diſcedens, Lectionibus & diſputationibus publicis ac privatis ſeſe magis in ſtudio Theologico exercuit: & cum ibi contubernalem haberet *Joh. Georgium Meyerum*, Medicinæ ſtudioſum, hâc uſus occaſione, ſtudium Medicum unà tanquàm πάρεργον tractavit.

Paſtor in Ampffrach.

A. 1619. Reverſus in Patriam, mox à Conſiſtorio Eccleſiaſtico Paſtor Eccleſiæ in Ampffrach infer. ordinatus eſt.

Conjugium ejus duplex. & Liberi.

Eodem anno, 19. Sept. Sponſalia celebravit cum virgine *Annâ*, *Wolffgangi Mohrii*, Senatoris *Onolsbac.* filiâ, ex quâ 8. filios & 2. filias ſuſcepit: ſed duos tantùm filios vivos reliquit, *Fridericum*, xenodochii Præfectum & Chirurgum in Feuchtwang / & *Georg. Philippum*, pithopœum.

Die ſeq. partum hujus 27. April. A. 1633. Mater per mortem abrepta eſt. Pater verò eodem adhùc anno 26. Aug. iterum deſponſatus eſt cum virgine *Mariâ Magdalenâ*, M. *Georgii Henrici Eſcheri*, Paſtoris *Oettingenſis* in Auffkirchen / filiâ, quæ 5. ei filios & 6. filias peperit, ex quibus 3. filii & 4. filiæ patri ſuperſtites vixêre.

Paſtor Sultzens. & Wiſethenſis. Senior Capituli Feuchtvvang. Praxin Medicam exercuit.

A. 1621. Ad Paſtoratum *Sultzenſem*, & A. 1632. ad Eccleſiæ *Wiſethenſis* miniſterium, & ad Capituli *Feuchtwangenſis* Senioratum promotus eſt. Artem prætereà Medicam feliciter exercens, Magnatibus æquè ac pauperibus ægrotis auxilium tulit.

Præter alias verò calamitates, quas intereà frequentes paſſus eſt, non poſtrema fuit hæc, quod A. C. 1634. filium ſuum 16. annor. nomine *Laurentium*, propter panem, quem *Feuchtvvangii* coëmtum matri domum afferre debebat, ab impio quodam latrone in viâ jugulatum, & in piſcinam quandam projectum, ſummo cum dolore conſpexit.

Moritur.

Tandem cum à multis annis doloribus podagricis fuiſſet obnoxius, accedentibus aliis morbis incurabilibus, morte beatâ vitam finiit die ſacro Paſchatos 14. April. A. C. 1662. ætatis 68.

* *Ex Concione fun. Joh. Georgii Zinckii Paſtoris in* Schopffloch.

Obiit A.C. 1662.

PETRUS HEYLYN.

Filius *Henrici Heylyn* ex antiquâ ejusdem nominis familiâ apud Pentric *Heylynorum* in agro *Mountgomeriano* apud *Wallos* oriundi, natus eſt *Burfordiæ*, agri *Oxonienſis* oppidi mercatorii 29. Nov. anno 1599. ibidemque in ſcholâ publicâ ſub Præceptoribus Magiſtro *Northe*, dein M. *Davis* literis initiatus.

Vel puer adhuc in Grammaticâ ſimul & Poëticâ mirè profecit (in quarum poſtremâ varia ſummæ ſpei & ingenii ſpecimina, priusquàm Academiam ſalutaverit, edidit.) Deindè *Oxonium* miſſus A. 1613. fit primò Battelarius, deindè commenſalis in aulâ *Cervinâ*. Unde biennio pòſt in collegii *Magdalenenſis* Semicommunarium electus eſt.

Fit artium Baccalaureus.

Artium Baccalaureus in vacatione autumnali, ut mos eſt, coſmographicas prælectiones in publico Refectorio hujus Collegii

gii habuit, quæ ipſi anno 18. ut in Socium probatitium cooptaretur, promeruère; ex his etiam Geographiam ſuam inchoavit, quam mox 29. Aprilis ſequentis perfectam, & ſequenti Novemb. impreſſam, ad manerium S. *Theobaldi* Principi *Carolo*, à quo gratioſè accepta eſt, dedicavit.

A. 1623. Utriſque Sacris Ordinibus initiatus eſt, ab *Houſono* Epiſcopo *Oxonienſi* in Eccleſiâ S. *Aldati*, & ſequenti anno Geographiam ſuam iterum in manibus ſumtam auctioremque multò & correctiorem edidit, & denuò recognitam & impreſſam, iterum Principi *Carolo* præſentavit, ad quem à patrono ſuo D. *Henrico Danverſio* Barone de Danteſey introductus, favorabilique oratione commendatus eſt. Hanc pridem Regi *Jacobo*, à Doctore *Tong*, Decano *Wintonienſi* oblatam, cum Rex imprimis approbâſſet, in illum fortè locum incidit, ubi Author *Galliarum* Regem *Anglo* prætuliſſe videbatur; quo offenſus Rex, magni Sigilli Cuſtodi mandavit, ut librum curaret ſupprimendum. Sed Autor Principem nactus interceſſorem, ſcripto quodam ad Decanum ſupradict. tranſmiſſo (nam ipſe *Oxonii* in ſuo Collegio remanſit) Regi ita ſatisfecit, ut res non ulteriùs proceſſerit, liberque in publicum prodire ſit permiſſus.

Tranſit in Galliam. A. C. 1625. tranſiit in *Galliam*, ibique per 6 ſeptimanas commoratus, multiſque locis peragratis, ejuſdem itinerarium quoddam ſcripſit, cujus unum exemplar *Danverſio* prædicto (retento apud ſe alio) præſentavit, quod longo pôſt tempore publicavit.

Sub finem anni 1628. eidem *Danverſio*, (poſteà Comiti *Danbienſi*) qui tum *Guarnſeiæ* præficiebatur, à ſacris ibat. Hujus itineris rationem, poſt tres hebdomadas reverſus, in libello quodam deſcripſit, & eundem *Laudo*, Epiſcopo tum *Londinenſi*, anno proximo ineunte *Junio* obtulit, cui ſe & ſua omnia dudum devoverat.

Regi Angliæ eſt à Sacris. Eodem anno, ſcil. 29. Sacræ Theol. Bac. Regique à Sacris Ordinarius admiſſus eſt.

In Aulam regiam ergò jam vocatur, ut famæ ſimul & favori apud Proceres meliùs velificaretur, magnum aliquid nec è trivio audere & aggredi in animo habuit, cum ecce opportunè ipſi argumentum oblatum eſt, quo nobiliſſimi ordinis Periſcelidis devincire potuit, videl. Divi *Georgii*, ejuſdem ordinis Patroni, hiſtoria aſſerta. Opus profectò arduum, & in quo per avia & invia ipſi eundum fuit. Perrupit tamen feliciter, & infra unius anni, nempe 30. non totum ver ſcripſit & abſolvit.

Eodem anno etiam, Feſto B. *Mariæ Magdalenæ* Sodalitio ſuo ceſſit, ductâ antè uxore.

Præbendarius Weſtmonaſterienſis. In anno 31. Novembris primo, Præbendarius *Weſtmonaſterienſis* in loco Doctoris *Darrell* defuncti, Regis gratiâ factus eſt; quod tamẽ acerbiſſimè tulit D. Joh. *Williams* Epiſcopus *Lincolnienſis*, & ejuſdem Eccleſiæ tunc Decanus, eò quòd eum *Laudo* familiarem noverat.

Profecit tamen *Heylynus* novâ indies apud Regem gratiâ, à quo eodem anno prædivite ille Eccleſiæ de Houghton in Epiſcopatu *Dunelmenſi* Rectoratu donatus eſt, quem tamen tanquàm nimis remotum, commodiore illo de Alresford in agro *Hantonienſi*, annuente ipſo Rege, cum Doctore *Marshall* commutavit. *Rector Eccleſiæ de Alresford.*

Anno 1633. S. Theologiæ Profeſſor emicuit. Et anno 38. per commutationem cum Mro. *Atkinſon* Collegii S. *Johannis Baptiſtæ* Eccleſiæ de Ilip juxta *Oxonium* Rector de Warnborough Auſtrali in agro *Hantonienſi* evaſit, & ejuſdem Comitatus pro pace conſervandâ Juſtitiarius. *S. Theol. Profeſſor* *Rector de Warnborough.*

Anno ſequenti Apr. 10. in Convocationem Cleri pro Eccleſiâ *Weſtmonaſt.* aſcitus eſt.

Anno 1642. deſertis omnibus ad Regem *Oxonii* commorantem ſe contulit, à quo *Mercurios* (quos vocant) *Aulicos* ſingulis ſeptimanis conſcribendi cura ipſi demandata eſt: In hoc munere per integrum penè annum perſtitit, in eodem à Mro. *Joh. Birckenhead* è Coll. *Omnium Animarum* tum ſuccenturiatus.

Paulò pôſt à Parliamento inter Delinquentes declaratus, bonis omnibus, & libris, totâque re Eccleſiaſticâ multatus eſt. *A Parliamento inter Delinquentes declaratur.*

A. 1644. Patrono ſuo *Laudo*, & deindè ipſo Rege in anno 1648. immani ſententiâ è medio ſublatis, ad rem ſuam familiarem (pro quâ tamen in aulâ Aurifabrorum *Londini* prius decidere coactus eſt) primò, in pagum, quem Minſter *Lovellorum* vocant juxta *Burfordiam*, indè ad Curiam *Laceianam Abendoniæ* ſe recepit, utrobique in Eccleſiæ *Anglicanæ* defenſiones ſcribendo totus; uſque dum redeunte *Carolo* II. ad omnes, quibus excidiſſet, in Eccleſiâ promotiones reſtitutus ſit. Hiſce ad obitum ſuum gaviſus eſt, per omnes caſus, & mutationes, ſemper idem Eccleſiæ *Anglicanæ* regiæque cauſæ acerrimus ſimul & fidiſſimus propugnator. Vir eximiis naturæ dotibus, ingenio & memoriâ inſtructiſſimus. Poëta, Hiſtoricus, Orator (etiam extemporaneus) addo & Satyricus inſigniſſimus. Hoc ſolùm infelix, quòd aliquàm multos, priuſquàm obiret, annos ex acri, quâ laborabat, febre, oculos amiſit. *Priſtinis honoribus reſtituitur.*

Obiit *Weſtmonaſterii* 8. Maji in ipſo Aſcenſionis die, anno 1662. & in ejuſdem Eccleſiæ choro ſepultus eſt, juxta ſedem Subdecani. Verum cenotaphium ad aquilonarem parietem extra chorum erigitur, cum hoc elogio à Doctore *Joh. Earle*, ejuſdem Eccleſiæ tunc temporis Decano compoſito: *Moritur.*

Epitaphium.

HIC JACET E PROPINQUO DEPOSITUM MORTALE PETRI HEYLYN S. T. D. HUJUS ECCLESIÆ PRÆBENDARII ET SUBDECANI, VIRI PEANE MEMORABILIS, EGREGIIS DOTIBUS INSTRUCTISSIMI, INGENIO ACRI ET FACUNDO, JUDICIO SUBACTO, MEMORIA AD PRODIGIUM TENACI, CUI ADJUNXIT INCREDIBILEM IN STUDIIS PATIENTIAM, QUÆ CESSANTIBUS OCULIS

NON

Digitized by Google

NON CESSARUNT. SCRIPSIT VARIA ET PLURIMA, QUÆ JAM MANIBUS HOMINUM TERUNTUR, ET ARGUMENTIS NON VULGARIBUS STYLO NON VULGARI SUFFECIT. CONSTANS UBIQUE ECCLESIÆ ET MAJESTATIS REGIÆ ASSERTOR, NEC FLORENTIS MAGIS UTRIUSQUE QUAM AFFLICTÆ; IDEM PERDUELLIUM ET SCHISMATICÆ FACTIONIS IMPUGNATOR ACERRIMUS, CONTEMPTOR INVIDIÆ, ET ANIMO INFRACTO. PLURA EJUSMODI MEDITANTI MORS INDIXIT SILENTIUM UT SILEATUR EFFICERE NON POTEST. OBIIT ANNO ÆTATIS 63. POSUIT HOC ILLI MOESTISSIMA CONJUX.

Scripta. Scripſit hos (omnes Anglicè, ſi à primo proximum excipias) libros.

Spurium, Tragœdiam. MS. an. 1616. à ſe factam, & in ædibus hujus Collegii præſidis exhibitam.

Theomachiam, Comœdiam. MS. an. 1618. factam.

Microcoſmum, vel *brevem deſcriptionem totius orbis.* Oxon. 1621. Ib. 24. &c. in quarto. Poſteà auctiorem in fol. & *Coſmographiam* dictam, edit. 1652. &c.

Hiſtoriam S. Georgii de Cappadocia, Angliæ Divi Titularis. Lond. 1631.

Tentamen, cui Tit: Auguſtus. edit. 1632.

Hiſtoriam Sabbati, bis edit. Lond. 1636.

Reſponſum ad Epiſtolam Epiſcopi Lincolnienſis ad Vicarium Granthamienſem. Ter editum an. 1636.

Reſponſum ad Conciones duas ſeditioſiſſimas Mri Henrici Burton. Lond. 1637.

Tractatum brevem in morem Epiſtolæ ſcriptum de precum formulâ Canone SS. inſtitutâ. MS. rogatu Epiſcopi *Winton.* 1636.

Antidotum Lincolnienſe, ſive *Reſponſum ad librum, cui Titulus: Menſa ſacra, nomen & res.* Autore Doctore *Joh. Williams* Epiſc. *Lincoln.* Lond. bis edit. 1637.

Articulorum librum uniformem, Epiſcoporum & Archidiaconorum viſitationibus accommodatum. Lond. 1640.

De jure paritatis Epiſcoporum MS. an. 1640. cum in ſuperiori Parliamenti domo proponeretur, ne Epiſcopi inter cauſæ *Thomæ* Comitis *Straffordiæ* quæſitores admitterentur.

Replicationem Diſſertat. Doctoris Hakevill de Sacrificio Eucharistiæ. Lond. 1641.

Manuductionem hiſtoricam, in quâ recenſentur omnes continuâ ſerie Angliæ Reges, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Duces, Marchiones, Comites, &c. Lond. primo edit. ſub nomine *Rob. Hall* 1641. dein auctam, & ib. edit. 1670.

Hiſtoriam Epiſcopatus. Edit. ſub nomine *Theophili Churchman*, Lond. 1642.

Hiſtoricum Tractatum de Liturgiis. Script. an. 1642. denuò publicatum.

Enarrationem de victoriâ D. Walt. Hoptoni Baronis, Bodmini partâ.

Animadverſiones in eâ, quæ pro pace, in partibus Angliæ occidentalioribus agitabantur.

Reſcriptum ad amicum quendam in agro Leiceſtrenſi de Colloquio Uxbrigienſi.

Enarrationem de rebus geſtis D. Joh. Gell, Militis.

Enarrationem de Reginæ è Belgio reditu & obſidione Nevvarcenſi.

Crucem nigram † ſive *Londinates hujus Rebellionis autores eſſe.* edit. circ. an. 1644.

Rebellium Catechiſmum. Oxon. 1644.

Reſponſionem ad Pontificios, Reformationem Eccleſiæ Anglicanæ, Parlamentariam religionem appellantes. Script. rogatu Mri. *A. de Coll. Wadhami* 1644. poſteà impreſs.

Enarrationem de morte & paſſione Reverendiſs. in Ch. Pat. Gulielm. Laud. Archiep. Cantuariens. Oxon. 1644.

Scandalum ſublatum, ſive *Examen duarum noviſſimarum ſectionum in Inſtit. Johannis Calvini contra Monarchiam abſolutam.*

Expoſitionem Symboli. Lond. 1654. fol.

Galliam luſtratam. Lond. 1656. ib. 57. in 8vo. deindè in 4to.

Guarnſeiam luſtratam.

Reſp. ad libellum Doctoris Nicolai Bernard, cui tit. Judicium nuperi primatis Hiberniæ &c. Lond. 1658.

Reſp. ad quædam in Hiſtoriâ Caroli I. à Sanderſono Arm. Ib. eod. an.

Hiſtoriam brevem de vitâ Car. I. ab ipſis incunabulis uſque ad vitæ Terminum. Lond. 1658.

Extraneum vapulantem, ſive *Obſervatoris vindicias adverſus impetus Hamondii L'eſtrange Arm. & Doctoris Bernard, Decani Hibernici* &c. Lond.

Certamen Epiſtolare contra Rich. Baxterum, Doctorem Nic. Bernard, Mag. Henr. Hickman & J. H. cum appendice continente Reſponſum ad Mag. Thom. Fulleri Appellationem. Lond. 1659.

Conciones tredecim. Lond. 1659. Ib. 1661.

Hiſtoriam reformationis Eccleſiæ Anglicanæ ab Henr. VIII. ad Reg. D. Elizab. Lond. 1661. &c.

Cyprianum Anglicum, ſive *Vitam & Obitum Reverendiſs. in Ch. Pat. Gul. Laud. Archiep. Cantuar.* Lond. 1668.

Hiſtoriam Presbyterianam. Ib. 1670. & alia.

Porrò *Scoticam Liturgiam* in Latinum vertit anno 1639. ut ſic toti orbi innoteſceret, quibus de cauſis tumultus illi ob religionem in *Scotiâ* erupiſſent.

Collegit inſuper, rogatu ejuſdem *Laudi*, *Sententias Patrum*, in illas ſcripturas, quibus niti videtur primatus Rom. Pontificis, & Eccleſiæ autoritas; uti etiam de *ſchiſmate Africano* tractatum, quæ ambo eidem *Laudo* reſponſionem adverſus Jeſuitam quendam (*Fisherum* puta) meditanti ſubſidiaria deſtinabantur.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

JOACHIMUS KLEINIUS. *Obiit A.C. 1662.*

LIpſiæ natus eſt 16. Martii A.C. 1603. Patre Joachimo, cive honeſto, Matre *Annâ Reiſmanniâ.*

Mmmm 2 Puer

Puer in Gymnaſium patriæ miſſus, ſub Rectoratu *Johannis Friderici*, Linguar. & Hiſtoriar. Profeſſoris publici egregia literarum humaniorum fundamenta poſuit.

20. Maji. A. 1617. Inter ſtudioſos Academicos cooptatus, ſtudia Philoſophica ſedulus excoluit, & in Mathematicis, ope *Philippi Mülleri*, profectûs fecit eximios.

Baccalaur. & Magiſter. A. 1622. Baccalaureus creatus, & A. 1625. Magiſter Philoſophiæ renuntiatus ac Profeſſoribus Philoſophiæ Adjunctus eſt. Linguarum deindè Orient. & Theologiæ ſtudio addictus, hujus continuandi gratiâ A. 1626. Academiam *Argentinenſem* acceſſit.

Paſtor Caſtrenſis. Suec. Miniſter Colmar. 10. Dec. A. 1632. Ad Paſtoris Caſtrenſis officium in exercitu Regis *Sueciæ* à Comite *Rheni* vocatus, brevi pòſt Miniſter Eccleſiæ *Colmarienſis*, ope D. *Johannis Schmidii*, Theol. *Argent.* declaratus eſt.

Gymnaſiarcha. A. 1642. Ibidem Profeſſor Lectionum Publicarum & Gymnaſiarcha, ſummo Magiſtratu volente, factus, in hiſce laboribus vitæ tempus reſiduum traduxit.

Conjugium ejus fœcundum. A. 1634. Matrimonii jugum ſubivit cum virgine *Catharinâ, Nicolai Guntzeri* relictâ filiâ, quæ 5. ei filios totidemque filias peperit, ex quibus tamen filium unicum duntaxat & duas filias reliquit ſuperſtites.

Cum tandem ab annis aliquot ſpiritûs difficultate laboràſſet, viribus ſenſim conſumptis, placidè exſpiravit *Colmariæ* 6. Jun. A.C. 1662. æt. 59. *Moritur.*

* *Ex Concione fun. M. Jodoci Haaſen Senior. Colmar.*

DANIEL PHEIFIUS.

Obiit A.C. 1662.

Natus 3. Id. Quint. A.C. 1618. Patrem habuit Dom. *Johannem Pheifium*, Jur. Doct. & in *Pomeraniâ* Ducalis Judicii Advocatum, Matrem *Mariam*, Dom. *Jacobi Fabri* S. Theol. Doct. & Superintendentis *Stetinenſis* in *Pomeraniâ* ditionis Generalis filiam.

Puer ſummâ curâ à Parentibus educatus, diſciplinis humanioribus à privatis Præceptoribus imbutus eſt, usque ad annum ætatis 12, quo tempore ſub affinis ſui, viri de Eccleſiâ & Scholis bene meriti, Dn. *Danielis Crameri*, Theol. Doct. & Profeſſoris inſpectione juxtà cum ejus liberis cœpit erudiri. *Diſcipulus D. Dan. Crameri,*

Elapſo biennio Dom. *Johanni Micrælio*, Scholæ tunc Rectori, poſteà S. Theol. Doctori & Profeſſori datus eſt publicè privatimque informandus. *& Joh. Micrælii.*

in Gymnaſio Dantiſcano A. 1634. in *Stetinenſe*, indè A. 1636. in *Dantiſcanum* Gymnaſium eſt miſſus ad conſanguineum ſuum M. *Johannem Cramerum*, ibidem ad S. *Johannis* ædem Paſtorem, ubi Dn. *Botſaccum* Theol. D. & M. *Johannem Mochingerum* audivit, ibique ad Theologicum ſtudium applicuit animum, cum anteà ex Parentis conſilio Juris ſtudio ſe tradidiſſet. *Theol. ſtudioſus.*

Regiomonti. A. 1637. *Regiomontum* adiit, ubi in Theologiâ Præceptores habuit D. *Bohemum*, *Mislentam*, & *Calovium*: & in Philoſophiâ M. *Eiſlerum*.

A. 1639. In *Francofurtenſi* Academiâ per aliquod tempus ſubſtitit. Hinc per *Roſtochium* venit in *Daniam*, ubi ab Affine ſuo D. *Henrico Ernſtio*, tunc temporis in Academiâ *Soranâ* Profeſſore, & poſteà Conſiliario Regio, & in Collegio Cancellariæ ac ſupremo Tribunali Aſſeſſore commendatus Nobili Viro *Georgio de Ablefeld* ad informandum ejus filium eſt adhibitus. *Soræ in Daniâ ſtud. Theol.* Ubi cùm publicè tum opponendo & reſpondendo, tum concionando ſeſe exercuiſſent præclaræ ejus dotes cum ſingulari morum honeſtate conjunctæ, ita ſe probavit optimo cuique, ut Nobiles Viri *Henricus Ramel*, Academiæ Præſes, Conſanguinei ſui *Chriſtiani Bernckou* & *Chriſtophorus Urne*, Eques Auratus, & Regni Cancellarius filii *Chriſtiani Urne* ſtudiis eum præfecerint.

Cum his *Argentinam* profectus, ibique aliquandiu commoratus, editâ *Diſſertatione* de *Myſticâ Chriſti & Fidelium unione*, piæ eruditionis eximium argumentum dedit. *Argent. habuit Diſput. Theol.* Tum *Galliam*, *Italiam*, *Germaniam*, *Belgium*, *Angliam* peragravit, & A. 1651. in *Daniam* feliciter eſt reverſus.

Innotuit ſtatim Generoſo Heroi Dom. *Chriſtiano Sehſted*, Cancellario Regio, qui Regiæ Majeſt. eum commendavit.

Hafniæ Sacerdos Nat. Germ. Eodem anno *Hafniæ* à *Germanicâ* Natione ad ſacerdotis munus eſt vocatus, quod officium poſtquàm per triennium fideliter adminiſtràſſet, defuncto *Thomâ Lindemanno* Theol. Doct. & ad ædem S. *Petri* Paſtore, magno cum univerſi cœtûs gaudio, Paſtoris muneri eſt præfectus: *Paſtor ad S. Petrum.* indèque A. 1662. vocatus ad S. Theol. in Academiâ Profeſſionem: *Theol. Profeſſor.* in quo arduo munere, ſi vitam ei permiſiſſet Deus, non minorem adhibuiſſet diligentiam, quàm in munere Eccleſiaſtico per annos 11. ſpectandam dedit.

Uxorem duxit. A. 1652. nuptiarum ſolennia celebravit cum virgine *Gertrude*, Dn. *Olai Lund*, *Nicopiæ Falſtrorum* olim Senatoris filiâ, ex quâ ſuſcepit filias tres, morienſque quartâ gravidam reliquit.

Ex urinæ tandem ſuppreſſione diebus aliquot lethaliter decumbens in Chriſto exſpiravit 18. Julii A.C. 1662. ætatis 44. *Moritur.*

* *Ex Acad. Hafniæ repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

SAMUEL MüLLERUS.

Obiit A.C. 1662.

Frauenſtadii, *Miſniæ* oppido, mundum ingreſſus 29. Dec. A.C. 1592. Patrem habuit M. *Johannem Müllerum*, Diaconum Eccleſiæ *Frauenſtad.* & tandem Superintendentem *Chemnitii*: Avum *Philippum Müllerum*, *Amfurti* Superintendentem A. 1580. denatum. Mater ei fuit *Benigna*, *Petri Lohrmanni*, Paſtoris Eccleſiæ *Widderavienſis* propè *Hertzbergam* filia.

Frater Phil. Mülleri Med. & Math. Fratres habuit *Philipp. Müllerum*, Med. Licentiatum & Mathematum Profeſſorem *Lipſiæ*, M. *Dorotheum*, Diaconum in *Novâ Dreſdâ*, & *Petrum Benignum*, Syndicum *Budiſſinum*.

Cum puer in ſcholâ *Miſnenſi* quadriennium exegiſſet, A. 1610. In Academiam *Witten-*

Digitized by Google

[Wittenbergæ Theol. ſtud.] Wittenbergæ veniens, biennio vixit in ædibus *Theodori Adami Siberi*, Oratoriæ & Poëſeos Profeſſoris; deindè liberis D. *Jacobi Martini*, Theologi celebris, Præceptor datus, hoc mediante Stipendium Electorale nactus eſt.

A. 1617. Paſtor Eccleſiæ factus in Scholâ *[Magiſter Philoſoph.]* *Portenſi*, & A. 1619. Magiſter *Wittenbergæ* primo loco renuntiatus.

A. 1621. Vocatus ad Miniſterium in opp. *[Paſtor Eccleſ. Muchelii.]* *Thuringiæ Mucheln* propè *Freyburgum*, & inveſtitus à Dom. *Johanne Babio*, Superintendente *Freyburgenſi*, eodem adhùc anno ſponſalia celebravit cum virgine *Annâ Mariâ*, *Johannis Döreri*, Paſtoris *Holdenſtetenſis* filiâ, ex quâ duas ſuſcepit filias, *Suſannam* & *Benignam*: filios verò *Samuelem*, Notar. Publ. *Philippum*, Philoſ. Magiſtrum, & *Henr. Fridericum.*

[Superint. Sangerhuſ.] A. 1625. *Sangerhuſæ* Superintendens conſtitutus, in eo munere plurimas perpeſſus calamitates, vitam reſiduam traduxit, & *[Moritur.]* obiit 22. Julii A. C. 1662. æt. 70. miniſterii 45.

[Scripta.] Librum edidit cum titulo: *Spes vana Papiſtica*, quo D. *Petri Curſenii*, Theologi *Colonienſis*, *Saxoniam Catholicam* refutavit.

* *Ex Concione fun. M. Thomæ Secarii Paſtoris Sangerhuſ.*

[Obiit A. C. 1663.]

PHILIPPUS ROSENFELD.

NAtus eſt 2. Sept. A. C. 1625. Patre *Johanne*, Eccleſiæ *Bedheimenſis* Paſtore, Matre *Barbarâ*, filiâ *Maximiliani Fabri* per 57. annos ejuſdem Eccleſiæ Paſtoris.

[Wittenbergæ fit Studioſus] A. 1650. In Academiam *Wittenbergenſem* veniens, Profeſſori *Notrigelio* famuli loco miniſtravit, & unà Lectiones Philoſophicas ac Theologicas per ſeſquiannum ſedulus audivit. Exindè ad Nob. Dom. *Joh. Hartmannum* ab *Erfâ* venit, ejusque liberorum Præceptorem egit.

[Paſtor Eccleſ. Wiſenfeld.] A. 1656. A Conſiſtorio Eccleſiaſtico *Coburgenſi* Paſtor Eccleſiæ *Wiſenfeldenſis* conſtitutus, paulò pòſt eodem adhùc anno ſponſalia celebravit cum virgine *Agnete*, *Laurentii Gaugeri* Aulici *Coburgenſis* filiâ, ex quâ ſuperſtites reliquit filium *Joh. Philippum*, & filiam *Mariam Eliſabetham*. *[Sponſalia celebrat.]*

[Mor. cardialgiâ.] Cardialgiâ tandem per 6. dies graviter afflictus in Chriſto exſpiravit A. C. 1663. ætatis 38.

* *Ex Concione funebri M. Caſp. Frider. Nachtenhoferi.*

[Obiit A. C. 1663.]

CHRISTOPHORUS MEELFüHRER.

ONolsbaci vitam auſpicatus 28. Martii A. C. 1608. Patrem habuit M. *Johannem Meelführer*, tunc Concionatorem, & Conſiſtorii *Onoldini* Aſſeſſorem, poſteà Cœnobii *Heilsbronnenſis* Abbatem, tandemque Eccleſiaſtem & Conſiliarium Eccleſiaſticum *Onolsbaci*: matrem habuit *Eliſabetham*, *Nicolai Grammanni*, Superintendentis *Culmbacenſis* filiam. *[Filius Theol. celebris.]*

Cum in primâ ætate in Gymnaſio *Hailsbronnenſi* ſub diſciplinâ M. *Johannis Zezneri*, Conrectoris, & M. *Theodori Grammanni* Rectoris, ejusque Succeſſoris M. *Joh. Nicolai Schulini* fundamenta in ſtudiis egregia poſuiſſet, A. 1627. unà cum fratre M. *Johanne Burcardo Wittenbergenſem* Univerſitatem adivit, in quâ quadriennium exegit, & 26. Martii A. 1629, poſtquàm *binas Diſputationes Philoſophicas* habuiſſet, cum laude Magiſterii Gradum accepit. *[Gymnaſii Hailbronnenſis diſcipulus.]* *[Philoſ. Magiſter Witt.]*

A. 1630. Iterum *Diſputationem* publicam contra *Jubilæos & Indulgentias Papales* ſub præſidio D. *Wilhelmi Lyſeri*, Rectoris tunc Academiæ magnifici defendit: ſæpiùs etiam in Collegiis Hebraicis & Philoſophicis Præſidem egit. *[Præſes in Collegiis Hebr. & Philoſ.]*

A. 1631. In patriam à Dom. Parente revocatus, in Eccleſiâ primariâ Adjunctus, & brevi pòſt Prorector in Scholâ *Onoldinâ* denominatus, ad S. Miniſterium ordinatus eſt.

A. 1638. Fratri ſuo M. *Johanni Meelführero* vitâ defuncto, in Diaconatu Eccleſiæ patriæ ſucceſſit, & à Dom. Parente ſuo inauguratus eſt. A. 1641. In hujus anno prægreſſo demortui locum *Onolsbaci* Paſtor Eccleſiæ, & Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſor declaratus à Dom. *Joh. Bernhardo Stetnero*, tunc Diacono *Creilsheimenſi*, in feſto S. Trinitatis ſolenniter inveſtitus eſt. *[Diaconus Onold.]* *[Paſtor Eccleſiæ primar. & Conſiſtorii Aſſeſſor.]*

A. 1637. die 27. Febr. *Onolsbaci* ſponſalia celebravit cum virgine *Barbarâ*, Theologi celeberr. *Laurentii Lælii*, Conſiliarii *Brand.* Conſiſtorialis & Concionatoris ibidem primarii filiâ, quam cum duobus filiis *Joh. Chriſtophoro* & *Chriſtophoro Laurentio* reliquit. *[Conjugium ejus & duo filii.]*

Vir fuit robuſtus, & ſtaturæ ingentis, Muſicus excellens, Orator & Philologus eximius, Theologus exemplaris, in Concionibus ultimis *Apophthegmata JESU Chriſti ſecundùm 4. Evangeliſtarum harmoniam* declaravit: cumque deinceps ſtatuiſſet in Concionibus Dominicis monſtrare, quomodo Chriſtianus ad normam *Enochi* vitam Divinam in mundo traducere queat, Deo aliter viſum eſt. A tribus enim menſibus æger, lecto affixus, animam tandem Creatori reddidit 10. Febr. A. C. 1663. æt. 55. *[Moritur.]*

AbsIstIs MeeLfVrerVs SoLator OnoLDI.

Der Herr ChrIſtoff MeeLfVrer rVhet Izt In Gott.

MAGISTER CHRISTOPHORUS MEELFuRERUS.

Per Anagrammata *Wolf. Conr. Moſeri.*

Si agit mors lucrum eſt! è ſpe re fruor.
Chriſte migro! ſalute fruor! ſpe, re ſum.
Emigro! Chriſtus ſpes! fruor: lætemur.

Anno

HeC Meæ CaVſa eſt rata PassIonIs,
OrbIs InIVſtI Vt sCeLera eXpIentVr,
GreX & abs OrCo & NeCe LIberetVr
AtqVe beetVr.

Mm mm 3 EPITA-

EPITAPHIUM
M. CHRITOPH. MEELFURERO
erectum à Joach. Friderico Reichարto.

PONE PEDEM HIC VIATOR QUÆSO,
ET JUXTA TUMBAM HANC BENE MAGNAM
ALIQUANTISPER COMMORARE!
STA!
LEGE, LUGE, STUPESCE!
ADMIRARE, COLLACRUMARE!
MAGNUS ISTE LAPIS
ATLANTEM TEGIT
HERCULEM,
ET POLYPHEMUM
MAGNUM VIRTUTE,
MAJOREM SAPIENTIA,
MAXIMUM EXCULTISSIMA ERUDITIONE,
NOSTRUM INQUAM
MEELFüHRERUM,
ECCE QUANTUM VIRUM!
QUI
MAGNUS ERAT, QUANTUS ERAT,
QUANTUS ERAT, ADMIRANDUS ERAT.
ISTE
QUAMDIU INTRA MORTALITATIS EXUVIAS COARCTABATUR,
ITA IN ABDITIORA SAPIENTIÆ PENETRALIA SE INSINUAVIT,
UT FASCES ET SCEPTRA ILLI SUBMISERIT
TOTA NATIO DOCTORUM.
DICIER HINC MERUIT
NATURÆ OPUS ET MIRACULUM,
SCIENTIARUM MARE PROFUNDISSIMUM,
THEOLOGORUM POMPA,
SAPIENTUM PURPURA,
ET MUSARUM
ET GRATIARUM OMNIUM
AMABILISSIMUM DELECTAMENTUM,
DELICIOSISSIMUMQUE FERCULUM.
JAM VERÒ
PARCARUM INVIDIA LUMINE CASSUS
CINIS EST,
PULVIS EST,
UMBRA EST,
NIHIL EST.
HEU QUANTUM IN REBUS INANE!
FUIT IGITUR QUOD SUMUS,
HOMO MORTALIS.
ERIMUS QUOD ILLE EST:
ET NESCIMUS
QUID VEHAT ADHÙC SERUS VESPER
OLYMPO.
VERÙM ENIM VERÒ QUAMVIS
LANIFICÆ PUELLÆ
CADUCÆ HUJUS RUPERINT STAMINA
VITÆ,
QUA DIUTIUS FRUI QUIDEM DIGNISSIMUS
ERAT,
INTERIM TAMEN
BONÆ TYMPANA FAMÆ
LONGE LATEQUE
DOMI FORISQUE
PULSABUNTUR
IN SECULA ANTE OCCASUM MUNDI NON
DESITURA!

EJA PEREGRINATOR,
DISCE ICCIRCO DISCE,
UT MORIENS VIVAS,
VIVE UT CRAS VEL HODIE ADHÙC MORITURUS.
NAM
VITA FUGIT INDIGNATA SUB UMBRAS,
GLORIA NON MORITUR
ET
TE LICET EXTINCTA FAMA SUPERSTES
ERIT.
ABI TANDEM
AGGEMEBUNDE, COMPLORABUNDE
VIATOR!
ET
SPARGE LILIA,
SEMINA, CALTHULAS,
ADDE BLANDOS FLORES.
DIGNUS ENIM NOSTER EST,
QUI DORMIAT INTER MOLLICULAS ET PICTAS ROSAS,
INTER PURPURANTES ALBICANTESQUE TULIPAS.
DIGNUS OMNINÒ NOSTER EST
QUEM CINGANT VIOLÆ,
QUEM SEPIANT BENEOLENTIA CARDAMOMA,
SIMULQUE ODORIFERA AFFUMENT THURA.
QUID CUNCTARIS PORRÒ?
QUID CESSAS?
EXCLAMA
QUOD IPSA EFFLAGITAT PIETAS,
MOLLITER OSSA CUBENT!
ONOLDI AD REDSNIDOS UNDAS.
ANNO POST SALUTIPARAM SOSANDRI NOSTRI NATIVITATEM
M DC LXIII.
D. 10. FEBRUARII ÆTATIS SUÆ LV.

* *Ex Concione funebri M. Caſp. Hammerſchmid Concionat. aul. Onold.*

GUILIELMUS PAGEUS. Obiit A.C. 1663.

HArroviæ in Colle (Harrow on the Hill vulgò audit) & infra Comitatum *Middleſexiæ* & Diœceſin *Londinenſem* natus, *Oxon.* è Collegio *Balliolenſi* (ubi ſcilicet Gradu Magiſtrali ornatus fuerat) Collegii *omnium Animarum* Socius deligitur anno Dom. 1619.

Tandem, Beneficium Eccleſiaſticum conferente Collegio, Rector de Lockyng/ *Rector de Lokkyng.* propè Oppidum Wanting/ vulgo Wantage/ in agro *Bercherienſi*, evaſit, neque altiùs emerſit.

Anno 1624. Sacræ Theol. Prof. emicuit; *Theol Profeſſor* & reverà Theologus laudibus meritò cumulandus erat, in Patrum Græcorum ſcri- *Oxon.* ptis verſatiſſimus, concionandi quoque & diſputandi facultate egregiâ pollens.

Mortuus eſt *Lockyngiæ* 24. Februarii an- *Moritur.* no 1663. dieque proximo in Eccleſiæ illius Cancello, quod vocant, ſepultus eſt.

Scripſit

Genuflectionis ad nomen JEſu defenſorium *Scripta.* Oxon. 1631. Liber ille in modum reſponſionis ad appendicem quandam contra ſanctiſſimi

ctiſſimi nominis venerationem compoſitus eſt; in quo etiam objectionibus, ſeu potiùs cavillis *Guilielmi Prynne*, Armigeri (is enim reſponſionem ad Magiſtri *Ægidii Widdenes*, Genuflectionem hanc ineptè licet propugnantis, Libellum adornaverat) ſatis abundè factum. Cœterùm *Abboto*, Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, irrequietum *Prynnii* animum perpendenti, viſum *Pageo* præcipere, caveret, ne libri ſui exemplaria ullo modo diſtraherentur, rixas nimirum & calumnias acerbiſſimas præcavere præ ſe ferens. Atqui id ubi reſcivit *Laudus*, Vice-Cancellario ſuo, Acad. *Oxon.* (volente porrò ac jubente Regiâ Majeſtate) per literas 22. Jun. A. 1632. datas præcepit, ut librum illum propalandum protenus curaret; *quoniam* (inquit Antiſtes ille) *in defenſionem Canonis Eccleſiaſtici, de genuflectione ad nomen Jeſu, modeſtè ac nervosè conſcriptum intelligo. Neque verò Regiæ ſuæ Majeſtati placet, ut Libellus à Prynnio arroganter & imperitè contra Eccleſiam compoſitus obtineret, tanquàm ſi aut veram Eccleſiæ ſententiam adverſus ſeipſum complecteretur, aut talis eſſet, ut ad eundem reſponderi ab Eccleſiâ non poſſit.*

Pageum verò ipſum quod attinet, *Librum Thomæ à Kempis de Imitatione Chriſti* in ſermonem vernaculum transfudit, & *Oxoniæ* anno Dom. 1639. edidit; præmiſsâ præfatione fuſiori, quâ pacem Eccleſiæ ſuadet.

In lucem quoque emiſit *Animadverſiones in Tractatum Magiſtri Johannis Hales de hæreſi & ſchiſmate.* Oxon. 1641. Angl.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

Obiit A.C. 1663.

JOHANNES JACOBUS BEURERUS.

Lauingæ, Ducatûs *Neoburgici* oppido, mundum ingreſſus 24. Julii A.C. 1587. Patrem habuit *Martinum Beurerum*, Senatorem illius oppidi, & ædilem, Matrem *Urſulam Delzerinam*.

Philoſ. Magiſter Tubingæ. Cum in Gymnaſio patrio Claſſes percurriſſet, anno ætatis 20. Stipendio Ducali munitus, Academiam *Tubingenſem* acceſſit, & mox Anno 1607. ac 1608. Lauream utramque Philoſophicam ſolenniter obtinuit.

A. 1609. *Wittenbergam* indè diſceſſit, ubi ſtudiorum curſum diſputando & concionando feliciter continuavit, donec domum revocatus, Pædagogi munus in Gymnaſio *Lauingano* tunc vacans accepit, ſed brevi poſt, juſſu Conſiſtorii *Neoburgici*, *Heideccam* concedens, Diaconi ibi officium in Eccleſiâ, prægreſsâ ordinatione publicâ, fideliter adminiſtravit 9. annis.

Concionator Heidecc. Poſt obitum poſteà Dn. *Chriſtophori Moroldi*, Theol. Doct. & Eccleſiæ illius Superintendentis, à Sereniſſimo Principe *Palatino Joh. Friderico* Concionator ibidem factus, 9. quoque annos in eo munere exegit.

Concionator aulicus Palat. Hilpolſtein. A. 1627. Ingruente præter ſpem reformatione Catholicâ in Ducatu *Neoburgico*, cum aliis Eccleſiæ Paſtoribus remotus, Anno ſeq. 1628. ad Principem *Palat. Joh. Fridericum* vocatus, Concionatori illius aulico M. *Jacobo Eberhardo* tunc admodùm ſeni Collega datus, hujuſque defuncti ſucceſſor in eo munere poſt obitum quoque Principis apud Viduam illius 19. annis verſatus eſt.

Concionator Weiſenburg. A. 1647. *Weiſſenburgum* a Magiſtratu vocatus, & conſenſu Duciſſæ *Palat.* Viduæ clementer dimiſſus, Concionatorem ibi fidelem per vitæ ſuæ tempus reſiduum egit.

Conjugium ejus triplex & Liberi. In triplici conjugio vixit, deſponſatus primùm 20. Nov. A. 1610. *Lauingæ* cum virgine *Anna*, D. *Philippi Heilbronneri*, Superintendentis *Lauingani* filiâ, ex quâ 5. filios & 4. filias ſuſcepit, ſed unicum duntaxat filium ſuperſtitem reliquit.

Hâc conjuge defunctâ, ad ſecunda vota tranſivit *Norimbergæ* 18. Nov. A. 1623. cum virgine *Suſannâ Mariâ*, *Baſilii Besleri*, Pharmacopœi celebris filiâ, quæ tres ei filios duaſque filias peperit, unâ tantùm in vivis manente filiâ. Sed cùm & hæc A. 1632. obiiſſet, poſtquàm in viduitate triennium exegiſſet, 17. Dec. A. 1635. ſponſalia tertiâ vice reiteravit cum virgine *Barbarâ*, M. *Michaëlis Freymanni*, Paſtoris olim Eccleſiæ *Heideccenſis*, relictâ filiâ, quam viduam reliquit ſuperſtitem, cum 3. filiis & filiâ unicâ.

Moritur. Senio tandem exhauſtus, & à tribus menſibus æger decumbens, morte placidâ vivere deſiit, vir de Chriſti Eccleſiâ bene meritus 17. Martii A.C. 1663. ætatis 76. & miniſterii Eccleſiaſtici 53.

* *Ex Concione fun. M. Zachariæ Wideri Concionat. Weiſenburg.*

M. JOHANNES JACOBUS BEURERUS.
Per Anagr.
Jam verè Bonus Bonis cura eſt.

Obiit A.C. 1663.

CHRISTOPHORUS KIRCHBERGERUS.

Natus eſt 17. Oct. A.C. 1583. Patre *Thomâ*, Judice *Brunſvicenſi*. A. 1599. In Scholâ *Walckemirtenſi* diſciplinæ Conrectoris *Zachariæ Bartrami* ſubditus, ſtudiorum ibi fundamenta poſuit.

A. 1603. A Patre in Academiam *Lipſienſem* ablegatus, exindè *Helmſtadium* venit A. 1605.

Rector Scholæ Ebricenſis. Paſtor Eccleſiæ Belſtatt. A. 1608. A Comitibus *Schwartzenburgicis Antonio Henrico*, & *Joh. Gunthero* Rector Scholæ *Ebricenſis*, & A. 1610. Paſtor Eccleſiæ *Belſtattenſis* ac *Döringshuſanæ* factus, in eo munere 14. annos exegit.

Deſponſatur bis. Eodem A. 1610. deſponſatus eſt cum virgine *Mariâ*, *Franciſci Beckli*, Senatoris in *Langenſaltzâ* filiâ, ex quâ 5. filios & 2. filias ſuſcepit, ſed unicum tantùm filium reliquit ſuperſtitem. Hâc vitâ defunctâ, A. 1627. ſecundas celebravit nuptias cum viduâ *Joh. Georgii Hofmanni*, Prætoris *Northuſani*, quæ duas ei filias peperit, & A. 1649. mortua eſt. *Concionator Northuſ.* A. 1624. A Civitate Imperiali *Northuſâ* vocatus, Eccleſiæ ad S. *Nicolaum* Diaconus, & A. 1646. ibidem Concionator ad S. *Blaſium*, Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſor, & Scholarum Inſpector conſtitutus eſt.

Cum

Digitized by Google

Moritur. an. miniſterii 53. Cum ita totos 53. annos in Miniſterio Eccleſiaſtico exegiſſet, morte beatâ ſublatus vivere deſiit *Northuſæ* 22. Martii A.C. 1663. ætatis 80.

* *Ex Concione funebri Johannis Sandhagii Diaconi Northuſ.*

DOMINICUS BEER.

Obiit A.C. 1663.

VEldæ natus eſt, ditionis *Norimbergenſis* oppido, 10. April. A.C. 1598. Patre *Georgio Beer*, per annos 23. ibidem Eccleſiæ Diacono, qui obiit A. 1607. Matre *Margarethâ Widemanniâ*, ex *Ammerdingâ, Sueviæ* oppido, oriundâ. *Veldæ* ex S. baptiſmi fonte ſuſceptus eſt à *Dominico Aichemanno* Senatore & Tinctore.

Adoleſcens *Norimbergæ* Claſſes Scholæ *Laurentianæ* pertranſiit, & unà M. *Johanni Schrötero*, Concionatore ejusdem Eccleſiæ ceu famulus per ſexennium inſerviit: ſtudiorum ſuorum Mecænatem nactus Dom. *Vitum Burgerum*, Scholæ *Laurent.* Rectorem & Agnatum.

A. 1617. In Univerſitatem *Jenenſem* miſſus, ſtudia Philoſophica & Theologica feliciter tractavit. A. 1620. In *Altorffinam* regreſſus, eodem anno cum 11. Candidatis Philoſ. Magiſter ſolenniter renuntiatus eſt à D. *Georgio Nöslero* Philoſ. & Med. Profeſſore. Abinde concionando ſe exercere cœpit. *Fit Philoſ. Magiſter.*

A. 1621. A nobili Viro *Jodoco Sigismundo* à *Schaumburg Erdmansbergam* vocatus, caſtellum urbi *Beureytho* vicinum, tribus ipſius filiis Præceptor datus eſt.

A. 1622. In patriam reverſus, inſtinctu *Pauli Piggelii*, Concionatoris *Laurentiani*, in Scholâ recens *Norimbergæ* erectâ ad S. *Ægidium* tertiæ Claſſis Præceptor factus eſt. *Præceptor Claſſicus ad S. Ægid.*

A. 1624. In pago ditionis *Norimberg.* Rückersdorff / *Lauffæ* vicino, Paſtor Eccleſiæ conſtitutus, eodem adhuc anno nuptias celebravit cum virg. *Margarethâ, Joh. Philippi Pütti*, aurifabri filiâ, ex quâ duos ſuſcepit filios, *Johannem Chriſtophorum*, & *Joh. Georgium* in infantiâ mortuos. *Paſtor Eccleſ. Rückersdorff. Deſponſatur.*

A. 1627. *Lauffæ* factus Diaconus, cum paulò pòſt obiiſſet uxor, alteram duxit *Amaliam, Thomæ Desleri* Civis *Norimberg.* filiam, cum quâ nuptias celebravit A. ſeq. 1628. ex eâque duos ſuſcepit filios. Obiit illa A. 1632. *Diaconus Lauffenſis.*

A. 1633. Diaconus *Norimbergæ* ad S. *Laurentium* conſtitutus, ſingulis ibi diebus Jovis à meridie in magnâ auditorum frequentiâ concionatus eſt, ad Annum usque 1660, quo caput ejus admodum debilitari cœpit. *Diaconus ad S. Laurentium.*

Eodem anno 1633. tertiam duxit uxorem, virginem *Magdalenam*, *Leonhardi Glaseri* mercatoris filiam, quæ 6. ei peperit liberos, filios nempe tres, totidemque filias.

Ipſe A. 1659. ſenior factus Capituli *Laurentiani*, cum ab anno integro vertigine & memoriâ debili laboraſſet, & à ſeptem diebus ægrotus ex templo domum reverſus decubuiſſet, exſpiravit 31. Julii A.C. 1663. ætatis 65. miniſterii Eccleſiaſtici 39. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri M. Bened. Mauritii.*

Sub effigie ejus æri inciſâ hi verſus extant Dom. *Joh. Mich. Dilherri*:

Parvula quem ſiſtit ſpectandum pagina, magnæ
Beerius hic Urbi meritus eſt notus, & Orbi.

Typis edidit:

Nürnbergiſches Geiſt- und Lehr-reiches Hand-Buch in 70. Bücher abgetheilt / und mit ſo viel Kupfferſtücken gezieret. *Scripta.*

GEORGIUS KENDALL.

Obiit A.C. 1663.

COſtonæ in Parochiâ de Dawliſch ſeu Duliſch / propè *Exoniam* in lucem editus eſt. Poſt quadriennium ab adventu ejus ad Academiam *Oxonienſem*, nempe anno 1630, in Collegii Exonienſis Socium delectus eſt, atque ſtudiis Philoſophicis ac Theologicis animum probè excoluit.

Peſſundatâ Eccleſiâ *Anglicanâ*, *Calviniſtis* ſeſe adjunxit, Rectorque de Bliſland / propè *Bodmynam*, apud *Cornubienſes*, emerſit, cujus curâ paucis pòſt annis depoſitâ, *Londin.* profectus eſt, & Eccleſiæ cujusdam in *Plateâ Gratioſâ* Miniſter evaſit. *Rector de Bliſland apud Cornubienſes. Eccleſiæ Miniſter Lond.*

Sub felicem Sereniſſimi *Caroli II.* in *Angliam* editum, *Londino* exceſſit, & Rectoriam de Kenton / ſecus *Exoniam* nactus, in eâdem permanſit, usq; dum ſtatutum de cultûs divini conformitate promulgaretur, hoc eſt ad An. 1662.

Fato functus eſt 19. Auguſti. 1663. in domo ſuâ de Coſton / ibique in Capellâ eidem annexâ ſepultus jacet. *Moritur.*

Scripſit: *Vindicationem doctrinæ vulgò receptæ in Eccleſiis, de ſpeciali gratiâ & favore electis à Deo in Chriſti morte deſtinatis.* Lond. 1653. Angl. fol. *Scripta.*

De Prærogativâ Chriſti, potentiâ, præſcientiâ, providentiâ, &c. contra librum Job. Goodwin, inſcriptum Redemptio redempta. Lond. eod. an. Angl.

Digreſſiones de impoſſibilitate novorum Actuum immanentium in Deo. &c. Lond. eod. an. Angl.

De perſeverantiâ Sanctorum, &c. contra Johannem Goodwin, in libro ſuo inſcripto, Redemptio redempta. Lond. 1654. Angl.

Pro eruditione Academicâ Apologiam contra Magiſtrum Horne. Lond. 1654. Angl.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

JOACHIMUS BUCHOLTZIUS.

Obiit A.C. 1663.

PRimâ Dominicâ Adventûs A. C. 1608. natus, Patrem habuit cognominem, pannificii primarium opificem *Brandenburgi*, Matrem *Annam*, *Nicolaî Andreæ*, aurifabri filiam.

Cum in ſcholâ patriâ Latinæ Linguæ fundamenta poſuiſſet, A. 1626. miſſus à Parentibus in Gymnaſium *Berolinenſe* in ſtudio Linguarum & Philoſophiæ ſub M. *Georgio Gutkio*, Gymnaſii Directore, eos fecit progreſſus, ut A. 1628. Parentum conſenſu *Lipſiam* venerit: ubi Studium Philoſophicum majori *In Gymnaſio Berolinenſi ſtudia inchoavit.* *Lipſiæ Philoſophiæ Studioſ.*

Digitized by Google

majori cum diligentiâ, Profeſſores publicè docentes audiens, *Hieronymum Recklebium* in Logicis, D. *Chriſtoph. Preibiſium* in Phyſicis, Licent. *Philipp. Müllerum* in Matheſi, Licent. *Zach. Schneiderum* in Ethicis, continuavit. Privatim verò M. *Andr. Kunadi*, M. *Gothfridi Raspii*, & M. *Auerbachii* Collegiis interfuit. Ibidem maturè ſtudium Theologicum aggreſſus, D. *Polycarpi Lyſeri*, D. *Henrici Höpfneri*, & D. *Joh. Hopneri* Lectiones & Diſputationes ſedulus inviſit.

& Theol.

A. 1631. Cum Parentes ipſi ſumtûs ad ſtudia proſequenda propter exactiones bellicas ſuppeditare non poſſent, ope D. *Chriſtiani Lentzii*, Conſiliarii *Lipſienſis*, nobilis adoleſcentis à *Schonberg* ſtudiorum & morum gubernator conſtitutus, cum eo *Dresdam* A. 1633, & exindè *Lipſiam* A. 1635. ſe contulit, ubi ſtudia ſua feliciter continuavit.

Wittenbergæ Theol. Studioſus

A. 1641. Cum *Schonbergio* ſuo domum reverſus & dimiſſus Academiam *Wittenbergenſem* acceſſit, & unicè ſtudio Theologico intentus, converſatione & informatione uſus D. *Jacobi Martini* in Facult. Theol. Senioris, D. *Pauli Röberi*, & Diſputatoris eximii D. *Wilhelmi Lyſeri*, ſub hoc hoſpite tunc ſuo caput 5. *Johannis* explicante aliquoties cum laude diſputavit. Hujus frater *Fridericus Lyſerus*, Superintendens *Eulenburgenſis*, cum A. 1645. diem obiiſſet, ei *Bucholtzius* hic, annuente Conſiſtorio *Dresdenſi*, in Paſtoratu & Inſpectione ſucceſſit, & mox impetratâ licentiâ à Facultate Theol. *Wittenbergenſi* gradum Doctoralem aſſumendi, circa feſtum *Martini* A. C. 1645. S. Theol. Doctor ſolenniter renuntiatus eſt.

Superint. Eulenburg.

& Doctor Theol. Wittenb.

Conjugium ejus & Liberi.

Eodem adhûc anno ſponſalia celebravit cum virgine *Eliſabethâ*, prædicti D. *Friderici Lyſeri*, qui vivens adhûc conſenſerat, filiâ, quæ 6. ei filios & 4. filias peperit, ſed 4. tantùm filios, *Joach. Fridericum*, *Gotfridum Rudolphum*, *Carolum Ludovicum*, & *Polycarpum Theodorum*, viventes reliquit, duasque filias, *Annam Sophiam*, & *Euphroſinam Sidoniam*, decem modò diebus ante parentis obitum mundum ingreſſam.

Vegetus toto vitæ ſuæ decurſu ſanitate gaviſus integrâ, tandem dyſenteriâ tunc epidemicâ correptus, cum 7. tantùm diebus æger decubuiſſet, accedente tandem catarrho ſuffocativo, inter preces & ſuſpiria adſtantium placidè obdormivit 20. Aug. A. C. 1663. æt. 55.

Moritur dyſenteriâ.

* *Ex Concione fun. D. Samuelis Langii Theol. Prof. Lipſ.*

Obiit. A. C 1663.

GEORGIUS NAGELIUS.

NEuſeſii vitam auſpicatus eſt 6. Aug. A. C. 1592. Patre M. *Samuele Nagello*, per 39. annos Eccleſiæ Paſtore *Neuſeſii* primùm, deindè *Finſterlohi*, tandemque Diacono *Rotenburgenſi*, cujus Pater *Andreas Nagelius Windsheimii* 55. annis Verbum Divinum docuit. Matrem habuit *Eliſabetham*, M. *Mich. Gundermanni*, Superintendentis *Rotenburgici* filiam.

Filius & Nepos Theologor.

A. 1602. Quintam Gymnaſii *Rotenburgici* Claſſem ingreſſus, cœteras omnes brevi tempore pertranſiit, in primâ Claſſe Viros celebres nactus Præceptores, *Andream Libavium* Med. Doctorem, & M. *Eliam Ebingerum* Scholæ Rectorem.

A. 1610. Miſſus in Academiam *Argentinenſem*, biennio poſt Decano D. *Mich. Beuthero* J. C. primam Philoſ. lauream, & anno ſeq. ſub Decanatu D. *Caſp. Bitſchii* J. C. Magiſterii Gradum conſecutus, inter 22. Candidatos ſeptimum locum obtinuit.

Magiſter. Argent.

Wittenbergam deindè concedens, ſtudio Theologico dedit operam, & A. 1615. domum reverſus, per ſeſquiannum diverſis in pagis concionando ſeſe exercuit, donec 1617. Paſtor Eccleſiæ *Finſterloënſis* à Senatu *Rotenburgico* declaratus, & à M. *Johanne Neſero* Superintendente *Rotenburg.* ſolenniter ordinatus eſt.

Paſtor Eccleſ. Finſterloi.

Eodem tempore deſponſatus eſt cum virgine *Barbarâ, Sebaſtiani Hofmanni*, Scholæ ibidem Conrectoris, filiâ, ex quâ 3. filios, duasque filias progenuit, ſed omnes infantes præmiſit. Hæc cum *Adelhofii*, quo A. 1619. à Senatu *Rotenburg.* promotus fuerat, vitam A. 1622. finiiſſet, eodem adhûc anno ſponſalia reiteravit cum *Margarethâ*, *Bartholomæi Schammerici*, relictâ viduâ, ex quâ filium *Joh. Georgium* ſuſcepit. A. 1644. vitâ defunctum.

Conjugium ejus quadruplex.

& Adelhofii Paſtor.

Intereà A. 1629. Patri vitâ defuncto per 23. annos *Rotenburgi* Eccleſiæ Diacono in munere ſucceſſit. A. 1634. Peſte graſſante conjugem alteram cum dolore amiſit, & Anno ſeq. 1635. tertia ſponſalia celebravit cum *Barbarâ*, viduâ *Job Stelwagii*, Paſtoris vicarii *Lentzenbronnenſis*, quam ſterilem A. 1647. amiſit.

Diaconus Rotenburg.

Anno ſeq. quartâ vice nuptias celebravit cum virgine *Margarethâ*, filiâ M. *Johannis Henrici Riſii*, Diaconi tunc *Rotenburgenſis* & Poëtæ Laureati, quam ſterilem quoque reliquit ſuperſtitem.

Intereà præter alias, quas perpeſſus eſt, calamitates, A. 1634. peſte graviter laboravit. A. 1656. Concionatoris Xenodochii veſpertini munus ſuſcepit, & anno demùm 1661. poſt obitum Superintendentis *Georgii Zierlini* Miniſterii *Rotenburg.* Senior, Conſiſtorii Aſſeſſor, & Scholarcha declaratus eſt.

Miniſterii Senior, Conſiſtorii Aſſeſſor & Scholarcha.

Piè tandem in Chriſto exſpiravit 13. Sept. A. C. 1663 æt. 71. miniſterii 46. Sic avus, pater & filius 140. annis, raro exemplo, in vineâ Chriſti laborârunt.

M. GEORGIUS NAGELIUS SENIOR
per Anagr.
Gregi Sionio re ſum Angelus.

* *Ex Concione fun. Joh. Bapt. Zierlini Diaconi Rotenburg.*

NICODEMUS LAPPIUS.

Obiit A. C. 1663.

REmbdæ Comitatûs *Gleichenſis* oppido natus 20. Oct. A. C. 1582. Patrem habuit *Andream Lappe*, loci illius Præfectum, Matrem *Margaretham*, *Erhardi Scheidemantelii* Civis *Remdenſis* filiam.

Puer in patriâ Præceptorem habuit *Erhardum Heemwagium* Eccleſiæ *Remdenſis* Diaconum. A. 1594. *Ordrufium* à Patre miſſus ad annum usque 1597. Claſſes frequentavit ſub Præceptoribus *Valentino Lentzio* Cantore, & M. *Johanne Walthero* Rectore. *Ordrufi Claſſes frequentavit.*

A. 1600. *Jenenſem* accedens Academiam, in ſtudiis Philoſophicis & Linguarum ſedulus perrexit, in Græcis Præceptorem nactus M. *Wilhelmum Piſtorium Waldeccenſem*, Concionatorem poſteà *Barbienſem*, & ſub *Antonio Buſchero* Facult. Philoſ. Adjuncto, in Collegio privato *de Naturâ Logicæ*, poſteàque publicè *de Notionibus primis & ſecundis*, Præſide M. *Hölſchero*, Ephoro tunc Collegii *Bohemiani*, diſputavit. *Jenæ bis in Logicis diſputavit.*

Abſoluto curſu Philoſophico, ſtudium Theologicum inchoavit, voto Patris obtemperans, & menſâ D. *Petri Piſcatoris* uſus, ab eodem brevi tempore Linguæ Hebrææ primitias arripuit, ac Carmina Hebræa ſcripſit.

Eo tempore cum M. *Johannes Gerhardus*, Theologorum poſteà lumen, *Jenam* veniſſet, Collegia ejus privata diligenter frequentavit, & bis *Diſputationes* Theologicas ſub Præſidio D. *Piſcatoris* habuit, primam dum Collegio Diſputationum in Formulam Concordiæ intereſſet de *bonis Operibus*, deindè contra *Piſcatorem Herbornenſem*. *& bis in Theologicis.*

A. 1606. Ibidem ſub Decanatu M. *Thomæ Sagittarii* Honores Magiſteriales adeptus, inter 12. Competitores primum locum propter ſingularem eruditionem obtinuit. *Philoſ. Magiſter Jenæ.*

A. 1609. Commendante D. *Johanne Majore*, à *Joh. Erneſto*, Duce *Sax. Vinarienſi* Paſtor Eccleſiæ *Liebſtetenſis* denominatus, ſed cum M. *Abel Nerenius*, Diaconus *Vinarienſis*, promotore M. *Abrah. Langio* Superintendente *Vinar. Liebſtetenſem* Paſtoratum acceſſiſſet, huic in Diaconatu *Vinar.* ſucceſſit, & in Miniſterio ordinatus eſt. *Diaconus Vinar.*

A. 1611. *Roſlæ* apud Parentes nuptias celebravit cum virgine *Annâ, Michaëlis Rutilii*, piſtoris *Jenenſis* filiâ, ex quâ filiam ſuſcepit *Margaretham*, poſteà deſponſatam *Joh. Ludovico Frobenio*, Senatori & Camerario *Arnſtatenſi*. *Nuptias celebravit.*

A. 1615. Recommendante M. *Gregorio Ewaldo*, Superintendente *Vinarienſi*, *Thannam* in Abbatiâ *Fuldenſi* ad Eccleſiæ miniſterium legitimè vocatus eſt. *Paſtor Eccleſiæ Thann.*

A. 1619. Accerſitus exindè *Arnſtadium*, Officium ibi ſecundi Diaconi aggreſſus, in eoque 10. annis verſatus eſt. *Arnſtadii Diaconus ſecundus.*

Intereà cum A. 1623. mors ei uxorem dilectam abripuiſſet, anno ſeq. ad ſecunda vota tranſitum fecit, deſponſatus *Arnſtadii* cum virgine *Catharinâ, Friderici Felderi*, Præfecti *Gothani*, civisque poſteà *Arnſtadii* primarii filiâ, quam viduam reliquit, cum duabus filiabus, quarum *Cunigunda Catharina Jacobo Bartholomæo*, Paſtori *Oberndorfenſi*, & *Anna* M. *Samueli Friderico Bornio*, Inſpectori *Rembdenſi* nupſerunt. Filium verò *Nicodemum* Med. ſtudioſum ex eâdem conjuge ſuſceptum, cum filiabus *Juſtinâ Margarethâ* & *Catharinâ* præmiſit. *Conjugium ejus ſecundum.*

A. 1629. Poſt obitum M. *Schuccelii*, Superintendentis *Arnſtat.* Inſpectoris Eccleſiarum & Scholarum, Anno verò 1635. Superintendentis *Arnſtatenſis* munus ſibi delatum ſuſcepit, moxque à D. *Salomone Glaſſio* Comitatûs *Schwartzenburg.* Superintendente *Sondershuſæ* ſolenniter inveſtitus eſt. *Superint. Arnſtat.*

In eo munere vitam reſiduam exegit, tandemque ultimo triennio debilis ob ſenium Conciones intermittere coactus, accedente demùm ſyncope cardiacâ cum hemiplegiâ inter preces ad Deum devotas placidè exſpiravit 8. Nov. A.C. 1663. ætatis 81. miniſt. 44. *Moritur.*

LappIVs è terrâ aD sanCtos trans aſtra MIgraVIt.

M. NICODEMUS LAPPIUS ECCLESIÆ ARNSTADIENSIS PASTOR ET CÆTERARUM SUPERATTENDENS.

Per Anagramma purum M. *Chriſtoph. Faſchii* P. L. C. Paſtoris & Decani *Heldrungenſis:* *Anagramma.*

Mens ceu lampas erat, Pes & ceu mœnia rectis:
NVnC seD apVD patres soLIs aDInſtar erIt.

SYMBOLUM habuit: *Symbolum.*

M. *Nicodemus Lappius Rhembdenſis Superintendens.*

Mei Nitor Lytro Redemptoris Soluto.

Scriptura effigiei ipſius *Arnſtadii* in Templo ſuſpenſæ ſubſcripta hæc legitur:

PLURIMUM REVERENDUS: DN. NICODEMUS LAPPIUS: MAGISTER ARTIUM CREATUS JENÆ 1606: PRIMUM DIACONUS VINARIÆ 1610. PASTOR THANNENSIS IN BUCHONIA 1615. SECUNDUM DIACONUS ARNSTADII 1619. INSPECTOR IBIDEM 1629: PASTOR AC SUPERINTENDENS 1635: VIR DE ECCLESIA AC SCHOLA, DE VIDUIS, ORPHANIS, AC PAUPERIBUS, ET OMNIBUS, PESTIS, FAMIS ET BELLI TEMPORE OPTIME MERITUS: NATUS RHEMBDÆ 20. OCTOBRIS 1582. DENATUS ARNSTADII 8. NOVEMB. 1663. EX UTROQUE CONJUGIO 36. LIBERORUM: NEPOTUM ET PRONEPOTUM: PATER: AVUS: PROAVUS: CUJUS ANIMÆ BENE SIT ÆTERNUM.

* *Ex Concione fun. M. Laurentii Weberi Archidiaconi Arnſtat. cujus titulus: MagIſter LappIVs DoCtor pIè beatVs.*

Edidit:

Chriſtliche Einweyhung/Huldigung/ und Leichtpredigten. *Scripta.*

JOHANNES ENVALDI BROCKMANNUS.

Obiit A.C. 1664.

Coagii natus eſt 16. April. A.C. 1621, Patre *Envaldo Eraſmi*, Urbis Conſule, Matre *Margaritâ Eraſmi f.* Educatus in paternis ædibus, primùm domeſticis Præceptoribus, deindè publicis in Scholâ *Herloffholmianâ* informandus traditur. *Diſcipulus Herloffholm.*

Ex hâc in Academiam *Hafnienſem* miſſus

A. 1638.

Digitized by Google

A. 1638. Civitatem conſecutus eſt, Rectore M. *Jacobo Finckio*, Decano Philoſ. Fac. *Thomâ Bangio*. Poſtquàm hîc 4. annos apud Patruos D. *Caſparum*, & D. *Johannem Brockmannos* tranſegiſſet, A. 1642. in *Angliam* concedens, in Academiâ *Cantabrigienſi* Philoſ. Magiſter reuntiatus eſt.

Philoſ. Magiſter Cantabrigiæ.

Pôſt *Scotiam* quoque adiit, & indè reverſus A. 1644. Uxorem in *Angliâ* duxit nobili loco natam *Annam Laurentiam*, ex quâ 4. liberos ſuſtulit.

Uxorem duxit in Angliâ.

Paſtor Eccleſ. Hafn.

Redux in Patriam, Eccleſiæ S. *Nicolai Hafnienſis* Paſtor conſtitutus eſt. A. 1649. Illud munus reſignavit A. 1660, quod ob valetudinem tam frequentibus concionibus habendis ſe imparem ſentiret, ac Regiis literis lectis in Conſiſtorio Theologiæ Profeſſor deſignatus juramentum præſtitit. Sed cum brevi pôſt diem obiiſſet D. *Jacobus Matthiæ* Epiſcopus *Arbuſienſis* ei ſucceſſor à Sereniſſ. Rege datus eſt: & antequàm vel vacaret Stipendium in Facultate Theologicâ, vel ipſe ullam Profeſſorii muneris functionem obiret, muneri Epiſcopali ab Archiepiſcopo D. *Johanne Suaningio* inauguratus eſt.

Theol. Profeſſor

Epiſcopus Arbuſienſis.

Obiit *Arbuſii* 3. Martii A. C. 1664. ætatis 43.

* ***Ex Academiâ Hafn. repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.***

Obiit A. C. 1664.

CHRISTOPHORUS BRUNCHORSTIUS.

Erfurti natus eſt 13. Nov. A. C. 1604. Patre *Ruperto Brunchorſtio* Senatore, Matre *Marthâ*, Dom. *Chriſtoph. Fehmelii*, Senatoris ibidem filiâ.

Cum in Academiâ patriâ ſtudiorum fundamenta poſuiſſet, ſtudium Theologicum aggreſſus, cœteras quoque Academias inviſit, & concionando ſe exercuit, donec *Ehreshuſii* à nobilibus *Hanſteniis* legitimè vocatus Paſtoris Eccleſiæ munus aggreſſus eſt, quo tempore cum M. *Andreâ Cramero*, Superintendente *Mülhuſano*, viro tunc celebri, familiarem amicitiam contraxit.

Paſtor Eccleſ. Ehreshuſii.

Volente deindè Sereniſſ. Dom. *Wilhelmo* Duce *Saxoniæ*, Inſpector & Superintendens Eccleſiarum & Scholarum tractûs *Eisfeldenſis* factus eſt.

Superint. Eisfeldenſis.

A. 1635. Vocatus ab *Erneſto* Duce *Saxoniæ Vinar.* Paſtor Eccleſiæ *Hohlſtettenſis* declaratus, in eo munere ſorte ſuâ contentus usque ad A. 1640. vixit, quo ab eodem Duce *Vinar.* Concionator aulicus, & Conſiſtorii *Gothani* Aſſeſſor conſtitutus eſt.

Conſiſtorii Gothani Aſſeſſor, & Concionator aulicus.

A. 1628. Conjugem duxit virginem *Agnetem, Jacobi Stichlingii*, Senatoris *Erfurtenſis* filiam, quam ſterilem viduam reliquit.

Vixit in conjugio ſterili.

Cum tandem ab annis aliquot morbo hypochondriaco & doloribus arthriticis fuiſſet confectus, placidè in Chriſto exſpiravit 26. Martii A. C. 1664. æt. 60.

* ***Ex Concione fun. Abrah. Gispachii, Diaconi aulæ Gothanæ.***

Chriſtophorus Brunchorſt/ Fürſtlicher Sächſiſcher Friedenſteiniſche wolverdiente Hofprediger.

Durch Verſetzung der Buchſtaben *Andr. Reyheri D.*

Anagramma.

Er ſchöppfte frölich aus Chriſti Woortes-Brunn/und erfriſchet dieſe/ſo durſtig erſchienen/herzlich.

TOBIAS SEIFARTUS.

Obiit A. C. 1664.

Mundum hunc ſalutare cœpit *Leucopetræ* oppido *Miſniæ* 11. Nov. die *Martini* Epiſcopi memoriæ ſacro, A. C. 1608. Patre *Johanne Seifarto*, Phrygione, & Cive illius loci primario, Matre *Mariâ Leſeriâ* Senatoris *Burgelenſis* filiâ.

A. 1616. In ſcholam Epiſcopalem, quæ *Martisburgi* eſt, amandatus, informatore M. *Valentino Heuſtreu*, Rectore, in trivialibus & trium Linguarum Cardinalium, Latinæ, Græcæ & Hebrææ, cum inſtrumentalibus artibus tyrocinia poſuit.

Martisburgi Scholam accedit.

Poſteà cum ſolidius fundamentum per biennium ſub M. *Chriſtoph. Rörhornero* in eisdem jeciſſet, anno ætatis 16. *Lipſiam* ſe contulit, ubi cum ſub manuductione M. *Johannis Friderici*, utriusque Linguæ & Hiſtoriar. Profeſſoris in Philoſophiâ Theoreticâ & Practicâ progreſsûs feciſſet laudabiles, ad Medicæ artis ſtudium animum applicuit, ſed cum ſumtûs abeſſent, diſſuadente Dom. *Bernhardo à Polnitz*, Cancellario *Sax.* ſtudium Theologicum Medico prætulit, & A. 1627. in Academiam *Jenenſem* conceſſit, ubi Theologor. *Johannis Majoris*, *Gerhardi*, & *Himmelii* induſtrium egit auditorem non tantùm in lectionibus publicis, ſed etiam Collegiis privatis, non poſthabito concionandi exercitio in Collegii Templo ibidem.

Medicum ſtudium inchoat, ſed Theologicum præfert.

Jenæ ſtudia Theol. tractat.

Eodem adhûc anno à prædictis Theologis cum literis commendatitiis ad ſupremum Electorale Conſiſtorium *Dresdam* ablegatus eſt, à quo etiam, examine præmiſſo, in numerum Candidatorum Miniſterii cooptatus fuit, & procul dubio ad functionem Eccleſiaſticam aſpiràſſet, niſi vacante Rectoratu Pædagogii *Altenburgenſis*, à Mæcenatibus D. *Bernhardo Bertramo* Cancellario *Altenburgico*, & *Caſp. Facio* Conſil. aulico ſparta hæc ornanda fuiſſet ipſi commendata, quam 6. Febr. A. 1634. acceptavit, & per decennium ſingulari cum dexteritate adminiſtravit.

Rector Pædagogii Altenburg.

A. 1642. Candidatum Theologiæ apud Facultatem Theologicam in Academiâ *Jenenſi* profeſſus, & brevi pôſt Superintendens *Schleuſingenſis* denominatus eſt, quam functionem tamen ob certas cauſas alii Theologo magis vicino lubens conceſſit.

Candidatus Theol. Jen.

Superint. Schleuſing.

A. 1643. Cum D. *Andreas Keslerus*, Superintendens Ducatûs *Coburg.* generalis obiiſſet, in ejus locum à Principe legitimè vocatus, & 27. Junii *Jenæ* gradu Doctoris nobilitatus, 4. Aug. ſeq. *Coburgi* Concionem *Ἀντιμαχικὴν*, & 20. Oct. introitalem habuit. Ibidem etiam Gymnaſii Ducalis Profeſſor & Scholarcha factus eſt.

Superint. generalis Coburg.

Doctor. Theol.

Scholarcha Gymnaſii.

In conjugio ad tertium tranſiit votum, & cum primâ conjuge virgine *Annâ Catharinâ*, Jaco-

Conjugium triplex.

Digitized by Google

Jacobi Monachi Pragæ, Kuttenbergæ & Leuppi in Bohemiâ Paſtoris filiâ. 18. Junii A. 1633. ritu Eccleſiaſtico copulatus fuit, factusque parens trium gnatorum, è quibus natu primus *Johannes Tobias* ab ipſo Superintendens *Neoſtadii* ad *Ericas* inveſtitus eſt, poſteriores duo *Joh. Jacobus* & *Victorinus* in ætate infantili obierunt.

Anno in viduitate exacto in matrimonium duxit 29. Jan. A. 1638. virginem *Annam Margaretham*, D. *Johannis Himmelii*, Theol. Prof. *Jenenſis*, & Rectoris tunc Magnifici filiam, ex quâ ſuſcepit filios *Joh. Timotheum*, & *Tobiam*, filiasque *Suſannam Margaretham*, & *Urſulam Catharinam*, ſed *Tobias* tantùm vivus manſit.

Hâc defunctâ, 20. Junii A. 1648. torum denuò renovavit cum virgine *Annâ Urſulâ*, Dom. *Andreæ Körneri*, Conſulis & Scholarchæ *Coburgenſis* filiâ, quam viduam reliquit ſuperſtitem, ex eâque 8. liberorum factus eſt parens, ex quibus filiolus *Auguſtus Tobias*, & filiola *Anna Sabina* in ætate infantili abitum maturârunt, ſuperſtitibus filiabus 5, *Annâ Dorotheâ*, *Urſulâ Roſinâ*, *Annâ Eliſabethâ*, *Suſannâ Margarethâ*, & *Annâ Sabinâ*, cum gnato unico *Johanne Georgio*.

Hypochondriacus moritur. Cum tandem à biennio hypochondriacus & ſcorbuticus fuiſſet, medicamentis convenientibus à D. *Johanne Majo* Phyſico ord. fruſtrà adhibitis, viribus ſenſim deficientibus exſpiravit 10. April. A.C. 1664. ætatis 56.

Scripta. Ab eo edita ſunt ſequentia:

Tabulæ Theologicæ.
Hiſtoria Univerſalis Didactica Latino-Græca.
Tripartita Compendii Hutteriani.
Encycliographia ſtudii Theologici.
Breviarium Biblicum.

* *Ex Programm. fun. Directoris Athenæi Coburg.*
Et ex Concione fun. D. Joh. Chriſtoph. Seldii Superintend.

Obiit A.C. 1664.

JACOBUS WELLERUS.

Ex nobili & antiquâ familiâ *Wellerorum* à *Molsdorff* in oppido *Variſcorum Neukirchen* natus 5. Dec. A.C. 1602. Patrem habuit *Georgium Wellerum*, Piſtorem primò, deindè militem ſtrenuum contra *Turcas*: Matrem *Dorotheam*, *Johannis Heſelii*, Paſtoris Eccleſiæ *Mariæburgenſis* filiam.

A. 1613. à Patre *Schlackenwaldam Bohemiæ* Scholam celebrem miſſus, ibi ſtudiorum fundamenta poſuit, ſed ob tumultûs bellicos A. 1620. in patriam reverti coactus eſt. Paulò pòſt venit *Norimbergam*, ubi privatum Præceptorem nactus *Matthæum Zuberum*, Poëtam celebrem, in ſcholâ ad S. *Ægidium* ſtudia continuavit.

A. 1623. In Academiam *Wittenberg.* profectus, cum in viâ pecuniam omnem conſumpſiſſet, famulando ibi & pueros informando ſe ſuſtentavit, & tantum ibi profecit, ut anno 1627. Magiſtri titulum cum honore adeptus ſit. *Fit Magiſter Wittenbergæ*

Adjunctus Philoſ. A. 1631. Factus Facultatis Philoſophicæ Adjunctus Collegia publica inſtituit, cum tanto applauſu, ut ſæpiùs 250. Magiſtri & Studioſi Lectiones ipſius acceſſerint, ad quas ipſi Senatus Templum Cœnobii conceſſit.

Theol. Doctor & Profeſſor. Studium verò unà Theologicum excoluit, & Collegia Theologica aperuit. 20. Octobr. anno 1635. *Wittenbergæ* S. Theol. Doctor creatus eſt, cum paulò antè Theol. Profeſſor extraordinarius, & Linguæ Hebrææ ordinarius factus fuiſſet.

Superint. Brunſvic. 7. Jan. Anno 1640. Eccleſiarum *Brunſvicenſium* Coadjutor, & anno ſeq. Superintendens *Brunſvicenſis* in locum *Balthaſaris Gualtheri* factus eſt. 1. Sept. A. 1645. Poſt obitum D. *Matthiæ Hoë Dresdam* ab Elect. *Saxoniæ Joh. Georgio* vocatus, Concionator ejus aulicus fieri cœpit, eòque venit Febr. anno 1646. *Concionator aul. Sax.*

Nuptias celebravit. 20. Octob. A. 1635. Eâdem die, quâ Doctor creatus erat, ſponſalia prima celebravit cum *Sibyllâ*, *Chriſtiani Gräfenthalii*, Protonotarii & Organœdi *Wittenberg.* viduâ, quæ ſterilis ſeſquianno pòſt ex peſte obiit 26. Maj. an. 1637.

17. Julii A. 1638. Secundam conjugem duxit virginem *Chriſtinam Dorotheam*, D. *Pauli Röberi*, Theol. Profeſſoris & Superintendentis generalis filiam, ex quâ duos filios & 4. filias reliquit ſuperſtites.

Filii *Georgius Paulus* S. Theol. & *Joh. Jacobus* Jurium ſtudiis ſe addixerunt. Ex filiabus major natu *Dorothea Maria Andreæ Jahnio* Jur. Licentiato & Cancellario *Luſatiæ* infer. altera *Sophia Chriſtina Sebaſtiano Gotfrido Starkio*, Theol. Doctori & Superintendenti *Friburgenſi*, tertia *Magdalena Sibylla Wernero Theodoro Martini*, Jur. Doctori & Prof. *Wittenberg.* deſponſatæ in felicibus conjugiis vixerunt. Quarta *Johanna Magdalena* in ædibus paternis virgo remanſit.

Moritur cachecticus. Cachexiâ tandem exhauſtus in Chriſto obdormivit *Dresdæ* 6. Julii A.C. 1664. ætatis 62.

* *Ex Concione fun. M. Joh. Andr. Lucii Concionat. aul. Elect.*

JACOBUS WELLERUS THEOLOGIÆ DOCTOR.

Per Anagramma:

Pauli cor Docte revelas i ego voto.

Ἐξήγησις.

Poſt divinorum Meletemata ſancta virorum,
Quorum laus & honor neſcit in orbe mori.
Cor divi Pauli Docte, WELLERE, *revelas*,
Et ſenſim ex ipſis fontibus enucleas.
Abdita ſenſa notas, Interpres Numine plenus
Divino, atque addis dicta linenda Cedro.
Lumen ineſt, & flumen ineſt, & numen in illis,
Ordinis, eloquii, judiciique potens. &c.

Johannis Bohemi Poët. Cæſ.

Edi-

Edidit:

Scripta.

Anatom. Maſſonii part. II.

Diſputationem de idololatriâ Pontificiorum.

Diſputationes contra Becanum Jeſuitam.

Expoſitionem Pſalmi I.

Capitis LIII. Eſaiæ Explicationem.

Grammaticam Græcam novam.

Annotationes in Epiſtolam ad Romanos.

Spicilegium quæſtionum Ebræo-Syriacarum.

Unruhige Klaff- und Klappermühle / das iſt / die Art eines böſen Gewiſſens / und wie ſolches zuheilen / in 7. Predigten erkläret.

Chriſtliche Predigt von der beſſern Gerechtigkeit.

Brennenden Buſch / das iſt / zwo Jubel- und Danck-Predigten / auf den von Churfl. Durchl. zu Sachſen in dero Landen / wegen des vor 100. Jahren aufgerichteten Religions-Frieden in Teutſchland / geordneten Jubelfeſt / gehalten in der Churfürſtl. Schloß-Kirchen zu Freyburg den 24. und 25. Sept. Anno Chriſti 1655.

Sanctitatem DEI Calvinianis oppoſitam. Germ.

Deterſionem calumniarum.

Hodogetum Divinitatis J. C.

Conciones funebres, & alias varias.

Sex Conciones in Pſalm. III.

Explicationem Pſ. 42. & 103.

Illuſtrationem Hiſtoriæ Zachæi pœnitentis.

Obiit A. C. 1664.

ERASMUS JOHANNIS BROCHMAND.

Natus eſt *Hafniæ* 25. Dec. A. C. 1626. Patre Reverendo Viro Domino *Johanne Eraſmo Brochmand*, Theol. Profeſſore, Matre *Druidâ*, D. *Thomæ Finckii*, Med. Prof. filiâ.

Puer in paternæ diſciplinæ gremio educatus, ac firmatâ ingenii vi privatis Præceptoribus traditus, prima virtutum literarumque fundamenta percepit, usque ad annum ætatis 10, quo Dom. Parens ejus vitâ exceſſit.

Educatus apud patruum D. Caſp. Er. Brochmand.

Mox à Patruo Dom. D. *Caſp. Eraſmo Brochmand, Sedlandiæ* Epiſcopo, aſſumptus, domique ejus aliquandiu formatus, cum propenſi in bonas literas animi multam ederet ſignificationem, in publicam diſciplinam datus fuit M. *Severino Petræo*, Scholæ *Metropolitanæ* Rectori, & M. *Georgio Hilario* ejusdem Conrectori.

A. 1640. In Academiam translatus, nihil eorum intermiſit, quæ ad acquirendam cognitionem rerum neceſſariarum requiri videbantur.

Hafniæ Baccalaur.

Primum diligentiæ ſuæ prœmium Lauream Baccalaureatûs accepit an. 1644. Diribitore M. *Thomâ Bangio*, Fac. Philoſ. Decano & Ling. Hebr. Profeſſore.

Mox cum Philologica & Philoſophica ita tractâſſet, ut nihil ignoraret eorum, quæ ad recludendas ſublimiores diſciplinas neceſſaria erant, ſuaſu Dn. Patrui, ad invadendam Sacræ eruditionis poſſeſſionem eâ ingenii promptitudine ſe contulit, ut anno ſeq. 1645, ſummum applauſum ob laudabilia ſpecimina publicè edita à Cenſoribus graviſſimis retulerit.

Præceptor Scholæ Roeskild.

Brevi pòſt juventutem quintæ Claſſis Scholæ Cathedralis *Roeskildenſis* informandam ſuſcepit, quo officio per duos annos functus, haud obſcura induſtriæ ſuæ documenta reliquit.

Stud. Lugduni Batav.

A. 1647. Ad celebre *Batavorum* Athenæum, quod *Lugduni* eſt, ſe contulit: cujus loci opportunitas ita ei placuit, ut aliquot ibi annos ſtudiorum gratiâ commoratus ſit, familiari conſortio uſus *Petri Scriverii*, & *Marci Zuerii Boxbornii*, nec parùm à *Claudio Salmaſio*, & *Jacobo Meſtertio* amatus.

Bibliothecam Bodleianam Oxonii evolvit.

A. 1650. Iter in *Angliam* ſuſcepit, è *Zeelandiâ* trajectus *Londinum*: undè per duos menſes perluſtratâ Bibliothecâ *Weſtmonaſterienſi*, ſalutatisque *Johanne Seldeno* & *Henr. Hammond*, *Oxonium* ſe contulit: ubi in evolvendis Bibliothecæ *Bodleianæ*, aliorumque Collegiorum, inprimis Ædis Chriſti, libris integrum annum conſumpſit, nec ſtationem adeò commodam tam citò deſeruiſſet, ni belli civilis motibus compulſus, *Londinum* ſecedere coactus fuiſſet.

A. 1652. Cum omnia bellicis tumultibus perſonarent, mariaque infeſtis navigiis plena eſſent, ſub præſidio Legatorum *Belgicorum*, quibus ſe comitem adjungebat, in *Hollandiam Lugdunum Bat.* rediit.

Profeſſor Hiſtoriar. Soræ. Philoſ. Magiſter

Hafniæ Theol. Profeſſor.

Indè per *Friſiam* & *Holſatiam* in Patriam plenum bonâ ſtudiorum & morum fruge reverſum exceperunt primò læta mater, cœterique amici, A. 1653. deindè publici honores & officia, quibus dignum eum Rex *Fridericus III.* judicavit. Nam Regiæ *Soranæ* anno 1654. Profeſſor Hiſtoriarum conſtitutus, & anno ſeq. Magiſter Philoſ. creatus, Profeſſionem 6. annis, Decanatum uno, ſcilicet 1657. cum laude adminiſtravit. A. 1660 ad vacantem in Academiâ *Hafnienſi* Profeſſionem Theologicam vocatus, in eâ dignitate adeò diligentem ſe præbuit, ut nunquàm ſe à graviſſimi muneris officiis ullo unquàm impedimento avocari paſſus fuerit.

Rector Acad.

Rectoratûs Academici ſceptra & faſces in Templo D. Virgini ſacro 16. Junii anno 1664. ſuſcepit.

Conjugium ejus & Liberi.

A. 1655. Matrimonium contraxit cum Virgine *Eliſâ*, Dom. *Petri Petræi*, Conſulis *Hafnienſis* filiâ, quæ fecit eum felici partu quintùm parentem, & ſi addas poſthumam prolem ſextùm.

Hypochondriacus.

Languidas autem à primis adoleſcentiæ annis corporis vires nactus, & hypochondriorum malo ſubindè fatigatus, Anno 1664. 30. Julii collectam intra viſcera bilis colluviem per alvum paulò liberiùs egerere cœpit: quod morbi principium extra vitæ periculum ipſi fortè fuiſſet, ſi tantiſper à publicis Academiæ negotiis potuiſſet quieſcere, donec recenti adhuc malo præſi-

 dium

Digitized by Google

dium quæreretur, ſed potior ipſi fuit ſalus publica, undè neglectum initio malum altiùs radices egit, & quarto die morbus in apertum prodiit, effuſâ ἄνω καὶ κάτω immenſâ bilis copiâ.

Cholerâ morbo obiit.

Itaque ſollicitis de tanti mali remediis Conjugi & Matri affuit D. *Chriſtianus Oſtenfeldius*, cui ſeq. die, febre accedente, adjunctus eſt D. *Chriſtianus Fabritius* Practicus feliciſs. Hi junctis conſiliis nihil intentatum reliquerunt, quod ad curandum morbum humana ſolertia excogitare potuit.

Sed communes conatûs eluſit mali contumacia, quâ victus tandem æger, poſt habita quædam cum amicis pia colloquia, ac data uxori ultima ſolatia, exſpiravit die 8. Aug. A. C. 1664. ætatis 38. Funus à ProRectore Acad. M. *Bartolo Bartolino* publico Programmate indictum eſt, & corpus Templo S. Trinitatis illatum.

Moritur.

Scripta.

Scripta.

Oratio funebris in Exequias Regis Chriſtiani IV. dicta in Academiâ Lugdunenſi Batavor. 2. Dec. A. 1648.

Ethices Hiſtoriæ Specimen.

Diſquiſitio de Hiſtoriæ legitimæ notis.

* *Ex Acad. Hafniæ repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

Obiit A. C. 1664.

JOHANNES BUXTORFIUS FIL.

Lucis uſuram accepit *Baſileæ* 13. Aug. A. C. 1599, Patre cognomine Linguæ Hebreæ per annos 40. Profeſſore Publ. ob exactam Linguar. Orient. Hebrææ, Chaldææ, Syræ cognitionem, & ſtupendi laboris Opera famigeratiſſimo: Matre *Margarethâ, Leonis Curionis* filiâ, & nepti *Cœlii Secundi Curionis* Eloquentiæ Profeſſoris in Academiâ *Baſil.* celeberrimi.

Familiæ erudita ſoboles.

Patre Præceptore domeſtico raræ felicitatis Diſcipulus, cum ad Gymnaſium quadriennis duceretur, trium jam tum linguarum, Germanicæ, Latinæ, & Hebrææ lectionem edoctus, commilitones multis poſt ſe paraſangis reliquit.

In eo ludo literario ſub fideli manuductione *Pauli Werneri*, & *Joh. Beati Helii* ita profecit, ut ætat. anno 12.mo in Academiæ lucem productus, faſces tum gerente D. *Caſp. Bauhino* Med. Prof. novus Academiæ civis commendaretur.

Luci publicæ datus, artibus & Philoſophiæ ſtudio incubuit, & ſub præſide *Lud. Lucio* publicam de *Elementis* velitationem ſuſtinuit.

A. æt. 16. dignus habitus eſt, cujus capiti Philoſophor. Senatus ſupremam Philoſophiæ coronam imponeret, Senatûs decretum exequente Dom. Patre, qui in renuntiationis ſolennibus mille benedictiones in caput ejus effudit, cum Candidatos ita, ut filius dextram Patris clauderet, diſpoſuiſſet. Philoſoph. Magiſter Linguar. Sacrar. ſtudium liberiùs perſecutus, huic Theologiam adjunxit, & docentes audivit in Academiâ *Joh. Jacobum Gryneum*, *Sebaſt. Beckium*, ac

Magiſter Philoſ. à Patre creatus.

paulò pòſt *Johannem Wollebium*, ſtudiorum ſocios habens *Zwingerum*, *Gryneum*, *Werenfelſium*, & *Henricum à Dieſt*, Seniorem poſteà totius *Belgii* Reformati Theologum, quos præ cœteris amicos ſibi delegit, quibuscum operam tum in patriâ tum exteris Academiis alacriter conferret.

A. æt. 17. Relictâ paternis auſpiciis Patriâ, cum individuo ſuo à *Dieſt Heidelbergam* petiit, quam tunc nobilitârunt *Pareus*, *Scultetus* & *Altingius*, quorum publicè tunc Theologiam docentium lectiones magno cum fructu ſeſquianni ſpatio frequentavit.

Heidelbergæ Theolog. Studioſus.

A. 1619. Cum *Dordraci* Synodus Theologorum primariorum propter *Arminianos* celebraretur, eò profectus, ad finem usque ſubſtitit: tum diducto cum *Beckio* & *Meyero* Theologis *Baſilienſibus* per *Belgium*, *Angliam*, & *Galliam*, itinere, M. Quintili ad ſuos reverſus, Studia Philologo-Theologica continuavit.

Profectus ad Synodum Dordrac.

Sub initium Quintilis A. 1623. *Genevam* profectus, oppidò non ſtudioſos tantùm, ſed & Profeſſores habuit diſcipulos, *Davidem Clericum* hoſpitem ſuum, & *Benedictum Turretinum*, qui ambo operâ ejus in Rabbinicis & Thalmudicis uſi magnis eum meritis, fluctu velut reciprocante, impleverunt.

Genevæ Linguam Hebr. docuit.

M. Majo A. 1624. A Rep. *Bernenſi* miſſi ad eum *Genevam Antonius à Graſenried* Conſul, & *Stephanus Fabritius* Antiſtes, qui animum ipſius pertentarent, & ad ſuſcipiendam in Academiâ *Lauſannenſi* Profeſſionem Logicam inducerent, ſed irrito conatu, quod Patriæ ſtudia ſua conſecrâſſet.

Suis itaque redditus, communis Eccleſiæ Diaconus conſtitutus eſt. Sed ante exactum triennium A. 1627. ad Diaconatum in Eccleſiâ Petrinâ legitimè vocatus, ſalutari doctrinâ Chriſti ovile pavit.

Diaconus Eccleſ. Baſil.

Tunc Rabbi *Moſis Majemonidis* Doctorem perplexorum, inſignis doctrinæ librum, ſed magnis perplexitatibus impeditum, in Linguam Latinam eo cum ſucceſſu convertit, ut doctiſſimos Hebræorum, interque eos *Salomonem Gaium Mantuanum* in ſtuporem dederit, non credentem, Librum illum vel à doctiſſimo natoque Hebræo ad tantam venuſtatem dicendi redigi potuiſſe.

3. Maj. A. 1630. Ob hæreditariam Linguæ Hebrææ cognitionem Patris ſucceſſor electus, & Linguæ Sanctæ Profeſſor conſtitutus eſt, cumque Medici valetudinis Miniſterii laboribus minùs idoneæ curam ei commendâſſent, curis levatus Eccleſiaſticis, totum ſe literis Orientalibus ſacravit, & hùc omnes ſtudiorum ſuorum lineas retulit, ut Patris Opera feliciter incœpta ad finem optatum perduceret.

Profeſſor Linguæ Sanctæ.

Quater in Conjugio vixit, ſed ter viduus eſt factus intra ſeptennium, quo Lexico operabatur. A. enim 1628. primam duxit uxorem virginem *Helenam Werdenmanniam*, ex quâ filiolam *Margaretham* in infantiâ denatam ſuſcepit.

Conjugium ejus quadruplex.

Hâc per mortem A. 1630. privatus, ſeſquianno

Digitized by Google

quianno pôſt *Joh. Jacobi Werenfelſii* Eccleſiaſtis *Baſil.* ſororem *Salomen Werenfelſiam* Mercatoris filiam vitæ ſibi ſociam delegit, quæ febri ardenti primo in puerperio extincta, prolem ſibi cognominem aliquot intervallo menſium poſt ſe traxit.

Ideò A.1634. inclinante, tertiam ſibi junxit *Juditham Epiſcopiam*, filiam Tredecemviri, Typographi celebris neptim, ex quâ filium reliquit ſuperſtitem *Johannem* Theol. ſtudioſum, & paternarum Lucubrationum editorem, cum filiâ *Helenâ*, quæ ſexennis matrem ſecuta eſt.

Hâc itidem mortuâ, 4. annos viduos exegit, hortantibus tandem amicis & urgentibus valetudinis incommodis, exeunte anno 1641. duxit *Eliſabetham*, *Leonhardi Lutzelmanni*, Tribuni plebis filiam, ex quâ quaternam ſuſcepit ſobolem maſculam, *Leonhartum, Theodorum, Nicolaum*, fato ſuo functos, & *Joh. Jacobum Buxtorſium*, ſtudiorum paternorum & Profeſſionis Hebrææ hæredem. Sed hæc quoque quarta ejus uxor ſeptennio ante maritum vitâ exceſſit. [*Filius ejus Joh. Jacobus hæres Profeſſionis Hebr.*]

A. 1642. Supremum in Theologiâ Gradum, Doctorum tiaram cum *Friderico Spanhemio* Patre, Promotore *Sebaſtiano Beckio* Facultatis Seniore promeruit. [*Theol. Doctor.*]

Dôctorem A.1647. *Groninga* & *Lugdunum* paribus illum votis ſollicitârunt. Sed Proceres eum dimittere nolentes, Profeſſionem Theol. tertiam ei contulerunt. Sic ille juxta Hebræas literas profeſſus eſt Theologorum controverſias, uſque ad A.1654, quo Profeſſionem iſtam cum eâ, in quâ conſenuit, Veteris Teſtamenti Interpretatione Hebræarum ſtudio magis conformi commutare juſſus eſt. [*Profeſſor. Theol.*]

Intereà per aliquot annos Bibliothecarius, & Viſitator Scholæ *Burgenſis* fuit. Decanatum in Facultate Philoſophicâ ter, in Theologicâ ſepties, Rectoratum verò Academiæ ter, Annis Chriſti 1639, 1652 & 1662. pro viribus ſuſtinuit. [*Bibliothecarius.*]

Variis à multis annis vitæ ſuæ morbis, melancholiâ præſertim hypochondriacâ conflictatus, ſuccubuit tandem, cumque morti proximus filium M. *Johannem Jacobum* vicarium ſibi in Profeſſione Hebrææ perpetuum, & poſt fata ſucceſſorem à Senatu Patrio conſtitutum vidiſſet, & poſtquàm domeſticis & Amicis, duabusque ſororibus ſuis germanis, *Grynæi* & *Zwingeri* viduis, ultimum vale dixiſſet, placidè ſine ullâ membrorum convulſione exſpiravit 16. Aug. A.C.1664. ætatis 65. [*Morbi ejus & obitus.*]

JOHANNES BUXTORFIUS

Per Anagr.

I ſex, honoribus natus. Et: *An hortus fui? Ex bonis.*

Libros edidit: [*Scripta.*]

• *Tractatum de Punctis ad Verbi Divini Tabulas tuendas, contra Librum quendam ſub Arcani punctationis revelati faſtuoſo titulo editum.*

Criticam Sacram, in quâ quaſcunque potuit inveſtigare variantes Hebræor. Codicum lectiones collegit.

Florilegium.

Diſſertationem de Sponſalibus.

Exercitationes de Arcâ, aliisque Vet. Teſtamenti myſteriis.

Coſri, & ſelectas Abarbenelis Diſſertationes in Latinum traductas.

Rabbi Moyſis Majemonidis Doctorem perplexorum Latinè converſum.

Opera Patris cœpta ad finem perduxit, Concordantiarum opus.

Lexicon Magnum Chaldæo-Rabbinico-Talmudicum.

* *Ex Oratione Parentali Lucæ Gernleri Theol. Prof.*

JOHANNES BRANDMÜLLER. [*Obiit A.C. 1664.*]

Baſileæ natus 5. Febr. A.C.1593. Patrem habuit *Baruch Brandmüllerum*, *Johannis* Theol. Doctoris & Profeſſoris *Baſileæ* filium: Matrem *Magdalenam Krugiam.*

A. 1611. In Patriâ Magiſterii Gradum adeptus, A.1613. *Toggenburgum* ad Eccleſiam docendam miſſus, ibi triennium, & poſteà *Langenbrucci* biennium exegit, donec A.1621. *Mülhuſam* vocaretur, ubi per vitæ tempus reſiduum fidelem Eccleſiæ Miniſtrum egit. [*Magiſter. Philoſ. Paſtor Eccleſiæ Toggenburg. Langenbrucci & Mülhuſæ.*]

A. 1613. Matrimonium contraxit cum virgine *Margarethâ Ottendorfiâ*, & hâc defunctâ A.1650. cum *Cleophe Hoſeriâ*, nullos tamen ex iis liberos progenuit. [*Nubit bis.*]

Vitam tandem morte beatâ clauſit *Mülhuſæ* 12. Septemb. A.C.1664. ætatis 72. miniſterii 52. [*Moritur.*]

Ex Concione fun.

JOHAN. FRIDERICUS KÖNIG. [*Obiit A.C. 1664.*]

Natus eſt in metropoli *Sax.* Electorali *Dresdâ* 16. Octob. A.C. 1619. Patre *Martino König*, Cive *Dresdenſi*, & Mercatore primario: Matre *Marthâ*, *Friderici* Dantzgeſchirr/ Elect. *Sax.* Conſiliarii filiâ. Avum paternum habuit *Johannem König*, Eccleſiæ *Dresdenſis* Paſtorem. [*Parentes ejus. Avus Theol.*]

Cum patrem anno ætatis 11. amiſiſſet, matris curâ Præceptoribus privatis traditus inſtituendus, ſponte etiam ſuâ & innatâ animi propenſione ſic ſtudia coluit, ut anno 1636. æt. 17. à D. *Joh. Hülſemanno*, Theol. celebri, examinatus, idoneus habitus fuerit, qui ad Academiam *Lipſienſem* ablegaretur, in quâ in ſtudiis Philoſophicis adeò brevi tempore profecit, ut A.1639. Magiſterii honorem publicè adeptus fuerit. [*Magiſter. Lipſiæ.*]

Transacto hîc octennio, Nob. Dom. *Nic. Gebhardi à Miltitz*, Conſiliarii *Sax.* filiis præfectus eſt. A.1644. unà cum iis *Wittenbergam* conceſſit, ibique non ſolùm commiſſos curæ ſuæ Juvenes, ſed & alios quamplurimos, abſolvendo varia Collegia Philoſophica magno cum fructu informavit: quo ipſo permota Facultas Philoſophica eum ſibi Adjunctum conſtituit. [*Wittenbergæ Collegia Philoſ. inſtituit. Adjunctus Philoſ.*]

Nec

Nec tamen intereà à Theologicis feriatus eſt ſtudiis, ſed Dom. Doctorum Theologor. *Pauli Röberi*, *Jac. Martini*, *Joh. Hülſemanni*, & *Wilhelmi Lyſeri* converſatione familiari uſus, & filii inſtar ab illis habitus, poſtquàm binas ſub D. *Lyſero* Diſputationes publicè habuerat, facultatem aperiendi Collegia Theologica privata obtinuit, dignusque jam tum habitus fuit, qui gradum in Theologiâ ſummum capeſſere poſſet, quos tamen honores modeſtè tunc declinavit, eſſe adhùc mavolens quàm dici Doctor.

Nec ſegnior intereà fuit in docendâ juventute, ſed Epiſtolam *Pauli* ad *Romanos*, *Auguſtanam* Confeſſionem, Formulam Concordiæ, *Himmelii* Syntagma, & Inſtitutiones Catecheticas *Dieterici* legendo, diſputandoque ſuis auditoribus explicuit: quo nomine adeò inclaruit, ut officium Superintendentis *Bornæ* in *Miſniâ*, nec non Inſpectio Gymnaſii *Oedenburgenſis* in *Hungar.* ei fuerint oblata.

Concionator aulicus Suec.

Sed ad alia munera deſtinatus, paulò pòſt ab Illuſtr. Comite *Magno Gabriele de la Garde*, Conſil. & Cancell. *Suecico*, ad officium Concionatoris Aulici vocatus, ſpartam eam conſilio Theologor. *Wittenberg.* alacriter acceptavit, adeòque 27. Nov. A. 1649. *Wittenbergæ* Divini verbi Miniſter ordinatus eſt: eâ tamen cum conditione, quia Stipendiarius antehàc Electoralis fuerat, dimiſſus eſt, ut volente Sereniſſ. Electore ſe iterùm ſiſteret.

Theol. Prof. Gryphisvvald.

Cum verò huic functioni per biennium præfuiſſet, A. 1651. poſt legitimam vocationem *Chriſtinæ* Reginæ *Sueciæ* conſtitutus eſt Profeſſor Theologiæ extraordinarius in Academiâ *Gryphiswaldenſi*.

Deſponſatur.

A. ſeq. 1652. In matrimonium ei fuit elocata virgo *Margaretha*, *Balthaſaris Rhaui*, S. Theol. Licentiati & Prof. quondam *Gryphiswaldenſis*, poſteà *Stralſundenſis* Eccleſiæ Superintendentis filia, ex quâ duas filias reliquit ſuperſtites, *Catharinam* & *Margaretham Eliſabetham*.

Theolog. Doctor.

22. Sept. A. 1653. Poſtquàm pro Licentiâ ſub Viceſuperintendente D. *Johanne Berngio* diſputâſſet, ſimul cum *Abrahamo Batto*, poſteà Generali *Pomeraniæ* Superintendente, S. Theol. Doctor renuntiatus eſt.

Superintendens Mechelburg. & Ratzenburg.

A. 1656. A Sereniſſ. Principe *Megaloburgico*, *Adolpho Friderico*, è *Pomerania* gratioſè vocatus, Eccleſiarum *Mecklenburgenſium* & *Ratzeburgicarum* Superintendens conſtitutus fuit.

Ratzenburgum itaque cum familiâ profectus, ibi die *Matthæi* à Ducis Deputatis D. *Joh. Georgio Dorſchéo* Theol. Profeſſore, & *Johanne Patzio*, Conſiliario Ducali, in Templo Cathedrali muneri ſuo inauguratus eſt.

Theol. Prof. Roſtoch.

5. Junii A. 1663. *Chriſtianus* Dux *Mecklenburgicus* locum, quem D. *Dorſchéus*, vitâ paulò antè functus, in Academiâ, Concilio, & Conſiſtorio vacuum reliquerat, capeſſere juſſit eum, in quo munere partes omnes egregii Profeſſoris explevit, dum publicè *Prælectiones in Geneſin* totam, privatim verò *Theologiam poſitivam* cum ſummo ſtudioſorum fructu abſolvit, tandemque in *Examine Confeſſionis Auguſtanæ* ſuccubuit.

Valetudinarius.

Ultra decennium enim calculo, arthritidi, ſcorbuto & paſſionibus hypochondriacis obnoxius, & ſenſim langueſcens, poſtquàm 10. tantùm diebus lecto fuiſſet affixus, placidè obdormiens exſpiravit, 15. Sept. A. C. 1664. ætatis 45. *Roſtochii.*

Moritur.

* *Ex Programm. fun. Caſp. March. Med. Doct. & Rect. Roſtoch.*

RICHARDUS BYFEILD.

Obiit A. C. 1664.

STratfordiæ ad *Avonam* in lucem editus eſt, (alii eum ex Agro *Wigornienſi* oriundum perhibent) & *Oxoniæ* inter *Reginenſes* admiſſus anno Dom. 1616. ætat. 17. Poſt ſeptem annos in Logicâ & Philoſophiâ conſumtos, Gradum ſuſcepit Magiſtralem, & ad Rectoriam de **Long-Ditton**, in agro *Sutbreienſi*, ſub id evectus, exiſtimationem ſui haud modicam concitavit apud vulgus imperitum, undè non tantùm Parochiani ſui, ſed magna vicinorum frequentia prædicanti ſolebant adeſſe.

Fit Magiſter Philoſophiæ Oxoniæ. Rector Eccleſiæ de Long-Ditton.

Mortlakiæ, in Comitatu *Sutbreienſi*, contumulatus eſt, menſe Decemb. 1664. poſtquàm ſcilicet Rectoriâ ſponte ceſſiſſet.

Moritur.

Scripſit:

Scripta.

De Luce fidei & viâ ad pietatem. Lond. 1630. Angl.

Refutationem Tractatus de Sabbatho per Edoardum Breerwood &c. Lond. 1632.

Tractatum in Rom. 8. verſ. 3. 4. Lond. 1659.

Conciones varias.

Catecheſin in uſum Parochianorum, & alia ad cultum divinum pertinentia.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

PETRUS VINSTRUPIUS.

Clar. A. C. 1665.

NAtus eſt *Hafniæ* 30. April. A. C. 1605, Patre Reverendo Viro Dom. *Petro Jani Vinſtrupio*, Epiſcopo primùm *Arhuſienſi*, deindè *Hafnienſi* S. Theol. D. & Prof. publ. Matre *Annâ Eiſenbergiâ*, quæ, defuncto illo marito, nupſit Dom. D. *Johanni Pauli Reſenio*, prioris viri in dignitate & officio Succeſſori.

Diſcipulus Scholæ Roëskild. & Soranæ.

A. 1617. Scholæ *Roëskildenſis* Muſas ſalutavit, ejusque Magiſtris anni ſpatio operam dedit. A. 1618. Ad Regiam Scholam *Soranam* profectus, Præceptores illius audivit usque ad A. 1623. quo, editis profectûs laudati ſpeciminibus, civitate Academicâ *Hafnienſi* donatus eſt.

Civis Academiæ Hafn.

A. 1625. *Germaniam* inviſit, & Academias *Roſtochienſem*, *Wittenbergenſem*, *Lipſienſem*, *Jenenſem* ſtudiorum ſuorum ſedes habuit ad Annum 1632. expletum. A. 1633. A Parentibus domum revocatus, cum denuò iter adornaret, Rectori & Profeſſoribus Academiæ *Hafnienſis* datæ ſunt literæ Regiæ *Chriſtiani* IV. cum mandato, ut ipſi autores & ſuaſores eſſent in Patriâ remanendi,

Academias Germ. acceſſit.

& Pro-

& Profeſſionem longâ jam expectatione *Johanni Rhodio* deſtinatam ſuſcipiendi.

Profeſſor Phyſicæ Hafniæ.

Regiæ itaque voluntati paruit, & habitâ inaugurali Diſputatione, Profeſſor Phyſices renuntiatus eſt, quam Provinciam cum laude adminiſtravit usque ad Paſcha A. 1634.

Conjugium ejus & Liberi.

Intereà uxorem duxit Virginem *Mariam Erneſti* fil. *Badeniam*, Conſulis **Hottersnenſis** filiam, ex quâ 5. liberos ſuſcepit, quorum tres ſuperſtites reliquit, filium nempè *Petrum*, ſtudiis deditum, filiam ***Annam Catharinam***, quæ Dom. *Johanni **Wandalino*** Theol. D. & Profeſſori nupſit, & filiam natu minorem virg. *Annam Mariam.*

Concionator aulic. primar. Theol. Doctor. Epiſcopus Scanienſis.

A. 1635. A Regiâ Majeſtate vocatus ad Concionatoris Aulici primarii officium, eodem anno Theol. Doctoris titulo inſignitus eſt. A. 1638. Canonicatu in Exedrâ *Arhuſienſi* donatus, & Epiſcopus Diœceſeos *Scanienſis* conſtitutus, in templo ***Lundenſi*** à D. *Johanne Michaëlio* Epiſcopo *Fionienſi* inauguratus eſt. Mox alterum Canonicatum ex Regis munificentiâ in Capitulo ***Lundenſi*** adeptus eſt. A. 1648. cum ſolenni pompâ Rex *Daniæ* Potentiſſ. *Fridericus* III. cum Ser. *Reginâ*, ſumpto Regio diademate ungeretur, deſtinato Ordinatore D. ***Caſp. Brochmanno** Hafniæ* in æde D. Virgini ſacrâ, hic etiam *Vinſtrupius*, unà cum D. *Johanne Michaelio* Epiſcopo *Fionienſi*, Altari adſtitit ſuis in auguſto negotio partibus functus.

Coronationi Regis Friderici III. interfuit.

Nobilitatus à Rege Suec.

A. 1658. Ipſe liberique ejus à Sereniſſ. Rege *Succiæ Carolo Guſtavo* nobilitatis juribus ac privilegiis donati ſunt.

A. 1659. Poſtquàm uxor ipſius obiiſſet, alteram Conjugem duxit Virginem *Dorotheam von Anderſon*, cum quâ in concordi conjugio adhùc A. C. 1665. vixit.

Sex Epiſcopos inauguravit.

Intereà annis fermè 27. in Epiſcopali officio exactis, aliquot centenos Paſtores creavit, Præpoſitos multos conſtituit, ſex Epiſcopos inauguravit, nempè 4. *Salandinos* ſive *Hafnienſes*, D. *Caſp. Brockmannum*, D. *Johannem Johannis Reſenium*, D. *Laurent. Martini Scavenium*, D. *Job. Suaningium*, M. *Franciſcum Roſenbergium*, *Viburgenſem*, & M. *Marcum Chriſtianum Humble*, *Stavangrienſem* in *Norvegiâ* Epiſcopos.

Scripta.

Scripta.

Epigrammatum Libri III. in juvenili ætate editi.

Diſſertatio de Linguarum Hebrææ & Grææ, nec non diſciplinarum Philoſophicar. uſu in Theologiâ.

Variæ Orationes Synodicæ Latinæ in Conventu Eccleſiaſtico Lundenſi habitæ: imprimis θαυμάσια *Belli Dano-Suecici A. 1645.*

Oratio de fugâ Paſtorum tempore belli, perſecutionis, & peſtis.

Oratio Parentalis in exceſſum Regis Chriſtiani IV.

Alia in exceſſum Principis Chriſtiani.

Alia in obitum Herois Oligeri Roſenkrantzii.

Variæ Conciones funebres Danicæ in exequiis illuſtrium hominum habitæ.

Pandectarum Sacrorum, ſive Commentariorum in Libros Novi Teſtamenti & quidem Matthæi Evangelium Tom. I.

* *Ex Acad. Hafniæ repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

JOHANNES SUANINGIUS.

Clar. A. C. 1665.

NAtus eſt *Hotterſneſiæ*, Patre *Johanne Ripenſe*, Urbis Conſule, Matre *Annâ Suaningiâ.* Poſt privatam inſtitutionem in Regiam Scholam *Sorenſem* miſſus eſt. Indè in Academiam *Hafnienſem* tranſiit, in quâ cum aliquot annos vixiſſet, in *Belgium* conceſſit.

Sed quia illi Regium Stipendium Theologicum decretum erat, in Patriam regreſſus, ut eo potiretur, Diſputationem publicam inſtituit.

Ita illo impetrato, *Wittenbergam* adiit. Deindè in *Angliam* conceſſit. Illic degenti Regiis literis demandatur Profeſſio Linguar. Orientalium in Academiâ *Hafnienſi*, ſimùl in Gallias priùs ſecedere permittitur.

Hafniæ Profeſſor Linguar. Oriental.

E *Galliâ* reverſus, Profeſſionem ſuſcepit, cum pro Cathedrâ A. 1635. publicè diſputâſſet, & ſacramentum dixiſſet, 12. Maji ejuſdem anni Philoſophiæ Magiſter à Decano M. *Jacobo Matthiæ* renuntiatus eſt.

A. 1640. Facultatis Philoſ. Decanus deſignatus, Baccalaureos aliquot & 29. Magiſtros creavit.

Philoſoph. Magiſter.

Uxorem intereà duxit Virginem *Mariam*, D. *Georgii Fyrenii*, & *Margaritæ Finckiæ* filiam, ex quâ 6. liberorum Pater factus eſt.

Uxorem duxit.

A. 1645. Succeſſit in Profeſſione Theologicâ D. *Nicolao Scandorfio*, & anno ſeq. Theol. Doctor renuntiatus à D. *Caſp. Brockmanno.* A. 1659. In munere Epiſcopali D. *Laurentio Scavenio* ſucceſſit, inauguratus ab Epiſcopo *Lundenſi* D. *Petro Vinſtrupio.* Facultatis Theol. Decanus, Theol. Doctorem A. 1657. creavit M. *Johannem Vandalinum* Theolog. Profeſſorem.

Theol. Profeſſor. & Doctor. Epiſcopus.

Muneri Epiſcopali Sacrorum Antiſtites inauguravit, *Islandis* unum, *Stavangrienſibus* unum, *Asloienſibus* unum, *Viburgenſibus* duos, totidem *Arhuſienſibus.*

Magiſtratum Academicum ſummum A. 1650. & 1651. geſſit. A. 1660. Ab *Auguſto* Rege Regii Conſiliarii, Aſſeſſoris in Collegio Status, Præſidis Conſiſtorii, & Archiepiſcopi dignitate auctus eſt.

Rector Academiæ. Conſiliar. Regius. Archiepiſcopus.

Scripta.

Scripta.

Diſputatio Philologica in Pſal. 22.

Diſputationes duæ de Animâ.

Diſputatio miſcellanea.

Diſputationes Theologicæ IV. in Auguſtanam Confeſſionem.

Commentar. in Danielis Capita 6. priora: & in 6. poſteriora.

Capitis 7. Danielis ſuccincta expoſitio.

Panegyricus in obitum Chriſtiani V.

Idea boni Principis.

Digitized by Google

Conciones in Publicis Supplicationibus proponendæ.

* *Ex Acad. Hafniæ repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

Clar. A. C. 1665.

JOHANNES VANDALINUS.

NAtus eſt *Viburgi Cimbrorum* die 26. Jan. A. C. 1624. Patre Reverendo Viro Dom. *Johanne Vandalino* Theol. Doctore & Epiſcopo *Viburgenſi*, Matre *Margarethâ Johanneâ*, Senatoris *Ottoniani*, *Johannis Burckhardii* filiâ.

Puer in ædibus Parentum per biennium, deindè apud Aviam maternam *Catharinam*, *Nic. Baggeram* ferè quinquennio liberaliter educatus eſt, & intereà Aviæ ſuæ comes in exilio factus, dum illa A. 1627. Cæſarei exercitûs *Daniam* invadentis vim evaſura in *Belgium* ſe contulit, itinere maritimo, in quo è naufragio divinâ ope miraculo ſimili ſimul ſervati, ac mox inter *Batavos* biennii ſpatio, usque ad Pacem Patriæ redonatam commorati ſunt.

E naufragio ſervatus.

A. 1631. Parentum familiæ redditus eſt, & ſtatim Præceptorum privatorum curæ traditus: mox autem compertâ ingenii ejus felicitate ab ipſo Patre compendiariâ methodo inſtitutus, linguas & diſciplinas præcipuas, inprimis Religionis Chriſtianæ fundamenta hauſit.

Parentis Diſcipulus.

Acceſſit deindè cura & ſtudium Avunculi ipſius Reverendi viri D. M. *Olai Johannis Baggeri* S. Theol. Lectoris, Præpoſiti & Canonici *Lundenſis*, qui eo tempore ab exteris nuper reverſus, ipſi ad Linguarum Orientalium, Ebrææ, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, Rabbinicæ cognitionem facem prætulit, & quidem eo cum fructu, ut 14. ætatis annum agens ſpecimina ſtyli in iſtis linguis haud contemnenda, tam metricæ quàm proſæ Orationis edere poſſet.

Linguas Orientales didicit.

A. 1642. Teſtimonio ornatus M. *Nicolai Johannis*, Scholæ *Viburgenſis* Rectoris adiit Univerſitatem *Hafnienſem*, & in Civium Academicorum numerum cum laude receptus eſt. Ibi ſtudiis Academicis ſexennium ferè impendit partim in ædibus Dn. D. *Thomæ Bangii*, partim in familiâ Dom. D. *Johannis Suaningii*, quem privatum ſtudiorum moderatorem habuit.

Civis Academicus Hafn.

Intereà Philoſophiæ, Philologiæ, & Theologiæ gnaviter operam dedit, atque in Communitate Regiâ per biennium vixit, duarum ibi ſuperior. menſarum Decanus, quò in iſtâ ſocietate egregiis legibus & exercitiis addictâ occaſionem nanciſceretur, majores in ſtudiis progreſsûs faciendi.

Diaconus in Communitate Regiâ.

A. 1644. Baccalaureus Philoſophiæ creatus, brevi pôſt Atteſtationem Theologicam, quam vocant, cum Examinatorum applauſu impetravit.

Baccalaureus Philoſ.

A. 1647. Luſtratâ Regiâ Equeſtri Academiâ *Soranâ*, cum ſpem Regii Stipendii, conſueto diſputationis ſolennis ſpecimine edito, obtinuiſſet, invitatus eodem anno ad Gradum Magiſterii ſuſcipiendum, quem eo tempore ob certas rationes modeſtè recuſavit.

A. 1648. ad exteras Academias ſe contulit, comite fratre *Nicolao Vandalino*, & 7. menſes exegit *Amſtelodami*, *Leidæ* & *Ultrajecti*, atque in ſtudiis Philologicis præcipuè conſuluit *Claudium Salmaſium*, *Dan. Heinſium*, *Ger. Joh. Voſſium*, *Frid. Spanhemium*, *Conſtant. L'Empereur*, *Gisb. Voëtium*, *Marc. Zuerium Boxbornium*, & *Menaſſen Ben Iſrael Judæum*.

Leidæ & Ultrajecti ſtud.

Eodem anno M. Nov. Pace in Imperio *Rom. Germanico* redditâ, in *Germaniam* Muſas ſuas tranſtulit, & cum fratre, comite Nobili Domino *Cornificio Roſencrantzio*, *Argentinam* appulit, in quâ ultra biennium commoratus, publicè privatimque docentes audivit Theologos, D. *Joh. Schmidium*, D. *Joh. Georgium Dorſcheum*, & D. *Joh. Conradum Dannhauerum*.

Argentinæ ſtud.

Intereà in *Helvetiam* excurrit, & *Baſileæ* ſalutavit *Johannem Buxtorfium* filium, *Theodorum Zwingerum*, *Gryneum*, *Weſteinium*.

Indè relictâ *Argentinâ*, cœteras nobiliores *Germaniæ* Academias inviſit, ut *Gieſſenſem*, *Lipſienſem*, *Jenenſem*, *Wittebergenſem*, *Helmſtadianam*, ubi cum Viris doctrinâ claris amicitiam inivit.

Inprimis *Lipſiæ* uſus eſt convictu & familiaritate D. *Joh. Hülſemanni* ultra ſemeſtre ſpatium. Prætereà quaſdam Principum *Germanor.* aulas luſtravit, *Saxonicam*, *Brandeburgicam*, *Darmſtattenſem*, *Caſſellanam*, *Altenburgicam*, *Gottendorfianam*.

Lipſiæ D. Hülſemanno familiaris.

A. 1651. Reverſus in Patriam, à magnis Patronis Dom. *Joach. Gersdorfio* magnæ Aulæ Magiſtro, & Dn. *Chriſtiano Thomæo Seeſted* Cancellario Regio perſuaſus, ſtatim Collegium Philologico-Hiſtorico-Chronologico-Theologicum aperuit, publicè prælegendo & diſputando, ſimulque gemino ſpecimine, Diſputatorio & Concionatorio Latino Reg. Majeſtati innotuit.

Collegium Philologico-Hiſtorico-Chronologico-Theologicum aperuit.

Undè anno ſeq. 1652, cum fatis deceſſiſſet D. *Caſp. Brochmannus*, cui in Epiſcopatu *Selandino* ſucceſſit D. *Johannes Joh. Reſenius*, huic verò in Profeſſione Theologicâ D. *Thomas Bangius*, ipſe abſens in *Fioniâ* D. *Bangio* ſurrogatus, & S. Linguæ Profeſſor deſignatus eſt. Quam ſpartam mox, præmiſsâ Diſputatione ſolenni, & oratione inaugurali, ſuſcepit, ornavitque in annum tertium, donec Profeſſio Theologica ipſi demandaretur A. 1655.

Hafniæ Ling. Sanctæ Profeſſor.

Theol. Profeſſor.

Intereà A. 1653. Magiſter Philoſophiæ creatus eſt, & eodem anno uxorem duxit Virginem *Annam Catharinam*, D. *Petri Vinſtrupii*, *Scaniæ* Epiſcopi filiam, ex quâ 4. filios & totidem filias ſuſcepit.

Uxorem duxit.

A. 1657. Juſſu Regio S. Theol. Doctor ſolenniter renuntiatus, Præſide & Promotore D. *Jano Andr. Suanningio*. A. 1659. M. Nov. Durante Urbis *Hafnienſis* obſidione, Rector Academiæ conſtitutus eſt, eoque munere ſatis difficili de voluntate Senatûs Academici ul-

Theol. Doctor.

Rector Acad. Hafn.

Digitized by Google

ci ultra 20. menſes functus, usque ad M. Jul. A. 1661.

Scripta.

Scripta.

Diſſertatio Phyſica de Ventis.

Diſſertatio de Hiſtoriâ in genere conſideratâ.

Exercitationes Metaphyſicæ duæ, prior de Neceſſario & Contingente, altera de Diviſione Entis.

Diſſertatio de Theologiâ Chriſtianâ in genere.

Interpretatio IV. Oraculorum S. Scripturæ Vet. & Nov. Teſt.

Diatribe de Feriâ Paſſionis, & triduo mortis Chriſti, deque rebus aliis ad Hiſtoriam & Chronologiam ſacram pertinentibus.

Exercitationes IV. in Hiſtoriam Sacram Antediluvianam.

In librum Esræ Canonicum Veſtibulum Philologicum.

Scriba Edoctus ad Regnum Cœlorum Matthei 13.

Veſtibulum Epiſtolæ Apoſtolicæ D. Judæ.

De Jure Regio Libri IV.

Commentarii in Haggæi Prophetiam, & Judæ Epiſtolam.

* *Ex Acad. Hafniæ repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio A. 1665.*

Clar. A. C. 1665.

ERICUS OLAI TORMIUS.

TOrmiæ *Sallingorum in Cimbriâ* 13. Sept. A. C. 1607. natus eſt, Patre *Olao Franciſci*, Matre *Dorotheâ Chriſtiani*, Præpoſiti Nomarchiæ *Harrenſis* filiâ.

Diſcipulus in Schol. Nicop. & Viburg.

Hi A. 1615. ad Scholam *Nicopienſem* filiolum ablegârunt, ubi quinquennio transacto *Viburgum* adiit, auctioris eruditionis incrementum capeſſiturus.

A. 1627. Academicâ civitate *Hafniæ* donatus, annuo vix in eâ ſpatio expleto, in familiam celeberr. Theologi D. D. *Caſp. Brockmanni* adſcitus, Nobilium Juvenum *Johannis Kaaſii*, & *Chriſtiani Brochmanni* ſtudiis præficitur.

Mox eidem traditur inſtituendus illuſtr. Archi-Cancellarii filius *Chriſtianus Fris*, cui cum operam ſuam ultra biennium locâſſet, gratioſè ad exteros iturus dimiſſus eſt.

Studioſus Lugduni Bat.

Leydam igitur Muſarum ſedem elegit, in quâ *Salmaſio, Heinſio, Boxhornio*, & propter Mathematica ſtudia *Golio* ac *Hortenſio* fuit acceptus.

Oxonii.

Indè in *Angliam* tranſiens, *Londini* & *Oxonii*, luſtratis & excuſſis Bibliothecis Virorum claror. D. *Prideau* & D. *Joh. Brambrags*, nec non *Joh. Cravii* favorem meruit.

Lutetiæ Paris.

A. 1634. In *Galliam* profectus, *Pariſios* ſtudiorum ſedem elegit, ubi integro biennio commoratus, *Mydorgio, Morino, Merſenno, Erigonio, Roebroallio, Ciriaco* gratus & acceptus ſtudiorum telam pertexuit.

Hafniæ Mathemat. Profeſſor.

A. C. 1635. Regiæ Majeſt. literis *Hafniam* ad Profeſſionem Mathematicam revocatus eſt. Reverſus 12. Aug. A. 1636, pro Cathedrâ impetrandâ 21. Octobr. diſputavit, & 27. Oct. ſolenne juramentum dedit.

Philoſ. Magiſter

Anno ſeq. ſupremâ Laureâ Philoſophicâ ornatus eſt, Decano M. *Wolfgango Rhumanno*. Eodem anno 1637. Rex *Chriſtianus* IV. in Turri Aſtronomicâ exſtruendâ, eamque inſtrumentorum *Tychonicorum* apparatu adornaturus erat occupatus.

Inſtrumentor. Math. novor. inventor.

Qui conſpectis *Quadrantum Azimuthalium*, & Circuli æquinoctialis modeliis ab *Erico* confectis, aliisque laudabilis ingenii ſpeciminibus, cum Gratiâ & Clementiâ Regiâ dignatus eſt.

Bibliothecarius & Notarius Hafn.

In hâc Academiâ Bibliothecarii & Notarii officiis aliquot annos functus eſt.

Gener D. Olai Wormii.

A. 1640. Virginem *Soſtratam Wormiam*, D. *Olai Wormii* Regii Prof. filiam in thorum Genialem introduxit, 4. liberorum fœcunditate beatum.

A. 1641. Facultatis Philoſoph. Decanus 32. juvenibus Lauream primam contulit. A. 1645. Patriâ inſperatis bellorum motibus attritâ, cum de reſtaurandâ tam citò in Patriâ Aſtronomiæ gloriâ dubitabatur, ei Eccleſiæ D. Virginis Paſtoratus à Magnifico Rectore & Venerando Profeſſorum conſeſſu iteratò oblatus eſt: cum verò 17. annor. decurſu Dnn. Profeſſorum favorem ſingularem expertus eſſet, in vota ipſorum conſenſit, eique Eccleſiæ adhûc A. C. 1665. Eccleſiaſtes & Præpoſitus præfuit.

Eccleſiaſtes in Templo D. Virg.

Scripta.

Diſquiſitiones ex Matheſi depromtæ, quibus Analytica Vietæa primus in Academiâ Hafnienſi illuſtravit.

Diſquiſitiones Mechanicæ duæ de Inſtrumentis Mathematicis, quibus Globi Tychonici uſus oſtenditur & illuſtratur.

Diſputatio de Menſuris.

Antiquitatum Danicarum Sermones 16. ex Joh. Aventini Boiaricæ Hiſtoriæ lib. I. & Commentar. Joh. Lyſchandri.

Effigies Regum Danorum, annexâ Chronotaxiâ, & compendioſâ rerum geſtarum Narratione.

Conciones funebres in exſequiis Jani Hog, Equitis Aurati, Medeæ Roſenkrantz Cancell. Schæſtedii uxoris, Ingeburgæ Ulſſtand, Archithalaſſi Vindii uxoris, & Sillæ Antonii f. D. Brockmanni Epiſcopi Uxoris.

Ex Acad. Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.

Clar. A. C. 1665.

CHRISTIANUS NOLDIUS.

IN *Scaniâ* natus eſt 22. Jun. A. C. 1626. Patre Dn. *Jacobo Noldio*, Paſtore Eccleſiæ *Hoxbyenſis*, Matre *Sophiâ Haggæi* filiâ.

Diſcipulus Scholæ Lundenſ.

A. 1633. Scholæ Cathedrali *Lundenſi* nomen dedit, Rectore M. *Jano Schelderupio*.

Civis Acad. Hafn.

Ex eâ A. 1644. ad Academiam *Hafnienſem* dimiſſus, nomen inter Cives obtinuit, Rectore M. *Jac. Finckio*, Decano Facult. Philoſ. M. *Thomâ Bangio*.

Rector Scholæ Coronienſis.

Hafniæ ſtudia Academica tractavit usque ad A. 1650, quo ad Rectoratum Scholæ *Coronienſis* eſt vocatus, in quo officio A. 1651. Philoſophiæ Magiſtri titulum obtinuit.

Magiſter Philoſ.

A. 1654. In *Germaniam* iter ſuſcepit, in quâ

hinc

hinc indè viſis Academiis & conſultis Viris ob eruditionem claris; ſtudiorum arbitrum præcipuè elegit Dom. D. *Joh. Georgium Dorſchéum* Theologum clariſſimum, cujus ipſi humanitas non parùm profuit.

Indè digreſſus ad *Belgas, Anglos* & *Gallos*, A. 1657. in Patriam rediit, & ibi per trimeſtre ordinatâ re domeſticâ in *Belgium* regreſſus, in Academiâ *Franekeranâ* & *Leidenſi* ſtudiis aliquandiu dedit operam.

A. 1660. Reverſus in *Friſiam*, vocationem accepit ab illuſtri Dom. Joach. *Gerſtorfio* Regni *Daniæ* Aulæ Magiſtro, qui ipſo ad curam filiorum ſuorum uti voluit.

Hafniæ S. Theol. Profeſſor Acad. Rector. A. 1664. Ad Profeſſionem Theologicam *Hafniæ* vocatus, juramentum præſtitit. Paulò pòſt cum Rector Academiæ *Eraſmus Johannes Brockmannus* obiiſſet, Academiæ Rector ex voluntate Regiæ Majeſtatis renuntiatus eſt.

Scripta. Scripta.

Leges Diſtinguendi, ſeu, de Virtute & Vitio Diſtinctionis Opus.

Hiſtoria Idumæa, ſive de Vitâ & Geſtis Herodum Diatribe.

Sacrarum Hiſtoriarum & Antiquitatum ſynopſis.

* *Ex Acad. Hafniæ repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

ANANIAS WEBERUS.

Obiit A.C. 1665.

Filius Eccleſ. Paſtoris. NAtus eſt 14. Aug. *Euſebio* ſacro A. 1596: Patre *Johanne Webero*, Eccleſiæ *Lindenbainii* in *Saxoniâ*, & locorum vicinorum per 34. annos, Matre *Gertrudi, Ananiæ Coleti*, Eccleſiæ ad Langen-Thempach in *Thuringiâ* Paſtoris filiâ.

Puerum Vir nobilis *Ericus à Rabiel*, hæreditarius in *Diben*, ex ſingulari affectione in ædes & menſam ſuſcepit, eumque per triennium Scholæ *Diebenenſis* Rectori M. *Johanni Engelmanno* tradidit informandum, poſteà miſit *Eulenburgum* & *Lipſiam* in Gymnaſium S. *Nicolai*, ubi manuductione hoſpitis ſui M. *Johannis Friderici*, & M. *Valentini Hartungii*, Conrectoris in Linguis Latinâ, Græcâ, & Hebraicâ, nec non in Curſu Philoſophico tantos fecit profectûs, ut anno æt. 18. in Academiam *Lipſienſem* progreſſus, ſub Rectoratu D. *Vincentii Schmuckii* Superint. Studioſorum albo fuerit inſcriptus. Ibi præterdictum M. *Joh. Fridericum* utriusque Linguæ Prof. Publ. publicè docentes ſedulus audivit Licent. *Philippum Müllerum* Mathematum Prof. *Henricum Höpfnerum* Log. Prof. & M. *Theophilum Piſtorium* Orient. Linguarum Profeſſorem.

Lipſiæ fit Studioſ.

Philoſ. Magiſter A. 1617. Ibidem ſupremam in Philoſophiâ Lauream Magiſterii cum honore adeptus, A. 1621. prægreſſo Examine membrum Facultatis Philoſ. factus, & A. 1625. Decanatum ejuſdem adminiſtravit.

Tandem poſt obitum D. *Johannis Curtii* Fac. Jurid. Profeſſoris locum in Collegio Principum minori nactus eſt. Cum verò hactenus ſtipendium ab Elect. *Sax.* Theologicum habuiſſet, Studium Theologicum *Theol. ſtudioſus.* Philoſophico conjunxit, & cum aliquandiu Profeſſores ibidem Theol. audiviſſet, Academias quoque *Jenenſem* ac *Wittenbergenſem* adivit, ibi Theologis primariis D. *Gerhardo*, *Meiſnero*, & *Balduino* familiariter innotuit, eorumque Lectiones frequentavit.

A. 1624. *Lipſiam* reverſus, & Theol. Baccalaureus publicè renuntiatus, paulò pòſt ab Electore *Saxoniæ* Stipendiariorum Ephorus denominatus, licèt eo tempore *Amſtelodamum* ad Eccleſiæ *Lutheranæ* Paſtoratum primarium vocatus eſſet, Dimiſſionis tamen conſenſum ab Electore non potuit impetrare. *Lipſiæ Ephorus Stipendiariorum Electoral.*

A. 1627. Cum Paſtoratus *Mutſchenſis* unaque *Grimmenſis* Inſpectio vacâſſet, *Weberus* hîc nihil minus expectans, clementer ad hæc munera deſtinatus, & paulò pòſt Superintendens *Leuſingenſis* factus eſt. *Superint. Leuſing.*

A. 1634. *Lipſiam* à Senatu revocatus, Archidiaconi munus ad S. *Thomam*, & paulò pòſt ad S. *Nicolaum* obtinuit. A. 1645. Vocatus *Uratislaviam*, initio locum Eccleſiaſtæ, poſteà poſt obitum M. *Johannis Fleiſcheri*, Paſtoris & Inſpectoris Eccleſiarum, amborumque Gymnaſiorum adeptus eſt. *Archidiac. Lipſ. ad S. Nicolaum. Uratislaviæ Eccleſiaſtes primarius.*

Intereà A.C. 1638. *Lipſiæ* Theol. Profeſſor factus, & cum 8. Candidatis Theol. Doctor ſolenniter renuntiatus eſt. A. 1642. Poſt obitum D. *Henrici Höpfneri* promotus ad tertium Profeſſionis Gradum, unà Canonicatum *Cicenſem* aggreſſus, nec multò pòſt Inſigne Decanatûs in Facult. Theologicâ ſibi collatum accepit. *Lipſiæ Theol. Doctor, & Profeſſor.*

In Cathedrâ præter alias Lectiones & Diſputationes frequentes Leviticum, plerorumque Interpretum judicio Librum totius S. Scripturæ difficillimum, publicè prælegendo nervosè declaravit.

A. 1627. Eccleſiæ Paſtoratum primum aggreſſus, conjugio quoque junctus eſt cum virgine *Chriſtinâ*, D. *Cornelii Beckeri* Theologi celeberrimi, filiâ natu minimâ: ex quâ 3. filios & filiam ſuſcepit. Filiorum natu ſecundum *Johannem Chriſtophorum* in pueritiâ mors abripuit. *Conjugium ejus duplex.*

Natu major *Chriſtianus Weberus*, *Uratislaviæ* ad S. *Eliſabetham* Archidiaconus, poſteà Paſtor ad S. *Bernhardinum*, Præpoſitus ad *Spiritum Sanctum*, & Miniſterii Eccleſiaſtici Aſſeſſor fuit: filius alter *Joh. Cornelius Weberus*, Phil. & Med. Doctor, Praxin ibidem cum laude exercuit.

Filia *Maria Eliſabetha* deſponſata fuit *Johanni Maukiſchio*, Theol. D. Paſtori & Rectori Templor. & Scholar. *Gedanenſium*. M. Nov. A. 1635. Priore conjuge poſt puerperium filii *Joh. Cornelii* anno prægreſſo vitâ defunctâ, nuptias ſecundas celebravit cum *Annâ Mariâ Horſtiâ*, *Martini Hertſchii*, Præfecti Electoralis *Mutſchenſis*, relictâ viduâ, quam ſine liberis reliquit ſuperſtitem.

Varias interim calamitates perpeſſus, A. 1632. hoſtium irruptione decies unâ die ſpoliatus, vix vivus eorum furorem evaſit. *Leuſingii* cum degeret, incendium grave à

Bibliothecam incendio amittit. *Suecis* militibus excitatum, omnem ipſi Librariam ſupellectilem, magno pretio coëmtam, cum Manuſcriptis omnibus conſumpſit, cum damno irreparabili.

Morbis variis per vitam cum fuiſſet obnoxius, dimidio ante obitum anno, cum nocte quâdam inſomnis Deum invocaret, ut ſeſe corporis ſolutum vinculis ad quietem cœleſtem transferre dignaretur, non ſolùm hanc vocem audivit: *Liberabo te!* ſed etiam manum è pariete cubiculi ſui porrectam vidit, tenentem clepſydram 4. horæ quadrantum, quorum duo priores jam elapſi erant: quam viſionem ſatis diu ſibi oculis obverſantem, licèt domeſtici merum fuiſſe ſomnium dixiſſent, ipſe conſtanter aſſeveravit, mortem ſibi ex voto intra ſemiannum ſubſecuturam denuntiâſſe. Quotidiè itaque hanc fidei ſuæ Confeſſionem pronuntiavit: *Vox & Viſio Divina mortem ejus præſagiens.*

Fidei Confeſſio.

In IESU mea vita meo, mea clauſula vitæ
Eſt, & in hoc Iesu vita perennis erit.

Jn JEſu leb ich hier/ in JEſu ſchlaf ich ein/
Jn JEſu ſoll auch dort mein ewig Leben ſeyn.

Catarrho tandem apoplectico correptus, inter preces devotas adſtantium, voti ſui compos factus, in Chriſto exſpiravit 26. Jan. A.C. 1665. ætatis 69. *Moritur.*

* *Ex vitæ curſu tribus Concionib. funebr. annexo.*

ANANIAS WEBERUS THEOLOGIÆ DOCTOR.

Per Anagramma:
Es Iehovæ tuba, & coronandus gloriâ. *Anagramma.*
Symbolum habuit: *Symbolum.*
Autori Vitæ Vivendum Deo.

JOACHIMUS GALLICULUS.

Obiit A.C. 1665.

NEoſtadii in *Marchiâ Brandenburgicâ* natus 11. Sept. A.C. 1579. Patrem habuit *Petrum Hænichen*, ſartorem, Matrem *Margaretham Oeltzneriam* Senatoris filiam.

A. 1595. *Pyritzii* in *Pomeraniâ* ſcholam acceſſit, ſed brevi pòſt oppido illo per incendium deſtructo A. 1596. varias in *Pomeraniâ* ſcholas acceſſit, donec A. 1601. *Regiomontium* venit, & A. 1602. *Torunium*, ubi à Gymnaſii Rectore M. *Johanne Regio* in ædes receptus eſt.

Intereà cum matrem ægrotam viſitâſſet, in reditu Conditionem Præceptoris domeſtici *Gubenii* ſibi oblatam ſuſcepit, & per triennium fideliter obivit.

Francofurti Theol. ſtudioſus. Rector Scholæ Meſtritii. Paſtor Eccleſiæ Libenwoii & Stentzſchii.

A. 1606. In Academiam *Francofurti ad Oderam*, cum commendatitiis Miniſterii *Gubenenſis* profectus, & à Rectore, M. *Chriſtoph. Neandro*, Studioſorum Albo inſcriptus, ibi usque ad A. 1608. ſubſtitit. Tunc *Meſtritium* vocatus, Rectoris ibi in Scholâ munus quinquennio obivit.

A. 1613. Paſtor Eccleſiæ in oppido *Libenavio*, & A. 1616. *Stentzſchii* Concionator factus in hoc munere 38. annis perſeveravit.

Ibidem A. 1613. nuptias celebravit cum virgine *Mariâ*, M. *Leonhardi Pfefferi*, Paſtoris Eccleſiæ *Stentzſchenſis*, filiâ, cum quâ 52. annos in conjugio felici exegit, ex eâque 4. filios & 6. filias ſuſcepit. Ex filiis *Fridericum*, Eccleſiæ Paſtorem *Kaltzigii* vidit. *52. annos in conjugio vixit.*

A. 1654. Ad mandatum Commiſſariorum Cæſareorum in exilium migrare coactus, *Kaltzigium* cum familiâ ſe contulit, ubi ſub præſidio nobilis Viri *Abrah.* à *Diebitſch* in ſecuritate vitæ reſiduum traduxit, morte beatâ mundo ſubductus 1. Feb. A.C. 1665. ætatis 86. miniſt. 52. *Exul.* *Moritur.*

* *Ex Concione funebri M. Andreæ Nicei.*

DANIEL RüCKERUS.

Obiit A.C 1665.

ROtenburgi ad *Tubarim* 1. Febr. A.C. 1605. natus, parentes habuit honeſtos, *Georgium Rückerum*, & *Margaretham*, *Jacobi Blaſii*, hoſpitis *Rinderfeldenſis* filiam.

Cum in ſcholâ patriâ linguarum & artium fundamenta poſuiſſet, dignus habitus à Rectore M. *Joh. Georgio Schemelio*, qui ad curſum ſtudiorum feliciter continuandum alias Academias accederet, A. 1622. in *Altorfinam* à Parentibus miſſus, & ritu depoſitionis peracto, brevi pòſt *Jenam* diſceſſit, ubi D. *Joh. Himmelii* Theol. Prof. celebris convictu uſus, diverſa Collegia Philoſophica & Theologica frequentavit, & ter publicè diſputavit, primùm ſub præſidio M. *Johannis Stierii*, de Structurâ Syllogiſmi in genere & formaliter conſiderati, deindè Hebraicè ſub M. *Sculteto*, tertiò de S. Scripturâ, ſub Præſide D. *Johanne Gerhardo*. *Jenæ ter diſputavit.*

A. 1625. Poſt obitum matris *Argentoratum* profectus, & menſam liberam apud Dom. *Storckium* Conſulem nactus, diverſa quoque Collegia diſputatoria & concionatoria inviſit, terque publicè diſputavit, 1. De DEO trino & uno, ſub D. *Joh. Schmidio*, 2. de S. Cœnâ, ſub D. *Iſaaco Frôreiſenio*, 3. de Cauſâ formali Juſtificationis, ſub. D. *Wegelino*. *Argent. ter diſp.*

A. 1627. Patre quoque vitâ defuncto, *Marpurgenſem* in *Haſſiâ* Academiam acceſſit, in quâ aliquoties etiam Theologicè & Hebraicè diſputavit, nec multò pòſt à Generoſo Comite *Wolderado Waldeccenſi Kindswetleram* in *Belgium*, ut ſibi à Concionibus eſſet, accerſitus, *Arolſæ* examinatus & ordinatus, unâque Concionator ſecretus Evangelicorum *Aquisgrani* conſtitutus eſt. *Concionator ſecretus Aquisgrani.*

Hoc munere non ſine vitæ periculo functus, A. 1629. Perſecutionis *Hiſpanicæ* metu *Marpurgum* reverſus eſt. Intereà verò per *Belgium* & in *Angliam* iter ſuſcepit, *Londinum* usque progreſſus.

Marpurgi mox poſt reditum ſuum Profeſſionem extraordinariam nactus, multoties in Diſputationibus Philoſophicis & Theologicis cum applauſu Præſidem egit. *Profeſſor extraordin. Marpurgi.*

A. 1631. *Niddam* in *Wetteraviâ* vocatus ad Concionatoris officium, à Celſiſs. Prin-

Superintendens Aſchaffenburg.

cipe Dom. *Georgio Landgravio Haſſo-Darmſtatino*, & A. 1632. *Aſchaffenburgum* ad Superintendentis munus, eo fideliter functus eſt usque ad A. 1635, quo turbis bellicis ingruentibus *Argentoratum* ſe recepit, & exul à generoſo Comite *Hoënloico Georgio Friderico*, ut ſibi à ſacris concionibus eſſet, in aulam ſuam receptus eſt.

Concionator aul. Ducis Bernhardi Saxo-Vinar. & Præſes Conſiſtorii Caſtrenſis.

A. 1636. Sereniſſ. *Bernhardus*, Dux *Saxo-Vinarienſis*, militiæ *Suecicæ* tunc Generaliſſimus, aulæ ſuæ Concionatorem, & Conſiſtorii Caſtrenſis Præſidem conſtituit eum. Cum hoc Principe brevi pòſt in *Galliam* profectus, *Lutetiæ Paris.* per 18. ſeptimanas publicè concionatus eſt, & Actus ſacros peregit. A. 1640. Poſt obitum Ducis *Vinar.* Superintendens *Briſacenſis* conſtitutus, & in Præſidis Caſtrenſis munere confirmatus eſt, quotannis mille Imperiales pro ſalario ordinario adeptus. Intereà deſideratus à Senatu *Ulmenſi*, ut Superintendens D. *Conradi Dieterici* vices ageret, & à Sereniſſ. March. *Friderico Badenſi*, ut ditionum ſuarum Superintendens generalis eſſet, utramque vocationem *Briſacenſium* amore modeſtè recuſavit.

Superint. Briſacenſ.

Paſtor ad Spiritum S. Rotenb.

A. 1649. Revocatus in patriam, *Rotenburgi* Paſtor Eccleſiæ ad *Spiritum Sanctum*, ad interim ordinatus, eò cum familiâ ſuâ ſe contulit. A. 1655. Cum Sereniſſ. Ducis *Bernhardi Vinarienſis* corpus *Briſaco Vinariam* fuiſſet ad ſepulturam avectum, evocatus à Ducibus *Vinarienſibus Vinariæ* Ducem jam dudum vitâ defunctum Concione funebri laudavit. Hoc facto, *Wilhelmus* Dux *Vinarienſis* in Senatu Eccleſiaſtico *Vinariæ* locum ei, munusque Concionatoris aulici, obtulit, is verò gratiam hanc modeſtè recuſavit.

Bernhardo Duc. Sax-Vinar. Concionem fun. habuit.

Superintend. ſpecial. Marpachii. Superint. Rotenburg.

A. 1656. A Duce *Würtenbergico Marpachium*, ad Superintendentis ſpecialis munus, accerſitus, eo in annum usque octavum fideliter functus eſt. A. 1664. A Senatu *Rotenburgenſi* in patriam revocatus ad Superintendentis officium, brevi pòſt morbis affligi cœpit, ut bis tantùm publicè concionari potuerit, & propoſito ſuo, *Hiobi* librum concionibus declarandi, fruſtratus fuerit.

Conjugium ejus duplex.

Intereà duplex matrimonium contraxit: Primum *Argentorati* cum virgine *Judithâ*, *Wilhelmi Braitenbachii*, Civis *Argentinenſis*, filiâ, quæ 3. ei filios, & 2. filias peperit, ex quibus unicum modò filium Dom. *Joh. Georgium Rückerum* Eccleſiæ *Inſingenſis* Paſtorem *Brandeburgicum* reliquit ſuperſtitem.

Hâc conjuge defunctâ, ſponſalia reiteravit *Briſaci* A. 1641. cum virgine *Annâ Polyxenâ*, Dom. *Johannis Conradi Mülleri*, Commiſſarii tunc *Briſacenſis*, & poſteà Conſiliarii *Würtenbergici*, filiâ, quam cum 4. filiis & 3. filiabus viduam poſt fata reliquit. Aſthmate tandem & doloribus podagricis per 9. menſes vehementer afflictus ſuccubuit, & ſpiritum creatori reddidit 13. Martii A.C. 1665. æt. 60.

Moritur.

* *Ex Concione fun. Joh. Baptiſtæ Zierlini Diaconi Rotenburg.*

MICHAEL CASTNERUS.

Obiit A.C. 1665.

EIſelsdorfii in *Palatinatu* ſuperiori, patre cognomine, matre *Magdalenâ Podneriâ*, natus eſt 5. Martii A.C. 1592.

Puer optimæ indolis cum animo ad ſtudia literaria propenſo miſſus eſt à Parentibus in Gymnaſium *Amberg.* ubi ſub *Spanhemio* & *Becmanno* Rectoribus adeò brevi tempore profecit, ut A. 1615. *Heidelbergam* concedens, inter Alumnos Collegii Sapientiæ cum laude Studia Philoſophica & Theologica tractârit.

Studia inchoat Amberga Alumnus Collegii Sapientiæ Heid.

A. 1619. Regreſſus in *Palatinatum* ſup. primùm in oppido *Kemnath* Concionator factus, nec multò pòſt *Weidenwangium* ad Eccleſiæ Paſtoratum promotus eſt.

Paſtor Eccleſ. in Palat. ſup.

A. 1619. Matrimonio ſibi conjunxit Virginem *Eliſabetham*, M. *Georgii Krigii*, Paſtoris & Inſpectoris *Kemnathenſis* relictam filiam, ex quâ filium in infantiâ denatum, & duas filias ſuſcepit, *Chriſtinam*, quæ Dn. *Calamino* Com. *Iſenburg.* Paſtori aulico *Oſenbachii* deſponſata, trimeſtri ante Dom. Patrem ſpatio vitâ defuncta eſt, & *Mariam Salomen*, *Joh. Laurentii Otti*, Regiſtratoris *Heidelberg.* conjugem.

Nubit.

A. 1625. Exul ob fidei Confeſſionem conſtantem in Marchionatum primùm *Bareuthenſem*, Urbemque deindè *Norimbergam* cum ſuis migravit, & 24 annos in exilio traduxit.

Exul Norimbergam venit.

Intereà verò temporis multos pueros in Catechiſmo, Ling. Lat. Græcâ & Hebræâ fideliter informavit, ex quibus aliqui poſteà in *Palatinatu* Electorali miniſteria Eccleſiaſtica & Politica varia cum laude ſuſceperunt, & unà cum aliis occupatus fuit, ut Pecunia ad Exulum *Palat.* ſuſtentationem ex variis Regnis & Regionibus *Norimbergam* tranſmiſſa, Collectæ nomine, per certa tempora inter pauperes exulesque diſtribueretur. Varias interim vocationes, Patriæ amore, & quòd Alumnus *Palatinus* fuiſſet, modeſtè recuſavit.

Præceptorem privatum agit.

Collectæ præfectus.

A. 1633. A Sereniſſimo Principe *Philippo Ludovico*, *Palat.* Adminiſtratore *Neagora Palat.* ſuper. oppido non procul à *Norimbergâ* diſſito, Paſtor Eccleſiæ denominatus, brevi tamen pòſt, ſecutâ mutatione, *Norimbergam* reverti, priſtinumque exilium continuare coactus eſt.

Neagoræ Paſtor Eccleſ.

A. 1649. Ab Illuſtriſſ. Electore *Carolo Ludovico Palatino*, *Noribergæ* tunc ſubſiſtenti, in conclave ſuum unà cum aliquot aliis Paſtoribus exulibus accerſitus, promiſſionem accepit, quod mox ad Miniſterium Eccleſiaſticum in *Palatinatum* infer. vocandus ſit, quod etiam factum eſt, dum paulò pòſt à Senatu *Heidelberg.* Eccleſiaſtico Sereniſſ. Electoris nomine vocatus, Inſpector & Paſtor Eccleſiæ *Wislochii* oppidi conſtitutus, muneri illi 16. annos ſummâ cum fidelitate præfuit.

Inſpector Wislochii.

A. 1660. Inter Conſiliarios Eccleſiaſticos *Heidelbergæ* receptus, cum triennium in eo excegiſ-

Conſil. Eccleſiaſt. Heidel.

exegiſſet officio, propter ſenium & morbos ingruentes clementer tandem dimiſſus eſt.

Moritur. Morte demùm beatâ *Wislochii* vitam finiit 6. April. A. C. 1665. ætat. 73. conjugii 45. & miniſterii 46.

* *Ex Concione fun. Heidelbergæ habitâ per Marcum Flocceniun Paſtorem Eccleſiæ ad Spiritum Sanctum.*

Obiit A. C. 1665.

JOHANN. CONRADUS HEDENUS.

SOndershuſæ natus 17. Aug. A. C. 1619. Patrem habuit Dom. *Conradum Hedenum*, Com. *Schwartzenburg.* Concionatorem aulicum, & Archidiaconum *Sondershuſanum*: Matrem *Catharinam*, M. *Johannis Götzii*, Superintendentis *Schwartzenburgici* filiam.

E ſacro Baptiſmi fonte ſuſceptus ab avo materno, & honeſtè à parentibus educatus, anno ætatis quinto patriam ſuam incendio deſtructam, & in cineres redactam vidit.

A. 1627. Cum Pater ejus mundo fuiſſet ereptus, ab hujus fratre Cancellario *Schwartzenburgico* primùm in ædes receptus, deinde apud D. *Salom. Glaſſium*, Theologum celebrem famulum egit, cujus adjutus ſubſidio fundamenta pietatis, artium & linguarum adeò feliciter poſuit, ut anno ætat. 15, in Univerſitatem *Jenenſem* ſtudiorum gratiâ conceſſerit. Sed ſumptibus ad ſtudia neceſſariis deſtitutus, in Univerſitat. indè *Erfurtenſem* profectus, Præceptorem ibi domeſticum apud Civem quendam primarium egit, donec aliquid pecuniæ nactus eſt.

D. Salom. Glaſſii famulus. Jenæ ſtudia tractavit, & Erfurti.

Tum *Jenam* reverſus, Artium Magiſter cum laude renuntiatus, ſtudia Theologica ſedulus tractavit. *Erfurtum* exindè regreſſus, Collegia Philoſophica habuit, ſubque Doctoribus *Zapfio* & *Meyfarto* Studium Theologicum feliciter continuavit.

Philoſ. Magiſter. Jenæ.

Univerſitatem deindè *Regiomontanam* in *Boruſſiâ* cum acceſſiſſet, mox nobilis quidam *à Cruce* vocatus, filiis eum ſuis ſtudiorum & morum formatorem præfecit, cum quibus per *Poloniam*, *Brabantiam*, *Flandriam* & *Hollandiam* iter ſuſcepit, eoſque domum ad Parentes feliciter reduxit. Hoc facto *Dantiſcum* progreſſus, Civium ibi primariorum liberos aliquot in literis informavit.

Itinera ejus.

Deindè adoleſcenti nobili *Kratzero* nomine Gubernator datus, cum eo per *Hollandiam*, *Angliam*, & *Galliam* peregrinatus, in Univerſitatibus *Leydenſi*, *Oxonienſi*, & *Pariſienſi* aliquandiu ſubſtitit, & in reditu Academias *Baſileenſem*, *Argentinenſem*, ac *Tubingenſem* inviſit, & ubique viris eruditis innotuit.

A. 1650. Cum Nobili ſuo *Noribergam*, ut Comitia Pacis ſtabiliendæ causâ ibi tunc habita videret, venit, cumque eodem poſt trimeſtre *Dantiſcum* rediit.

Tunc tertiâ vice Nobilis *Epſtenii* nomine Gubernator factus, cum eo *Lipſiam* ſtudiorum gratiâ conceſſit, per *Bohemiam* poſteà, *Moraviam*, *Auſtriam*, & *Hungariam* itinere cum eodem ſuſcepto, A. 1652. *Norimbergam* reverſus eſt.

A. 1653. *Hilpoltſtenium* vocatus, ut apud viduam *Joh. Friderici*, Principis *Palatini*, munus Concionatoris aulici ſuſciperet, brevi pòſt 5. Decemb. nuptias celebravit cum virgine *Mariâ Catharinâ*, M. *Joh. Leonhardi Friſchii*, Concionatoris *Norimb.* ad S. *Ægidium* filiâ, ex quâ 4. filios & 3. filias ſuſcepit, ſed filium *Conradum Leonhartum* optimæ ſpei puerum ſexennem dyſenteriâ ſublatum, cum filiolâ in utero materno denatâ præmiſit. Cœteros filios *Jacobum Chriſtianum*, *Wilhelm. Conradum*, & *Joh. Ulricum*, filiolaſque *Urſulam Catharinam*, & *Mariam Margaretham* cum matre viduâ reliquit ſuperſtites.

Concionator aulicus Hilpoltſtenii. Deſponſatus. Liberi ejus.

A. 1654. In Univerſit. *Altorfinam* ad Eccleſiæ Diaconatum, unàque Theologiæ ac Oratoriæ Profeſſionem vocatus: anno tandem 1657. In oppido *Norico Lauffâ* Concionator factus eſt.

Theol. Prof. & Diaconus Altorfii. Concionator Lauffenſis.

Ibi cum à 14. diebus febre catarrhali decubuiſſet, & nocte mortem prægreſsâ ſocrui dixiſſet, ut ſecum in pratum, quod præ oculis videret, amœnum exſpatiaret, in quo Dominus JESUS cum angelorum cœtu eum exſpectaret, nec ſe diutiùs detineret, die ſeq. 29. Jan. placidè in Chriſto exſpiravit *Lauffæ Noricor.* A. C. 1665. æt. 46. IM Iahr Da LaVff ſeiner Hirten beraVbt bitter ächzete.

Moritur.

* *Ex Concione fun. M. Conradi Feurlini Diaconi Norimb. tunc temp. ad S. Ægid.*

Obiit A. C. 1665.

BERNHARDUS WALDSCHMID.

FRancofurti ad *Mœnum* natus 16. Nov. A. C. 1608. Patrem habuit *Chriſtophorum Waldſchmid*, *Alsfeldâ Haſſum*, Evangelii Miniſtrum per octennium in Langen-Schwalbach / poſteà verò *Francofurti* altero octennio: matrem habuit *Evam Antweileriam*.

Filius Theologi.

A. 1616. Gymnaſio patrio traditus erudiendus, poſt obitum patris, A. 1625. Curſum Claſſicum abſolvit, & per ſeſquiannum Lectionum publicarum auditor ſedulus, pro more laudabili ſub Præſidio M. *Seltzeri* de Relativè oppoſitis diſputavit.

A. 1626. Senatûs patrii liberalitate Stipendium ad ſtudia continuanda adeptus, Academiam *Marpurgenſem* adivit, ibique A. 1628, prægreſſo Examine, & Diſputatione graduali ſub Præſidio M. *Joh. Henrici Tonſoris*, Philoſophiæ Magiſter tertio inter 14. Competitores loco ſolenniter creatus eſt. Studiùm deindè Theologicum aggreſſus, Lectiones Theologorum celebrium, D. *Juſti Feurbornii*, D. *Johannis Steuberi*, & D. *Menonis Hannekenii* frequentavit.

Philoſ. Magiſter Marpurgi.

A. 1629. In Patriam reverſus, per ſemiannum affinis ſui *Johannis Nupcarii* Præceptoris quintæ Claſſis in docendo vices egit.

Præceptor Claſſicus Francofurti.

A. 1630. In Academiam *Argent.* ſe conferens

rens

rens, Lectiones Theologicas ſedulus audivit, & bis publicè diſputavit, De Sacramento Ordinis, & de Seſſione JEſu Chriſti ad dextram Patris cœleſtis.

Intereà duplici Præceptoris munere functus eſt apud D.D. *Johannem Kuferum*, Medicum celebrem, cujus filium, usque dum in *Italiam* profectus eſſet, informavit, & apud *Henricum Haaſium* Senatorem *Argent.*

A. 1637. *Francofurtum* regreſſus, frequentes habuit Conciones, donec A. 1638. unà cum D. *Henrico Tettelbachio*, examine prægreſſo, ad Miniſterium Sacrum ordinatus in ſuburbio *Saxenhuſâ* Concionator factus eſt apud *Franciſcanos*, in quo munere 24. annos verſatus eſt. *Concionator Saxenhuſæ.*

A. 1639. Conjugii ſocietatem iniit cum virgine *Urſulâ, Philippi Leutweinii*, Senatoris *Francof.* filiâ, ex quâ 6. filios & 5. filias progenuit, & omnes reliquit ſuperſtites. *Conjugium ejus & Liberi.*

Ex filiabus binæ natu majores unâ die deſponſatæ ſunt Dom. *Jodoco Philippo Schilio*, & M. *Chriſtoph. Mitternachtio*, Paſtoribus Eccleſiarum *Oberrodæ*, & *Bernhemii*. *Duas filias unà elocavit.*

A. 1656. *Auguſtam Vind.* vocatus, ut *Hartmanno Creidio* in Paſtoratu ad S. *Annam* ſuccederet, Patriæ amore *Francofurti* detentus eſt.

Tandem affectu aſthmatico periodico ſæpiùs afflictus, & lecto affixus, poſtquàm filio ſuo *Philippo Jacobo* Med. Candidato *Baſiléam* paulò antè digreſſo, ultimum vale ſcripſiſſet, morte placidâ ſublatus obiit 8. Sept. A. C. 1665. ætatis 57. *Moritur.*

MAGISTER BERNHARDUS WALTSCHMIDIUS.

Per anagramma demptis aſpiratis: *Anagramma.*

Multis grande decus jam rurſus abit.

Scripta edidit: *Scripta.*

Widerlegung der 20. Urſachen/um welcher willen D. Ludwig von Hornick zum Papſtum getretten.

Kedd Jeſuita vertiginoſus.

Abdrucknung der Keddiſchen Schmidts-Laug.

VIII. Chriſtliche Juden-Predigten/gehalten bey unterſchiedlichē Juden-Tauffen.

II. Friedens-Predigten.

Triades duæ Concionum ſingularium.

Unterſchiedliche Leichpredigten.

Die Erklärung des Büchleins Ruth in LXII. Predigten.

Das ganze Theologiſche Negotium von Hexen und Geſpenſten / in Erklärung der Hiſtori von der Zauberin zu Endor/in XXVIII. Predigten.

Valet-Predigt gehalten zu Sachſenhauſen und Oberrodt.

* *Ex Concione fun. M. Joh. Georgii Büttneri Concionat. Francofurt.*

CHRISTIANUS ZIMMERMANNUS.

Obiit A. C. 1665.

Dreſdæ natus 24. Jan. A. C. 1598. Patrem habuit *Zachariam Zimmermannum*, Electorum *Sax.* ultra 50. annos Secretarium, anno ætatis 80. denatum: Matrem *Otiliam, Georgii Rappoldi*, Stabulor. Præfecti Electoralis filiam. Infans à partu debilis mox S. Baptiſmi fonte ablutus eſt ab Anteceſſore ſuo *Balthaſare Meiſnero* tunc Concionatore *Dreſdenſi*.

A. 1610. æt. 12. In ſcholam *Elect. Sax. Portenſem* à Parentibus miſſus, per quinquennium in eâ ſtudiorum fundamenta poſuit. *In ſcholâ Portenſi diſcipulus.*

A. 1615. In Academiam *Lipſienſem* conceſſit, & febre quartanâ correptus, domum rediit, ab eâque Dei & Medicorum ope liberatus, *Wittenbergam* venit, ſtudiis Philoſophicis primùm deditus, A. 1620. cum laude Philoſ. Magiſter à Decano *Auguſto Buchnero* renuntiatus, inter 45. Candidatos quintum locum obtinuit. Abindè Studio Theologico totus incubuit, in Diſputationibus Theologicis tàm opponendo quàm reſpondendo ſeſe exercuit, & Theol. Profeſſores D. *Balduinum*, D. *Meiſnerum*, D. *Hunnium*, & D. *Frantzium* docentes ſedulus audivit. *Wittenbergæ Philoſ. Magiſter.* *Theolog. Studioſus.*

A. 1621. *Annebergæ* Evangelii Miniſterium primùm aggreſſus, mox Anno ſeq. *Dreſdæ* Diaconus infimus factus, M. *Theodoro Müllero* vitâ paulò antè defuncto ſucceſſit. *Eccleſiæ Paſtor Annabergæ. Diaconus Dreſdæ.*

In eo munere cum vix annum exegiſſet, poſt mortem D. *Balthaſ. Meiſneri* ſenioris Concionatoris *Dreſdæ* primarii in ejus locum, invitus licet, à Magiſtratu patrio ſuffectus eſt, idque munus 43. annis fideliter adminiſtravit. Intereà Libros *Samuelis* 1500. Concionibus declaravit. *Concionator Dreſdæ.*

14. Jan. A. 1621. *Annebergæ* miniſter ſponſalia celebravit cum virgine *Roſinâ*, *Matthæi Seelfiſchii*, Senatoris & Bibliopolæ *Wittenbergenſis* filiâ, ex quâ 2. filios totidemque filias ſuſcepit, ſed unicum modò filium M. *Johannem Samuelem* Eccleſiæ Paſtorem in *Dreſdâ* veteri reliquit ſuperſtitem, ex quo quinque nepotes vidit. *Conjugium ejus primum.*

24. Jan. A. 1634. Cum biennio viduus fuiſſet, ad altera vota tranſiit, deſponſatus cum virgine *Annâ*, Dom. *Georgii Reichbrodii*, Quæſtoris & Camerarii Electoralis filiâ, ex quâ duos filios & 5. filias ſuſcepit, omnes in infantiâ denatos, præter filiam natu majorem D. *Keylingii* conjugem, quæ poſt partum filiolæ mortuæ vitâ exceſſit. *Conjugium alterum.*

In munere ſuo Concionandi indefeſſus, cum tandem ab anno ex ſenio magis, quàm morbis debilis decubuiſſet, & duabus ante obitum horis cantiones aliquot ſacras cum adſtantibus decantâſſet, inter eorum preces placido ſomno correptus in Chriſto obdormivit 12. Nov. A. C. 1665. æt. 68. miniſterii 44. *Moritur.*

* *Ex Concione fun. D. Chriſtoph. Bulæi Superintend. Dreſd.*

JOHANNES HOORNBECK.

Obiit A. C. 1666.

Harlemi in *Hollandiæ* urbe antiquâ natus eſt M. Nov. A. C. 1617. Patre *Tobiâ Hoorn-*

Hoornbeck Mercatore, Matre *Jacobâ*, *Ægidii Baert*, Civis Veſalienſis filiâ.

Anno ætatis 13. Scholam *Harlemenſem* ingreſſus, apud Rectorem illius per biennium ſtudiorum fundamenta jecit. 4. Maj. A. 1633. In Academiam *Lugduno-Batavam* venit, in quâ tunc floruerunt magni viri *Claudius Salmaſius*, *Daniel Heinſius* Orator & Poëta, *Conſtantinus l'Empereur*, Linguar. Orient. Profeſſor, *Jacobus Golius*, linguar. *Arabicæ*, *Perſicæ*, & *Chinenſis* peritus, *Franco Burgersdicius*, Philoſophus *Ariſtotelicus*, *Anton. Thyſius*, & *Anton. Walæus* Theologi, per quos maximè profecit.

Theol. Studioſus Leydæ,

A. 1635. Academia *Ultrajectina* nuper fundata eum allexit, motum imprimis famâ *Giſberti Voëtii* tunc maximè florentis.

& Ultrajecti,

A. 1636. Peſte graſſante expulſus, *Leydam* rediit, ubi remanſit ad annum ſeq. quo morte Patris extractus *Harlemum* repetivit, ut juſta perſolveret Patri, & viduitatem matris ſolaretur. Ibi per annum habitans acriter ſtudia ſua proſecutus eſt, Academiam in ſuo inveniens Muſæo, & Doctores mutos in ſuâ Bibliothecâ.

& Harlemi.

24. April. A. 1638. ſiſtit ſe examini, ut vocant, præparatorio, & Proponens factus. A. 1639. *Coloniam Agrippinam* vocatus, *Amſtelodami* peremptoriè examinatus & confirmatus in S. Miniſterio remanſit ibi usque ad A. C. 1643, omniaque pii Paſtoris officia diligenter explevit, magno Eccleſiæ afflictæ gaudio. Ibi multa pro Chriſto paſſus eſt pericula & perſecutiones, ſæpè detectus, & ad vincula quæſitus, nunquàm tamen captus.

Miniſter Eccleſ. Colon.

Cum verò diutiùs latere non poſſet, & Eccleſiæ *Colon.* periculum immineret, lampada tradidit alii, & *Harlemum* ad ſuos rediit poſtquàm *Colonienſi* Eccleſiæ 4. annis cum dimidio fideliter inſerviiſſet.

21. Dec. A. 1643. *Trajecti* ad Rhenum renuntiatus ſolenniter Theologiæ Doctor, anno ſeq. 1644. vocatus eſt ad Eccleſiam *Trajectinam ad Moſam*, 3. Martii ad pagum *Graft* dictum in *Hollandiâ Boreali*, 15. Maji ad Profeſſionem Theologicam in ſcholâ *Harderwicenâ*: ſed deſtinabatur ei ſtatio illuſtrior: vocatus enim paulò pòſt à Magiſtratu Reip. *Trajectinæ* ad *Rhenum* ad Profeſſionem Theologicam morte *Cl. Scotani* vacuam, libens eam acceptavit, & 4. Julii *Trajectum* ſe contulit.

Theol. Doctor.

Theol. Profeſſor Ultrajecti.

27. Julii A. 1645. Eccleſiæ *Trajectinæ* Presbyter electus eſt, & vix elapſo trimeſtri 25. Oct. Paſtor ordinarius creatus. Aſſiduus tunc erat in docendo, concionando, legendo, diſputando, præſidendo, catechiſationibus habendis, & ægris viſitandis. His artibus gratiam Magiſtratus ſui adeò meruit, ut is proprio motu non petentem liberaverit dimidiâ parte oneris Paſtoralis, ſervato tamen integro honore & honorario.

Paſtor Eccleſiæ.

Onere Paſtorali ſublevatus.

Ita per multos annos occupatus vitæ ſociam quæſivit, & invenit virginem *Annam*, *Iſaaci Bernardi*, mercatoris *Amſterodamenſis* filiam, qui & Eccleſiæ ibidem *Gallo-Belgicæ* multos annos ſenior fuerat.

Uxorem duxit.

30. Aug. A. 1653. Illuſtres Academiæ *Leydenſis* Proceres commendatum ab omnibus bonis, & ab ipſo *Cl. Triglandio* moribundo ad Profeſſionem Theologicam vocârunt eum, & munus adjunxerunt Paſtoris in Eccleſiâ *Belgicâ* ad ſublevandam ſenectutem *Cl. Heydani*. 24. Maji anni ſeq. confirmatus eſt in ſacro munere ipſo Pentecoſtes die, 9. verò Junii Inauguralem Orationem habuit in Academiâ.

Theol. Profeſſor Leydenſis. Paſtor Eccleſ. Belg.

Tunc concionabatur in Templo, legebat in Academiâ, præſidebat in Conſiſtorio, catechiſationes inſtituebat in choro, Collegia habebat in domo, ſcribebat in muſæo, ſæpè in lecto, ægros etiam peſtiferos viſitabat.

Tot laboribus fractum corpus, podagrâ & calculo multis annis afflictum ſuccubuit tandem, & fruſtrà ferente auxilium *Franciſco Sylvio*, Medicorum *Lugdunenſium* facilè principe, viribus non tàm proſtratis quàm amiſſis, poſtquàm uxori & liberis maturè valedixiſſet, & tribus ultimis diebus ab omni dolore liber fuiſſet, piè & placidè vitam mortalem cum æternâ commutavit, & ad vitæ auctorem migravit A. C. 1666. ætatis 58.

Obiit.

Corpus habuit magnum, ſecundùm omnes dimenſiones rectè proportionatum; ſtaturam egregiam & erectam, vultum ad gravitatem compoſitum, faciem pulchram & egregiè coloratam, temperamentum naturale juſtum, geſtûs comptos, vocem ſonoram, eloquium ornatum, viſum & auditum acutum, ingenium promptum, judicium ſolidum, & memoriam firmam.

Proſopographia.

Linguas novit, *Latinam*, *Græcam*, *Hebraicam*, *Chaldaicam*, *Syriacam*, *Rabinicam*, *Belgicam*, *Germanicam*, *Anglicam*, *Gallicam*, *Italicam*: *Arabicæ* & *Hiſpanicæ* rudimenta attigit. *Philoſophiam* tenuit, quantùm Theologo opus eſt, *Jurisprudentiam* deguſtavit, *Medicinam* infelici experientiâ didicit ob morbos frequentes: *Hiſtoriam*, ſacram præſertim, multum excoluit, & ad Theologiam mirè applicuit, *Oratoriam* perſpectam habuit, in *Theologiâ* verò principatum obtinuit.

11. Linguar. peritus.

Liberos reliquit tres, duos filios, *Iſaacum*, & *Henricum Æmilium*, & unam filiam, *Annam* nomine, omnes magnæ ſpei. Libros animi liberos ſcripſit plurimos, *Exegeticos*, *Didaſcalicos*, *Polemicos*, *Practicos*, & *Hiſtoricos*.

Liberi ejus.

Ab eo edita ſunt ſcripta ſequentia:

Scripta.

Summa Controverſiarum Religionis Tom. II.

De *Converſione Indorum & Gentilium. (Opus poſthumum.)*

Apologia pro Eccleſiâ Chriſtianâ.

De convincendis & convertendis Judæis.

De Bullâ Urbani VIII.

Examen Bullæ Papalis Innocentii X.

Epiſtolæ duæ ad C. H. in quibus Liber VII. & VIII. Summæ Controverſiarum diſceptatur, contra Hoornbeck.

De Præcepto Decalogi IV.

 Epi-

Epiſtola ad Duræum, cum declaratione Fidei Independentium.

De Independentiſmo.

Uſſerius de Epiſcopatu.

Socinianiſmus confutatus.

Inſtitutiones Theologicæ.

De modo conſcribendæ Hiſtoriæ Reformationis.

* *Ex vitâ Joh. Hoornbeckii ab amico editâ.*

Obiit A.C. 1666.

DANIEL HEINRICI.

CHemnitii, Urbe *Miſniæ*, in hanc lucem editus 5. April. A.C. 1615, Patrem habuit *Matthæum Henrici*, Reip. Oppidanæ Senatorem, Frumentorum Præfectum, & Mercatorem, *Chriſtophori Henrici*, Mercatoris filium, qui *Chemnitii* obiit 15. Januar. A. 1645. Mater ei fuit *Anna*, *Georgii Wildeckii* filia.

Mittitur Chemnitium in ſcholam.

Hi parentes filium hunc unicum maturè ludi *Chemnitienſis* partem eſſe voluerunt, in quo ſub diſciplinâ præſertim Rectoris illius Scholæ per 20. annos Dom. *Adami Andreæ* fundamenta ſtudiorum laudabilia usque ad annum æt. 15. tunc jecit.

in Scholam Portenſem.

Egreſſum ex ephebis A. 1630. in ſcholam Provincialem *Portenſem*, ut per hunc aditum ad adyta ſolidioris eruditionis faciliùs penetraret, poſt feſtum *Michaëlis* miſerunt.

In hoc illuſtri Gymnaſio per biennium permanſit, & eruditioni domi partæ luculenter ſuperſtruxit, manſurus diutiùs, niſi cum adverſâ valetudine fuiſſet colluctatus, quæ domum repetere coëgit.

Wittenbergam venit.

Sub initium A. 1633. Academiam *Wittenbergenſem* acceſſit, domeſticus primùm & convictor D. *Jacobi Welleri* Theologi celebris, deindè D. *Dan. Sennerti* Med. Prof. factus, in Philoſophicis verò manuductionem ſecutus D. *Mart. Caſelii* facult. Philoſophicæ tunc temporis Adjuncti, ſub cujus præſidio etiam *Diſputationem* publicam *Ethicam* de *Virtutibus intellectualibus* habuit, D. *Johannis Scharfii* Log. & Metaphyſ. Prof. M. *Johannis Sperlingii* Phyſ. Prof. In ſtudio Philologico, & quidem *Hebræo*, *Chaldaico*, ac *Syriaco* fuit auditor ſedulus prædicti D. *Welleri*, ſub cujus etiam præſidio *Diſputationem* publ. *de Angelis* proprio Marte conſcriptam cum laude habuit, nec non *Martini Troſtii*, qui Veteris Teſtamenti Codicem notis doctiſſimis tunc illuſtravit.

Lipſiam venit.

Poſtquàm verò febri *Wittenbergæ* infeſtaretur, de conſilio D. D. *Sennerti* locum relinquens, aërem mutavit, & Muſas *Lipſienſes* A. 1635, præcipitanter ſalutavit, hoſpitio D. *Joh. Höpneri*, Superintendentis, menſâ D. *Andreæ Baueri*, Theol. Prof. & informatione D. *Henrici Hopfneri* Theol. *Bergii* de S. Cœnâ opinionem in Collegio privato tunc diſcutientis uſus.

Wittenbergam rediit.

Vere primo A. 1636. *Wittenbergam* reverſus, *Diſputationibus duabus*, quibus hederam ſtudiis ſuis præfixit, *unâ de Mundo*, ſub præſidio D. *Scharfii*, *alterâ de 4. Quæſtionibus Hebraicis* ſub præſidio D. *Troſtii* habitâ, præmiſſis, ſummis in Philoſophiâ honoribus fuit condecoratus.

Philoſ. Magiſter.

Jenam accedit.

Poſt nundinas vernas *Salanam* adiit, telam ſtudii Theologici ibidem orſurus, ubi ad pedes D. *Joh. Gerhardi*, D. *Joh. Majoris*, & D. *Johannis Himmelii*, Trigæ Charitum, ſedit, eosque in ſtudio ſacro brevi fecit progreſſus, ut ſub magnis hiſce Daduchis ſingulis, & quidem D. *Gerhardo diſputationem ſuper cap. I. Epiſtolæ ad Rom.* ſub D. *Majore*, ſuper dictum, *Hæc eſt vita æterna*, cap. 17. *Joh.* ſub D. *Himmelio de S. Cœnâ*, *Baptiſmo*, *Prædeſtinatione*, *rebusque Adiaphoris contra Bergium* placidè conferentium examini cum applauſu ſubjecerit.

Poſt mortem D. *Gerhardi* ſucceſſori ejus D. *Salomoni Glaſſio* adhæſit, cui etiam autor fuit, ut *Epiſtolas ad Rom.* & *ad Corinthios* diſputando enuclearet.

Sub hoc Theologo, cum *Pſalm.* 110. Diſputatoriæ incudi ſubjiceret, Reſpondentis quoque vices in Diſp. tertiâ laudabiliter ſuſtinuit.

Collegia Theol. privata habet.

Profluxit indè ad eam nominis famam, ut qui Collegiis Theologicis privatis ſtudia juventutis ipſe proveheret, dignus à Præceptoribus haberetur. *Compendium* itaque *Theologicum* D. *Leonharti Hutteri* ſtudii hujus incunabula complexum diſcipulis elucidavit, & *Pſalmos* quosdam *Davidicos* analyſi Grammat. Hebr. iisdem explicuit: Hæc ſicco, quod ajunt, ſocco *Scholæ* ipſius *Philologicæ* Diſputationibus tribus incluſæ & typis impreſſæ ſunt prætereundæ.

Quò verò fructûs radicis amaræ deguſtaret, monitoribus D. *Glaſſio* & D. *Himmelio*, Licentiam aſſumendi Doctorales honores modeſtè petiit: qui conatus Dnn. Theologis *Jenenſibus* ita placuit, ut ad examen & Lectionem curſoriam, in quâ *Pſalm.* 126. enodavit, valvas ipſi bipatentes aperirent.

Diſputationem inauguralem ſub Muſagetâ D. *Glaſſio*, ex *articulo* 1. *abuſuum Auguſt. Confeſſionis de Communione ſub utrâque ſpecie* contra *Thomam Henrici*, Scriptorem Pontificium 12. Sept. A. 1639. ætatis 24. habuit.

A. 1640. Iterum *Lipſiæ* commoratus, cum Facultatis Theol. conſenſu ex dicto *Apocal. cap. I. v. 8. Ego ſum A. & O.* Præſidis nomine publicè diſputavit.

Doctor. Theol. Jenæ.

6. deindè Julii A. 1641. *Jenæ* Doctoralis honoris apicem ſibi paſſus imponi: ſuaſu poſteà patroni ſui ſummi D. *Matthiæ Hoë*, Concionatoris in aulâ Elect. *Sax. Dresdam* ſe contulit, & Concionibus aliquot habitis ſcriptisque editis favorem ſibi Conſiſtorii Electoralis ita conciliavit, ut Superintendentis alicui muneri deſtinaretur.

Lipſiæ Profeſſor Theol. & Ephorus Alumn. Elect.

Cum verò A. 1642. D. *Henricus Höpfnerus Lipſiæ* mortalitatem ſuam expleviſſet, ſingulari gratiâ Sereniſſ. Electoris in Profeſſione Theologicâ, & alumnorum Electoralium Ephoriâ factus ei fuit ſucceſſor. Quamvis autem propter obſidionem Urbis *Lipſiæ Suecicam* initium Prælectionum ſuarum differre coactus fuerit, tarditas tamen bonitate fuit compenſata. Nam A. 1644. ſedatis belli

belli tumultibus, 21. Nov. *Diſputationem de Termino vitæ humanæ* pro Loco in Facultate Theologicâ, & 25. Nov. poſt receptionem ſuam *Orationem de Principio S. Theologiæ* habuit.

Theol. Profeſſor Lipſ. A. 1645. Poſt diſceſſum D. *Ananiæ Weberi* ſparta Profeſſionis tertiæ, cui Canonicatus *Zizenſis* eſt annexus, ipſi ornanda demandabatur. Ubi ſilentio non involvendum, quod poſt intervallum 30. ferè annor. lite compoſitâ, primus fuerit, qui ſtallum in Choro, & locum in Capitulo *Zizenſi*, majorum negligentiâ perditum, rurſus obtinuerit.

Eodem anno 1645. Mortuo D. *Johanni Höpfnero* ſuccedens, locum in Capitulo *Miſnenſi*, & Collegio Decemvirali ſuffragiis 4. Nationum obtinuit.

Superint. Lipſ. A. 1657. Poſt beatam analyſin D. *Chriſtiani Langii* Superintendentis munus, Snioratus Nationis *Miſnicæ*, & Profeſſio ſecunda, A. 1658. poſt mortem D. *Abrahami Telleri* Aſſeſſoris locus in Conſiſtorio *Lipſienſi*, & A. 1659. ſtatione migrante D. *Joh. Hülſemanno* Profeſſio in Academiâ prima ad ipſum ordine fuêre devoluta.

Coronidem his omnibus, honor peculiaris Decanatûs in Eccleſiâ Cathedrali *Miſnenſi* ſuperimpoſuit.

A. 1651. Ad Rectoratum Academiæ *Lipſ.* per hybernum ſemeſtre fuit admotus. Ab A. 1647. Facultatis ſuæ Decanatum ſepties, & in Collationibus Graduum Theologicorum Procancellarii, Promotoris, vel Compromotoris officium aliquoties executus eſt.

20. Nov. A. 1642. Conjugem per ſponſalia legitima ſibi junctam obtinuit *Euphroſynam Eliſabetham, D. Ægidii Strauchii* Theol. & Superint. *Dresdenſis* filiam, tunc viduam D. *Davidis Fabri* Med. Electoralis, quæ in partu filiolæ mortuæ M. Sept. A. ſeq. extincta fuit.

Conjugium init bis. 27. Jan. 1646. Ad ſecunda vota tranſiens, *Dresdæ* ſibi deſponſavit *Catharinam Dorotheam, Johannis Findekelleri* Senatoris & Mercatoris filiam, & D. *Ægidii Strauchii* junioris Med. Doctoris & Practici *Dresdenſis* relictam viduam, quod conjugium tribus maſculini ſexûs amoris conjugalis pignoribus fuit ſuffultum: Ex quibus tamen primus *Joh. Matthæus*, & ultimus *Chriſtianus Ludovicus* Parentem obitu ſuo anteverterunt, ſed intermedius *Daniel Ægidius* ſtudiis innutritus præclaram de ſeſe ſpem exhibuit.

Morbi ejus. Tandem cum ab A. 1657. deſtillationibus ſalſuginoſis frequenter fuiſſet infeſtatus, factum, ut ex iiſdem oculus dexter læſus viſum amiſerit, derivatus tamen à capite ſalſus humor in extremitates membrorum morbum articularem procreavit, cum quo per intervalla ſæpiùs conflixit.

Hic inſultus circa initium A. 1666. repetiit, ita ut regreſſus ad membra interiora & nobiliora majore diſcrimine quàm unquàm anteà conjunctus videretur.

Ad beatam itaque è corporis domicilio emigrationem ſe totum paravit, quam obtinuit corporis diſſolutus vinculis, & in portum tranquillitatis æternæ translatus 15. Martii A. C. 1666. ætatis 51. *Mors.*

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta. *Tractat. de Inſpiratione Verborum S. Scripturæ.*

Die Lehre vom Leyden Chriſti.

Schola Philologica Diſputationibus tribus incluſa.

Diſputationes Chriſtologicæ, de Myſterio Oeconomiæ,

de Termino vitæ humanæ,

de Regeneratione,

de Chriſtiano,

in Concilium Tridentinum,

in Articulos Viſitationis.

Ex Programm. fun. Rect. Lipſ.

& ex Concione fun. D. Samuel. Langii Superintend.

ANDREAS FROMMANN.

Obiit A. C. 1666.

INter Theologos & Philoſophos non ultimo loco fuit M. ANDREAS FROMMANN, Illuſtr. Athenæi, quod *Coburgi* floret, ad annum usque quinquageſimum Profeſſor & Director longè meritiſſimus, cujus vagitus primos excepit *Franconiæ* ocellus, *Coburgum*, præcipitantis ſeculi ſuperioris anno 92. propridie Iduum Auguſti.

Parentibus ortum debet honeſtis, & Patri quidem CHRISTOPHORO FROMMANN, Civi, ac Illuſtriſs. ejus loci Curiæ per annos bene multos Miniſtro, Matri AGATHÆ, *Martini* **Schobers** / *Græventhalenſium* Chirurgi filiæ.

Ad ſtudia autem cùm à ſcholæ Præceptoribus, & Gymnaſii Profeſſoribus deprehenderetur εὐφυέστατος, in celeberrimâ *Salanâ* tantos in Philoſophiâ & Theologiâ fecit progreſſus, ut poſt adeptum in Philoſophiâ gradum ſummum anno 1616. ad Logices Profeſſionem, convictoriique Inſpectionem legitimè in Gymn. *Cob.* vocatus fuerit. *Logices Profeſſor Coburgi.*

Anno 1633. Dn. *Joh. Matth. Meyfarto*, SS. Theol. Doct. & Gymn. Directori t. t. ad profeſſionem Theologiæ & Paſtoratum primarium in perantiquâ *Gerâ* abeunti, in ſpartâ Directoris præviâ legitimâ vocatione ſuffectus eſt, quam eandem laudabiliter ornavit, tum perſpicuè docendo, tum accuratè diſputando, graviterque ſæpè perorando, & ſeverè delinquentes multando. *Gymnaſii Director.*

Ejus *Diſputationum* & *Philoſophicarum* & *Theologicarum* ultra *nonaginta* cum innumeris iisque doctiſſimis *Programmatibus* paſſim adhuc exſtant. *Scripta.*

Fidem conjugalem dedit ANNÆ, Dn. *Nicolai* **Rebhans** / Eccleſiæ *Iſenacenſis* Paſtoris & Superintendentis Generalis filiæ; Nec ἄκαρπος ejus manſit torus, ſiquidem quinque liberorum in eo factus fuit Parens, è quibus adhuc in vivis h. t. ſunt Dn. *Joh. Philippus*, Reip. *Onolſbac.* Archigrammateus, Dn. *Joh. Chriſtianus*, Medic. Doctor, & Sereniſſimi Ducis *Sax.* ALBERTI Archiater, & Medicus *Conjugium* *Liberi.*

dicus Provincialis, Gymnaſiique Profeſſor Publ. Dn. *Joh. Andreas*, J.U.D. in Academ. *Tubingenſi* Inſtitut. Imperial. Prof. Publ. & M. *Joh. Fridericus*, Eccleſiæ *Rodachenſis* Diaconus.

Moritur. Suâ in vitæ periodo abſolvit annos 73. cum menſibus ſeptem, dieque unâ, placidè in Domino obdormiens 26. Mart. A. 1666. Cœterùm tanta ipſi fuit εὐκρασία ſanguinis, ut ferè per totum vitæ curſum nullo infeſtatus fuerit morbo, veluti & nullâ unquàm venæ ſectione aut ſcarificatione uſus dicitur.

Obiit A.C. 1666.

HENRICUS FREISLEBEN.

Parentes ejus. Natus eſt *Altenburgi* 5. Jan. A. C. 1628. Patre M. *Jacobo Freisleben*, Concionatore *Altenburgi* primario, & Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſore: Matre *Eliſabethâ*, *Henrici Eckardi*, Theol. Doct. & Prof. *Gieſſenſis*, tandemque Generalis Superintendentis *Altenburgici* filiâ.

Puer in patriâ Præceptores nactus M. *Hempelium* Conrectorem, & *Tobiam Seifartum* Rectorem, cujus inſtitutione privatâ 4. annos gaviſus, cum ille A. 1643. *Coburgum* ad Superintendentis gener. munus diſceſſiſſet, *Gymnaſium Coburg. accedit.* ſecutus eundem in Gymnaſio *Coburgenſi*, Profeſſores Philoſophiam docentes diligenter audivit, imprimis *Johannem Spindlerum*, ſub cujus præſidio A. 1647. *Diſputationem Logicam de Enuntiatione Exponibili* publicè habuit.

A. 1648. Poſtquàm Carminicè Gymnaſio *Coburg.* valedixiſſet, *Lipſiam* ſe contulit, ubi eodem anno *de Metallis* publicè *diſputavit*, & à *L. Rappolto* Facult. Philoſ. Decano Baccalaureus creatus, & 25. Jan. A. 1649. cum 17. Competitoribus Magiſterii gradum adeptus, *Magiſter Lipſiæ.* paulò pòſt Diſputationem conſuetam pro loco inter Magiſtros præſidendo habuit.

Abindè ſtudio Theologico totum ſe dedit, & A. 1651. *Diſput.* Theologicam *de Libertate Chriſtianâ*, quam ipſe elaboravit, ſub Præſidio D. *Hülſemanni*, & Anno ſeq. aliam ſub D. *Henrici*, tunc Rectore Magnifico, cum laude defendit.

A. 1652. *Altenburgum* vocatus, M. *Jacobo Claudero*, Archidiacono ſuſceptori ſuo, Vicarii nomine, fuit adjunctus. A. 1653. *Jenam* profectus, Gradum ibi Doctoris à Collegio Theologico petiit, quem tamen ob certas tunc cauſas dilatum non impetravit.

Archidiaconus Altenburg. 14. April. M. *Jacobo Claudero Altenburgi* vitâ defuncto, munus Archidiaconi plenarium nactus, & paulò pòſt ſub D. *Martino Caſelio* Diſputationem ſecundam Pneumatologicam in Synodo conſuetâ cum laude ſuſtinuit.

Superint. Orlamundæ. A. 1656. Superintendens *Orlamundæ* factus, ibidem 29. Sept. in Templo S. Archangelo *Michaëli* ſacro primam Concionem habuit. *Doctor. Theol. Jenæ.* 14. Jan. A. ſeq. 1657. In Univerſ. *Jenenſi* Gradum Doctoris Theolog. adeptus eſt.

Deſponſatus Lipſiæ. M. Febr. A. 1653. *Lipſiæ* deſponſatus eſt cum virgine *Annâ Roſinâ*, M. *Friderici Leibnutzii*, Philoſ. Pract. Profeſſoris Publ. filiâ, ex quâ 4. filios cum filiâ ſuperſtites reliquit.

Coadjutor Brunſvicenſis deſtinatur. Sub finem Anni 1665. Coadjutor deſideratus ab Urbe *Brunſvicenſi*, cum jam à Principe ſuo dimiſſionem clementer obtinuiſſet, & itineri ſe accinxiſſet, doloribus intereà calculi correptus, cum febri & catarrhis ſuffocativis frequenter invadentibus ad iter cœleſte ſe totum præparans, poſtquàm uxori liberiſque valedixiſſet, *Moritur.* morte beatâ defunctus obiit 26. Martii A. C. 1666. ætatis 38.

* *Ex Concione fun. M. Simon. Trandorfii Paſt. in Cahlâ.*

Obiit A.C. 1666.

JOHANNES ANDREAS PICCARTUS.

Lucem vitalem aſpexit 11. Junii A. C. 1620. *Zeulitzhemii* in pago *Suinfurti* vicino, tunc ad nobiles *Fuchſios* de *Bimbach* ſpectante, à quorum adminiſtratore *Joh. Andreâ Linckio*, *Norimbergenſi*, mox è S. Baptiſmi fonte ſuſceptus eſt.

Parentes ejus. Patrem nactus eſt *Jacobum Piccartum*, Præfectum Prædiorum *Herbipolenſium Rimpach* & *Halburg*, ſed qui A. 1631. cum *Guſtavus Adolphus* victricia in *Germaniâ* circumferret arma, *Suinfurtum* commigravit, ibiq; tertio pòſt anno in Senatûs ordinem allectus eſt.

Matrem habuit *Barbaram Hubneram*, *Regiomontio*, *Franciæ orient.* oppido, oriundam. *Avi Paſtores.* Uterque avus ejus ſacris deditus fuit, Paternus quidem *Jacobus Piccartus* Paſtor Evangelicus in Alberedorff & Burgpreppach/ ditionis nob. *Fuchſiorum*, per quem ſanguine attigit *Michaëlem Piccartum*, Profeſſorem *Altorfinum*, Maternus verò M. *Nicolaus Hubnerus*, *Jenenſis*, Paſtor fuit Eccleſiæ *Rughimenſis*.

Initia pietatis & literarum ſumſit in arce *Rimpacenſi*, tàm ſub manu Parentis, quàm ſub inſtitutione M. *Nicolai Polichii*, tunc temporis ibidem Concionatoris, poſteà verò Paſtoris *Niderwehrnenſis*, donec Patre *Suinfurti* lares figente, *In ſcholâ Suinfurtenſi ſtudia orditur.* publicâ ſcholæ illius oppidi informatione uti cœpit: cumque initio in Claſſem penultimam ſeu quintam eſſet collocatus, factum eſt poſt paucos dies, ut *Schweichoferus* quartæ Claſſis moderator, animadverſâ ejus indole, & exploratis profectibus adderet: *Hîc non eras locandus, alius tibi locus debetur, collige libros & ſequere me*; atque ita in quartam traduceret. Hâc improviſâ promotione non exiguum ſtimulum & ardorem diſcendi ſibi injectum fuiſſe poſteà faſſus eſt, quem non multò pòſt auxit D. *Andreas Koslerus*, tunc Superintendens *Suinfurtenſis*, qui cum de ejus indole audiret, in examine publico ex omni condiſcipulorum cœtu eum ad ſe evocatum exploravit, inquirendo inter alia, quomodo in Genitivo haberent voculæ iter, jecur, ſupellex? & cum ad omnia expeditè reſpondiſſet,

diſſet, publicè collaudatum ad locum ſuum redire juſſit.

A. 1637. Tranſlatus eſt in Gymnaſium, cum reliquas Claſſes quaſi pervolâſſet: & vix elapſis duobus menſibus, unà cum *Jacobo* fratre majore, qui paulò pôſt deceſſit, cathedram auſus conſcendere, de eâdem materiâ, quam frater Latinâ linguâ tractabat, *ſermone Græco peroravit*: cui orationi Pater ejus ſummo cum gaudio auditor interfuit, ſed antequàm abiret menſis 11. Febr. A. 1638. mortalem hanc vitam depoſuit.

Græcè perorat.

Mater, etſi vidua deſtituta, ſtudia tamen filiorum *Wolffgangi Jacobi*, hujusque *Joh. Andreæ* promovere non deſtitit: & ille quidem poſteà J.U. Doctor, & Urbis *Spirenſis* Advocatus factus eſt; Hic de ardore ſuo nihil remiſit, vixque menſis abivit, quin publicum ſpecimen diligentiæ præberet: cumque jam tunc profundiora & abſtruſiora in diſputationibus publicis proferret, quàm quæ à tali ætate expectari poſſent, *B. Bargerus* ipſi aliquando ſibi ad cathedram adſtanti dixit: *Tu aliquando magnus eris futurus*; & verſibus ejus ſubſcripſit non ſine omine:

Magnus eris, me major eris, Piccarte polite.

A. 1641. 2. April. poſtquàm Gymnaſio *Suinfurt.* carmine heroico valedixiſſet, *Altorfium* adivit, ſed ob annonæ caritatem mox indè diſcedens, per *Palatinatum ſuper.* & *Bavariam* ad *Helveticos* fines *Conſtantiam* usque excurrit, indè poſt ſpectatam uſtrinam *Huſſi*, ſecundo *Rheno* devectus *Briſacum*, innotuit *Paulo Morsheuſero, Suinfurtenſi*, tum temporis *Suecici exercitûs* generali metationum Præfecto, à cujus munificentiâ ferè ad biennium liberale ſtudiorum ſubſidium, quod ſummam 100. florenor. facilè adæquavit, obtinuit.

Carminicè valedicit Gymnaſio Suinfurt.

Mæcenatem adipiſcitur.

Argentinam itaque delatus, ſtudia ſua feliciter proſecutus eſt, Philoſophica quidem ſub M. *Groſſio*, M. *Schneubero*, *Eberhardo Welpero*, eo cum ſucceſſu, ut anno vertente *Diſputationem de Materiâ primâ* ſuo Marte elaboratam publicè ſub *Valentino Eſpichio* defenderit, & cum biennium ibi exegiſſet, 6. April. A. 1643. cum laude ſummo in Philoſophiâ Magiſterii gradu, D. *Jacobo Schallero* Decano honores conferente, ornatus fuerit.

Argentoratum migrat.

Magiſter Philoſ.

Philoſophicis ſtudiis Theologica non minori ſucceſſu conjunxit, docentes audiens *Schmidium*, *Dorſcheum*, & *Dannhauerum*, quorum favorem ita ſibi conciliavit, ut cum *Nicolaus Junta*, Reip. illius Archigrammateus, fidelem filiis ſuis Inſpectorem deſideraret, hunc ipſi præ cœteris commendandum ducerent.

Theol. ſtudia incipit.

Præceptor privatus.

Quâ conditione cum inſigni ſtudiorum ſuorum emolumento uſus eſt usque ad A. 1646. quo domum matris literis revocatus circa Paſcha rediit. Ibi cum concionibus aliquot eruditionem ſuam manifeſtâſſet, ne deſes tempus tereret, ſuadente & opitulante M. *Johanne Kufnero*, Eccleſiæ tunc *Suinfurt.* Superintendente, M. *Julio Jenam* ſe contulit, ubi convictu M. *Danielis Stablii* uſus, brevi doctis innotuit, quos inter *Joh. Muſæum* & *Gotfridum Cundiſium* cum conſortio ſuo in viſendis fontibus *Hornhuſanis* tunc noviter exortis, & ad miraculum usque deprædicatis dignum duxerunt.

Jenam accedit.

Undè *Jenam* redux *de concurſu cauſæ principis* materiâ intricatiſſimâ, quam ipſe *Stablius* formidabat, *diſputationem* conſcripſit, & conſenſu Facult. Philoſophicæ 8. Octob. die publicè præſidendo defendit.

Intereà defuncto *Joh. Caſp. Cremero*, Eccleſiæ in patriâ Diacono, à Senatu in locum ejus ex medio ſtudiorum curſu revocatus, 1. Nov. ordinatione publicâ pro more inauguratus, ſimul in Gymnaſio demandatam ſibi Profeſſionem Hiſtoriarum ſuſcepit.

Suinfurt. Eccleſiæ Diaconus

Profeſſor Hiſtor.

Defuncto paulò pôſt Dn. *Benedicto Schröckelio*, Archidiacono, tertium in miniſterio locum obtinuit, & renuntiante *Kufnero* Profeſſioni Theologicæ in Gymnaſio eandem ſibi deferri paſſus, ultra 8. annum eâ fideliſſimè functus eſt.

Archidiaconus & Profeſſor Theol.

Inter hæc ſolicitante D. *Dorſchéo*, qui ad Profeſſionem in Academiâ *Roſtochienſi Argentorato* evocatus, ante diſceſſum ſuum eum promotum cupiebat, A. 1653. rediit *Argentoratum*, & pro licentiâ conſequendi ſummum in Theologiâ gradum *de Gratiâ juſtificâ* diſputavit, pro Lectione Curſoriâ verò *Theophaniam ad Jordanem* ſibi ſelegit, quam poſteà accuratiùs elaboratam aliquot Diſputationibus in Gymnaſio publici juris fecit: Titulum tamen Doctoris aſſumere ob cauſas ſibi notas detrectavit.

Argent. diſputat pro gradu Doctorali.

A. 1654. cum *Joh. Kufnerus Suinfurto Curiam Variſcorum* ad Superintendentiam illarum Eccleſiarum vocaretur, in ejus locum ſubrogatus, officio huic arduo usque ad vitæ exitum ſummâ cum laude præfuit.

Superint. Suinfurt.

A. 1658. Defuncto D. *Salomone Glaſſio*, Superintendente *Gothano*, vocatus eſt in hujus locum ab *Erneſto Sax.* Duce, per ejus Conſiliarium Vitum *Ludovicum à Seckendorff*. Sed cum Senatus ei denuntiari curâſſet, nullo modo ſe poſſe in diſceſſum ejus conſentire, quòd ſi verò omninò ipſi diſcedere ſit certum, ſe omnes gemitûs & lachrymas auditorum ob ejus diſceſſum orituras ei imputaturum, ad hanc vocem conſternatus in munere ſuo perſtitit.

A. 1647. 11. Maji fidem matrimonialem dedit *Urſulæ Sariæ*, *Jonæ Wehneri*, Prætoris Imperialis *Suinfurtenſis* relictæ viduæ, quâ ſterili fato ereptâ, ad vota ſecunda tranſiit 11. Sept. A. 1649. cum virgine *Mariâ Magdalenâ*, *Friderici Schwartzii*, Mercatoris *Norimbergenſis*, relictâ filiâ, ex quâ 9. liberorum factus pater, filiolum tantùm *Georg. Chriſtophorum*, & filiam *Mariam Suſannam* reliquit ſuperſtites. Alterum filium *Joh. Fridericum*, puerum magnæ ſpei, A. C. 1661. ætatis 7. amiſit, quem mater eodem anno ſecuta eſt.

Deſponſatur ter.

A. 1663. tertium conjugium iniit cum *Magdalenâ Engelinâ*, *Joh. Sebaſt. Hartlaubii* Juriſperiti viduâ, quam ſine liberis reliquit viduam.

A. 1664. Cum M. *Chriſtoph. Schmidio* Diacono in campo patenti deambulans, inter alios ſermones de vitæ humanæ brevitate, *Et nos, inquit, tanget ſeries: Amicitiam, quam hactenus ſincerè coluimus, etiam poſt fata ſanctam habebimus, eique inter alia hæc Lex dicta eſto: uter noſtrûm alteri ſuperſtes fuerit, defuncto è Cathedrâ Gymnaſticâ oratione parentali ſupremum officium præſtet. En tibi dextram fidei pignus, me ſi caſus tulerit, non defuturum, eadem ſpondeas velim.*

Ultra bimeſtre tandem gravibus excruciatus torminibus, & ſplenis punctionibus, accedentibus convulſionibus cum paralyſi placidè ſpiritum DEO reddidit feriâ tertiâ Paſchali 17. Aprilis A. C. 1666. ætatis 46.

Moritur.

* *Ex Oratione Parentali M. Chriſtoph. Schmidii, Eccleſ. Suinfurt. Diaconi.*

Et ex Concione funebri M. Caſp. Heuniſchii Archidiaconi.

Paucis ante obitum diebus hanc Epiſtolam miſit *Norimbergam* Dom. *Joh. Michaëli Dilberro,* ad S. *Sebald.* Concionatori & Prof. Publ.

Ejus literæ ad Dilberrum.

Ita ſuos quisque patimur manes: ſuum quem cuique ſors deſtinat adverſarium. De Momo calumniis impugnante conqueritur ſummè Rev. Magnif. V. Ego de atrociſſimo morbo, quo cum hactenus ultra 23. ſeptimanas conflictatus ſum miſerrimè, ac etiamnum conflictor. Ille ſolâ innocentiâ teſtatiſſimâq; vitæ ac doctrinæ ſerenitate rectè eluditur: Hic verò ne brevi vitam mihi elidat vereor. Certè ſi à potentiâ Divinâ abeo, & rem cum amiſſis viribus meis rectè reputo, actum jam eſt de eâ & conclamatum. Quin etiam audeo ſummè Rev. Magnif. V. extremum dicere Vale, & quanto poſſum opere rogare, ut mei etiam poſt fata bene meminiſſe velit, & amorem ipsâ morte fortiorem eſſe jubeat &c. Ego ſub Advocato meo Domino JESU ad magnam illam contendo panegyrim. Valeat terra, in quâ ſtadium; Salveat cœlum, in quo brabéum: Tuque bellator Domini in terris eximie, Vale pancraticè, & in cœlis mihi ſalve triumphator glorioſiſſime!

Summè Rev. Magnificentiam Veſtram infucato ſemper animo & filii affectu veneratus
Joh. Andreas Piccartus.

Epiſtola valedictoria fratri ejus Dom. *Wolffg. Jacobo Piccarto,* Jur. D. & Reip. *Spirenſis* Syndico, poſt obitum ejus *Spiræ* tradita.

Valedictoria ad Fratrem.

Wolffg. Jacobe, meum in terris deſiderium, delicium, corculum. Te videre, præſentem amplecti, colloquia tecum ſummo manè ordiri, & in ſeram noctem trahere, in ſinum tuum ea effundere, quæ maximi momenti ſunt, ſemper hactenus ab annis verè multis, ut pernoſti, inter votorum meorum faſtigia fuit. Hodiè ſpes decollat te videndi in regione mortalium. Ego enim febri, ut me docet Medicus Dn. D. Joh. Mich. Fehr, triduanâ cholericâ, ita eam vocat, correptus & exuſtus marceſco, mortisque imperium ſubeo. Ita vult ſummus ille Imperator, DEUS, Dominus vitæ meæ & necis, quem malus miles ſit qui gemens ſequatur. De me ſalva res eſt, Mors mihi lucrum, Chriſtus vita. De Filiæ, Filiolique, quin & uxoris vitâ ac proſperitate ludunt fata hæc &c.

Ego cœlum καὶ τὰ ἄνω deſidero, mundo ſua ſcribi non poteſt, quàm libenter relinquam. Τὰ ἀνώτερα καλλίω. In cœlo te rurſum videbo, Wolffg. Jacobe mi, ibi non divellendis jungemur amplexibus. Ah quando videbo DEUM meum! Habes extremum Vale meum. Ne nimiùm me lugeas, Frater. Vale in mundo, dum DEO viſum fuerit, & in cœlo æternum mihi ſalve, Deſiderium meum!

Scribebam è lectulo meo agoniſtico
T.
Joh. Andreas Piccartus Lt.

EX EPICEDIIS:

Dogmate non tantùm fuit auditoribus idem
Exemplo, vitâ: jam quoque morte præit.
PICCARTUS *meruit ſic dici* Practicus. *Ergò*
Nunc in ſidereâ ſede beatus agit.
I. Gabriel Maier Helv.

ELIAS PAULUS SCHÖDERLINUS.

Obiit A. C. 1666.

ONolsbaci per nativitatem mundum ingreſſus eſt 19. Jul. A. C. 1621, patre *Johanne Sartore*, matre *Margarethâ Forſteriâ*, & die ſeq. *Eliæ* Chriſto per baptiſmum oblatus, ſponſoribus Dom. *Eliâ Lenckio*, March. *Brand. Georgii Friderici* quondam Secretario ac Præceptore, & *Paulo Flechtnero* Conſilii aul. *Brand.* Secretario.

Patre orbatus A. 1632. inter Stipendiarios Scholæ *Onoldinæ* receptus, A. 1635. in eâ ſtudiorum egregia fundamenta poſuit usque ad A. C. 1643. quo *Wittenbergam* diſceſſit, & propter ſumptuum inopiam per triennium menſâ communi uſus, famulum egit, & ſeſquianni ſpatio non niſi thalerum unicum ad ſtudiorum ſubſidium à matre accepit.

Stipendiar. Onoldin.

Tunc Stipendium *Sensbemianum* nactus, tantos in ſtudiis ſuis fecit progreſſus, ut A. 1646. Magiſterii Philoſ. gradu cum honore fuerit ornatus.

Magiſter Philoſ. Wittenbergæ.

Abindè triennium adhûc in Academiâ *Witt.* commoratus, ſtudiis Philoſophicis Theologicum adjunxit, & præter alios D. *Ægidium Strauchium* Theol. & Hiſtoriar. *Witt.* poſteà Prof. publicum privatim informavit.

Præceptor D. Ægid. Strauchii

A. 1649. reverſus in patriam, cum aliquoties concionatus eſſet, Eccleſiæ *Lehrbergenſis* Paſtor denominatus, & 26. Aug. inveſtitus eſt. A. 1654. nihil minus cogitans Rector Scholæ *Onolspaci* reſtitutæ factus, in eo munere quinquennium exegit. 3. Junii A. 1659. in Gymnaſio Ducali *Heilsbronnæ* Concionator, Profeſſor, & Stipendiariorum Inſpector deſignatus.

Rector Onolsbac. Concionator & Profeſſor in Gymnaſio Heilsbron.

4. Febr. A. 1650. *Onolsbaci* nuptias celebravit cum virgine *Sophiâ Eliſabethâ*, Dom. *Chriſtoph. Lohbaueri*, Decani & Paſtoris Eccleſiæ

cleſiæ *Weymersheimenſis* filiâ, ex quâ duos filios, *Joh. Paulum*, & *Eliam Fridericum*, cum filiabus *Mariâ Margarethâ* ac *Apolloniâ* ſuperſtites reliquit. Tertius ejus filius *Johan. Martinus*, Diaconus *Onolsbacenſis*, quintâ miniſterii ſui ſeptimanâ variolis extinctus obiit.

Ab annis 20 phthiſi laborans, & à quadriennio cephalalgiâ conſumptus, tandem in mediâ concione ex Prophetâ *Nahum* apoplexiâ correptus, & in ſellâ ſedens domum deportatus, horis aliquot elapſis, viribus *Moritur.* deficientibus in Chriſto exſpiravit 18. Maj. A.C. 1666. ætatis 44.

* *Ex Concione fun. M. Joh. Frid. Dürrii Paſt. Weiſſenbrunn.*

Ἐπιτύμβιον M. Phil. Chriſtoph. Beerii, Scholæ *Onold.* Conrect.

Hæc Viator intuere clauſtra ſacri carceris,
Heic quieſcit ipſe candor, ipſe promus artium,
Zelo Elias, ore Paulus SCHODERLINUS, *Atticæ*
Æmulus rotunditatis, orbis ad miraculum
Scita doctus Iſraelis, Æthiops, Arabs, Syrus,
Myſta qui pius Jehovæ, Rector hinc Minervii,
Quo fuit vigore mentis, poſt utroque claruit,
Ut Profeſſor ad Salutis Fontium crepidines.
Dum mali poſt mille turbas, avocante Numine,
Fractus impetu doloris acquievit optimus,
Teſtis hac caducitate vita quòd ſit omnium
Flos, cinis, ſagitta, nubes, umbra, fumus, & nihil.
Jam tuum Viator eſſe noveris precarier,
Corpus ut cubet cubili molliore, doni cum
Æneator inſonabit, Mortui reſurgite.

Obiit A.C. 1666.

CHRISTIANUS CHEMNITIUS.

Königsbergæ, Miſniæ oppidulo, juxta *Rochlitium* 17. Jan. A. C. 1615, natus, Patrem habuit M. *Martinum Chemnitium*, Eccleſiæ ibi Paſtorem, qui Patrem habuit *Ambroſium*, Magni illius Theologi D. *Mart. Chemnitii*, fratrem: Mater ei fuit *Dorothea*, M. *Johannis Jentſchii*, Conſulis & Polygraphi *Geithenſis*, filia.

D. Mart. Chemnitii ex fratre pronepos.

4. vitæ pericula infans evaſit.

Infans diverſa vitæ pericula per ſingularem DEI providentiam evaſit: nam 1. ex ancillæ negligentiâ delapſus per feneſtram in hortum ſubjacentem illæſus ſedens flores collegit. 2. Cadens in labrum aquâ plenum à fratre *Martino* natu majore accurente ſoſpes fuit extractus. 3. A vaccâ cornubus aliquando percuſſus, & in paludem conjectus, præter vulnus exiguum nihil damni ſenſit. 4. Flumen *Eiſteram* illapſus & aquis coopertus incolumis extractus eſt.

Domi puer per Præceptores privatos pietatis & bonarum literarum fundamentis imbutus eſt eo ſucceſſu, ut A. 1626. circa feſtum Trinitatis unà cum fratre *Chriſtophoro*, poſteà *Lisdorfii* Paſtore, ad Scholam *Citicenſem* tum florentem, & in vitrici *Martini Chemnitii* piſtoris ibidem convictum miſſus,

Scholam Citicenſem adiit.

ſtatim in ſecundâ Claſſe collocaretur, Scholæque Rectori M. *Joh. Quentelio*, Conrectori M. *Eliæ Fiſchero*, & Cantori *Nicolao Gegenbachio* charus acceptusque eſſet.

Sed ob graſſantem ibi peſtilentiam anno ſeq. 1627. domum regreſſus, Patrem podagricum, 63. annos natum 1. Maji amiſit.

Mox verò cum fratre *Chriſtophoro Citium* reverſus, ad annum usque 1632. ibi ſubſtitit, Conrectorisque præſertim fideli inſtitutione eos fecit progreſſus, ut condiſcipulis omnibus palmam præriperet. Indè *valedictoriâ Oratione* habitâ de *Laude Muſicæ*, *Lipſiam* conceſſit: ſed peſte urbem illam infeſtante deterritus, *Jenam* indè migravit, cum literis D. *Erhardi Lauterbachii* Eccleſiæ *Cizenſis* Superintendentis ad D. Joh. *Majorem*, Theol. Prof. in quibus hæc fuère ſcripta: *Mitto vobis luſciniam noſtram.* *Jenam venit.*

Acceſſit verò *Jenam* 16. tantùm groſſis inſtructus, quod mater belli injuriis ad incitas redacta vix haberet, unde ſemet poſſet alere. Mox ibi patronos invenit, quorum auxilio non modò locum obtinuit in Choro Muſico, ſed etiam Anno proximo 1633. Decano Collegii Philoſ. *Paulo Slevogtio*, Baccalaurei honorem gratis impetravit. *Baccalaureus gratis fit.*

A. 1634. *Geitham* digreſſus ad matrem ægrotantem ſenio confectam, eâ auſcultante 1. Dom. Trinitatis *Neuenhanii* & *Königsfeldæ* primas Conciones manè, ac poſt meridiem habuit.

Sed brevi pòſt 29. Oct. Mater exſpiravit. Filius verò paulò antè benedictione maternâ inſtructus *Jenam* cum rediiſſet, nihilo ſegnius ſtudia bonarum artium continuavit, proximoque triennio eò usque profecit, ut 7. Aug. A. 1637, brabeutâ Dn. *Joh. Michaële Dilherro* Theol. & Philologo celebri, Magiſtri Philoſ. dignitatem gratis ibidem retulerit, quod Collegii Philoſ. beneficium ſemper magni æſtimavit, & grato deprædicavit animo: ſicut & fideli inſtitutioni cum ejusdem *Dilherri*, tum Philoſophi ſummi *Danielis Stahlii* debere ſe profeſſus eſt, quod illam Philoſophiæ linguarumque, maximè Orientalium, cognitionem conſecutus erat, ut ea docere alios, commodiùsque adeò vivere in Academiâ poſſet. Diverſa enim tunc temporis aperuit *Collegia Hebraica, Syriaca, Græca, Logica, Phyſica, Metaphyſica*, & *Epiſtolica Latina*, unumque *Theologicum* in *Dieterici Catecheſin*. *Diſputationes* etiam habuit publicas, De *Hyperbole, Syllogiſmo, Violento, Nomine* JESU, de *Mendacio*, &c.

Philoſ. Magiſter gratuitus.

Varia Collegia aperuit.

Animum deindè adjecit ad S. Theol. ſtudium, in quo brevi tam præclaros fecit progreſſus, ut A. 1638. dignus haberetur, cui munus Eccleſiaſticum ſub diſtrictu Illuſtris Lib. Baronis *Schenckii* offerretur.

Sed conſilium illud intervertit febris ardens, quâ tum fuit implicitus, & Divinâ providentiâ, quæ aliis eum muniis deſtinabat, liberatus. Itaque eodem anno 14. Sept. Rector oppidanæ Scholæ *Jenenſis* conſtitutus per quinquennium eam ſpartam ornavit. A. 1643. à Senatu *Vinarienſi* nihil ejus-

Rector Scholæ oppidanæ Jen.

mudi

Digitized by Google

modi captans ad Diaconatum, & biennio pòſt in locum demortui *Friderici Langii* ad Archidiaconatum ejus Eccleſiæ capeſſendum vocatus eſt, quibus muniis pariter fideliſſimè functus eſt, donec A. 1652. à Sereniſs. Principe *Wilhelmo*, Duce *Saxoniæ* D. *Joh. Majori* ſenectâ invalido *Jenæ* Coadjutor adderetur, ſimul etiam, poſtquàm Doctorales in Theologiâ honores adeptus fuerat, Theologiæ Profeſſor conſtitueretur.

Archidiaconus Vinar.

Theol. Doctor & Profeſſor Jenæ.

A. denique 1654. eidem D. *Majori* piè defuncto, Paſtor & Superintendens ſucceſſit.

Superint. Jen.

Intereà ſæpiùs ab aliis Principibus ac Civitatibus ambitus; *Jenæ* tamen vivere ac mori firmiter ſibi propoſuit. Nam cum Rector eſſet ſcholæ *Jenenſis* oppidanæ, ſcholaſtico eum officio præficere cupierunt *Numburgenſes, Brunſvicenſes* & *Mülhuſani*.

Archidiaconus *Vinarienſis* cum eſſet, Concionatorem aulicum ſibi expetiit *Albertus* Dux *Sax.* Coadjutorem Eccleſia *Brunſvicenſis*, Superintendentem *Iſenacenſes*. Denique *Jenæ* jam viventem Superintendentem Ducatûs *Altenburgici* generalem deſideravit Sereniſs. Princeps *Fridericus Wilhelmus* Dux *Sax.* cujus & ſingularem gratiam ſæpè expertus eſt.

Conjugium duplex.

Uxores duas duxit: unam virginem *Chriſtinam, Johannis Kieſenhoferi*, Civis & Mercatoris *Jenæ* primarii filiam: alteram *Mariam*, D. *Joh. Gerhardi* Theol. Prof. celebris filiam, D. *Johannis Volckii*, Medici Ducalis *Saxo-Gothani* viduam. * Illam in matrimonium accepit 12. Nov. A. 1638, amiſitque 22. Maji A. 1657: hæc Anno ſeq. 1658. 12. Julii ei elocata fuit. Cum utrâque concors & fœcundum conjugium habuit, nam à priore 10. liberorum parens factus eſt, quorum tamen non niſi 3. ſuperſtites manſere, *Eva* ſcilicet, conjunx *Joh. Friderici Gerhardi*, Theol. Doctoris & Superintend. *Eiſenbergenſis*, & duo filioli, *Samuel* ac *Chriſtianus Erneſtus*. Ex alterâ filiolam unicam, *Sophiam* nomine, ſuſcepit.

16. Maji A. 1664. inter ſacra publica, inq; ipſo Templo deliquium animi paſſus, malè habere cœpit: ab eo tempore variis ſymptomatis hypochondriacis correptus, tandem in hydropem aſcitem incidit, undè confectus exſpiravit die Pentecoſtes 3. Junii A. C. 1666. ætatis 51. *Jenæ*.

Hydrope moritur.

* *Ex Programm. fun. D. Chriſtoph. Richteri* J. C.

Et ex Concione fun. M. Adriani Beyeri Archidiaconi Jen.

Scripta.

Edita ab eo ſunt:

Methodus concionandi.

Collegium Theologic. de Senſu S. Scripturæ.

Inſtructio Miniſtri Eccleſiæ.

Tract. de Prædeſtinatione, de Arbore ſcientiæ boni & mali.

De Tentationibus Spiritualibus. & alia.

Obiit A. C. 1666.

ALBERTUS VOLCARTUS.

ALtorffii, oppido *Norimberg.* Univerſitate celebri, natus eſt 11. Octobr. A. C. 1591. Patrem habuit *Georgium Volcartum*, tunc Theol. Profeſſorem & Diaconum annis 19, poſteà Paſtorem Eccleſiæ *Ambergæ* in *Palatinatu* ſup. per annos 22, tandem in exilio *Norimbergæ* vitâ defunctum 13. Mart. A. 1628. æt. 70.

Mater ei fuit *Helena*, M. *Mauritii Hellingii*, *Norimbergæ* per annos 13. ad S. *Sebaldum* Concionatoris filia. E ſacro baptiſmatis fonte ſuſceptus eſt ab *Alberto Richtero*, Collegii Oeconomo.

Puer in Academiâ patriâ Præceptores habuit M. *Georgium Pulmanum* in quartâ, & M. *Matthiam Cellerum* in tertiâ Claſſe.

A. 1604. Cum Pater ejus *Ambergam* vocatus eò cum familiâ migrâſſet, ibi per 6. annos alumnus ſcholam publicam frequentavit usque ad A. 1611, quo in Academiam *Altorfinam* reverſus, & ſtipendio Theologorum *Norimbergenſium* gavisus in ſextum annum usque, ſtudia humaniora & Philoſophica ſedulus tractavit.

Fit Altorfii Stipendiarius.

Ibi A. 1613. ſub Decanatu M. *Mich. Piccarti* in Baccalaureum, & biennio pòſt A. 1615. in feſto Academico per Decanum M. *Danielem Schwenterum* in Philoſ. Magiſtrum, primum inter tres Candidatos adeptus locum, promotus eſt.

Philoſ. Magiſter.

6. Jan. A. 1617. *Ortenburgum* in *Bavariâ* ad Eccleſiæ miniſterium vocatus, poſtquàm 24. Jan. *Altorfii* ritu Apoſtolico fuiſſet ordinatus, munus ſibi demandatum alacriter aggreſſus eſt.

Paſtor Eccleſ. Ortenburgi.

16. Junii ſeq. *Ambergæ* nuptias celebravit cum virgine *Annâ*, M. *Pauli Wagneri*, Archidiaconi & in xenodochio *Amberg.* Concionatoris filiâ, cum quâ 43. annis in conjugio pacato, ſed ſterili, vitam exegit.

Nubit Ambergæ.

10. Julii A. 1620. *Schwartzenfeldam* in *Palat. ſup.* à nobili Viro Dom. *Conrado Deuſelio* vocatus, ibi per ſeptennium Paſtoris Evangelici munere fideliter functus, & 31. Maji A. 1627. vigente Reformatione *Papiſticâ* in exilium pulſus, 10. Dec. ſeq. cum per *Palatinatum* iter ageret, *Nabburgi* in lictoris ædibus 14. diebus cum ſanitatis ſuæ detrimento, tanquàm hæreticus fuit detentus.

Paſtor Schwartzenfeld.

Nabburgi captivus.

Mart. A. 1628. Exul *Norimbergam* veniens, paulò pòſt inter Concionatores in Templo *Franciſcanorum* liberos informantes cooptatus. 12. Mart. A. 1629. M. *Johannis Planccii* Rectoris in Scholâ Patritiâ tunc ægrotantis Vicarius, eoque vitâ defuncto 1. Maji ſeq. Præceptor ordinarius ſecundæ Claſſis, & brevi pòſt 16. Julii poſt obitum M. *Danielis Wagneri* Rector Scholæ xenodochialis factus eſt.

Rector ſcholæ xenodoch.

5. Dec. A. 1632. Diaconus ad S. *Laurentium* in locum M. *Georgii Ritteri* conſtitutus, Anno ſeq. 1633. Conciones pœnitentiales (die Beichtpredigten) juſſu Magiſtratûs introductas primus in Templo S. *Laurentii* ſingulis diebus Saturni horâ ſecundâ poſt meridiem habuit, & 4. annis continuavit.

Diaconus ad S. Laur.

4. Oct. A. 1634. Bibliothecarius librorum à *Johanne Venizero* fabro cultrario b. m. Eccleſiæ *Laurentianæ* legatorum ordinatus, munus

Bibliothecar. ad S. Laurent.

Digitized by Google

munus id ad finem vitæ ſuæ ſuſtinuit.

A. 1637. Conciones Dominicales veſpertinas habere cœpit. 7. Sept. A. 1654. poſt obitum M. *Nicolai Molitoris*, Capituli *Laurentiani* Senior, & 19. Mart. A. 1659. Diſpoſitor confirmatus eſt.

Tempore Miniſterii ſui varios actûs memorabiles obivit, dum *Ortenburgi* A. 1618. mulieri cuidam 7. viris ſucceſſivè deſponſatæ Concionem funebrem habuit ex quæſtione *Sadducæorum Matth.* 22.

Conjuges 55. annor. iterum conſecrat. 13. Mart. A. 1659. *Norimbergæ Johannem Saffra*, textorem, cum uxore *Catharinâ* annis 55. conjuges, ſummo Magiſtratu conſentiente, nuptias reiterantes habitâ concione brevi conſecravit.

Tres Judæos baptizat. 21. Dec. ſeq. S. *Thomæ* feſto Hebræum *Polonum* 23. annor. anteà *Michaëlem Pragenſem*, & poſteà *Burchardum Chriſtophorum Leonhartum* nomine, in Templo S. *Laurentii*, iterum 16. Octob. A. 1661. duos Judæos, *Moſen Francofurtenſem*, & *Jacobum Cracovienſem* (quorum prior *Sigiſmundus Georgius Andreas*, poſterior *Gallus Chriſtophorus Balthaſar* vocatus erat) baptizavit.

Moritur. 2. Oct. A. 1660. Uxorem morte abreptam cum præmiſiſſet, abindè doloribus arthriticis ſæpiùs afflictus, tandem morte beatâ vitam clauſit 8. Julii A. C. 1666. miniſt. 46.

Votum ejus extremum, quod *Symbolum* ſuum vocavit, hoc fuit:

Diſſolvi cupio, cupio convivere CHRISTO:
Sic mihi mors lucrum vitaque CHRISTUS *erit.*

Hülff HErr JESU / daß ich glaube veſtiglich / Lebe Chriſtlich / Leide geduldig / Bleibe beſtändig / Sterbe ſeelig / Amen.

* *Ex Concione funebri M. Sebaſt. Jacobi Krauſii, Diaconi ad S. Laurent. Nor.*

Obiit A. C. 1666.

CHRISTOPHORUS LINDENMEYERUS.

MUndum ingreſſus eſt *Heidenhemii* 15. Octob. A. C. 1602., Patre *Martino* Conſule, Matre *Annâ Hartmanniâ*, Conſulis in Patriâ filiâ.

Cum puer in Scholâ *Weiblingenſi* triennium, & *Stutgardiæ* in Gymnaſio triennium exegiſſet, porrò A. 1620. in Gymnaſium *Blaubeurenſe*, A. 1624. In Scholam Ducis *Wirtenberg.* Cœnobialem, & A. 1627. *Tubingam* inter Ducis Stipendiarios clementer promotus eſt. *Tubingæ Stipendiar.*

Philoſ. Magiſter. Profeſſor Muſices. Ibidem A. 1628. Magiſter renuntiatus, locum honeſtum obtinuit, & A. 1631. Repetens Muſices, & brevi pòſt Profeſſor Muſices factus, in Collegium Profeſſorum *Tubing.* receptus eſt.

Miniſter Oelbronn. A. 1633. Ad Verbi Divini Miniſterium *Oelbronnæ* in Diœceſi *Maulbronnenſi* vocatus, mox anno ſeq. turbis bellicis ingruentibus, in exilium cum ſuis migrare coactus eſt, quem Nobilis Vir *Eberhardus à Sitzingen* in Arcem *Landſtuel* vocatam ſuſcepit.

A. 1635. In patriam reverſus, *Biſſinghemii* Diaconus, & A. 1636. Paſtor Eccleſiæ *Walheimenſis* declaratus eſt. *Paſtor Walheim.*

A. 1649. Cum *Heidenhemium* ejus Patria lucem Evangelii recepiſſet, eò vocatus Concionator & Superintendentis ſpecialis munus ſuſcepit. *Superint. ſpecialis Heidenh.*

A. 1657. Duce *Wirtenbergico* clementer ſic ordinante, Generalis Superintendens *Denckendorfenſis*, & brevi poſt Abbas *Regioſontanus* declaratus eſt. A. 1660. Prælatus *Blaubeurenſis*, & demùm A. 1665. Abbas *Hirſchaugienſis*, & unà Generalis Superintendens *Adelbergenſis* conſtitutus eſt. *General. Superint. Denckendorf. Abbas Regioſontanus. Blaubeur. & Hirſchaug. General. Superint. Adelberg.*

Deſponſatus. 13. Maji A. 1633. Unà cum Miniſterio Conjugium ingreſſus eſt cum virgine *Agathâ*, D. *Davidis Megerlini*, Syndici *Campidonenſis*, filiâ, ex quâ 9. ſuſcepit liberos, ex iisq; 5. vivos reliquit ſuperſtites, M. *Chriſtophorum*, Paſtorem Eccleſiæ *Oberſiſeldæ*, *Agatham*, M. *Joh. Friderico Fabro*, Diacono *Herrenbergenſi* nuptam, M. *Joh. Leonhardum*, & *Joh. Davidem*, Stipendiarios *Tubingæ*, cum virgine *Sabinâ*.

Intereà multis morbis afflictus, cum tandem lecto decumbere coactus fuiſſet, totus Divinæ voluntati deditus, placidè exſpiravit *Hirſchaugiæ* 19. Julii A. C. 1666. ætatis 64. miniſterii 33. *Moritur.*

CHRISTOPHORUS LINDENMAIER.
Per Anagr. aſpiratis eliſis.
Mors dura piis re nil nocet.

MAGISTER CHRISTOPHORUS LINDENMAIER ABBAS HIRSENCOVIANUS.
Per Anagramma:
Vir virens Coronam in Cœlis partam habebis, aſt dignus eris.

* *Ex Concione fun. Chriſtiani Betulii Eccleſ. Paſt.*

Obiit A. C. 1666.

ADAMUS WEINHEIMERUS.

GIeſſæ, *Haſſorum* oppido, natus eſt 6. Dec. A. C. 1614. Patre *Joh. Melchiore*, Mercatore, & Matre *Eliſabethâ Finckiâ*.

Cum in Gymnaſio Patrio literarum fundamenta poſuiſſet, in Academiam *Marpurgenſem* à Parentibus miſſus, in eâ Gradum Magiſterii an. æt. 21. adeptus eſt. Deindè inter Principis Stipendiarios receptus, A. 1638. Stipendiariorum Major renuntiatus eſt, in quo officio ſeſe ſæpiùs Diſputationibus Philoſophicis ac Theologicis exercuit, poſteà à Majoratu ad Præceptoratum in Pædagogio Ducali promotus. *Philoſ. Magiſter Marpurgi. Major Stipendiar. Præceptor Pædagogii Duc.*

9. Octob. A. 1639. Conjugii fœdus iniit cum *Annâ Iunckiâ*, viduâ *Gerlachi Milhelmi*, mercatoris *Marpurgenſis*, quâ ſine prole defunctâ, tranſiit ad altera vota, cum virgine *Catharinâ Urſulâ*, M. *Johannis Honſtorfii*, Profeſſoris *Marpurgi* publici filiâ, ex quâ, cum 3. filiabus, filios reliquit *Joh. Adamum*, Philoſ. & Theol. Studioſum, & *Joh. Melchiorem*. *Conjugium ejus duplex.*

A. 1644. Ad Rectoris in Gymnaſio *Spirenſi* munus à Senatu vocatus, ei in octavum annum cum laude præfuit. *Rector Gymnaſii Spirenſis.*

A. 1651. E tribus vocationibus uno menſe

Qqqq 2 obor-

Superint. Gaildorf.

obortis, primam ſuaſu D. *Dorſchei*, Profeſſoris Theol. *Marpurg.* amplexus eſt, factus Superintendens & Concionator aulicus *Gaildorfii* in dominatu *Limpurgico*.

Superint. Esling.

Eslingam, oppidum Imperiale, à Magiſtratu per Conſulem *Creidenmannum* legitimè vocatus, A. 1633, præter ſpem illius Eccleſ. Superintendens conſtitutus eſt, in quo munere fideliter verſatus eſt ad finem vitæ,

Moritur.

morte beatâ mundo ſublatus 21. Sept. A.C. 1666. ætatis 52.

Non Mea ConſVnDet Verbo ſpeſ fVLta benIgno.

* *Ex Concione fun. Joh. Jacobi Fabri Diaconi Esling.*

Scripta.

Edidit:

Rhetorem extemporaneum.

Mortem in Ollâ.

Catenam Evangelicam.

Obiit A.C. 1666.

JOHANNES WARNER.

SUrreienſis *Anglus*, *Oxoniæ* Collegii *Magdalenenſis* Semicommunarius an. 1599, ætatis ſuæ 16. Dein Artium Magiſter & Socius, loco ſuo ſponte ceſſit an. 1610. S. *Dionyſii* Backchurch *Londini* Rector factus.

Theol. Profeſſor. Eccleſiæ Cantuar. Præbendarius. Epiſcopus Roffenſis.

Tum S. Theol. Profeſſor an. 16. & Eccleſiæ *Cantuarienſis* Præbendarius, tandem Epiſcopus *Roffenſis* evaſit.

In primis annis Philologiâ ſimul & Philoſophiâ clarus; ſenex autem Scholaſticâ Theologiâ, ſimul & Patrum lectione non minus inſignis habebatur.

Moritur.

Obiit circa 14. menſis Octobris an. 1666. & in Eccleſiâ ſuâ cathedrali *Roffenſi* ſub ſpecioſo monumento ſepultus eſt.

Scriptum.

Scripſit:

Contra alienationem terrarum Eccleſiaſticarum Lond. 1646. Angl.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

Obiit A.C. 1666.

JOHANNES CONRADUS DANNHAUERUS.

NAtus eſt 24. Martii A.C. 1603. *Kundringæ, Brisgoji* oppido, Parentibus M. *Conrado Dannhauero*, ejus loci Paſtore, Matre *Mariâ Magdalenâ Brunniâ*, filiâ *Auguſtini Brunnii*, Paſtoris *Ieſingenſis* propè *Tubingam*, & Hiſtoriographi celebris, *Wolfio* memorante, & teſte *libello manuſcripto de illuſtrium Theologorum vitis, in Bibliothecâ Argentinenſi aſſervato.*

Argentorati Claſſes frequentat.

A. 1610. miſſus eſt in Gymnaſium *Argentinenſe*, in quo ſingulis annis ad ſingulas curias aſcendit, ſemper vel primus vel præmiis affectus diligentiæ: nam in quartâ claſſe ſciebat jam elegans Carmen ſcribere, & reſolvere Syllogiſmos cum in materiâ tum in formâ legitimos.

A. 1617. Promotus ad Lectiones Publicas & in Collegium Prædicatorum receptus, 8. annos in eo commoratus, A. 1619. factus eſt Baccalaureus, promovente *Matthiâ Berneggero*, A. 1621. Creatus eſt inter primos Univerſitatis Magiſtros tertius loco, & gratias egit.

Magiſter Philoſ.

Poëta Laur.

A. 1622. Lauream Poëticam primus inter *Argent.* Univerſitatis Poëtas accepit ex manibus M. *Flori*.

Creatus Magiſter, Philologiæ per triennium operam dedit, in Hebraicis uſus magiſtro privato *Mennone Hannekenio*, poſteà Superintend. *Lubecenſi*.

Theologiæ dat operam.

A. 1624. Cœpit frequentare ſcholas Theologorum, & Diſputationes Theolog. ſolennes habuit ſub Præſidibus D. *Thomâ Wegelino*, D. *Joh. Schmidio*, & D. *Iſaaco Fröreiſenio*.

Marpurgum adit,

A. 1625. abiit ad exteras Academias, viatico à Dnn. Scholarchis accepto, quod ſubindè auctius datum eſt à ſtipendio *Schenckbecheriano*. *Marpurgum* ubi venit, Collegiis Philoſophicis & Philologicis habendis tantum collegit pecuniæ, ut non ſolùm ſufficeret alendo, ſed & abundaret.

& Altorfium.

Anno *Marpurgi* abſoluto, conceſſit *Altorfium, Noribergenſium* Univerſitatem, ubi aliquoties præſedit, conciones habuit, Theologicè reſpondit, Præſide D. *Georgio König*, meruit igitur Ephorus fieri 4. Patritiorum *Ratiſponenſium, Marchtaleri, Adlerorum*, & *Lerchenfelderi*.

Jenam adit.

His comitibus A. 1627. *Jenam* adiit, ubi hoſpitem habuit D. *Majorem*, & Præceptorem, unà cum *Gerhardo* Theol. Prof. nam ſub hoc Præſide bis, ſub illo ſemel in Theologicis reſpondit; ſemel præſedit, opponente *Daniele Stahlio*, acerrimo Diſputatore. Comœdiam à ſe compoſitam in Theatro exhibuit, ſpectatoribus inter alios Sereniſſ. Ducibus *Vinarienſibus*.

Argentinæ Profeſſor Eloquent. Profeſſor & Doctor Theol.

A. 1628. *Argentinam* revocatus, Inſpector Collegii Prædicatorum factus eſt: A. 1629. 4. Martii Profeſſor Eloquentiæ: A. 1631. Decanus in Collegio Philoſophico: A. 1633. Profeſſor Theologiæ, & eodem anno Canonicus *Thomanus*: A. 1634. Doctor Theologiæ, ſocio D. *Jacobo Schallero*: eodem anno Decanus in Facultate Theologicâ, quam dignitatem decies geſſit: A. 1635. Rector Univerſitatis, quos honores quinquies geſſit: A. 1636. Cenſor, & poſteà aliquoties: A. 1642. Viſitator Collegiorum: A. 1649. Inſpector Stipendiariorum *Geitzkoflerianorum*: A. 1653. Bibliothecarius: A. 1658. Paſtor in ſummo Templo, Præſes Conventûs Eccleſiaſtici, & Decanus Capituli *Thomani*.

Quinquies Rector.

Paſtor in ſummo Templo.

Increbreſcente ejus famâ, aliquoties aliorſum vocatus eſt, quas tamen vocationes, ſuâ contentus ſorte, modeſtè deprecabatur. Prima *Ulma* fuit, quæ de ipſo ad ſe evocando cogitavit A. 1639, ut D. *Dieterico* in Superintendentis munere ſuccederet. Secunda *Francofurtum* ad *Mœnum*, ut D. *Tettelbachio* defuncto ſubſtitueretur A. 1644. Tertia fuit *Roſtochium*, quæ amiſſo *Quiſtorpio* eum ſufficere allaborabat A. 1649. Quarta *Dantiſcum*, quæ Rectoratum ei obtulit A. 1651.


Nuptias celebrat.

1. Sept. A. 1629. Nuptias celebravit cum *Salome*, Dom. *Johan. Hugwarti* XV viri filiâ, *Caſp. Brulovii*, Profeſſoris Hiſtoriar. relictâ viduâ, cum quâ in jucundo conjugio, ſte-

rili



I. CONR. DANNHAUER'
...ol. D. Prof. Argentorat



IOH. HENR. HOTTINGER'
Theol. D. Prof. Heidelberg




IOH. HENR. URSINUS
Eccles. Ratisb. Past. et Superint.



SAMUEL. LANGIUS.
Theol. D. et Superint. Lips.



...HAÑ. ELFFLINUS
...uperint. Hilpershus.



MICHAEL WEBERUS.
Theol. Norib.




IOH. ERNEST. GERHARD'
Theol. D. et Prof. Ienens.



ABDIAS. WIDMARIUS
Theol. D. et. Prof. Gröning.



I. IACOBUS OTHO.
...ing. Antist. Limburg.




SIGISMUND' FABER.
Eccles. Hersbruc. Pastor



IOH. MICHAEL DILHERR'
Pastor. et P.P. Norib.



STEPHAN' BOENER'
Superint. Baruthinus.



... HENRIC' RISIUS
... et Superint. Hatzfeld.



IOHÑES MAUKISCH.
Theol. D. et Prof. Gedan.



ELIAS SIGISMUN. REINHAR.
Theol. D. et Superint. Lipsiens.



CAROL' DRELINCURTUS
Eccles. Paris. Minist.

Digitized by Google

rili tamen, vixit, donec morte abrumperetur.

Ejus morbus & mors. Cum ante ſeptimanas aliquot tuſſi ferinâ & pleuritide nothâ laboráſſet, accreſcente quotidiè ex pituitæ copiâ pectoris anguſtiâ, poſt preces ardentes ad DEUM miſſas, & compoſitas res domeſticas, inter preces, lachrymas, & ſuſpiria circumſtantium propinquorum & domeſticorum, conſtanti animo & invictâ fide ſpiritum Salvatori ſuo reddidit 7. Nov. A. 1666. æt. 64.

Johannes CV*nra*DV*s Dannha*VV*er*V*s* LVX IL L*a Theo*L*og*IC*a heV eXtIn*C*ta laCet In* V*rnâ.*

Ingenii monumenta ab eo edita ſunt ſequentia:

Scripta. *Poëmata ſacra.*
Canones Logici & Metaphyſici.
Ethico-Politica.
Phyſica.
Diſputationes VII. in Ariſt. libr. de Animâ.
Oratio Panegyrica bonori Guſtavi Adolphi Suecor. Regis dicata.
Idea boni Diſputatoris, & malitioſi Sophiſtæ: item *Interpretis boni & malitioſi Calumniatoris.*
Analyſis Logico-Rhetorica Paradoxorum Ciceronianorum.
Didactica. De Syllogiſmo infinito.
Ariſtoteles ex orco redivivus contra Corneum.
Epitome Dialectica & Rhetorica, cum tractatu de Memoriâ.
Diſſertatio ad Collationem Carthaginenſem.
Collegium Decalogicum.
Syncretiſmus detectus & proſcriptus.
Theologia Conſcientiaria.
Chriſtoſophia, Antichriſtoſophia, Myſteriosophia.
Hodoſophia Chriſtiana.
Polemoſophia, ſeu Dialectica ſacra.
Chriſteis trium priorum poſt natum Salvatorem ſeculorum, ſive Hiſtoria Eccleſiaſtica.
Gamaliel Hebræo Teuto & Sanguiſtitii conciliator.
Præadamita Utis, ſive Fabula Præadamitica.
Gorgias Sophiſta contra Valerianum Magnum Cappucinum.
Meltema de Miraculis.
Alethea ſancta victrix, Vale triumphale contra Melch. Corneum Jeſuitam.
De voto Iephtæo.
Stylus Vindex de Spiritûs Sancti proceſſione.
De voluntate Dei circa hominum ſalutem.
Gallioniſmus ex Actorum Cap. XVIII.
Hodomoria Papæa, & Calviniana.
Hermeneutica Sacra.
Onirocritarum Batavorum deliquia.
Obex Pacis Eccleſiarum.
Theologiæ ſymbuleuticæ Tomus primus.
Homiliarum Sacrarum Tomi II.
Evangeliſches Denckmahl / Türcken-Trutz / und Chriſten-Schutz.
Predigten über den 19. Pſalm / ſamt angehenckten Comet-Predigten.
Colluvies Quackerorum Angliæ.
Deliquia contra Walenburgium.
De errore Apoſtolorum circa Regnum Meſſiæ.
Nuntius Johanni Duræo miſſus.
Repulſa appellationis nullius eidem oppoſita.
Iconothetes Chriſtianus contra Idololatras.
Diſſertatio de Probatione Spirituum.
Hypopiaſmus Paulinus ex 1. Cor. IX. v. 27.
Fatum flagelli Turcici.
Lactis Catechetici Tomi VIII. diverſis temporibus editi Argentorati in 4to. Germ.
Salve Reformatum, & Reſalve Lutheranum.
Tutamen Chriſtianorum Angelicum adverſus fremitum Turcicum.
Epiſtola renunciatoria contra ſacrificulum de nobili puellâ Energum.

Opera MSS.

Hodomoria Photiniana & Arminiana.
Lactis catechetici complementum.
Chriſteidos ſ. Dramatis ſacri de Eccleſiâ militante ad præſens ſeculum continuatio.

* *Ex Programm. fun. Jacobi Schalleri Theol. Doct. & Prof.*
Et ex Conc. fun. M. Joh. Georg. Wetzelii Diaconi.

JOANNES CONRADUS DANNHAUERUS.
Per Anagramma:
Suadæ Heros, nunc dura in annos.

VIR MAXIME REVERENDUS DOMINUS JOHANNES CONRADUS DANNHAWERUS, DOCTOR FAMIGERATISSIMUS, EJUSDEMQUE IN AUGUSTA ARGENTORATENSIUM UNIVERSITATE PROFESSOR PUBLICUS, ISQUE CELEBERRIMUS, CONVENTUS ECCLESIASTICI PRÆSES OPTIME MERITUS, CAPITULI THOMANI DECANUS DIGNISSIMUS, ET CŒTERA.

Per Anagramma *Quirini Moſcheroſch:*

Auguſtinus ille Argyropœus, poſtquàm ferè contra omnes noſtri ſeculi hæreſes ſcribens, arma ſua victor geſſerat, ecce polo inſertus, nunc cum S. Auguſtino Afro in Civitate DEI *cantat ſuum Epinicion:* TE DEUM *laudamus: ſic gaudes haut abs re ex corde, in ſummâ* DEI *æde Vir* DEI! *interim heu miſeros, qui ſumus ſine te ô Pater!* Anagramma.

JOHANNES BERY.

Obiit A. C. 1667.

IN Agro *Devonienſi* natus, anno 1597. Collegii Corporis Chriſti in Univerſitate *Oxonienſi* ſcholaris, annoque 1602. Collegii *Balliolenſis* tanquàm Socius emerſit. In patriam tandem reverſus, non tantùm Rectoriâ quâdam, ſed & Canonicatu *Exonienſi* donatus eſt, quibus in annos haud paucos fruebatur. Doctus haud vulgariter erat, egregiâ verò concionandi facultate pollebat. Canonicus Exonienſis.

Scripſit, præter alia; in *1. Petri c. 1. v. 17.* Edit. 1615. *1. Cor. 10. v. ult.* Lond. 1631. & alia. Scripta.

Moritur.

Mortuus eſt anno 1667 & in Eccleſiâ Cathedrali *Exon.* tumulo mandatus.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

Obiit A.C. 1667.

CHRISTIANUS ERNESTUS.

Filius *Chriſtiani Erneſti*, Archidiaconi & Senioris Eccleſiæ *Nordlingenſis*, natus eſt 19. Julii A.C. 1626. *Polſingæ*, ex matre *Annâ Kleinid.*

Cum in ſcholâ patriâ Pietatis & Artium fundamenta poſuiſſet, miſſus à Patre in Academiam *Tubingenſem* 6. Febr. A. 1647. Diſputationem Metaphyſicam de Neceſſario & Contingente, ſub Præſidio Dom. *Johannis Geilfuſii*, Philoſophiæ Profeſſoris, publicè defendit.

Philoſ. Magiſter Tubingæ.

Non multò pòſt 12. Julii primum Philoſ. gradum Baccalaureatûs, & 4. Aug. ſeq. ſummum Magiſterii gradum, ſub Decanatu Dom. *Joh. Martini Rauſcheri*, Oratoriæ Profeſſoris, & inter 7. Competitores tertium locum obtinuit.

Studium abindè Theologicum aggreſſus A. 1648. Diſputationem Theologicam habuit contra *Forerum* Jeſuitam, ſub Præſidio Dom. *Nicolai.*

Argentorati poſteà concionando ſe exercuit, & ſub D. *Dorſchæo* Theol. Prof. contra Jeſuitas *Moguntinos* publicè diſputavit A. 1650. Eodem adhuc anno in patriam à Dom. Parente revocatus, à Conſiſtorio *Brandeburgico Onolsbaci* examinatus, & Paſtor Eccleſiæ *Wültzburgenſis* conſtitutus eſt.

Paſtor Eccleſ. Wültzburg. Uxorem duxit Onolsbaci.

Sub finem hujus anni nuptias celebravit *Onolsbaci* cum virgine *Annâ Margarethâ*, Reverendi Dom. *Achatii Ströbelii*, Paſtoris *Brunſtenſis* relictâ filiâ, quam cum 4. filiis ſuperſtitem reliquit.

Diaconus Weiſenburg.

A. 1653. In oppido Imperiali *Weiſenburgo*, prægreſsâ legitimâ Senatûs vocatione & examine conſueto, Diaconus declaratus, in eo munere vitæ ſuæ tempus reſiduum exegit, & dentium tandem dolore & catarrhis vehementibus in Chriſto vitâ defunctus 11. Febr. A.C. 1667. ætatis 41.

Moritur.

M. CHRISTIANUS ERNESTUS RHAETUS.

Per Anagr.

Charus atque ſtrenuus Miniſter es.

* *Ex Concione fun. M. Zachariæ Wideri Paſtor. Weiſenburg.*

Obiit A.C 1667.

PETRUS CANNEMANNUS.

Froſæ in territorio *Gaterslebienſi* Ducatûs *Brunſvicenſis* natus eſt 22. Febr. A. C. 1591. Patre *Henrico*, ejus loci caupone, cujus pater *Johannes Cannemannus* Concionator fuit *Gaderslebienſis*. Mater ejus *Anna* filia fuit *Petri Duven*, primi Paſtoris Eccleſiæ Evangelici in ditione *Warbergenſi*, ad quem A. 1566. paulò ante reformationem incolæ *Helmaſtadienſes*, aliique, magno numero ad S. Cœnæ uſum *Warbergam* excurrerunt.

In Gymnaſio Hallenſi diſcipulus.

Cum in ſcholâ patriâ ſtudiorum fundamenta poſuiſſet, A. 1606. *Hallam Saxoniæ* miſſus in Gymnaſium, & informationi M. *Eſchardi*, ex commendatione M. *Cornelii Martini*, Profeſſoris in Academiâ *Juliâ* tunc celebris, ſubmiſſus eſt. A. 1610. Nutritii ſui, Dn. *Petri Duvii*, inſtinctu *Wittenbergam* ſe contulit, ubi Theologorum Lectiones & Collegia ſedulus inviſit. Anno ſeq. eandem ob cauſam in Academiâ *Jenenſi* commoratus eſt.

Theol. ſtudioſus Wittenbergæ. Jenæ. Helmſtadii.

A. 1612. *Helmſtadium* regreſſus, poſtquàm ibi curſum Philoſophiæ abſolviſſet, ſtudium Theologicum amplexus, in eo annos aliquot diligenter verſatus, aliquoties etiam publicè diſputavit.

Conrector Helmſtad. & Rector.

Cum verò labores ſcholaſticos amaret, eâque de causâ linguas didiciſſet, A. 1613. Senatûs *Helmſtadienſis* ad Urbis ſuæ Conrectoratum eum vocavit, & Anno ſeq. Rectori aliò diſcedenti in munere ſucceſſit.

Eodem anno à M. *Meibomio*, Facult. Philoſ. Decano, Magiſterii honores accepit. Cum intereà ſæpiùs concionando ſe exercuiſſet, A. 1616. vocante Dom. *Joach. Hopkorfio* Commendatore, Paſtor Eccleſiæ *Weddingenſis* & *Beuchtenſis* conſtitutus eſt.

Paſtor Eccleſ. Weddingenſis & Beuchtenſ. Uxorem duxit.

An. eodem matrimonii fœdus iniit cum virgine *Margarethâ*, *Henrici Pennigſackii* filiâ, ex quâ 3. filios & duas filias ſuſcepit, omnes in primo ætatis flore denatos, præter filium *Achatium Henricum*, qui A. 1644. *Längdam* ad Eccleſiæ Paſtoratum vocatus, in eodem vitam clauſit A. 1664. Filia verò ſuperſtes *Margaretha* A. 1638. Dom. D. *Samueli Stockhauſio* Medico ord. *Goslarienſi* nupta, poſt filioli partum obiit A. 1655.

Cum verò A. 1626. *Goslariæ* conjugem morte abreptam amiſiſſet, anno ſeq. alteram duxit viduam *Geſen Bornemans*, cum quâ 40. annos pacatè vixit, ex eâque unicam modò filiam anno ætatis 15. denatam habuit.

Archidiaconus Helmſtad.

A. 1628. *Beuchtâ Helmſtadium* cum familiâ reverſus, Concionatoris & Archidiaconi munus à Senatu ſibi delatum aggreſſus eſt. A. 1635. *Saltzwedelium* ad Superintendentis officium accerſitus modeſtè recuſavit.

Moritur.

Febre tandem ardente correptus, nono morbi die placidè in Deo Creatore ſuo obdormivit, 14. April. A.C. 1667. miniſterii 51. ætatis 77.

* *Ex Concione fun. D. Balthaſ. Cellarii General. Superintend. Brunſvic.*

Obiit A.C. 1667.

JOHANNES HENRICUS URSINUS.

Spiræ Nemetum natus eſt 26. Jan. A. C. 1608. Patre *Johanne Urſino*, Notario Cæſ. Publico, & Judicii Procuratore: Matre *Annâ Mariâ Luzigia Spirenſi*. Puer optimæ indolis à Patre ante mortem Studiis deſtinatus in Gymnaſio patrio Claſſes pertranſiit, & A. 1626. *Argentoratum* diſceſſit, ubi Theologis famoſis D. *Schmidio* & D. *Dorſchæo* innotuit, & charus fuit, ſed ſumptibus deſtitutus A. 1627. *Spiram* rediit, & ſepoſito ad tempus ſtudio Theologico, apud Dom. Licentiatum *Steyrnagelium*, Cameræ Imperialis

Studioſ. Argent.

Digitized by Google

Scriba Spirenſis. rialis Advocatum ſeſquianni ſpatio ſcribam egit.

A. 1629. Ad ſtudia relicta reverſus, pueros informando vitam ægrè ſuſtentavit usque ad A. 1632, quo *Spirâ* occupatâ cum aliis in exilium actus, *Moguntiam* conceſſit, ibique in Gymnaſio Evangelico recens erecto Rectoris officio per annum functus eſt.

Paſtor Weingart. A. 1633. *Spiram* paulò antè reverſus, ad Eccleſiæ *Weingartenſis* Paſtoratum vocatus, eâ vocatione brevi tempore gaviſus eſt, nam poſt prœlium *Nordlingenſe* anno ſeq. commiſſum, ipſe cum omnibus curæ ſuæ concreditis *Spiram* aufugere coactus eſt, & intereà tres plagæ Divinæ, Bellum, Fames & Peſtis, totum cœtum ovium ſibi commiſſarum abſorpſerunt.

Conrector Spiræ. Eodem anno 1634. in Patriâ ad Conrectoratum accerſitus, in Scholâ vitam omnem tranſigere ſibi propoſuit. Sed aliter Deo placuit, quo diſponente A. 1635. ad *Eccleſiæ Paſtor Spiræ.* Eccleſiæ in Patriâ miniſterium à Magiſtratu vocatus, & legitimè ordinatus eſt, cui muneri 20. annis ſummâ cum fidelitate præfuit usque ad Annum 1655, quo vocante Senatu *Ratisbonenſi*, & per literas ſuadente D. *Schmidio* Theol. *Argentinenſi*, patriæ valedicens *Superint. Ratisbonæ.* 16. Nov. *Ratisbonam* ad Superintendentis officium cum familiâ migravit, ibique ultimâ Dominicâ Trinitatis primam Concionem habuit. Ibidem Conſiſtorii Aſſeſſor primarius & Scholarcha fuit. Variis intereà morbis gravibus afflictus, cum naturâ corporis ejus conſtitutio debilis fuiſſet, A. 1636. narium hæmorrhagiam novem horis continuis paſſus eſt cum lethali virium proſtratione, A. 1637. febri ardenti & colicâ decumbens, crus totum habuit exulceratum, ut 70. foramina numerârit, & Medici cum Chirurgis de crure amputando deliberârint.

A. 1654. Hecticâ febri conſumptus, 10. ſeptimanas æger decubuit, cumque de migratione ex hâc vitâ in patriam cœleſtem cogitaret, Deus effecit, ut anno ſeq. *Ratisbonam* migraret.

Conjugium ejus duplex. 3. Junii A. 1634. Nuptias primas celebravit cum *Suſannâ Franckiâ*, Dom. *Nicolai* Paſtoris *Eſſingenſis* relictâ viduâ, cum quâ 11. annos feliciter exegit, ex eâque tres filios, totidemque filias ſuſcepit, ſed duas tantùm filias, ex iisque 4. nepotes vivos reliquit.

A. 1645. Ad ſecunda vota tranſiit cum virgine *Annâ Mariâ*, *Erhardi Pollens*, Senatoris *Spirenſis* relictâ filiâ unicâ, quam cum 6. liberis parvis reliquit ſuperſtitem.

Morbi ejus ultimi & Obitus. Ultimâ A. 1665. die poſt cœnam in Muſæum tendens, vertigine correptus, & lethargo 7. abindè diebus decubuit, morbo in eryſipelas pedis degenerante. Abindè nunquàm planè convaluit, ſed vertigine aliquoties reverſâ placidè tandem extinctus eſt 14. Maji A.C. 1667. ætatis 60. Miniſterii 35.

* *Ex Concione fun. Eraſmi Gruberi Miniſterii Ratisbon. Senioris.*

Annus Nativit.

MIhI nIhIL habentI nIhIL DeerIt.

Annus Obitûs:

MIhI habentI & CVpientI nIL DefVIt.

Scripta ab eo edita, ſunt ſequentia: *Scripta.*

Commentarius in quosdam Prophetas minores.

Jonas ſeorſim illuſtratus.

Regula fidei Chriſtianæ.

Paſſionale quadruplex, Evangelicum, Propheticum, Typicum, Symbolicum, item de Agno Paſchali.

Collatio de unâ Religione.

Arboretum Biblicum, in quo Arbores & Frutices paſſim in S. Literis occurrentes Notis Philologicis, Philoſophicis, Theologicis exponuntur & illuſtrantur, cum Figuris.

Contra Præadamitarum Auctorem libellus.

Atrium Latinitatis, ſive Comment. in Atrium Linguarum Comenii.

Eccleſiaſtes, ſeu de ſacris Concionibus.

Epitome Progymnaſtices Oratoriæ.

Parallela Evangelica.

Acerra Philologica.

Analectorum Sacrorum Philologicorum Volumina II. item *Analecta Rhetorica.*

Miſcellanea ſacra, & Philologica.

Paralipomena miſcellaneorum.

Hiſtorica relatio de Statu Animarum.

Iſagoge Hiſtorico-Chronologica in Hiſtoriam Univerſalem Sacram & Profanam.

De neceſſitate Calicis conſecrati, Germ.

Scripta Polemica Germ. varia.

Encyclopædia Scholaſtica.

Paradigmata Sacrarum Concionum.

De differentiâ Religionum orbis univerſi. Germ.

Scrupuli Papiſticæ Religioni communes.

De Zoroaſtre Bactriano, Hermete Triſmegiſto, & Sanchio natione Phœnicio.

De Chriſtianis officiis.

Sylva Theologiæ Symbolicæ.

Quinquagena Meditationum feſtivalium.

De Cometis diſſertatio.

De ortu & progreſſu Eccleſiæ Chriſtianæ in Germaniâ, compendium Hiſtoricum.

Index Apocalypticus, Cum Chiliaſmi refutatione Germ.

Poſtilla Salomonæa.

Theologica quædam Germ. & Scholaſtica edidit inſuper. 1. *Ideam Latini Gymnaſii.* 2. *Theologiam Catecheticam.* 3. *Libellum variorum dictorum.* 4. *Sacellum domeſticum.* 5. *Manuale Ratisbonenſe.* 6. *De paſſione occultâ & Conſolatione cœleſti.* 7. *Luctam & victoriam ex Pſ. 73.* 8. *Conciones funebr.*

JOHANNES HENRICUS HOTTINGERUS.

Obiit A.C. 1667.

T*iguri, Helvetiæ* Urbe, natus eſt 10. Martii A.C. 1620. Patrem habuit *Joh. Caſparum Hottingerum* nautis præfectum, ex cujus familiâ quidam *Nicolaus Hottingerus*, Civis *Tigurinus*, poſt Reformationis tempora primus in *Helvetiâ* martyrii coronam

 nam

nam ob Evangelicæ veritatis conſtantiam obtinuit.

Mater ejus *Anna Thumiſenia*, honeſta matrona, ita in precibus aſſiduis fuit indefeſſa, ut hic ejus filius non ſemel confeſſus fuerit, ea Spiritûs S. dona, quæ DEUS ſibi impertiverit, enixis piæ matris precibus impetrata fuiſſe.

Puer præclaræ indolis & excellentis memoriæ deductus in ſcholam patriam 5. illius Claſſes brevi temporis ſpatio emetitus eſt. Delectabatur tunc capturâ piſcium, cui horis feriatis declarandi animi gratiâ vacaverat.

Puer in fluvio vitæ periculum incurrit.

Fortè igitur contigit, ut apud vicinum fluvium, cum diu ſpe prædæ in ſcopulo fruſtrà moratus eſſet, piſcis hamum, cui eſcam ille impoſuerat, nimio pondere ſuo abrumperet.

Ille hami & piſcis recuperandi aviditate in fluvium incumbens, mole corporis ſubmergi cœpit, ultimaque jam neceſſitas inſtabat, cum clamore ejus excitati in vicino accurrerunt, & extremè periclitantem ægrè liberârunt.

Porrò ex tyrocinio ſuo in contubernium manſuetiorum Muſarum adſcriptus, nihil omninò de induſtriâ ſuâ remiſit. Ducebatur autem, velut inclinante quodam aſtro, ad ſtudia Linguarum, in quibus plurimùm ſe debere *Joh. Jacobo Wolfio*, Linguar, in Scholâ *Tigur.* Profeſſori, non ſemel profeſſus eſt.

Puer Conciones German. Græcè excepit.

Sanè Latinam Linguam expeditè calluit: Græcam habuit ſibi adeò familiarem, ut & versûs Græcos feliciter componeret, & Conciones Germanicas volante calamo Græcè exciperet, ſed & Hebraicæ Linguæ, quæ ei præ cœteris placebat, notitiam non vulgarem ſibi comparavit.

Genevam adiit.

26. Martii A.C. 1638. Publicorum impenſâ ſumtuum, comite perpetuo *Joh. Henrico Ottio*, poſteà Profeſſore *Tig. Genevam* vicinam & fœderatam Urbem adiit, ubi, præter alios viros egregios, ſalutavit & audivit docentem *Fridericum Spanhemium.*

Gröningæ ſtudet.

Sed vix duorum menſium ſpatio ibi commoratus, 26. Maji illinc diſceſſit, & comitatus familiâ *Joh. Steinbergii* J.C. celebris, peragratâ & luſtratâ *Galliâ, Flandriâ, Seelandiâ* & *Hollandiâ*, *Gröningæ Friſiorum* appulſus, eam urbem ſedem ſtudiorum delegit, & aliquandiu habuit.

Ibi in Linguis Orientalibus Præceptore *Judæo* uſum *Henricus Alting* ſummè dilexit: uſus eſt etiam ad Arabicæ literaturæ principia Præceptore *Matthiâ Paſore*, Linguar. tunc Profeſſore.

Lugduni Batav. linguas Orientales diſcit.

A. 1639. *Gröningâ* conceſſit *Leidam*, & *Jacobi Golii* Orient. Linguar. Profeſſoris tectum ſubiit, ſimul liberis ejus informandis daturus operam, ſimul ejus ope & conſilio uſurus, ad penetrandum in ſecretiora *Arabicæ* literaturæ cubilia: nec ſua ipſum ſpes fefellit, præterquàm enim quod ſors obtulit hominem natum *Turcam*, cujus operâ in *Arabica* & *Turcica* linguâ uſus eſt, ipſe etiam *Golius* quam poterat per negotia facem in excolendis ſtudiis Orientalibus ei adluxit.

Ibi etiam ex Bibliothecâ *Golii* locupletiſſimâ, quam, cum in Oriente verſaretur, magno labore collegit, ſuos ad uſus Codices *Arabicos* non paucos deſcripſit, intra 14. menſium ſpatium, quos *Leidæ* commorando traduxit, & æquè expeditè tunc *Arabicè* pingere atque *Latinè* vel *Germanicè* didicit.

Fertur *Golius Cornelio Hagæ* Legato per annos 30. *Conſtantinopoli* aliquando faſſus eſſe, *Hottingerum* plures manu ſuâ exiguo ſpatio deſcripſiſſe libros, quàm alii per totam vitam ſint lecturi: nec in orbe Chriſtiano hâc ætate quempiam ſe ſcire, qui in hiſce ſtudiis paria cum eo facere poſſit.

A. 1641. Cum D. *Guilielmus Boswellus Conſtantinopolin* iter pararet, ut ibi nomine fœderatorum *Belgii* Ordinum Legati munere defungeretur, is monitus à *Cornelio Hagâ*, Legatione eâ perfuncto, ut *Hottingerum* ſibi comitem futurum à concionibus ſacris adſciſceret, hanc ipſi provinciam obtulit.

Conſtantinopolin fruſtrà iter parat.

Sed *Tigurinis* huic conatui intercedentibus, omnis ſpes profectionis hujus decollavit, ſuccedente poſtmodùm eâ provinciâ in humeros *Levini Warneri*, qui longo tempore *Conſtantinopoli* ſubſtitit, Collectâ Bibliothecâ Orientali pretioſâ, quam A. 1666. fato functus Acad. *Leidenſi* delegavit.

In Angliam transfretavit.

6. Martii A. 1641. In patriam revocatus, *Leidâ* diſceſſit, & cum Electore Palat. *Carolo Ludovico* regiâ vectus navi in *Angliam* transfretavit. Ibi cum *Jacobo Uſſerio*, *Armachano, Hiberniæ* Primate, & *Johanne Seldeno*, Viris doctiſſimis, ad quos ipſi literæ *Belgicæ* aditum fecerant, in colloquium de literis venit.

In Galliam proficiſcitur.

Oxoniæ cum *Pocokio*, & *Cantabrigiæ* cum *Webloco* amicitiæ literariæ fœdus inivit. *Ex Angliâ* ſe contulit in *Galliam*, & *Lutetiæ Hugonem Grotium* familiari colloquio compellavit.

Sed & Eccleſiaſt. illius loci *Drelincurtium, Dailleum, Meſtrezatium* vidit & coluit. *Gabrielem* etiam *Sionitam*, *Syrum*, & *Marinum Marſennum* Monachum Hebraicè doctiſſimum, & in Mathematicis verſatiſſimum convenit; ut, cum iis de Orientali literaturâ ſermones conferret. Sic peregrinis opibus auctus, eodem anno 1641. in patriam redux lætitiâ publicâ civium receptus eſt.

Redit in Patriam.

Fit Profeſſor Hiſtor. Eccleſiaſt.

Ibi A.C. 1642. conſentientibus Procerum utriusque Ordinis votis, ei demandata eſt Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Profeſſio Publica in ſuperiori Collegio obeunda. In hac, quam ſatis diu ſuſtinuit, Profeſſione, feliciter ſimul & fructuoſè explicavit vela ingenii, & omniſciam penè memoriam.

Conjugium ejus.

Eodem anno 1642. Uxorem duxit *Annam*, *Joh. Henrici Huldrici*, Eccleſiæ ad Spiritum Sanctum Miniſtri, multiplici Linguarum notitiâ clari, filiam unicam, *Jacobi* verò *Huldrici* S. Theol. Profeſſoris & Collegii *Caroli* Præpoſiti neptem. Ex eâ nata eſt ei pro

les

Digitized by Google

les numeroſa ſatis. Tribus, ut poſteà dicetur, eodem genere lethi cum ipſo extinctis, aliisque morte præmiſſis, ſuperſtites reliquit ſex, filios 4. *Joh. Henricum*, Verbi Divini Miniſtrum, & in ſtudiis Orientalibus ſatis provectum, *Salomonem*, *Jacobum*, & *Conradum*, optimæ ſpei omnes: filias duas, *Dorotheam* & *Annam*, quarum illa nupta fuit *Joh. Caſparo Wolphio*, Verbi Divini Miniſtro, *Joh. Jacobi Wolphii*, Linguæ Græcæ Profeſſoris, filio.

Profeſſor Theol. Catecheticæ & Linguar. Orient.

A. 1643. Theologiæ Catecheticæ in Collegio Humanitatis, & Linguarum Orient. in ſuperiori publicâ autoritate ei impoſita, & ſuperiori illi adjuncta eſt, quam pari fide & ſucceſſu ſuſtinuit. Publicæ tunc inſtitutioni adjunxit crebras Diſputationes, & privatam inſtitutionem.

Hebræus vapulat à patre propter Hottingerum.

Quod verò Linguæ Hebraicæ ad ſtuporem usque peritus fuerit, teſtatum fecit Rabbinus quidam *Heidelbergæ* ab eo compellatus cum filio adulto jam, quem diu Pater Linguam *Hebraicam* docuerat. Is Rabbinus cùm audiret *Hottingerum* expeditè ſecum *Hebraicè* colloquentem, indignatione ſævâ commotus erga filium adſtantem in eum irruit, & inſigniter eum, non ſine riſu adſtantium, depexum dedit, additis his verbis: *Nebulo, tàm longo tempore te Linguam Hebraicam docui, & pateris adhùc à Chriſtiano hoc te vinci!* Sed etiam *Arabicè*, *Syriacè*, *Chaldaicè*, *Copticè*, *Turcicè* & *Perſicè* locutus eſt admodùm promptè

Profeſſor Philoſ. & Theol. Vet. Teſt. Canonicus.

A. 1653. Artium Rhethoro-Logicarum ordinarius, & Theologiæ Veteris Teſtamenti atque controverſiarum extra ordinem Profeſſor deſignatus, ſimulque Canonicorum ordini adſcriptus eſt. Conjunctam cum eâ Profeſſione Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & Linguarum Orient. Profeſſionem retinuit.

Vocatur Heidelbergam.

A. 1655. 15. Junii *Heidelbergam* vocatus, literis ab ipſo Electore ad Senatum *Tigurinum* ſcriptis, quæ illum tres præter propter annos ad exornandam Veteris Teſtamenti, & Linguarum Orient. profeſſionem mutuò concedi datâ poſtliminii fide expetebant, de quâ vocatione paulò antè *Daniel Toſſanus* literis 1. Maji exaratis privatim cum eo egerat, Senatu ex ſtudio Principi gratificandi concedente, 3. Julii *Tiguro* ſolvit, & *Baſileæ* Doctoris titulum & gradum accepturus ad breve tempus ſubſtitit.

Ibi igitur, præmiſsâ præliminari inter *Buxtorfium*, *Wetſtenium*, & *Grynæum*, Theologos *Baſilienſes*, cum *Hottingero* συζητήσει, quæ examinis fungebatur vicem, 21. Jul. de duobus primariis fidei Chriſtianæ articulis, Scripturâ ſacrâ, & gratuitâ peccatoris per Chriſtum juſtificatione, publicam pro more velitationem ſuſtinuit, exercentibus ipſum *Georgio Crocio* & *Kleppero*, *Haſſis*, *Wazegenio* Nobili *Auſtriaco*, nec non *Luca Gernlero* & *Werenfelſio*, Miniſtris tum *Baſileenſibus*.

Cum itaque omnium facilè applauſum promeruiſſet, 26. Julii, poſtquàm de Jubilæo Orationem publicam dixiſſet, *Johannes Buxtorfius*, Linguæ Sanctæ Profeſſor, meritos ei honores Doctorales contulit, & Senatus *Baſil.* publicis expenſis ſumtuoſum in ejusdem honorem convivium, raro anteà exemplo, celebravit.

Fit Doctor Theol. Baſileæ.

28. poſt die iter ſuum, Comite amiciſſimo *Rodolpho Wetſtenio*, proſequi perrexit, & 1. Aug feliciter confecit. *Heidelbergæ* porrò Profeſſionem ſibi demandatam d. 16. Aug. Oratione inaugurali, de Scripturæ & Linguar. Oriental. ante Reformationem contemtu, auſpicatus eſt Commentariis in Geneſin & Pſalmos, quibus, quoad *Heidelbergæ* docuit, conſtanter inhæſit.

Heidelbergæ Profeſſionem Theologic. auſpicatur.

Eodem anno Ephoria & Oeconomia Collegii Sapientiæ ipſi commiſſa eſt: cui paulò pòſt acceſſit Provincia Senatoris Eccleſiaſtici, ut vocant, non minùs negotiorum varietate & curarum pondere oneroſa.

Ephorus Collegii Sapientiæ, & Senator Eccleſiaſt.

Eodem tempore, cum Vir magnus ex *Belgio*, *Gisbertus Voëtius* ei ſeriò aures vellicaret, Typographiam Orientalibus ſuis conatibus obſtetricaturam *Heidelbergæ* inſtruxit. A. 1656. Rectoratûs Academici gubernacula ad ipſum invitum devoluta ſunt. Tunc temporis conſiliis de Pace *Reformatos* inter & *Lutheranos* ſarciendâ à Sereniſſ. Principe tunc ſaxum illud magnâ contentione volvente implicitus, aliquot Diſputationes Irenicas ad ventilandum propoſuit, non tamen eo eventu, quem calidis votis boni omnes præceperunt.

Fit Rector Acad. Heidelb.

A. 1657. Depoſito Rectoratu, Decanatûs onus ſuſcepit. A. 1658. Jubente Electore in ejusdem Comitatu *Francofurtum* ad Comitia Imperii conceſſit. Ibi per aliquot hebdomadas commoratus, cum D. *Jac. Wellero* Elect. *Sax.* Eccleſiaſte, de Pace Eccleſiaſticâ ſermones altiores miſcuit, & cum *Jobo Ludolffo*, *Æthiopum Habeſſinorum* Linguæ & Hiſtoriæ callentiſſimo familiaritatem intimam contraxit.

Francofurtum ad Comitia venit cum Elect. Palat.

Ab hoc accepit Syllogen Lexici *Æthiopici*, & fidei Confeſſionem *Claudii Regis Æthiopiæ* A. 1555. ſcriptam.

Heidelbergam reverſus, & finito jam triennio, de reditu in patriam ſolicitus fuit. Sed Elector ſcriptis ad Senatum *Tigurinum* literis uti *Hottingeri* uſuram Eccleſiæ & Academiæ *Archipalatinæ* commodis longiorem ne invideret, facilè cupita obtinuit: cumque paulò pòſt *Johannem Wirtzium* Theolog. Profeſſorem mors ſubita abſtuliſſet, ita *Hottingerus* ei ſuffectus eſt, ut ad obeundum illud munus vicariâ potiùs alterius operâ uti, quàm Principis ingratiis eum domum ſolicitare decreverint.

Legatus ad Ducem Wirtenb.

A. 1659. Ad Ducem *Wirtenbergicum Stutgardiam* profectus eſt à Republ. *Tigurinâ* magnâ de publicâ re legatus.

A. 1661. Cum à Senatu *Daventrienſi Henrico à Dieſt* Theologo emerito ſucceſſor, à Principe *Haſſiaco* in Academiam *Marpurgenſem* ad Theol. Profeſſionem, & à *Bremenſibus* per literas expeteretur, irrita tamen

fuêre

fuère precantium ſtudia. Nam Patriæ Proceres Sereniſs. Electorem enixis precibus rogârunt, ut ei patrios lares repetendi licentiam clementer concederet. Hic igitur gratiâ diſcedendi ei factâ, ſimul per literas *Tigurinis* gratias egit, & *Hottingero* honorariam Conſiliarii Eccleſiaſtici Provinciam domi gerendam decrevit & detulit. Sed paulò antequàm vaſa colligeret, filiam *Annam Catharinam Eliſabetham* dyſenteriâ epidemicâ ſublatam amiſit.

Tigurum revertitur.

28. Oct. A. 1661. *Heidelbergâ* cum familiâ diſcedens 8. Nov. *Tiguri* appulit, publico omnium gaudio exceptus. Ibi princeps ei cura fuit ſtudii Theologici promovendi, ideò Diſputationes frequentiores ut poſthâc instituerentur auctor fuit.

Præſes eſt Collegii Theologorum Biblia Germ. emendantium.

Et cum eo tempore negotium Miniſtris datum eſſet, Biblia Germanica juxta authenticorum codicum exemplar, ſicubi à fontibus verſio uſitata longe abiverit, limandi, diſtributis operis ille præfuit ei Collegio, quo reviſio tentata eſt, duravitque labor hic quinque continuos annos.

A. 1663. Iter ſuſcepit in vicinam Sueviam publico nomine miſſus, ut cum D. *Valentino Heidero Lindaviæ* de ſubſidiis adversùs *Turcam*, qui tunc arma per *Hungariam* circumtulit, conſilia ſociaret.

Per Germaniam & Belgium iter ſuſcipit.

A. 1664. in *Germaniam* & *Belgium* gravis negotii curandi gatiâ profectionem inſtituit, quâ occaſione gaviſus eſt ſibi affulgere opportunitatem tum veteres amicos amplexandi, tum novos ſibi conciliandi *Heidelbergæ*, *Duisburgi*, *Veſaliæ*, *Ultrajecti*, *Leidæ*, *Hagæ Comitum*, *Caſſellis* & *Marpurgi*.

Edit epiſtolam de fallaciis Nathan Levi Judæi.

A. 1666. Epiſtolam vernaculo idiomate & occultato auctoris nomine ſcripſit, quâ demonſtravit, præſtigiis quàm veritati ſimiliora eſſe, quæ tunc temporis *Nathan Levi* ſtupidæ Judæorum credulitati propinavit, & Judæis ſeriò incumbere, ut, occaſione hâc invitati, ſedulò inquirant, annon tempus Meſſiæ adventui condictum pridem effluxerit?

Vocatus Lugdunum Batav. iter eò inſtituit.

A. 1667. A Proceribus Generalium Ordinum in Academiam *Leydenſem* per literas ad Senatum *Tigurinum* ſcriptas bis vocatus, his tandem ægrè licet annuentibus 5. Junii in viam ſe dedit, cum uxore, 3. liberis, ancillâ, affine *Guilielmo Freigio*, & *Georgio Schneebergero* Cohortis Equitum Magiſtro, committens ſe fluvio *Limago*, ad prædiû ſuum duab. à civitate leucis diſtans, cui *Pacimontani* nomen dederat, deſcenſurus, & Nobili Toparchæ certâ conditione ad tempus usque reditûs ſui illud utendum fruendum elocaturus.

Miſera ſubmerſio ejus, & Mors violenta.

Cum vix unius teli jactu navis à Civitate abeſſet, ad ſcopulum, quem intumeſcentes aquæ texerunt, inpacta repentè ſubmerſa navigantes omnes excuſſit.

Ipſe *Hottingerus*, nec non Nobilis & Affinis, natando ad vadum eluctati, jam videbantur extra diſcriminis aleam poſiti. Sed cum & conjugem & liberos in ſummo vitæ periculo verſari cernerent, denuò fluvium iis ſuppetias laturi petierunt.

Eam operam dum navant, *Hottingerus* & Nobilis comes, incertum an apprehenſi à liberis, an vorticibus abrepti, denuò ſubmerſi ſunt, & cum aliquandiu ſive inter inſultantes fluctûs jactati natarent, ſive ad obſtantes ſcopulos allidèrentur, tandem exhauſti viribus ab accurrentibus ſpiritum extremum ducentes utrique ex aquis extracti ſunt.

Conjunx, affinis, & ancilla, poſtquam diu fluctuanti cymbæ adhærentes certârunt, & noviſſima jam imminuerant, liberati ſunt. Filia natu maxima *Margaretha* & minima *Eliſabetha*, nec non filius *Johannes* eodem fluvio hauſti, & poſt aliquot horas procul abrepti locis diverſis reperti ſunt.

Hunc exitum habuit vitæ miſerum *Hottingerus*, eundem agens ætatis annum, quem *Zwinglius* in acie occumbens, nimirum 47. A. C. 1667.

Mortuorum cadavera collecta in vicinis ædibus Nobilis Oeconomi *Edlibachii* nocte concubiâ feretris recondita, in Urbem illata, & die 7. Junii, quâ nix decidens magno damno ſegetes affecerat, tumulo illata ſunt.

Octiduo ante triſtem hunc Caſum in cathedrâ publicâ, quam docturus conſcenderat, penſili tabulæ inſcriptum reperit verſum hunc:

Carmina jam moriens canit exequialia cygnus.

Cujus verſûs ſcriptor nunquàm abindè cognoſci potuit.

* *Ex Hiſtoriâ Vitæ & Obitûs J. H. Hottingeri à D. Joh. Henr. Heideggero ſcriptâ.*

Libri à D. Joh Henrico Hottingero editi:

Scripta.

Hodegus Chriſtianus, Chriſtlicher unpartheyiſcher Wegweiſer / *contra Magnificat Solodurenſe*, *Guilielmi Gothardi Canonici Solodur.* In quo libro probavit, Eccleſiam *Tigurinam* neque novam neque Apoſtaticam eſſe, ſed potiùs Eccleſ. Roman. A. 1647.

Theſaurus Philologicus, ſeu *Clavis Scripturæ*, quâ breviter & nervosè reſeratur, quicquid Hebræorum & Arabum habent monumenta de Religione &c. A. 1649.

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Novi Teſtamenti Sceleton, usque ad tempus reformationis. IV. Tomis diſtinctum. A. 1651. *Acceſſit Tomus V. A. 1654.*

Grammatica Chaldaicæ & Syriacæ Linguæ Harmonica. A. 1652.

Analecta Hiſtorico-Theologica, quibus argumentum fecit de neceſſitate Reformationis ſuperiori ſeculo inſtitutâ, de Heptaplis *Pariſienſibus* ſeu Bibliis Regiis, de *Jubilæo Judaico, Chriſtiano*, & *Pontificio*, de *Terræ motu ex mente* Hebræorum, & *Arabum*, *de uſu Linguæ* Hebraicæ *contra Pontificios & Anabaptiſtas*, de *uſu Linguæ Arabicæ in Theologiâ, Medicinâ, Juriſprudentiâ, Philoſophiâ & Philologiâ*, de *lectione & uſu Patrum*. Addidit ſub finem *Cyrilli Patriarchæ Conſtantinopol. Confeſſionem, vitam, & martyrium. A. 1652.*

Diſſer-

Digitized by Google

Diſſertationum miſcellanearum Πεντὰς, de abuſu Patrum, de ſcriptis Eccleſiaſticis ſuppoſititiis, de Philoſophiâ Hiſtoricâ, quibus acceſſit Irenicum Helveticum, & methodus legendi Hiſtorias Helveticas. A. 1654.

Juris Hebræorum Leges 261. juxta νομοθεσίας Moſaicæ ordinem & ſeriem digeſtæ, & ad Judæorum mentem ductu R. Levi Barcelonitæ propoſitæ. A. 1655.

Collegium Sapientiæ reſtitutum, ſive Oratio de Collegio Sapientiæ, quod Heidelbergæ eſt. Addidit Orationi notas de Heidelbergenſis Academiæ origine, progreſſu, & privilegiis. A. 1656.

Smegma Orientale, ſordibus, barbariſmo, & contemtui Linguar. Orient. oppoſitum. 1657.

Promptuarium, ſive Bibliotheca Orientalis, exhibens Catalogum, ſive Centurias aliquot tam Authorum quàm Librorum Hebraicorum, Syriacorum, Arabicorum, Ægyptiacorum: additâ Mantiſsâ Europæorum. A. 1658.

Grammatica 4. Linguarum, Hebraicæ, Chaldaicæ, Arabicæ, & Syriacæ Harmonica. 1658.

Cippi Hebraici, ſive Hebræorum tam veterum quàm recentiorum, Tannæorum, Amoræorum, Rabbinorum monumenta, Hebraicè à Judæo quodam teſte oculato, tum intra, tum extra terram ſanctam obſervata & conſcripta, ab Hottingero Latinitate donata, notisque illuſtrata. Additus appendix geminus, alter de variis Orientis monumentis, menſuris, & inſcriptionibus: alter de Nummis Orientalium, Hebræorum maximè & Arabum. A. 1659.

Primitiæ Heidelbergenſes, ſive Tomus Diſputationum à reſtitutâ Academiâ tam publicè quàm privatim ab Hottingero habitarum.

Hiſtoriæ Creationis Examen Theologico-Philologicum.

Centuriæ duæ Quæſtionum Philologico-Theologicarum, de Theologiâ, Principiis fidei Chriſtianæ in genere, Verbo DEI, diſputationibus 30. in Collegio Sapientiæ diſcuſſæ.

Faſciculus Diſputationum Theologico-Philologicarum. A. 1660.

Curſus Theologicus Methodo Altingianâ expoſitus, adjunctâ oratione de Urim, Theologi ideam nobis exhibente.

Etymologicum Orientale, ſive Lexicon Harmonicum Pentaglotton. A. 1661.

Compendium univerſæ Theologiæ Judaicæ, methodo Scholaſticâ ſuccinctè exhibitum.

Epitome, utriusque Juris Hebraici, aphoriſmis Maimonidis exhibita, locis Scripturæ confirmata, & notis generalibus illuſtrata.

Archeologia Orientalis, conſtans tum Compendio Theatri Orientalis, de Arabum, Perſarum, Turcarum, Tartarorum, Indorum, Mauritanorum, Muhameddanorum Statu Politico, Eccleſiaſtico, Scholaſtico, & Oeconomico: tum Topographiâ Eccleſiaſticâ Orientali, quæ brevis eſt Eccleſiæ Orient. ſecundùm nominum, dogmatum, ſedium Patriarchalium, Linguarum, Climatum diverſitatem deſcriptio A. 1661.

Enneas Diſſertationum Theologico-Philologicarum Heidelbergenſium, quibus ſubnexum eſt Compendium Theologiæ Judaicæ. A. 1662.

Bibliothecarium, ſive Tractatus de Officio Bibliothecarii, de Bibliothecis veteribus & novis in genere, & in ſpecie de Scriptis & Scriptoribus Anglicanis. Adjuncta eſt Bibliotheca Theologico-Hiſtorico-Critica. A. 1663.

Modeſta Apologia Diſceptationi de Euchariſtiâ Soloduri excuſæ oppoſita, quâ demonſtrat, Eccleſiam Tigurinam de Euchariſtiâ juxta ſcripturam ſentire atque docere: Tranſſubſtantiationem contra eſſe dogma, quod ſcripturæ repugnet.

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Tomus VI, Reformationis verò I, in quo Reformationis qualitatem & cauſas expoſuit. A. 1664.

Hiſtoriæ Eccleſiaſt. Tom. VII. & VIII, Reformationis verò II. & III. A. 1665. & 1666.

Hiſtoriæ Eccleſ. Tomus IX. Reformationis verò IV. A. 1667.

Johannes Saubertus, tum temporis S. Theolog. & Linguar. Orient. in Acad. Juliâ Profeſſor, hoc ei ſcripſit Epicedium:

Unam Hottingeri Linguam vix merſerat unda,
Confeſtim linguis pluribus hæſit aqua.

Anagrammata:

JOHANNES HENRICUS HOTTINGER TIGURINUS, SACRÆ THEOL. D. ET EJUSDEM AC LINGUÆ SANCTÆ PROFESSOR P. CELEBRIS.

Hîc Germanus olor ſitus eſt: Heu Gloria Phœbi
Ingens cecidit è terris raptâ vi ſati cadens:
En ſenes! en Lucra!

f. Georg. Chriſtoph. Petri Med. D. Mogunt. Naturæ Curioſorum Collega.

JOHAN. HEINRICUS HOTTINGERUS.

Honor ſanè Tigurinus heic ineſt.

Jac. Anton. Vulpius, Gymnaſiarcha Bernenſis.

JOHANNES HEINRICUS HOTTINGERUS DOCTOR.

In regno Dei coronatus ſine tot curis.

Joh. Jacobus Ruegius.

DOMINUS JOHANNES HENRICUS HOTTINGERUS.

1. *Heros ingenio ob ceu Titan merſus in undis.*
2. *Ingentes uſu Theſauros ordine in omni.*
3. *Aonides nunc jure gemunt heu! ſorte Sionis.*
4. *In natis revireſcet honos, hui! omine dignus.*

Beatus Holtzhalbius Secretar. Tigur.

Obiit Anno:

HottIngerVs LeIDaM VoCatVr. Aſt LeIDaM VoCatVs aqVaperIt QuIppe quem SVffoCarVnt LIMapI VnDæ.

Caſp. Huldricus Reip. Tigur. CC.um Vir.

JOHANNES PREIBISIUS.

Obiit A.C. 1667.

Sprottaviæ in Sileſiâ poſthumus natus eſt 13. Nov. A. C. 1587. Patrem habuit Georgium Preibiſium, Civem primarium, & multis annis in patriâ xenodochii præfectum, Matrem Dorotheam, Johannis Seelingeri, Conſulis Sprottavienſis, filiam, quæ vi-

dua permanens 84. ætatis annum attigit.

Puer domi cum fratribus *Chriſtophoro* & *Georgio* privatum habuit Præceptorem *Abrahamum Hertelium*, poſteà ſcholæ *Embdenſis* Rectorem.

A. 1604. In Gymnaſium *Uratislavienſe* ſtudiorum gratiâ conceſſurus, *Lipſiam* priùs in nundinis Paſchalibus ſe contulit, ut Depoſitionis actum pro more ſtudioſorum ſuſtineret. Ibi frater ejus *Chriſtophorus Preibiſius*, tunc Philoſ. Magiſter, poſteà Jur. Doctor & Profeſſor *Lipſienſis*, peracto examine, perſuaſit ei, ut loco Gymnaſii in Academiâ *Lipſienſi* permaneret, quod conſilium amplexus, usque ad A. 1611. propriis ſumtibus ibi ſtudiis operam dedit.

Frater Chriſtoph. Preibiſii J. C. & Prof. Lipſ. Lipſiæ ſtudia ordi- tur.

Ibidem A. 1607. in Baccalaureum ſub Decanatu M. *Chriſtoph. Hunichii* Mathematici promotus, & 1609. Decano M. *Friderico*, & Procancellario Dom. *Johanne Neldelio*, Log. & Ethicæ Profeſſore, cum laude Magiſter Philoſophiæ creatus eſt.

Magiſter Philoſ.

Poſt promotionem hanc Diſputationem ordinariam pro loco inter Magiſtros pro more publicè habuit, & abindè Theologos celebres D. *Harbartum*, D. *Weinrichium*, & Licent. *Mühlmannum* publicè profitentes ſedulus audivit.

A. 1611. *Sprottaviam* à matre revocatus, ut nuptiis quibusdam intereſſet, vocatus à *Carolo*, Barone à *Kittlitz*, ad Eccleſiæ Paſtoratum *Iavernitii* in ducatu *Suidnicenſi*, prægreſſis *Francofurti* ad *Viadrum* examine & ordinatione, M. Dec. Miniſterium ſuum alacriter aggreſſus eſt.

Paſtor Eccleſiæ Iavernitii.

A. 1614. Conjugium iniit *Arnsdorfii* cum virgine *Dorotheâ*, filiâ *Martini Feigii*, Eccleſiæ Paſtoris in *Parchwitz*, tunc apud fratrem *Johannem Feigium*, Eccleſiæ ibi Paſtorem commorante.

Cum eâ raro exemplo 53. annos in conjugio felici & pacato exegit, ex eâque 3. filios ſtudiis deditos, totidemque filias honeſtè elocatas reliquit ſuperſtites.

In conjugio 53. annos exegit.

Ex filiis *Johannes Preibiſius* Conſul, Notar. Publ. & Advocatus fuit *Soraviæ*, & *Gotfridus* Patri in Eccleſiæ Paſtoratu ſucceſſit. Ex liberis ſuis 23. Nepotes, & 6. Pronepotes vivos cum uxore ſuâ vidit.

A. 1523. Vocatus à fratribus *Sigismundo* & *Seyfrido*, Baronibus à *Kitlitz*, *Iavernitio*, in Groſs Contzendorff ditionis *Saganenſis* conceſſit, ubi per 44. annos Eccleſiæ Paſtorem egit. A. 1627. Ab Imp. *Ferdinando II.* Equeſtri dignitate & Nobilitate cohoneſtatus eſt.

Paſtor in Groſs Contzendorff.

Varias intereà miniſterii ſui tempore belli, peſtis & famis calamitates patienter cum ſuſtinuiſſet, morbis variis conſumptus, paralyſi præſertim longo tempore afflictus, viribus ſenſim deficientibus placidè exſpiravit 13. Julii anno Chriſtianæ ſal. 1667. ætatis 80. miniſterii 57.

Moritur.

* *Ex Concione fun. Mich. Fetteri Paſt. Eccleſ. Sagan.*

JEREMIAS TAYLOR.

Obiit A. C. 1667.

Cantabrigiæ, in Diœceſi *Elienſi*, natus, & ibidem, in Collegio nimirum *Gonvilli* & *Caii*, literis Academicis imbutus eſt; ubi gradum quoque Magiſtralem adeptus, aliquandiu permanſit. Poſtmodò autem *Londinum* ſe conferens, Prælectoris Theologici in Eccleſiâ Divi *Pauli* Cathedrali munus obivit, & ob conciones ibidem habitas paſſim celebratus *Laudo* tandem, Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, innotuit, eoque ſuadente operamque conferente, *Oxoniam* profectus Collegii omnium Animarum Socius deligitur, anno 1636.

Londini Prælect. Theol. in Eccleſ. D. Pauli.

Eodem quaſi tempore in Capellanorum Regiorum numerum aſcitus eſt; ad maximas procul dubio dignitates propediem perventurus, niſi bellorum Civilium flamma annis abindè paucis prorupiſſet.

Capellanus Regius.

Anno 1642. ex Regiis literis ad Univerſitatem *Oxonienſem* transmiſſis, in convocatione illâ ſolenni, primo Novembris celebratâ Sacræ Theologiæ Profeſſor, unà cum aliis benè multis creabatur. Malis poſtmodò innumeris, propter fidem adverſus Regem intemeratam, tàm in *Angliâ*, quàm in *Hiberniâ* conflictabatur; unusque è multis erat, inter primos licet numerandus, quorum Pietas & eruditio Eccleſiæ *Anglicanæ* exiſtimationem peſſimis temporibus tuebantur, vel etiam auctiorem reddidère: unicum optandum, quod in rebus ſacris philoſophandi libertatem non retinuiſſet.

Theol. Profeſſor Oxon.

Reverſo in *Angliam* ſoliumque avitum *Carolo II.* ad Epiſcopatum *Dunenſem* & *Connorenſem* in *Hiberniâ* evocatus eſt, & aliquando pòſt Epiſcopatum *Dromorenſem* ex indultu Regio adminiſtrandum ſuſcepit.

Epiſcopus Dunenſis, Connorenſis, & Dromorenſis.

Artes omnes & ſcientias liberales ad unguem callebat, ratiocinandi facultate promptiſſimâ ſimul & firmiſſimâ præditus; ob eloquentiam verò ſuavem & exundantem in pretio potiſſimum habitus, quanquam & eruditione omnigenâ (id quod indiciis frequentibus & expeditis ſatisfecit manifeſtum) inſtructiſſimus erat: deniq; hiſce omnibus animi bonis, Coronæ adinſtar acceſſit eximia vitæ, omni prorſus labe immunis, probitas & ſanctimonia.

Scripſit ac edidit Tractatus varios Theologicos, quos plurimi ſemper facturi ſunt boni omnes ac eruditi; ſpeciatim verò Epiſcopatum, & Eccleſiæ *Anglicanæ* Liturgiam ac Miniſterium, ſcriptis validiſſimè propugnavit.

Scripta.

Lisburniæ inter *Hibernos* Septentrionales obiit Clariſſimus Antiſtes, & de re literariâ optimè meritus, 13. Aug. anno 1667. indque ſacello exiguo, quod ipſe ex Eccleſiæ *Dromorenſis* Cathedralibus ruderibus erexerat, ſepultus jacet.

Moritur.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

SAMUEL LANGIUS.

Obiit A. C. 1667.

Meuſelwitzii, pago *Altenburgico* natus eſt 18. Febr. A. C. 1618. Patre *Chriſtiano Langio*, Theol. Doctore & Profeſ-

ſore

Filius Theol. fore *Lipſienſi*, ad S. *Thomam* Paſtore & Superintendente: Matre *Catharinâ*, M. *Johannis Felleri*, Superintendentis *Pegavienſis* & Polyhiſtoris filiâ.

Primâ ætate ſtatim domi quidem M. *Samueli Herfordio*, & M. *Tobiæ Petermanno*, Scholæ *Pirnenſis* poſteà Rectori, foris autem Dom. M. *Johanni Friderico*, Scholæ *Nicolaitanæ Lipſiæ* moderatori & Linguæ Græcæ Profeſſori Publico traditus informandus.

Lipſiæ Studioſus. A. 1634. Cum Pater ejus Rector Academiæ fuiſſet electus, ab eodem Matriculæ Studioſorum inſertus eſt. Privatim tunc M. *Hieronymi Recklebii*, Organi Prof. Publ. informatione uſus, publicè in Academiâ *Lipſienſi* docentes audivit M. *Gotfridum Raſpium*, Dialecticæ, D. *Chriſtoph. Preibiſium* Phyſicæ, Licentiatum *Zachariam Schneiderum* Ethicæ, D. *Chriſtoph. Bulæum* Poëſeos, Licent. *Andream Corvinum* Oratoriæ, & Licent. *Philippum Müllerum* Mathematum Profeſſores Publicos.

Wittenbergæ. 1. Jul. A. 1635. Patris ſui juſſu, *Wittenbergenſem* adivit Academiam, in quâ Præceptorem habuit privatum *Mart. Caſelium*, tunc Magiſtrum, & Facultatis Philoſ. Adjunctum, poſteà verò Superintendentem generalem *Altenburgicum*, cujus contubernalis cum eſſet, ultra 20. Collegia Philoſophica ſesquianni ſpatio habuit.

Publicè verò Profeſſorum *Joh. Sperlingii*, *Jacobi Welleri*, *Eraſmi Schmidii*, & *Auguſti Buchneri* lectiones frequentavit.

A. 1637. *Lipſiam* à Dom. Parente revocatus, & in ſtudiis Theologicis informationi privatæ D. *Davidis Aurbachii* Theol. Profeſſoris extraordinarii concreditus, publicè quoque docentes, præter Dom. Parentem ſuum, *Henricum Höpfnerum*, & *Ananiam Weberum*, Theol. Doctores & Profeſſores indefeſſus audivit.

Helmſtadii. A. 1639. *Helmſtadium* progreſſus, poſtquàm ibi biennii ſpatio D. *Georg. Calixtum*, & D. *Conradum Horneium* publicè profitentes audiviſſet, Dom. Patre vocante A. 1641. *Lipſiam* reverſus, præ cœteris D. *Henrici Höpfneri* Lectionibus & Diſputationibus privatis ac publicis tempus impendit.

Exercitia ejus Academica Lipſiæ. Intereà publicas aliquot habuit Diſputationes, in Philoſophiâ, De causâ efficiente, de ſigno & ſignato; in Theologicis verò De converſione hominis irregeniti, de Hæreſi Arianâ, de 7. Verbis Chriſti &c. Privatim verò Collegia varia tàm Logica quàm Metaphyſica & Theologica habuit: & de Hæreticis Tractatum peculiarem publicè prælegit.

Philoſ. Baccal. & Magiſter. Baccal. Licent. & Doctor Theol. Indefeſſus itaque ſtudiorum ſectator per gradûs ab imis ſupremos conſcendit honores, creatus 4. Oct. A. C. 1634. Philoſophiæ Baccalaureus, A. 1637. Magiſter, 6. Jul. A. 1643. Baccalaureus & Licentiatus Theol. & demùm 23. Sept. A. 1651. Doctor Theologiæ ſolenniter renuntiatus.

A. 1643. Superintendentis *Pegavienſis* munus ſibi oblatum ſuſcepit, quod cum 16. annis Deo, conſcientiæ, & auditoribus ſatisfaciens geſſiſſet, *Lipſiam* vocatus, Archidiaconus ad D. *Thomæ* A. 1659, Paſtor in æde *Nicolaitanâ* A. 1661, unàque Theol. Profeſſor publ. poſt obitum D. *Joh. Hülſemanni*, A. 1663. Magnificus Academiæ Rector, A. 1665. Paſtor Eccleſiæ ad S. *Thomam*, Diœceſeos *Lipſienſis* Superintendens, Conſiſtorii Electoralis Aſſeſſor, & Facultatis Theologicæ Decanus factus eſt. A. tandem 1666. inter Canonicos Capituli *Miſnenſis* cooptatus eſt. *Lipſiæ Archidiaconus ad D. Thom. Theol. Profeſſor. Superint. Lipſ.*

A. 1643. Conjugio junctus eſt cum virgine *Catharinâ Margarethâ*, *Matthiæ Götzii*, Civis primarii & Bibliopolæ *Lipſ.* filiâ, quæ ipſum 8. liberorum Patrem fecit, *Chriſtiani Matthiæ*, *Catharinæ Margarethæ*, *Catharinæ Sophiæ*, *Chriſtiani Ephraimi*, *Chriſtiani Samuelis*, *Chriſtiani Johannis*, *Chriſtiani Gotofredi*, & *Chriſtiani Chriſtophori*, quorum liberorum duo primi & ultimus Dom. Parentem præceſſerunt, cœteri, plerique minorennes adhuc, ſuperſtites manſerunt. *Conjugium ejus & Liberi.*

Cum verò poſt incendium *Pegavienſe* tremor corpus ejus, & pedes præcipuè, ut officium ſuum ritè non ampliùs facerent, occupâſſet, vita ſedentaria viſcera principalia debilitans, noxios in corpore collegit humores, undè exorta varia ſymptomata vires corporis ſenſim conſumpſerunt. Intereà Thermis *Wolckenſteinenſibus*, Medico ſuo D. *Auguſto Hauptmanno* ſuadente, fruſtrà per tres ſeptimanas uſus. *Ejus morbi.*

Mortem itaque ſibi inſtare perſpiciens, per 4. ultimas vitæ ſuæ ſeptimanas quotidiè 8. Scholæ *Thomanæ* diſcipulos, ad lectum ſuum vocatos, hymnos aliquot ſacros, quos manu ſuâ conſignârat, decantare juſſit. Inter quas cantiones & adſtantium preces placidè ſpiritum exhalavit 16. Octob. A. C. 1667. æt. 49. *& Obitus.*

* *Ex Concione fun. Eliæ Sigismundi Reinharti Theol. Doct.*

Et ex Oratione fun. Joh. Ad. Schertzeri Facult. Theol. Decani.

Edidit:

LXVIII. Andachten Chriſt-ſeeliger Sterbkunſt. *Scripta.*

JOHANNES JACOBUS WOLLEBIUS.

Obiit A.C. 1667.

B*Aſileæ* natus 26. Jan. A. C. 1613. Patrem habuit D. *Johannem Wollebium*, Eccleſiæ *Baſilienſis* Antiſtitem, Matrem *Catharinam Falckiſiam*.

Studiorum curſum in Patriâ feliciter auſpicatus, A. 1628. primam Lauream, & A. 1630. Magiſterii Gradum impetravit. Studio deindè Theologico deditus A. C. 1634. ætatis 21, prægreſſo examine, Diaconus *Baſileæ* ad S. *Petrum*, & A. 1638. ejusdem Eccleſiæ Concionator declaratus eſt. A. 1637. In Academiâ patriâ munus Profeſſoris Oratoriæ & Muſicæ aggreſſus eſt. *Philoſ. Magiſter Baſileæ. Paſtor Eccleſ. ad S. Petrum. Orator. & Muſicæ Profeſſor.*

Per mortem tandem beatam vitam clauſit 30. Oct. A. C. 1667. ætatis 55. *Moritur.*

* *Ex Concione fun.*

Obiit A.C. 1661.

MICHAEL WEBERUS.

LAubenzedelii, pago, *Guntzenhuſæ* oppido vicino d.29.Sept.Archangelo *Michaëli* ſacro, mundum ingreſſus eſt A.C.1593. ex parentibus ruſticis, *Johanne Webero*, & *Margarethâ Keimiâ* progenitus.

Fil. agricolæ.

Puerum parentes Dom. *Vito Kellero*, Eccleſiæ patriæ Paſtori, literis informandum dederunt, deindè *Guntzenhuſam* in Scholam Latinam quotidiè miſerunt.

Diſcipulus Guntzenhuſæ.

A.1607. Præceptorum *Wolfgangi Melchioris Stablii*, Rectoris, & *Theodori Galli*, Cantoris ſuaſu, Parentes eum *Norimbergam* in Scholam *Sebaldinam* amandârunt, in quâ mox, juſſu Rectoris M. *Georgii Reipii*, tertiam Claſſem frequentare cœpit.

Norībergæ ad D. Sebald.

A.1609. Cum 4. condiſcipulis *Norimbergâ* diſcedens, *Neoſtadii*, veteris *Marchiæ Brandenburgicæ* oppido, Rectoris Scholæ M. *Chriſtoph. Barthii* diſcipulus fuit.

Neoſtadii.

A.1610. *Stendaliam* indè progreſſus, & M. *Levini Dippii* Rectoris uſus informatione, A. 1611. *Norimbergam* reverſus, in Scholâ *Sebaldinâ* iterùm triennium ſub diſciplinâ M. *Joh. Zunneri* Rectoris exegit.

Stendalii.

A.1614. M. *Chriſtoph. Leibnitzius*, Collegii *Sebaldini* Diaconus ſenior, famulum eum ſibi conſtituit, & Stipendium *Fetzerianum* impetravit, cujus ſubſidio nixus A. 1616. Univerſitatem *Wittenbergenſem* adivit, literis commendatitiis D. *Jacobi Schopperi* Theol. Prof. *Altorfini*, ad D. *Leonhart. Hutterum*, nec non Dn. *Joh. Schröteri*, Theologi *Laurentiani*, ad D. *Balthaſ. Meiſnerum* inſtructus. Ibi cum febre correptus 12. ſeptimanis æger decubuiſſet, ut aërem mutaret, ſuadente D. *Dan. Sennerto*, Med. Profeſſore jam tum celebri, A.1617. *Norimbergam* rediit.

Wittenbergam adivit.

Tunc æger licèt adhuc à Dom. *Johanne Ringmachero* Mercatore, ut liberos ſuos literis informaret, in ædes receptus eſt, donec convaluit, & eodem adhuc Anno in Academiam *Altorfinam*, ſtudii Theologici gratiâ, conceſſit. Ibi Dnn. Profeſſoribus ob pietatem, modeſtiam, & probitatem acceptus fuit.

A.1618. Dn. *Johannes Micha*, *Altorfio* diſcedens, ad Diaconatum in Templo S. *Mariæ Norimbergam*, hunc diſcipulis ſuis *Georgio Sebaſt. Starckio*, Patritio, & *Philippo Praunio*, Claſſicis adhuc auditoribus præfecit.

Altorfii Præceptor privat.

Non multò pòſt Præfectus *Altorfinus*, nobilis Dom. *Sigismundus Hallerus*, Præceptorem eum domeſticum filiis ſuis tribus conſtituit. Tunc horis ab informatione ſibi conceſſis, Collegia diverſa Philoſophica & Theologica inviſit, & A.1619. Sub M. *Georgio Rittero*, Diacono & Theol. Profeſſore, *Diſputationem Catecheticam de quarto Decalogi Præcepto* publicè propugnavit. Brevi pòſt, Præſide Dn. D. *Chriſtiano Matthiâ*, Collegii *Antiphotiniani prioris Diſputationem nonam, De attributis Divinis ad extrà* publicè reſpondendo defendit.

Diſputationes Theolog. duas defendit.

A. 1620. die Apoſtolorum *Petri & Pauli*, Decano Dom. D. *Georgio Nöſlero*, Philoſ. & Med. Doctore ac Profeſſore, cum 11. Competitoribus Magiſter Philoſ. ſolenniter renuntiatus eſt.

Philoſ. Magiſter Altorfii.

A. 1622. Jubente Concionatore Dom. *Joh. Fabritio Norimbergam* veniens, unà cum M. *Cornelio Marci*, Alumnorum *Noricorum* Inſpectore, & M. *Melch. Diemio* examini Theologico ſe ſubmiſit, & paulò pòſt in feſto Paſchatos ſecundo, ejuſdem Concionatoris juſſu, in Templo ad S. *Sebaldum* Concionem habuit, cujus audiendæ gratiâ pater ipſius per 6. milliaria *Norimbergam* venit.

A.1623. M. Majo, prægreſſâ ordinatione & præſentatione conſuetis, in oppido *Norico Lauffâ* Diaconi munus, M. *Johanni Ferbero* ſuccedens, aggreſſus eſt.

Diaconus Lauf.

16. Junii ejuſdem anni *Norimbergæ* ſponſalia celebravit cum virgine *Dorotheâ*, *Pauli Lautenſack*, Organœdi *Sebaldini*, relictâ filiâ: ex quâ 4. liberos ſuſcepit, *Gabrielem*, & *Urſulam Barbaram* in primâ infantiâ denatos, ſuperſtites verò M. *Paulum Weberum*, Diaconum poſteà *Sebaldinum*, & Dom. Patris ſeptennio Collegam, cum *Catharinâ*, M. *Joh. Carolo Stephani*, Diacono quoque *Sebaldino* & Collegæ ſoceri per ſexennium nuptâ.

Ex conjugio primo filium & generum Collegas ſortitus.

A. 1627. Cum familiâ ſuâ *Norimbergam* migrans, 19. Aug. Diaconi munus in templo Xenodochiali ad Spiritum Sanctum auſpicatus eſt.

Diaconus Nor. ad Spir. S.

A.1630. Poſt obitum M. *Wilhelmi Groſſii*, Senioris Xenodochiani, Conciones veſpertinas ſingulis diebus Dominicis habere cœpit.

A.1632. M. *Chriſtoph. Reichio*, Diſpoſitore *Sebaldino*, & M. *Chriſtoph. Leibnitzio* Seniore, peſtilentibus febribus tunc graſſantibus, extinctis, & unâ die tumulo illatis, ipſe cum affine ſuo M. *Paulo Lautenſack*, Diacono *Ægidiano*, Diaconus ad D. *Sebaldum* conſtitutus, in eo munere 35. annos fideliter verſatus eſt, & M. *Lautenſack* paulò pòſt peſte ſublati loco *Conciones Pœnitentiales* habuit.

Diaconus ad S. Sebald.

A.1641. Manè diebus Lunæ hebdomatatim concionari cœpit usq; ad A. 1644, quo, propter memoriæ debilitatem, à concionibus dimiſſionem ab inclyto Magiſtratu clementer impetravit.

A.1652. Diſpoſitori *Sebaldino*, M. *Johanni Lindſtadio* vitâ defuncto ſucceſſit, quo munere ſummâ cum fidelitate per vitæ tempus reſiduum functus, Symbolum ſibi familiare, *Conſerva Domine cor meum in hoc unico, ut nomen tuum timeam*, ſemper præ oculis habuit. Variis intereà morbis, febre malignâ A. 1638, dolore iſchiadico, 1642, dyſenteriâ A.1661. conflictatus eſt.

Diſpoſitor ad S. Sebald.

A. 1638. Cum conjugem anno prægreſſo defunctam amiſiſſet, ad ſecunda vota tranſiit, deſponſatus cum virgine *Magdalenâ*, *Joh. Leonharti Riedingii*, Mercatoris relictâ filiâ, cum quâ ſterili 19. annos in conjugio concordi vixit. Ea verò melancholiâ gravi laborans 13. Junii A.1657. noctu clam de latere

Conjugium alterum infelix.

tere mariti dormientis exſurgens, & domo Parochiali egreſſa, in puteum vicinum proſiliit, & die ſeq. mortua domum reportata eſt, ac dein poſtero die ſine ceremoniis conſuetis ſepulta.

Conjugium tertium. 7. Decemb. ſeq. tertium iniit matrimonium cum viduâ M. *Joh. Baptiſtæ Schubmacheri*, Diaconi *Laurentiani*, *Magdalenâ*, quam ſuperſtitem reliquit.

Viribus tandem ex ſenio variisque morbis deficientibus, cum 13. modò diebus lecto decubuiſſet æger, & liberis ſuis integrâ mente valedixiſſet, placidè in Chriſto obdormivit 8. Febr. A. C. 1668. ætatis 75. *Moritur.*

MIChaeL VVeberVs DIspoſItor.

* *Ex Concione fun. M. Pauli Weberi filii.*

MICHAEL WEBER.

Per anagr. M. *Adolphi Sauberti*, Diaconi *Sebald.*

Vivam celeber.

MICHAEL WEBERUS. Per anagr. *Hofmanni:*

Ab verè lucebimus.

Obiit A. C. 1668.

JOHANNES ERNESTUS GERHARDUS.

Parentes ejus. J*Enæ* natus eſt 15. Dec. A. C. 1621. Patre magno illo Theologo *Johanne Gerhardo*, Matre *Mariâ Mattenbergeriâ.* Ille *Bartholom. Gerhardo*, Senatore *Quedlinburgenſi*, & *Margarethâ Brendeliâ* genitus fuerat; Hæc *Johanne Mattenbergero*, Doctore Medico, & inclytæ Urbis *Gothanæ* Conſule, ac *Catharinâ Petzoldiâ.*

Præceptores ejus privati Adoleſcens in literis Præceptoribus uſus eſt *Johanne Othone*, M. *Juſto Jacobo Leibnizio*, poſteà Eccleſiæ *Norimberg.* ad S. *Sebaldum* Paſtore primario, & *Chriſtiano Waſewitzio*, quorum ductu cum utriusque Linguæ fundamenta poſuiſſet, A. 1637. paulò ante obitum Patris, ad acroaſes Academicas ſe contulit, Dom. *Joh. Mich. Dilberri* tunc Hiſtoriar. & Oratoriæ Profeſſoris, *Paradoxa Ciceronis* interpretantis, auditor, quem etiam, ut & M. *Joh. Tob. Majorem*, poſteà Profeſſorem Theologum, eodem anno in addiſcendâ Linguâ Hebraicâ Magiſtrum habuit. *Diſcipulus Joh. Mich. Dilberri.*

Ejusdem auſpiciis proximo biennio Oratoris primò, deinde Reſpondentis perſonam in cathedrâ publicâ ſuſtinuit. In Logicis autem ac Metaphyſicis *Danielem Stablium*, in Ethicis, Politicis ac Phyſicis M. *Balthaſ. Cellarium*, poſteà Academiæ *Juliæ* Theologum, in Chaldaicis & Syriacis M. *Johannem Muſæum*, ac M. *Chriſtianum Chemnitium*, poſteà Profeſſores Theologos, audivit.

Studioſus Altorfii. A. 1640. *Altorfium* ſe contulit, ibique per ſeſquiannum ſtudia ſua continuavit, *Theodori Hackſpani* præcipuè Theol. ac Philologi inſtitutione in Rabbinicis & plerisque linguis Orient. uſus.

Indè cum *Ratisbonam*, ubi tunc Comitia Imperii habebantur, excurriſſet, A. 1642. in patriam reverſus, ſcholis Theologicis interfuit.

Ejusdem anni æſtate adultâ in *Saxoniam* inferiorem profectus, præcipuas illius Urbes, *Brunſvigam*, *Luneburgum*, *Magdeburgum*, *Hamburgum*, *Lubecam*, *Wiſmariam*, Academias item *Helmſtadienſem*, *Lipſienſem*, *Wittenbergenſem* in tranſitu luſtravit, eâque occaſione multis viris illuſtribus innotuit. *Peregrinationes ejus.*

Lubecæ tunc adjutus favore D. *Davidis Gloxenii*, Syndici & Conſulis *Lubecenſis*, nec non D. *Henrici Schabbelii*, Senatoris ibidem, poſteà Conſulis *Wiſmarienſis*, Stipendium *Schabbelianum* ſtudiis ſuis ſubſidium nactus eſt.

Hoc 200. ferè milliarium iter emenſus, domum ad priſtina ſtudia rediit, cumque 4. Febr. A. 1643. in Diſputatione D. *Johannis Muſæi*, tunc Hiſtor. Profeſſoris, defendentis partes ſuſtinuiſſet, paulò poſt 8. Aug. à Collegio Philoſophico, Decano & Brabeutâ M. *Philippo Horſtio*, Philoſ. Practicæ Profeſſore, ſummis in Philoſophiâ honoribus, primo inter præſentes Candidatos loco ornatus fuit. Ex eo tempore S. Theologiæ præcipuè ſtudio incubuit, ita tamen, ut Linguas Orient. haud negligeret. *Magiſter Philoſ. Jen.*

A. 1646. *Wittenbergam* petiit pertexurus, quam in patriâ orſus erat, telam ſtudii Theologici: ubi per quadriennium tàm in Theologicis quàm Philoſophicis docendo, diſputando, concionando ea egregii profectûs edidit ſpecimina, ut non modò A. 1649. inter Adjunctos Collegii Philoſophici ultro cooptaretur, ſed etiam variis in locis, *Marpurgi* præſertim & *Upſaliæ*, de conferendo ei munere Profeſſorio Linguar. aut Eccleſiaſtico conſilia inirentur. *Adjunctus Facult. Philoſ. Witt.*

A. 1650, ineunte vere, ſuaſu Patronorum, iter in *Belgium Galliamque* ſuſcepit, & præcipuas Urbes, Academias, Bibliothecas, variarumque ſectarum ſacra curioſè luſtravit. Viros quoque doctos & famâ celebres paſſim convenit, *Embdæ Henricum Flockenium*, *Gröningæ Samuelem Mareſium*, *Ludov. Camerarium*, *Matthiam Paſorem*, *Anton. Deuſingium*, & *Jac. Altingium*, *Franekeræ Joh. Cloppenburgium*, *Joh. Cocceium*, *Joh. Jacob. Wiſſenbachium*, *Laur. Banckium*, *Joh. Ant. Lindenium*, *Amſtelodami Eliam Taddelium*, *Gotfridum Hottonum*, *Hadrianum Iunium*, *Georg. Gentium*, *Menaſſem Israëlidem*, *Hagæ Job. Catſium*, *Leidæ Claudium Salmaſium*, *Jac. Triglandium*, *Abrah. Heidanum*, *Jac. Golium*, *Marc. Zuer. Boxbornium*, *Ultrajecti Gisbertum Voëtium*, *Carol. Dematium*, *Joh. Hornbeckium*, & fœminarum eruditiſſimam *Annam Mariam Schurmanniam*, *Bredæ Andream Rivetum*, *Lutetiæ* fratres *Puteanos*, *Claud. Saravium*, *Gilbertum Gaulminum*, *Joh. Dallæum*, *Carol. Drelincurtium*, *Gabr. Naudæum*, *Dion. Petavium*, *Jac. Sirmondum*, & *Phil. Labbæum.* *Iter ejus in Belgium & Galliam.*

Indè per *Burgundiam* & *Helvetiam* regreſſus in *Germaniam*, ac *Baſileæ* ſalutatis *Theod. Zwingero* ac *Joh. Buxtorfio*, *Argentorati* ſupra 3. menſes ſubſtitit, Theologor. celebrium D. *Joh. Schmidii*, D. *Joh. Georgii Dorſchei*, & D. *Joh. Conradi Dannhaueri* conſuetudine uſus.

Tandem *Heidelbergâ*, *Francofurto*, *Moguntiâ* in tranſitu viſis, conventisque *Dan. Toſſano*, *Vito Erbermanno*, & *Melchiore Corneo*, *Gieſſæ* aliquandiu commoratus, 21. April. A. 1651. *Jenam* rediit. Ibi 2. April. A. 1652. munus Profeſſoris Hiſtorici ſibi delatum pro virili per triennium exornavit.

Profeſſor Hiſtor. Jenæ.

Anno ſeq. 1653, poſt edita conſueta ſpecimina, uno eodemque die 12. Julii & Doctor Theologus ſolenni ritu, brabeutâ D. *Johanne Muſæo*, renuntiatus eſt, & nuptias celebravit cum virgine *Catharinâ Eliſabethâ*, D. *Guntheri Henrici Platneri*, Conſil. *Saxo-Vinar.* filiâ, & viduâ D. *Chriſtoph. Schelhammeri*, Med. Prof. cum quâ concors & jucundum ei matrimonium fuit: ſuſcepit enim ex eâ filios duos, *Joh. Fridericum*, & *Joh. Erneſtum*, totidemque filias *Sophiam Eliſabetham*, & *Mariam Eliſabetham*, omnes Patri ſuperſtites.

Theol. Doctor. *Deſponſatus.*

A. 1654. Collegii Philoſ. Decanus & brabeuta conſtitutus 3. Februarii die 23. Philoſophiæ Candidatos Magiſtrali dignitate ac privilegiis in ſolenni panegyri ornavit. Idem poſteà munus ſexies adhuc obivit.

Decanus Collegii Philoſ.

25. Febr. A. 1655. Senatûs Academici unanimi ſuffragio, Illuſtriſs. Comiti *Ottoni Gulielmo Königsmarckio* in Rectorem magnificum tunc electo Prorector datus, eo munere à 25. April. ad 26. usque Sept. cum laude functus eſt. Ipſe quoque bis Rectoris Academici officium A. 1656. & 1664. adminiſtravit.

Prorector.

6. Julii A. 1655. Profesſio Theologica ei demandata eſt, quam ad finem vitæ ſuſtinuit. Brabeutæ munere ſemel A. 1664. d. 23. Julii, quando fratri *Johanni Friderico* Doctoris Theologi honores contulit, defunctus eſt.

Theol. Profeſſor. *Fratrem Joh. Fridericum Doctorem Theol. creavit.*

Licèt autem integrâ valetudine à multo tempore vixiſſet, & leviores morbor. inſultûs natura ejus ſæpiùs viciſſet, ſuccubuit tamen ea 16. Febr. A. 1668, æſtuque febrili ſubitò correptus eſt, dum *Exercitationem de aperto Chriſti latere* conſcriberet. Poſtero die apparuit, febrem ardentem eſſe, quâ infeſtaretur, viresque ægri ſic proſtratas, ut humanæ opi locus haud foret. Totum itaq; ſe DEO committens, beatam analyſin patienter exſpectavit, quam & prægustare ſe profitebatur pridiè ſui obitûs, & integro rationis uſu conſecutus eſt die horâque, quas emortuales ſibi fore 24. horas antè prædixerat, hoc 24. Februarii die A. C. 1668. ætatis 47.

Mortem ſuam prædixit.

* *Ex Programm. fun. Rect. Erneſti Frid. Schröteri, Jur. Prof. Et ex Concione fun. D. Sebaſt. Niemanni Superint. Jen.*

Edidit:

Scripta.

Harmoniam Linguar. Orientalium.

Diſputationum Theologicarum faſciculum.

Locorum Theologicorum Epitomen.

De Sepulturâ Moſis.

Conſenſum & diſſenſum Religionum profanarum, Judaiſmi, Samaritaniſmi, Mahummediſmi, Gingis Chamiſmi, & Paganiſmi.

De Eccleſiæ Copticæ, hoc eſt, Chriſtianor. Ægyptiacæ ortu, progreſſu, & doctrinâ.

CHRISTIANUS REINHARDUS.

Obiit A. C. 1668.

Pirnæ natus eſt 14. Febr. A. C. 1616, Patre *Reinhardo Reinhardo*, ſignifero *Pirnenſi*, matre *Annâ*, *Nicolai Noſleri*, Civis ibidem honeſti filiâ.

Infans ſtatim poſt nativitatem, ſine ſenſu & motu jacens, per ſemihoram pro mortuo habitus, pannis lineis excalefactus, præter ſpem oculos aperuit, & vires vitales recuperavit, ideò ſtatim baptizatus, *Chriſtiani* nomen accepit.

Infans pro mortuo habitus.

Anno ætatis quarto miſſus à parentibus in ſcholam oppidanam, brevi temporis ſpatio Linguæ Latinæ elementa & Catechiſmum didicit, & tres ſcholæ Claſſes percurrit, Præceptoribus M. *Jonæ Jentſchio*, Rectori, ac *Thomæ Nagelio*, Conrectori, chariſſimus.

Horum inſtinctu A. 1629. Scholam Electoralem *Portenſem* ingreſſus, prægreſſo examine conſueto, mox in ſecundam Claſſem poſitus eſt. Ibi à Præceptoribus *Andreâ Kunado*, ſcholæ tunc Rectore, poſteà Theol. Doctore & Profeſſore *Wittenbergenſi*, ac M. *Johanne Kuhnio*, Conrectore, filii inſtar dilectus, ab iisdemque, cum ſchola diſſiparetur, A. 1632. *Naumburgum* traductus, pro victu ejus ſingulis ſeptimanis florenum ſolventibus, in ſtudiis Philoſophicis fideliter informatus eſt, donec A. 1635. Academiam *Wittenbergenſem* cum laude adivit.

Scholæ Portenſis diſcipulus.

Ibi cum curſum Philoſophicum abſolviſſet, & aliquoties publicè diſputâſſet, 27. Martii A. 1639. à Decano D. *Jacobo Wellero*, Ling. Sanctæ tunc Profeſſore Ordinario, poſteà Concionatore aulico Electorali, Magiſter Philoſ. creatus, ſtudio abindè Theologico ſe totum devovit.

Wittenbergæ Magiſter Philoſ.

Cum verò ſumtûs ad hoc ſtudium neceſſarii non ſuppeterent, in patriam *Pyrnam* reverſus, & aliquandiu apud agnatum ſuum M. *Danielem Reichardum*, ejus oppidi *Superintendentem*, commoratus, donec à Diaconatu diſcedente *Abrahamo Wincklero*, ei à Senatu *Pyrnenſi* ſubrogatus eſt 7. Nov. A. 1639. æt. 23.

Pyrnæ Diaconus.

Cum verò A. 1651. M. *Joh. Naumannus*, Archidiaconus *Pyrnenſis*, mundo valedixiſſet, ei à Senatu ſubſtitutus, & A. 1652. poſt obitum M. *Danielis Reichardi* Superintendentis officium legitimâ vocatione nactus eſt.

Archidiaconus. *Superint.*

A. 1653. Poſtquàm in ſacello arcis *Dresdenſis* Concionem, præſente Electore, inauguralem habuiſſet, & Examen in Conſiſtorio Electorali cum laude ſuſtinuiſſet, à D. *Jacobo Wellero* ad Superintendentis munus in Templo *Pyrnenſi* ſolenniter inveſtitus eſt, cui per 16. annos ſummâ cum moderatione præfuit.

A. 1655. Cum *Wittenbergæ*, prægreſſo Examine, pro Licentiâ publicè diſputâſſet,

Wittenbergæ.

Licentiatus & Doct. Theol. ſet, 11. Febr. Licentiatus, & 4. Oct. Doctor Theol. ſolenniter renuntiatus eſt.

Conjugium ejus. 2. Martii A. 1641. *Pyrnæ* nuptias celebravit cum virgine *Annâ Catharinâ*, *Simonis Jonæ Stoltzii*, Conſulis ibidem filiâ, quæ 4. ei filios tresque filias peperit. Ex his reliquit ſuperſtites M. *Chriſtianum Gotfridum* Theol. tunc ſtudioſum *Witt.* & *Samuelem Gotlibium* cum *Chriſtiano Gotlobio*, optimæ ſpei pueros: *Annam Catharinam*, M. *Joh. Chriſtophoro Wenigero*, Paſtori Eccleſiæ *Reinhardsdorfenſis*, nuptam, & *Chriſtinam Dorotheam* virginem.

Morbi & obitus. Toto miniſterii ſui tempore variis morbis afflictus, non tamen munere ſuo pro viribus fideliter fungi deſiit, & ſæpiùs in templum ſeſe ſellæ inſidentem portari curavit, donec viribus vitalibus deficientibus placidâ morte extinctus obiit 28. Martii A. C. 1668. ætat. 53.

* *Ex Concione fun. D. Chriſtoph. Bulæi Superintend. Dreſdenſis.*

Obiit A. C. 1668.

ABDIAS WIDMARIUS.

IN lucem editus eſt quintus ſeu medius inter 9. fratres, præter unicam ſororem, *Lemgoviæ* in *Weſtphaliâ* 13. Sept. A. C. 1591. *Theologi filius.* Pater ei fuit M. *Andreas Widmarius*, *Hildeſiâ Saxo*, poſtremis annis à Rectoratu Gymnaſii revocatus ad Paſtoratum Eccleſiæ *Bremenſis*, Philoſophus *Ramo* addictus, Orator, Theologus, Mathematicus & Aſtronomus eximius, qui obiit A. C. 1621. æt. 70. Matrem habuit *Margaretham*, è primariâ *Hildeſiæ* familiâ *Bödeckeranâ* & *Brandeſinâ*. Avus ejus paternus *Conradus Wedemeierus*, *Hildeſiæ* Præfectus bonorum Eccleſiaſticorum & Ædilis fuit.

Cum ad Baptiſmum ejus Patrini ſeu Sponſoris officium præſtitiſſet Vir ampliſſimus *Godeſcalcus Claveſingius*, patri tunc amiciſſimus, *Cur Abdias vocatus ſit.* maluit Pater, ut *Abdias* ex Hebræo idem ſignificante vocaretur, & hoc nomine quaſi omine ſemper meminiſſet, ſe conſilio Dei in Eccleſiis & Scholis obeundo conſecratum. *Godeſchalck* enim, ex priſcâ *Gothorum* linguâ, idem eſt quod *Germanis* Gottesknecht / & *Abdias* Hebræis ſervum Domini ſignificat.

Primis annis continuò ferè morbis laboravit, & ad ludum literarium admiſſus, rudimenta prima *Salis Uſleniæ*, Rectore *Engelberto Glanæo*, pòſt *Hornæ*, oppido Comitatûs *Lippiaci*, deguſtavit: *Bremæ ſtudia inchoavit.* ſed in Gymnaſio *Bremano*, Rectore patre, fundamenta ſtudiorum ulteriùs excoluit.

Memoriâ bonâ præditus. In ſtudiis tantò feliciùs profecit, quòd memoriâ præ aliis valeret, ut ſæpè, quæ in tempus aliud ediſcenda injungerentur, cum ſemel relegiſſet, etiam antequàm ſcholæ dimitterentur, Præceptoribus recitaret.

Ad ſcholas publicas promotus, Rectore D. *Matthiâ Martinio*, Patris ſucceſſore, *Embdâ* advocato, in Philologic. & Philoſophicis ſedulò perrexit, in Oratoriis & Poëticis ſpecimina publica dedit, in Collegiis & diſputationibus omnis generis publicè & privatim ſeſe exercuit: *Med. & Jur. ſtud.* Medicinæ quoque Juriſprudentiæque aliquandiu fuit ſectator, imò Inſtitutiones Juris memoriæ mandavit, ut huic ſtudio videretur inhæſurus. *Theologiæ deditus.* Sed tandem totum ſe Sacris devovit, quibus aliàs ſemper deditus fuerat.

Biblia itaque ſibi familiaria reddidit, Theologorum in Gymnaſio, Paſtorum in Templo attentus fuit auditor, conciones, Patris præſertim, calamo, ceu velox ſcriba, excipiens.

Studioſus Heidelbergæ. Ad alias Academias *Bremâ* dimiſſus, rectâ *Heidelbergam* tendit, in ædes D. *Henrici Altingii* Prof. exceptus, & in Studioſorum numerum cooptatus.

Marpurgi. *Marpurgum* exindè veniens, Profeſſorum humanitate commotus, iſtic ulteriùs ſubſtitit, menſâ uſus M. *Wolffgangi Heintzenbergeri*. Ibidem à *Johanne Combachio*, Profeſſore Philoſopho, ultrò hoſpitio exceptus, non tantùm contubernalem habuit *Albertum Nidaſſium Polonum*, pòſt *Dantiſci* Eccleſiæ Paſtorem, ſed etiam cum hoſpite Profeſſore in difficilioribus in Theologiâ quotidiè ferè contulit.

In feriis utplurimùm excurrit ad vicinos Doctores, vel *Herbornam* ad *Piſcatorem*, *Paſorem*, & *Alſtedium*, vel *Gieſſam*, undè poſt colloquia cum Theologis *Lutheranis*, *Winckelmanno*, *Finckio*, *Helvico*, & imprimis cum *Mentzero*, habita, ſemper magis confirmatus receſſit.

In Hebraicis *Rabbinum* aliquem ex Judæo Chriſtianum, recens ibi baptizatum, adhibuit, præterquàm quod D. *Moltheri*, Profeſſoris Theologi & Hebræi, domum inſtar filii quotidiè frequentaret.

Marpurgi paulò ante ejus adventum *Conradus Vietor*, Ludimagiſter in Linguis Orient. verſatus, cum ad tempus doctrinam de SS. Trinitate contra *Judæos* fervidè propugnâſſet, ut ſibi gratularetur, quòd per nominis anagramma *Carus DEO trinuo* audiret, *Conradus Vietor fit Judæus Marpurgi.* poſteà veritatem impugnavit, & ad ipſos *Judæos* turpiter defecit, atque uxore cum prole numeroſâ deſertâ, *Theſſalonicam* in *Græciam* aufugit, undè literas ſcripſit 23. Dec. A. 1614. cum hâc ſubſcriptione: *Moſes Parto*, *quondam in Gentiliſmo vocatus* M. *Conradus Vietor Marpurgenſis*, quarum literarum apographum *Abdias* hic habuit.

Diſputationes contra Judæos habet. Hâc apoſtaſiâ commotus, *Diſputationes* aliquot edidit *contra Judæos*, de *Meſſiæ Perſonâ*, *Officio*, & *Adventu*, quas ordine in Academiâ publicè ſub D. *Moltheri* præſidio defendit.

Heidelbergam, Patris conſenſu, reverſus, ad Collegium, quod ſub D. *Davide Paræo* ſolis erat *Ungaris* & *Polonis*, cum aliquibus jam *Marpurgi* innotuiſſet, mox facilè admiſſus, ex abſoluto obtinuit, ut ab eodem Biblicum ad Themata textualia cum aliis itidem nationibus commune haberetur.

Heidelbergæ charus. Ibidem inter Profeſſores ſingulariter ami-

D. Altingio.

amicum expertus eſt D. *Altingium*, cujus commendatione factum, ut, cum melancholicis tentationibus affligeretur, à D. *Ezechiâ Fettichio*, Principis Secretario, in hoſpitium exceptus humaniſſimè haberetur, ubi dum ipſum & uxorem ſimiliter quaſi melancholicos piis & jucundis colloquiis quotidiè excitabat, & ipſe ſibi reſtitutus fuit.

Eo tempore cum Generoſus Dom. *Joh. Fridericus Riedeſel à Bellersheim*, *Altorfii Nemetum* à Facultate Theol. ſibi & Eccleſiæ ſuæ proſpici de Paſtore per literas petiiſſet, *Abdiam* hæc commendavit, qui licet invitus munus hoc ſuſcepit ad tempus aliquod, & in Miniſtrum Eccleſiæ à Senatu Eccleſiaſtico *Heidelbergæ* conſecratus, *Altorfii* tantam DEI benedictionem, & omnium erga ſe affectum expertus eſt, ut manum aratro ſemel admotam retrahere religio ipſi eſſet.

Miniſter Eccleſ. Altorfii Nemet.

Ibi cœlibem vitam in tertium annum egit, ſingularem humanitatem expertus D. *Chriſtophori Gundermanni*, Theol. Doctoris, ejusque olim *Lipſiæ* Profeſſoris, tunc *Neoſtadii* Urbe proximâ & Eccleſiarum in illo tractu Inſpectoris.

Ejus Conjugium.

A. 1619. 10. Aug. *Heidelbergæ* nuptias celebravit cum virgine *Sarâ*, D. *Johannis Burgeſii*, Eccleſiæ *Gallicæ* Paſtoris filiâ, quibus inter alios interfuerunt Regis *Galliar.* & Ordinum Confœderatorum *Belgii* Legati.

A. 1621. A Senatu Electorali Eccleſiaſtico *Heidelbergam* evocatus, rogatur ut mox poſtero die in templo Urbis dicat de capite, quod ex ordine pro more explicandum ſequatur, & poſtero die vocatur *Neuhuſium* propè *Wormatiam*, ad Eccleſiæ Miniſterium, quam vocationem admiſit, & licèt à Generoſo Domino *Riedeſelio* ægrè dimitteretur, ſucceſſorem ſibi in Eccleſiâ *Altorfienſi* ſubſtituit Dom. *Johannem Kleinium*, *Spiræ* Paſtorem, quem ipſe, antequàm diſcederet, introduxit.

Paſtor Eccleſ. Neuhuſii.

Paulò pòſt, cum belli tempeſtas *Palatinatum* inundaret, ut ipſe nec *Wormatiæ* ampliùs tutò degere poſſet, ſocerum ſenem cum ſuis primùm *Francofurtum*, & hinc *Arnemundam* in *Zeelandiam* deduxit ad affinem Dom. *Johannem Bourgeois*, tunc per *Flandriam* Orthodoxorum ſub cruce habitantium Paſtorem.

Cum ſocero ſene Arnemundam in Zeelandiam diſcedit.

Tunc D. *Theobaldus Teelingius*, Quæſtor in *Zeelandiâ* generalis, miſsâ rhedâ ipſum cum ſocero & omnibus ſuis *Medioburgum* invitavit, prandio excepit, eique elegans *Biblior. Belgicorum* exemplar portatile formâ 12.mâ dono dedit.

Hinc *Lugduni Batav.* ſalutatis Theologis Profeſſoribus, ſubſiſtere conſtituit, & intereà *Amſtelrodamum* cum ſocero excurrit, ut veteres amicos inviſerent, quorum ſuaſu ædes ibi conduxit.

Ibi Linguæ *Belgicæ* diſcendæ attentiùs incumbens, non multò pòſt à D. *Jacobi Rolandi*, Eccleſiæ *Belgicæ* Paſtoris ſenioris filio *Timotheo*, tunc ſponſo, rogatus, ejus loco aliquoties in *Ouderkercke* propè *Amſterodamum* conciones habuit, quod & deinceps in urbe factum eſt.

Concionatur Amſterodami.

Cum itaque ſpes nulla *Palatinatûs* reſtituendi affulgeret, per literas *Wormatiam* ſcriptas dimiſſionem & teſtimonia petiit ac obtinuit.

Hinc animo magis tranquillo *Amſtelrodami* jam linguâ *Germanicâ* loco D. *Ottonis Badii*, tunc Paſtoris *Germanici*, aliquandiù decumbentis, jam linguâ *Belgicâ* in diverſis Templis concionari perrexit.

Intereà *Hornam* in *Hollandiam Borealem* rogatus excurrit, & *Embdam* in *Friſiam Orient.* ubi ipſum ſibi Collegam optabant D. *Abrahamus Scultetus*, & *Fridericus Salmuth*, Verbi Divini Præcones diſertiſſimi.

Mox *Amſterodamum* reverſus, & à pluribus Eccleſiis ſolicitatus *Uytgeſtanæ*, ejusque Paſtori ſeni D. *Nicolao Nicolai* hydrope laboranti, ideoque rude donato, operam ſuam addixit.

Sed cum literas eâ de causâ ſcriptas nautæ commendâſſet tradendas, navi egrediens, tabulâ indè in terram expoſitâ, ſed à pluviâ lubricâ decidente, unà ipſe in fluvium, qui *Amſterodamum* alluit, & *Ya* vocatur, delabitur, & totus ferè ei immergitur, ſed fune arrepto ſeſe ſuſtinet, donec alii accurrentes extrahunt. Mox febri corripitur intensâ, aliisque morbis.

Amſterodami ſubmerſionis periculum incurrit.

10. Nov. A. 1624. *Uytgeeſtæ* jubetur adeſſe, ut Miniſterium adeat, ægerque adducitur, ut dubium eſſet omnibus, an Paſtor ſenior, an hic novus, prior è vivis exceſſurus eſſet.

Acceſſit mœror ex obitu filioli primogeniti *Johannis Henrici*. Morbus quoque ipſius increvit, ut cum ſingulis tamen ſeptimanis ternas haberet conciones, tandem ſuccumberet, & *Amſterodamum* ducendus eſſet, ubi receptus in ædes *Johannis à Swolle*, olim Eccleſiæ iſtic ſenioris, DEI clementiâ & Medicorum duorum curâ eò usque reſtituitur, ut ad Eccleſiam ſuam rediret, etſi morbus nec dum omninò ceſſaret.

Uytgeeſtæ Miniſter.

Tunc ſæpiùs cum *Anabaptiſticis* colluctatus effecit, ut plures ex illis ad Eccleſiam accederent, inter quos unus *Johannes Johannis*, de veritate in conſcientiâ convictus, hanc baptiſmo ſimul ſuſcepto profeſſus eſt, & ad S. Miniſterium admiſſus, eo fideliter functus eſt.

Anabaptiſtam convertit.

Intereà variis exercitus eſt adverſis, & funeribus ſuorum, uti duorum aliorum filiorum & ſocrûs *Uytgeſtæ*, venerandi ſoceri *Leydæ*, fratris *Andreæ* natu maximi in *Suderhaſen* propè *Embdam* Paſtoris, chariſſimæ matris *Bremæ*, & fratris natu minimi *Conradi*, Juris Candidati, ex itinere *Conſtantinopoli* reducis, in *Italiâ* morte abrepti.

1. Julii A.C. 1633. *Leidam* profectus appulit, per literas eò vocatus Illuſtr. Ordinum *Hollandiæ*, ut cum multis aliis Theologis reviſioni Bibliorum novorum verſionis *Belgicæ* ſuam conferret operam, quod illi in ædibus D. *Bogermanni* Præſidis indefeſſo labore ſingulis diebus, ante & poſt meridiem,

Leydæ Bibliorum verſioni nova operam dat.

diem peregerunt, & toti operi finem impoſuerunt M. Oct. A. 1635.

Quanti verò ipſius ſtudium in hoc labore æſtimârint Domini Interpretes, eo comprobarunt, quod ipſum nominatim commendârunt, qui operi prælo edendo adhiberetur.

Soluto ipſo Collegio ſpectatisſimo, & ſingulis ad ſuos revertentibus, ipſe quoque ad ſuam feſtinavit Eccleſiam in *Uytgeeſt*, ſecum ſimul reductâ familiâ, quam propter moram abſentiæ diuturniorem *Leidam* accerſiverat.

A. 1638. In *Goudam* urbem, unà cum *Nathane Vogelſangio* & *Jacobo Scepero* vocatus, cum dictis Collegis 16. Maji honorificè exceptus, mox concionem habuit, & S. Miniſterium aggreſſus eſt. Sed quot eis difficultates ſuperandæ, ut Eccleſiam inibi diſſipatam recolligerent, & ad S. Cœnæ communionem reducerent, nemo ſatis effari poſſet. *Miniſter Goudanus.*

A. 1639. Juſſu Presbyterii in Synodo *Leidenſi* libertatem & Jus Eccleſiæ *Goudanæ* unà cum collegis vindicavit.

A. 1640. Synodus *Goudana* ipſum Correſpondentiæ, ut vocant, in *Friſiam* deſignavit, Anno ſeq. Synodus *Roterodamenſis* Aſſeſſoris loco dignata eſt, & denuò ad Correſpondentiam delegavit ad Synodum *Gröningæ* & *Omlandiæ*.

Hâc occaſione *Gröningam* delatus, à D. *Henrico Altingio*, olim *Heidelbergæ* Præceptore ſuo in ædes exceptus, & ab eo ad Nobiliſſ. Dominos Curatores Academiæ deductus, & ut Profeſſionem Theologicam ſuſciperet, tentatus eſt.

Ipſe verò, cum vix *Goudam* reverſus eſſet, & ibi Eccleſiam, à Collegis diſſidentibus turbatam, cum dolore vidiſſet, inexpectatò offertur ei Profeſſio Theologica & Hebræa in Academiâ *Geldro-Velavicâ Harderwici*, & in Eccleſiâ ibidem Miniſterium.

Dimisſionem itaque à Magiſtratu petiit, &, ædibus ſuis divenditis, *Goudanis* valedixit 28. Aug. A. 1644. concionibus ante & poſt meridiem habitis, nec ſine mœrore totius Eccleſiæ diſceſſit. 13. Julii ſeq. *Harderwici*, poſt habitam *Orationem* inauguralem de *Urim* & *Thummim*, Profesſiones, Theologicam & Hebræam, auſpicatus, & cum ſemel atque iterum in Templo rogatus habuiſſet Conciones, ad ordinarium inſuper Miniſterium vocatus eſt. *Profeſſor Theol. & Ling. Hebr. Harderwici. Eccleſiæ Miniſter.*

A. 1645. Cum anno prægreſſo D. *Henricus Altingius*, paulò antequàm moreretur, eum Acad. *Gröningenſis* Curatoribus commendâſſet, vocatus eò, Gradum Doctoris, Promotore D. *Samuele Mareſio*, tunc Academiæ Rectore, aſſumpſit, & paulò pòſt 4. Junii inaugurali *Oratione* tradidit *Columbam Spiritûs Sancti hieroglyphicon*, ex illâ cœleſti inauguratione Chriſti, & manifeſtatione Spiritûs Sancti ſpecie columbæ ad ejus Baptiſmum &c. *Doctor Theol. Gröningæ.*

Hardervicum reverſo, & res ſuas ad abitum componenti, remoram injecit D. *Hermannus Velingius*, jam per 6. annos Eccleſiæ *Hardervic.* Paſtor, adhuc cœlebs, qui filiam ejus natu maximam *Saram* ſibi expetiit uxorem. Cum verò ipſe nec pedem retrahere, nec filiam petenti denegare poſſet, hanc potiùs poſthabere, & quamprimùm in ſuſcepto vocationis propoſito progredi voluit.

Gröningam igitur properans cum familiâ, ſtatim ibi Profesſionem Novi Teſtamenti inchoavit, & paulò pòſt ad Regimen Eccleſiaſticum adſcitus eſt. *Profeſſor Theol. Gröningæ.*

A. 1647. Rectoratum Academiæ geſſit, & *Petrum Bourgeſium*, uxoris ſuæ ex fratre nepotem, cum luctu amiſit.

A. 1652. Filiam natu ſecundam *Annam* deſponſavit D. *Guilielmo Wiermanno*, Paſtori Eccleſiæ in *Nunſpeet* proximè *Harderwicum*.

Obiit tandem vitæ ſatur M. April. A. C. 1668. æt. 77. *Moritur.*

* *Ex Vitis Profeſſor. Gröning.*

Scripta. *Scripta.*

Diſputationes Theologicæ adverſùs Judæos de vero Meſſiâ Marpurgi A. 1617.

Oratio inauguralis de Urim & Thummim Harderwici A. 1644.

Pentas Diſputationum de Naturâ S. Theologiæ, hujus ſimul Synopſin exhibens A. 1645.

Columba, Spiritûs S. Hieroglyphicon, hoc eſt, *Oratio inauguralis de manifeſtatione Spiritûs Sancti ſub ſpecie columbæ, ad inaugurationem Chriſti circa hujus Baptiſmum, Groningæ A. 1646.*

JACOBUS MüLLERUS. *Obiit. A. C. 1668.*

Waiblingæ in Ducatu *Würtenbergico* natus eſt 4. Oct. A. C. 1605, Patre cognomine Mercatore, Matre *Praxede Lickborniâ*.

Cum puer in Scholâ patriâ linguarum Latinæ & Græcæ, nec non in Dialecticâ & Rhethoricâ fundamenta poſuiſſet, A. 1622. in ſcholam Cœnobialem *Hirſchaviæ*, & Anno ſeq. in Academiam *Tubingenſem* à Parentibus miſſus, in hâc mox Anno 1624. Primam Philoſ. Lauream tertio loco, & A. ſeq. Magiſterii gradum inter 17. Competitores tertio loco cum laude conſecutus eſt. *Philoſ. Magiſter Tubingæ.*

Abindè ſtudio Theologico totum ſe dedit, & ſedulus *Tubingæ* tunc Sacra docentes audivit D. *Oſiandrum*, D. *Nicolai*, D. *Thummium*, D. *Reihingium*, & M. *Falconem*. A. 1632. apud generoſum Comitem *Kraſtium Hohenloicum*, Equitem & generalem Circuli *Franconici* Commendantem, prægreſsâ vocatione legitimâ, & commendantibus eum Dnn. Theologis *Tubingenſibus*, Concionator aulicus fuit *Rotenburgi* ac *Herbipoli*. *Concionator aulicus Hohenloicus.*

A. 1633. Ab eodem Comite Cœnobii *Schöntbalenſis* ſibi à Potentiſſ. *Sueciæ* Rege *Guſtavo Adolpho* donati Concionator conſtitutus eſt, cum paulò antè M. *Salomo Meyerus* eum pro more cœtui ſuo præſentâſſet. *Concionator Schönthalii.*

Eodem adhuc anno *Neuenſtenii* Paſtor Eccle-

Eccleſiæ declaratus, eo munere fideliter functus eſt usque ad A. 1649, quo vitâ defuncto M. *Salomoni Mayero*, Concionatori aulico & Superintendenti *Neuenſteinenſi Hohenloico* in munere ſucceſſit.

Superint. Neuenſtenii.

A. 1634. Conjugii ſocietatem iniit cum virgine *Barbarâ*, Dom. *Balthaſ. Eislingeri*, Mercatoris *Kirchheimenſis*, in Ducatu *Würtenbergico*, filiâ, quæ 5. ei filios, totidemque filias peperit, ex quibus 4. filios reliquit ſuperſtites, *Henricum Jacobum*, Comitis *Duglaſſi* in *Sueciâ* aulæ præfectum, *Wilb. Balthaſarum*, Eccleſiæ *Obrenbergenſis* Paſtorem, *Joh. Conradum*, & *Joh. Sigfridum* cum filiabus, *Annâ Barbarâ*, & *Mariâ Margarethâ*, *Joh. Chriſtoph. Hetzelio*, ærarii *Hohenloici* Præfecto deſponſatâ.

Uxorem duxit.

Filium habuit Theologum.

Apoplecticis tandem & Epilepticis paroxyſmis conſumptus, placidè in Chriſto exſpiravit *Neuenſtenii* 9. Junii A.C. 1668. ætatis 63.

Moritur.

In SaLVatore obIIt MVLLer SVperattenDens.

* *Ex Concione fun. Georg. Frid. Steinlein Superint. Neuenſtein.*

Obiit A.C. 1668.

EHRENFRIDUS COTHENIUS.

Hirſchfeldæ natus 4. Junii A.C. 1602. Patrem habuit M. *Barthol. Cothenium*, per annos 38. Eccleſiæ *Hirſchfeld.* Paſtorem, Matrem *Reginam*, M. *Wolffg. Hiltenii*, Superintendentis *Zwiccavienſis* filiam. Anno æt. 7. *Johannis Zechendorfii*, Rectoris ſcholæ *Schnebergenſis* diſciplinæ traditus, poſteà Patre volente Gymnaſium *Geræ* celebre acceſſit, in quo triennium ſtudiis exegit.

A. 1620. In Academiam *Jenenſem* miſſus, ſtudia Philoſophica tractare cœpit. A. 1622. *Lipſiæ* Magiſterii Gradum cum honore accepit.

Jenæ ſtud. Philoſ.

Magiſter Lipſiæ.

Abindè ſtudiis Theologicis deditus, An. 1623. Patri doloribus podagricis ſæpiùs afflicto, Subſtituti nomine adjunctus, à Conſiſtorio *Dresdenſi* examinatus, ordinatus, & ſacro Miniſterio inveſtitus eſt.

In S. Miniſterio Patri adjunctus.

7. Febr. A. 1627. Matrimonio junctus eſt cum virgine *Sabinâ*, M. *Johannis Cardinalis*, Judicis *Schnebergenſis*, filiâ, quæ duos ei filiolos in infantiâ denatos peperit, & filiam *Sabinam*, A. 1644. M. *Stephano Stepnero*, Eccleſiæ Paſtori in *Bernsdorf* & *Eibenſtock* nuptam.

Deſponſatur bis.

Poſt obitum uxoris hujus 19. Nov. A. 1634. Conjugium alterum iniit cum virgine *Mariâ*, *Bernhardi Schmidii*, *Zwiccaviæ* Vini & Frumentor. Præfecti filiâ, quam viduam reliquit ſuperſtitem. Ex eâ, præter filiolum an. æt. 3. denatum, tres reliquit filias, quarum natu major *Anna Maria*, M. *Henrico Dittmanno*, Scholæ *Cygneenſis* Collegæ, altera *Juſtina*, *Georgio Kurtzelio*, Mercatori *Reichenbacenſi*, tertia *Eva Regina*, M. *Gotwaldo Heydenio*, Paſtori Subſtituto *Hirſchfeldiæ*, fuêre deſponſatæ. Ex his 17. nepotes in vivis vidit.

A. 1651. Paſtor Eccleſiæ patriæ, & unà Senior Diœceſeos *Cygneenſis* factus, Anno ſeq. Organum Templi ex pecuniâ paſſim collectâ reparavit.

Paſtor Eccleſ. Hirſchfeld. & Senior Cycneenſis.

Calculi tandem veſicæ doloribus ſæpè obnoxius placidè exſpiravit 12. Aug. A.C. 1668. ætatis 66. miniſterii 45.

* *Ex Concione fun. Gotfridi Sig. Peiskeri Superint. Cycneæ.*

GOTFRIDUS WERNERUS.

Obiit A.C. 1661.

Islebiæ 1. Aug. A.C. 1608. natus eſt, Patre Aurifodinis in Comitatu *Mansfeldico* præpoſito, Matre *Thomæ Hartmanni*, Paſtoris Eccleſiæ *Islebienſis* filiâ.

Puer *Numburgum* in ſcholam miſſus, adeò profecit in literis humanioribus, ut A. 1627. poſtquàm de encomio linguæ ſanctæ peroräſſet, *Jenenſem* acceſſerit Academiam, in quâ per 4. annos cum ſtudio Philoſophico Theologiæ dedit operam, convictu & hoſpitio uſus D. *Johannis Majoris*, Theol. Prof. A. 1631. Peſte *Jenæ* exortâ, domum ad Parentes reverſus, cum libris aliis careret, Grammaticam Hebr. *Buxtorfii* familiarem ſibi reddidit, id quod ipſi deinceps toto vitæ ſuæ decurſu profuiſſe ſenſit.

Jenæ ſtudia Philoſ. & Theol. incipit.

A. 1632. *Pancratius Wolffius*, Conſul *Naumburgenſis*, ipſum cum filio ſuo *Juſtino Wolffio Jenam* ablegavit, quo adminiculo adjutus ſtudia ſua ſedulus continuavit, & Magiſterii gradum adeptus eſt.

Magiſter creatur.

Naumburgum reverſum Paſtor Urbis primarius D. *Caſpar. Bertramus* in domum ſuam recepit, eique liberos ſuos omnes tradidit erudiendos.

Non multò pòſt à Capitulo *Naumburg.* Rector ſcholæ factus eſt, & in uxorem duxit virginem *Annam*, *Auguſtini Lippachii*, Archidiaconi *Naumburg.* filiam, cum quâ, unà cum ſocero, tunc ad ſecunda vota digreſſo deſponſatus eſt 24. Nov. A. 1635. Ex hâc 8. liberos ſuſcepit, *Eliſabetham*, *Auguſtinum* & *Johannem* ante patrem defunctos, ſuperſtites verò *Gotfridum*, *Annam*, *Mariam*, *Davidem*, & *Chriſtinam*.

Rector Scholæ Naumburg. Uxorem ducit.

2. Dec. A. 1639. *Geiſnitium* ad Verbi Divini Miniſterium vocatus, in eo octennium tempore belli calamitoſo tranſegit, ſæpiùs à militibus ſpoliatus, nihilominus munere ſuo fideliter functus eſt.

Miniſter Eccleſ. Geiſnitii.

7. Julii A. 1647. A Capitulo *Zizenſi* Diaconus Eccleſiæ ad S. *Nicolaum* factus, per 9. annos munere ſuo functus eſt usque ad obitum M. *Johannis Coci*, Diaconi ad S. *Michaëlem*, in cujus locum à Conſiſtorio Eccleſiaſtico *Cicenſi* ſubſtitutus eſt 15. April. A. 1656. Poſt annos verò quatuor, cum M. *Hartmannus Schacherus*, Archidiaconus ad S. *Michaëlem*, obiiſſet, ei ſucceſſit 15. Dec. A. 1659.

Diaconus Zizenſis.

Hoc Archidiaconi munus Sereniſſ. Princeps ei nihil minus expectanti commutavit in Paſtoratum, addiditque Canonicatum

Archidiaconus. Paſtor. Canonicus.

cus Zizenſis.

tum poſt obitum Viri nobilis Dom. *Sebaſt. Friderici à Kötteritz*, Conſiliarii *Oldenburgici*, vacantem, 21. Dec. A. 1667.

Mor. apoplexiâ.

A malo hypochondriaco per multos annos vexatus, cum tandem apoplexia fortis acceſſiſſet, morte beatâ vitam clauſit 19. Nov. A. C. 1668. æt. 60.

* *Ex Concione fun. Joh. Sebaſt. Mitternacht Concionat. aul. Sax.*

Obiit A. C. 1668.

ALEXANDER CARNERUS.

Filius Eccleſ. Paſtoris.

Natus eſt *Neoſtadii*, oppido Marchionatûs *Brandenburg.* ſup. 23. Febr. A. C. 1603. Patre M. *Georgio Carnero*, Paſtore ejus loci per 39. annos, & Seniore Capituli Eccleſiaſtici *Biruthini*: Matre *Annâ Liedlinâ*. Ex ſacro Baptiſmi fonte ſuſceptus à Viro nobili *Jodoco Alexandro à Rabenſtein*, tunc oppidi illius Præfecto.

Puer in Scholis trivialibus *Wonſidelii* & *Biruthi*, poſteà verò in Gymnaſio *Curienſi* ſtudia humaniora tractavit.

Wittenbergæ creatur Magiſter Philoſ.

A. 1621. A Patre in Univerſitatem *Wittenberg.* amandatus, ibi cum ſtudiis Philoſophicis Theologica junxit, & A. 1625. in Magiſtrum Philoſ. ſolenniter promotus, inter 36. Competitores 11. locum obtinuit.

Patri ſeni adjunctus in miniſterio.

Statim pòſt Conſiſtorium Eccleſiaſt. *Culmbacenſe* in Patriam revocatum Parenti ob ſenium debili Adjunctum declaravit, eâque de cauſâ Dominicâ 22. Trinitatis ſolenniter ad Eccleſiæ Miniſterium ordinatus eſt.

Deſponſatur.

15. Febr. A. 1628. Conjugii vinculo junctus eſt virgini *Annæ*, Dom. *Johannis Lebeneri* frumentorum Præfecti *Brandeburgici* filiæ, ex quâ 15. liberos, 10. filios & 5. filias progenuit, ſed 3. modò filios, duasque filias reliquit ſuperſtites.

Inſpector Neoſtadii.

A. 1633. Paſtor Eccleſiæ factus *Walmersbaci* & *Adelhofii* in *Franciâ Orientali*, biennio pòſt A. 1635. vocante Conſiſtorio Eccleſiaſt. Parenti piè defuncto ſucceſſor datus Eccleſiæ & Scholæ *Neoſtadienſis* Inſpector factus eſt, & cum uxore ac filio mediâ hyeme non ſine vitæ periculo per medios milites & prædones nocturno tempore profectus, *Neoſtadii*, Deo cuſtodiente, feliciter appulit, munusque ſibi traditum alacriter aggreſſus eſt cum ineunte A. C. 1635.

Senior Biruthinus.

Tunc miniſterii ſui tempore Vocationes diverſas meliores ſibi oblatas modeſtè recuſavit. Senioris verò *Biruthini* dignitatem, quâ Pater ejusdem anteà gaviſus erat, à Capitulo ſibi oblatam acceptavit, & utroque Inſpectoris *Neoſtadienſis* ac Senioris *Biruthini* munere ad finem vitæ ſuæ fideliter functus eſt, ut ab Adverſariis etiam ſibi vicinis ob animi candorem diligeretur.

Intereà cum vix Eccleſiæ Paſtoratum fuiſſet aggreſſus, A. 1632. *Herbipoli*, urbe à *Suecis* occupatâ, quò confugerat, captus & ſpoliatus eſt, aliasque calamitates ob belli tumultûs ſæpiùs experiri coactus eſt.

Senio tandem exhauſtus, octiduo lecto decubuit, & brevi ante obitum digito literas aliquot in lecto ſcribere viſus, cum interrogaretur eâ de re, *ſcripſi*, reſpondit, **Gott und ſein Wort bleiben ewiglich.** Hâc veluti fidei ſuæ Confesſione relictâ, placidè in DEO vitam finiit 18. Dec. A. C. 1668. ætatis 66. conjugii 41. miniſterii Eccleſiaſtici 43. *Moritur.*

* *Ex Concione fun.*

JOHANNES JACOBUS OTHO.

Obiit A. C. 1669.

Mundum ingreſſus *Hallæ Suevorum* 17. Nov. A. C. 1629. Patrem habuit *Balthaſarem* Pannificem *Hallenſem*, Matrem *Catharinam Mülleriam*. In Gymnaſio patrio puer Præceptores nactus fideles *Joh. Caſp. Feyrabendium* Senatorem pòſt *Hallenſem*, & M. *Joſephum Seitzium*, Gymnaſii tunc Rectorem, Paſtorem poſteà ad S. *Catharinam*: poſteà per quinquennium amanuenſis fuit Dom. *Nicolai Glockii*, Miniſterii *Hall.* Decani, cujus manuſcriptis uſus, Theologica ſtudia ſedulus tractavit.

A 1648. Scholarcharum Gymnaſii *Hallenſis* aliorumque fautorum ſuaſu Univerſitatem *Argentinenſem* acceſſit, & Profeſſores Theol. celebres *Joh. Schmidium*, *Joh. Georg. Dorſcheum*, & *Joh. Conradum Dannhauerum* ſedulus audivit. *Theol. ſtud. Argent.*

A. 1651. In patriam paulò antè reverſus, *Enslingæ* in Comitatu *Hohenloico*, prægreſſo examine, Paſtor Eccleſiæ ordinatus, & A. 1654. *Gaildorfii* Diaconus factus, in eo munere ad finem vitæ 15. annos perſeveravit. *Diaconus Gaildorfii.*

A. 1652. M. Jun. vitæ ſibi ſociam elegit Virginem *Barbaram*, *Leonharti Welleri*, hoſpitis ad Roſam *Halæ Suevor.* filiam, quæ ſponſa vitam finiit 8. Jan. ideò 8. Junii ſeq. ſponſalia celebravit cum virgine *Mariâ Margarethâ*, *Emmerici Köbereri*, Eccleſiæ *Michelbac. Limburg.* Paſtoris filiâ, ex quâ 4. filios & filiam ſuſcepit, ſed duos modò filios reliquit ſuperſtites.

Deſignatus tandem Antiſtes *Schmidelfeldio-Sultzbacenſis*: eò vocatus ab illuſtri Barone *Limpurgico*, *Philippo Alberto*, A. 1668. ob corporis infirmitatem munus ſibi oblatum aggredi non potuit, ſed pleuritide lethali correptus obiit *Monaſteii*, ubi Paſtor Eccleſiæ pauco tempore fuit, 9. Martii A. C. 1669. ætatis 40. *Deſignatus Antiſtes Limburg.*

* *Ex Concione funebri M. Joh. Guilielmi Gratiani Superintend. Gaildorf.*

Verſus cubicus Joh. Jacobi Häringeri.

Vixit Otho vivit perque omnia ſecula vivet
Otho vixit Otho vivit perque omnia ſecula
Vivit Otho vixit Otho vivit perque omnia
Perque vivit Otho vixit Otho vivit perque
Omnia perque vivit Otho Vixit Otho vivit
Secula omnia perque vivit Otho, vixit Otho
Vivet ſecula omnia perque vivit Otho vixit.

Obiit A.C. 1669.

JOH. FRIDERICUS HEILBRONNER.

Parentes ejus. SUltsburgi in Marchionatu *Badenſi ſup.* 2. Junii A.C. 1629. natus, Patrem habuit *Antonium Heilbronnerum*, tunc ejus loci Concionatorem, poſteà verò totius Marchionatûs *Badenſis* Superintendentem generalem, & Concionatorem aulicum *Carolsburgi*. Mater ei fuit *Sabina*, filia M. *Johannis Weiningeri*, Generalis itidem Superintendentis Ditionum *Preisgavienſium* in March. *Badenſi*, & Concionatoris *Sultzburgenſis*.

Diſcipulus in Gymnaſio Durlacenſi, A. 1360. Dom. Parente Concionatoris aulici munere decorato, in Gymnaſium *Durlacenſe* miſſus, ſtudiorum in eo fundamenta poſuit usque ad A. 1634. quo cum adverſâ ad *Nordlingam* pugnâ ſuccumberet Proteſtantium exercitus, & Schola *Durlacenſis* diſſiparetur, Pater ejus in exilio Principis ſui comes, filium hunc in *Argentinenſe* Gymnaſium locavit. *& Argentinenſi.*

Baſileæ Philoſ. Studioſ. Hic exiguo annorum curriculo & pertinaci ſtudio utriusque linguæ optimis Scriptoribus evolutis, tantas eruditionis opes cumulavit, ut dignus haberetur, qui *Baſileam* A. 1644. concederet, ut quos ſub M. *Juſti Arcuarii*, *Argentorati* ob puriorem Religionem tum exulis, moderamine, in linguâ ſanctâ feciſſet progreſsûs, in ſcholâ *Johannis Buxdorfii* quotidianis incrementis perficeret. Ibi ſub D. *Platero Diſputationem Phyſicam de Meteoris aqueis* habuit.

Philoſ. Magiſter Argent. A. 1646. *Argentoratum* regreſſus, poſtquàm ſub D. *Valentino Eſſichio Diſputationem* ſolennem *Metaphyſicam*, & ſub D. *Jacobo Schallero* Ethico-Theologicam *de proportione Arithmeticâ operum & vitæ æternæ* defendiſſet, mox Gradu Magiſterii Philoſophici decoratus, inter 17. Competitores ſecundum locum ſortitus eſt.

Exercitia ejus Theologica. Studium abindè Theologicum aggreſſus, ſub Profeſſoribus & luminibus Theologiæ D. *Joh. Schmidio*, *Job. Georgio Dorſchæo*, & *Joh. Conrado Dannhauero*, diverſa Collegia exegetica & diſputatoria perfecit.

A. 1647. ætatis 18. *Sultzburgi* in patriâ Patris Avique cathedram conſcendere exorſus, primam concionem habuit. A. 1648. ſub Doct. *Dannhaueri* præſidio octavum articulum Hodoſophiæ ejusdem publicè defendit. A. 1649. ſub D. *Joh. Schmidio de Regno Chriſti Gratiæ*, A. 1651. iterum ſub *Dannhauero de Collatione Carthaginenſi*, & brevi pòſt ſub D. *Dorſchæo de 70. hebdomadibus Danielis* ſolenniter diſputavit.

A. 1651. *Lipſiam* concedens, & D. *Joh. Hülſemanni* convictu uſus, ſub eodem *de Concilio Chalcedonenſi Diſputationem Theologicam* habuit.

Academias deindè *Wittenbergenſem*, *Jenenſem*, & *Gieſſenſem* adivit, & in hâc poſteriore ſub D. *Juſto Feurbornio Collegium exegeticum ſuper Epiſtolam ad Romanos* habuit.

Concionator aul. Carolspurgi, & Inſpector March. Hochberg. A. 1652. *Fridericus I. Marchio Badenſis*, *Gieſsâ* ipſi ad ſe accerſito, Concionatoris aulici *Carolsburgi* munus & ſpecialem Inſpectionem Marchionatûs *Hochbergenſis* commiſit. Ideò mox 2. Maji ad miniſterium initiatus, Principis ſui mandato reverſus *Argentoratum*, & honores Doctorales ambiens M. Oct. per 5. dies lectiones curſorias habuit *de Angelo cum Jacobo Patriarchâ luctante*, 26. Nov. Diſputationem Inauguralem *de tractu Patris ad filium ſalutari*, ex *Joh.* 7. ſub præſidio D. *Joh. Schmidii* propugnavit, & 18. Dec. ſeq. annum tunc agens 23. Doctor Theolog. ſolenniter renuntiatus eſt. *Doctor. Theol. Argent.*

Superint. Generalis Bad. Profeſſor Ling. Hebr. & Theol. in Gymnaſio Durlac. Deindè cum Pater ejus 11. Junii A. 1655. mundo huic valedixiſſet, Generalis Superintendens March. *Badenſis ſuperioris*, & A. 1664. poſt obitum patrui ſui materni D. *Conradi Weiningeri* Generalis Superintendens totius Marchionatûs *Badenſis* declaratus eſt. In Gymnaſio prætereà *Durlacenſi* per annos aliquot Linguam Hebræam & S. Theologiam publicè profeſſus eſt.

Conjugium ejus & Liberi. 29. Junii A. 1652. *Argentorati* ſponſalia celebravit cum virgine *Mariâ Salome*, *Joh. Erhardi Eckii*, Conſil. *Badenſis* & ærarii Directoris filiâ, quæ 9. ei liberos peperit, 7. verò reliquit vivos poſt obitum ſuum, *Joh. Fridericum* liber. art. ſtudioſum, *Antonium* ſecundæ, & *Joh. Erhartum* tertiæ Claſsis diſcipulos, *Mariam Salomen*, *Chriſtinam Eliſabetham*, *Sibyllam Magdalenam*, & *Sabinam*.

Hemiplexiâ correptus. 28. Octob. A. 1666. Obſtructis nervorum viis dirâ è ſiniſtro latere correptus eſt hemiplexiâ, quæ licèt corporis valdè affligeret vires, mentem tamen & intellectûs virtutem non omninò extinxit. Cum verò Medicorum operâ, thermarumque frequenti uſu jam convaluiſſe videretur, redeunte funeſtiore & graviore apoplexiâ, ſubitò magno ſuorum mœrore extinctus eſt 20. Martii A. C. 1669. ætatis 40. *Obiit apoplexiâ forti.*

* *Ex Concione fun. Joh. Burcardi Eradi Spec. Superintend. & Paſt. Pfortzheim.*

Et ex Orat. fun. Joh. *Gerhardi Arnoldi Rectoris in Gymn. Durlac.*

JOHANNES FRIDERICUS HEILBRONNERUS SACROSANCTÆ THEOLOGIÆ DOCTOR.

Per anagramma (t in à verſ.)

Ecce! Hierarcha noſter roſa eſt in cœlo, haud ergò fons aridus in Libano.

Johann Friederich Heilbronner.

Per anagr.

O hier ſind ich raine Lehrbronnen.

Obiit A.C. 1669.

SIGISMUNDUS FABER.

IN caſtello *Buchâ* propè *Culmbacum*, Marchionatûs *Brandenburg. ſup.* oppidum, natus eſt 18. Martii A. C. 1599. Patrem habuit *Kilianum Fabrum*, Marchionis *Brand.* in oppido Gefrees frumentorum Præfectum, *Germ.* Kaſtner vocatum. Matrem *Bar-*

Barbaram, *Georgii Hoffmanni*, officio ſimili *Münchbergæ* functi filiam. E ſacro Baptiſmi fonte ſuſceptus eſt à Viro nobili *Sigiſmundo à Bieg*.

A. 1611. æt. 12. Prægreſſo examine, in Conſiſtorio *Culmbacenſi* Gymnaſium Marchionum *Brand. Heilsbronnenſe* adivit, & inter Stipendiarios Principum cooptatus, in eo ſedulus ſtudia tractavit uſque ad A. 1620, quo clementer dimiſſus à Marchione *Brand. Chriſtiano*, oratione 600. verſibus Latinis conſtante memoriter recitatâ, præſentibus duobus Marchionibus multisq; Conſiliariis, teſſeram animi grati reliquit. Tunc etiam quidam ex Præceptoribus Libro ipſius argumentorum verſus ſequentes inſcripſit:

Fit Stipendiar. Heilsbronn.

Orationem recitat ex 600. verſibus conſtantem.

O utinam plures ſimiles tibi carmine noſſem,
Aut ſaltem doctâ ſedulitate pares.
Sic labor iſte mihi minor eſſet metra legendi,
Major & in noſtro pectore ſtaret amor.

A. 1620. *Heilsbronnâ Noribergam* venientem Nob & Prudentiſſ. Dominus *Wolffgangus Harſtörfer*, Septemvir & Scholarcha 4. filiis ſuis Præceptorem dedit, cum iisque in Academiam *Altorfinam* ablegavit. An. 1622. *Heilsbronnam* reverſum M. *Sophonias Haſenmüllerus* in Gymnaſio, traditis ad informationem diſcipulis ſuis, hypodidaſcalum conſtituit.

Hypodidaſcalus Heilsbronnæ.

A. 1623. In ſcholam Patriciorum *Norimbergæ* recens erectam vocatus, in eâ Claſſis quartæ Præceptorem egit uſque ad An. 1624, quo à Mecœnate ſuo præfato Dom. *Harſtörfero* promotus è Scholâ ad Cathedram, poſtquàm *Altorfii* legitimè ordinatus, *Artelshofii* pago *Norico* Paſtor Eccleſiæ factus eſt.

Præceptor Scholæ ad S. Ægid.

Paſtor Eccleſ. Artelshof.

13. April. A. 1624. *Norimbergæ* nuptias celebravit cum virgine *Helenâ*, *Petri Hochmeyeri*, Civis & Pictoris *Norimb.* filiâ, ex quâ 45. annorum conjugii tempore 5. filios totidemque filias ſuſcepit.

Nuptias celebrat.

A. 1627. Vocatus à Nob. Dom. *Paulo Pfintzing*, Senatore *Noribergenſi* ad miniſterium Eccleſiæ in pago Henffenfeld / cujus tunc Adminiſtrator idem Dom. *Pfintzing* erat, ibi per quadriennium miniſterio ſacro functus eſt.

Miniſter Eccleſ. Henfenfeld.

A. 1631. In oppidum *Herſpruccum* à Senatu *Noriberg.* promotus, Paſtor ibi primarius Eccleſiæ per vitæ tempus reſiduum fuit indefeſſus. Ibidem A. 1634. cum oppidum vi captum & exſpoliatum incendio proximum eſſet, ipſe Colonello Locumtenenti *Joh. Georgio Meiſingero* ſupplex factus, gratiam civibus eâ cum conditione impetravit, ut ipſi *Meiſingero* Imperiales 1000. numerarentur, quod die ſeq. factum eſt.

Paſtor Eccleſ. Herſpruc.

Vitæ periculum ſubiit.

Eodem anno peſte *Herſprucci* graſſante, ab eâque duobus ejus Collegis in Eccleſiâ Diaconis abreptis, ſolus miniſterio functus, & ægris ſine ullo timore conſolationibus præſens 734. mortuos ad ſepulturam comitatus eſt, multisque eorum Conciones funebres dixit.

His duabus tertia calamitas acceſſit annonæ caritas, quâ frumenti modius (ein Simmer Korn) 36. florenis, butyri libra 36. crucigeris, & libra carnis bubulæ 16. crucigeris in oppido vendebantur.

Catarrhis & eryſipelati ſæpiùs obnoxius in lecto tandem fatali decumbens, aliquando dixit adſtantibus: *Tempore miniſterii mei Eccleſiaſtici mutationes 19. in Eccleſiis & Scholis experiri coactus ſum, Senatum Herſpruccenſem ter emortuum memini, unicum quod metuo ſupereſt, ne mihi Dom. Dilherrus ſit ſupervivendus.* Accedente verò ſingultu vires proſtratas diſſipante, jam morti proximo filius *Joh. Ludovicus*, prout anteà rogatus fuerat, ſymbolum ipſi ſuum auribus inclamavit hujuſmodi:

Morbis infeſtatur.

Immundus mundo mundus ſum ſanguine Chriſti,
Solâ hâc munditie mundus SIGMUNDUS obibo.

His auditis, loquelâ deſtitutus, capite annuens, paulò pôſt exſpirans, vitam morte beatâ finiit 22. Martii A. C. 1669. æt. 70. miniſterii 46.

Moritur.

* *Ex Concione funebri M. Joh. Leonharti Willii.*

A. 1653. Hoc Epithalamium factum in nuptiis filiæ ipſius *Helenæ* cum M. *Johanne Ferbero*, Eccleſiæ *Altenthannenſis* miniſtro, *Herſprucci* à Dom. *Johanne Fetzero* J.C.

Fabula fruſtratur, faciunt fabrilia fabri,
Ferberum faciet fœmina (fama) fabrum.
Fabrè fœmineo fortunet flore faventem
Florida Ferberum filia Fabricii!
Fabriciam foveat Ferberus! filia Fabri
Filiolos fœtâ fertilitate ferat!
Fœdere felici faxit fortuna fruiſci!
Fauſta ferat fatum! ferrea fata fuget!

JOHANNES MICHAEL DILHERRUS.

Obiit A. C. 1669.

NAtus eſt *Themaræ*, oppido Comitatûs *Hennenbergici* 14. Octob. A. C. 1604. & è ſacro Fonte ſuſceptus à *Rumpoldo*, Senatore *Themarenſi*. Patrem habuit *Johannem Dilherrum*, J.C. Regiminis *Sax. Meinungenſis* Conſiliarium & Advocatum, Nobilitatisque *Franconicæ* liberæ circa *Rhenam* & *Werram* Conſiliarium: Matrem *Reginam*, filiam *Joſephi Götzii*, Adminiſtratoris Collegii Canonici *Munerſtatenſis* in *Franconiâ*, qui, cum *Julius Echter*, Epiſcopus *Würceburgenſis* Evangelicos perſequeretur, exilium ſpontaneum voluptatibus terrenis ad ultimum vitæ diem prætulit.

Pater ejus.

Mater.

Avus ejus *Michaël Dilherrus*, Conſiliarius *Hennenbergicus*, & *Themaræ* Præfectus fuit. Proavus *Leonhartus Dilherr*, oppidi *Gengæ* in *Sueviâ* Conſul filios habuit 11, quos ei conjunx *Lobzeltneria* peperit, inter quos *Rochus*, Epiſcopi *Auguſtani* Conſiliarius, & *Dillingæ* Cancellarius fuit. Huius filius *Leonhartus Dilherrus* tribus Impp. *Ferdinando I. Maximiliano II.* & *Rudolpho II.* fuit à Con-

Avus.

Proavus.

Digitized by Google

Conſiliis, ut teſtatur ejus Epitaphium *Viennæ* in Templo S. *Stephani*.

Fratres.

Fratres habuit natu majores *Matthæum*, Syndicum *Anklomenſem* in *Pommeraniâ*, aliquot ante ipſum annis defunctum, *Johannem*, *Caſparem*, militem Prætorianum Electoris *Saxoniæ*, *Budiſſinæ* occumbentem, *Joſuam* in tenerâ ætate phthiſi, & *Samuelem*, *Mansfeldicæ* cohortis militem, *Weidbuſæ* defunctos. Fratres ejus natu minores: *Joachimus Gotfridus*, *Francofurti* ad *Mœnum* peſte extinctus, & *Joſephus Herbartus*, in juventutis flore, cum *Beringæ* præfecturam gereret, mortuus eſt.

Soror.

Ipſe ex 11. liberis unâ matre natis filius fuit octavus, & unicam ſororem reliquit *Reginam Völckiam*, viduam *Heltburgi Francorum* degentem apud generum.

A matre moriturâ accipit benedictionem.

A. 1617. Matri ſuæ morti proximæ lectionibus precibusque ſacris fideliter adſtitit, ab eâque his verbis benedictionem accepit: *Pro te, chare Michaël, non ſum ſolicita, qui paſſim in orbe Parentes invenies, ſed oportet te fieri Theologum, & licèt multa mala tibi perpetienda ſint, iterum tamen à Deo ſolatium accipies.*

Schleuſingæ ſtudia inchoat.

Matre defunctâ, Pater eum *Schleuſingam* in Gymnaſium Electorale *Saxonicum* ablegavit, in quo primus in ſupremâ Claſſe factus eſt, ſæpiùs Græcè Latinèque peroravit, & condiſcipulis ſegnioribus interdum verſuum & argumentorum compoſitione miniſteria grata præbuit, pecuniâ aliisque rebus ad victum neceſſariis compenſata, cum ipſi Pater ob religionis perſecutionem ab Epiſcopo *Herbipolenſi* bonis feudalibus privatus, exiguos ad ſtudia ſumptùs ſuppeditare potuiſſet.

Vaticinium à Conrectore audit.

Cum verò quidam ex Præceptoribus eum ſæpiùs ſine causâ malè tractâſſet, & eam ob cauſam ſtudia deſerere ſibi propoſuiſſet, Conrectór Gymnaſii vaticinanti ſimilis aliquando talibus eum verbis conſolatus eſt, *Fer ad tempus has injurias, mi fili, nam intra paucos annos Præceptores tuos ſuperabis.*

A. 1623. *Schleuſingæ*, more ſolenni Oratiunculâ, præſentibus Superintendente, Præceptoribus & Senatoribus, Scholaſticis valedixit, & *Meinungam* ad Patrem abiens, eique ultimum vale dicens, ab eo pro viatico dono accepit Imperialem, hujusque, qui paulò pòſt fato conceſſit, conſenſu, auxiliique Divini ſpe nixus, *Goslariam* ſe contulit, comite condiſcipulo quodam, qui omnes pro eo impenſas elocavit.

Goslariam diſcedit.

Exindè Univerſitatem *Rintelenſem* adire cupidus, cum Urbs illa tunc à Cæſareis fuiſſet obſeſſa, voti ſui compos fieri nequiit, & *Lipſiam* regreſſus eſt.

Lipſiam venit.

Eo in itinere cum *Hallæ* divertiſſet, inops hoſpitem benignum expertus eſt: dum enim fidium cantu mercatorum ſaltationibus noctu inſerviret, ἀσύμϐολος dimiſſus eſt, dicente hoſpite: *Ede, bibe, ſtudioſe, qui ad cantum tuum ſaltare poſſunt, poterunt & pro te ſymbolum erogare: video te habere ingenium ad omnia aptum, omnia itaque tibi proſperè ſuccedent.*

Lipſiæ famulum agit, & in Typographiâ Correctorem.

Lipſiæ cum eſſet, abſente fratre *Matthæo*, quem ſperabat præſentem, & ſumptibus ad victum neceſſariis deſtitutus, nobilibus variis famuli vice miniſtravit, & aliquandiu in *Caſp. Barthii* polyhiſtoris famulatu exiſtens, muſæi ſervitium ita toleravit, ut ex eo eruditione inſtructior in libertatem iret: Correctorem etiam egit aliquandiu in Typographiâ.

Wittebergam migrat.

Deindè Præceptoris apud viduam quandam officio functus, cum videret, illam unà cum ancillis nullius eſſe pretii, honeſtius quærens hoſpitium *Wittebergam* ſe contulit, ubi graviter aliquandiu ægrotavit, & ſanitati reſtitutus *Lipſiam* reverſus, ibi ſæpiùs in proſâ & ligatâ oratione publicè peroravit, & hoc modo multorum eruditorum favorem ac ſubſidium ſibi comparavit.

Lipſiam redit.

Venit Norimbergam & Altorfium.

A. 1627. Ab agnatis *Norimbergam* accerſitus, cum filiis eorundem Univerſitatem *Altorfinam* acceſſit, ubi in Linguis Orientalibus & Philoſophiâ Peripateticâ plurimùm profecit, & ſub M. *Chriſtoph. Crineſio* de variis Problematibus in 8. Linguis publicè diſputationem habuit.

Jenæ fit Profeſſor Eloquent. Hiſt. Poëſ. & Theol.

A. 1629. *Altorfio* cum uno diſcipulorum *Jenam* profectus, ibi A. 1631. M. Oct. Profeſſor Eloquentiæ, A. 1634. Profeſſor Hiſtoriarum & Poëſeos, A. 1640. poſt obitum Præceptoris ſui dilectiſſimi D. *Johannis Gerhardi*, extraordinarius S. Theologiæ Profeſſor conſtitutus, 4. has Profeſſiones fideliter ſimùl obivit, ſæpiùs prætereà Collegia privatim Oratoria, Epiſtolica, Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Græca, Concionatoria, Theologico-Lectoria, ac Diſputationes publicas cum magno auditorum applauſu ſuſcepit. Ibidem Muſæi foribus hæc verba inſcripſit: *Sta hoſpes, ne pulſa, nec turba, niſi major vis cogat. Horas promeridianas DEO meo & demandatis officii mei conſecratas ſcito: ſi quid tamen eſt, quod aliquam pretioſi temporis jacturam mereatur, tuum eſto pomeridianum, ita tamen, ut ſcias, reddendam DEO rationem ſingularum horarum.*

Inſcriptio Muſei.

Prima ejus concio Ammerbaci.

Fit Præceptor Joh. Tob. Majoris.

A. 1635. Feriâ I. poſt Trinit. in pago *Ammerbach*, *Jenæ* vicino, primâ vice concionatus cum eſſet, D. *Johannes Major*, facultatis Theolog. ſenior, filium ſuum *Johannem Tobiam*, poſteà Theologiæ Licentiatum, ipſius informationi tradidit. Sæpiùs deindè in oppido *Jenenſi* concionatus, vocationes varias ad munus Generalis Superintendentis & Concionatoris aulici *Altenburgi*, *Vinariæ*, *Oldenburgi*, *Hallæ Saxonum*, *Gothæ* ac *Magdeburgi* modeſtè renuit, ſorte ſuâ contentus, nec gradum Doctoris in S. Theologiâ, licèt Illuſtr. Duces *Sax. Vinarienſes* ſumtùs obtuliſſent, accipere voluit.

In Lectionibus publicis ſæpiùs ultra 200, & in privatis ultra 100. auditores, ex omnium facultatum ſtudioſis habuit. Decanatum in Facult. Philoſophicâ ter, & ſemel Rectoratum A. 1635. cum honore adminiſtravit. Legationes quoque, quas ad *Cæſarianæ* & *Sue-*

Suecicæ militiæ ſupremos Præfectos obiit, præter ſæpè ſpem feliciter expedivit.

A. 1642. Oppido *Jenenſi* à militibus *Cæſareis* graviter afflicto, cum ſtudioſi ferè omnes indè diſceſſiſſent, à Principibus *Saxonicis* licentiam iter in *Italiam* ad menſes aliquot ſuſcipiendi clementer obtinuit, eâque de causâ *Noribergam* ad cognatos ſuos tertio Pentecoſtes die Feſto venit.

In Italiam iter ſuſcipiens Noribergam venit.

Ibi cum die feſto *Johannis Baptiſtæ* in Cœnobio *Auguſtiniano* memoriter de *Educatione liberorum* peroràſſet, cui Orationi non ultra 7. horas impendiſſe dicitur, Senatus ipſi mox Auditorii publici erectionem, Gymnaſii *Ægidiani* directionem, Scholarum cum Stipendiariis inſpectionem, librorumque ſimul cenſuram obtulit, & ut quàm primùm Paſtoris officium vacaret, id ipſi concederetur, promiſit. Hæc munera eâ cum conditione tunc acceptavit, ſi Principibus ſuis conſentientibus *Jenâ* dimitteretur.

Orationem habet de liberorum educatione.

Anno enim prægreſſo à Senatu *Norimb.* ſcriptim vocatus ad Concionatoris munus in Templo S. *Mariæ* ſuſcipiendum, tenuentibus tunc Ducibus *Saxo-Vinarienſibus* obtemperare non potuit. Nunc verò *Jenam* reverſus, poſtquàm dimiſſionem à Principibus ſuis non ſine difficultate impetràſſet, poſt habitam *Diſputationem Theologicam de libero arbitrio*, præſide D. *Johanne Muſæo*, Theol. Prof. & *Orationem valedictoriam*, de *Impedimentis* veræ Religionis, ultimam *Concionem* habuit Dominicâ 10. Trinitatis *De lachrymis Chriſti*, quâ omnium auditorum lachrymas excitavit.

Jenâ dimiſſus.

Subſecutâ tandem oratione ad Sacrum Miniſterium *Jenâ Norimbergam* diſceſſit: comitantibus eum, cum magnâ Studioſorum catervâ, Magnifico Rectore, D. *Mœbio*, & D. *Slegelio* Med. Profeſſoribus. *Noribergam* cum veniſſet, apud agnatum Dom. *Joh. Eraſmum Dilberrum de Thummenberg*, totum annum magnâ cum animi tranquillitate permanſit. Paucis poſt ejus adventum diebus, Senatus etiam offerendo poculum inauratum trimeſtri ſalario gaudium ſuum declaravit.

Ordinatur Jenæ Miniſter.

Norimbergam venit.

Paulò pòſt cum primâ vice concionaretur in ædibus *Laurentianis*, tantus fuit auditorum confluxus, ut templi miniſter libellum precum non potuerit in ſuggeſtum afferre. Poſtquàm verò *Norimbergæ* 14. dierum ſpatio 4. *Orationes de Icaro Academico*, typis deinceps editas habuiſſet, munus ſuum Profeſſoris in Gymnaſio *Ægidiano* Publici alacriter aggreſſus eſt, nactuſque Auditores magno numero, etiam ex doctioribus & in dignitate conſtitutis.

Publicè profiteri cœpit.

Ingenium habuit C. Julii Cæſaris ſimile, quo & literas dictare ſimùl, & ſcribere ipſe, & poſt longum de re alienâ diſcurſum, interpoſito magno intervallo, ſine omni morâ & renovatione memoriæ, ibi ubi deſtiterat, incipere & progredi rarâ felicitate datum fuit.

Acerrimus ingeniorum cenſor cum eſſet, ab ejus colloquio privato nemo niſi ſapientior, doctior, aut probior diſceſſit: conſilia dans, nihil, quod ad rem non eſſet, propoſuit, jocos non niſi cum prudentiæ ſale temperatos protulit.

28. Maji A. 1643. *Orationem* habuit publicam *de ortu, progreſſu, uſu*, & *abuſu Muſicæ*, quâ finitâ, *Sigiſmundus Theophilus Stadius*, Muſicus inſignis & Organœdus ad S. *Sebaldum* variis inſtrumentis Muſicis, *Iſraëlitis* olim & *Ethnicis*, noſtro quin etiam ævo uſualibus, adjunctâ quoque Muſicâ vocali, Muſicam exhibuit ſingularem ex Pſalmo 150.

Muſica religioſa ab eo habita.

A. 1644. *Norimbergæ* deſponſatus eſt cum *Mariâ*, *Nicolai Deſchaueri*, Civis & Mercatoris *Egrani* viduâ, ubi in nuptiis Parentum pro more vices geſſerunt ambo Reip. Duumviri. Hæc anno ſeq. filiolam mortuam ipſi peperit, & cum à triennio variis morbis exhauſta fuiſſet, obdormivit 6. Nov. A. C. 1664. ætatis 60.

Nubit.

A. 1646. M. *Johanni Sauberto* Concionatori *Sebaldino* & *Bibliothecario* demortuo in utroque munere ſucceſſit, & 1. Dominicâ Adventûs Concionem inauguralem ad S. *Sebaldum* in maximâ auditorum frequentiâ habuit. In Concionibus ejus eloquentia nunquàm nauſeam peperit auditoribus, multis fatentibus, ſe ita tactos ab ipſo vel increpatione vel conſolatione, ac ſi cordium eorum arcana vidiſſet: nihil vile aut leve, nihil ad oſtentationem compoſitum proponebat, nihil dabat affectui aut gratiæ, non reſpiciebat perſonas, nullo metu deterrebatur, nullâ movebatur ſpe, quin potiùs contra pertinacem malitiam ita plerunque accendebatur animo, ut vultus in ruborem abiret. Quæ ad doctrinam pertinebant cœleſtem, tàm perſpicuè proponebat, ſine contentionibus & controverſiis, ut etiam à plebejis & imbecilliore ſexu facillimè potuerit intelligi.

Fit Concionator ad S. Sebald. & Bibliothecarius.

A. 1650. Hoc Verſu, monetis aureis inſcripto, DEO gratias egit:

Magnas ferte Deo grates pro paCe re Latâ.

Cum itaque famâ per *Germaniam* innotuiſſet, à Magnatibus diverſis expetitus eſt, nempè A. 1648. à Senatu *Hamburgenſi*, An. 1653. à Comite *Chriſtiano Ranzovio*, Regis *Daniæ* Legato, in Comitiis *Ratisbonenſibus*, ut *Hafniam* veniret, & paulò pòſt ad Generalis Superintendentis officium in Ducatu *Megaloburgico* à Duce *Guſtavo Adolpho*: A. 1656. ab *Auguſto* Duce *Brunſvicenſi* & *Luneburgico* in locum D. *Joachimi Lutkemanni*, Superintendentis per eas Regiones generaliſſimi: A. 1657. A Comite *Benedicto Oxenſtirnio* Regis *Suecorum Caroli Guſtavi* nomine ad munus Superintendentis generalis in Ducatibus *Pomeraniæ*, *Bremenſi*, & *Verdenſi*: A. 1664. *Dresdam* ab Electore *Sax.* per *Carolum* Baronem à *Frieſen*, in locum D. *Jacobi Welleri*, Concionatoris aulici. Sed maluit in ſtatione ſuâ mediocri permanere, quàm ad altiora aſpirare.

Vocationes varias recuſat.

A. 1657. Ejus inſtinctu & ordinatione Templum *Sebaldinum* interius prorſus renova-

Templum Sebald. renovat.

novatum fuit, ex ſumptibus, quos pii & benigni Cives erogârunt. Ipſe etiam conſtituit, ut ſingulo deinceps triennio Templum hoc de ſuo ſumtu repurgaretur.

11. Sept. A. 1660. Cum Templum dirutum ad S. *Leonhardum* ſuburbio *Goſtenhofienſi* vicinum, quod A. C. 1317. ab *Hermanno Schirſtab*, Canonico, exſtructum circa. An. 1632. bello graſſante deſtructum fuerat, paulò antè fuiſſet reædificatum, ab ipſo primâ Concione habitâ fuit initiatum.

Imperatorem Leopoldū ſalutat. 7. Aug. A. 1658. Imper. Rom. LEOPOLDUM, cum tunc *Noribergæ* ſubſiſteret, Bibliothecam ingreſſurum ad Portam ſtans hoc Epigrammate prolato ſalutavit:

Salve progenies Divûm, ſalve inclyte Cæſar,
A ſummo ſummum Numine culmen habens.
Dum Templum ingrederis Muſarum, oſtendis amorem
In Muſas, quarum Tutor & Altor eris.
Hæ ſcribent gratæ æternis tua Nomina faſtis,
Ut vigeas ſeclis innumerabilibus.

Tunc oſtenſis raris & variarum Linguarum Libris, interrogatus ab Imperatore, num eosdem legere poſſet? *quidni*, reſpondit, & *intelligere?* ſpecimenque edidit. Indè converſus ad ſuos, quos ſecum habuit, Imperator, Patres, *Ecquid vos*, inquit, *ſcitis?* In prandio quoq; honorificam ejus fecit mentionem, quod in omnibus ſibi ex aſſe ſatisfeciſſet. Paulò poſt *Viennâ* munus ab Imperatore LEOPOLDO miſſum accepit Catenam auream magni pretii, cum appenſo nummo iconico: cujusmodi donaria ab aliis quoque Magnatibus ſæpiùs ei transmiſſa fuerunt. *Munus ab Imperatore accipit.* Symbolum ejus fuit ex Cantico Salom.

In foraminibus petræ quieſco.

Oculorum inflammationibus ſæpiùs afflictus, quibus catarrhi frequentes & calculi dolores interdum acceſſerunt, viribus ſenſim deficientibus, ad extremum halitum mente conſtans, inter Dn. *Adolphi Sauberti*, Diaconi *Sebaldini*, aliorumque adſtantium preces, placidè in Chriſto ſpiritum miſit die Viridium S. Paſchatos Feſtum præcedente, 5. April. A. C. 1669. ætatis 65.

DILberrVs VIr Certè MagnVs obIIt.

Vel:

DILberr NorI Mbergæ Certo eXſpIraVIt.

Natus A. C.

Effert InsIgnI ſe proLe the Mara DILberro. 1604.

Denatus An. ætat.

Iena Ipſo feLIX & pIa NorIs erat. 65.

Joh. Gabr. Meier Helvet.

Numiſmata plurima, quæ longo tempore collegerat, aurea, argentea, & ærea per Teſtamentum Collegio *Sebaldino* donavit, unà cum Bibliothecâ ſuâ, quæ cum *Jenâ* diſceſſiſſet 104. Centenarios ponderans 14. currûs impleverat, ſed per 30. deinceps annos multò locupletior reddita fuerat. Eodem Teſtamento Bibliothecam *Noriberg.* quam vivus multis libris & manuſcriptis rarioribus donaverat, 1000. florenis fœnori datis locupletavit.

Tres etiam Scholas *Themarenſem*, *Meniningenſem*, & *Schleuſingenſem* largis donationibus ditavit. Duo quoque Stipendia conſtituit, unum pro ſtudioſo Theologiæ, Philologiæ, & Philoſophiæ, alterum illis, qui cognitioni Juris aut Medicinæ operam dant: hâc conditione additâ, ne Gymnaſii *Schleuſingenſis* diſcipuli poſthabeantur.

* *Ex Concione fun. Adolphi Sauberti: Oratione Panegyricâ Chriſtophori Molitoris Ling. Orient. & Eloq. Profeſſ. Altorfii habitâ: & ex Templo Honoris, quod Parentatione ſolenni ei vovit Chriſtoph. Arnoldus Orat. Poëſ. & Ling. Prof. 24. Jul. A. C. 1669.*

JOANNES MICHAEL DILHERRUS.
Per Anagr. *Mirus Henoch, Elias, Daniel.*

Scripta *J. M. Dilherri* Latina:

In Quarto.

Crucifixio JESU Chriſti cum figurâ æneâ ex S. Patribus. *Scripta.*

Tomus Diſputationum Academicarum præcipuè Philologicarum.

Tomus novus Diſputationum Academicarum Theologicarum & Philologicarum.

Icarus Academicus, deſcriptus aliquot Orationibus, tyroni Academico neceſſariis.

De Theologiâ rectè addiſcendâ.

De Linguâ Sanctâ Theologis pernoſcendâ.

De Philoſophiâ Jureconſultis non negligendâ.

Oratio de rectâ Puerorum educatione.

Pugillus Sententiar. ex S. Scripturâ & Patribus depromptarum.

In Octavo:

Atrium Linguæ Sanctæ, ſive Rudimenta Linguæ Hebraicæ in ſex horas diſtributa. Cum appendice variarum antiquitatum, & brevis Lexici.

Periſtylium Linguæ Sanctæ, quo continetur Rudimentorum pars II.

In duodecimo:

Apparatus Philologicus.

Symbolum Fidei Auguſtini.

Manuductio Ariſtotelica ad Locos Inventionis Rhetoricæ.

Confeſſio Auguſtana.

Hiſtoria Confeſſionis Auguſtanæ.

Contemplationes & Suſpiria hominis Chriſtiani, potiſſimùm ex Sanctis Patribus: unà cum Specimine Philologiæ Sacræ, ex Scriptoribus Sacris, Lactantio, Ambroſio, Auguſtino, Sidonio Apollinari, Petro Damiani, & Bernhardo. Libellum hunc Wilhelmus Style J. C. Anglicus & Dicaſterii Provincial. Armiger ſermone Anglico accuratè tradidit.

Conſolationes Philoſophicæ Boëthii, & Theologicæ Gerſonis, cum Guſtu Philologiæ Patrum, & methodo legendi Patres.

Dialogi Philologici.

Electorum Libri III. in quibus rituum tàm Sacrorum quàm ſecularium farrago continetur, multa S. Scripturæ & variorum autorum loca depromuntur, & linguarum uſus oſtenditur.

Chronologia Ethica.

Philoſophia Moralis Prætorii.

Satyræ Perſii, cum ejus vitâ, & Diſſertatione de Satyrâ.

Satyrici

Satyrici minores, de corruptis ſeculi moribus: Valerius Cato, Petronius Arbiter, Sulpitia Poëtria, quibus acceſſit autor anonymus, Francus, de Lite, cum præfatione.

Grammatica Syriaca.

Ecloga Syriacæ ex novo Teſtamento.

Scripta Germanica.

In fol.

Augen- und Hertzen-Luſt/ das iſt/ Emblematiſche Fürſtellung der Sonn- und Feſttäglichen Evangelien/ in welcher zu finden/ Erſtlich der Innhalt der Evangelien: zum andern/ die fürnehmſte darinn enthaltene Lehren: zum dritten/ ein darauf gerichtetes Gebetlein/ zum vierdten ein Lied/ das auf das Evangelium und *Emblema* gerichtet.

Heylig Epiſtoliſcher Bericht/ Liecht/ Geleit und Freud/ das iſt/ Emblematiſche Fürſtellung der Heiligen Sonn- und Feſttäglichen Epiſteln/ in welcher gründlicher Bericht von dem rechten Wortverſtand ertheilet/ dem wahren Chriſtenthum ein helles Liecht fürgetragen/ und ein ſicheres Geleit/ mit beygefügten Gebeten und Geſangen zu den himmliſchen Freuden gezeiget wird.

In quarto.

Emblematiſche Poſtill/ in welcher über die Sonn- und Feſttäge 3. Predigten zu finden.

Tugend-Schatz und Laſter-Platz/ aus Bibliſchen Geſchichten der Patriarchen/ und fürnehmſten Regenten/ von Adam bis auf Eſra mit Kupfferſtucken.

Academia Prophetica, das iſt/ Propheten-Schul mit Kupfferſtucken.

Academia Chriſt-Apoſtolica: das iſt/ das Leben Chriſti/ und ſeiner Apoſteln/ mit Kupfferſtucken.

Betrachtung der Threnen Chriſti.

Lehr und Nehrſtand.

Drey Theil Evangeliſcher Schlußreimen der Predigten/ ſo A. C. 1649, 1650, und 1651. gehalten/ mit 3. ſingenden Stimmen/ 2. Diſcanten/ einen Baß/ mit *Numeris* und *Signis* gezeichnet/ zu einem Poſitiv/ Regal/ Spinet/ Clavi Cymbel oder Theorb *accommodirt*.

In Octavo.

Hauß- und Reiß-Poſtill/ mit Sinnbildern und ſchönen Geſangen.

Weg zur Seeligkeit/ in 4. Theilen gezeiget: 1. Von der Buß/ 2. von der Beicht/ 3. von dem H. Abendmahl/ 4. vom Chriſtlichen Leben und Wandel. Hunc ſolum ejus Librum Pontificiorum cenſura nunquam vexavit: eumque A. C. 1665. *Petrus Mehrenius*, Acad. *Hafnienſis* Vice-Bibliothecarius, *Danicè* vertit, & Rex *Dan. Fridericus III.* Privilegio inſigni munivit.

Zeit- und Weltlauff/ oder Chriſtliche Betrachtungen des glantzenden Himmels/ flüchtigen Zeit/ und nichtigen Weltlauffs/ mit Kupfferſtucken.

In duodecimo & 24 to.

Himmliſches Freudenmahl auff Erden/ oder Predigten vom H. Abendmahl.

Anfängliche *Catechiſmus*-Lehr.

Gottſeeliges Friedens-Gedächtnuß.

Freudenblick des ewigen Lebens/ oder Predigten von der ewigen Seeligkeit.

Faſt- Buß- und Bettags-Predigten.

Chriſtliche Seufftzer und Hertzens-Geſpräch.

Anweiſung zu Chriſtſchuldiger Gebühr in Geſundheit/ Kranckheiten/ und Sterben.

Freud in Leid/ oder lebendiger Troſt wider die Anfechtung im Abſterben ungetauffter Kinder.

Geiſtliches Handbüchlein.

Predigten vom Tod/ jüngſten Gericht und der Höll.

Heylige Charwochen.

Himmliſche Gluckhenne und Immanuel.

Der großglaubige Hiob.

Der troſtreiche Jeremias/ ſampt 3. Predigten von der Göttlichen Fürſehung.

Himmel und Erden/ das iſt/ Ungleiches Sinnen und Beginnen deren/ ſo Gott/ und auch deren/ ſo die Welt lieben/ in Bildern/ Sprüchen der H. Schrifft/ und Andachten fürgeſtellet.

Heyl des Sünders.

Göttliche Liebes-Flammen/ aus dem Hohenlied Salomonis/ mit Kupfferſtücken.

Morgen- und Abend-Opffer/ oder Gebetbuch in 2. Theil mit Kupferſtücken.

Geiſtliches Klaghauß/ oder Leich-Predigten.

Neu Jahrs Predigten.

Zeit-Predigten/ mit Gebetlein auf alle hohe Feſttäge.

Paſſion Predigten.

Göttlicher Ruhm der Schreibfeder.

Frommer Chriſten täglicher Geleitsmann.

Reiße gen Bethlehem/ oder Weynacht-Freude.

Sonntags-Feyer.

Welt- Feld- und Garten-Betrachtung mit Kupfferſtucken.

Geſang-Büchlein mit vielen gantz neuen Liedern.

Haußprediger vor Eltern/ Kinder/ und Ehehalten/ mit Kupfferſtücken.

Ehre der Ehe/ oder Betrachtung des Eheſtands/ mit Kupfferſtucken.

Das in den leidenden HErrn JEſum verliebte Chriſtenhertz/ mit 37. Kupfferſtucken.

Vergiß mein nicht/ oder Betrachtung des Leidens Chriſti.

Gebet-Büchlein wider den Türcken: ſamt einer Beſchreibung der Türcken Urſprungs/ Lebens/ und Lehre.

Hùc pertinet, quod in Bibliis *Vinarienſibus* elaborandis deſignatum ſibi Librum perdifficilem

difficilem *Hiobi* ſuſcepit explicandum. In iisdem Bibliis, antequam ederentur, revidendis cum Dom. Doctoribus *Johanne Gerhardo, Johanne Himmelio*, & *Salom. Glaſſio*, ipſe quartus operam ſuam impendit.

Obiit A.C. 1669.

STEPHANUS BÖNERUS.

IN oppido *S. Johannis* natus eſt 23. Junii A. C. 1599. Patre *Johanne Bönero*, cive honeſto *Bindlochienſi*, Matre *Mariâ*, *Erhardi Büttneri* filiâ, Cantoris & Scribæ judicialis in *Naylâ*.

In Scholâ Bayreuthinâ literarum initia didicit.

In Scholâ patriâ literis initiatus A. 1606. â Patre *Bayreuthum* miſſus, ibi Scholam frequentavit charus M. *Bierzapfio*, Rectori, & *Johanni Grammanno*, Cantori propter Diſcantum, quem tunc canebat.

Piſtoris opificio diſcendo datur.

Cum A. 1613. in primâ Claſſe jam biennium ſediſſet, Pater, ſuaſu Rectoris *Johannis Stumpfii*, ſtipendium pro filio â Principe in Gymnaſio *Heilsbronnenſi* ſupplex petiit, cum verò promotio differretur, & Patri ab amico ſignificaretur, filium vix ante novennium *Heilsbronnam* venturum eſſe, Piſtoris is agnati ſui opificio diſcendo traditus eſt.

Stipendium nactus in Gymnaſium Heilsbronnæ venit. *Præceptor privatus.* *Magiſter Wittenbergæ.*

A. 1615. Cum Nobilis Vir *Fridericus Ulricus â Vorell*, Cancellarius *Brandenburg.* ſtipendium nobile ſubditi ſui *Johannis Boneri* filio obtinuiſſet, is â Patre ſine morâ deductus *Heilsbronnam*, & in ſecundam Claſſem poſitus eſt. Ibi adeò ſedulum in ſtudiis ſe exhibuit, ut M. *Joh. Blaufelderus*, Cœnobii Concionator, eum in domum ſuam traductum tribus filiis ſuis Præceptorem & 15. Convictoribus Inſpectorem eſſe voluerit, uſque dum A. 1623. *Wittenbergam*, prægreſsâ Oratione valedictoriâ diſceſſit, ubi A. 1626. Magiſterii Gradum cum honore adeptus eſt.

Præceptor Claſſicus Bayreuthi. Paſtor Eccleſiæ Miſtelbac. *Ad Miniſterium ordinatur.*

10. Martii A. 1626. *Bayreuthi* in Scholâ tertiæ Claſſis Præceptor denominatus, biennio pòſt 16. Jan. A. 1629. vocationem legitimam ad Eccleſiæ Paſtoratum *Miſtelbacenſem* obtinuit, & brevi pòſt, prægreſſo examine Theologico, in præſentiâ Dnn. Conſiſtorialium, D. *Chriſtoph. Schleupneri*, Superintendentis Generalis, M. *Matthæi Chytræi*, *Viti Albini*, *Caſp. Steiningeri*, & M. *Johannis Rothi* Dominicâ Invocavit, unà cum M. *Adamo Steinhauſero* ad S. Miniſterium ſolenniter ordinatus eſt.

Diaconus Bayreuthi. *Concionator aulicus & Superintendens.*

A. 1637. Varias intereà moleſtias à militibus in Paſtoratu ſuo perpeſſus, juſſu Marchionis *Brand.* cui per libellum ſupplicem miſeriam ſuam propoſuerat, *Bayreuthi* Diaconi infimi officium tunc vacans adeptus, & à *Johanne Braunio*, tunc Superintendente, Dominicâ primâ Adventus inveſtitus eſt. Cum verò hic Superintendens A. 1652. mundo valedixiſſet, eique M. *Samuel Haynius* ſucceſſiſſet, Urbis Concionator & Archidiaconus factus, poſt obitum verò M. *Haynii* Concionatoris aulici & Superintendentis vocationem à Principe ſuo clementer obtinuit.

Conjugium ejus duplex.

22. Maji A. 1627. Nuptias primas celebravit cum virgine *Magdalenâ*, *Georgii Henrici Lauterbeckii*, Conſulis primarii filiâ, ex quâ 4. filios & 5. filias omnes in primâ ætate denatos ſuſcepit, quos ipſa mater 12. Nov. A. 1645. conjugii 17. mo ſecuta eſt.

1. Dec. A. 1646. Iterum deſponſatus cum filiâ *Johannis Knopfii*, Conſil. *Brandenburgici* & Quæſtoris, quæ 4. ei filios peperit, in pueritiâ demortuos, & tres filias, *Magdalenam Margaretham*, *Catharinam*, & *Annam Mariam*, 8. Sept. A. 1668. M. *Joh. Caſp. Oertelio*, Græcæ & Hebr. linguæ Profeſſori publico nuptam.

Morbi ejus.

10. Febr. A. 1663. Hæmorrhagiâ narium correptus, intra 8. horarum ſpatium ultra tres Menſuras ſanguinis emiſit, donec is ab Archiatro Principis D. *Adamo Schaffero* per medicamenta convenientia cohibitus eſt.

Mors.

5. Oct. A. 1665. In Muſæo ſuo ſubitò coxendicis in ſiniſtro latere dolore prehenſus, indè diſcedere nequivit, variis abindè catarrhis afflictus, accedente tandem totius pedis ſiniſtri paralyſi, cum febri, inter aſtantiũ preces placidè exſpiravit 27. April. A. C. 1669. æt. 70.

* *Ex Concione fun. Johannis Roſæ, Diaconi Bayreuthini.*

Obiit A.C. 1669.

THEODORUS PUCHNERUS.

NAtus eſt 15. Jan. A. C. 1622. in opp. *Forſt, infer. Luſatiæ*, patre cognomine Senatore & Conſule, Matre *Eliſabethâ Schultziâ Gubenenſi*.

Literis in ſcholâ patriâ initiatus A. 1637. Gymnaſium *Eliſabethanum Uratislaviæ* acceſſit; *Halæ Sax.* deindè per aliquod tempus *Chriſtiani Gueintzii* Rectoris convictu uſus, Gymnaſium *Thorunenſe* in *Boruſſiâ* inviſit.

In Churlandiâ Theol. ſtud. *& Wittenbergæ.*

A. 1640. Parentibus orbatus, & belli turbis patriam ejus affligentibus, in *Churlandiam* & *Semigalliam* profectus, aliquandiu concionando ſe exercuit, & adoleſcentes nobiles in literis informavit, donec A. 1645. *Rigæ* in *Livoniâ* navim ingreſſus, patriam feliciter repetiit. A. 1646. *Wittenbergenſem* acceſſit Academiam, & ſtudia ſua Philoſophica cum Theologicis alacriter continuavit.

Concionator aulicus.

A. 1651. Vocatus à generoſo Barone *Ferdinando à Bieberſtein*, mecænate ſuo, apud eum per triennium in patriâ *Forſt* Concionatorem aulicum egit.

A. 1655. *Wittenbergam* reverſus, Præceptores priſtinos iterum lætus ſalutavit, & ſtudia ſua feliciter ad finem perduxit.

Eccleſiæ Paſtor & Scholar. Inſpector Böſingæ in Hungariâ.

A. 1656. Ad miniſterium Eccleſiæ *Bazinienſis* in *Hungariâ inf.* per *Matthiam Langium* vocatus, eodemque tempore *Magdeburgum* per literas *Wittenbergam* ſcriptas accerſitus, Theologorum *Wittenbergenſ.* conſilio priorem vocationem accepit, & iter in *Hungariam* ſuſcipiens 23. Aug. *Böſingam* ad Eccleſiam ſibi concreditam venit, moxque munus Paſtoris cum ſcholarum inſpectione aggreſ-

aggreſſus eſt. 26. Nov. ſeq. in Synodo *Böſingæ* habitâ Contubernii *Poſonienſis* Aſſeſſor primarius, & A. 1662. 8. Febr. Decanus ejusdem Contubernii primarius in Synodo *Modorenſi* electus eſt.

Aſſeſſor Contubernii & Decanus primarius Poſonienſis.

Conjugium ejus duplex.

6. Maji A. 1659. *Poſonii* nuptias celebravit cum *Catharinâ*, viduâ *Laurentii Trumaueri*, Judicis *Ruſtenſis*, quâ ſine liberis 25. Mart. A. 1661. defunctâ, 7. Nov. ſeq. iterum deſponſatus eſt cum virgine *Euphroſynâ*, *Joh. Henrici Blendingeri Norimbergenſis*, Eccleſiæ Paſtoris ad S. *Georgium* primarii relictâ filiâ, quam ſterilem quoque reliquit ſuperſtitem.

Morbis intereà variis conſumptus, ut viribus decreſcentibus munere ſuo ampliùs fungi nequiret, A. 1667. Eccleſiæ *Böſingenſi* per Concionem 10. Dom. Trinit. habitam valedixit, & cum uxore *Norimbergam* diſceſſit.

Norimbergam venit.

Exindè, ſuaſu amicorum, ad Thermas vicinas *Weiſſenburgenſes*, ſanitatis recuperandæ ſpe, migravit: finitoque ibi balneo *Nordlingam* cum familiâ ſuâ A. 1668. conceſſit.

Tandem æger adhùc ad acidulas *Deinacenſes* profectus, & in viâ Medici cujusdam *Stutgardiæ* conſilio uſus, cum biduum ibi fuiſſet, apoplexiâ correptus exſpiravit 15. Maji A. 1669. æt. 48. *Zavelſtenii* 18. Maji ſeq. terræ mandatus.

Acidulis Deinacenſibus uſus.

Mor. apoplexiâ.

* *Ex Concione fun. M. Joh. Frid. Hochſtätteri.*

Obiit A. C. 1669.

JOSEPHUS SCHLOTTERBECCIUS.

Lienzingæ Ducatûs *Würtenbergici* oppido natus 14. Martii A. C. 1592. Patrem habuit M. *Johannem Schlotterbeck*, primò in Cœnobio *Maulbronnenſi* Præceptorem, deindè Paſtorem Eccleſiæ fidelem *Lienzingæ*. Matrem habuit *Barbaram Widmanniam*.

Puer in addiſcendis Linguæ Latinæ rudimentis *Vabingæ* biennium, *Stutgardiæ* in pædagogio ſexennium, in Cœnobio *Hirſchbavienſi* biennium, & alterum in Cœnobio *Maulbronnenſi* exegit.

Cum ſtudium Philoſoph. & Philologicum abſolviſſet A. 1613. æt. 21. *Tubingæ* Philoſophiæ Magiſter ſolenniter renunciatus eſt.

Philoſ. Magiſter Tubingæ.

Studio Theologico deditus abindè A. 1617. Dominorum Profeſſorum & Præceptorum auxilio ad Repetitoris officium inter Stipendiarios promotus, triennii ſpatio diverſa eruditionis ſuæ ſpecimina edidit, dum A. 1618. Theologi celebris D. *Thummii* Diſputationem Gradualem defendit, & brevi pòſt Orationem in feſto Auguſtini anniverſariam recitavit.

Repetitor Stipendiar.

A. 1620. Diaconus *Vayhingenſis*, & Anno ſeq. *Stutgardienſis* factus, Anno demùm 1632. Paſtor & ſpecialis *Marpacenſis* declaratus, hoc munere 24. annos, peſtis, belli & annonæ tempore fideliter functus eſt.

Diaconus Stutgard. Paſtor Eccleſ. & ſpecialis Marpacenſis.

Intereà A. 1640. Generalis Superintendens *Maulbronnenſis*, & A. 1661. Abbas Cœnobii *Murbartenſis* deſignatus, & Anno 1656. poſtquàm ſcholam Cœnobialem *Maulbronnæ* reſtauraſſet, ejusdem Cœnobii Abbas conſtitutus eſt.

Abbas Murbartenſis & Maulbronn.

In conjugio quadruplici vixit, deſponſatus I. A. 1620. cum virgine *Anna Mariâ*, *Mich. Greiſii* Pharmacopæi *Tubingenſis* filiâ, ex quâ biennio pòſt filiolum ſuſcepit brevis cum matre ſuâ vitæ: 2. A. 1624. cum virgine *Annâ Margarethâ*, *Friderici Schotti*, Scriniarii aulici *Stutgardiæ* filiâ, ex quâ duos liberos ſuſcepit, A. 1627. cum matre denatos. 3. A. 1628. cum virgine *Margarethâ*, *Petri Hermanni* Civis *Stutgardienſis* filiâ, cum quâ ſeptennium exegit, factus ex eâ Pater 4. filiorum, & filiæ *Catharinæ Barbaræ*, quæ poſtea nupſit M. *Joh. Jacob. Wolfio*, Paſtori *Feurbacenſi*.

Quater maritus.

Ex filiis verò Patri ſuperſtitibus *Joh. Wilhelmus*, Cœnobii *Würtenbergici Reichenbacenſis* director, & *Joh. Georgius*, xenodochii *Marpacenſis* gubernator fuit.

4. A. 1636. duxit uxorem virginem *Annam Mariam*, M. *Johannis Krompeinii*, Paſtoris *Beibingenſis* filiam. Ex hâc filios reliquit M. *Philippum Jacobum*, Diaconum *Uracenſem*, M. *Joſephum*, Theologiæ *Tubingæ* ſtudioſum, & *Joh. Marcum* Philoſ. ſtudioſum. Ex filiabus ejus *Anna Maria* M. *Joh. Ludovico Neuſero* Paſtori *Münſterenſi*, & *Maria Barbara* M. *Joh. Michaëli Ivenſingero*, Theol. Candidato *Heilbronnæ* fuerunt elocatæ.

Colicis doloribus à ſesquianno ſæpiùs afflictus, accedente tandem catarrho ſuffocativo placidâ morte extinctus eſt 21. Maji A. C. 1669. æt. 78. miniſterii 49.

Moritur.

JOSEPHUS SCHLOTTERBEC PRÆLATUS MAULBRONNENSIS.

Per Anagramma:

Abbas ille eſt occurrens Theophilus! ponas numeros.

* *Ex Concione fun. M. Eberhardi Kelleri Miniſtri Eccleſ. Maulbronn.*

JOH. WOLFGANGUS WEIDNERUS.

Obiit A. C. 1669.

Hallæ *Suevorum* natus eſt 3. Sept. A. C. 1601. Patre *Johanne Weidnero*, Theologo, Decano & Conſiſtoriali *Hallenſi*, Matre *Catharinâ Fiſcheriâ*.

Parentibus orbatus A. 1606. ab avo materno *Wolfgango Fiſchero*, Senatore, ſuſceptus, & in ſcholam patriam miſſus eſt, in quâ Claſſes V. pertranſiit, & varia diligentiæ præmia obtinuit.

Schola Hall. diſcipulus.

M. Majo A. 1617. Univerſitatem *Argentinenſem* adiens, Pædagogum privatum egit, & ſtudii Theologici fundamenta poſuit. A. 1620. In Patriam reverſus, cum aliquot conciones habuiſſet, prægreſſo Examine, à Conſiſtorio Eccleſiaſtico licentiam concionandi conſecutus eſt, & brevì pòſt à nobili viro *Wolfgango Creilshemio* ad Eccleſiæ miniſterium *Braunſpachii* vocatus, & à M. *Parſimonio*, Concionatore *Hallenſi*, in

Theol. ſtud. Argent.

Paſtor Eccleſ. Braunſpachii.

Templo S. *Michaëlis* ordinatus A. 1621, munus ſuum alacriter aggreſſus, 17. annis cum laude adminiſtravit.

Hallæ Diaconus.

A. 1638. Vocatus à Senatu *Hallenſi* Subdiaconus, & A. 1645. Diaconus ſuperior, A. 1650. Paſtor Eccleſiæ per M. *Joh. Georgium Wibelium* conſtitutus, poſtmodùm in Synodo à Dominis Capitularibus habitâ Capituli Procurator, Conſiſtorialis & Scholarcha fuit electus. Demùm A. 1658. ad munus Concionatoris, & A. 1659. ad Decanatum communibus ſuffragiis vocatus eſt.

Procurator Conſiſtorialis & Scholarcha. Concionator, & Decanus. Duplex Conjugium.

13. Nov. A. 1621. Primâ vice deſponſatus eſt cum virgine *Chriſtinâ*, *Petri Rappoldi*, Civis & Conſiſtorialis *Velbergæ* filiâ, ex quâ, præter alios liberos, filium reliquit *Joh. Wolffgangum*, Pharmacopœum *Hallenſem*. A. 1668. Uxore defunctâ, alteram duxit *Annam Mariam*, *Joh. Mich. Gräteri* Judicis filiam ſibi ſuperſtitem.

Moritur.

Varias à militibus in miniſterio *Braunſpacenſi* calamitates perpeſſus, à 5. tandem menſibus æger decumbens, animam Creatori reddidit 4. Junii A. C. 1669. æt. 68. miniſt. 48.

* *Ex Concione fun. M. Georg. Phil. Bonhoferi Concionat. Hall.*

Suſpirium Chriſtianum *Joh. Georg. Wibelii* Conrectoris
ad A. C. 1669.

VenI & LIberat Vos ô DoMIne IesV ChrIſte:
VenI sVbIto noLI tarDare, & bea, oMnes Verè ChrIſtIanos:
IrrVat aVteM IVſtItIa DeI è CœLo:
IMpII CrVDeLIter pVnIantVr:
Lætè reDIMantVr probI rVbro ChrIſtI sangVIne.

Acroſtichis I. T. H.

Vivax heu cecidit Weidnerus mortis ab iſtV!
Vnum, ſi nullum dignemur perpete planctV.
Ex oculis raptus tamen haud è mentibus illE
Illuſtris Viduæ eſt, Proli, Generoque, NepotI.
Dogma recens remanebit & auditoribus illuD.
Nunquam perdetur Synodo venerabile NomeN.
Ejus honor ſtabit perpes, quàm gnaviter iſtE
Rexerit Eccleſiam divino dogmate DoctoR.
Ut ſimilem reddas ſimilis pietatis & usU
Sanctum qui cœtû paſcat, Deus alme, rogamuS.

Obiit A. C. 1669.

JOHANNES HENRICUS RISIUS.

NAtus eſt 25. Sept. A. C. 1596. *Gebrothi* in Comitatu *Sponheimenſi*, *Carolo* Comiti *Palatino* ſubdito. Pater ei fuit M. *Johannes Riſius*, *Auguſtanus*, Paſtor Eccleſiæ *Gebrothanæ*, Mater verò *Claudia*, filia M. *Eliæ Ebingeri*, Eccleſiæ *Auguſtanæ* ad Spiritum Sanctum Paſtoris.

Filius Eccleſ. Paſtoris.

Educatur Auguſtæ.

Cum anno ſeq. Pater obiiſſet, Avus maternus eum filii loco educavit, usque ad A. 1612, quo literis Latinis in Gymnaſio ſatis inſtructus, inter Alumnos in Collegio Evangelico receptus eſt, ubi manuductione & informatione M. *Petri Menderlini*, in linguis Latinâ, Græcâ, Ebræâ & Chaldaicâ, in Oratoriâ & Poëſi, necnon in ſtudio Philoſophico tantum profecit, ut ab Adminiſtratoribus Stipendii *Weiſſiani* A. 1616. in Academiam *Haſſiæ Gieſſenſem* unâ cum 5. condiſcipulis ablegatus fuerit, in quâ biennium ſub inſpectione D. *Chriſtophori Helvici*, & *Chriſtophori Scheibleri*, ſtudiis impendit.

Gieſſam mittitur.

A. 1618. Mecænatum ſuorum juſſu Academiam *Tubingenſem* acceſſit, ibique 20. Feb. A. 1620. ſummum in Philoſophiâ Magiſterii gradum adeptus, inter 16. Candidatos tertium Honoris locum obtinuit, & Gratiarum actionem vario Carminum genere cum applauſu peregit: ſæpiùs etiam ſub *Theodoro Thummio* in loco publico aulæ novæ opponendo & reſpondendo ſe exercuit.

Tubingæ fit Magiſter Philoſ.

A. 1623. *Rotenburgum* veniens, & Conſuli *Johanni Bezoldo* officia ſua offerens 5. Sept. à Superintendente *Georgio Zierlino* præſentibus Dominis Conſiſtorialibus, & toto Miniſterio Eccleſiaſtico examinatus, & die ſeq. à Senatu ipſi *Gailnavienſis* Eccleſiæ Paſtoratus fuit adjudicatus.

Paſtor Gailnavienſis.

Exactis in eo pago 30. ſeptimanis, in Gymnaſio *Rotenburgenſi* Conrectori M. *Johanni Seybotho* ad Rectoratum promoto ſucceſſit invitus licet: tunc ſtudium Poëticum magis excoluit, ad quod naturâ ferebatur, qui puer adhùc ex tempore Carminicè ſermocinari ſolitus erat. 1. Jan. A. 1625. Lauream Poëticam ultrò ſibi oblatam à D. *Sebaſt. Hornmoldo*, Com. *Palat.* & Conſiliario *Würtenbergico* ſolenniter accepit.

Conrector Rotenburgi. Poëta ſingularis. Laureâ Poët. coronatur.

Cum in octavum annum laboribus ſcholaſticis inſudâſſet, A. 1632. *Wettringæ* ad *Tuberæ* fluvii exortum Paſtor Eccleſiæ factus, & A. 1634. *Rotenburgum* reverſus, ſocero ſuo M. *Joh. Hartmanno* in Diaconatu ſucceſſit. A. 1648. Vocatus à generoſis Comitibus *Hattzfeldiis*, *Melchiore & Hermanno*, interventu D: *Georgii Chriſtophori Waltheri*, Conſiliarii Comitum intimi, Paſtor, Inſpector & Superintendens Eccleſiæ conſtitutus, & Dominicâ Rogationum primam Concionem habuit in *Haldenbergſtetten*.

Paſtor Eccleſ. Wettringæ. Diaconus Rotenburgi. Superint. Hatzfeldicus.

18. Nov. A. 1623. Nuptias celebravit cum virgine *Margarethâ*, M. *Johannis Hartmanni*, Archidiaconi *Rotenburgici* filiâ. Ex eâ 13. liberos ſuſcepit, quorum 7. præmiſit, 6. verò ſuperſtites reliquit, filium nimirum *Georgium Philipp. Riſium*, Eccleſiæ *Auguſtanæ* ad S. *Crucem* Paſtorem, & 5. filias, omnes honeſtè elocatas, quarum 1. *Margaretha* M. *Georgio Nagelio*, Seniori Miniſterii *Rotenburg.* deinde *Joh. Andreæ Hartleitnero* J. U. C. 2. *Margaretha Catharina Georg. Güntzelio* Paſtori *Schrotzberg.* in Comitatu *Hoënloico*; 3. *Roſina*, *Joh. Adolpho Kohlio*, Paſtori *Hoënloico* in *Vorbach Zimmern*, poſteà *Georgio Jacobi*, Paſtori *Hohefeldico*; 4. *Barbara*, *Johan. Georg. Styrzelio*, J. C. Philologo & Hiſtorico, Conſuli *Rotenburg.* 5. *Suſanna*, *Adamo à Berg*, Paſtori *Rotenburgico* ad S. *Leonhartum* deſponſatæ fuerunt. Ex quibus omnibus 28. nepotes vivos, dum eſſet in vivis, vidit.

Nuptias celebrat.

Wettringæ dum viveret, non tantùm omnibus bonis exſpoliatus, ſed etiam ſummum

mum vitæ periculum incurrit, dum à *Croatis*, capitis abſciſſionem acinacibus ei minantibus, extra pagum manibus ligatis protractus, adeò vulneribus & plagis exceptus eſt, ut ſemimortuus *Rotenburgum* devectus, 14. emplaſtra eò attulerit. A quibus vulneribus tamen ope *Lucæ Enckelmanni*, Chirurgi aulici *Anſpacenſis*, feliciter per Nominis Divini gratiam curatus fuit.

Lethaliter vulneratus à Croatis.

Cum in miniſterio ſuo *Hatzfeldico* 21. annis fidelem ſe exhibuiſſet Eccleſiæ Paſtorem, anno ultimo melancholiâ hypochondriacâ, cum variis doloribus afflictus, viribus indies deſcreſcentibus, tandem inter preces ad JEſum ardentes exſpiravit 21. Junii A.C. 1669. ætatis 73.

Moritur.

Scripta. Poëta extraordinarius ſcripſit:

Horatium Chriſtianum.

Eclogas Virgilio-Chriſtianas.

Precationes & Carmina ſuper Exercitia Pietatis Gerhardi.

Tubam Pacis Carmine ſingulari cancrino concentam A. 1646. Addita ſunt Epigrammata aliquot cancrina viris eruditis inſcripta, qualia carmina cancrina nunquàm anteà à quoquam ſcripta fuerunt.

* *Ex Concione funebri* Joh. *Chriſtoph. Rödingeri Concionat. Hatzfeld.*

Iconi ejus à *Philippo Kiliano Auguſtæ* ſculptæ ſubſcripta videntur hæc verba cancrina:

Jeſu ſei / o werte trew! o werte trew / o Jeſu ſei!
dan gebe Gott o gebe gnad.

JOH. HENRICI RISII Carmina cancrina *Tubæ Pacis* nomine typis emiſſa *Noribergæ* A.C. 1646.

1.

Eccleſiæ armis preſsæ ad Chriſtum Suſpirium:

Arvi ah nobis! ſi bona nobis ſi bona jura,
O TE PETRAM! heu res erue Marte, peto.
Iura tenet Naman, meſſem Naman tenet arvi,
Eli ſiles? Irene en ἔρις! Eli ſile.

2.

Chriſti Eccleſiæ hyperaſpiſtis Conſolatio:

Me cape pacem: o rexero: Rex ero, me cape pacem!
Ore ſitim è pace me cape mitis ero.
Me gero Regem miſſum, ad amuſſim me gero Regem,
Marte petram, arte petram: marte petram arte petram.
Me gero Regem, ne diffid' en me gero Regem!
Seva cave: ſatis at ſtas? ita ſeva caves.

3.

Tuba Pacis.

Enſibus angis ſacra! tot arcas! ſigna ſubisne?
Signa ſubisne? o muta fatum! ob enſibus angis
Signifer à letho murorum ohtela reſingis.
Signa reſingi (ſi retro vorteris Ignifer) angis.
Signifer angis mungere regnum: ſigna reſingis
Angere regna, o arida? dira! o angere regna!
Sacra! tot arcas! ſerta! tot at res! ſacra tot arcas!
Signa repangis: jura tot arvi ſigna perangis:
Signa reſingis, o angere regna! o ſignifer angis
Iura tot arvis? ἁγιὰ tot angas? jura tot arvi?
Te diridet Ares: ſi Siſſera, te diridet.
Se tum animat rectus, ὅλος ut certamina mutes.
Me cape pacem roſor: oſor me cape pacem
Satrapa: partas heu res erue ſatrapa partas
Me cape! re nummus ſummus ſum munere, Pacem.
Me cape pacem: homo ſis, homo ſis Homo: me cape Pacem.
Me cape pacem: ſi vis: ſi vis, me cape pacem!
Me cape pacem, ſedo: ſodes, me cape pacem.
Me cape pacem! & recte, & certe, me cape pacem.
Me cape pacem! at certè, & rectà me cape pacem.
Me cape pacem ah Papa! ah ah Papa me cape pacem.
Me cape pacem! muta fatum: me cape pacem.
Me cape pacem, Raſe ac Cæſar, me cape pacem.
Muto votum: me cape pacem: muto votum.
Me cape pacem, Otto, oro: oro Otto, me cape pacem.
Me cape pacem Xerxes, Exrex, me cape pacem.
Me cape pacem, ſi diffidis, me cape pacem.
Me cape pacem, o Boie! è Jobo me cape pacem.
Me cape pacem, agilis Here, ſi liga, me cape pacem.
Me cape pacem Silla, Gallis: me cape pacem.
Sit cape pactis: me cape pacem! ſit cape pactis.
Me cape pacem, o Heſſe, ô Heſſe! ô me cape pacem.
Me gero Regem, me cape pacem! me gero Regem.
Me cape pacem, Atlas, here ſalta: me cape pacem.
Me cape pacem miſſam, adamas ſim, me cape pacem.
Me cape pacem Naman, Naman me cape pacem.
O Leo! cœlo me cape pacem, o Leo cœlo.
Siſſera tu non ſis: ut tu ſic non ut Ares ſis!
Me cape pacem ô Abbas! Abba o me cape pacem.
Me cape, re nummus, ſuccus ſum, munere pacem.
Me cape pacem Nathan, Nathan me cape pacem.
Me cape pacem Laban: Nabal me cape pacem.
Murum me cape pacem: me cape pacem murum.
Me cape pacem: ſit res ſertis! me cape pacem.
Organon agro ô me cape pacem, ô organon agro.
Me cape pacem ô Vir! à rivo me cape pacem.
Me cape pacem ô uſu, luſu o me cape pacem.
Anna Suſanna, o me cape pacem! o Anna Suſanna.
Me cape pacem ſedula ſodes: me cape pacem.
Hedule lude, o me cape pacem, o hedule lude.
Me cape pacem meſſem: meſſem me cape pacem.
Me cape pacem: jura tot arvi! me cape pacem.
Me cape pacem: ſerta: tot at res! me cape pacem.
Me cape pacem mammam, ah mammam! me cape pacem.
Mannam me cape pacem: o me cape pacem mannam.
Ruta locatur: me cape pacem: Ruta colatur:

Ruta colatur : ſertis ſit res! Ruta locatur.
Me cape pacem : i Diva Davidi*, me cape pacem.*
Ruta locatur o Ædis idea! o Ruta colatur.
Ruta geratur, me cape pacem! ruta regatur.
Ruta gerat rectè ſe res & certa regatur!
Ruta regat certè ſe, res & recta geratur!
Me cape, re nummus Iovi! ſum munere, pacem.
Me cape pacem! o ici vici! o me cape pacem.
Ecce homo hecce : o me cape pacem : o ecce homo hecce.
Utere re tu o Me! cape pacem o utere re tu!
Sit roſa ſortis! me cape pacem : ſit roſa ſortis!
Sed vale (laudes) me cape : Pacem ſed vale, laudes.
Me cape pacem! me cape pacem! me cape pacem!

4.

Votum pro incolumitate totius Imperii Romani.

Soſpitet ipſos Heros*! o re ſoſpitet ipſos!*
Soſpitet ipſos o Leo, cœlo ſoſpitet ipſos!
Summus ſoſpitet ipſos! ſoſpitet ipſos Summus!
Rebus is uber ſoſpitet ipſos! Rebus is uber
Salvat : & aulas ſervat : & aures ſalvat & aulas.

5.

Ad Salvatorem Chriſtum Pacis Principem.

Arvi ab nobis, ſit roſa ſortis, ſi bona jura :
Si bona ſortis : o id vah audi, o ſit roſa nobis!
Si bona nobis, o Leo *cœlo! ſi bona nobis :*
Arvi ab nobis, heu res erue, ſi bona jura.
Si bona ſortis Lux es, exul ſit roſa nobis!
Si bona ſortis ſit cape : pactis ſit roſa nobis.
Sit roſa nobis : ſit roſa ſortis! ſi bona ſortis.
Si bona ſortis, ſit res ſertis, ſit roſa nobis.
Aulas ſalva! ſis Salomo *laſſis! aulas ſalva!*
Sacra refer : refer arvi jura! refer, refer arcas!

6.

In mitram Doctoralem Dn. *Balthaſ. Schuppii*, Theol. Prof. *Marpurgenſis.*

Uſu, niſu, vive diu! vide vivus in uſu.
Ædis ut ſis auſi Ioſua! ſis tu Idea!
Sit roſa ſortis! o ædis Idea! o ſit roſa ſortis!
Ieſus ei ſit Ius! Vitis Ieſus ei.

7.

Domino Joh. *Georgio Styrzelio*, Conſuli *Rotenburg.*

Lino Sirenum ſerta! at res muneris, o nil!
Te duce cudet homo : id vah audi homo : te duce cudet
Artem : Te duce cudet, te duce cudet metra.
Sed vale! re Muſai res ſeria ſumere laudes.

8.

Dom. *Johanni Heniſio*, Med. Doctori &c.

Signifer Heros o Maro*! Ramos ore refingis.*
Sole mero Siren *en eris : ore melos!*

9.

Dom. *Johanni Sauberto*, Theologo *Noriberg.*

SAUBERTUS	Saubert
ἀναγρ.	ἀναγρ.
Es ubertas.	*Ubertas.*
Sat uber es.	

Rebus es ubertas : ſuccus ſat rebus es uber :
Ieſus ei ſuccus, ſuccus Ieſus ei.
Ædis Idea, o rebus es uber! o ædis Idea!
Ieſus ei ſummus, ſummus Ieſus ei!

10.

Domino *Joſaphato Weinlino*, D. Medico *Rotenburg.*

Rebus es ubertas : ſanas : ſat rebus es uber :
Arte (petrâ) robur, non rubor arte Petrâ.
Rebus es uber? ſana : ſanas! rebus es uber!
Sera pares, animo nomina ſera pares.
Sit roſa ſortis! nil ni iu Weinlin! ſit roſa ſortis.
Oro toro! oro choro! oro choro! oro toro!
Nil ni iu Weinlin! ſit roſa ſortis! nil ni iu Weinlin!
O ita vivat io! o ita vivat io!

11.

Dom. *Joh. Chriſtophoro Aſſum*, Cancellario *Hoenloico.*

Metra *tenet, (muſſa roſor!) Aſſum tenet artem :*
Sole mero te artem ; metra & ore melos.

JOHANNES MAUKISCHIUS.

DEdit illi A.C. 1617. d. 14. Aug. primam lucis uſuram *Fridberga Miſniæ* urbs Metallo celebris. Parentibus genitus eſt, viro Reverendo M. *Iſraële Maukiſchio* Poëta coronato Cæſ. initio *Bärtelsdorffii* propè *Freybergam*, poſtmodùm in Urbe ipſâ Templi S. Johanni & S. *Bartolomæo* ſacrali Eccleſiaſte, & *Mariâ Sätleria* M. *Jacobi Sätleri*, Templi *Nicolaitani Fridbergæ* 49. annor. ſpatio Paſtoris filiâ. *Obiit A.C. 1669.* *Theologi filius.*

Rudimentis ſtudiorum in patriâ poſitis circa annum æt. 12. in ſcholam Ducalem *Miſnenſem* ablegatus eſt, ubi etſi ultra triennium ſubſiſtere bellicis furoribus peſtisque contagio prohibitus ſit, eos tamen in humaniori literaturâ profectûs ſibi comparavit, ut domum redux alios cum fructu erudire potuerit, idque agendo ipſe etiam in Linguarum ſtudio majora indies incrementa ſumpſerit, accedente præſertim inſpectione Dom. Patris, cui penitiorem Græcæ linguæ cognitionem ſe debere agnovit. *Miſniæ ſtudia inchoavit.* Ulterioris igitur cultûs gratiâ circa initium A. 1638. in Acad. *Lipſienſem* conceſſit; ubi allatum ſolidioris eruditionis apparatum, præſertim in Hebraicis, Chaldaicis & Syriacis M. *Joh. Baldovii* harum Linguar. Prof. informatione uſus, ita auxit, ut anno ſeq. Baccalaureatûs decus, proximo autem Magiſterii Philoſophici apicem mereretur. *Lipſiæ Philologiæ ſtud.*

Deindè ſtudio Theologico, cui ſe potiſſimùm mancipaverat, operam navare cœpit, indeſinenter pendens ab ore Theologorum D. *Henrici Hopfneri*, *Ananiæ Weberi*, *Johannis Hülſemanni*, & *Chriſtiani Langii*, miſerè intereà aliis miniſtrando victum quærere coactus, cum Pater ei ſumtûs ad ſtudia neceſſarios ſuppeditare nequiret. Stipendiis tamen aliquot & honorariis adjutus, à Mecænate ſuo Dom. *Henrico Schönlebio*, Camerario *Freybergenſi* ſtudia Academica feliciter abſolvit. *Magiſter Philoſ.*

A.1645.

A. 1643. Ex ſpeciali Sereniſſ. Electoris *Saxoniæ* gratiâ Theol. Baccalaureus, & A. 1650. Licentiatus *Lipſiæ* fuit renuntiatus.

Theol. Baccalaur. & Licent.

A. 1651. *Gedanum* à Senatu vocatus eſt, ut D. *Abrab. Calovio* in munere Rectorali & utrâque cathedrâ ſuccederet. Paruit itaque Divinæ vocationi, ſummoque Doctoratûs Theologici apice Senatûs ejuſdem munificentiâ 23. Sept. decoratus, poſtquàm 1. Oct. *Lipſiæ* valedicens *Gedanum* venerat 23. Nov. concreditam ſibi ſpartam Rectoratûs in Gymnaſio, Paſtoratûs in Templo S. Trinitatis & Profeſſionis in Theologiâ, Oratione inaugurali habitâ, aggreſſus eſt.

Doctor Theol.

Gedani Rector Gymnaſii, Theol. Profeſſor & Concionator.

Conjugium iniit A. 1651, 9. Nov. *Uratislaviæ* cum virgine *Mariâ Eliſabethâ* D. *Ananiæ Weberi*, Eccleſiar. & Scholar. *Uratislaviæ* Inſpectoris, & Præceptoris olim ſui Filiâ, quæ ſuaviſſimæ cohabitationis tempore trium filiorum parentem eum fecit, *Job. Samuelis*, *Job. Friderici*, & *Ananiæ Gotlibii*, qui tamen omnes in flore pueritiæ vitâ defuncti parentibus deſiderium ſui reliquerunt.

Ejus Conjugium.

Valetudinem poſterioribus annis adverſam expertus fuit, tortore præcipuè Calculo, ſcorbuto, Coliciſque cruciatibus ſæpè ipſum infeſtantibus: qui tamen morbi raro reprimere potuerunt laborum, quibus conſueverat, defatigationem, ex Cathedrâ Eccleſiaſticâ, in quâ exſpirare etiam optavit ſermonibus ad Populum ſubindè quoque ab ipſo habitis, etſi præcedentis noctis ſomnum dolorum vehementia abſtuliſſet.

Morbi ejus.

Quod ipſum præſtitit quoque primâ Paſchatos feriâ, ſed infelici eventu, cum peractâ concione periculosè decumbere cœperit, & licèt iterum convaleſcens DEO iterum in Cathedrâ pro ſanitate recuperatâ gratias egerit, recruduit tamen malum, & placidè deceſſit in feriâ Pentecoſtes 8. Junii A.C. 1669. æt. 53.

Moritur.

DorMIo, *at* eVIgILabo VoCe IesV.

IesVs Iſt MeInes GLaVbens VnD Lebens ZIeL.

Scripta edita:

Notæ Philologico-Theologicæ Notitiam Dei naturalem explicantes.

Scripta Antipapiſtica.

AntiSpanhemius.

Antizwickerus.

Diſputationes Apologeticæ contra Martſium, Dreierum, Zeidlerum, & alios.

Signa ſalutis Domini.

Fünffache Lehrſtimme.

Syncretiſtiſches Zincken.

Schrifftmäſſige Gegenſtellung der Lutheriſchen und Jeſuitiſchen Religion.

Probirtes Verſtand und Gedenckbuch.

Lobſingende Andacht / oder Lieder über die Sonntägliche Evangelia, welche zu Dantzig alle Sonntäg in den Kirchen geſungen werden.

Sing- und Betſtunden.

Catechiſmus Milch und Proben.

JOHANNES MAUKISCHIUS SACROSANCTÆ THEOLOGIÆ DOCTOR.

Per Anagramma:

Mors hæc à Chriſto eſt, hinc ceſſo, nova Cœli gaudia canto.

Mors hæc à Chriſto eſt, hinc ceſſo vivere mundo,
Et perpes cœli gaudia canto nova.

M. Joh. Frentzel.

Aliud Anagramma, ejuſdem Iconi ſubſcriptum:

Aſto Chriſto Jeſu, hunc doceo, ac in hoc ſana mea eſt gloria.

Chriſto aſto Jeſu, doceo hunc ſine ſchemate conſtans,
Ac hoc in ſolo gloria ſana mea eſt.

M. Joh. Frentzel.

Epitaphium *Michaëlis Conovii*, Gymnaſii *Gedanenſis* Collegæ.

In Domino placidè quàm MORTUUS *ipſe quietem*
Clarus & Exc ...... E *llens Maukiſius anteà vivens.*
*Qui fuerat capit! hinc lu-*C *tus novus atque dolores*
*Uxori veniunt & Ami..*C *is plurima pectus*
Anxietas miſ .... E *rum conturbat, luget ademptum*
Ordo ſacer con .... I *uratum Fratrem quoque, dignè*
Docta Profeſſorũ ſeries, ſ A *ma ardua Ludi*
Percelebris .... C *elebris deflevit funus acerbum*
Rectoris, verè coll .... E *gis qui Patris inſtar,*
Qui Patris inſtar era .... T *mihi, dum ſibi vita remanſit.*
Cur igitur non cum GEDANI *s hæc fata dolendo*
Lugerem? Patrẽ & Rectore M *lugeat omnis*
Filius extinctum, lachrym... A *s in funere fundat*
Diſcipulus, jubet offici ...... U *m ſic triſte doloris.*
*Et quia mœſta ſedet viduata E..*K λησια *noſtra, et*
Curis intricata nim ...... I *s Paſtore relicta,*
Gymnaſium quoq; Rectorẽ S *ibi quærit & optat*
Fidum, Relligio & V ..... I *rtus quem fama coronant*
Qui curet multùm p ...... U *ri ſacra ſemina verbi,*
Illa Iuventuti .... S *que fideliter ſpargat in aures;*
Sic ipſi Nomen, Laud ...... E *s & Fama manebunt.*
Poſtremò votis .... H *is noſtris annue Chriſte,*
Defuncto & Domino dulc... E *m concede quietem!*
Da Deus ad nutumque tu... U *m ut ſub pace ſequamur*
Omnes, quando vocas, TANDEM *ſine fine fruamur*
Lætitiâ tecum cœleſti. Hoc corde precamur
Devoto, nos exaudi, BONE CHRISTE, *precantes!*

Anno quo MaVkIsIVs *obIbat* pLaCIDVs.

* *Ex Programmate fun. Chriſtiani Roſteuſcheri.*

ſcheri, Jur. Licent. & Hiſtor. Prof. cum Epicediis annexis.

Et ex Concione fun. Johannis Heinii Diaconi Gedan.

Obiit A.C. 1669.

CHRISTOPHORUS ZELLERUS.

Filius & nepos Theologor.

MUndum ingreſſus *Breitenbergæ*, in ditione *Calvenſi* Ducatûs *Würtenberg.* 19. Mart. A. 1605, Patrem habuit M. *Johannem Zellerum*, ejusdem loci & poſteà *Rothfeldæ* 21. annos paſtorem, cujus pater cognominis 34. annis Eccleſiæ *Rothfeldenſis* Paſtor fuit, Mater ei fuit *Beatrix Blöſſia, Göppingenſis.*

In partu vitæ diſcrimen evaſit.

Obſtetrix partui ipſius proxima, poſt annos 20. propter veneficia *Wildbergæ* viva combuſta, cum ad ſupplicium duceretur, Dom. Patri eam comitanti confeſſa eſt, ſæpiùs ſeſe, Diaboli inſtinctu, filiolo huic aliisque liberis ejus, dum naſcerentur, damnum inferre tentâſſe, ſed parentum precibus ad DEUM impeditam fuiſſe.

In ſcholâ Calvenſi Diſcipulus

Tubingæ ſtudioſ.

Baccalaur.

Magiſter Philoſ.

Theolog. Studioſus

Domi à Patre in primis literarum rudimentis informatus, A. 1612. *Calvæ* in ſcholam & convictum Eccleſiæ Paſtoris, D. *Job. Ulrici Pregizeri*, miſſus, brevi totum Pſalterium Davidis memoriter didicit, & in ſcholâ condiſcipulos omnes diligentiâ ſuperavit. 5. April. A. 1619. Deductus à Patre in Academiam *Tubingenſem*, & *Jodoci Colbii* U.J.D. ac Ethices Profeſſoris informationi privatæ traditus, ſed brevi pòſt M. *Johanni Falckio*, poſteà Diacono *Tubingenſi* concreditus, omnes ſuos in Philologicis, Philoſophicis & Theologicis ſtudiis profectûs viro huic poſteà adſcripſit. Anno itaque 1620. æt. 15. Baccalaureus inter 32. Candidatos ſecundo loco creatus, brevi pòſt ſub initium A. 1621. à Senatu Academico inter Stipendiarios *Martinianos* receptus, & A. 1622. Magiſter renuntiatus, inter 52. Philoſ. Candidatos ſatis eruditos octavum locum obtinuit. Abindè ſtudium Theologicum auſpice DEO aggreſſus, brevi libros aliquot Biblicos & ſeorſim Epiſtolas *Paulinas* ad *Romanos* & *Corinthios* memoriâ comprehendit, Profeſſoribus Theologis, D. *Lucæ Oſiandro*, tunc Cancellario, D. *Theodoro Thummio*, & D. *Job. Ulrico Pregizero*, tàm publicè in auditorio, quàm in Collegiis privatis dilectus, à *Thummio* præſertim, qui tractatûs aliquot & Diſputationes contra *Pontificios* & *Photinianos* cum variis Vindiciis Libror. Bibliorum commiſit ipſi elaborandos, qui labores utrique poſteà typis emiſſi conciliârunt honorem.

Præceptor domeſticus.

Itaque D. *Andreas Bayerus*, Jur. Profeſſor & Anteceſſor in Acad. *Tubing.* Adminiſtrator tunc Stipendii *Martiniani*, receptum eum in domum ſuam, filiis ſuis duobus in Philologicis, Philoſophicis & Hiſtoricis conſtituit Præceptorem.

Liebenſtenii Paſtor

9. Jan. A. 1624. In Conſiſtorio Principis examinatus, publicè concionandi Licentiam accepit. A. 1628. Dominicâ Judica *Tubingæ* per D. *Pregizerum* ad S. Miniſterium ordinatus eſt, cum paulò antè D. *Bayero* commendante, Nobiles Domini *Liebenſtenii* ad Paſtoratum in ditionibus ſuis vocâſſent. Intereà ſæpiùs à Dnn. Profeſſoribus profectûs ejus agnoſcentibus, pro Licentiâ Doctorali diſputare juſſus, modeſtè recuſavit, honoribus his imparem ſe eſſe perhibens.

Exul Heilbronnæ.

Diaconatus Calvenſis vicarius.

A. 1634. Poſt *Suecorum* ſtragem in prælio *Nordlingenſi* ſecuritatis causâ *Heilbronnam* migrare coactus, & in exilio degens, anno ſeq. 1635. à nobilibus *Liebenſteniis* ægrè licèt dimiſſus, officia ſua Patriæ ſupplex obtulit, & in ditione *Tubingenſi Schlaitdorffii* Paſtor Eccleſiæ factus, annoque ſeq. 1636. Diaconatum *Calvenſem* Vicarii nomine adminiſtrare cœpit.

Specialis Calvenſis.

Concionator aul. Stutgardiæ.

A. 1639. *D. Job. Valentino Andreæ* Collegâ ipſius & ſpeciali *Calvenſi* in aulam *Würtenberg.* à Duce ad Concionat. aulici munus accerſito *D. Zellerus* hic ei ſubſtitutus eſt. An. 1645. Vicariatum Concionatoris aulici, & A. 1648. ordinarii Concionatoris aul. munus ac Confeſſionarii *Stutgardiæ* obtinuit.

Conjugium ejus.

3. Nov. A. 1628. Primo conjugii fœdere junctus eſt cum virg. *Annâ Eliſabethâ, Georgii Fiſcheri* Cellarii *Wildbergenſis* filiâ, quæ filium ei, duasque filias peperit, ex quibus filia manſit ſuperſtes unica, 6. liberorum mater, uniusque nepotis avia. Cum verò 19. Julii A. 1635. uxor hæc ejus in exilio *Heilbronnenſi* morte fuiſſet abrepta, ad ſecunda vota tranſiit 11. Jun. A. 1637. *Calvæ* deſponſatus cum virgine *Annâ Margarethâ*, M. *Joh. Conradi Jungii*, anteâ per 48. annos Comitum *Eberſteinenſium*, tunc verò *Gernſpacenſis* Paſtoris filiâ, ex quâ 8. filios & 4. filias ſuſcepit, omnibus, præter duas filiolas in infantiâ defunctas, cum viduâ ſuperſtitibus.

Ex filiis tres in Ducatu *Würtenbergico* Diaconi & conjugati Patrem 7. nepotibus exhilarârunt: cœteri quinque ſtudiis adhùc operam dedêre.

Theol. Doctor.

Conſiſtorii Eccleſ. Aſſeſſor.

A. 1656. Juſſu & ſumptibus Ducis ſui *Tubingæ* S. Theol. Doctor ſolenniter renuntiatus eſt, ipſo Duce cum conjuge Actum ſuâ præſentiâ condecorante. Conſiſtorii Eccleſiaſtici per 24. annos Aſſeſſor, Viſitator etiam Univerſitatis, & Stipendiariorum, Cancellarii *Tubingenſis* munus à Principe ſuo bis ſibi oblatum modeſtè recuſavit.

Moritur.

Tandem cum ab octiduo dyſenteriâ tunc epidemiâ laborâſſet, placidè in Chriſto exſpiravit 27. Julii A.C. 1669. æt. 74.

CHRISTOPHORUS CELLERUS
THEOL. D. PIUS.

Per Anagr.

Terris Latè Diu Luces Cœli Phoſphorus.

* *Ex Concione fun. M. Job. Chriſtoph. Hingheri.*

ELIAS

Obiit A.C. 1669.

ELIAS SIGISMUNDUS REINHARDUS.

HAllæ *Saxonum* per nativitatem mundum ingreſſus 18. Maji A.C. 1625. Patrem habuit *Eliam* **Reinhartum**, qui militiæ *Saxonicæ* deditus, in prælio *Lipſienſi* & *Lutzenſi* ſtrenuum ſe exhibuit, deinde militiæ *Dantiſcanæ* Capitaneus, & tandem Præfectus *Ketzinenſis* in *Marchiâ Brandeburgicâ* factus, A. 1652. vitam finiit.

Avus ejus *Martinus Reinhartus*, cum aliquandiu *Mülbergæ* ad *Albim* Archidiaconi munere functus eſſet, ſub finem ſeculi prioris, propter religionis in *Saxoniâ* diſſidium, diſcedens, in pago **Krummen Heinersdorff** / propè *Freybergam*, Concionatorem egit, ibique obiit. Mater ejus *Dorothea*, filia fuit Dom. *Sigismundi Görlitzii*, Civis primarii *Hallenſis*.

Diſcipulus Hallæ, & Dantiſci. Cum puer in Gymnaſio patrio *Hallenſi* ſub diſciplinâ Dn. Rectoris, *Chriſtiani Gueintzii*, usque ad A.C. 1636. literarum humaniorum fundamenta poſuiſſet, in Gymnaſio *Dantiſcano* deinde per biennium apud Dom. D. *Joh. Botſaccum*, Rectorem tunc temporis, & poſteà Concionatorem ad S. *Mariam*, commoratus, in ſtudiorum curſu feliciter perrexit. *Wittenbergæ Theol. ſtud.* A. 1641. *Wittenbergenſem* Univerſitatem accedens, & in ædibus convictuque Dn. D. *Johannis Hülſemanni* quadriennium commoratus, ſtudia Philoſophica primùm, deinde Theologica quoque ſedulus tractavit.

A. 1645. *Roſtochium* ſe conferens à D. *Joh. Cothmanno* filii inſtar habitus, & anno ſeq. *Philoſ. Magiſter Roſtochii.* Promotore M. *Huswedelio*, Magiſter Philoſophiæ ſolenniter renuntiatus eſt.

Interea duas *Diſputationes Theologicas*, *unam de Myſterio Trinitatis contra Photinianos, alteram de orali manducatione & bibitione corporis & ſanguinis Chriſti* maſculè defendit, nec non concionando frequenter ſeſe exercens, ob facundiam omnibus acceptus fuit.

Concionator Berolini. 9. Dec. A. 1649. *Berolinum* ad Concionatoris officium vocatus, eò ſe contulit, & anno ſeq. 1650. Licentiam in facult. Theologicâ *Theol. Licentiatus.* præſtitis præſtandis obtinuit.

Berolini munere ſuo fideliter functum *Concionator aul. Brunſvic.* Sereniſſima Duciſſa *Brunſvico Schönningenſis Anna Sophia*, Concionatorem eum aulicum & Confeſſionarium ſibi delegit.

Propter exorciſmum abrogatus. Ortis deinde propter exorciſmum diſſidiis, A. 1665. juſſu Sereniſſ. Electoris *Brandeburgici Berolini* diſceſſit, & eodem adhuc *Paſtor. ad S. Nicol. Lipſiæ.* anno 14. Aug. *Lipſiam* ad Paſtoratum S. *Nicolai* vocatus conceſſit. Ibi 24. April. A. *Theol. Doctor.* 1666. Doctoralis ipſi dignitas Promotore D. *Hieron. Kromayero* ſolenniter collata.

Rector Acad. Superint. A. 1667. Rector Academiæ *Lipſ.* electus, & brevi poſt defuncto D. *Samueli Langio* in munere Superintendentis ſucceſſit. A. 1668. *Theol. Profeſſor tertius.* Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſor, & Facult. Theologicæ Profeſſor tertius deſignatus eſt.

Conjugium ejus primum & Liberi. A. 1650. Conjugii ſocietatem iniit cum virgine *Eliſabethâ*, Dn. *Joachimi Schröderi*, Præfecti *Zoſſenſis*, in Electoratu *Brand.* filiâ, cum quâ 17. annos exegit, ex eâque filios reliquit *Fridericum Sigismundum*, & *Wilhelmum Sigismundum*, & filias, *Urſulam*, *Dorotheam* ac *Johannam Eliſabetham*.

Poſt hujus conjugis obitum A. 1668. *Conjugium ſecundum.* ſponſalia reiteravit cum virgine *Eliſabethâ*, Dom. *Jacobi ab Ende*, Mercatoris *Berolinenſis* filiâ, quam brevis admodum conjugii conſortem viduam reliquit ſuperſtitem, febri cum ulceribus ſcorbuticis extinctus 10. Sept. A.C. 1669. æt. 45.

* *Ex Concione fun. D. Joh. Ulrici Mayeri, Paſtor. ad S. Thomam Lipſ.*

Obiit A.C. 1669.

HENRICUS BAUMANNUS.

PAtriam nactus eſt *Torgam*, celebre *Miſniæ* oppidum: Parentes Dn. M. *Chriſtianum Baumannum*, SS. Theolog. Baccalaureum & Archidiaconum ibidem, anno 1634. d. 8. Maj. & *Blandinam*, D. *Adolphi Horſtii*, Medici filiam, & Vitricum Dn. *Georgium* **am Ende** / Eccleſiaſten ibid. cujus curam filius hic nunquam ſatis potuit deprædicare.

In ſcholâ Torgenſi diſcipulus. Bonæ hæc frugis indoles, & capaciſſimum bonarum artium ingenium Dn. M. *Joachimo Meiſnero*, Scholæ ibid. Rectori, excellentiſſimo juventutis informatori, traditum fuit, qui fingendo dedolandoque eò uſque ipſum perduxit, ut Græcâ & Latinâ Linguâ, proſâ verſâque oratioue æquè valeret, ſed ne quidem Orientalium expers eſſet.

Witteb. ſtudioſ. *Wittebergam* igitur, orthodoxæ doctrinæ & ſapientiæ officinam, cum veniſſet, anno 1653. id ſibi ante omnia negotii dari credidit, partes officii ſui ut expleret gnaviter: Et quia Theologiam, tanquàm unicam ſtudiorum ſuorum metam, ſibi præfixam habebat, hanc præ cœteris omnibus amare, hanc colere, huc actiones ſuas dirigere cepit. Priùs tamen ancillæ fores pulſandas, ejuſque favorem ſibi conciliandum exiſtimabat, ut per eam in adyta, & ad heram ipſam intromitteretur. Itaque optimorum Præceptorum ductu, & ſuâ ipſe induſtriâ id conſecutus eſt, ut anno 1655. Magi- *Magiſter Philoſ.* ſterialem lauream adipiſceretur; qui & ſequenti anno Præſidis partes ſuſcepit, poſtquàm ſepties intra biennium Reſpondentis vices ſuſtinuiſſet.

Poſthæc quàm diu inibi vixit, variis Collegiis privatis & Diſputationibus publicis ex Logicâ, Philologiâ ſacrâ, & univerſâ Philoſophiâ de Juventute Academicâ benè mereri ſtuduit, & diligentiam ſuam Collegio Philoſophico ita probavit, ut non tantùm anno 1659. in Adjunctorum ordinem *Philoſ. Adjunctus.* cooptaretur, verùm etiam anno 1666. caput, quod Decanum vocant, ſub vernum tempus eidem præficeretur. Sub quo Decanatu in Viros Juvenes XXII. Magi-

Decanus. ſterii Philoſophici titulum ac honores contulit.

Non diu poſt à Dn. *Abrahamo Calovio*, Theologo *Wittebergæ* primario, in ædes ac convictum accitus eſt, cui tantò libentiùs adhæſit, quo majori benevolentiâ ab eo affectus, & non tantùm conſilio ac informatione, verùm etiam Bibliothecâ ejus inſtructiſſimâ liberaliter adjutus eſt per quinquennium:

Profeſſores Theologos omnes ſummo ſtudio conſectatus eſt, eorumque lectionibus publicis æquè ac privatis tantum tribuit, nihil ut ſibi magnum præ illis videretur. Præterea ſemel atque iterum contra *Hugonem Grotium*, & *de Juſtificatione* ſub eorundem præſidio reſpondendo ſtetit, & duas alias *diſputationes, de Symbolo in genere*, & *ex dicto Col. I. 1. 3.* conſcripſit, & in Collegio Alumnorum præſidendo habuit. Quo tempore & edidit tractatum ſub titulo: *Irenonai extincti & perluſtrati ruina*, quem oppoſuit Lic. *Eliæ Grebnizio*, Apoſtatæ, & Theologiæ ſuæ in Acad. *Francof.* Profeſſori, in eâdem causâ Syncretiſticâ, contra eundem edidit & ſcriptum ſub nomine: *Cauda Scorpionis locuſtarum Calviniarum*, qui Apoſtata, cum nihil reſpondere poſſet, palæſtram illam deſeruit.

Collegia habet Theologica, Diſputatoria & Concionatoria. Poteſtate ab Ampliſſimâ Facultate Theologicâ anno 1663, impetratâ, Collegia Theologica, Lectoria & Diſputatoria, itemque Concionatoria non pauca, habuit, & per Dei gratiam feliciter abſolvit. Nec Academicus Senatus officio defuit, qui eum plus vice ſimplici dignum cenſuit, ut ad Profeſſionem Mathematum Sereniſſimo Electori commendaretur.

A. 1665. præcipuas ſuperioris *Germaniæ* Academias viſendi, & celeberrimorum Theologorum notitiam ac benevolentiam ſibi conciliandi impetum cepit.

Wittebergam reduci celeberrimus Theologus CALOVIUS in literis ad Dn. D. *Johannem Chryſidum Sagittarium*, Theologum *Altenburgenſem*, d. 29. Junii anno 1666. perſcriptis, inſigne elogium perhibuit, hunc in modum: *Dn. DECANUS, Vir præclariſſimus,* M. BAUMANNUS, *dignus eſt ſpartâ Theologicâ, ſive Profeſſionis Academicæ, ſive Ephorias inſignioris Eccleſiaſticæ, inter Candidatos Theologiæ noſtrates præcipuus, qui ſcholis & Collegiis Theologicis, Lectoriis & Diſputatoriis, quia facultatem à Collegio noſtro jam ante aliquot annos impetravit, Juventuti multum prodeſt, & utiliter quoque adverſus hoſtes veritatis in ſcriptis Polemicis, ob exactam Philoſophiæ, Philologiæ, & ſinceræ Theologiæ peritiam, adhiberi poteſt. Et peregrinatione, quam ante annum inſtituit, cum plerisque Theologis neceſſitudinem contraxit, quæ talibus utilis eſſe ſolet. In hâc verò metropoli Lutheranâ, ut B. Chytræus eam nominare conſuevit, ultra XIII. annos confecit, ſed, quia ſe ipſum ſatis commendat donis & ſcriptis ſuis, nolo ſuſpendere hederam vino vendibili.* Quâ eximiâ commendatione factum, ut à Sereniſſimo Duce *Saxoniæ, Friderico Wilhelmo*, b. m. Gymnaſii *Coburgenſis* Director ac Profeſſor P. de Juventute Literariâ præclarè meritus, vocatus fuerit. Priùs verò, quàm *Wittebergâ* diſcederet, & provinciam hanc aggrederetur, Licentiam, aſſumendi ſummos in Theologiâ honores, modeſtè petiit, & clementiſſimis inſtructus ſyſteticis facilè admiſſus eſt. *Gymnaſii Coburgenſis Director & Profeſſor.*

A. 1667. denuò invitatus *Wittebergam* conceſſit, inque ſolennitate publicâ Doctoratûs inſignibus, non ſine applauſu & congratulatione, condecoratus fuit. *Doctor Theologiæ.*

Poſteà, ut Directoratûs & Profeſſionis munia tantò dexteriùs obiret, vitæ ſibi ſociam elegit *Sabinam Suſannam*, Dn. *Johannis Chriſtophori Seldii*, SS. Theol. Doct. filiam natu maximam, quod conjugium licèt improle extiterit, mutui tamen, conſtantisque amoris ac fidei haud ſubleſtæ documenta dedit. *Conjugium.*

Beatiſſimi ex hoc mundi & corporis carcere ejus anima tranſmigravit, horâ quintâ matutinâ, ipſis Calendis Novembris 1669. cùm vitæ annos triginta quinque, menſes quinque, & ſeptimanas tres explevisſet: Directoris autem munus cum magno Juventutis Gymnaſticæ bono & præclarâ nominis celebritate geſſiſſet per triennium integrum. *Moritur.*

CAROLUS DRELINCURTIUS.

Obiit A.C. 1669.

S*Edani* in *Galliâ* natus eſt 10. Oct. A. C. 1595.

A. 1619. Eccleſiæ *Pariſienſis Carentoni* Miniſterium auſpicatus, cum eodem tempore Dn. *Petrus Molinæus Sedanum* diſceſſiſſet, tantùm cum Dn. *Johanne Meſtreſatio* per annos aliquot Eccleſiæ ſuæ præfuit. *Eccleſ. Pariſ. Miniſter Carentoni.*

Sedulus in laboribus ſacris, & bonâ corporis conſtitutione à primâ ætate præditus, ſepties interdum unâ die concionatus eſt. In ægrotis, pauperibus præſertim, viſitandis indefeſſus, preces ſuas eorum infirmitatibus accommodare ſolitus eſt. *Septem conciones unâ die habere potuit.*

Viribus tandem ob ſenium diminutis, cum cathedram conſcendere nequiret, ſæpiùs in cœmiterio proximo conciones peregit.

Seſquianno ante obitum à M. Majo A. 1668. catarrhis frequenter ad pectus delapſis, cum tuſſi & aſthmate miſerè afflictus, poſtquàm intereà quater ipſi vena ſecta fuiſſet, præſentibus genero ejus Dom. *de Malnoë*, Parlamenti *Pariſ.* Advocato, tribusque Collegis Eccleſ. Miniſtris Dn. *Alexandro Moro*, Dn. *Joh. Dallæo*, & Dn. *Claudio*, ut etiam filio Miniſtro Eccleſ. *Fontis bellaquenſis*, vitam morte beatâ terminavit 3. Nov. A. C. 1669. æt. 75. miniſt. 52. Quidam tunc falsò diſſeminârunt, eum apoplexiâ ſubitò fuiſſe extinctum. *Moritur.*

* *Ex Tract. Germ. cui titulus:* Die letzten Stunden Herren *Caroli Drelincourt*, weyland



Digitized by Google

land Diener am Worten Gottes bey der Reformirten Kirchen zu Paris.

Scripta. Edidit:

Conſolations de l'Ame fidele, contre les frayeurs de la Mort.

De l'Honneur deu à la Vierge Marie.

Triomphe de l'Egliſe.

Contre le Livre de la Sainte Liberté, ou Le faux Paſteur convaincu.

Dialogue contre les Miſſionaires.

Avertiſſement contre les Miſſionaires.

Priere pour le Roy, & le Royaume de France.

Priere pour le Roy Louys XIV, & pour la Reyne Regente.

Prieres ſur la naiſſance du Roy, & ſur celle de M. le Dauphin.

Prieres pour la S. Cene.

Catechiſme.

Sur la Remonſtrance du Clergé de France au Roy.

La Defenſe du Calvin, ou ſon Apologie contre le Livre du Cardinal de Richelieu.

Abregé des Controverſes avec l'Egliſe Romaine.

Reſponſe au Prince Ernſt Landgrave de Heſſen.

Le Combat Romain, Traité des Diſputes contre l'Egliſe Romaine.

Lettres à Mr. Brevint, ſur l'Epiſcopat d'Angleterre.

HENRICUS FOULIS ſive de FOLIIS.

Obiit A.C 1669.

Theol. Baccalaureus.

S. Theol. Baccalaureus, apud maneriam de *Inglebii*, in *Clevelandia*, agri *Eboracenſis*, natus eſt, Patre *Henrico*, Avo *Davide*, de *Foliis* Baronettis.

Primos annos partim in *Scotiâ*, partim in agro *Eboracenſi*, tranſegit. Academiæ maturus *Oxonium*, ad Coll. *Reginenſe* miſſus eſt, ubi commorabatur, donec Artium Magiſter in hujus Collegii Societatem cooptatus eſt, anno 1659. Eccleſiæ *Anglicanæ* genuinus filius, *Pontificiis* utique, & *Calviniaiis*, infenſiſſimus.

Memoriam habuit fidam, in hiſtoriis præcipuè reconditis, nec ubique obviis verſatiſſimus. Librorum inſuper, inque iis ordinandis, ita gnarus & ſciens, ut ſi in ipſum vel minimè attendiſſet, nec magno ipſi *Jameſio* φιλοβίβλῳ ceſſiſſe videretur. Animi inſuper magni & publici fuit, opum aut voluptatum non admirator, diſciplinæ in Collegio ſtudioſiſſimus, omnis innovationis impatientiſſimus, inque dictis & factis, fidei & probitatis ſingularis.

Moritur. Obiit 24. Decemb. 1669. ætatis ſuæ circiter 33. Et Eccleſiæ S. *Michaelis* Choro *Oxon.* ſub muro aquilonari ſepultus eſt.

Scripta. Scripſit *Hiſtoriam, in qua nefandæ conjurationes, ab iis, qui ſe falsò ſanctos jactitant, initæ, Presbyterianis*, &c. recenſentur. Lond. 1662. Angl.

Hiſtoriam proditionum & uſurpationum Pontificiarum &c. Lond. 1671. Angl.

* *Ex hiſtoria & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

JOHANNES ROSA.

Obiit A.C. 1670.

Filius & nepos Theologor.

Wonſidelii, in Marchionatûs *Brand. ſup.* oppido, natus eſt 31. Mart. A. C. 1615: Patre *Vito Roſâ*, Rectore primùm Scholæ *Wonſidelii*, deindè Archidiacono *Curienſi*, tandemque Paſtore Eccleſiæ *MarcLeidenſis*: Matre *Marg. Felicitate*, *Friderici Groppenii*, Mercatoris *Wonſid.* filiâ. Avus ejus M. *Vitus Roſa*, Concionator primùm fuit in Cœnobio Himmelkron vocato, deindè Diaconus Conſiſtorialis *Culmbaci*, tandem Eccleſiæ *Droſenfeldenſis* Paſtor.

an. æt. 11. ad S. Cœnam admiſſus.

Felicis ingenii puer an. æt. 11. Catechiſmum *Lutheri* cum quæſtionibus memoriâ tenuit, & cum aliis Catechumenis primâ vice ad S. Cœnam admiſſus eſt.

Curiæ ſtudiis initiatus.

Patre deindè *Curiam* diſcedente, ſcholam ibi ſedulus frequentavit, & Præceptorum, Rectoris imprimis M. *Melch. Medleri*, informatione, non minùs in Linguis Latinâ, Græcâ, Hebraicâ, Chaldaicâ & Syriacâ, quàm in ſtudiis Philoſophicis tàm egregia poſuit fundamenta, ut A. C. 1633. æt. 18. Gymnaſio *Curienſi* propter *Croatarum* incurſiones diſſipato, cum laude *Lipſiam* diſceſſerit, cumque ibi depoſitionis ritum peregiſſet, & ſtudioſorum matriculæ fuiſſet inſcriptus, brevi pòſt *Wittenbergam* amicorum ſuaſu conceſſerit. Ibi tertium in annum ſtudia Philoſ. & Theologica continuavit, docentes audiens in Philoſophiâ *Eraſmum Schmidium*, *Joh. Scharfium*, & *Abrah. Heineccium*, & in Theologiâ *Jac. Martini*, *Paulum Röberum*, *Joh. Hülſemannum*, & *Wilh. Lyſerum*. Ibidem à D. *Mich. Lederero* Jur. Prof. filiis ſuis Præceptor privatus fuit conſtitutus.

Lipſiæ depoſitus.

Wittenbergæ Theol. ſtud.

Præceptor privatus in Maſchacht.

A. 1635. Parentibus defunctis, *Hamburgum* diſceſſit, exindè à viro quodam erudito *Henrico Heckenbergio*, Paſtori in *Maſchacht* propè *Luneburgum*, commendatus, filios ejus, ſalario mediocri contentus, informavit ultra biennium.

Sed ob militum inſultus indè cum hoſpite ſuo *Luneburgum* migrare coactus, cum nec ibi ſecurus degeret, ſed urbe à Colonello *Suecico Stommero* occupatâ ac exſpoliatâ, poſtquàm cum ſupellectile ſuâ librariâ veſtes aliaque amiſiſſet, A. 1638. exindè per mare *Daniam* adivit, & *Hafniæ* viris eruditis innoteſcens, ad M. *Georg. Meylandum*, tunc Concionatorem Regium, *Croneburgi* venit in hoſpitium, cujus ex ſorore nepotes *Mich. & Barth. Schultzium* fratres cum multis aliis diſcipulis in literis humanioribus informavit, Bibliothecâ quoque hoſpitis ſui ad ſtudia propria uſus. In hoc munere ſalarium honeſtum habens, 13. annis perſeve-

Hafniæ Præceptor privatus & Concionator.

ravit: ſæpius intereà M. *Meylandi*, calculi & podagræ doloribus obnoxii, vices in concionibus habendis, præſente aliquoties ipſo Rege, cum applauſu peregit.

Cum verò in *Daniæ* regno nulli extero, niſi ab Epiſcopo quodam fuerit examinatus, cathedram conſcendere liceat, idem examen à D. *Caſp. Eraſmo Brochmando Seelandiæ* Epiſcopo peractum, à quo propter eruditionem Teſtimonium publicum cum concionandi licentiâ accepit.

Examinatus à D. Caſp. Eraſmo Brochmando.

Cum verò 18. Martii A. 1651. M. *Georg. Meylandus* obiiſſet, licèt ad Eccleſiæ *Germanicæ Hafnienſis* miniſterium fuiſſet expetitus, in patriam tamen reverti maluit. Quo facto, 1. Junii A. 1652. per vocationem legitimam in urbe *Bayreuthi* Diaconi munus adeptus, & *Culmbaci* ad miniſterium ordinatus, brevi pòſt 12. Dec. ſponſalia celebravit cum virgine *Mariâ Margarethâ*, M. *Samuelis Hainii*, Superintendentis & Concionat. aulici filiâ, ex quâ cum filiâ *Catharinâ Margarethâ*, filios *Joh. Samuelem*, *Joh. Leonhardum*, & *Joh. Laurentium*, cum matre ſuperſtites reliquit.

Diaconus Bayreuthi.

Concionatoris etiam xenodochialis, & in Conſiſtorio Principis Aſſeſſoris conſcientioſi munus fideliter *Bayreuthi* obivit, nec non judicii matrimonialis Aſſeſſorem egit. In concionibus ſuis facundo ſermone audientium animos arctè habebat devinctos.

Aſſeſſor Conſiſtorii.

Poſtquàm Hiſtorias *Libri* 2. & 3. *Moyſis*, & Libri *Joſuæ* in Concionibus ſuis hebdomadalibus ad finem perduxiſſet, ab annis aliquot anteà dyſpnoeâ contumaci afflictus cum pedum tumore, cum tandem ab octiduo lecto fatali fuiſſet affixus, & Dominis Collegis ſuis valedixiſſet, uxoremque ſuam cum liberis Deo commendâſſet, morte beatâ vitam finiit 6. Febr. A. C. 1670. ætatis 55. miniſt. 18. *Bayreuthi*.

Conciones ejus.

Moritur.

In Epicediis D. *Adam Schaffer*, Med. *Brand.* hoc ei ſcripſit Anagramma:

JOHANNES ROSA. *Es bonos in arâ.*
Noſter bonos noſtrâ fueras qui vivus in arâ,
Es Dei in arâ nunc vivus bonos moriens.

Aliud Anagramma M. *Joh. Matth. Stumpfii*, Eccleſ. *Biruth.* Symmiſtæ:

JOHANNES ROSA. *Sana honori es.*
Dogmata ſana docens fueras nobis, Vir, Honori:
Nunc es multijugi mactus honore poli.

JOHANNES ROSA DIACONUS ET CONSISTORIALIS.
ἀναγραμματισθεὶς*
I, bonos es in arâ, donis alit roſeis conatus.
* *Ex Concione fun. M. Georg. Frid. Pertſchii Archidiaconi Birut.*

Obiit. A. C. 1670.

HIERONYMUS KROMAYERUS.

Lucem primò aſpexit *Cizæ*, urbe *Miſniæ* Epiſcopali, A. C. 1610, d. 10. Jan. Natus ex perantiquâ & celebri *Uratislaviæ Sileſiorum* familiâ, Patrem habuit virum Reverendum Dn. *Hieron. Kromayerum*, S. Theol. Licent. Eccleſiæ primariæ *Cizenſis* ad D. *Michaëlis* Paſtorem, poſteà Superintend. *Plavienſem*, cujus frater M. *Joh. Kromayerus*, Sereniſs. *Vinariæ* Duci quondam à Concionibus aulicis, poſtmodùm univerſi Ducatûs Superintendens Generalis fuit. Matrem verò nactus fuit *Mariam Magdalenam*, M. *Jacobi Lindeneri*, Conſulis *Naumburgenſis* filiam.

Filius Superint.

Anno ætatis quarto pater ipſi mortis violentiâ abreptus, ſed proſpexit illi paulò pòſt Divina clementia de altero parente, dum mater per ſecunda vota tranſiit in conjugium Viri Reverendi D. D. *Erhardi Lauterbachii*, Præſulatûs *Naumburgo-Cizenſis* Superintendentis, & Conſiſtorii Epiſcopalis aſſeſſoris, qui fidelium Præceptorum informationi eum commiſit.

Poſtquàm in politiori literaturâ bona jecerat fundamenta, de conſilio parentum & Præceptorum, veniens in Academiam *Lipſienſem*, ſtatim in numerum Alumnorum Electoralium cooptatus fuit. Hinc Profeſſoribus Philoſophiæ individuo nexu adhæſit, quibus quinis minimùm horis quotidiè operam ſuam addixit, ipſorumque lectiones frequentavit. Anno ſeq. 1629. poſt impetratum primum in Philoſophiâ gradum, contulit ſe in Academiam *Wittenberg.* & elapſo anno *Jenenſem*. *Lipſiam* redux, omnia præſtitit, quæ ſibi ad obtinendos ſummos in Philoſophiâ honores neceſſaria fore intellexerat. Eâde causâ pulpita aſcendens Academica crebris vicibus modò ut Præſes, modò ut Reſpondens non ſine laude diſputavit.

Alumnus Elector. Lipſiæ.

Baccalaur.

Philoſ. Magiſter.

A. 1632. Summos honores in Philoſophiâ applaudentibus Muſis, & cunctis bonis reportavit. Ab eo tempore Collegia privata non pauca aperuit, tàm Lectoria quàm Diſputatoria, & quidem in Logicis, Phyſicis, Aſtronomicis, aliiſque diſciplinis. Tunc ipſa Suada & eloquentia cum Muſis ſedes in *Kromayero* firmas fixerant.

Collegia privata aperuit.

His dotibus exornatus, tum aliorum, tum Philoſophicæ facultatis favorem acquiſivit, cujus Collega ſcriptus eſt A. 1638, habitis priùs binis Diſputationibus pro loco in eâ obtinendo.

A. 1643. Dom *Cunrado Bavaro* in Hiſtoriarum, quinto pòſt anno *L. Andreæ Corvino* in Oratoriâ Profeſſione ſucceſſit, vocante eum, & clementer confirmante Sereniſſ. *Sax. Electore*.

Profeſſor Hiſtoriar. & Orator.

Cum A. 1650. I. C. Clariſſ. Doctor *Tobias Heidenrichius* obiiſſet, eâque occaſione in Minore Principum Collegio vacua facta eſſet pro *Miſnicæ* Nationis membro ſedes, nemo, qui hanc impleret, eo dignior viſus eſt, cui muneri per annos 20. uſque ad extremum vitæ diem præfuit.

Miſnicæ nationis in Collegio Principum min. aſſeſſor.

Intereà Decani officio quater, creandis Magiſtris Procancellarii bis, Rectoris Academici ſemel, in minore verò Collegio Præpoſiti munere bis, & Præpoſiturâ magnâ, ut vocant, ſemel functus eſt.

Intereà

Habuit Diſputationes Theol.

Interea Theologicis quoque ſtudiis addictus, ſub Præſidio D. *Chriſtiani Langii*, D. *Mauritii Burchardi*, & D. *Joh. Höpfneri*, publicas habuit Diſputationes, & Collegia Theolog. privata, tàm Lectoria, quàm Diſputatoria aperuit, tantosque fecit in hoc ſtudio progreſſus, ut A. 1640. Theol. Baccalaureus, A. 1645. Theol. Licentiatus, & A. 1651. Theol. Doctor ſummâ cum laude publicè fuerit renuntiatus.

Theol. Baccalaur. Licent. & Doctor

Theol. Profeſſor.

A. 1646. Ad Profeſſionem Theologiæ extraordinariam, & A. 1657. ad Profeſſ. ordinariam fuit vocatus. Anno ſeq. ceſſit ipſi Canonicatus *Cizenſis*, quem poſteà cum è vivis exceſſiſſet D. *Hülſemannus*, A. 1661. cum *Miſnenſi* commutavit. Alumnorum Electoralium Ephorus eodem anno deſignatus fuit, quo Canonicus *Cizenſis* electus, in Collegium verò Decemvirale cooptatus fuit A. 1662. Acceſſit demùm ut membrum Conſiſtorii Electoralis & Ducalis A. 1666. poſt obitum D. *Danielis Henrici* eligeretur, quo tempore ipſi ſimul Profeſſio primaria in facultate Theologicâ fuit demandata. His perpetuis functionibus additæ non rarò aliæ, quæ annui temporis aut minore ſpatio terminantur. In creandis enim Licentiatis, & Doctoribus ſemel Competitorem, Procancellarium quater, Decanatum verò quinquies adminiſtravit.

Ephorus Alumnor. Elect.

Conſiſtorii Electoralis membrum.

Conjugium ejus.

A. 1646. In matrimonium ſibi elegit virginem *Annam Juſtinam*, J.C.ti magnifici Dn. *Georgii Tobiæ Schwendendorferi*, facult. Juridicæ Ordinarii, Curiæ Provincialis Aſſeſſoris, Academiæ Decemviri & Senioris filiam, ex quâ A. 1653. filiolum ſuſcepit vix triduanum, nec hanc orbitatem nova ſubſecuta fuit fœcunditas.

Moritur.

Cum tandem paucis modò diebus æger in lecto decubuiſſet, placidè obdormivit 3. Junii A. C. 1670. æt. 50.

HIERONYMUS KROMAYERUS Sacroſanctæ Theologiæ Doctor.

Ἀναγραμματισμός

Myſta eras humano ore, ceu ſocio corde; hinc orta eſt gloria.

Ceu ſocio corde, humano ſic ore Jehovæ
Myſta ad-eras; hinc eſt gloria oborta Tibi.

Johannis Frentzelii.

Scripta ab eo elaborata luci publicæ data ſunt:

Scripta.

Commentar. in Epiſt. ad Galatas.
in Apocalypſin.
Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Centuriæ XVI.
Theologia Poſitivo-Polemica.
Loci Antiſyncretiſtici.
Polymathia Theologica.
Decades duæ Diſputationum de Apoſtaſiâ Rom. Eccleſiæ in myſterio peractæ.
Scrutinii Religionis Diſputationes X.
Oratio de bello Germanico tricennali.

In ſcriniis adhuc ſervantur

Collegium Mathematicum.
Collegium hæreſiologicum, Philologicum, & Hiſtorico-Politicum.
Annotationes in formulam Concordiæ.
Literæ multiplices ad Amicos de Syncretiſmo, & alia opuſcula.

* *Ex Oratione Parentali Joh. Ad. Schertzeri, S. Theol. Prof. Lipſ.* & ab.

JOSUA CHILDREY.

Obiit A.C. 1670.

Cantianus & *Feverſhamiæ* in *Angliâ* natus an. 1640. & ætat. ſuæ 17. *Oxon.* Collegii *Magdalenenſis* Clericus factus eſt. Unde à Parliamentariis Viſitatoribus expulſus, Grammaticam primùm in ſuâ patriâ docuit, mox Domino *Herbert* Baroni à ſacris fuit.

Clericus Magdalenenſis Oxon. Baroni Herbert eſt à ſacris.

Tandem in reditu *Caroli II.* S. Theol. P. creatus, Rectoratu de Upway in agro *Dorſetenſi*, nec non Eccleſiæ *Sariſburienſis* Præbendâ, ſimul & Archidiaconatu donatus eſt beneficio Doctoris *Earle*, ejusdem tum Eccleſiæ Epiſcopi.

S. Theol. Prof. Eccleſiæ Sariſburienſis Præbendarius & Archidiaconus.

Obiit 26. Aug. an. 1670. & in Eccleſiâ ſuâ de Upway ſepelitur.

Moritur.

Scripſit:

Scripta.

Calendarium Propheticum.
Britanniam Baconicam &c. Lond. 1661. Angl.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

PETRUS HUBERUS.

Obiit A.C. 1670.

Natus eſt *Ulmæ*, Urbe Imperiali, d. 28. Januarii A.C. 1603, Patre *Georgio Hubero*, Eleemoſynar. Scribâ, matre *Urſulâ Aubelinâ*.

Hi Parentes filium maturè bonis literis curârunt imbui, quarum rudimenta tam citò arripuit, ut Præceptoribus admirationi, condiſcipulis verò invidendæ planè indolis exemplum eſſet. In ſeptimâ enim Claſſe non tantùm perorando ſe exercuit, ſed etiam ſub Gymnaſii Rectore, M. *Joh. Baptiſtâ Hebenſtreit*, de *Enunciatione compoſitâ* publicè diſputavit.

In Claſſe 7. Ulm. publicè diſp.

A. 1622, quo Gymnaſium *Ulmenſe* fuit erectum, ad lectiones publicas promotus, & cum 7. aliis Studioſis Academicis adjunctus, ne illotis, quod ajunt, manibus ſublimem Theologiæ facultatem, cui à Parentibus atque Evergetis ſuis deſtinabatur, attrectaret, Linguarum Latinæ imprimis Græcæque, & Philoſophiæ firma ſolidaque in Gymnaſio patrio fundamenta ſubſtruxit.

Promotus ad Lectiones publ.

A. itaque 1623. M. Majo primam diſputationem ſolennem, ſub M. *Joh. Philippo Ebelio*, Eth. & Log. Profeſſore, *de Prædicationibus*, & A. ſeq. M. Jan. ſub Hoſpitis ſui M. *Andreæ Herrenſchmidii*, S. Theol. Metaph. & Phyſ. Prof. Præſidio, alteram *De ſubjecti Metaphyſici reali unitate* defendit.

Ulmæ bis diſputavit.

Hoc facto A. 1624. Academiam *Argentinenſem* acceſſit, ibique eadem ſtudia tam diu continuavit, donec A. 1625. 24. Junii ſub D. Med. *Daniele Rixingero*, pro gradu Magiſterii diſputavit, & ex D. Diſputationibus D. *Joh. Ludov. Havenreuteri* primam publicè defendit. 3. Nov. ſeq. iterum ſolennem habuit

Argent. bis diſput.

buit Diſputationem, ſub Præſidio Dom. D. *Nicolai Aggerii* Phyſ. Profeſſoris, de numero Principiorum Phyſicorum. 3. Martii A. 1626. Gradum Magiſterii ſummâ cum laude adeptus, S. Theologiæ ſtudium auſpicatus eſt, & inter 22. Candidatos quintum honoris locum obtinuit.

Philoſ. Magiſter.

Abindè non modò creberrimè diſputando concionandoque, ſed & alios, in Philoſophiâ præſertim, docendo, eruditionem ſuam viris doctis probavit.

Diaconus Langenav.

A. 1631. In patriam à Dnn. Superioribus revocatus, mox Diaconus Eccleſiæ *Langenavienſis* factus eſt, quam provinciam per 3. annos ſanctè adminiſtravit.

Geisling.

A. 1634. *Geislingam* translatus, & Dom. *Joh. Leoni Rothio*, Paſtori patricio Symmiſta datus eſt. Sed nunquàm quoad vixit delere omninò ex animo hujus anni fata potuit, quo poſt infelicem pugnam *Nordlingenſem* non modò Collegam & Auditorum plurimos à militibus crudelibus ante oculos ſuos videre coactus eſt contrucidari, ſed ipſe quoque in præſens vitæ periculum non ſemel incidit.

vita periculum evaſit.

Et ſanè tanquàm piacularis victima certò mactatus fuiſſet, niſi mutato habitu, ſumtoque miniſterio ruſtico militum ſævitiam evaſiſſet. Facilè tunc quidem ſaluti ſuæ conſulere, atque *Ulmam* ante lanienam iſtam cum aliis ſe recipere potuiſſet, niſi turpe & Theologo indignum judicâſſet, ipſum ſecuritate frui, oviculas verò ſub latronum cultro relinquere.

Paſtor Geisling.

Concionator primar. Ulm.

Quare ob hoc egregium factum poſteà à *Geislingenſibus* ſemper plurimùm amatus, & A. 1645. in Dn. M. *Johannis Herlini* Paſtoris ob ſenectutem rude donati locum ſurrogatus; & tandem A. 1647. M. Majo *Ulmam* vocatus, & Miniſter Verbi Divini in templo primario Supernumerarius, & elapſo novennio Ordinarius ſolenni ritu conſtitutus eſt.

Hoc munere 23. annis functus, quoties Cathedram conſcenſurus erat, ad audiendum ejus conciones tanquàm ad Oraculum cives magno agmine concurrerunt.

Conjugium ejus triplex.

Conjugium ternâ vice iniit: primò A. 1631. cum virgine *Helenâ*, *Georgii Mülleri* Mercatoris *Ulmenſis* filiâ, ex quâ 4. liberos ſuſcepit, ſed omnes in primâ ætate denatos.

Filium habuit unicum.

Secundò A. 1636. cum *Annâ Veilmanniâ*, Viduâ Dom. *Johannis Weidingeri* Paſtoris *Heubacenſis* in ditione Com. ab *Erbach*, ex quâ unicumtantùm ſuſtulit filium M. *Joh. Petrum Huberum*, Paſtorem in *Stötten*. Tertiò cum *Huldbergâ Mercklâ*, viduâ M. *Johannis Mayeri*, Senioris Miniſterii *Auguſtani*, cum quâ ſuaviter ſemper ſummâque concordiâ, ſed ſine prole, vixit.

Obiit ictero & tympan.

A biennio tandem valetudine uſus minus commodâ, cum in æſtate ultimâ acidularum potu ſibi conatus eſſet mederi, morbum augeri non minui ſenſit. Emergente demùm ictero, atque tympan. quoque accedente vis Medicinæ omnis eluſa eſt. Cum itaque totum ſe Clementiæ Divinæ devoviſſet, in Chriſto obdormivit 28. Dec. A.C. 1670. ætatis 67.

* *Ex Concione fun. M. Thomæ Funckii Concionat. primarii.*

Et ex Programmate Directoris Gymnaſii Ulmenſ.

GUILIELMUS NICHOLSON.

Obiit A.C. 1671.

Filius *Chriſtophori Nicholſon* Pannifici divitis, *Stratfordiæ*, juxta Hadley, in agro *Suffolciano* natus anno 1591. *Oxon.* in *Magdalenenſis* Collegii ſcholâ Grammaticali literis innutritus, Choriſta primùm, tum Clericus. A. 1615. artium Magiſter, & paulò pòſt Comiti *Northumbriæ*, in turre *Londinenſi* incarcerato à ſacris, ejusdemque filio Domino *Percey* Præceptor fuit.

Comiti Northumbriæ eſt à ſacris.

Indè, cum nullâ re magis, quàm Grammatices ſtudio oblectaretur, *Croydoniæ* in *Surreiâ* Scholæ Magiſter evaſit. Indè Rector Eccleſiæ de Landellovar, in Com. *Caermerthen.* nec non Eccleſiæ *Menevenſis* Reſidentiarius, & Archidiaconus *Breconienſis* evaſit: Inque illis regionibus, per omne Bellum Civile, ſummo ſemper ſtudio Eccleſiam *Anglicanam* ſtrenuè aſſeruit.

Schola Magiſter Croydoniæ.

Rege igitur reſtituto, Gratiâ *Edoardi* Comitis *Clarendoniæ*, totius *Angliæ* Cancellarii adjutus, Epiſcopus *Gloceſtrienſis* eſt electus, & dein conſecratus in Divi *Petri Weſtmonaſt.* 6. Januarii 1660. in quâ ſede, durante vitâ, permanſit; Vir doctus & probus, inq; Patrum ſcriptis verſatus; verùm ante omnia Grammatices peritiſſimus, quam ſemper etiam ſenex excolere non deſtitit.

Epiſcopus Gloceſtrienſis.

Obiit in Palatio Epiſcopi *Gloceſtrienſis* 5. Feb. 1671. & triduo pòſt in ſacello quodam Virgini Deiparæ ſacro, & Eccleſiæ ſuæ Cathedrali contiguo, ſepelitur.

Moritur.

Scripſit:

Scripta.

Apologiam pro diſciplinâ veteris Eccleſiæ, & ſpeciatim pro illâ Angliæ. Lond. 1659.

Plenam & perſpicuam expoſitionem Catechiſmi Eccleſiæ Anglicanæ. Lond. 1661. & ib. 63.

Analyſin in integrum librum Pſalmorum. Lond. 1662. fol.

Expoſitionem Symboli Apoſtolorum variis concionibus traditam. Lond. 1661. fol.

* *Ex hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis Antonii à Wood.*

BALTHASAR CELLARIUS.

Obiit A.C. 1671.

Editus in hanc lucem eſt 6. Id. Oct. A.C. 1614, Patre viro Reverendo Dn. *Henrico Simone Cellario*, Eccleſiaſte *Rotlebienſi* propè *Francuſium* in Comitatu *Schwartzenburgico* oppidum; Matre *Urſulâ*, Ampliſſ. viri Dn. *Friderici Bornii*, Quæſtoris *Schwartzenburg.* filiâ.

Filius Theologi.

Ma-

Materno egreſſum gremio prima literarum & pietatis elementa in ludo pagano edoceri voluit providus Parens: poſteà domeſticum ipſi fratribusque Præceptorem præfecit *Andream* Oberländer/ Sororis ſuæ filium, cujus fidem & induſtriam ſæpiùs dilaudare ſolebat gratus diſcipulus.

In Gymnaſio Gerano ſtud.

A. 1630. Parente volente, *Geram*, celebre illuſtrium **Ruthenorum** Dominorum à *Plauen* Gymnaſium, adiens, biennii ſpacio in Claſſicis Autoribus, Græcarum Latinarumque literarum ſtudiis tam felices fecit progreſſûs, ut uberioris eruditionis capiendæ causâ Academiam *Jenenſem* adiret. Ibi mox D. *Himmelium* Theol. celebrem exoravit, ut locum in Convictorio publico obtineret.

Convictor Jenæ.

Sexennium igitur in celebri illo literarum Emporio commoratus, duram admodùm vitam egit, quod victum quidem haberet, reliquis autem neceſſariis adminiculis, ob Patris frequentibus militum rapinis ad incitas redacti inopiam, prorſus deſtitueretur.

Sed amor literarum & nativa quædam animi conſtantia fecerunt, ut contrà audentior iret, & nihilominus ingenium doctrinâ excoleret, præceptisque Philoſophiæ, quibus præcipuè delectabatur, abundare anniteretur, eo ſucceſſu, ut A. 1636. ſummo, qui Philoſophis tribui ſolet, gradu à Decano tum temporis *Philippo Horſtio*, loco gratuito ipſi benevolè conceſſo, ornaretur.

Philoſ. Magiſter gratuitus Jenæ.

Anno ſeq. 1637. Cum de Parentis obitu, patriâque bello miſerè devaſtatâ, triſte nuntium percepiſſet, ad docendum animum appulit. Quem in finem Diſputationem publicam Præſes ipſe magno applauſu habuit, adeò, ut Commilitones poſteà ad Exercitia ab ipſo inſtituta, tum Lectoria, tum Diſputatoria facto quaſi agmine confluerent.

Collegia privata inſtituit.

Nactus præterea Contubernales aliquot ſeorſim intra privatos parietes erudiendos, & in iis celebrem poſteà J.C. *Tubingenſem* Dn. *Adamum* Lauterbach/ ea, quæ neceſſitati ſat ſunt, indefeſsâ operâ ſibi comparavit.

Præceptor D. Ad. Lauterbachii.

Neque tamen ſacrum intereà Theologiæ ſtudium inſuper habuit, ſed ſummor. Theologor. *Gerhardi, Himmelii, Glaſſii*, aliorumque Lectiones, tum publicas, tum privatas conſtanter frequentavit, easdemque diſputando revolvit, modò Reſpondentis, modò Opponentis officio crebrò & feliciter perfunctus. *Himmelium* inſuper ætate confectum, & viribus infirmum, moleſto concionandi onere ſublevavit.

Theol. ſtud.

Cum ejusdem deindè filio *Enocho* profectus *Wittebergam*, magnos in Eccleſiâ viros Dnn. *Jac. Martini*, *Paul. Röberum*, *Wilh. Lyſerum*, & *Joh. Hülſemannum*, ſalutavit, ſibique faventes reddidit. Ibidem Dn. *Wilhelmus Lyſerus Joh. Andream Boſium*, *Jenenſis* poſteà Academiæ decus, ejus curæ commiſit, lautis conditionibus oblatis, beneficiisque quàm plurimis ipſi præſtitis, quibus aſperitatem fortunæ ſuæ ſolabatur.

Præceptor Wittenbergæ Joh. Andreæ Boſii.

Nondum autem annum *Wittebergæ* exegerat, cum generoſus Aulæ *Schwartzenburgicæ* Ephorus ipſi non contemnendo promiſſo ſalario annuo perſuaſit, ut cum filio ſuo unico, Nobili *Dn. Friderico Höfero*, Decano poſteà *Halberſtadienſi* ad D. Virginis in Academiam *Juliam* tenderet. Eò adveniens cum nobili ſuo A. 1642. in convictu D. *Conradi Horneii* primùm, poſteà quoque D. *Georgii Calixti* vixit, eosque ſui amantiſſimos deprehendit.

Cum Nob. Friderico Höfero Helmſtadium adiit.

Ut verò alibi ita in hâc quoque Academiâ Exercitia Philoſophica, Ordinis Philoſophici conſenſu, inter Commilitones repetiit, Diſputationes publicas crebrò habuit, atque ideò in oculis & ore omnium eſſe cœpit.

E ſacro quoque ambone verba ad cœtum Eccleſiæ fecit adeò piè & diſertè, ut in Miniſtrum Eccleſiæ à *Brunſvicenſibus*, præter omnem ſuam exſpectationem expeteretur.

Huic vocationi ſuaſu *Calixti* & *Horneii* obtemperans A. 1644. ſacrum illud munus iniit. Quanto in pretio ibi fuerit, Auditores munificentiâ ſuâ abundè teſtatum fecerunt.

Miniſter Eccleſ. Brunſvic.

Neque ſic tamen hoc Presbytero perpetuò gaviſa fuit *Brunſviga*, Sereniſſ. enim *Auguſtus* Dux *Brunſvicenſis* & *Lunæburgenſis*, cognitis raris illius ingenii animique dotibus, eundem ad ſacram *Helmſtadii* Ephoriam (quam Superintendenturam generalem vocant) aliquot annorum intervallo evocavit, inſimul & S. Theologiæ Profeſſionem ordinariam præſcitu & conſenſu reliquorum Academiæ *Juliæ* Nutritiorum, eidem clementer obtulit, & annuenti A. 1648. demandavit.

Superint. generalis Helmſtadii. Theol. Profeſſor ord.

Eodem anno, neceſſitate rei familiaris adminiſtrandæ poſtulante, ad conjugium animum appulit, domumque duxit Virginem *Eliſabetham*, Venerabilis Viri Dn. *Juſti Geſenii* Theol. Doctoris, Proteccleſiaſtæ aulici *Brunſvicenſis* S. Senatûs Aſſeſſoris, & Eccleſiarum in Ducatu *Brunſvico-Calenbergico* Superintendentis Generaliſſimi filiam. Id matrimonium ut concors & ſuaviſſimum ita 10. liberorum, 6. noſtri, 4. alterius ſexûs proventu fuit fœcundum: ex his tres filii fatis conceſſerunt, reliqui ſuperſtites vivunt.

Uxorem ducit.

Omnes autem genuini Epiſcopi numeros ita implevit, ut à Celſiſs. Principe *Auguſto*, ejusque Succeſſore filio, *Rudolpho Auguſto*, Abbatiâ *Mariævallenſi* munificè fuerit donatus, quam tamen honoris acceſſionem præproperum fatum intercepit.

Abbas Mariævallenſis.

Nec porrò Profeſſorii ſui muneris immemor unquàm fuit, ſed quoad per Eccleſiaſticos labores licuit, docendo, diſputando, conſulendo re rationeque plurimùm profecit ſtudioſæ pubi. Magiſtratum Academicum bis laudabiliter geſſit, nec minore cum nominis ſui gloriâ Decanatu in Collegio Theologico multoties functus eſt.

Diu incommodâ valetudine afflictus, ven-

ven-

Digitized by Google

Ejus morbi & obitus. ventriculi imprimis infirmitate, & urinâ cruentâ, in ſævum tandem morbum incidit. Abſceſſus namque in inferiori corporis parte ortus, cruciatus ciebat: indè ortæ noctes inſomnes, & ex ulcere febris, quæ mala exiguas corporis jam tum ſatis enervati reliquas vires usque adeò proſternebant, ut omnis Medicorum & Chirurgorum ars, etiam diligentiſſima, fruſtrà eſſet. 15. demùm Sept. dies ipſi emortualis fuit, quando paulò poſt quartam veſpertinam inter aſtantium lacrymas & preces placidè in Domino obdormit A. C. 1671. ætatis 57.

Scripta. Typis evulgavit:

Libell. de Conſequentiâ.
Diſput. de aureâ ſalutis Catenâ.
Inſtitutiones & Tabulas Politicas.
Tabulas Ethicas, & Phyſicas.
Theologiam naturalem.
De naturâ Theologiæ.
De Eccleſiâ.
Diſputationes XVII. quibus controverſias, quæ Lutheranis cum Pontificiis intercedunt, juxta Concilii Tridentini ductum, nervosè expedivit.
De Republ. ſpirituali.
Conciones funebres varias.
Diſputationes Theol. varias.
De Pontificior. Sacrificio Miſſæ.
De præcipuis fidei Controverſiis.
De Libero Arbitrio.
De Peccato.

* *Ex Programm. fun. ProreЄtoris Acad. Juliæ Henrici Uffelmanni, Moralium Profeſſ. publ.*

MICHAËL WENDELER.

Obiit A. C. 1671.

CLaritatem hujus Viri Epitaphium in Templo Paroch. *Witteberg.* ſeqq. verbis depingit.

Epitaphium Wendeleri.

CHRISTO SERVAT. SS.
MEMORIÆ ET DURATURÆ
MICHAËLIS WENDELERI
SS. THEOL. DOCTOR. EJUSD.
FACULT. ASSESS. ET PROF.
EXTRAORD. NEC NON
PHIL. PRACT.
P. P.

QUI MUNERIS SUI DILIGENS, COMMODORUM JUVENTUTIS PROVIDUS, OFFENSIONUM PRO UTILITATE PUBLICA NON PAVIDUS, CUM OMNES BONI PROFESSORIS PARTES ULTRA XXX. ANNOS IMPLESSET NOBILITER, NON TAM ÆTATE CONSUMPTUS, QUAM LABORUM PERTINACIUM ASSIDUITATE EXHAUSTUS VIRIBUS, LENTO MORBO EXTINCTUS EST, PIETATIS VERO, CONSTANTIÆ, DOCTRINÆ, INTEGRITATIS, ET LAUDE PULCHERRIMUM SIBI MANSURUM ET BONORUM IN ANIMIS CONDIDIT MONUMENTUM. NATUS EST SCHLETTÆ MISNIÆ OPPIDO AD D. XXI. SEPT. A. M.DC.X. DENATUS WITTENBERGÆ, AD D. XXI. NOVEMBRIS A. M.DC.LXXI. SEXAGENARIO MAJOR. MARIA DAUTHIA SUO ET VI. SUPERST. LIBER. NOMINE MARITO DESIDERATISSIMO, PARENTI INDULGENTISSIMO, INGENTI MOERORE ET ACERBISSIMIS LACHRYMIS PLENA

H. M. P. C.

SALVE MENS COELO RECEPTA, NOS SIMUL DECRETORIA HORA ADVENERIT PROMTI TE PARATI ET SEQUEMUR.

* *Ex Inſcriptionibus Witteb. Andreæ Sennerti.*

JOHANNES ULRICUS PREGIZERUS.

Obiit A. C. 1672.

NAtus eſt *Tubingæ* d. 10. Jul. A. C. 1611 Patre cognomine S. Theol. Doctore, & per 36. annos Profeſſore, Academiæ Cancellario, & Eccleſiæ Præpoſito: Matre *Tabithâ*, M. *Jacobi Heſchii*, Paſtoris *Feurbacenſis* filiâ, Theologi celebris, D. *Lucæ Oſiandri* nepte.

Educatus Calvæ. Vix bimulus cum familiâ Patris *Calvam* translatus, ibidem curâ Parentum ſedulâ, quin & aviæ proaviæque *Tabitharum Oſiandrarum* ad omnem pietatem morumque integritatem probè formatus, atque ad ſacras imprimis literas & Conciones, pro captu tamen, recitandas ac memorandas adolevit, utriusque ſimul rudimenta ſermonis magis magisque apprehendens.

Dehine Novennis *Tubingam* cum Patre, ad Profeſſionem Academiæ evocato, redux eandem telam, ſub pollice imprimis M. *Andreæ Berchtoldi*, perrexit tàm ſtrenuè, ut vix undecennis Academiæ committeretur.

Tubingæ Claſſicus. In cujus tertiâ & quartâ Claſſe, Græca ſub *Martino Rumelino*, U. J. Doct. Rhethoricam & Ethicam ſub *Jodoco Kolbio*, item Jur. Doct. Logicam ſub *Bapt. Weigenmeiero*, didicit, iis etiamnum extantibus progreſſuum ſpeciminibus, ut primam lauream biennio reportârit.

Baccalaur.

Philologus. Undè ad Completorias, quas vocant, admiſſus, Metaphyſicam à *Geilfuſio*, Eloquentiam & Poëſin partim ab eodem, partim à *Schæffero, Rauſchero, & Flaydero*, ſolidiùs excoluit, de quibus *Geilfuſium* & *Rauſcherum* deinceps Collegas habuit. Quanquàm & Hiſtoriam à *Schæfero* comprehendit, Diſputationem quoque De *Genere Deliberativo* ſub *Geilfuſio* defendit, & in Collegio III. cum Generoſo Fratrum *Grünthaliorum* pari Exercitia quædam ſtyli ſub *Flaydero* edidit.

Non minùs Orientales linguas, Hebraicam, Chaldæam, Syriacam, & Arabicam à *Schickardo*, Matheſin à *Mæſtlino*, Phyſicam à *Cellario*, (quo Præſide de *Animâ* quoque *Rationali* pro Gradu diſputavit) didicit, honores atteſtante Laureâ Philoſophicâ, quam A. 1628. à *Schæffero*, inter 16. Candidatos ſecundo dignatus loco ſumpſit. *Magiſter Philoſ.*

Theol. Studioſ. Tubingæ. Poſthæc Theologiæ ſe totum, ex paternâ deſtinatione, mancipavit, manuductore privato imprimis M. *Chriſtoph. Zellero*, cognato ſuo, Theologo, Principique

Sere-

Digitized by Google

Sereniſſ. à Conſiliis, Concionibus, & Confeſſionibus ſacris.

Acceſsêre Doctores Acad. publici magni nominis, præter Dom. Patrem, *Lucas Oſiander*, Cancellarius Academiæ & Eccleſiæ Præpoſitus, ſub quo *De auctoritate S. Scripturæ* A. 1632. diſputavit *Theodorus Thummius, Melch. Nicolai*, & *Jacobus Reibingius*.

Argentorati. A. 1633. Acad. *Argentinenſem* adivit, ubi Theologis *Johanni Schmidio*, *Joh. Georgio Dorſchæo*, *Joh. Cunrado Dannhauero* Patris commendatione traditus, inter Bibliothecas & familiaria eorundem colloquia & collegia admiſſus eſt.

Baſileæ. Indè *Baſileenſem* ſub anni finem acceſſit, ubi *Sebaſt. Beckium*, & *Theodorum Zwingerum* diſputando impugnavit, Profeſſorum Clariſſimor. *Feſchii* J. C. & Syndici, *Hofmanni* & *Burcardi* Juris item Conſultorum, *Bauhini* Medici, *Obermeyeri* Mathematici, *Pfiſteri* Rhetoris, *Joh. Buxtorfii* Hebræi, *Kleinſchmidii* J. C. poſtque Profeſſoris *Marpurgenſis* amicitiis auctus & ornatus: porrò *Friburgenſem*, quam tamen per excurſum ſaltem, unà cum magnâ Helvetiæ parte, inque hâc *Bern. Aventicor.* adiit, ſalutato hîc *Guil. Fabricio Hildano*: indè *Argentinam* A. 1634. non repetiit modò, ſed etiam amplificavit, habitâ ſub D. *Schmidio De Peccatis actualibus* Diſputatione publicâ ſolenni. *Friburgi.*

Redux autem, cum publico Facultatis ibidem Theologicæ teſtimonio in patriam A. 1635, quam turbatam intereà miſerè per irruptionem *Cæſarei*, *Hiſpanici*, ac *Bavarici* exercitûs, poſt funeſtam *Nerolingæ* cladem, offendit, Theologiæ ſtudia repetiit, Concionum quoque habendarum experimenta ſumens in S. *Georgii* & *Jacobi* templis. Tum præviis Examinum ſolennibus, Auguralem Diſputationem de *Perfectione S. Scripturæ* Pontificiis oppoſitam ſub D. *Melch. Nicolai* A. 1650. egregiè defendit. *Tubingam rediit.* *Pro Licentiâ Theol. diſputavit.*

Uxorem duxit. Inter hæc autem & matrimonio A. 1639. feliciter ſibi junxit *Mariam Barbaram*, Dn. *Caſp. Beutelii*, Præfecti *Wertheim.* viduam, Dn. *Georgii Rentzii*, Med. D. Phyſici *Stutgard.* & Archiatri *Würt.* filiam: ex quâ tres filios totidemque filias ſuſtulit, ſed filium tantùm cognominem Jur. Utr. Doctorem, & filiam virginem *Annam Eliſabetham* ſuperſtites reliquit.

Domeſticam fortunam mox publica excepit, & honor 1. Profeſſorius Ethices A. 1644. in Collegio Artium, quem functionibus Eccleſiaſticis ideò antetulit, ut Patrem Viduum jam & propè ſeptuagenarium filiali tantò evidentiùs fide ac pietate proſequeretur, quam octogenario tandem integram præſtitit. Ubi tamen tantum abfuit, ut munia Theologi omitteret, ut Collegiis Theologicis tàm Theoreticis quàm Polemicis ſubindè magnâ cum Auditorum frequentiâ iteratis, etiam à Viris nonnullis in Eccleſiaſtico munere conſtitutis, Præceptoris in Theologiâ nomen obtineret. *Ethicæ Profeſſor.*

Senator Tubing. Pædagogarcha. Profeſſoriam Senatoria A. 1652, & hanc Pædagogarchiæ per ſcholas ſuperioris Ducatûs A. 1655. Dignitas inſecuta eſt. Quò Decanatus quater, Rectura ter, Deputatura bis, & ſumma quoque ſemel geſta pertinet: Stipendiorum prætereà, *Martiniani*, *Gathiani*, *Fleckiani*, *Mülleriani*, *Cruſiani* & *Fabriani* cura ac inſpectio, quæ ſingula mirâ fide & dexteritate obivit.

Ob cephalalgiam tandem contumacem lecto affixus, nequicquam proficiente curâ Medicorum ſolerti, febri & paralyſi accedentibus, ſoporeque apoplectico oppreſſus in Servatore ſuo placidè obdormivit 27. Maji A. C. 1672. æt. 61. *Moritur.*

* *Ex Programm. fun. Rectoris Tubing.*

JOHANNES WEINMANNUS.

Obiit A. C. 1672.

Uſuram lucis accepit *Suinfurti* ad Mœnum oppido 15. Sept. A. C. 1599, procreantibus eum Dn. *Paulo Weinmanno*, bibliopolâ, & *Apolloniâ*, è *Wolfiorum* à *Geroltzhofen Franconiæ* ſtirpe: teſte in S. baptiſmi lavacro exiſtente Dn. *Johanne Hermanno*, Senatore & rei ferrariæ negotiatore. Poſtquàm cognoverunt Parentes indolem filii ad ſtudia inclinantem, tyrocinia ponere juſſerunt in patriâ ſcholâ, docente eum imprimis Dom. M. *Clemente* t. t. ſcholæ Rectore.

Talibus poſitis fundamentis, ut idoneus eſſet ad altiora, Pater omni curâ providit, ut è pulvere ſcholaſtico ad ſplendorem Academicum promoveretur: quâ fini ad nundinas *Francofurtenſes* A. 1616. ſecum adductum paulò pòſt *Gieſſam Haſſorum* miſit, urbem Academiâ celebrem. Ibi in Phyſicis & Græcis *Joh. Steuberum*, S. Theol. poſteà Doctorem, in Logicis & Metaphyſicis D. *Chriſtoph. Helvicum* ad ſeſquennium ſedulò audivit. *Studioſus Gieſſæ Haſſor.*

Sed quia genius loci temperamento ipſius erat adverſus, A. 1618. *Francofurtum* redux patrem ibidem obviam factum domum comitatus eſt.

Suinfurti fortè offendit Dn. *Danielem Stahlium*, Philoſophum eximium, cum quo *Jenam* profectus, ibi ſtudia ſua feliciter continuavit. Philoſophico namque ſtudio laudandâ inhærens pertinaciâ, *Mich. Wolfii*, Log. & Metaph. Prof. P. *Dan. Stahlii*, & *Caſp. Ebelii* Fac. Philoſophicæ tunc Adjunctorum familiaritate gaudens, Prælectionibus & Diſputationibus ſedulus auditor interfuit, & laborum conſors. Conſcripſit enim ipſe Quæſtiones è Philoſophiâ miſcellaneas, quas Præſide Dn. *Stahlio* publicè, privatim autem ductu Dn. *Ebelii* alteram in Collegio Metaphyſico Diſputationem defendit. *Jena.*

6. Febr. A. 1620. Præviis examinibus, Decano D. *Wolfgango Heidero*, Ethicæ & Polit. P. P. Philoſophiæ Magiſter ex merito renuntiatus eſt. Tunc ſacræ militiæ rudimenta auſpicatus eſt, ducibus D. *Joh. Gerhardo* & D. *Joh. Himmelio*, Theologis eminentibus, quorum lectiones & Diſputationes, uti & *Philoſ. Magiſter Jenæ.* *Theolog. ſtudioſ.*

 priva-

privata Collegia ſine intermiſſione frequentavit, præſertim verò totus in D. *Gerhardi* Diſputationibus Biblicis & Aphoriſticis, quas publicè in Collegio majori habere ſolitus eſt, habitavit, & ſub illius Præſidio primam Diſp. in Collegio, quod inſcribitur *Harmonia Calvino-Photiniana*, defendendam ſuſcepit A. 1622.

Altorfium venit. Anno ſeq. 1623. Cum paulò antè Patrem amiſiſſet, in Academiam *Altorfinam*, unà cum diſcipulo quodam inſtitutioni ſuæ commiſſo, ſe contulit, reſumpturus diligentiæ ſuæ curſum. Ibi cum Philoſ. Profeſſores Dnn. *Queccius*, *Schwenterus*, & *Kobius* ipſi *Collegia Philoſ. privata habuit.* privata habendi Collegia facultatem concederent, quâ ſumptibus conſultum ſibi putabat, ne matri moleſtus eſſe cogeretur; hâc ſuâ ſedulitate tantum effecit, ut A. 1624. Nobiliſſ. Domini Scholarchæ loco Dn. *Jac. Brunonis* ad Profeſſionem Claſſicam pro- *Inſpector Alumnor.* moti, Inſpectionis Alumnorum Provinciam ipſi demandârint, quam ad quadriennium ornavit, habitis in pleriſque Philoſ. partibus Collegiis, & aliquot quibus præſideret Diſputationibus publicis.

Diaconus & Theol. Profeſſor. A. 1628. Diaconi officium & in Theologiâ Profeſſionem publicam obtinuit. Exindè ſolenni manuum impoſitione ſacro ordini adſcriptus, poſtridie Pentecoſtes Concionem inauguralem habuit.

Conjugium ejus quadruplex & Liberi. 11. Nov. ſeq. Conſentiente matre adhûc vivâ, nuptias *Norimbergæ* celebravit cum virgine *Annâ Mariâ*, Dn. *Mich. Muttereri*, rei ferrariæ negotiatoris filiâ, ex quâ A. 1630. filiam genuit *Mariam Catharinam*, poſt ſextiduum denatam. Ipſa verò mater paulò pòſt, marito *Suinfurti* ob matris ſuæ obitum abſente, mundo huic valedixit.

A. 1631. ad altera vota tranſiit, ritè ambiendo virginem *Urſulam*, Dn. *Hieron. Richteri*, Mercatoris filiam, quam 23. Martii *Noribergæ* domum duxit. Ex hoc conjugio A. 1631. ſuſcepit filiam *Annam Mariam*, anno 1652. Reverendo Dn. M. *Erbardo Fabro*, Paſtori primùm *Rückersdorfenſi*, deindè *Rüſſelbacenſi* nuptam. Eodem autem anno 6. Oct. amiſit & alteram conjugem.

A. 1636. Tertiam vitæ ſociam aſſumpſit virginem *Suſannam*, Dn. *Nic. Rudroffi*, mercatoris *Norimb.* filiam, quæ mortua eſt 6. Februar. A. 1650. Ex hâc factus eſt Pater 4. filiorum, & 3. filiarum. Ex filiis ſuperſtites reliquit *Chriſtophorum*, Mercatorem *Norimberg.* & *Conradum*, Pharmacopolam *Nordling.* Filia *Regina Suſanna* A. 1664. Dn. *Joh. Kiliano Metzgero*, Jur. utriusque Doctorando nupta, nonniſi annum cum marito tranſegit. Altera *Catharina Suſanna* A. 1670. deſponſata eſt Dn. M. *Chriſtiano Schrötelio* ad Spiritum S. *Noribergæ* Diacono.

A. 1652. Quartam admovit lateri conjugem, *Claram Catharinam*, natam *Boſchiam*, Dn. *Joh. Rubingeri*, Mercatoris *Norimb.* viduam, quam viduam reliquit ſuperſtitem.

Paſtor Eccleſ. Altorf. A. 1654. Poſt obitum D. *Georgii König*, voluntate Superiorum, Paſtoris dignitas ipſi fuit collata, & ex ærario publico ſumtus ſuppeditati, ut A. 1656. 24. Martii *Gieſſæ* Doctor Theologiæ publicè renuntiaretur. In Profeſſione autem Theologicâ usque ad vitæ ſuæ finem non minorem adhibuit operam, & *Locos Theologicos Philippi*, & varios *Novi Teſtamenti Libros* doctrinâ ſuâ illuſtrando, non denegatis Collegiis lectoriis & diſputatoriis ſi peterentur, quæ multa habuit: Faſces Academicos bis cum laude geſſit, tertio quoque anno factus Theologiæ Decanus. *Theol. Doctor Gieſſæ. & Profeſſor Altorf.*

Egreſſus verò annum 70, deficientibus viribus, pedum ex tumore dolorem ſenſit vehementem, nullus tamen de ſtatione ſuâ deceſſit, ſed Dominicâ adhûc mortem præcedente concionem ultimam habuit, morte placidâ è mundo ſublatus 2. Sept. A. C. 1672. ætatis 73. *Moritur.*

* *Ex Programm. fun. M. Joh. Conr. Dürrii, Theol. & Eth. Prof.*

Edidit: præter *varias Diſputationes*, *Inſtitutiones Theologicas*, quibus tertiâ vice editis, & paucis auctis paulò ante mortem ultimam manum impoſuit. *Scripta.*

SAMUEL MARESIUS.

Obiit A. C 1673.

IN *Picardiæ Gallor.* oppido *Avimontio*, vulgò *Oyſemont*, natus eſt 29. Aug. A. C. 1599: Patre *Davide des Marets*, *Avimontii* Prætore ſive Judice ordinario, in Regiâ præfecturâ *Vimacenſi* J. C. & Cauſar. actore, & rei maritimæ Commiſſario: Matre *Magdalenâ Vauquet*, quæ grandæva A. 1649, conjugii 61. maritum amiſit, in eo felicem, quòd ſenex ante obitum ultra 40. homines viderit, qui ſe vel patrem, vel ſocerum, vel avum ſalutarent.

Hi parentes *Samuelem* hunc filium ab infantiâ ſacro miniſterio devoverunt, adeò teneræ conſtitutionis puerum, ut ferè lacte & butyro fuerit educandus, cum nec carne elixâ, nec oleribus, nec fructibus veſci potuiſſet: ſæpiùs etiam fluxionibus laborans, aliquando ex genuum debilitate per 15. dies lecto affixus fuit: animo tamen erat erecto, tenacis memoriæ, & ad ſtudia tàm proclivis, ut ante ſeptennium exactum accuratè ſcriberet, & bis tota Biblia à capite ad calcem evolviſſet. *Puer à Parentibus S. miniſterio dicatur.*

Formatorem pueritiæ habuit D. *Eſaiam Blanchardum*, Eccleſiæ *Avimontii* Paſtorem, ſub cujus curâ cum Nobilium aliquot è viciniâ filiis eò usque brevi profecit in Linguæ Latinæ & Græcæ cognitione, ut & hanc ex parte aſſequi, & illâ commodè ſuos conceptus exprimere poſſet.

Muſicam tamen addiſcere nunquàm potuit, in quâ Parens ejus excelluit, nec in Poëſi quicquam proficere, & ſi quod ad hanc exercitium proponebatur, malebat illud amplificare & exornare oratione ſolutâ, quàm ſe ad pedum menſuram & numeros adſtringere.

Cum annos 13. natus inciperet Philoſophica deguſtare, Parens eum *Lutetiam* abduxit *Lutetiæ Philoſ. ſtud.*

duxit cum fratre natu majore *Carolo*, qui poſt abſoluta Juridica ſua ſtudia *Heidelbergæ*, ſub ductu *Dionyſii Gothofredi*, & Licentiæ Gradum in Jure adeptum *Aurelüs*, tum erat Advocatorum albo in Curiâ *Pariſienſi* inſcribendus.

Triennium *Lutetiæ* in Philologicis exigens, *Dempſtero in Pleſſiaco*, & *Grangerio* in *Harcuriano* Collegio docentibus literas humaniores adhæſit, ſed magis *Guillonio* Linguæ Græcæ, & *Theodoro Marcilio* Eloquentiæ Romanæ Profeſſoribus Regiis in aulâ *Cameracenſi*. *Craſſotium* quoque in *Marchianâ* ſcholâ, & *Janum Cecilium Frey* in ſcholâ *Craſſiniorum* eximios tum Philoſophos audivit.

Theol. ſtud. Salmurii. Indè *Salmurium* ablegatus ut Theologiæ vacaret, per biennium D. *Franciſcum Gomarum*, cui poſteà in hâc Academiâ ſucceſſit, audiens, ſtudiis ſacris ſedulò incubuit. In Hebræis ibidem Præceptorem habuit *Ludovicum Capellium*, tunc Ling. Sanctæ Profeſs. & Paſtorem Eccleſiæ, cujus & ultimo anno fuit commenſalis.

A. 1618. Ad patrem domum rediit, & cum tunc afferretur nuntium de *Danielis Tileni*, Profeſſoris *Sedanenſis*, tranſitu ad Remonſtrantium partes, eo audito, à Patre citra moram *Genevam* ablegatus eſt. *& Genevæ.*

Ibi diligenter ſe exercuit in Diſputationibus & Propoſitionibus publicis *Latino* & *Gallico* idiomate, ut ibi moris eſt.

M. Febr. A. 1620. *Lutetiam* denuò ſe contulit, & cum M. Martio ſeq. *Carentonii* celebraretur Synodus Provincialis, ſuaſu *Samuelis Durantii*, Paſtoris Eccleſiæ, unà cum aliis 4. Miniſterii candidatis examen Theologorum ſuſtinuit, eique aſſignata fuit Eccleſia *Laodunenſis* in *Veromanduis*, in quâ deinceps Miniſterio defungeretur. Ibi variis controverſiis cum Pontificiis implicitus, eorum odium incurrit. *Paſtor Eccleſiæ Laodunenſis.*

13. Dec. A. 1623. cum exiret ex ædibus avunculi ſui *Samuelis Vauquetii* Quæſtoris Regii, apud quem cœnaverat, ad ſuas ſe recepturus, famulo ſibi lucernam præferente, occurrit ei homo ignotus, qui, ne verbo quidem prolato, pugionem minorem ei adegit in pectus ſub mammâ dextrâ, & illicò fugam arripuit, abjecto pugione, qui poſtridiè repertus eſt. Vulnus erat profundum, & quod in thoracis capacitatem illæſo tamen pulmone penetraret. *Lethaliter vulneratus*

Cum eâ de re querela delata fuiſſet ad ſacrum Regis Conſiſtorium, ſimulavit Regius Procurator *Laoduni*, ſe quæſtionem diligentem de eâ habiturum, ſed ulteriùs proceſſum non eſt. Quamvis autem vulnus periculoſum valdè fuerit, & ex quo candelam ei objectam poterat *Mareſius* extinguere, brevi tamen tempore ex eo convaluit. *Convaluit.*

Vires verò reſumpturus, & ſimul conſilium circa futurum cum proximis initurus, profectus eſt *Lutetiam* ad fratrem ſuum, & indè *Avimontium* ad Parentes, qui illi fuerunt authores, nec diſſuadente *Durantio*, ut *Laodunum* non reverteretur, ſed expectaret *Lutetiæ* convocationem Synodi, quæ ipſius ſecuritati proſpectura eſſet.

Primam poſt acceptum vulnus & ex illo adhûc pallidus valdè Concionem habuit *Carentonii* ſub tentoriis, ſub quibus Eccleſia *Pariſienſis* tum conveniebat, quod anno præcedenti Templum everſum & combuſtum fuiſſet Pontificiorum furore.

A. 1624. M. Majo Synodus *Vitriaci* in *Campaniâ* conveniens eum cenſuit *Laodunenſi* Eccleſiâ liberandum, & donec certus Grex illi aſſignaretur, Eccleſiæ *Faleſienſi* iiſque annexis concedendum.

In eâ conditione ſatis incommodâ vix 4. menſes exegerat, cum *Sedanum* ad Theol. Profeſſionem & Eccleſiæ Miniſterium vocatus eſt, quò paulò pòſt, 1. Oct. patre ſuo comite & ductore profectus eſt, & in locum *Jacobi Capelli* demortui ſucceſſit. Vere A. 1625. à Principiſsâ *Sedanenſi* obtinuit interuſurium aliquot menſium ad Academias peregrinas luſtrandas, & ſi placeret, Docturæ gradum in aliquâ illarum obtinendum. *Sedani Theolog. Profeſſor & Eccleſiæ Miniſter.*

Ita inſtructus Principis ſuæ commeatu & honeſto Eccleſiæ teſtimonio munitus, *Depam* profectus eſt, undè in *Hollandiam* ſolvit, & poſt gravem in mari per 9. dies tempeſtatem incolumis tandem *Roterodamum* appulit, indè *Leydam* venit, & conſilio ſuo expoſito Facultati Theologicæ, ab illâ ad Examen admiſſus eſt, quo privatim per biduum defunctus, juxta illius Academiæ Leges, *Diſputationem* inauguralem de *Juſtificatione* ſine Præſide ſuſtinuit, primus omnium poſt repurgatam ab Arminianiſmo Academiam 8. Julii A. 1625, & Diſputatione finitâ, Promotore D. *Andreâ Riveto*, Doctor creatus eſt. *Theol. Doctor. Leydæ.*

Poſteà, cum aliquot adhûc ſeptimanas impendiſſet *Hollandiæ* viſendæ, in *Angliam* transfretavit. *Doverâ Cantuariam* profectus, illinc *Londinum* venit, ſed propter peſtem iſtic graſſantem *Londini* non ſubſtitit, *Oxonium* tendens, ubi poſt recens connubium Regis *Caroli* cum *Mariâ Borboniâ* Comitia Regni celebrabantur.

Paucis exindè tranſactis ſeptimanis, in *Galliam* regreſſus, ſalutatis *Avimontii* parentibus, *Lutetiam* fratris viſendi causâ profectus eſt. Ibi *Samuelem Durantium* reperit agonizantem, cui ultimum vale dixit, *Sedanum* reverſus ad ſuam ſtationem, ubi 24. Nov. auſpicatus eſt Profeſſionem Theologicam, Oratione habitâ, de *iniquâ Diſputandi nobiſcum Methodo à Jeſuitis* uſurpatâ, & propoſitâ Diſputatione publicâ, de *Judice Controverſiarum*.

A. 1628. *Sedani* nuptias celebravit cum *Magdalenâ*, *Caſparis le Grand*, *Tornacenſis* filiâ *Aquiſgrani* natâ. Is *le Grand* Mercator Magnarius poſteâ *Delphis* obiit Eccleſiæ *Gallo-Belgicæ* ſenior. Sponſalia hæc ſuâ cohoneſtavit præſentiâ Princeps *Henricus Turræus*, *Tureniæ Mareſcallus*, in pago dicto *S. Mange*, quò novi ſponſi in Principis rhedâ deducti fuerunt. *Deſponſatus Sedani.*

Filius ejus Henricus Paſtor Eccleſ. Sylvaducenſ.

Ex eo conjugio duos vidit filios, quorum natu major *Henricus* J. U. L. & primùm in Curiâ *Pariſienſi* advocatus, abdicato Juris ſtudio, & Theologico ei ſubſtituto, Paſtor factus eſt Eccleſiæ *Sylvæducenſis*, & alter *Daniel* Theologiæ in Academiâ *Sedanenſi* dedit operam. Suſcepit etiam 3. filias, *Mariam*, *Annam Catharinam* & *Johannam*.

Paſtor aul. Ducis Bullionii.

A. 1631. M. Majo Ducem *Bullioneum* in *Hollandiam* comitatus, ipſius Paſtor Aulicus & Domeſticus fuit per 5. menſes, & cum in autumno caſtra variis morbis vexarentur, ipſe DEI beneficio permanſit incolumis.

Eodem morbo Dux *Bullioneus* non ſine vitæ diſcrimine correptus, cum convaleſceret, *Mareſium* cum fratre ſuo *Henrico*, *Turreniæ* Mareſcallo, domum remiſit.

A. 1632. Cum ipsâ Principe in *Hollandiam* iter ſuſcipiente, ut fratrem ſuum Principem *Arauſionenſem* inviſeret, & Principis uxoris inſtanti puerperio intereſſet, Aulici Paſtoris nomine profectus in aulâ *Auraicâ* magis innotuit.

3. Octob. A. 1632. *Trajecti* ad *Moſam*, quo paulò antè ab Ordinibus Generalibus *Belgii* legitimè vocatus venerat, primam Concionem *Gallicam* habuit, & hebdomade ſequenti *Limburgi*, cui Eccleſiæ tunc *Gotofredus Hottonus* Paſtor fuit aſſignatus.

Sub initium A. 1633. ipſi cum *Hottono*, & *Phil. Ludovico*, *Belgicæ* Eccleſiæ Paſtore, Diplomate Ordinum generalium poteſtas facta fuit, Eccleſias per totum agrum conſtituendi, illiſque præficiendi, quos idoneos ad Miniſterium judicarent.

In hoc munere bellum ipſi ferè continuum fuit cum Monachis, & Clero *Leodienſi*, quibus voce & calamo fortiter ſe oppoſuit, & cum ex liberalitate Domini *Ludovici de Geer*, tum Eccleſiæ *Trajectenſis* & *Ultramoſanæ* Typographiam in Urbe conſecutæ fuiſſent, ad ſui Defenſionem eam ſemper ſcripto aliquo Apologetico vel Polemico occupatam habuit.

A. 1634, quo ſcholæ Curator cum duobus aliis fuit conſtitutus, varias eum moleſtias oportuit devorare, præſertim ob Ducis *Bullionæi* cum Comitiſsâ *Berghenſi* Pontificiâ deſponſati defectionem ad Pontificios.

Paſtor Eccleſiæ Gallo-Belgicæ Sylvaducenſis.

Sub initium A. 1636. cum Eccleſia *Gallo-Belgica Sylvæducenſis* recens orbata ſuo Paſtore, Dom. *Daniele Caſtel Lugduno Batavo*, *Mareſium* in illius ſucceſſorem elegiſſet, is admiſsâ vocatione, accedente inſuper conſenſu Illuſtr. Dom. Ordinum Generalium, *Sylvamducis* venit, & ipſo Paſchatis die Miniſterium ſuum ibi eſt auſpicatus. Huic acceſsêre anno ſeq. Labores Profeſſorii, quà Hiſtorici & Philologici, quà Philoſophici & Theologici, in ſcholâ illuſtri inauguratâ 16. Febr. A. 1637. Ibi ternis Concionibus, ſeniſque Lectionibus publicis hebdomadatim habitis egregiè munere ſuo functus eſt.

& Theol. Profeſſor in Gymnaſio recenti.

A. 1640. Cum D. *Nicolaus Vedelius*, Theologus *Franeckeranus*, per literas eum ad Theol. Profeſſionem ſecum *Franeckeræ* ſuſtinendam tentâſſet, honeſtè recuſavit, Magiſtratu & Eccleſiâ *Sylvæducenſi* eum dimittere nolentibus.

Nihilominus Dei providentiâ *Friſiæ* eum deſtinaverat. Nam M. Nov. A. 1642. Illuſtres Ordines *Friſiæ* decreverunt eum vocandum in ſucceſſorem D. *Gomari*, biennio antè mortui, eâque de causâ ablegârunt eò D. *Tobiam Andreæ*, Profeſſorem *Gröningenſem*, qui dextrè ſuperatis variis, quæ incidebant, difficultatibus, effecit, ut *Mareſius Gröningam* venerit, ibique 20. Jan. A. 1643. unà cum D. *Jacobo Alting*, eodem tempore ad Linguæ ſanctæ Profeſſionem vocato, fuerit inauguratus, habitâ Oratione de *Uſu & Abuſu Rationis in rebus Theologicis & Fidei*.

Gröningæ Theol. Profeſſor.

Triduo pòſt *Sylvamducis* revolavit, & habitâ Concione valedictoriâ, commeatuque impetrato à Synodo *Gallo-Belgicâ*, quæ *Hagæ* convenerat, 1. Maji *Gröningam* appulit cum familiâ ſuâ, & octiduo poſt filiolum ſuum tertium adhùc ex mammâ pendentem *Johannem Carolum* amiſit.

Ibi debitos labores nunquàm intermiſit, niſi A. 1647. quo ad paucos menſes abſuit profectus in *Galliam*, ad parentes valdè ſenes, cœteroſque amicos ſemel reviſendos, poſt abſentiam 18. annorum. Bis Academiæ *Gröning*. Recturam ſuſtinuit, in quarum primâ D. *Henrico Alting* mœſtus parentavit.

A. 1649. triſte ex *Galliâ* accepit nuntium de Patris ſui obitu. A. 1652. Poſt obitum D. *de la Haye*, Miniſterium Eccleſiæ *Gallicæ* ipſi publicâ authoritate commiſſum eſt, & ita membrum Presbyterii evaſit. Anno ſeq. 1653. vidit filium ſuum *Henricum* ex *Haſſiâ* revocatum ad Eccleſiam *Sylvæducenſem*, quæ, quod in patre amiſerat, in filio recuperare ſtuduit.

Gröningæ Miniſter Eccleſ. Gallicæ.

Gröningæ tandem obiit A. C. 1673. ætatis 74. *Moritur.*

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta.

Anno 1623. Sermon de la Prædeſtination, in 2. Tim. 1.

1628. Preſervativ contre la Revolte.

1633. L'eſprit du Bourgmaiſtre Beckmann retourné de l'autre monde &c.

Abbregé de la voye de ſalut.

Apologie & Requeſte pour ceux qui font Profeſſion de la Religion reformée.

Proſopopee ou diſcours de l'eſpeé qui a decapité ſimonet aux Eſpagnols.

Acta Diſputationis habitæ Trajecti inter Anonymum quendam Franciſcanum & Miniſtros Trajectenſes.

1634. Traitté de la proceſſion anniverſaire des Flagellants ſous la conduite des Dominicains.

L'Impoſture Monachale, ou la fable du moinſtre decouverte.

La voix du peuple de Dieu.

Defenſio Pietatis & Sinceritatis Sylvæ Ducenſ.

Monachomachia, ſive *Vindiciæ pro veritate Religionis reformatæ &c.*

La chan-

La chandelle miſe ſous le boiſſeau par le Clergé Romain.

Reſponce facile & peremtoire à l'argument pretendu invincible touchant la lecture des ſainctes lettres en langue vulgaire.

Salus Reformatorum aſſerta.

Brevis ad Theodorum Tranquillum paræneſis.

1637. *Scholæ illuſtris Sylvæducenſis inauguratio.*

1638. *Specimen Juris Conſulti Orthodoxi.*

1640. *Diſſertatio de Antichriſto.*

1641. *Eſchantillon des Maximes du Clergé Romain és Provinces unies.*

Vindiciæ pro ſalute Reformatorum.

Abbregé familier du Catechiſme de Egliſes reformees és Provinces unies.

1642. *Curſûs Philoſophici contracti pars Practica, continens Logicam & Ethicam.*

A. 1642. *Concordia diſcors & Antichriſtus revelatus contra Hug. Grotium.*

Defenſio Pietatis & Synceritatis Optimatum Sylvæducenſium.

1643. *Epiſtola apologetica ad amicum &c.*

1644. *Sapientiæ domus & Epulum ex Prov. 9. ſive Oratio habita in Rectoratu adeundo 23. Aug.*

Oratio funebris in obitum D. Henrici Alting.

1645. *Collegium Theologicum, ſive Breve ſyſtema totius Theologiæ.*

Epigraphe Athenæi Gröning. ſive Oratio habita in Rectoratu deponendo 23. Aug.

Sam. Mareſii ultima patientia tandem expugnata à D. Gisberto Voëtio &c.

1646. *Bonæ fidei ſacrum, contra Voëtium, & Schonckium.*

Theologiæ Elenchticæ in Tirinum nova Synopſis.

Diſſertatio Theologica de uſu & honore ſacri Miniſterii in Eccleſiis Reformatis.

Lingua abortiva à D. Gisberto Voëtio refoſſa &c.

1647. *Biga Fanaticorum everſa.*

Expoſtulatio ad D. G. Voëtium de violatâ fide publica &c.

A. 1648. *Alter tomus Antitirini, cujus prior prodierat A. 1646.*

De Exorciſmis Liber ſingularis, cui adjectæ Diſſertationes tres, de Deo Maozim, de Calice Euchariſtico, & de Precibus pro mortuis.

Quæſtionum aliquot Theologicar. Deciſio Academica.

Munera ſacra ſapientum, ſive Diatribæ tres Theologicæ, de auro, thure, & myrrhâ, quæ Magi ex Oriente Chriſto obtulerunt.

1649. *Theologus Paradoxus retectus & refutatus, contra D. G. Voëtium.*

Popularis ad popularem, ſive Irenæi Simplicii Philadelphi Epiſtola ad D. Petrum Bacca Szattmari Ungarum &c.

Ad Epiſtolam R. D. N. N. ex Tranſſylvaniâ ſcriptam brevis reſponſio.

Stevartus ἐλεγχόμενος, contra Adamum Stevartum, Philoſ. Leydenſem.

1650. *Xenia Academica.*

A. 1651. *Epiſtola Antapologetica pro Synodi Nationalis Dordracenæ judicio de objecto Prædeſtinationis &c.*

Theologus Pacificus, ſive Diſſertatio Theologica de Syncretiſmo, & Conciliatione partium in Religione diſſidentium.

Hydra Socinianiſmi expugnata, ſive Anti-Volckelii Tomus I.

Synopſis veræ Catholicæque doctrinæ de Gratiâ &c.

Diſſertatio Theologica de Peccato in Spiritum Sanctum.

1652. *Auctarium primum Bibliothecæ D. Gisberti Voëtii nuper recuſæ &c.*

Fœderatum Belgium Orthodoxum.

Exegeſis Confeſſionis Eccleſiæ Belgii fœderati.

Munimen Orthodoxiæ & Perſeverantia Evangelicæ.

1653. *Senio ſacrar. Diſſertationum habitarum Gröningæ.*

Hydra Socinianiſmi expugnata, ſive Anti-Volckelii Tomus II.

A. 1654. *Synopſis de Gratiâ.*

1655. *Exemptio Scrupulorum contra Miſſionarios Papæ.*

1656. *Oratio de peſte*

Judicium & Reſponſio Theol. ad Quæſtionem de Canonicis.

Refutatio Fabulæ Præadamiticæ.

A. 1657. *Gratiani Querela ad futurum Concilium.*

De Epiſcopis, de Clericis, de Divortiis &c. contra Prideaux.

1658. *Johanna Papiſſa reſtituta &c. contra Blondel.*

Epicriſis adverſus Dalleum.

Refutatio Papiſmi compendioſa.

De uſu & honore ſacri Miniſterii in Eccleſ. Reform.

1659. *Deciſio Academica de Regimine Eccleſiæ.*

Notæ ſuper Diſtinctiones Caſtanæi.

Videntes, ſeu de Prophetiâ & Prophetis.

1660. *Faſciculus Myrrhæ, continens varios Tractatûs Theol.*

Reflectiones breves contra Nethen.

1661. *De Reconciliatione inter ſe & Voëtium.*

1662. *Protrepticon contra Mareſium.*

Syſtema, ſeu Collegium Theologicum.

1663. *Obſervationes ad Colloquium Haſſo-Caſſellanum.*

1664. *Chiliaſmus enervatus ad Serarium.*

JOHANNES MÜLLERUS. Obiit A. C. 1673.

Uratislaviæ Sileſiorum metropoli vagire cœpit infans 6. Junii A. C. 1598: Patre *Caſp. Müllero*, qui cum juvenis Imp. *Rudolpho II.* miniſteria ſua probâſſet, poſteà civis boni nomine apud *Urbatislavienſes* innotuit. Matrem habuit *Agatham Blumendorfiam*, Mercatoris *Uratislav.* filiam.

Poſtquàm in patriâ literarum humaniorum fundamenta ſub Præceptoribus *Petro*

Theol. ſtud. Uratislav.

Kirſtenio, *Thomâ Sagittario*, *Jeremiâ Tſchondero*, *Petro Gothardo*, *Georgio Seidelio*, *Davide Rhenifio*, & *Eliâ Majore* poſuiſſet. An. C. 1616. ætatis 18. voto piè ſuſcepto totum ſe ſacræ Theologiæ dedebat, jam dum in patriâ *Zachariæ Hermanno* utrique, alteri Paſtori *Eliſabethano* & Inſpectori, alteri ſummo Eccleſiæ Oratori adhærens. An. 1618. *Wittenbergam* veniens, omne illi inter libros terebatur tempus, quod non Magiſtris tribueret.

Philoſ. Magiſter Wittenbergæ.

Ibi anno mox ſeq. à Philoſophorum Ordine Magiſtri titulum obtinuit, ſexto inter 32. Candidatos loco poſitus. Indè *Lipſiam* progreſſus, nec multo pòſt tempore *Wittebergam* reverſus, Adjuncti Philoſophici dignitatem accepit.

Adjunctus Philoſ.

Hinc famâ ejus latiùs erumpente, inque aulam ipſam Sereniſſ. Elect. *Sax. Joh. Georgii* penetrante, A. 1622. dignus habitus eſt, qui *Jacobo Martini* in Profeſſione Philoſophiæ Practicæ, quam tunc Theologicâ cum *Hunnii* Cathedrâ permutaverat, ſucceſſor fieret. Incola tunc fuit Muſæi, quod in *Auguſtini* cœnobio Larem D. *Luthero* præbuit.

Philoſ. Moralis Profeſſor.

Theol. Licentiatus.

A. 1624. Ibidem Licentiati elogio ornavit cum *Jacobus Martini*, poſtquàm ſub Præſide *Balthaſ. Meiſnero*, *De magno pietatis myſterio*, quod Deum in carne manifeſtatum pandit, Diſputationem defendiſſet.

Doctor Theol.

Anno poſteà 1641. *Wittenbergæ* unà cum Theologis *Uratislavienſibus Ambroſio Moibano*, *Johanne Auriſabro*, & *Johanne Fleiſchero*, Theol. Doctor renuntiatus eſt. Intereà A. 1627. *Hamburgum* vocatus, *Valentino Wudriano*, Eccleſiæ S.S. *Petri* & *Pauli* Paſtori demortuo ſubrogatus eſt, denominatus poſteà Paſtor primarius, ſenior Miniſterii, & Scholarum Eccleſiarumque Inſpector.

Paſtor primarius Hamburgi.

Eo dum fungeretur munere, literas frequentes accepit à Principibus *Brunſvicenſibus*, *Friderico* & *Auguſto*, *Chriſtiano Wilhelmo Brandeburgico*, *Friderico Holſato*, *Adolpho Johanne Palatino*, quibus ſupremam Eccleſiarum ſuarum Ephoriam obtulit unus, alius ſuper arduis religionis capitibus popoſcit conſilium.

Magnatibus charus.

Fridericus III. Rex *Daniæ* ſuâ manu epiſtolâ ſcriptâ, quàm gratum dedicatum ſibi *Judaiſmum* haberet, teſtatus eſt. *Guſtavus Adolphus*, *Suecorum* Rex glorioſus, incredibili amore proſequebatur eum, quem & retinere ſecum cupiebat, & aliquando in cubiculo ſuo ultra bihorium protracto alloquio, hortabatur eum, eodem animo pergeret Eccleſiam ſcriptis vindicare, quo ipſe in aſſerendis regionibus ferrum ſtringeret.

Conjugium ejus & Liberi.

A. 1623. *Witteberga* conjugem ipſi dedit virginem *Sophiam*, *Eraſmi Schmidii*, Math. Prof. filiam, cum quâ quinquennium ferè exegit, ex eâque 4. liberos ſuſcepit: in vivis verò reliquit filium homonymum, *Neogammenſium* Paſtorem, & filiam *Sophiam*, M. *Georgio Hopio*, *Lunæburgenſium*, dum viveret, Eccleſiaſtæ nuptam.

Hujus conjugis diſpendium A. 1629. *Andreæ Morsheuſeri*, Senatoris *Suinfurtenſis* & *Moguntiæ* poſteà Conſulis filia, *Anna Maria*, abundè ſarcivit, quam exacto 35. annorum conjugio, & trium ex ipſâ filiorum filiarumque 7. parens factus, ætate ingraveſcente extulit. Ex his liberis filius M. *Hieronymus Müllerus*, paternæ virtutis exemplum, *Hamburgi* ad D. *Nicolai* Antiſtes factus eſt.

Filiarum natu maxima *Anna Catharina*, Dom. *Danieli Ludemanno*, Doctori Theologo, Ducatuumque *Bremenſis* & *Verdenſis* Superintendenti Generali, & Præſidi Regii Conſiſtorii *Stadenſis* nuptum data. Altera Dom. *Johanni Schwenckio*, Theol. Licentiato, & *Lipſienſi* quondam Profeſſori, pòſt *Lunæburgenſi* ad S. *Johannis* Paſtori elocata in matrimonium.

Tandem in S. *Michaëlis* Archangeli feſto, dum in templo verſaretur, verba mox de ſanctis angelis in ſuggeſtu facturus, morte repentinâ ſublatus exſpiravit *Hamburgi* A.C. 1673. ætatis 75. *Moritur.*

Scripta ab eo relicta & edita ſunt ſequentia: *Scripta.*

Admonitio de vitandâ doctrinâ Pontificiâ.

Refutatio Objectorum Pontificiorum, quibus conantur Lutheranam doctrinam ſuſpectam reddere.

De Sacrificio Miſſæ Pontificio vitando Libellus.

AntiJanſenius, & ejus Prodromus.

Exegeſis A. C. Pontificiis & aliorum erroribus oppoſita.

Lutheri defenſio contra Carolum Creutzium Soc. Jeſu Theol.

De Quackerorum religione & impietate Scriptum.

Judaiſmus.

Anabaptiſmus.

Atheiſmus devictus.

Admonitio de cavendo libro Eliæ Prætorii.

Probatio Spiritûs Prætoriani.

Confutatio commenti humani, de humani generis majori parte æternæ damnationi ex deſtinato divino addictâ.

* *Ex Oratione funebri Samuelis Benedicti Carpzovii Prof. publ. Wittenbergæ A. 1674. habitâ.*

CONRADUS WENDLERUS.

Obiit A.C. 1673.

MUndum ingreſſus 13. Junii A. 1597. *Molwitzii*. Patrem habuit *Johannem Wendlerum*, *Moderwitzii* per 38. annos Eccleſiæ Paſtorem, Matrem *Rebeccam*, Dom. *Chiliani Mülleri*, Eccleſiæ Paſtoris *Burckersdorfii* filiam.

A. ætatis ſexto ſcholam vicinam *Neoſtadii* frequentare cœpit, quam quotidie non ſine moleſtiâ adivit, Præceptores fideles nactus, Rectorem *Mich. Köcherum*, & Conrectorem M. *Eraſmum Hartmannum*, poſteà verò M. *Joſephum Clauderum*, Conrectorem, quem *Diſcipulus ſcholæ Neoſtad.*

Altenburg. quem poſteà *Altenburgum* ad Rectoris officium diſcedentem comitatus eſt.

Studioſus Jenæ. Hujus impulſu poſteà, poſtquàm Orationem valedictoriam de *Artibus liberalibus* habuiſſet, Academiam *Jenenſem* adivit, in quâ quadriennium ferè commoratus, Lectiones Dnn. Profeſſorum Philoſophicas & Theologicas diligenter audivit.

Ibi præceptorem egit M. *Philippi Zeiſoldi, Fabiani* filii, poſteà Paſtoris Eccleſiæ *Gölnitzenſis*, cujus tunc etiam fratri M. *Johanni Zeiſoldo*, poſteà Phyſicæ Profeſſori celebri, familiariter innotuit.

Philoſ. Magiſter Wittenbergæ. Exindè A. 1622. *Wittenbergam* progreſſus, gradum ibi Magiſterii, Decano M. *Ægidio Hunnio*, cum honore conſecutus, mox miniſterio Eccleſiaſtico ſe addixit, & *Neoſtadii ad Orlam* Paſtori emerito *Jacobo Claudero* A. 1623. ſubſtitutus eſt, eidemq; A. C. 1625. vitâ defuncto, in miniſterio ſucceſſit, poſtquàm à Conſiſtorio *Lipſienſi* ordinatus & confirmatus fuiſſet. *Paſtor Eccleſ. Neoſtadii ad Orlam.*

Ejus Conjugium ſecundum. A. 1623. *Golnitzii* ſponſalia celebravit cum virgine *Eliſabethâ*, Dom. *Fabiani Zeiſoldi* filiâ, ex quâ 7. filios & 5. filias ſuſcepit, ex iiſque 29. nepotes vidit. Sed 5. filios & 2. filias in primâ ætate per mortem amiſit. Filius *Johannes*, Paſtor Eccleſiæ *Neuboſienſis* A. C. 1664. ætatis 37. obiit. Eodem anno conjugem morte ſibi ereptam cum dolore vidit.

In diario ſuo ſcriptum reliquit, quod miniſterii ſui tempore 7281. Conciones habuerit, & 800. infantes baptizârit. A. 1630. in viâ publicâ pagum quendam concionis gratiâ aditurum vir quidam ſceleratus ex auditoribus ipſius, cujus vitam flagitioſam ſæpiùs officii ratione reprehenderat, adortus, brachium eidem fuſte diffregit. In horreo tandem domeſtico ab alto lapſus, & capite graviter læſus, fruſtra opem Medicam D. *Joh. Petro Pruckelio* ferente, die ſequenti ſpiritum Creatori reddidit 17. Aug. A. C. 1673. ætatis 77. miniſterii 50. *Ex lapſu ab alto obiit.*

* *Ex Concione funebri M. Mich. Stemleri Superintend. Neoſtadii ad Orlam.*

Obiit. A. C. 1673.

ÆGIDIUS WILDIUS.

REichenbachii in *Voitlandiâ* patre cognomine pannifice natus 16. Maji A. C. 1601. anno ætatis 12. per incendium ad extremam miſeriam cum parentibus redactus, à cive quodam opulento receptus eſt in ædes ſuas, ut filium ipſius unicum literis informaret.

Mox in Gymnaſium *Geranum* diſcedens, literis Latinis & Græcis operam dedit. Sed cum ibi propter egeſtatem in piſtrino quodam urbi vicino pueros informando ſe ſuſtentaret, quotidiè tamen ſcholam ingreſſus eſt.

Geræ cauponis famulus. A. 1619. *Geræ* cauponis Senatorii miniſterio deditus, interdiu hoſpitibus accedentibus inſervire coactus, nocte ad Lunæ ſplendorem lectiones ſuas ruminavit, & ope Gymnaſii Rectorum, M. *Hippolyti Hubmejeri*, ac M. *Leonhardi Genſelii*, eos in ſtudiis fecit progreſſûs, ut aliquoties Latinè, Græcè & Hebraicè perorârit.

A. 1622. *Lipſiam* indè diſcedens, & omni ſubſidio neceſſario deſtitutus, Mecœnatem nactus eſt Dom. *Fridericum Metſchium*, Elect. *Sax.* Conſiliarium, quem cum in arce ſuâ *Myblâ* Oratiunculâ Latinâ compellâſſet, mox ab eo 10. florenos dono accepit, totidemque à fratre ipſius Dom. *Theodorico Metſchio*, quâ pecuniâ ditatus in Acad. *Lipſienſi* ſtudiis operam dans, novennium exegit, quotannis à Nob. Dnn. *Metſchiis* 20. florenos accipiens, & aliquot annis Dn. *Zachariæ Schürero*, bibliopolæ celebri, liberos ejus informando inſerviens. Acceſſit ſtipendium Electorale ſtudiis ejus ſubſidium. *Lipſiæ ſtudioſus.*

Lipſiæ Patronum nactus D. *Andream Bauer*, Archidiaconum ad S. *Nicolaum*, & Linguæ Hebrææ Profeſſorem. A. 1624. Primum Philoſ. gradum, & A. 1626. Magiſtrales honores unà cum 25. Competitoribus accepit. *Philoſ. Magiſter Lipſiæ.*

Abindè Collegia privata Philoſophica & Theologica inſtituit, & A. C. 1629. ſub Præſidio D. *Joh. Höpfneri* de *Antichriſto* publicè diſputavit.

A. 1631. *Weiſenſtenii* Concionator, An. 1633. Paſtor & Inſpector *Waldhemii*, & A. 1643. Superintendens *Plavienſis* factus eſt. Ibi poſtquàm domum Paſtoralem & Scholam incendio dudum deſtructas reſtaurâſſet, A. 1651. per D. *Joh. Hülſemannum* ſolenniter inveſtitus eſt. *Superint. Plavienſis.*

A. 1631. Sponſalia celebravit cum virgine *Mariâ, Clementis Clemmii*, Mercatoris *Sörnizenſis* filiâ, ex quâ tres filios & duas filias ſuſcepit, ex iiſque 22. nepotes vivos vidit. Ex filiis natu major *Theophilus*, Theologiæ deditus, in Patriâ Diaconi munus obivit. *Conjugium ejus & Liberi.*

Ad extremum uſque ſenium corporis ſanitate firmâ gaviſus, ex pedis tandem eryſipelate graviter decumbens, viribus ſenſim diſſipatis placidè in Chriſto exſpiravit 4. Sept. A. C. 1673. ætatis 72. miniſt. 42. *Moritur.*

* *Ex Concione fun. Chriſtiani Leisneri, Diaconi Plavienſis.*

SAMUEL VOSSIUS.

Obiit A. C. 1674.

EX nobili & antiquâ familiâ in Ducatu *Megalopurgico* natus eſt *Lupeloviæ* 26. Aug. A. C. 1621. Patre *Valentino de Vos*, hæreditario in *Lupelow*, *Breitenfeld*, & *Görtenſtorff*, Matre *Margarethâ*, nobilis viri *Levini Linſtovii*, hæreditarii in *Gartz*, filiâ, quæ gravida filium quæ pareret, Deo conſecrari, & *Samuelem* nominari mandavit. *Ortu nobilis.*

A. ætatis 12. miſſus à Parentibus ad D. *Lucam Bacmeiſterum*, Ducatûs *Megalopurgici* Generalem Superintendentem, cum hujus filio *Jacobo* Præceptorem nactus eſt M. *Joh. Wittſtockium*, qui triennio pòſt *Fridlandiam* ad Verbi Divini miniſterium vocatus,

Digitized by Google

tus, ſecum eò diſcipulum deduxit, & fratri ſuo tradidit informandum.

Theol. ſtudioſus Roſtochii. A. 1638. poſt matris obitum *Roſtochium*, patris juſſu, conceſſit, & hoſpitio uſus M. *Lucæ Bacmeiſteri*, Theol. Profeſſoris emeriti, ſtudium Theologicum ſedulus tractavit.

Helmſtadii pro gradu Doct. Theol. diſputavit. A. 1646. Juſſu Ducis *Holſatiæ*, *Helmſtadium* diſceſſit, ubi convictor D. *Georgii Calixti* ſeptennium exegit, eoque finito, pro gradu in S. Theol. Doctorali Diſputationem Inauguralem habuit.

A. 1653. Per *Hollandiam* & *Galliam* iter ſuſcepit, quo confecto, triennio pôſt *Gottorpium* reverſus, & paulò pôſt A. 1657. à Principe *Friſiæ Orient. Georgio Chriſtiano*, inter *Generalis Superint. Friſiæ or.* Conſiliarios Conſiſtoriales receptus, & Ducatûs illius Generalis Superintendens conſtitutus eſt.

In eo munere 13. annis exactis, vocante *& Roſtochienſis.* Sereniſſ. Duce *Megalopurgico Guſtavo Adolpho*, circuli *Roſtochienſis* Superintendens Generalis, & Conſiliarius Eccleſiaſticus declaratus eſt.

Mox verò variis morbis, arthritide ſcor*Uxorem duxit.*butica imprimis, correptus, conjugio animum applicuit, & A. 1672. deſponſatus eſt cum nobili matronâ *Annâ Sophiâ Hagemeiſteriâ* viduâ, cum quâ ferè continuis doloribus arthriticis afflictus, tandemque lecto fatali affixus, Doctoribus *Johanne Bacmeiſtero* & *Sebaſt. Wirdigio*, fruſtrà opem ferentibus, *Moritur.* morte placidâ exſpiravit 19. Julii A. C. 1674. ætatis 63. Concione funebri laudatus 26. Aug. ſeq. ab *Henrico Müllero*, Theol. D. & Prof. *Roſtochii*, qui hoc eidem adſcripſit Epitaphium:

Epitaphium.

Hör Wandersmann wohin? hier ſteh
bey dieſer Höle/
Hier ſchläfft der dürre Leib / bey Chriſto
wohnt die Seele
Des Edlen *VOSSIUS*. Der theure Gottes Mann/
Den weder ich noch du nach Würden
preiſen kan/
Den Erd und Himmel liebt/ und auch die
Fürſten loben/
Muß in der Nacht davon / da Wind und
Blitzen toben.
O weh dir liebes Land! Hilff beten/
Wandersmann/
Daß Gott in Gnaden ſchon. Helff beten
wer nur kan.

Obiit A. C. 1675.

NICOLAUS HIERONYMUS ÖLHAFIUS.

NObili & antiquâ familiâ progenitus, vitam auſpicatus eſt *Norimbergæ* 7. Junii A. C. 1637, Patre *Gabriele Oelhafio à Schöllenbach*, Judicii patrii Aſſeſſore primario, & ſuburbii *Wördenſis* Præfecto, Matre *Mariâ Helenâ Baumgartneriâ*, quæ paucis ante filium hunc ſeptimanis, unà cum *Diſcipulus Dom. Marc. Kraëri.* duabus filiabus morte abrepta fuit.

Puer optimæ indolis, ope Præceptoris privati, Dom. *Marci Kraëri*, poſteà Diſpoſitoris ad S. *Laurentium*, literarum fundamenta poſuit adeò feliciter, ut in Auditorio Gymnaſii publico Lectiones publicas Dnn. Profeſſorum cum fructu frequentârit.

A. 1660. Habitâ publicè in eodem Auditorio Oratione valedictoriâ Græcâ, & quidem maximam partem memoriter, in Academiam *Altorfinam* progreſſus, ſtudia Philoſophica, Linguarumque Orientalium feliciter continuavit, & A. 1663. duas *Diſputationes* de *Jure Naturæ & ejus Immobilitate*, alteram de ejus *Indiſpenſabilitate*, publicè propugnavit. *Græcè peroravit. Philoſ. & Ling. Orient. ſtudioſus Altorfii.*

Studium deindè Theologicum auſpicatus, poſtquàm memoriâ præditus excellenti, per decennium Theologi cujuſdam primarii Conciones de verbo ferè ad verbum in chartâ domi concepiſſet, A. 1664. *Altorfio* diſcedens, Univerſitatem *Helmſtadii* celebrem adivit, ibique *Tractatum* locupletem De *Prædeſtinatione* diſputando declaravit, & typis emiſit. *Studioſus Theol. Helmſtadii.*

A. 1667. Reverſus in patriam, concionando ſeſe ſubindè exercuit, & â febre per annum ferè dimidium affligente ſanitati reſtitutus, iter per *Germaniam*, comitantibus eum aliquot Theologiæ Candidatis, inſtituit, & luſtratis Academiis *Heidelbergenſi*, ac *Argentinenſi*, in *Hollandiam* progreſſus, viros eruditos in Academiis illis compellavit.

Argentorati dum viveret, Libellum authoris cujuſdam ſatis noti de *Statu Animarum poſt mortem*, ex S. Scripturæ fundamentis refellendo tempus & laborem impendit.

Ex *Hollandiâ* per *Hamburgum* & *Saxoniam* inferiorem regreſſus, in Academiis *Lipſienſi* & *Jenenſi* Profeſſores primarios ſalutavit.

A. 1670. M. Aprili reverſus feliciter in patriam, mox 22. Febr. anni ſeq. oppidi *Lauffenſis* in ditione *Noribergenſi* Paſtor Eccleſiæ conſtitutus, Dominicâ Ocul. primam Concionem habuit. *Paſtor Eccleſ. Lauff.*

A. 1673. Conjugii inivit ſocietatem cum virgine nobili *Mariâ Magdalenâ*, Dom. *Andr. Pauli Gröſeri*, Præfecti arcis *Noricæ Reicheneccenſis* filiâ, quæ poſt partum gemellorum mortuorum 31. Junii A. 1674. in Chriſto exſpiravit. Hanc eodem anno Mater, binæ ſorores, & frater unicus *Manhemii* in *Palat. infer.* militem agens morte ſublati ſecuti ſunt. *Uxorem duxit.*

Ipſe verò præ mœrore poſt obitum uxoris ex febre catarrhali putridâ conſumptus, accedente malo hypochondriaco à pueritiâ ſibi familiari, poſtquàm Dom. Adventûs concione ultimâ *Lauffenſibus* ſuis valedixiſſet, melancholiâ ex morbo invaleſcente, viribus ſenſim exhauſtis, mundo immundo egreſſus, animam Deo Creatori reddidit 3. Januarii A. C. 1675. ætatis 37. *Moritur.*

Edidit:

Diſputat. de Jure Naturæ & ejus Immobilitate. *Scripta.*

de ejusdem Indiſpenſabilitate.

Tracta t. de Prædeſtinatione.

* Ex

* *Ex Concione fun. M. Job. Geuderi, Poëtæ laur. & Paſtoris Odenſos.*

Dom. *Chriſtoph. Arnoldus*, Theol. & Phil. Prof. *Nor.* hoc ei cum aliis ſcripſit Epitaphium:

Epitaphium,

Is qui plus Olei *quàm vini abſumpſerat: Is qui*
Infundens Oleum *vulnera ſana dedit:*
Cujus mens Oleo *fuerat tranquillior: & qui*
Sedulus haud Oleum *perdidit, aut operam:*
Cujus cor Oleo, *ceu lampas luce repletum eſt;*
Hîc Sponſum aſpectat, donec adeſſe velit.
Conditur in crypta, velut igne Lucerna *perenni,*
Ut, ſi lux mundi venerit, illa micet.
Illa quidem fracta eſt, Olei *ſed ſervat odorem*
Teſta diu, donec cingat Oliva *caput.*

Obiit A.C. 1675.

LUCAS GERNLERUS.

B*Aſileæ* 19. Aug. A.C. 1625. mundum ingreſſus, Patrem habuit Dom. *Johannem Gernlerum*, Eccleſiæ ad D. *Petri* Paſtorem fidelem, Matrem *Mariam*, Dom. *Henrici Juſti*, itidem Eccleſiæ *Petrinæ* Paſtoris filiam, quæ A. C. 1629. peſte *Baſileæ* ſæviente cum 10. liberis obiit.

Baſileæ Magiſter Art. Pro Miniſterio examinatus. Genevæ Germanicè concionatus. Briſaci Eccleſ. Reform. Miniſter.

Lucas hic ſuperſtes ſtudiis in patriâ deditus, A. 1642. Magiſter Artium renuntiatus eſt. Abindè S. Theologiæ ſtudium tractans, & A. 1645. pro Miniſterio examinatus, *Genevenſem* Academiam adivit, in quâ per anni circiter ſpatium commoratus, ſæpiùs Concionibus *Germanicis* ſeſe exercuit. Exindè per *Galliam*, *Angliam*, & *Hollandiam* peregrinatione ſuſceptâ in patriam feliciter rediit. Mox *Briſacum* à Dom. *Erlachio* Generali Locum tenente vocatus, Eccleſiæ ibi Reformatæ Miniſterio fideliter functus eſt usque ad Generalis obitum.

Baſileæ Diaconus communis. Archidiaconus. Antiſtes, & Theol. Profeſſor. Theol. Doctor

In patriam tunc revocatus mox A. 1652. Diaconus communis, A. 1653. Archidiaconus in Templo primario, & A. 1656. poſt obitum D. *Theodori Zwingeri* Eccleſiæ *Baſileenſis* Antiſtes ſive Concionator primarius, eodemque anno 25. Januarii Theol. Profeſſor, nondum 30. ætatis annum egreſſus, Patre ipſius adhuc vivente electus, 22. April. ſeq. habitâ prius *Diſputatione* Inaugurali De *Fœdere DEI*, per D. *Wetſtenium*, Venerandæ Facultatis Theologicæ Seniorem, in S. Theol. Doctorem ſolenniter promotus eſt.

In jubilæo Acad. Rector peroravit. Conjugium inivit.

Bis intereà Rectoratum Academiæ cum laude adminiſtravit, & ſexies Decanatum in Collegio Theologico. A. 1660. M. Aprili, cum *Baſileæ* Jubilæum Academicum ſub auſpicatum ingreſſum tertii ſeculi multis Orationibus & exercitiis Academicis ſolenniter celebraretur, *Gernlerus* primâ tunc vice Rector Magnificus publicè peroravit De Academiæ *Baſileenſis* Origine & Progreſſu.

A. 1654. 13. Jan. Conjugii ſocietatem inivit cum virgine *Mariâ Magdalenâ*, D. *Theod. Zwingeri*, Theol. in patriâ primarii filiâ, quæ 8. ei filios cum filiâ peperit, ex quibus filios modò binos & filiam cum matre ſuperſtites reliquit.

Conciones ab eo habitæ.

Theologus exemplaris dum Archidiaconus eſſet, Evangelia Dominicalia & Epiſtolam *Pauli* ad *Epheſios* concionibus declaravit: Antiſtitis munere functus, in Concionibus Dominicalibus manè habitis Evangelium *Matthæi* & *Johannis* usque ad *Cap.* 15. in Concionibus die Martis haberi ſolitis *Librum utrumque Samuelis*, & *Lib. I. Moyſis* usque ad *cap.* 19. & in Concionibus Precum *Hoſeam*, *Zephaniam* & *Michæam* Prophetas interpretatus eſt.

Conciones de Peſte edidit.

A. 1667. & 1668. Peſte *Baſileam* urbem devaſtante, *cap.* 24. *lib. I. Samuelis* 30. Concionibus tractavit, quas ipſe typis emiſit.

Lectiones ejus Academicæ.

Ultra 100. quoque Conciones funebres, quas habuit, typis editas legere licet. In Academiâ Locos Communes & Controverſias Theologicas tractavit. Prophetam quin etiam *Danielem* ad *cap.* usque 12. perſpicuè declaravit.

Moritur.

Cum tandem paucis modò diebus æger decubuiſſet, morte placidâ extinctus, ſpiritum Deo Creatori reddidit 9. Febr. die, A.C. 1675. ætatis 49. cum dimidio.

* *Ex Concione fun. M. Job. Jac. Ubelini, Eccleſ. Paſt. ad S. Mart.*

Obiit A.C. 1675.

CASPARUS MAURITIUS.

N*Atus eſt A.C. 1615. 2. Martii in Urbe *Tundern*, Ducatûs *Sleſwicenſis*, ex familiâ honeſtâ. Patre *Johanne Mauritio*, Matre *Annâ Oeterſſen*; Puer in ſcholam *Tunderenſem* miſſus, fundamenta Latinæ & Græcæ jecit Linguæ haud aſpernenda.

Lubecam ſtudiorum causâ mittitur; Roſtochium,

Anno ætatis 16. *Lubecam* miſſus eſt, ubi *Johannis Kirchmanni* Præceptor conſtitutus eſt domeſticus. Indè poſt biennium Academiam adiit *Roſtochienſem*, ubi Linguarum, Philoſophiæ & Theologiæ non primordia tantùm, ſed & notitiam ſibi acquiſivit non vulgarem. In hiſce verò ibi diſciplinis Præceptoribus uſus eſt *Job. Quiſtorpio* Theol. D. *Job. Cothmanno* Theol. D. & *Heinio*, Linguæ Hebrææ Profeſſore.

& Regiomontium.

Dein *Regiomontium* ob *Cœleſtinum Miſlentam* & *Johannem Behm*, Theologos celeberrimos, & celeberrimam Academiam profectus eſt, ubi anno 1638. Magiſterii ornatus eſt honore.

Conrector Scholæ.

A. 1639. Conrectoris munus in ſcholâ principis patriæ *Bordsholmenſi* per triennium obivit.

Profeſſor Logicæ Roſtochienſis. Nubit.

Dein an. 1644. *Roſtochii* profeſſionem in ſe ſuſcepit Logicam, inque ſociam ſibi vitæ elegit virginem *Catharinam*, *Chriſtiani Michaëlis*, Paſtoris ad D. *Jacobi* & Superintendentis *Roſtochienſis* filiam, quæ quatuor ipſi filios, tres verò filias peperit.

Theol. Doct. & Profeſſor.

A. 1648. Diſputationem pro licentiâ, ut vocant, in facultate Theologicâ habuit, nec multò poſt laureâ coronatus eſt doctorali. Archidiaconus dein, biennio abſoluto, conſtitutus eſt in æde Marianâ, ſimulque Profeſ-

 ſor

ſor Theologiæ in locum D. *Quiſtorpii* paulò antè demortui.

Superint. Roſtochienſis.

A. 1653. Paſtor ejuſdem; anno verò 1656. Superintendens omnium *Roſtochienſium* Eccleſiarum factus eſt, donec tandem an. 1662. M. Auguſto Paſtoris Eccleſiæ apud D. *Jacobum Hamburgi* munus ad extremum uſque vitæ halitum tanto labore, quanto emolumento, utroque vero ſummo, in ſe ſuſcepit.

Paſtor Eccleſ. Hamburgenſis.

Scripta.

Obiit tandem 14. Aprilis an. 1675. ætatis ſuæ 60.

Catalogus lucubrationum
Caſpari Mauritii.

Diſput. Logic. Polit. &c. habitæ in Academ. Roſtoch.

Decas Diſputat. in Form. Concordiæ.

Exercitatio ſecularis de Simoniâ. Roſtoch. 1658.

De officio Chriſtianorum Elenchtico. 1660. Roſt.

Exercitationes Anti-Calvinianæ. Roſt. 1665.
Socinianæ. Hamb. 1669.

Lutheri Catechiſmus-Lehre. *Hamb. 1675.*

Der beſte Weg zur Reinigung / Erleucht- und Vereinigung. *Hamb. 1676.*

* *Ex vitâ Caſpari Mauritii breviter ante ultimum ejus ſcriptum congeſtâ.*

Obiit A. C 1675.

MATTHÆUS SCHMOLLIUS.

Filius Theologi.

STyræ in *Auſtriâ ſuper.* 12. Martii A. C. 1610. natus, patrem habuit Virum Reverendum *Matthæum Schmollium*, Concionatorem ibidem Evangelicum; matrem adhùc ſibi ſuperſtitem 91. annorum.

Cum A. 1615. Pater ipſi per mortem fuiſſet abreptus, à matre in pietate educatus, cum eâdem A. 1624, exortâ fidei in *Auſtriâ* reformatione, *Martinibergam* in ditione Comitum à *Sinzendorf* ſe contulit, & ſcholâ propter inopiam carens laboribus domeſticis indulgere, & pecudum paſtorem agere coactus eſt.

Puer exul paſtor pecudum.

Juvenis Paſtor animarum.

Sed cum Deus Paſtorem animarum conſtituere decreviſſet eum, accidit, ut cum duobus ex ſuis condiſcipulis cum viatico 7. florenorum à matre ſibi dato diſcedens *Ratiſbonam* A. 1625. venerit ad Dom. *Petrum Portnerum* Senatorem, à quo aliquandiu in ſtudiis ſuſtentatus, A. 1630. beneficium Alumnorum conſecutus, & A. ſeq. 1631. in Academiam *Jenenſem* profectus, Lectiones ibi publicas & Collegia privata diligenter excoluit, & ſub D. *Joh. Gerhardo* in Collegio Iſagogico *De Angelis* publicè diſputavit.

Alumnus Ratisbonæ. Studioſus Theol. Jenæ.

Ibi per biennium menſâ communi victitans, & à Magiſtratu *Ratisbonenſi* ſtipendium *Scholtzianum* ad triennium adeptus, A. 1636. *Ratisbonam* rediit.

Eccleſ. Miniſter Ratisbon.

Tunc cum *Eraſmo Grubero*, poſteà Superintendente *Ratisbonenſi* per annum Concionatorum vices egit, & ambo A. 1637. ad Verbi Divini Miniſterium vocati, & more Chriſtiano 5. Decemb. ſolenniter ordinati ſunt.

Conjugium ejus & Liberi.

A. 1638. Sponſalia *Ratisbonæ* celebravit cum virgine *Mariâ Salome*, nobilis Viri Dom. *Chriſtophori Wideri* filiâ, quam cum filio tribusque honeſtè elocatis filiabus reliquit ſuperſtitem.

Senior Miniſterii.

Concionatoris fidelis munere ad vitæ ſuæ finem functus, & tandem Miniſterii Senior, cum paucis modò diebus æger decubuiſſet, lætus in Chriſto exſpiravit 30. Julii A. C. 1675. ætatis 66. miniſterii 38.

Moritur.

MATTHÆUS SCHMOLLIUS.
Per anagr.
Hem micat ſalus ut ſol.

Obiit A. C 1675.

GERLACUS SIASIUS.

Locus nativitatis.

NAtus eſt anno ſeculi 1631. die 19. Octobris *Goltſuardiæ* in territorio *Oewelgönne*. Patrem habuit probatæ fidei & vetuſtiſſimi moris virum *Dodonem Siaſium*; Matrem nactus eſt inculpatiſſimis moribus fœminam, *Vibicam Almers.*

Hi Genitores ab educandis rectè liberis, ſolidam raramque gloriam petierunt, ideoque ſingulari charitate adniſi ſunt, ne filius in teneræ ætatis flexu aliis, quàm qui Chriſto auctoratos decent, aſſueſceret moribus, ideoque ſtatim ac lucem aſpexerat, ritu ſacro piorum cœtui initiat, non intermiſſa precum repetitione, Superum curæ ac tutelæ cunas commendârunt, quibus cùm læta eum exemiſſet pueritia, ne vel ad turpem diverteret cœtum, vel tempora ignava inter otia elaberentur, eos domi aluerunt, qui tenerum ſalubribus præceptis dextrè fingerent animum, & ea traderent præcepta, quibus inniti aliquando poſſet uberior ingenii cultus.

Ad Ludum Oldenburgenſem miſſus eſt.

Viſâ autem indole pueri non vulgari, cùm ad legitimam perveniſſet ætatem, erudiendum literis impenſius voluerunt, atque ideò ad publicum ludum *Oldenburgenſem* amandârunt, ubi fidâ præceptorum uſus operâ, brevi non obſcuros progreſſus edidit, ita quidem, ut maturus Gymnaſio ſit habitus.

In Gymnaſium Hamburgenſe venit.

Miſſus igitur eſt in Gymnaſium *Hamburgenſe*, ibi Rectorem habuit celebrem D. *Joachimum Jungium*, illum eò devectus toto audivit quadriennio. Anno deinde 1654. *Hamburgenſe* Gymnaſium cum *Roſtochienſi* commutavit Academiâ, & in eâ ultra biennium ſacra tractare, divinarumque rerum ſibi comparare ſcientiam voluit, commodùm nactus Theologos, Dn. D. *Caſparum Mauritium*, Dn. D. *Hermannum Schumannum*, & Dn. D. *Gerhardum Goſman*, qui illam eo tempore illuſtrârunt Academiam.

Academiam Roſtochienſem viſitavit.

Sed impenſis non reſpondentes, nimiâ tenuitate conſtrictæ Parentum res diutiorem hic moram inviderunt, attrito igitur variis incommodis patrimonio, aliunde ipſi proſpiciendum fuit, unde fortunam ſublevaret, ut cœpta ſtudia non promovere modò, ſed & commodius tractare poſſet. *Hamburgi*

Ephebis aliquot Hamburgi præfectus eſt.

burgum igitur reverſus eſt, ac eruditione ſuâ impetravit, ut Patritiis aliquot Ephebis præficeretur, promiſsâ ſtudia ipſorum ac vitam regendi operâ.

Hoc munere, per tempus non adeò breve, defunctus, tam dextrè horas à diſcipulorum curâ vacuas ſibi impendit, ut nec ſe, nec illos debito fraudaret cultu.

Et jam diu inter ſuos non viſum ſuavis ille patriæ ſollicitavit amor, effecitque, ut natale ſolum reviſeret. Ibi ſtatim eam oſtendit & eruditionem & ſacræ eloquentiæ vim, quô Illuſtrisſimi atque Excellentisſimi Comitis *Günther* ſic ſibi devinxerit animum, ut lauti muneris ſpem faceret, modò in illâ ſuâ patriâ quieſcere animum ſervaret.

Mox enim certo cujusque ſeptimanæ die, ex præſcripto Sacrorum Antiſtitis, ſacros ad populum ſermones habuit, & alias nullum ferè effluere paſſus eſt, quo non vel in publico, vel privatim cum Doctis eruditos conferendo ſermones, nullis ſe emolumentis inferiorem monſtravit.

Quieſcere hìc voluit, ſed fortuna ejus noluit. Falli quippè augurio ſpem ſuam vidit, dum ſacro muneri, in quo alterius diu vices geſſerat, nullâ ſui habitâ ratione, potentiori ſublevatus faventiâ, alius deſtinatus eſt. Leviter tunc increpatâ fortunæ licentiâ ſeipſum ſtatim erexit, animumque ſumpſit, ſuo periculo experiundi, an forti viro ubique patria eſſet? Vicinas ideò adiit gentes, annoque 1666. Illuſtrisſimi Comitis *Leonhardi Lilie* familiam augere cœpit, atque ejus in aulâ Concionatoris fungi munere.

Comitis Lilie Concionator fuit Aulicus.

Eò rebus humanis exempto, Illuſtrisſimo atque Excellentisſimo Heroi *Carolo Guſtavo Wrangel*, ſupremo exercitûs *Suecici* Imperatori, ſe addixit, ſacrique Oratoris ſuſcepit provinciam.

Caroli Guſtavi Wrangel ſacri Oratoris provinciam ſuſcepit.

Sed dum in *Sueciâ* ſtrenuè ſuis functus eſt partibus, humilia in adulationem ſubmittere verba neſcius, paucorum adverſum incurrit animum, quod cum animadverteret, maluit quietus pati omnia, quæ ſors iniqua cogeret, quàm cum potentiore ex jure agere, ideoque & munere ſe ſuo abdicavit, & alibi patriam ſibi quærere conſtituit, ex bonâ conſcientiâ, ex honeſtis conſiliis, ex rectis rationibus nunquam natam fuiſſe miſeriam ratus.

Munere ſe ſuo abdicavit.

Nec fefellit opinio, hæc ipſum fortunæ injuria magnæ Principis genio propiorem adſtituit. Solvit è *Suecico* littore cum ſuis *Amſtelam* verſus navigaturus, cujus ad ripas immenſis ſe opibus inter præcipua orbis emporia effert oppidum, in quo *Auguſtanæ Confeſſioni* addicti ad eam excreverant multitudinem, ut ſacerdotum augeri numerum impar tanto cœtui paucorum Antiſtitum non ſuffectura opera juberet. Hic profiteri nomen & de novo fortunam experiri conſtituit.

Sed cum ad *Codani* ſinus anguſtias, quô vehebatur, ſubſtitiſſet navigium, famâ urbis captus *Hafniam* divertit, & ſacro procul dubio vaticinante ſpiritu, quem bonorum maiorumque noſtrorum obſervatorem intra nos ſedere piè credimus, Auguſtisſimæ Reginæ *Sophiæ Amaliæ* piæ Regis Matri opportunè ſe oſtendit, ſacroque ex pulpito audiri petiit. Annuit, quemadmodum ſolet, clementisſimè, ut heroicarum virtutum omnium, ita pietatis gloriâ inclyta Princeps, approbatoque dicendi genere & liberali conſtituto ſtipendio, nihil minùs quàm lætam adeò ſuæ ſortis mutationem ſperanti Concionatoris Aulici dignitatem aſſeruit.

Hafniam divertit.

Hac ille ſpartâ biennium cum ſemeſtri defunctus, Auguſtæ Dominæ ita ſuum obſequium, ita toto tempore ſacra tractandi approbavit dexteritatem, ut dignum judicaverit, quem Regiâ ſuâ & magnanimâ porrò foveret beneficentiâ. Contigit interim ad cœleſtia evocari religioſisſimum Virum *Hieronymum Bueckium*, ad templum, quod Divo *Petro* majorum ſacravit religio, Paſtorem primarium, cui cum dignum ſucceſſorem *Germani* hujus urbis incolæ optarent, in oculis & votis nemo magis, quàm Siaſius fuit, eoque progreſſa eſt ſaluti ſuæ rectè proſpectum cupientium neceſſaria viſa audentia, ut ad Regium devoluti tholum, eum animabus ſuis Præfectum petierint.

Reginæ Daniæ Concionator Aulicus conſtitus.

Indulſit facilè qui ſubjectorum æqua poſtulantium vota nunquam diſcruciat Regum maximus, additoque mandatô flagitantibus Paſtorem dedit. Solemnium initiorum celebritatem die Novembris 1673. peregit Vir admodum Reverendus ac Celeberrimus, cœlitibus nunc adſcriptus, *M. Jacobus Faber*, ad ædem divæ Virginis tunc Paſtor primarius, & Præpoſitus *Sockelundenſis*.

Ad divum Petrum Paſtorem egit.

Ex eo tempore nondum effluxit biennium, breve omninò tempus, quo virtutum ſuarum magnitudinem oſtenderet, nec ſatis patulum, ut earundem multitudinem conſpiciendam præberet, magnum & incomparabile exemplum divinæ eloquentiæ daturus, ni productiora vitæ ſpatia invidiſſent, quæ fata noſtra nectunt cauſæ. Utut autem brevis & anguſtior fuerit vita, æternam tamen præſtitit, qui ipſum inhabitavit animus, magnus & ſacer.

Eo animante interritus ſtetit periculis, intactus cupiditatibus, inter adverſa felix, in mediis tempeſtatibus placidus, continuòque tenore unam premendo viam, id eſt, in ultimum usque diem pura ſua omnia ſervando illibatæ dignitatis conſummavit vitam.

Fuit autem fatalis horæ prænuntiata dies 16. Auguſti, quâ primùm ægrè viſus eſt habere, interfuit tamen ſequenti die ſacro, quod in æde Virginis peragebatur, muneri. Sed indè digreſſus clinicus mox factus eſt, morbique gravitate, nullâ Expertisſimorum Medicorum, quorum alii ſtatim, tardiùs alii advocabantur, vel curâ, vel arte ſuperabili, brevi victus, cùm maturè fugienti Animæ ſacro epulo proſpexiſſet, Anno 1675. die 6. Septembris, horâ ferè meridianâ,

nâ, & vivendi & moriendi finem fecit, animamque divinâ origine hauſtam, oneroſi corporis vinculis exſolutam ad ſedes ſuas & cognata ſydera animoſè remiſit. *Moritur.*

* *Ex Programm. funebri D. Olavi Borrichii.*

Obiit A. C. 1675.

HENRICUS MÜLLERUS.

LUbecæ, urbe Imperiali, & mercaturâ celebri A.C. 1631. natus eſt Patre *Petro Müllero*, Mercatore *Roſtochienſi*, Eccleſiæ ibidem ad S. *Mariam* Præpoſito & Sedecimviro, tunc in exilio *Lubecæ* propter turbas bellicas cum uxore *Ilſabe Stubben* vivente.

Cum his parentibus *Roſtochium* reverſus, in Linguis ibi Orientalibus & Philoſophicis ſub Præceptoribus D. *Joach. Lutkemanno*, & M. *Mich. Falckio*, ſtudiorum fundamenta poſuit.

Studioſus Grypswaldiæ. A. 1647. Suaſu Dom. D. *Johannis Quiſtorpii*, Theol. Prof. & Superintendentis in patriâ celebris, Academiam *Pomeraniæ Grypswaldenſem* adivit, in quâ triennio commoratus, D. *Joh. Beringii*, Theologi clariſſimi, informatione & menſâ uſus, 4. intereà Diſputationes ſub Præſidio Theologorum D. *Beringii* & D. *Batti* publicè defendit.

A. 1650. In patriam à Parentibus revocatus, Collegia Theologica D. *Caſp. Mauritii* & D. *Auguſti Varenii* ſedulus excoluit. An. 1651. Decano D. *Joh. Corfinio* Magiſter Philoſophiæ ſolenniter creatus, Academiam *Lipſienſem* adivit, ubi convictu uſus D. *Joh. Benedicti Carpzovii*, aliorum etiam Theologorum D. *Chriſtiani Langii*, D. *Joh. Hülſemanni*, & D. *Martini Geieri* informatione ac converſatione feliciter gaviſus eſt. *Magiſter Philoſ.*

Exindè *Wittebergam* excurrens D. *Abrah. Calovio*, & D. *Joh. Meiſnero* familiariter innotuit. Mox verò *Lipſiam* reverſus ſub Præſidio D. *Carpzovii* publicè diſputavit.

In patriam deindè reverſus A. 1653. Templi ad S. *Mariam* Archidiaconus à Senatu conſtitutus, anno ſeq. conjugii ſocietatem iniit cum virgine *Margarethâ Eliſabethâ*, Dom. *Mich. Siebrandi*, civis honeſti, filiâ unicâ, ex quâ 5. filios cum filiâ ſuſcepit, ſed tres tantùm filios *Joh. Michaëlem* J. U. ſtudioſum, *Henricum*, & *Caſp. Matthæum*, ſuperſtites reliquit, duos verò filios *Petrum*, & *Chriſtianum Bernhardum*, cum filiâ *Catharinâ Eliſabethâ* præmiſit. *Archidiaconus Roſtoch. Uxorem ducit.*

Ling. Græcæ Profeſſor Roſtochii. Theol. Doctor. A. 1659. Profeſſor in Patriâ Linguæ Græcæ factus, anno ſeq. Doctoris Theol. Gradum *Helmſtadii* cum applauſu totius Academiæ adeptus eſt.

A. 1662. D. *Caſparo Mauritio*, Superintendenti & Eccleſiæ ad S. *Mariam* Paſtori *Hamburgum* vocato ſucceſſit, & paulò pòſt Profeſſor Theol. publicus cum ſummo omnium applauſu conſtitutus eſt. *Theol. Profeſſor.*

Superint. A. 1671. Vitâ defuncto M. *Joh. Kentzlero*, Superintendentis in patriâ munus obtinuit. Vocationes intereà diverſas ad alia loca, patriæ amorem præferens, recuſavit. In Academiâ Rectoratum ter adminiſtravit. Sæpiùs autem malo hypochondriaco afflictus, illo tandem in ſcorbutum degenerante, fruſtrà ferentibus opes Medicas Dom. D. *Johanne Bacmeiſtero*, Dom. D. *Sebaſt. Würdigio*, & Dom. D. *Bernhardo Barnſtorfio*, poſtquàm uxori & filiis ultimum vale dixiſſet, lætus in Chriſto exſpiravit die 23. Sept. A.C. 1675. ætatis 44. *Moritur.*

Morti proximus non meminiſſe ſe, quòd per vitam ſuam diem lætum habuerit, dixit.

Ingenii monumenta ſpiritualia poſteritati ab eo relicta ſunt ſequentia; *Scripta.*

Methodus Politica.
Orator Eccleſiaſticus.
Theologia Scholaſtica.
Jeſus patiens.
Quæſtiones ſelectæ.
Cauſa Auguſtorum contra Rom. Pontificem.
Harmonia veteris & novi Teſtamenti.
Tractatus de Conjugio Clericor.
De Baptiſmo pro mortuis.
De Berengarianiſmo.
Der Himmliſche Liebes-Kuß.
Die Creutz-Schul.
Die Seelen-Muſic.
Die ungerathene Ehe.
Die Geiſtliche Erquickſtunden.
Der Danck-Altar.
Die Apoſtoliſche und Evangeliſche Schluß-Kette.
Die Threnen- und Troſt-Quelle.
Die Göttliche Liebes-Flamme.

* *Ex Concione fun. Ludov. Barclai, Archidiaconi Roſtoch.*

Obiit A.C. 1676.

JOHANNES FABRICIUS.

MUndum per nativitatem ingreſſus 31. Martii A. C. 1618. Patrem habuit Reverendum virum Dom. *Johannem Fabricium*, Miniſterii Eccleſiaſtici Antiſtitem, & per 38. annos ad S. *Sebaldum* Concionatorem, Matrem *Suſannam Ayreriam*. *Pater ejus, Avus, & Proavus Theologi.*

Avus ejus *Joh. Baptiſta* Paſtor fuit Eccleſiæ *Fürthenſis*, & proavus *Johannes Fabricius*, poſt Eccleſiæ Reformationem *Norібergæ* ſuſceptam, ſecundus ad S. *Laurentium* Concionator D. *Andreæ Oſiandro* ſucceſſit. Eâdem, quâ natus, die ex S. Baptiſmi fonte ſuſceptus eſt à Nobili Viro Dom. *Johanne Nützelio à Sünderſpiel.*

Puer bonæ indolis Dom. *Lemmermanni*, Rectoris ad S. *Sebaldum* privatæ informationi traditus eſt usque ad annum ætatis ſeptimum, à quo tempore Scholam Latinam privatam Dom. *Georgii Burckarti* frequentavit.

A.C. 1630. Dom. *Johannis Gravii*, Gymnaſii poſteà *Ægidiani* Rectoris diſciplinæ ſubditus ſub ejus Informatione aliquoties perorando profectùs ſuos manifeſtavit. *Gymnaſii Ægidiani diſcipulus.*

A. 1634. Univerſitate *Altorfinâ* propter tumultùs bellicos diſſipatâ, *Jenenſem* primâ vice adivit, & *Diſputationem Logicam de tribus* *Studioſus Philoſ. Jenæ.*

bus Gradibus Neceſſitatis ſub præſidio Philoſophi celebris Dom. M. *Stahlii* publicè defendit.

Anno ſeq. 1635. poſtquàm Academias *Lipſienſem* & *Wittebergenſem* perluſtrâſſet, in patriam ad Parentes reverſus, mox in *Altorfinam* regreſſus, convictor Dom. D. *Caſp. Hofmanni*, M. Dec. ejuſdem anni primam Philoſophiæ Lauream, brabeutâ Dom. *Jacobo Tydæo*, Orator. & Poës. Prof. publico inter 4. Candidatos primo loco cum laude adeptus eſt.

Altorfii.

Baccalaur.

Abindè Studium Philoſophicum proſecutus, cum intereà domi Domino Parenti morti proximo miniſtrare cogeretur, *Diſputationem Ethicam tribus Problematibus conſtantem* elaboravit, quam Menſe Januario A. C. 1637. *Altorfii* ſub Præſidio M. *Jacobi Brunonis*, Ethicæ & Linguæ Græcæ Profeſſoris, publicè defendit.

Cum brevi pòſt Dom. Pater ejus anno ætatis 77. morte beatâ vitam finiiſſet, ipſe ad Studia Academica regreſſus, 3. Maji ſeq. *Diſputationem Phyſicam de Analogiâ Macrocoſmi & Microcoſmi*, ſub præſidio Philoſophi & Medici celebris D. D. *Georgii Nösleri* publicè propugnavit, quam Magnificus Dom. Procancellarius D. *Georg. Richterus* non modò præſentiâ ſuâ, ſed etiam Opponentis perſonam agens, & hâc ratione reſpondentis profectus explorans honoravit.

Diſputationem Phyſicam defendit.

M. Junio ſequenti Gradum Magiſterii cum tribus Competitoribus ſolenniter promotore M. *Brunone* obtinuit.

Philoſ. Magiſter.

Ab eo tempore Studium Theologicum feliciter aggreſſus, Dominos Profeſſores D. *König*, D. *Althoferum*, & M. *Weinmannum* publicè docentes ſedulus audivit. Lectionibus etiam tunc publicis D. *Theodorici Hackſpanii*, S. Linguæ Profeſſionem aggreſſi, *Horologium Schickhardi*, & loca præcipua *Pentateuchi* in Collegio privato declarantis intentus A. 1638. eodem Dom. *Hackſpanio* Præſide *Diſputationem ſecundam de Locutionibus Sacris* publicè propugnavit.

Studioſus Theol.

Et Linguæ Sacræ.

M. Junio ejuſdem anni 1638. iterum in Academiam *Jenenſem* profectus, & D. *Johannis Majoris*, Superintendentis, convictu gaviſus, Collegia aliquot Diſputatoria unà cum D. *Joh. Muſæo*, *Baltaſ. Cellario*, & *Chriſtiano Chemnitio*, Theologis poſteà clariſſimis, docente D. D. *Salomone Glaſſio*, frequentavit.

Iterum ſtudioſ. Theolog. Jenæ.

Ibidem 1. Febr. A. 1640. ſub Præſidio Dom. *Joh. Mich. Dilherri*, Commenſalis tunc ſui, Orator. Hiſtor. & Poëſ. Profeſſoris, *Diſputationem Theologo-Philologicam*, cui titulus, *Simia Dei diabolus*, ſive κακοζηλία *Gentilium*, publicè defendit.

Sub præſidio D. Joh. Mich. Dilherri publicè diſputavit.

In Academiam *Helmſtadienſem* deindè progreſſus, Theologorum ibi primarior. D. *Georgii Calixti*, & *Conradi Horneji* favorem ſibi conciliavit, & concionando ſeſe exercere perrexit.

Helmſtadii ſtud.

Patrios deindè lares reviſere cupidus, poſtquam *Brunſvici* menſem in convictu D. *Jacobi Welleri*, Coadjutoris, & poſteà Superintendentis, exegiſſet, M. Jun. A. 1641. feliciter *Noribergæ* appulit: mox verò Concionibus ſuis inclareſcens, ad munus Diaconi *Altorfini* legitimè vocatus, Dom. *Juſto Jacobo Leibnitzio Noribergam* ad ædes ſacras S. Jacobi vocato ſucceſſit.

Noribergam reverſus.

Diaconus Altorfii.

27. April. ſeq. *Noribergæ* nuptias celebravit cum virgine *Suſannâ*, *Matthæi Schüreri*, Notarii publ. filiâ.

Anno 1644. poſt diſceſſum D. *Althoferi*, Generalis Superintendentis *Byruthini*, Profeſſio in Academiâ Theolog. ipſi à Dominis Scholarchis demandata fuit. In hoc & Diaconatûs munere cum ſeptennium exegiſſet, & intereà Syſtema Theologiæ abſolviſſet, ac Materiam *de 4. Statibus hominis* diſputando propalare ſibi propoſuiſſet, in medio curſu A. C. 1649. *Noribergam* avocatus, Concionator ad S. *Mariam* denominatus eſt.

S. Theol. Prof. Altorf.

Noribergæ Concionator ad S. Mariam.

Vocationi huic, invitus licèt, obtemperans, die feſto S. *Bartholomæi*, quo Succeſſor ejus Dom. *Lucas Fridericus Reinhardus*, ipſo adhùc præſente, ad S. Miniſterium ordinatus eſt, Concionem in Templo valedictoriam habuit.

6. Sept. ſequenti, *Noribergæ* Concionem habuit inauguralem ad S. *Mariam*, & die Mercurii ſeq. apud *Dominicanos*. In hoc munere Theologus ſincerus & veritatis amans, pacisque ſtudioſus reſiduum vitæ ſuæ tempus exegit. A multis intereà Theologis primariis per literas de religionis controverſiis arduis requiſitus, omnibus candidè mentem ſuam aperuit.

A. 1657. Uxorem morte beatâ ſibi abreptam extulit, quæ 4. ipſi filios, totidemque filias peperit, ex quibus duo tantùm filii *Johannes* & *Georgius*, ambo Theologiæ dediti, ſuperſtites manſerunt.

Reliquit filios duos Theologos.

15. Febr. A. 1658. Ad ſecunda vota tranſiit, deſponſatus cum *Suſannâ*, Dom. *Conradi Büttneri*, Scribæ Provincialis viduâ, & D. *Mich. Rötenbeckii* Medici filiâ, quam ſterilem reliquit.

Tandem apud Dominicanos pro more concionem auſpicatus, & verba *Siracidis cap. 37. v. 28. quilibet habet tempus vivendi determinatū* declaraturus, in ipſo exordio mente turbatus cum verbis ultimis, *Homo tibi moriendum!* cathedrâ deſcendit, & in Sacriſtiam æger regreſſus, apoplecticus ſine ſenſu & motu horis aliquot decumbens placidè exſpiravit die 26. April. A. C. 1676. ætatis 58. eâdem horâ, quâ ante 24. annos amico ſuo Academico & tandem Collegæ Rever. Dom. *Iſaaco Jaqueto*, Concionatori ad Spiritum S. Concionem fun. dixit.

In cathedrâ apoplexiâ correptus.

Moritur.

* *Ex Concione fun. M. Conradi Feurlini in munere Conc. Succeſſoris.*

Typis emiſit:

Scripta.

28. Predigten über die Augſpurgiſche *Confeſſion*: Darinn 1. ein Bibliſcher Text erklärt / 2. Der Beweiß des Artickels daraus genommen / 3. Der Nutz deſſel-

ben in unſerm Chriſtenthum gewieſen wird.

Prælectiones Theolog. in locos Philippi Melanchth.

Predigten über den Hiob.

Obiit A.C. 1676.

GEORGIUS WITZLEBIUS.

Natus eſt Ruderſtadii in Thuringiâ.

IN hanc lucem, poſt Annos Chriſti 1616. octavo Menſis Auguſti die, *Ruderſtadii* in *Thuringiâ* prodiit, patremque habuit *Valentinum Witzlebium*, honeſtiſſimi nominis civem, matrem & ipſam optimam fœminam *Catharinam* Peterſen/ quæ annis jam gravis, præpoſterâ naturæ lege, ſuum in luctum filii fatis etiamnum ſupereſſe creditur.

His procurantibus, ſacro ritu, Deo dicatus, infantiæ imbecillitatem neceſſariis ſuffultam præſidiis habuit, donec accreſcens pueritia majorem poſtulaverit ſollicitudinem.

In Patriam ſcholam deductus.

In Patriam tunc ſcholam deductus eſt, ubi ad annum usque ætatis duodecimum eum accepit cultum, quem turbatiſſimorum temporum ratio patriæque bello attritæ promittere ſtatus potuit.

Greusſiam venit.

Mortuo intereà patre *Greuſſiam* venit, ibique bonis literis, quarum amore jam tum flagravit, cum nondum earum deguſtaverat dulcedinem, primùm imbui cœpit.

Sed bellicorum tumultuum interpellatus fragore, cum ſolum vertere coactus, de tutiore ſibi proſpicere hoſpitio voluit. Promiſit autem ipſi ſecuritatem *Erfurtum*, cui ſe credidit, & integrum ibi luſtrum, poſtquam literarum rudimenta evaſiſſet, humanioribus impendit ſtudiis, eâ felicitate, ut, cum ingenii docilitatem ubique oſtenderet, inter exempla habitus, commilitones ſuos præteriret.

Profectus eſt Erfurtum.

Unde factum, quod anno 1634. maturuiſſe Academiæ ſit viſus. Tranſiit indè *Jenam*, ſtudia ſua in apricum & lucem proferre inſtituens, ſed infeſtantibus & illam *Germaniæ* regionem inimicis armis, undè venerat, redire coactus, celeberrimis Viris D. *Meifarto*, D. *Knochheim*, D. *Zapfio*, & M. *Johanni Rauio*, magni nominis Theologis ſe tradidit, eisque præeuntibus ſacra tractare cœpit, quorum brevi talem ſibi comparavit apparatum, ut inſtructiſſimus ſit viſus.

Jenam tranſiit.

Lipſiam & Wittebergam adiit.

Poſthæc *Lipſiam* & *Wittebergam* adiit, ſed ibi dubiam invenit ſecuritatem, *Magdeburgum* igitur divertit, & indè per *Megapolitanum* agrum in *Roſtochienſem* Academiam, quæ altâ tunc pace certum inturbatæ quietis gaudium promiſit.

In Roſtochienſem Academiam divertit.

Nam & pacata invenit omnia, &, quorum præcipuè causâ huc commeaverat, literatorum Procerum numeroſum delectum. Cum iis venire in familiaritatem ſtuduit, addixitque ſe præcipuè his, qui nominis celebritate præſtabant maximè, utpote D. *Quiſtorpio*, D. *Cloſtio*, D. *Cothmanno*, D. *Calovio*, & M. *Samueli Bollio*, à quibus ſolidam in ſe tranſtulit rerum divinarum eruditionem, & majoris interim elegantiæ ergò, ac ne *Arabum* in linguâ hoſpes eſſet, illam profitentem notiſſimum literato orbi *Fabritium* aſſiduus audivit.

Brevis hic ipſi viſa eſt ſexennii mora, cum quotidiè nova incrementa à diſcendi cupido omne averterunt tædium, donec negotiorum cauſa anno 1640. cum creditis ſuæ curæ nobilibus Ephebis in Academiam *Hafnienſem* transfretaverit.

In Hafnienſem transfretavit Academiam.

Et non erat quidem in hoſpitalem ſe peregrinis veniſſe terram, ſed magnum quoque præſidium ſibi ſperavit, ſi non amicos modò, ſed & ibi Mœcenates inveniret. Procuravit tunc temporis Patriæ commoda ſummâ virtute atque ampliſſimâ dignitate (magno prætereà ardore in literarum tutelam intentus) Illuſtriſſimus ac Generoſiſſimus Heros *Chriſtianus Thomas Sebeſted*, Dominus de Stowgard/ ſacræ Regiæ Majeſtatis Cancellarius, quem liberali fovendis ingeniis munificentiâ vix alius ſuperavit. Illi præcipuè innoteſcere cum cuperet, admiſſus ad colloquium, omni humanitatis genere exceptus eſt.

Mœcenates ibidem invenit.

Nec minorem expertus eſt benevolentiam immortalis memoriæ *Holigeri Roſenkrants*, Domini de *Roſenholmb*, qui ingeniorum æſtimator acerrimus cum eſſet, tranſmiſſum ſibi commendatumque à magno Cancellario ſuam in domum, novum invitavit advenam, qui eo, quo debuit, animo, gratiſſimo ſcilicet, maximi herois in ſe propenſionem exoſculatus, fortunam ſuam non cœpit, cum vota ? quæ profiteri non fuerat auſus ipſe, tantâ præveniri benignitate vidit, ſed doluit ſimul res ſuas tunc non pati, ut tanti beneficii magnitudine ſtatim uſus eſſet. Revertendum enim *Roſtochium* fuit, ut ſuæ commiſſos fidei Nobiles juvenes Parentibus & amicis incolumes decorè redderet. Eum in finem, impetratis commeatuum literis, abiit, ſervatô quamprimùm redeundi deſiderio.

Sed cum tunc temporis *Gallicis* in caſtris militaret Nobilium ſuorum Pater, in annum ſeculi XXLI. differre reditum coactus eſt, ne, ſine legitimâ miſſione diſcedens, ſuos deſeruiſſe videretur.

Impetratâ illâ ocyus in Academiam *Hafnienſem* advolavit, ſtatimque *Roſencrantzianam* in familiam adoptatus, cœpit ex voto vivere.

Gratuitus enim & liber ipſi ad ampliſſimam librariam ſupellectilem patuit aditus, lauta menſa, hoſpitium commodum, omniaque, quorum potuit indigere, largâ ſubminiſtrata ſunt manu præſidia, &, quod omnium maximum erat, quotidiano gaviſus eſt Herois convictu, cujus ab ore cœleſtis ſapientiæ præcepta & arcana hauſit, quæ ipſos præterire Myſtas potuerunt.

Fructuoſus ipſi hic convictus fuit, ſed non diuturnus. Etenim nondum in ſe redierat annus, ex quo ſacratiſſimis laribus,

dextros

dextros intulerat pedes, cum tam benignum efferri nutritorem & Dominum vidit, magnum ſui in luctus argumentum.

In Scaniam evocatus eſt.

Immaturè ita ereptum Mæcenatem inconſolabiliter deplorantem in *Scaniam* evocavit Nobilium Virorum favor, qui virtutem ejus jam anteà cognitam novâ hoſpitii neceſſitudine devinxerunt, retinueruntque ad annum usque 1643. Tunc enim novas ipſi turbas concivit inſperata in illam Provinciam vicinorum irruptio, quorum infeſtis animis armisque ut ſe ſubduceret, *Malmogiam* primùm, & deindè in Regiam *Hafnienſem* Academiam venit, *Germaniam* ſuam repetiturus, quæ poſt longi temporis graves ærumnas, quibus eam vel ſui, vel peregrini Martis furor affecerat, jam tum reſpirare cœperat.

Sacræ eruditionis ſpecimen coram Regiâ Majeſtate edidit.

Antequam autem ad ſuos reverteretur, jactatæ diu fortunæ viam ad aliquod decus munire ſtuduit. Ideoque Proxenetam elegit Illuſtriſſimum Cancellarium, qui in pia vota pronus, indulgentiam Regiæ Majeſtatis ſollicitando impetravit, ut ad edendum ſacræ eruditionis ſpecimen admiſſus fuerit.

Geminum autem illud dedit, tum *Romano*, tum *Germanico* ore diſertum ſe oſtendens, quo usque adeò ſe Magno Regi approbavit, ut de retinendo ipſo ornandoque cogitaverit.

Verbi Divini Præco Soræ.

Commodum tunc ſibi Doctorem Theologum Academia, fidumque verbi Divini Præconem *Sorana* poſtulavit Eccleſia. Utrique ille ſufficere muneri potuit. Ei igitur ritè inauguratus, præfectus eſt, & anno 1646. Regiis evocatus eſt literis, ut honores, quos ſacræ infulæ promittunt, maximos, Doctorisque titulum ſumeret.

Theol. Doct.

Nono Novembris die hæc ipſi contigerunt decora, ſacrâ manu tradita æternûm, ob merita in Academiam & Eccleſiam, quà eruditione, quà beneficiis, memorandi D. *Caſparis Brochmanni*, *Sedlandiæ* Epiſcopi, & Facultatis Theologicæ Decani.

In hâc ſuâ ſpartâ non vulgariter occupatus eſt, inque eâ quotidiano ſemetipſum ſuperavit profectu, ſphæræ ſuæ affixus & officii memor, cujus partes omnes, eo in loco, ubi ſedem fortunarum ſuarum ſemel fixerat, ad finem usque vitæ præclarè implere decreverat.

Sed viſa ſunt de novo contra tranquillitatem ejus conſpiràſſe Bellonæ conſilia. Etenim, quatuor hæc ante luſtra, graves patriæ iterùm incubuerunt vicini, terrasque famelico milite inundando, & nihil non depaſcendo, innocentium quoque Muſarum commoda non in ſalaria modo verterunt, ſed &, occiſis fundis, ita labefactârunt, ut ne quidem reddita pax ſolidam promittere integritatem potuerit.

Quâ de causâ cum neceſſario juſtitio clauſa *Soræ* literarum fora ad tempus fuiſſent, non paſſus eſt Divus *Fridericus* Rex, ut fati malignitate, poſt conſumptam literarum laboribus vitam, earundem fructu vel deſtitueretur, vel ægrè vitam toleraret.

Ad vacuam cathedram Theologicam vocatus eſt.

Ad vacuam igitur in Regiâ hâc Academiâ cathedram Theologicam vocatum die 23. Novembris Anni 1668. de novo in fidem ſuſcepit. Hanc ornandam provinciam, poſtquàm munere, cui tres & viginti annos *Soræ* præfuerat, inter publicas ceremonias ſe abdicâſſet, ſtatim ſuſcepit, deportataque ad *Hafnienſes* familiâ tàm publicis quàm privatis adlocutionibus juventutem ad ſanctiorum literarum cultum & Divinæ eruditionis ſtudium ſtrenuè adhortari cœpit.

Rector Academiæ renuntiatus.

Biennio pòſt in Magiſtratum Academicum Rector venit, quem & ſequenti anno cum Pro-Rectoris titulo ac dignitate continuavit.

Viſum poſteà ſacræ Regiæ Majeſtati fuit, ut quotquot vel Sacerdotum Collegiis præerant Antiſtites, vel juventutem in Academiâ ſacra docendi myſteria munere fungebantur, quò illuſtrior eorum dignitas redderetur, honores tantâ amplitudine dignos acciperent, Doctorumque numero, facto temporum injuriâ rariori infererentur.

Huic peragendæ ſolemnitati & Regia voluntas, & mos majorum deſtinaverant virum, toti aliàs orbi, poſt edita non una ingenii monumenta, notiſſimum D. *Johannem Wandalinum*, *Sedlandiæ* Epiſcopum, & Facultatis Theologicæ Decanum, ſed ille, dum in ſacri hujus honoris apparatu laboravit, non ſine bonorum mœrore, præmaturo fato abreptus *Witzlebio* has curas reliquit.

Moritur.

Vitæ hanc periodum abſolvit anno 1676. 11. die Septembris.

* *Ex Programm. funebri D. Chriſtoph. Schletteri.*

JOH. CHRISTOPHORUS SELDIUS.

Obiit A.C. 1676.

Ex immensâ Theologi hujus laudum meſſe, ſi ſumma tantùm capita decerpantur & proponantur, memoriæ proditum eſt, eum natum eſſe *Hilperhuſæ Francorum*, loco eruditiorum ingeniorum hactenùs feraciſſimo, anno 1612. ipſis Calendis Maji, cui ſolet in faſtis adſcribi nomen duorum Chriſti Apoſtolorum *Philippi* & *Jacobi*, non vano augurio, futurum, ut natus SELDIUS veſtigia horum Legatorum Salvatoris ſtrenuè perſequeretur.

Patrem, quem ἀνδρωθεὶς amiſit, habuit Dn. *Michaëlem Seldium*, illius loci Paſtorem & Adjunctum, Matrem verò *Suſannam*, Dn. *Georgii Petſchii*, Redituum Ducalium apud *Eisfeldenſes* Præfecti, filiam.

In ſcholis trivialibus *Hilperhuſii* & *Eisfeldæ* adoleſcentiæ, inque Gymnaſio *Coburgenſi* juventutis, in philoſophicis pariter atque Theologicis ſpecimina edidit eximia, quà ſua φιλομαθείᾳ etiam id ſibi impetravit, ut adhuc in Gymnaſio generoſiſſimis fratribus

Ephorus duorum Baronum. bus CAROLO & ERASMO SCHIFSERIT, Baronibus de *Laxenberg* & *Buchberg*, datus fuerit ſtudiorum & morum Ephorus.

Erfordiæ literis operam dat. Anno 1632. à Dn. D. *Meyfarto Erfordiam* invitatus eſt, qui eum omni ope ac operâ adjuvit, ibique non tantùm Philoſophos ac Theologos magno cum fructu audivit, ſed & alios in Philoſophicis diſciplinis informavit, eâ fide ac dexteritate, ut magnâ cum voluptate â frequentiſſimo Studioſorum cœtu audiretur.

Artium Magiſter Jenæ. Anno 1636. *Jenam* ſe contulit, & ibidem Artium Magiſter creatus, & prælegendo & diſputando locum & honorem, quem nactus erat, ornare ſategit.

Wittebergam ſe confert. Anno 1638. *Wittebergam*, quam usque & usque ſibi benignam, faventem patronam ac promotricem expertus eſt, ſe recepit, ubi non ſolùm didicit ipſe à Theologis ſummis, *Martino, Lyſero, Hülſemanno*, ſed & alios docuit, eo applauſu ac fructu, ut hodienum etiam per oras *Miſnicas* ac *Saxonicas* famam ejus ac memoriam gratâ mente, qui eum tum audiverunt, recolant. Ut excitata hâc ratione inclyta in Academiâ *Wittebergenſi* Facultas Philoſophica Adjunctum eum Collegii ſui adſciſceret, cujus etiam nutu ac voluntate anno 44. Decanatum cum ſingulari laude geſſit. *Fit Adjunctus Facultatis Philoſophicæ.*

Dehinc pietas, virtus & eruditio *SELDII* ſic innoteſcebat publicè, ut optimos quosque extra *Germaniæ* etiam fines in ſui admirationem alliceret. Quapropter cùm prudentioribus Academiis orthodoxis ſingulari ornamento ac præſidio futurus videretur, in locum D. *Chriſtiani Matthiæ*, ex commendatione B. D. *Martini*, inter Profeſſores Theologiæ in Academiâ *Soranâ Danicâ*, per D. *Brochmandum* cooptandus ſcriptis compellaretur, mox evocandus, ubi turbæ bellicæ, quæ *Daniam* vexabant, paululum remiſiſſent.

Intereà verò in oculis Sereniſſimi Principis *Friderici Wilhelmi*, Ducis *Saxoniæ*, &c. occaſione inſcriptæ Sereniſſimo Ejusdem Nomini *Orthodoxiæ harmoniæ Paulinæ* in locis de Prædeſtinatione & Juſtificatione, Ejus pia eruditio & erudita pietas reſplenduit, cujus Sereniſſima Celſitudo ſtatim eum publicæ provinciæ admovit, commendata ei Eccleſiæ *Reinhildenſi*, vicinarumque Ephoria, anno 1654. quam etiam in curam integerrimi miniſterii ſuſcepit. *Superint. Romhildenſis.* Idem annus Licentiam, quam vocant, & ſequens mox ſummos in Theologiâ honores ipſi detulit. *Theolog. Doctor.*

Sic ergò jam Doctor & Superintendens in id ſummo incubuit ſtudio, ut ſpartam, quam nactus erat, illuſtrem magno cum Eccleſiæ emolumento egregiè ornaret: cunctis admirantibus ejus in docendo dexteritatem, in diſputando acumen, in dicendo elegantiam. Differebat graviter & ornatè, nervosè & politè, ſive meditata ſibi ſubita proferret: Inſtruebat ut *Hieronymus*, deſtruebat ut *Lactantius*, adſtruebat ut *Auguſtinus*, attollebatur ut *Hilarius*, ſubmittebatur ut *Chryſoſtomus*, ut *Baſilius* corripiebat, ut *Gregorius* conſolabatur, ut *Oroſius* affluebat, ut *Ruffinus* ſtringebat, ut *Paulinus* provocabat, ut *Ambroſius* perſeverabat: denique, quæ alii magni Theologi affectant ut ſingula, ille implebat omnia, nec aliud erat, quàm ex omni pulcherrimarum ſcientiarum collecta perfectio. His virtutibus domi ſe fidei ſuæ conſortibus probabat. Militiæ verò formidabilem hoſtibus Eccleſiæ reddebant ſcripta cumprimis in publicam lucem emiſſa,

Scripta.

Topica Marcelliana.

Anti-Marcellii pars prior Exegetica & Polemica.

Parallelismus Theologiæ Marcellianæ & Hæreticæ.

Diſputationes Anti-Cornæanæ.

Topica Calviniana, jam denuò curâ Dn. generi *M. Theodori Schneideri*, Ephori *Salfeldenſis* recuſa.

Diatribe Axiomatum.

Idolum Syncretiſticum, oder Greuel des *Syncretiſti*ſchen Abgotts.

Scrutinium articulorum fundamentalium,

& alia, quæ denuò, ita exigentibus celeberrimis Viris, lucem viſura exſpectantur.

Ejus variæ vocationes. Quibus ſingulis ita nomen ſuum per orbem volitavit, ut ſplendidiſſimæ ipſi vocationes ſubindè offerrentur. Bis enim uno in anno ab Academiâ *Wittebergenſi*, ejusque Nutritio Celſiſſimo *Saxoniæ* Electore ad Profeſſiones Theologicas vocatus, à piiſſimo etiam ac feliciſſimo Principe *Erneſto Saxoniæ* Duce ſucceſſor B. D. *Glaſſio* rogatus: verùm ante omnes alias regiones patriæ operam omnem deſpondebat, Sereniſſimique Principis *Friderici Wilhelmi* votis, qui terris ſuis hoc nobile pignus aſſervari volebat, non refragabatur. Cujus demùm decreto ac voluntate *Coburgo* Superintendens Generalis, Illuſtris Conſiſtorii Adſeſſor, Gymn. Scholarcha atque Profeſſor primarius, ad meliora abeunte D. *Seyfarto*, datus ac donatus fuit anno 1664. *Superint. Generalis &c. Coburgi.* Qualem ſe in arduo hoc officio præſtiterit, nemo non, ſive ſummorum, ſive mediorum, ſive infimorum, habet cognitiſſimum.

Tametſi autem præclaris eum donis Deus ornaverat, nihil tamen excelſi, nihil ſuperbi animum ejus inquinavit unquam; Humanitas in eo ſumma erat. Nemo illum adiit, cujus inopiam non ſublevarit.

Demùm etiam ex Apoſtoli monito unius uxoris maritus fuit, domi ſuæ bene conſulens, honeſtâ ac piâ prole felix. Eodem enim anno, quo laureâ Doctorali fuit ornatus, ſc. 45. B. D. *Andreæ Keſleri*, Theologi celeberrimi, relictam viduam *CATHARINAM LUCRETIAM*, natam *WALZIAM*, ſingularis exempli feminam, uxorem duxit. *Conjugium.* Quod conjugium, ſi Deum ſpectes, religioſiſſimum, ſi conjuges ipſos, jucundiſſimum & feliciſſimum, ſi prolem, fœcundiſſimum. Suſceperunt enim ex benedictione divinâ liberos octo, quorum quinque ad meliora præmiſerunt, ſuperſtitibus filio unico *Johanne*,

hanne, Theol. Studioſo, & filiabus duabus *Suſannâ Sabinâ*, Dn. *Henrico Baumanno*, Theologiæ Doctori ac Profeſſori Publico, Gymnaſiique *Coburg.* Directori, *νῦν ἐν ἁγίοις*, jam verò Dn. *Friderico Wilhelmo Carpzovio*, Præfecto Ducali, *Volkerodæ* in *Thuringiâ* nuptum datâ, & *Annâ Julianâ*, Dn. M. *Theodoro Schneidero*, Eccleſiæ *Salfeldenſis* Paſtori, ac vicinarum Superintendenti, Aulæque ibid. Concionatori felicisſimè elocatâ, utrâque verò ſexûs ſui ornamentis.

Huic ſuæ domui ita *SELDIUS* præerat, ut honeſtam ac piam eam omnium oculis ſiſteret. *Moritur.* Animam beatè efflavit d. 14. Septembr. 1676. cùm vixiſſet annos 64. menſ. 4. ſeptim. 2.

Obiit A.C. 1676.

AUGUSTUS FLEISHAUER.

Epitaphium ejus in Templo oppidano *Witteb.* legimus.

Lege Viator ac mirare
Non longævitatem quidem
Communem aliis familiarem Leucori
Sed fati virtutumque rara
AUGUSTI FLEISHAUERI
Venerabilis in incani ſenis
Ultra ſeculi dimidium
Meriti Archidiaconi ad Paroch. Templum
Patre ſatus Muſico Zachæo
Octogenario hic olim capulari
Prid. Kal. Sept. A. M. D. XCV. Glauchiæ
Matrem coluit egregiam
MARIAM KOENGIAM
Præceptores habuit Theologos
Ante annos L. celebres beatos dudum
Hunnios, Balduinos, Meiſneros, Franzios
Cum Sybillâ Balduinâ Conjuge
Unâ eâdemque convixit
Sine lite Annos LIII.
Liberos ſuſcepit X. Filios IV.
Filias VI. Nepotes XX. vidit.
Dira duraque à peſte ab annonâ
A bellonâ pluries perpeſſus
Patientiâ incredibili exſuperavit
Sacro muneri non doctrina ſola
Sed vita etiam in exemplum præfuit
Miti humilique ſemper genio
Quem proprium eſſe ordini religioſo
Deus ipſe voluit
Primus à ſenectute ipſi morbus
Alter à caſu quodam ante VII. Menſes
Ultimus à colluvie malorum plurium
Vivacior & felicior Auguſto
Expletis annis LXXXI. diebus XVII.
Animam exſpirans placidè
XV. Kalend. Octobr. A. M. DC. LXXVI.
Per anguſta ad auguſta exſpiravit
Jam verè auguſtus factus.
Abi Lector & mori maturè diſce
Ut æternùm vivas.

G. *Kirchm.* P. P. Conc.

* *Ex Inſcriptionibus Witteb. Andreæ Sennerti.*

Obiit A.C 1676.

FRIDERICUS RAPPOLTUS.

NAtus eſt Anno 1615. 26. Januarii in oppido *Reichenbach.* Parentes habuit ex antiquisſimâ familiâ *Henricum Rappoltum*, Medicum & Pharmacopoeum iſtius oppidi, Prætorem poſteà *Pegavienſem*; & *Reginam Lippoldiam*, & Senatore *Cizenſi* natam, quam viduam incendio *Pegavienſi* ad incitas redactam per 18. annos ad obitum usque *Fridericus* ſuſtentavit. *Erga parentes filii gratitudo.*

Fundamenta artium & pietatis in ſcholâ patriâ jecit, Magiſtro optimo *Joh. Kegelero* ad 12. usque annum. Pòſt cum parentibus optimis ſedem fixam alibi quærentibus *Pegaviam* tranſiit, ibique per ½ anni commoratus ſub diſciplinâ M. *Joh. Richteri*, ſcholæ Rectoris, *Portenſe* ingreſſus eſt Gymnaſium, ibique ſexennium abſolvit integrum.

Teſtimonio indè dimiſſus honeſtisſimò, in Academiam *Lipſienſem* anno ætatis 19. ſe contulit, ſtatimque doctrinæ, quam deinceps in aliis exerceret, rudimenta quaſi in præſtantisſimi Theologi *Mauritii Burcharti* liberis fecit. *Studioſus Lipſienſis.* Anno pòſt de ſtipendio Divina & Electoralis Benignitas ipſi proſpexit, quod in legitimos uſus ab ipſo converſum, ſequentis anni dignitas Magiſterialis in eum collata luculenter oſtendit: dein in Philoſophiâ & humaniori literaturâ multum ſtudii poſuit, ac laboris ductores & Doctores habens excellentisſimos Viros *Philippum Müllerum* Mathematices, *Andream Corvinum* Oratoriæ, *Hieronymum Recklebenium* Dialectices, fidelisſimos Magiſtros, in Theologiâ verò *Johannem Höpnerum*, *Chriſtianum Langium*, & *Mauritium Burchartum*, quorum primus primam in Theologiâ lauream an. 1640. *Friderico* huic tradidit. *Philoſoph. Magiſter.*

Tum alios, quæ didicerat, docere geſtiebat; nam Dialecticam, Rhetoricam, naturalem etiam Theologiam non minùs quàm *Judæ* Epiſtolam Catholicam expoſuit, privatus ſtudioſis Doctor datus.

Ob raram verò hanc docendi dexteritatem ad Con-Rectoris munus in *Thomanâ* urbis *Lipſienſis* ſcholâ obeundum, ab ampliſſimo Senatu an. 1642. vocabatur, quo ſuſcepto, non triſti fronte, ſed placidâ informandique ſummâ dexteritate puerorum ſibi animos conciliabat. *Conrector ſcholæ Thomanæ Lipſ.*

A. 1644. in Philoſophicam allectus facultatem, poſteà cum duabus *de Amore* diſputationibus idoneum ſe approbâſſet aſſeſſorem, an. 1651. Profeſſor conſtitutus eſt, ubi non ſaltem Conrectoris in ſcholâ *Thomanâ* provinciam retinebat, ſed & alteram an. 1663. Rectoris in *Nicolaitanâ* ſpartam ſibi imponi æquo ferebat animo. *Rector Nicolaitanus.*

Hiſce in functionibus ſingularem Divini Numinis expertus eſt favorem, dum Juvenis ſtatim à *Pegavienſibus*, vir factus ab *Hallenſibus*, anno etiam 1661. ab *Hamburgenſi-*

 bus

bus, ut literarum & ſcholæ curam apud eos reciperet, fuit ſollicitatus.

Conjugium. A. 1647. *Mariam Eliſabetham, Pauli Franckenſteinii*, Prætoris urbani filiam, in matrimonium accepit, ex quâ liberos ſuſcepit 11. relictis poſt ſe octo.

A. 1656. *Andreæ Rivino* ſuffectus eſt *Rappoltus*, ubi carminibus gravisſimis, quorum pars maxima volumine arctata prodiit, Poëtas exæquavit optimos, cujus rei fidem *Scriptum.* facit vel ſolus in *Horatii ſermones & ſatyras Commentarius.*

Doctor Theol. Licentiati an. 1663. Doctoris verò Theologiæ inſignia an. 1668. adeptus eſt. De aliis, quos geſſit, honoribus muneribusque, quibus laudabiliter functus eſt, Decanatu apud Philoſophicam Facultatem ter, apud Theologicam ſemel, Procancellarii officio in creandis Magiſtris bis, Præpoſiti cura in Collegio Majori Principum totidem, Ephoria alumnorum Electoralium ipſi commiſſa, Canonicatu *Cizenſi* collato, Senioratu nationis credito, & Rectoratu bis præclarè geſto, nihil ulterius attinet dicere.

Theologici labores. Theologicæ Profesſionis labores extra ordinem primùm, *Gejero* ad Aulam & Conciones conſiliaque ſanctiora vocato præſtitit, dein poſt beati *Reinharti* obitum ſuſcepit: in hoc munere poſt Articulos viſitatorios, quos extra ordinem illuſtravit, *Theologiam Aphoriſticam ex Epiſtolâ Johannis primâ* tradidit, inque eâ non minùs quàm in Diſputationibus Theologicis, ingenii acumen & doctrinæ ſuavitatem propoſuit; ad *Titum* dein & *Coloſſenſes* ſcriptas à *Paulo Epiſtolas Obſervationibus exornavit*, ac tandem *ſecundam Johannis Epiſtolam* eâdem, quâ priorem, methodo cœpit exponere. Privatos intra lares *Summarium Wilhelmi Lyſeri Theologicum* diſcurſibus in calamum dictatis elucidavit.

Morbus. Verùm præter podagram à renum calculo, quem carnificem *Eraſmus* ſuum nominabat, tum aliàs non ſemel, tum ante ultimum maximè triennium fuit excruciatus. Exortâ enim veſicæ inflammatione & cruentâ mictione, eò usque diſcriminis tum adducebatur, ut extrema ipſa inſtare quàm proximè viderentur; his malis acceſſit tertium, quod Enterocelen Medicorum appellant filii. Reſpiramenti tamen quippiam ſubindè ipſi datum, ut munia ſua obire, eâ, quâ ſolebat, fide ac dexteritate poſſet. Sed vim omnem & Chirurgiæ elidebat ſubitanea alteratio die 14. Dec. A. 1676. in Enterocele exorta, quam & mortiferam ſibi ſæpisſimè præſagiebat ipſe, tumorque abdominis tympaniticus reſpirationis officium ſufflaminans ſpem recuperandæ valetudinis omnem ſuffocabant, ſicque in pace *Mors.* diſceſſit feriâ tertiâ Natalitiâ ſub meridianam primam, dum maximum tàm aliàs ſolatium, quàm in ipſo articulo mortis conſtitutus ex pace per Juſtificationem ſibi comparatâ hauſiſſet, hancque argumentum Concionis funebris eſſe voluiſſet.

* *Ex Programmate funebri.*

JACOBUS ALTINGIUS. *Obiit A. 1679.*

NAtus eſt *Heidelbergæ* 27. Sept. A. C. 1618. Patre *Henrico Alting*, Acad. *Heidelb.* Theologo, & Collegii ibidem Sapientiæ Inſpectore, tunc abſente ob iter ad Synodum *Dordracenam*: Matre *Suſannâ Belierâ*.

Turbatâ mox altero anno civilibus *Germaniæ* bellis Patriâ, varias cum Parentibus ſedes ſortitus eſt, unâ in exilium deductus, *Puer patriâ exul.* priusquàm Patriam noſſe cœpiſſet: quippe A. 1620. cum *Spinola* in *Palatinatum* irrupiſſet, *Brettam* ſorori fratrique comes ad tempus ablegatus, anno autem ſeq. cum Matre *Heilbronnam* dimiſſus fuit, & hinc anno exacto cum eâdem *Schorndorfium* commigravit.

Indè M. Febr. A. 1623. cum Parentibus digreſſus, longo itinere *Embdam* pervenit. Hic primùm unà cum fratre literis Latinis *Literis initiatur Embdæ, Leydæ & Gröningæ.* domi paternæ initiari cœpit, *Leydæ* deindè, & *Gröningæ*, quò cum patre ad Profesſionem Theol. evocato appulit A. 1627. Continuatâ iſtic ſub inſtitutione Præceptorum D. *Danielis Berckingeri Ultrajectinæ*, & D. *Tobiæ Andreæ*, poſteà *Gröning.* Academiæ Profeſſorum, in menſem usque *Auguſtum* A. 1631, ex ſententiâ Dom. Profeſſorum Facultatis Philoſophicæ trivialibus ejus ſtudiis finis impoſitus, ipſoque cum fratre ad Academiam promotus fuit.

Theolog. ſtudioſus Gröningæ. Hic porrò Philologicis & Philoſophicis defunctus ſtudiis, ad Theologiam animum applicuit, Theologorum *Gomari* & Patris ſui conſtans auditor. Conjunxit tamen ſolicitè, quod ante annos aliquot auſpicatus *& Ling. Orient.* fuerat, Linguarum Orient. ſtudium, publicâ D. *Gomari*, privatâ verò *Victorini Bythneri*, Theol. ſtudioſi, & Judæi cujusdam *Embdani*, *Rabbi Gumprecht Ben Abraham* nomine, in *Thalmude* inſtitutione uſus.

A. 1639. M. Jun. peregrinationem ingreſſus *Lugduni Batavorum* conſedit, familiaris, præ cœteris, D. *Polyandro, Triglandioque* Theologis, & *l'Empereur, Golioque* Linguar. *Hebrææ Arabicæque* Profeſſoribus, indè *Ultrajectum*, ubi cum Clarisſimo *Voëtio*, eoque interceſſore, cum Nobilisſimâ & Lectisſimâ, ſupraque ſexum Doctisſimâ Virgine, *Annâ Mariâ Schurmanniâ*, ſæpiùs ſermones miſcuit.

A. 1640. in *Angliam* trajecit, & *Londinum* die vigeſimo Aprilis ſummo mane appulit, comitibus itineris ſui *Johanne Penonio*, poſtmodùm Eccleſiæ *Embdanæ* Paſtore fidelisſimo, & *Johanne Schuio*, receptusque eſt *Neoburtii* in ædes Theologi *Guilielmi Twiſſit*, ubi poſt trimeſtre ſpatium exactum, *Oxonium* tranſiens, *Londinum* rediit.

Ibi autem dum longo tempore hæreret, anno 1641. ſæpiuſculè *Belgicè* inter *Belgas* concionatus eſt: abiitque tandem ad *Edoardum Reynolds*, Eccleſiæ *Brandeſtonienſis* in *Northamtoniâ* Miniſtrum; tandem ſacro *In Angliâ Miniſterio initiatus.* Miniſterio initiatus eſt *Vigorniæ* ab illius Diœ-

Diœceſeos Epiſcopo D. *Johanne Brideauxio*, S. Theol. Doctore & Prof. Regio *Oxonienſi*, ibidemque Collegii *Exonienſis* Rectore A. 1642.

Sed inclinatâ deinceps indies inteſtino bello iſtius Regni & Eccleſiæ fortunâ, & accedente voluntate Parentum, cum M. Nov. ejusdem anni in Comitiis ab Ordinibus *Gröningæ Hebrææ* & affinium Linguarum Profeſſio ipſi decreta, & per literas publicas oblata eſſet, eam capeſſivit, & 20. Jan. A. ſeq. 1643. *Grüningæ* adiit, quo die itidem D. *Mareſius* Theologicam Profeſſionem ſuſcepit.

Profeſſor Linguæ Hebrææ & affinium Gröningæ.

Anno 1645. die 21. Octobris ex decreto Senatûs Academici ipſemet Philoſophiæ Magiſter renuntiatus eſt. Acceſſit munus Eccleſiaſtis *Belgicæ* eâdem vocatione ipſi demandatum, quo defungi cœpit ab initio A. 1647.

Eccleſiæ Belgicæ Miniſter.

Cum Univerſitas *Heidelberg.* A. 1652. inſtauranda eſſet, aliquoties de Profeſſione Theologicâ Veteris Teſtamenti, & Linguæ Hebrææ iſtic ſuſcipiendâ tentatus, aſſenſum tamen diſtulit, & privatim editioni Scriptorum Paternorum manum admovit. Anno 1667. Profeſſio Theologica *Gröningæ* ipſi oblata eſt, ad quam obeundam ſtatim ſe accinxit, moxque Theologiæ Doctor renuntiatus eſt. Recturam Academiæ annuam quater geſſit. In Domino obdormivit A. 1679. die 20. Auguſti.

Theologiæ Profeſſor. Theol. Doctor creatus. Rector Academiæ. Obiit. Scripta.

Prodiit ab ipſo:

Reſpublica Hebræorum Scholaſtica, ſive *Hiſtoria Academiarum & Promotionum Academicarum in populo Hebræorum geminâ Oratione delineata.*

Synopſis Chaldaica ac Syriaca, in collegiis privatis Auditoribus ſuis anteà propoſita.

Vaticinium Patriarchæ Jacobi, quod Geneſeos cap. 49. verſu 10. habetur.

Diſſertationum Academicarum volumen unum, cui duo alia adjungentur.

Commentarius Eccleſiaſticus in caput 11. Epiſtolæ ad Romanos.

Grammatica Hebraica, Chaldaica & Syriaca.

Explicatio Decalogi, cum nonnullis Appendicibus de Sabbatho, Belgico idiomate edita.

In ſcriniis adhuc ſervantur ſequentia:

Sabbathum merè Evangelicum Eccleſiæ utriusque Teſtamenti proprium.

Commentarius in totam Epiſtolam Pauli ad Romanos, Concionibus quingentis & nonaginta conſtans.

Commentarius in totum Jeremiam, Concionibus ducentis ſexaginta quinque, & Lectionibus quadringentis & nonaginta comprehenſus.

Commentarius in ſeptem capita priora, & partem capitis octavi Epiſtolæ ad Hebræos, Lectionibus trecentis & octoginta contextus.

Obiit A. C. 1680.

JOH. LUDOVICUS HARTMANNUS.

Rotenburgi, urbe Imperiali, natus eſt 3. Febr. A. C. 1640. Patre *Johanne Georgio Hartmanno*, Poëtâ Laureato, Paſtore primùm *Lichtelenſi*, & Vicario *Smer-* & *Spielbacenſi*, dein verò Antiſtite *Rotenburg.* ad Spiritum S. Matre *Annâ Mariâ Schwarzmanniâ.*

Avum habuit M. *Johannem Hartmannum*, Diaconum *Rotenburgenſem*, & Proavum M. *Jacobum*, Paſtorem *Wettringenſem.*

Puer optimæ indolis in ſcholam patriam miſſus, ibi fundamenta pietatis & artium jecit, & ad tantos profectûs ſub Præceptoribus Claſſicis, præprimis autem Rectore M. *Seybothio*, pervenit, ut A. 1657. *Wittenbergam* ad ſtudia ſua continuanda à patre ablegaretur.

Nactus ibi Præceptorem *Johannem Sperlingium*, Phyſices Profeſſorem celeberrimum, ſtudio Philologico & Philoſophico ſingulari induſtriâ operam navavit, ſubque ejus præſidio *binas Diſputationes Philoſophicas*, unam ex Phyſicis, de *Origine animæ humanæ*, & alteram ex Metaphyſicis, de *Communicatione propriorum*, ſummâ cum laude habuit, ſupremumque dein locum in Philoſophiâ, gradum nempe Magiſterii, adeptus, ipſe proprio Marte Collegium Ethicum diſputatorium inſtituit, vicesque Præſidis ſuſtinuit.

Studioſus Wittenbergæ. Philoſ. Magiſter.

Studium deindè Theologicum auſpicatus, & à Magiſtratu *Rotenburgenſi* ſtipendio haud exiguo ſublevatus, D. *Abrahami Calovii*, D. *Scharfii*, D. *Meiſneri*, & D. *Cunadi*, SS. Theologiæ Profeſſorum, Collegia publica & privata ſine intermiſſione frequentavit, ſubque præſidio dicti D. *Cunadi diſſertationem de Cœnâ Domini*, aliamque brevi poſt *de vitâ hominis* publicè propugnavit, & ſic eruditionem haud leviter acquiſitam ſatis ſuperque omnibus probavit.

Abſoluto ſic quadriennio, à Patre domum revocatus, A. 1660. prægreſſo examine conſueto, à Senatu *Rotenb.* Paſtor *Spielbacenſis*, & A. 1662. in locum defuncti *Seybothii* Rector Gymnaſii *Rotenburgenſis* conſtitutus, conjugii ſocietatem iniit cum virgine *Annâ Margarethâ*, *Georgii Abel. Kirchmajeri*, Præfecti *Uffenheimenſis* filiâ, ex quâ 7. filios, binasque filias ſuſcepit, ſed tres tantùm filios, *Chriſtianum*, *Chriſtophorum Ludovicum*, & *Fridericum Erneſtum*, filiasque *Evam Chriſtinam*, & *Mariam Sophiam*, ſuperſtites reliquit, cœteros autem præmiſit.

Paſtor Spielbacenſis. Rector Gymnaſii Rotenburgenſis. Uxorem duxit.

A. 1666. die 16. Febr. à Senatu *Rotenb.* Superintendens Eccleſiarum intra & extra Civitatem, cum Directione Conſiſtorii & Gymnaſii conſtitutus, præviâ *inaugurali Diſputatione de Elencho Morali*, ſub Præſidio D. *Tobiæ Wagneri*, SS. Theol. Doct. & Acad. *Tubingenſis* Cancellarii, ſummum in Theologiâ gradum, Promotore D. *Joh. Adamo Oſiandro*, cum applauſu totius Academiæ *Tubingenſis*, adeptus eſt.

Superint. Rotenb. D. Theologiæ.

Lecto fatali affixus, & colicâ paſſione haud leviter excruciatus, poſtquam uxori ultimum vale dixiſſet, lætus in Chriſto exſpiravit A. 1680. die 18. Julii ætatis 40.

Moritur.

* Ex Concione fun. Georgii Simonis Rengeri.

Digitized by Google

Scripta. Scripta ab eo in lucem edita, ſunt ſeqq.

IN QUARTO.

Concilia Illuſtrata Rüeliana, Tom. 4. Omnia Concilia & Colloquia à nato Chriſto uſque ad Caſſellanum.

Paſtorale Evangelicum, ſeu *Informatio de Paſtorum perſonâ, vitâ, ſpartâ & fortunâ: cum 100. Caſibus conſcient. & controverſ.*

Hertz-Poſtill / oder wahres Chriſtenthumb über die Sonntäg / Feſt- und Apoſtel-Täg.

Caſual-und *Miſcellan*-Predigten von hitzigen Fiebern / Kopff-Kranckheiten / Feuers-Brunſt / erſchröcklichen Todes-Fällen / Erdbidem.

Himmliſcher Buß-Prediger von Cometen 1677.

Item / Erſt und Anderer Himmliſcher Buß-Prediger 1664. & 65.

Anzugs- und Gruß-Predigten 1666.

Hochzeit-Predigten auf alle Fälle / für junge und verwittibte Leut / ingleichem auf alle *Facultäten* / bey *Copulation* der Geiſtlichen / *JCtorum, Medicorum*, Apothecker / Handwercks-Leute ꝛc. ſampt Warnungs-Predigten bey *Copulation* derer / die zuvor Unzucht getrieben / & *decade Concion. ſingular.*

De diſciplinâ Eccleſiaſticâ revocandâ, Diſpp. V.

De Elencho Morali & Doctrinali.

Collegia ſuper Catech. majorem Lutheri.

De Impedimentis propagand. pietatis.

Scrutin. Bibl. propagand. piet. egregii Specimen ex Epiſt. ad Roman.

Prodromus in Commentar. Biblicum.

Juſta Parentalia Panegyr. Styrzelii, Nuſchii, Albrechti, & Celeberr. Theol. Rückeri.

Sacra piacularia, Ausſöhnung des Landes / über unſchuldig vergoſſen Blut.

Chriſt-Adeliche Seelenwach.

Ordination-und *Inveſtitur*-Predigten.

Buch des Lebens.

Regenten Lob und Prob.

Medicorum Zier und Gebühr.

Alter Leut Laſt und Luſt / Lohn und Cron.

Neue Teuffels-Stücklein / Paſſauer-Kunſt / Veſtmachen / Waffen-Salb.

IN OCTAVO.

Manuale Paſtorum, bey allen *Actibus*, Kran-cken / Beſeſſenen / Angefochtenen / Gebährenden / *Maleficanten* mit Gebeten / Sprüchen / Exempeln und Geſängen.

Falſch Chriſtenthum *Egardi.*

Facilis ratio diſcend. Lat. Ling.

Gramm. Græc. Novi Teſtam.

Methodus Catechizandi, oder Anweiſung den Catechiſmum erbaulich zu erklären in allerley Herꝛſchafften.

IN DUODECIMO.

Abſolution-Buch / etliche 100. Formulen in vier Theilen.

Veri Chriſtianiſmi Impedimenta & Adjumenta.

Evangeliſch *Manual* von den ſtrittigen Puncten wider das Pabſtthumb.

Evangeliſche Antwort wider *P. Lampertum.*

Manual. defenſum.

Manual. defenſum continuatum.

Fluch-Spiegel.

Denck- und Danck-Säule / Orgel-Predigt.

Alamode-Teuffel.

Theologia Poſitiva.

Spiel-Teuffel / ſampt Bedencken vom Glückstopff.

Tanz-Teuffel / *cum Appendice* vom *Præcedenz*-Teuffel.

Muſter des falſchen Chriſtenthumbs.

Verkehrte Welt.

Höllen-Büchlein / Schmiralien-Teuffel.

Eyd und Pflichts-Erklärung.

Clavis Philoſophiæ, Medulla Logic. cum Axiomat. Philoſoph.

Uncatholiſch Pabſthumb.

Fortſetzung *ejusdem.*

Schmeichel- und Fuchsſchwantz-Teuffel.

Privat-Intereſſe-Teuffel.

Sauff-Teuffel.

Erörterung etlicher Streit-Fragen.

Streit-Fragen vom Meß-Opffer.

Undanckbar-Teuffel / ſampt Neu-Jahrs-Predigt.

Kirchen-Fried / *contra Dr. Kargium.*

Widerlegte *Ephemerides, G. W. J. Philo-Germani.*

Läſter-Teuffel.

Evangeliſches *Lætare, cum Hiſtor. Reformationis Franconiæ.*

Bibliſcher Catechiſmus und Spruch-Büchlein.

Anatomia heutiger verkehrter *Eſtaats*-Leut.

Fränckiſche Blut-Geſchicht von Verwandlung des Waſſers in Blut / zu Kitzingen.

Greuel des Seegenſprechens / von Alraun / Diebsdaumen / *Spiritibus Familiaribus.*

Neue Zeitungs-Sucht und Kriegs-*Diſcourſen*-Flucht.

Friedens- und Erndt-Predigten.

Annahung zu GOtt.

Glaubens-Prob und Lebens-Lob.

Geiſtliches Vergiß mein nicht.

Kriegs-Schad und Friedens-Rath.

Gedenck-Schul.

Tugend-Spiegel und Laſter-Rigel.

Glaubens-Grund.

Gewiſſens-Schul.

Heilſamliche Mittel wider den Eh-Teuffel.

Buß-Beicht- und Communicanten-Büchlein in 16.

Kirchen- und Hauß-Kleynodt / in 18. & 24.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

PAR-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google